GALLIA
CHRISTIANA.

TOMUS XIV.

PARISIIS. — EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES, VIA JACOB, 56.

GALLIA CHRISTIANA

IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTA;

IN QUA SERIES ET HISTORIA

ARCHIEPISCOPORUM, EPISCOPORUM ET ABBATUM

REGIONUM OMNIUM QUAS VETUS GALLIA COMPLECTEBATUR,

AB ORIGINE ECCLESIARUM AD NOSTRA TEMPORA DEDUCITUR,

ET PROBATUR EX AUTHENTICIS INSTRUMENTIS AD CALCEM APPOSITIS.


A MONACHIS CONGREGATIONIS S. MAURI AD TERTIUM DECIMUM TOMUM OPERE PERDUCTO,

TOMUM QUARTUM DECIMUM,

UBI DE PROVINCIA *TURONENSI* AGITUR,

CONDIDIT

BARTHOLOMÆUS HAURÉAU.



PARISIIS,

EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES,

INSTITUTI FRANCIÆ TYPOGRAPHI.

VIA JACOB, 56.

—

M DCCC LVI.

ADMONITIO AD LECTOREM.

E regiæ typographiæ prælo prodibat, anno MDCCLXXXV, Benedictinorum sodalium curis, tertium decimum Galliæ Christianæ volumen, Tolosanam et Trevirensem provincias complectens. Nec multo post rei Francicæ status prorsus verti, monastica prohiberi vota, et congregatio S. Mauri cum cæteris dissipari. Ex illo tempore interruptum pependit opus, tanto jam sudore cœptum profligatumque. De cujus tamen utilitate cum omnes uno ore consentirent, et ut perficeretur summopore exoptarent, Inscriptionum Academia iterum iterumque proscripsit maximas a se persolvendas grates ei qui, Benedictinorum vestigiis ingressus, derelictam rem persequeretur. His cohortationibus admoniti, quia jam non erant occupationes quæ nos præpedirent, tam arduum laborem sumus adorti.

Quod si quis scire velit quemadmodum scribendi rationem nostram instituerimus, dicemus nos id imprimis curavisse ut germanam operis incœpti effigiem exhiberemus. Nullus igitur hic datur locus philosophicis de varia ecclesiæ Gallicanæ fortuna commentariis, nullus tot dissidiorum inter Ecclesiæ regnique proceres judicio, nullus universalium inquisitioni causarum quibus singularia quæque moventur; simplex autem et omnino nuda rerum series profertur, cum, veritatis laudem unice appetentes, vel ipsum orationis cultum brevitatis consectatione neglexerimus. Ob id verum ne nos acrius censura mordeat : antecessorum enim nostrorum exemplo, si peccatum est, peccavimus.

Quoddam tamen, sed leve, discrimen inter eorum morem nostrumque hic notare decet. Solebant enim episcoporum abbatumque coævorum gesta ad novissimos usque dies enarrare : postquam vero aliquantisper dubitavimus quem ad temporis terminum provinciæ Turonensis historiam duceremus, in eo stare placuit ut sub annum MDCCXC labori nostro metam imponeremus. Ab eo enim tempore sumpsit initium rerum novus ordo, qui novam annalium formam requirit.

Non pauci quidem opinati sunt quartum decimum hoc volumen a Benedictinis sodalibus saltem inchoatum fuisse; et curiosius vel apud exteros armaria scrutati sunt, si quas tanti laboris reliquias e naufragio colligere liceret. Eamdem investigationem aggressi operam mox agnovimus perditam, nisi quod instrumenta quædam, ad hoc volumen spectantia, jam vulgata typis ex officina cujusdam librarii depromere datum est. Textus vero eorum tot mendis scatebat, ut, plerisque submotis, pauca tantum, variantibus lectionibus marginata, rursus prælo mandaverimus.

Benevolum lectorem plura admonere abs re forsitan esset. Rari sunt doctorum in grege quibus Galliæ Christianæ non frequens usus. Eadem, quæ in prioribus tomis quæsivere, in isto quærant, et, nisi defecerimus a proposito, reperient. Aliud vero quodcumque, rem sincere denuntiamus, abest.

HOC IN TOMO CONTINENTUR


ABBATIÆ, TUM VIRORUM,

TUM FEMINARUM, IN PROVINCIA TURONENSI,

ORDINE ALPHABETICO DIGESTÆ.

VETERA MONASTERIA

AD HANC PROVINCIAM SPECTANTIA.



DIŒCESIS SAGIENSIS
DIŒCESIS CARNOTENSIS
DIŒCESIS BLESENSIS
CENOMANENSIS
CENOMANUM
Pratum
Spallum
Campania
Tyronellus
Tuffiacum
Petrina
S. Maria de Alris
Pelissa
S. Bomadus
Vadum Alneti
Mons Sorus
Presena
Pons Vodens
Vadatium
Meſlinerium
Chalocheium
S. Georgius de Nemore
Bonus Locus
Claritas Dei
Buxeria
Oratorium
Gastineta
Fontanæ Albæ
Majus Monasterium
TURONES
TURONENSIS
Burgulium
Turpiniacum
Caino
Sulleium
Fons Ebraldi
Cormaricus
Bellus Locus
Nucariæ
Boscus Alberici
Prulliacum
DIŒCESIS PICTAVIENSIS
Virgultus
S. Richmirus ad Gundedum
Ligeris Fl.

GALLIA CHRISTIANA
IN PROVINCIAS
DISTRIBUTA.

PROVINCIA TURONENSIS
CUJUS METROPOLIS TURONES.

Primus, ut videtur, inter ævi Romani scriptores Caius Julius Cæsar Turonos memorat; de Bello Gallico, lib. VII, cap. 75 : quos Vercingentorix ad militiam vocat patriam, Romanis jam victus, non vero domitus armis, et totis viribus in supremum enitens congressum. Adversum Martem experta, Gallica res cecidit. Rursus ad libertatem novus Gallorum impetus, nova prælia, novæ clades, et, abeunte Narbonem Cæsare, duæ legiones in agro Turonico hiemantes; ibid., lib. VIII, cap. 46. Turonorum igitur nomen, quamvis nondum apud veteres summam laudem assecutum, non tamen prorsus ignobile, cum Cæsar debellandos fuisse narraverit, et dein, sopitam post rebellionem, a duobus vel legionibus continendos. Quorum unde nomen non liquet. *Turones* a Turno, Rutulorum rege, non pauci deducunt, serio quidem et gloriæ nescio qua ambitione; quidam a celtico, ut aiunt, verbo *tur*, quod *semper mutabile* sonat: et celticam forte calluisse linguam opinantur Annæum Lucanum, in Pharsaliæ libro I dicentem :

Nec ultra
Instabiles Turones circumsita castra coercent.

*H*os et illos sperne næniarum artifices; nec aliam, si comite prudentia delectaris, barbari istius vocabuli etymologiam misere curiosus exquire.

Turonorum urbs præcipua Turones a Cæsare dicitur, de Bello Gallico, lib. II, c. 35; a Ptolomæo, Cæsarodunum, et ab eodem in Gallia Lugdunensi ponitur, nec non a Plinio Secundo, Hist. Natur., lib. IV, cap. 18. Alia autem est Orosii sententia, qui nempe Turonos inter Aquitaniæ populos recenset. Sed Ptolomæo Plinioque tutius fidem adhibeas. Dum enim fuit una Lugdunensis provincia, Cæsarodunum revera sub Lugduno stetit. Quum vero in duas Gallia Lugdunensis divisa fuit provincias, Rotomagum suam metropolim agnovere Turoni, ut ex Ammiano Marcellino compertum est. Distributa dein ab Honorio quatuor inter provincias Lugdunensi, *metropolitana civitas Torinorum*, sicut veteribus legitur in codicibus, Lugdunensi tertiæ præfuit. Ad eam quatuor olim viæ, Avarico, Limono, Genabo et Juliomago deductæ. Cæsarodunum, Turones, Augustam Turonum, vel quocumque alio nomine insignitam, civitatem hanc aquarum circumfluentium sylvarumque abundantia conspicuam, opum ditissimam, aeris amœnitate nulli sane, vel Italicis Thessalisve sæpius decantatis, imparem, sequiores inter latinos imperii labantis auctores certatim celebrarunt, et deinceps omnes ad unum fere qui, ævo medio decurrente, prosa metroque de Gallicarum urbium statu disseruere. Illam qui circa sæculum sextum cognovit Paulinus Petrocoricensis, his extollit verbis :

Gallorum quondam valde florebat in oris
Urbs Turonum, distenta agris populisque referta.

Non aliter, duodecimo sæculo, Bernardus Sylvestris in Megacosmo :

Martinopolis inter
Sidereos fluvios, pictaque rura sedet.

T. II. 1

Audi præterea Guillelmum Britonem, in tertio Philippidis libro :

Inde iter accelerat Turonis festinus in urbem,
Quam geminum nitida flumen circumfluit unda.
Hinc Liger, inde Carus : medio sedet inter utrumque
Clara situ, speciosa solo, jucunda fluentis,
Fertilis arboribus, uberrima fruge, superba
Cive, potens clero, populo numerosa, referta
Divitiis, lucis et vitibus undique lucens...

Quid si recentioris scriptores ævi, Julium scilicet Cæsarem Scaligerum, Rapinumque inter alios Turonum encomia aggredientes exhiberemus? In quo consentiunt omnes argumenta superfluunt.

Hactenus de civili provincia : nunc dicendum de christiana. Postquam Senonensis archiepiscopus Ansegisus, Carolo Calvo usus patrono, totius Galliæ, imo et Germaniæ totius principatum a Joanne papa VIII obtinuit, anno 876, Turonensis ecclesia primatem coluit Senonensem. Is fuit rerum status, donec a Gregorio papa VII, cui summopere favebat, Lugdunensis archipræsul Gebuinus, dignitate primus inter Galliarum dictus est episcopos, jussique sunt novo primati morem gerere quicumque cæteris Lugdunensis olim Galliæ metropolitanis præerant ecclesiis, Senonensis, Rotomagensis et Turonensis episcopi. Consulendæ epistolæ, quas, 19 Aprilis 1079, Gregorius papa direxit ad Gebuinum, apud Marcam, de Primatibus, p. 343, et, 20 Aprilis ejusdem anni, ad Radulfum I Turonensem, nec non ad Rotomagensem et Senonensem archiepiscopos; supra, t. IV, instrum., col. 9. Detrectatum quidem a Rotomagensi Senonensique firmiter obsequium, ut non semel antecessores nostri dixere : Radulfus autem Turonensis, difficillimis implicatus negotiis, Romanæque sedis opem omnimode quærens, utpote quem regularis cleri imo et sæcularis simultates acerrimæ in summas compellerent angustias, imperatam statim obedientiam præstitit. Ab eo igitur tempore Turonensis ecclesia sub Lugdunensem primatum transiit. Radulfum tamen non sibi proposuerunt in eo saltem imitandum quicumque Turonenses infulas post eum gessere; at contra Lugdunensem recusarunt plerique principatum, inter quos Joannes Bernardi, anno 1458, Pium papam II appellavit, seque suamque ecclesiam in omnibus Romanæ sedi, nullo medio, subjacere palam contendit.

E supra laudata provinciarum in Galliis Romanarum partitione colligitur, Honorio imperante, metropolitanam Turonorum urbem infra se positas habuisse Cenomanorum civitates, Redonum præterea, Andicavorum, Nannetum, Coriosopitum, Venetum, Ossismorum, nec non Diablintum. Diffusa per omnes Galliæ tractus christianæ fidei lege, metropolitanam urbem populi, prævalente consuetudine, metropolitanam dixerunt ecclesiam. Barbaris tamen irrumpentibus, quid in tanto rerum ubique procumbentium tumultu intemeratum integrumque permansit? De miserrimis his temporibus silendum. Cum vero jam diuturna cessit inclementia fati, et placidior rediit tempestas, compositi protinus Cenomanorum, Andegavensium, nec non ipsorum Britonum animi, rursusque, nullo cogente, ultro, vel tradita quadam prioris ordinis memoria, ad archipræsulem Turonensem conversi. Metropolitani jura non cuncta quidem descripsit Turonense concilium anno 567 coactum, sed summa tamen et potiora, statuens ut eo vocante comprovinciales quotannis episcopi convenirent, utque morem quivis debitum negans e sede sua, quinimo e societate fidelium, dejiceretur. Is est præterea Turonensis concilii canon nonus : « Adjicimus etiam ne quis Britannum aut Romanum in Armorico, sine metropolitani, « aut comprovincialium voluntate, vel litteris, episcopum ordinare præsumat. Quod si « quis contraire tentaverit, sententiam in anterioribus canonibus prolatam observet, et « a nostra caritate usque ad majorem synodum se cognoscat remotum et excommuni- « catum, quia merito a caritate nostra, vel nostris ecclesiis, segregantur qui patrum sta- « tuta contemnunt. » Nec mireris si congregati patres Britannos nominatim, non autem quoscumque Turonensis provinciæ præsules, admoneant de verenda metropolitanæ sedis auctoritate : semper enim ad rebellionem Britonum indoles promptior. Res denique funditus miscuit occidentalis Galliæ turbo Nomenoius, qui, semet regem jactitans, ecclesiam et ipse suam habere studuit : unde nova Armoricanarum diœceseôn distributione peracta, et creatis ab ipso episcopis Trecorii Briocisque, una Gallicanam ecclesiam auxit provincia, quam sub Dolensis antistitis archipræsulatu posuit. His auditis, Landrannus, Turonensis metropolita, suo juri vim illatam denuntiare, et circumstrepere monita Romanæ sedis conciliorumque vel vehementissimæ querelæ. Objurgationum vero, imo et quarumlibet minarum securus, Nomenoius insistere constanter inceptis. Illinc acerba lis, nec non diuturna, Turonensem inter archiepiscopum et Dolensem pseudo-metropolitam. Nomenoius enim superbiæ non unum suæ reliquit hæredem, Gallorum æque regi summoque Romanorum pontifici adversa moventem; et, vel domita Britannorum regum pervicacia, nihil Dolensis antistes de suæ sedis controversa dignitate volens remisit. Ab eo quidem Redonensis,

Nannetensis et alii quidam Britonum episcopi mox desciverunt, adumbrati legem conculcantes metropolitæ, et, prout a supremo juris interprete jubebatur, Turonensem archipræsulatum canonica reverentia prosequentes; illi vero non nulli diutius adhæsere, ut pote qui hoc ipsorum causam postulare reputarent. Tantum enim valuit Dolensium quorumdam episcoporum auctoritas, ut eos Romana sedes quasi fiduciario pallio donaverit, eodem tempore quo rebellionis reos Romam accersebat. Anno 1080, Turonensis summum jus metropolitani solemniter agnovit Santonense concilium. Nec tamen, lata concilii sententia, sedata lis. Cum tandem Philippus rex totis intenderet nervis ut longævum hoc componeret dissidium, Innocentius papa III novissimo totam rem enodavit decreto, 1 Junii 1199, quo demum nullam ambiguis ansam tradente verborum interpretationibus, Dolensis amissum ecclesia decus deflevit. Exinde Turonensi metropolitano obsequium præbuere, sub canonum et apostolici præcepti lege, Cenomanensis, Andegavensis, Redonensis, Nannetensis, Venetensis, Corisopitensis, Leonensis, Trecorensis, Briocensis, Macloviensis et Dolensis episcopi. Quos eo recensuerunt ordine antecessores nostri, in præviis indicibus tomi I: quem vero quisque locum in provinciali synodo tenebat sic Joannes *Maan* edisserit, in præfat. Sanctæ et Metropol. eccl. Turonensis : « Illustrissimus præsul sedet primus, qua « parte ei visum fuerit. D. Cenomanensis episcopus secundus ad dexteram ejus, jure Ceno- « manensis ecclesiæ, quæ a metropoli civitas secunda est. D. Dolensis tertius, ejusdem ex « adverso ad sinistram. Reliqui deinde sedent ordine suæ consecrationis. »

Capitulum Turonense quinquaginta vel amplius constabat canonicis, quibus dignitate præstabant decanus, archidiaconus Turonensis, thesaurarius, præcentor, cancellarius, archidiaconi extra Ligerim Vigennamque et archipresbyter Turonensis. Nec tantum sodales canonicos, sed etiam muneribus augendos eligebat archipræsul; præter decanum et canonicos tres licentiatos, quorum delectus ad capitulum spectabat, sola vero ad archipræsulem institutio. Præcentor ipse Turonensis ecclesiæ Joannes *Maan* singillatim ea munera, testis idoneus, descripsit. Apud quem legimus : « Decani jus perpetuum est et di- « gnitas canonicorum ciere conventus, et communem exedram statis diebus, et quoties id « res postulat, aperire, iis præesse, rogare suffragia, definire; et, eo absente, canonici « cujusquam honoris gradu præfulgentis, aut vero suffragantium qui adsunt antiquioris. « Chorostatem, sive præcentorem, quod spectat, hujus ipsius munus est divinis præesse « officiis in choro, præcinere, et præire cantaturis, ac ministrorum concinentium officia « promovere omnia. Archidiaconorum autem officium antistiti ministrare sacra facienti, in « obeundis ritibus adstare cooperarique, et in omnibus eum cohonestare, præter solitas « plebaniarum lustrationes, et recognitiones quas sua eorum quisque in provincia præ- « stare debet statis temporibus, et ad illustrissimum referre. Principis item archipresbyteri « est solemnes conciones habere ad populum diebus Dominicis, quos majores vocant, uti « et ecclesiastæ theologo reliquis fere Dominicis. Cancellarii porro munus est ea curare « omnia quæ in odeo legenda sunt ex pulpito, ut apte et distincte legantur, ut attente et « intelligenter audiantur. » In tota diœcesi numerabantur, exitum circa decimi et octavi sæculi, 303 parochiæ; 15 collegia canonicorum, inter quæ præcipua S. Martinus juxta Turones, S. Venantius, S. Petrus Puellaris, Plessiacum, S. Florentinus Ambasiensis, S. Martinus Condatensis, S. Maximus Cainonensis, et B. Maria Lochensis, cum antea 20 numero fuissent; 17 abbatiæ; cellæ, prioratus, sive minores monachorum ædes 100 et amplius, et conventus circa 60, tum virorum, tum virginum, qualibet sub religione. Diœcesim dividebant tres archidiaconatus, sex archipresbyteria, nec non tres et viginti decanatus. Præ cæteris metropolitana eminebat ecclesia, olim patronatu S. Mauricii, dein S. Gatiani gloriata. Conditorem habuit S. Lidorium. Quas autem ille extruxit ædes injuria temporis jam dudum deturbasset, etiamsi non plures aliunde clades devenissent. Incendia sed enim, tunc temporis adeo crebra, primigeniam S. Lidorii basilicam solo tenus æquabant anno 561, et rursus aliam, anno 1166, eodem in loco, duce operis et auspice S. Gregorio, conditam. Anno circiter 1170 hodiernæ posita fundamenta basilicæ, et absolutum tandem anno 1510 gemellarum turrium opus.

Metropolitanorum Turonensium historiam jam plures scripsere; quos inter præcipuam meruit laudem pro tempore Joannes *Maan*. Singulos in suo quemque loco memorabimus auctores, quorum auxilio subnixi, nec non diplomatum hac tenus lucem expectantium, seriem hanc nostram conficere valuimus. Hic tamen, cæteris interdum segregatis, singulares persolvamus gratias eximio illi viro, quem patria Cenomanensem, professione S. Mauri congregationis alumnum, nomine Stephanum *Housseau*, nemo Turonensis rei tantulum studiosus ignorat, qui tantam copiam sive instrumentorum e tabulis nunc deperditis desumptorum, sive adnotationum et commentationum de quæstionibus Turonicis ad nos tulit, ut triginta volumina compleat, in Maxima Parisiorum Bibliotheca assidua doctorum manu versata.

ARCHIEPISCOPI TURONENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Gatianus.

Gregorius Turonensis, Hist. Franc. lib. I, num. 28, his verbis enarrat quæ prima fuerit ecclesiæ Turonensis origo : « Sub Decio « imperatore, multa bella adversum nomen « Christianum exoriuntur, et tanta clades « de credentibus fuit, ut nec numerari « queant... Valentinianus et Novatianus, « maximi tunc hæreticorum principes, con- « tra fidem nostram, inimico impellente, « grassantur. Hujus tempore, septem viri « episcopi ordinati ad prædicandum in Gal- « lias missi sunt, sicut historia passionis « sancti martyris Saturnini denarrat. Ait « enim : Sub Decio et Grato consulibus, sicut « fideli recordatione retinetur, primum ac « summum Tolosana civitas S. Saturninum « habere cœperat sacerdotem. Hi ergo missi « sunt : Turonicis, Gatianus episcopus; Are- « latensibus, Trophimus episcopus; Nar- « bonæ, Paulus episcopus; Tolosæ, Saturni- « nus episcopus, etc., etc. » Consules Decium et Gratum chronographi referunt ad annos 250 vel 251. Ergo, si perveteri S. Saturnini martyris historiæ secura fides, Tolosanæ primus ille fuit episcopus ecclesiæ tertio sæculo jam adulto, et, si Gregorius Turonensis non mere fictitiis delusus est fastis, Saturnino comes datus, eo tempore, Gatianus Augustam Turonum venit. Non fugit quidem nos jam veterem ea de re contentionem denuo recruduisse novisque fuisse difficultatibus intricatam. Opinantur enim quidam Saturninum, Gatianum, Trophimumque, nec non Paulum Narbonensem, apostolorum fuisse discipulos, et, circa medium sæculum nati Christi primum, ab ipso apostolorum principe Petro missos ultra montes, qui bonum Gallis ferrent nuntium, deosque sive Romanos, sive barbaros, deturbarent. In eam vero sententiam pauci concurrunt. Gregorium Turonensem sequuntur plerique scriptores, vel quos maxime nostrarum ecclesiarum decus movet. Quibus nos non piget adhærere, præsertim cum antecessores nostri, a nullo facile refellendi, integram nobis quæstionem non tradiderint. Horum igitur sub ductu et auspicio, Evangelii primum sparsa per Turoniam lumina dicemus annum circa
250 250, conditæque tunc temporis ecclesiæ pastorem datum Gatianum.

Gatianus nomen est quod latinum sonat. Hunc igitur sanctissimum christianæ fidei signiferum, imprimis cum a Romanorum episcopo missus narraretur, Romanum veteres plerique sunt opinati. Quorum sententiæ subscribens Joannes *Maan*, et addens non nulla de suo, non modo patriam, sed genus Gatiani nobile celebrat. Caute viam inchoemus ubi tam multiplices commentorum species illudunt oculis, et dictis protinus addamus ea quæ leguntur in Chronico Turonensium Archiepiscoporum, e Gregorio Turonensi ad litteram desumpta : « Primus Gatianus episcopus, anno imperii « Decii primo, a Romanæ sedis papa trans- « missus est. In qua urbe (Turonensi) « multitudo paganorum idolatriis dedita « commorabatur; de quibus non nullos præ- « dicatione sua converti fecit ad Domi- « num; sed interdum occultabat se ab im- « pugnatione potentum, eo quod sæpius « eum injuriis et contumeliis, cum reperi- « rant, adfecissent; ac per cryptas et lati- « bula, cum paucis christianis per eumdem « conversis, mysterium solemnitatis dici Do- « minici clanculo celebrabat. Erat autem « valde religiosus et timens Deum; et nisi « fuisset talis, non utique domos, parentes « et patriam, ob Dominici amoris diligen- « tiam, reliquisset. In hac urbe sub tali « conditione, ut ferunt, annos quinquaginta « commoratus, obiit in pace, et sepultus est « in ipsius vici cœmeterio quod erat chri- « stianorum; et cessavit episcopatus triginta- « septem annis. » Transtulit sanctissimi viri terrestres exuvias Martinus in ecclesiam a S. Lidorio fundatam. Unde, labentibus annis, in monasterium S. Medardi traductæ sunt, ut testatur Urbanus papa II, scribens anno 871 ad Carolum regem, et dein in ecclesiam S. Mariæ quam e Paupercula Divitem vocitarunt. Illas flammis dedit Calvinistarum quibuslibet reliquiis infensa manus. S. Gatianum decessisse legitur die 20 Decembris 301, in Martyrologio Romano. 301

Sancta et Metropol. Eccl. Turon., p. 3.

Andr. Salmon, Collect. chron. Turon. p. 209.

II. S. Lidorius.

S. Lidorius, quem Littorium nonnulli nuncupant, civis Turonensis, episcopali munere donatus est, teste Gregorio, anno Constantis primo. Hic est annus Christi 337, vel annus 340, quo, Constantino II decedente, majus Constans sortitus est imperium. Nulla-ne fama S. Gatiano proxime succedentis episcopi? Sedem jam dictum est Turonensem post Gatianum per annos septem et triginta vacuam fuisse. Quod Gregorius ipse testatur; cui libenter suffragamur, cum atrocius tunc in christianos, per occiduas imperii partes, sævitum. Delitescebant quicumque novam fidem erant amplexi, latebras celebrandis mysteriis idoneas quærentes, nec curantes sibi dare pastorem, cum discissum spargeretur

ANNI CHRISTI

ovile. Constante vero, Constantini filio, facilius miseris imperium auspicante, in diem latentes prodire, fateri Christum, societatemque fidelium rursus instaurare. Lidorius tunc episcopus electus. Illius de gestis nihil compertum, nisi quod ei vir Christum colens, ex urbis senatoribus, domum dedit, quam fidelibus aptam congregandis supellectili ornavit sacra et in ecclesiam vertit. Obiisse
371 legitur anno Valentis octavo, Christi 371 vel 372. Hujus mentio fit in Martyrologio Gallicano, 13 Septembris. De quo, ad hanc diem, Sylloge scripsit Joannes Stiltingus, e soc. Jesu, apud Bollandum.

III. S. Martinus.

Natus est Sabariæ Martinus, in superiore Pannonia. Hujus de natali anno discordant Sulpicius Severus et Gregorius Turonensis; necdum sopita est controversia quæ recentiores inter exarsit, discrepantes utrorumque sententias componere, vel alteram alteri subjicere studentes. Nonnulli, quos inter Tillemontius et qui Turonensia diplomata tam patienter compilavit domnus Stephanus *Housseau,* rei nodum indissolubilem censuere. Cauta prorsus sententia, et pace quorumcumque in conspectu nostro litigantium, conjecturis sublestæ fidei potior, cum nec ipsius Gregorii dicta, cui libentius adhærent, inter se plane congruant. Pro opinione quam plerique commendant, dicemus Martinum natum anno 316, undecimo Constantini post Diocletianum abdicantem. Hujus de parentela plura propalantur, quæ Joannes *Maan* aniles jure dixit fabulas. Educatus fuit Papiæ : inde ductus ad castra, ubi scholares inter equitum turmas stipendia peregit. Ætatis anno octavo-decimo, vel vicesimo, sacras baptismatis aquas adiit. Militiam postea deseruit, imperante Juliano, seque discipulum addixit S. Hilario, Pictavorum episcopo. A quo mox recessit et Mediolanum venit, parentes invisurus; sed cum iret per urbes, Hilarii fidem non modo profitens, sed etiam gentium irridens deos, nec minus, ut aiunt, detrahens hæresis Arianæ sectatoribus, vocatus ante judices pœnam virgarum passus est. Rediisset in Galliam, ni Gallia tunc temporis Hilarium exulem desiderasset. Non tamen ultra Mediolani commoratus, abiit in eremum urbi propinquum, et ibi quamdam ascetarum societatem instituit. Inde vero mox illum ejecit Auxentius, Arianorum episcopus, et fugientem excepit insula Tyrrheni maris Gallinaria.

Niceph. Callist. Hist. Eccl. lib. IX.

Prodiit anno 360 Constantii imperatoris decretum, quo suo redditus Hilarius gregi. Ut nuntium audivit Martinus enarrantem dari pacem ecclesiis jam dudum tumultuantibus, et reducem e Phrygia Pictavorum antistitem iterum sedi præesse jam dudum re-
A lictæ, transivit montes, adeundi magistrum cupientissimus seque præbendi laborum consortem. Reddito sibi gravisus est Hilarius filio, illique eremiticam vitam studiose appetenti locum addixit duobus leucis a civitate distantem, nomine Locogeiacum, sive, ut alias legitur, Legudiacum, ubi Martinus monasterium fundavit, quo nullum, ut jam dictum est, apud Gallos antiquius.

Ab annis fere undecim Martinus hoc in eremo degebat, asperitate morum, doctrinæ præcellentia, nec non fama miraculorum, omnium sibi concilians animos, cum Lido-
B rius, Turonensis præsul, in cœlestem abiit patriam. De cujus eligendo successore simul ut acta res est, anceps cleri populique suffragium, præsertim cum e Turonensium familia nullus videretur idoneus ad onus tantæ molis suscipiendum. Tunc de Martino multus sermo, missique ad illum legati. Ille vero, semet a negotiis sæcularibus alienum professus, episcopatum constanter repudiabat oblatum. Adducendus hic Sulpicii locus, narrantis quibus artibus Martinum ex eremo vel invitum eduxerunt et obnitentem Turonensi præfecerunt ecclesiæ. « Cum erui a monasterio suo facile
C « non posset, Ruricius quidam, unus e civibus, uxoris languore simulato, ad genua « illius pervolutus, ut egrederetur obtinuit. « Ita dispositis jam in itinere civium turbis, « sub quadam custodia ad civitatem usque « deducitur. Mirum in modum incredibilis « multitudo non solum ex illo oppido, sed « etiam ex vicinis urbibus ad suffragia ferenda convenerat. Una omnium voluntas, « eadem vota, eademque sententia Martinum « episcopatu esse dignissimum, felicem fore « tali ecclesiam sacerdote. Pauci tamen et « nonnulli ex episcopis, qui ad constituen-
D « dum antistitem fuerant evocati, impie « repugnabant, dicentes scilicet contemptibilem esse personam, indignum esse « episcopatu hominem vultu despicabilem, « veste sordidum, crine deformem. Ita a « populo sententiæ sanioris hæc illorum irrisa dementia est, qui illustrem virum, « dum vituperare cupiunt, prædicabant. « Nec vero aliud his facere licuit, quam « quod populus, Domino volente, cogebat. « Inter episcopos tamen qui affuerant præcipue Defensor quidam nomine dicitur restitisse : unde animadversum est graviter
E « illum lectione prophetica notatum. Nam « cum fortuito lector, cui eo die legendi officium erat, interclusus a populo, defuisset, turbatis ministris dum exspectatur qui « non aderat, unus e circumstantibus, sumpto « Psalterio, quem primum versum arripuit. « Psalmus autem erat : *Ex ore infantium « et lactentium perfecisti laudem propter « inimicos tuos, ut destruas inimicum et defensorem.* Quo lecto, clamor populi tollitur, pars diversa confunditur. » Hactenus

ANNI CHRISTI

Eadem Gregorius refert anno Va- /alentiniani octavo peracta, anno aristi 371.

scopalem sublatus cathedram Mar- piscopum quidem gessit cura gre- ribus vero monachum. Incedebat vestitus pallio, incomptis capillis, qui, Deo totus, se vilem haberet. ır Sulpicius nunquam ex ullius ore ium et tam doctum sermonem ef- e. Sedes illi prima fuit basilica S. Li- cujus parietibus adstruxit parvam cel- n qua degebat quasi solus cum uno diacono. Inde, quotidianum iter susci- ı, egrediebatur, sole matutinos emittente ıs, et per civitatis compita, per pagos, rillas ibat, docens ignaros, sanans ægros, ctos amicis sublevans verbis, assidua gens obsidione gentilium deorum simu- ra, humiles denique christianæ religionis ıistros adhortationibus impellens ad la- res strenue ferendos et pericula firmiter eunda. Intentus cæterum ornandæ eccle- e, S. Gatiani reliquias e cœmeterio transla- s in capella condebat vicina quam Lidorius Junxerat; dein allatas, ut aiunt, Agauno, cum x Italia rediret, exuvias S. Mauricii sepe- iendas curabat in eadem basilica. Parochia- les ipse præterea capellas excitabat Condate, Solonaci, Ambasiæ, etc., etc. In vico, cui Le- prosus tunc nomen erat, et nunc est, ut Va- lesius autumat, Oratorium, templum deis barbaris sacrum aggressus evertere, reniten- tem expertus est gentilium multitudinem, adeo ut, teste Sulpicio, non absque injuria sit repulsus. Nulli autem operi diligentius institit quam condendo non procul a mœni- bus urbis, Ligerim inter et abruptam rupem, illi percelebri monasterio, quod, ædibus post- hac pratisque adjacentibus auctum, et incolis frequentatum quam plurimis, Majus-Monas- terium populus vocavit.

Imperatoriam non semel aulam invisit Martinus. Cum Gratiani Maximus occisor Augustæ Trevirorum sedem imperii consti- tuisset, inde Galliam, Britanniam et Hispa- niam eodem premens imperio, illum adiit Martinus, veniam oraturus condonandam primatibus quibusdam qui Gratiani partes erant amplexi. Orantem audivit Maximus, vel potius jubentem restitui captivis et exu- libus libertatem, patriam, avitasque domos, et quidquid poscebatur concessit. Quantis vero laudibus extollere decet quæ gessit Martinus, in eorum causa qui doctrinam Priscilliani novam erant amplexi! Accu- satos apud imperatorem extremo suppli- cio damnandos clamabant Idacius et Itha- cius, Hispanorum episcopi. Hos vehemen- ter insectatus est Martinus, civile gladium distringi vetans in hæreticos jam ecclesiastici judicis sententia e fidelium cœtu depulsos; et ipse Maximum adiit, precibusque simul

A et aptissimis illum adduxit argumentis eo ut spoponderit se nihil in Priscilliani caput de- creturum. Priscilliani quidem postea fusus cruor, sed absente Martino. Culpavit inde Maximum imperatorem Turonensis antistes, simulque societatem aversatus est Ithacii et aliorum qui truncandum dixerant Priscillia- num. Cum vero Treviros rediisset Martinus, ut Narcetem et Leocadium, quos, rebellionis reos, in vincula conjici jusserat imperator, dimitti liberos rogitaret, Narceti noluit par- cere Maximus, nisi Martinus Ithacium cæte- rosque conveniret. Animum sancti viri fere- B bant in contrarias partes hinc amicorum salus promissa, illinc episcoporum contem- ptus cæde fraterna madentium. Ancipitem diu tandem flexit cura Narcetis, Ithaciumque vidit; sed vidisse protinus ingemuit.

Inter illos qui vitam B. Martini scripserunt præcipui, Sulpicius Severus et Gregorius Tu- ronensis, multa narrant ab illo peracta mira- cula. Nunc ad novissimos sancti viri dies transeamus. Mortem sentiens proximam, discipulos monuit sibi quietem operum mox affore. Attamen cum inter Condatenses clericos dissidia quædam surrexissent, et ab C ipsis requireretur, ut qui solus ad pacem li- tigantes agere posset, Condatum se contulit. Hic, febre correptus, occubuit anno forsitan 396, ætatis 81. Postera die confluxerunt undique Condatum e plebe cleroque multi, tum Turonenses, tum Pictavienses, Marti- num hi suum requirentes abbatem, illi suum sibi vindicantes episcopum. Defuncti corpus clam Turonenses abstulerunt, et tanti pretii sarcinam, navigio impositam, Turones ad- duxerunt condendam in capella S. Stephano, ut creditur, dicata, quam ipse Martinus ex- struxerat. Exinde ad hujus tumulum turbæ D devenientes ægrotantium, et Martini plus quam venerabile nomen diptychis et martyro- logiis insertum. Cujus ordinatio quarta die Julii celebratur, obitus undecima Novembris. Opusculum S. Martini de Trinitate legitur in Bibliotheca Patrum, t. V, col. 1084. De quo consule Rivetium, in Hist. Litt., t. I, p. 417.

Hic advertendum quod, si chronologiæ Sulpicii confidas, decessit Martinus anno 400. Cui favet aliquando Gregorius, ut no- tavit, inter cæteros, dominus Labat; Collect. Concil. Galliæ, col. 237, 238 Ille vero com- E putandi modus evertit chronologiam suc- cedentium Martino præsulum, quam ipse digessit Gregorius. Motam ea de re contro- versiam in medium ne revocemus, cum omne solvere dubium licuerit nec Tillemontio, nec Cointio, quos nullus non eximios in veterum extricanda chronologia fatebitur. Hi quidem S. Martini transitum anno 397 adscribunt, et eadem est Joannis *Maan* sententia. Alia vero Francisci Chiffletii et Lironii, qui scilicet vitam sancti viri protrahunt ad annum 400.

ANNI CHRISTI

Nobiscum facit, inter alios, Nicolaus Gervasius.

IV. S. Brictius.

Civis Turonensis dicitur S. Brictius a Gregorio, et Gregorii sane major auctoritas quam recentiorum quorumdam, de patria S. Brictii et ejus ad Turones appulsu portentosa multa fabulantium. Martini quidem discipulus fuit, qui puerum eximiæ spei, sæpius licet asperæ legis pertæsum, optimis formavit præceptis. Ideo plebs illum clerusque Martino defuncto succedere jusserunt. Cum plurima de die S. Martini supremo dissidia exorta fuerint inter auctores vel melioris notæ, primum succedentis Brictii quisque liberrime scripsit. Ad Gregorium, ut vero propiora, si non vera, referentem redeamus. Illo teste, Brictius ordinatus anno Honorii et Arcadii secundo, Christi scilicet
396 396. Nullius tunc episcopi secura sedes, cum bellorum strepitus in quibuscumque Galliarum, nec non insularis Britanniæ, partibus audiretur. Et alias quidem Brictius ærumnas passus est. Recens sed enim electum impugnavit Lazarus, postmodum Aquensis episcopus, uti legimus in epistolis Sosimi papæ. Absolvit vero falsis impetitum criminibus Lazarumque damnavit, conficti mendacii reum, synodus anno circiter 404 Taurini congregata. Ædificavit Brictius ecclesiam in honorem sancti patris Martini, parvam quidem, sicut Gregorius et Chronicon Turonense referunt, sed, secundum auctorem Narrationis de Commendatione Turonicæ Provinciæ, opere luculentam. Instituisse præterea memoratur ecclesias Calatonni, Briccæ, Rotomagi, Briotreide et Cainone. Annus currebat tertius et tricesimus a quo Brictius sedebat in cathedra Turonensi, cum mulier quædam, Deo sacrata, se gravidam fateri coacta, auctorem stupri præsulem dixit. Audito facto, sævas exarserunt in iras plebis animi. Insontem frustra semet clamitavit Brictius, et manifestis, ut aiunt, quin imo prodigiosis, juvante Deo, comprobavit argumentis; objecti sceleris tanquam affinem et insuper artibus usum magicis plebs ejecit ab urbe, constituitque protinus novum episcopum, nomine Justinianum. Ivit Brictius ad summum Pontificem, causam oraturus suam. Quem insecutus est ille, qui successor idem et accusator addictus erat exulanti. Sed cum Vercellas Justinianus tetigisset, repentino morbo correptus occubuit. Hujus mortem per nuntios cognoverunt Turonenses: nec mora data, Justiniano suffecerunt Armentium. Interea Brictius, Leonis papæ tribunal aggressus, rem dicebat et ab iniquis se damnatum judicibus aperte declarabat. Romæ dein per septem annos remansit: quibus elapsis, Turones rediit. Cum vero portam urbis ingrederetur, Armentii defuncti per aliam portam corpus efferebatur. Ad suam cathedram iterum promotus Brictius obiit, si Leodiensi Chronico fides, anno 447. Cum vero Gregorius illum per annos septem et quadraginta sedisse memoret, non annum ultra 443 forsitan vixit. Sepultus est in ecclesia quam S. Martino dicaverat. Narrat Audoenus, Rotomagensis episcopus, auctor vitæ S. Eligii, mortales Brictii exuvias in capsa diu servatas quam fabricaverat S. Eligius; Rer. Gallic. Script. t. III, p. 555. Eas quidem memorant inde postea deductas, advenientibus Normannis, sub lapidea camera abscondendas. Certum est S. Brictii corpus anno 913 transvectum fuisse in novam S. Martini basilicam, et conditum in urna cui legebatur incisum:

Andr. Salmon, Collect. chronic. Turon. p. 72, 204. Idem, p. 299.

Gregor. Tur. Hist. Franc. lib. II, n. 1. 443

In hac urna est positum sanctum et venerabile corpus B. Briccii, sanctæ metropolis Turonicæ sedis post S. Martinum episcopi, qui multis claruit virtutibus, imitando semper eumdem prædecessorem suum dominum Martinum. Post XLVII episcopatus sui annum, angelicam vitam virgo obiit. Translatus est autem de basilica quam ipse super sanctum Martinum ædificaverat, anno Domini Incarnati DCCCCXIII et positus juxta S. Martinum.

Translatum rursus fuit corpus S. Brictii in thecam argenteam a Framaudo, canonico S. Martini, fabricatam, anno 1188. Cui recentiori adfuerunt translationi Guillelmus, Pictaviensis episcopus, clerus ecclesiæ metropolitanæ, nec non abbates Majoris Monasterii et S. Juliani.

V. S. Eustochius.

Gregorio teste, defunctus Brictius anno 443 et illi suffectus Eustochius. Suffragatur Gregorio Chronicon Turonense, cum anno Leonis papæ quarto memoret Eustochium pedo pastorali donatum. Nec desunt qui ad annos 426 et 428 illius ordinationem retroducant: quorum vero non tuta chronologia. Occurrit primum Eustochius, anno circiter 451, in epistola præsulum Galliæ synodica ad Leonem papam de Flaviano. Pars idem fuit synodi Andegavensis, quarto nonas Octobris 453 congregatæ, in qua duodecim proclamati sunt canones ad disciplinam spectantes 453
ecclesiasticam. Valentinianus sed enim imperator, quum causas videret tam civiles quam ecclesiasticas ad episcopale forum æque trahi, utriusque jurisdictionis limites definire conatus erat, nec debitam partem, ut videbatur, tribuerat ecclesiæ. Quapropter nullus fiebat episcoporum conventus, qui non dolentium querelis streperet. Hoc est primum Andegavensis concilii capitulum: « Ut contra episcopale judicium clericis non liceat prosilire, neque inconsultis sacerdotibus suis

J. Maan, Turonens. Eccles. pars altera, p. 6.

ANNI CHRISTI

« sæcularia judicia expetere. » Lege, si lubet, synodicam Eustochii, Leonis Bituricensis et Victurii Cenomanensis epistolam ad episcopos Lugdunensis provinciæ, quam antecessores nostri jam ediderunt, t. II, col. 7. In eodem concilio ordinatus est Talasius, Andegavensis episcopus. Erexisse ferunt Eustochium quatuor ecclesias in pago Turonensi, Brixiam scilicet, Iciodorum, Lucaces et Dolum, nec non cellam infra muros civitatis, in qua SS. Gervasii et Protasii martyrum reliquias condidit, a S. Martino ex Italia nuper delatas. Turonensem moderatus ecclesiam per annos septemdecim, abiit e vivis, et in ea sepultus est S. Martini basilica quam Brictius antecessor ædificaverat. Laudatur a Gregorio magnificæ vir sanctitatis. Hujus exsequiæ 19 Septembris celebrandæ, e Martyrologio Romano. Eustochii vitam compendiose descripsit Joannes Cleus, in Bollandianis collectaneis.

VI. S. Perpetuus.

Arvernus et ipse S. Perpetuus, et de genere senatorio, Eustochio patrueli successor de-
460 signatus videtur anno 460. Quod tradit auctor libri de *Miraculis S. Martini*, c. 6, his verbis : « Anno sexagesimo quarto post « transitum gloriosi domini Martini, beatus « Perpetuus Turonicæ sedis cathedram sor- « titus est. » Quamdam movet Joannes *Maan* controversiam de loco quem tenuit Perpetuus inter Turonensis cathedræ præsules, hos Sidonii Apollinaris versus adducens :

> Antistes sed qui sextus numeratur ab ipso (1),
> Longam Perpetuus sustulit invidiam.

Unde Sidonius Apollinaris, teste *Maan*, sextum a S. Martino Perpetuum recensuit, cum sextus fuerit a S. Gatiano ; nec dormitantis poetæ tam gravem emendare negligit errorem. Dispunctor autem intempestivus, non recte legebat Sidonii versus, quos, interpunctis congruentibus distinctos, iterum exhibeamus. Agitur de cella S. Martino jam dudum consecrata, et ita Sidonius :

> Nec desistebat cives onerare pudore
> Gloria magna viri, gratia parva loci ;
> Antistes sed qui numeratur sextus, ab ipso
> Longam Perpetuus sustulit invidiam.

Ergo palam est, vel ipso interprete Sidonio, Perpetuum sextum fuisse Turonensium episcoporum. (2)

461 Anno 461, octava et decima die Novembris, celebravit ille primum Turonense concilium, cujus acta reperire est tum inter Concilia Galliæ, tum inter Concilia Turonensis ecclesiæ, quæ Joannes *Maan* primus colligere

(1) Scilicet Martino.

(2) Haud secus ac J. Maan hallucinatur D. *Bouquet*, Sidonii versus notis illustrans ; Rer. Gallic. Script. t. 11, p. 169.

A studuit. Invalescebat enim quotidie barbaries, disciplinæ nervos relaxans, et ecclesiastici status norma obsolescebat. Cujus sacras leges in cleri nimium libere viventis memoriam revocarunt episcopi Turonibus congregati, Victurius scilicet Cenomanensis, Leo Bituricensis, Eusebius Nannetensis, Germanus Rotomagensis et alii, Perpetuo præsidente. Perpetuum eumdem præfuisse concilio Venetico, in quo primum occurrit Paternus, Venetorum episcopus, non adeo certis constat documentis. Si curiosius quæsiveris annum hujus concilii, quasi tumul-
B tuarium reperies inter scriptores melioris famæ dissidium ; qui scilicet, ad annos 453, 462, 465, 468 et 478 illud referri volunt. Turonense jam ante celebratum fuisse palam est. Turonensis enim actis subscripsit Eusebius, Nannetensis episcopus, et Venetici Nunnechius, qui successit Eusebio. Magni sane momenti sexdecim concilii Venetici capitula, ad emendationem morum præsertim spectantia. Quibus adhæsisse Perpetuum non ambigitur, cum nomen hujus præ se ferant. Absens tamen, sive Turonibus degens, acta jam Venetiæ forsitan comprobavit. Talis
C in veteribus membranis legitur illius subscriptio : *Perpetuus episcopus huic definitioni adquiescens subscripsi, et ea quæ a patribus nostris vel a nobis prius statuta* *Probat. Hist. Brit. t. I, col. 185.*
sunt censeo observanda. Præcipuum Perpetui fuit opus instauratio basilicæ in honorem S. Martini. De qua Gregorius, Hist., lib. II, c. 14 : « Cum virtutes assiduas ad sepul- « chrum ejus (scilicet S. Martini) fieri cer- « neret, cellulam quæ super eum fabricata « fuerat videns parvulam, indignam talibus « miraculis judicavit. Qua submota, magnam
D « ibi basilicam, quæ usque hodie permanet, « fabricavit ; quæ habetur a civitate passus « quingentos quinquaginta. Habet in lon- « gum pedes sexaginta supra centum, in la- « tum sexaginta ; habet in altum, usque ad « cameram, pedes quinque et quadraginta ; « fenestras in altario triginta duas, in capso « viginti....; in toto ædificio fenestras duo et « quinquaginta, columnas centum et viginti ; « ostia octo, tria in altario, quinque in « capso. » Octavum id orbis totius miraculum cecinit Sidonius. Statuta Perpetui quæ- *Greg. Tur Hist. Franc. lib. X, n. 3.*
dam memorantur, quibus indixit publica jejunia quotannis in diœcesi celebranda, nec
E non litanias, stationes vigiliasque præfixis diebus frequentandas. Notat in illis Rivetius statutis ea tenus inaudita quædam et abhinc usu consecrata. Testamentum illius infra reperies, pietatis erga Deum et pauperes perquam laudabile pignus et monumentum. *Ch. I, col. 1.*
Nolens enim sacerdotis bona ad proximos secundum legem sanguinis transire, singula quæque sua, anno videlicet 475, inter eccle- 475
siam matrem et parrochiales quasdam partitus est. Insuper et libera fecit mancipia

quotquot habebat utriusque sexus in villa Saponaria, creditasque pecunias debitoribus condonavit. Annotare non supervacuum ex Acherio, Spicileg., t. V, præf., p. 10, subscribente *de Brequigny*, in Prolegom. Diplomatum, part. III, sect. 2, cap. 2, art. 3, testamentum hoc Perpetui ad normam juris Cæsarei eximie digestum. Omnis unde removetur falsitatis suspicio. Vita decessit Perpetuus, e Floro Rabanoque, circa calendas Januarii 490; quibus Tillemontius suffragatur. Dies idem designatur in vetere Carnotensis ecclesiæ breviario, quod legit Stephanotus, ut ex hujus schedis compertum habemus; inter Sangermanenses codices, sub num. 573. Inveniuntur qui Perpetui supremam trahunt horam ad octavam et decimam Aprilis diem, ex Usuardo Romanoque Martyrologio. Sub hanc enim temporis notam reperies God. Henschenii de Perpetuo dissertationem, in Bollandianis collectaneis. Alii præterea, quos inter *Chalmel*, in Historia Turoniæ, lib. I, anno 494 defunctum memorant Perpetuum. Huic vero conjecturæ parva fides debetur. Nulla certe testimonio Turonensis Abbreviati Chronici, eumdem ad Veri tempora ducentis, ejusque feralem diem adscribentis anno 503.

Andr. Salmon, Collect. Chronic. Tur., p. 172.

Amicus fuit Perpetuus Sidonio Apollinari, qui misit ad eum exemplar habitæ concionis in Avaricensi conventu. De illo sic Paulinus Petrocoricensis in Vita S. Martini, lib. VI :

Perpetuus felix docto victurus in ævo;

et infra :

Perpetuus Domini non solum nomine cultor,
Et prægressa pii servans exempla magistri.

Cujus epitaphium legitur in Lucæ Acherii Spicilegio, tomo III, p. 304, novæ editionis :

Culmina sublimi tollunt quæ vertice cristas
Eximius meritis Perpetuus dederat
Domno Martino, cujus sub marmore pausant
Ossa, veneratur quæ pia plebs precibus.
Hæredem scripsit Christum, atque aurea multa
Sacrando Domini vasa cruore dedit.
Transmisit cœlo quæ plurima cessit egenis,
Fecit et ante suas scandere divitias.
Clarus avis atavisque potens fuit, atque senator;
Clarior at sua dum pauperibus tribuit.
Sed neque Martino soli tam grande sepulchrum
Construxit, tumulum fecit et esse suum :
Et licet ante pedes Martini contumuletur,
In cœlo simili gaudet uterque loco.
Respice de superis super hoc, bone pastor, ovili,
Perpetuusque-tuam perpetua patriam.

Amplissime de S. Perpetuo disseruit doctissimus vir Tillemontius, in suis Commentat. ad Historiam Ecclesiast. spectantibus, t. XVI, p. 393.

VII. S. Volusianus.

De eo sic Gregorius Turonensis, Hist., lib. II, c. 26 : « Perpetuus, Turonicæ civi-

A « tatis episcopus, impletis triginta annis, in « pace quievit : in cujus loco Volusianus, « unus ex senatoribus, subrogatus. » Et idem, lib. X, c. 31 : « Septimus vero Volusianus « ordinatur episcopus, ex genere senatorio, « vir sanctus, valde dives, propinquus et « ipse Perpetui episcopi, decessoris sui. » Hactenus Gregorius. Perpetui sane propinquus fuit S. Volusianus, dum testem hujus affinitatis Gregorium habemus; sed rejicienda videtur Joannis *Maan* conjectura eumdem Sidonii Apollinaris germanum asserentis, quod *Volusiano fratri* epistolam 17

B libri VII scripserit Sidonius, et *fratrem* dicat *communem* in alia ad Lucontium epistola. Non patet enim in his agi litteris de Volusiano ad Turonensem cathedram provehendo : insuper et quam plusculos habuisset noster Volusianus fratres, si tenuisset in hoc sanguinis gradu sacerdotes omnes, aut episcopos, quorum frater, ut tunc moris erat, nominatur. Sic ad illum, ut credunt, Ruricius Lemovicensis episcopus : *Ruricius episcopus fratri Volusiano episcopo*. Pro certo accipimus Volusianum Lugduni natum, Apollinari patre, matre Matertera, ut Sidonius

C testatur, Epist., lib. III, epist. I. Qui susceptus in episcopum Turonensem anno 491, 491
nullatenus res habuit prosperas, barbaris inter se regibus continuo dimicantibus, in damnum reipublicæ simul et Ecclesiæ. Favit Volusianus Clodovæo : inde suspectus evasit Alarico, qui, nactus idoneam vindictæ occasionem, Volusianum sustulit, Tolosamque misit exulem, anno pontificatus octavo, ut Gregorius Turonensis et ipse Petrus, filius Bechini, referunt in Chronicis sæpius discordantibus. Ille quidem per terras Hispanicæ ditionis errabundus, refertur Arianam

And. Salmon, Collect. Chronic. Tur. p. 17.

D his in partibus quam acerrime fidem impugnavisse. Nec illum, ut aiunt, fefellit quæsiti spes martyrii : comprehensum enim inter Apamiam et Varillas e Gothorum gente quidam capite truncarunt, in loco qui dicitur Petrosa, anno 500. Quod memoratur in Historia Fuxensium comitum, ubi leges corpus S. Volusiani, anno post mortem undevigesimo, non cæca videlicet fortuna repertum, et in Fuxensis mœnia civitatis summo cum honore delatum : unde, anno 1111, Amelio Tolosanam ecclesiam regente, transvectum est in basilicam S. Nazarii, nunc S. Volusiani.

E Hujus Martyrologium Gallicanum meminit xv cal. Februarii, et ad eamdem diem Bollandus. Apamiensi vero de cæde nihil in Gregorianis fastis, ubi Volusianus legitur Tolosæ moriens; et supra memoratæ narratiunculæ quasi fidem negat Tillemontius, in Comment. ad Histor. Ecclesiast. spectantibus, t. XVI, p. 407.

ANNI CHRISTI

VIII. Verus.

siano sucessit Verus, qui, Alaricum
nox infensum expertus, ductus est in
xilium. Huic Gregoriani codices pon-
ıs annos undecim adscribunt, nec non
:to, et eis assentiunt plerique chroni-
ı conditores, inter quos Petrus, filius
ni, etauctorChroniciTuronensisMagni.
vero mendosam Gregorii, vel potius
mensium, chronologiam paucis verbis
lere decet. Annos enim si computes
ı a transitu S. Martini Gregorius et ipse
tio, Eustochio cæterisque tribuit, ad
um circiter 498 devenies; quibus si præ-
a Veri jungas undecim annos, ad annum
). At, eodem teste Gregorio, sub episco-
n Licinii, qui proxime Vero successit,
thos Clodovæus vicit in agro Vogladensi,
pro certo tenemus ibi sub annum 507 pu-
atum fuisse: oscitantis ergo scribæ manus
mos episcopanti Vero XI addixit, cum VI
rsitan in vetustiori membrana legerentur.
lem plane demonstrant testimonia quæ de
oncilio Agathensi supersunt. Anno sed
nim 506, Alarici regis secundo et vicesimo,
oactum fuit Agathense concilium. Frater-
num autem adire cœtum, rege prohibente,
non valens, misit Verus ad congregatos pa-
tres diaconum suum Leonem, qui subscripsit
actis concilii, absentis episcopi personam
gerens. Hoc autem anno 506 Turonensem
Verus regere desierat ecclesiam: e sede
nempe dejectus, in Lemovicum civitate com-
morabatur. Verum anno 507 jam terrenas
exuisse curas domnus Lironius opinatur,
cum superstitem hoc anno certe Clodovæus,
post Vogladensem victoriam, Turonensi
restituisset ecclesiæ.

IX. Licinius.

Apud Andegavos natus Licinius, iter Hie-
rosolymitanum, florente juventa, aggressus
est. Mox, e locis redux in æternum sanctis,
cellulam Andegavi in sua domo sibi consti-
tuit, vixitque monachus magna cum sancti-
tatis fama. Inde pergens Turones ad tumu-
lum S. Martini invisendum, electus fuit abbas
S. Venantii, et, paulo post, Vero secedente,
ad episcopalem cathedram sublimatus. An-
num a quo Turonensis ille dictus fuit præsul
ignorare non liceret, si discordantibus fides
deberetur chronographis. Gregorius enim
Licinium per annos duodecim sedisse dixit,
menses duos et dies viginti-quinque. Petrus
ex alia parte, Bechini filius, morientem Clo-
dovæum memorat anno Licinii undecimo.
Moritur autem Clodovæus anno 511 ad
finem vergente: ergo Licinius anno 500 cir-
citer ad Veri vicem accedebat. Sed auctor
Turonensis Chronici tempora diversiter sup-
putat, cum decedentem e vivis Licinium
inducat anno Anastasii imperantis sexto et
vicesimo, Christi scilicet, ut videtur, 517.
Advertendum vero quod annus Clodovæi ul-
timus dicitur in Chronico Turonensi secun-
dus et vicesimus Anastasii, cum vicesimus
revera sit. Auctor igitur hujus Chronici
Licinium autumat anno 515 defunctum,
anno 503 ordinatum. Expungendus certe
Joannes *Maan*, qui Clodovæum asserit anno
509 mortuum, Licinium anno 510. Licinius
enim sedebat, die 10 Julii 511, in concilio 511
quod Clodovæus rex Aureliæ coegerat. Se- *D. Labat, Collectio concil. Galliæ, col. 841.*
pultus est Turonibus, in basilica S. Martini.

X. Proculus et Theodorus.

Proculus et Theodorus, Burgundiones
episcopi, e sedibus deturbati a Chlodomiro,
Aurelianorum rege, qui tunc temporis Bur-
gundiæ partes infestissimis armis erat ag-
gressus, Turones fugitivi venerunt, et in va-
cantem sedem una provecti sunt. Quorum
episcopatus non ultra biennium permansit.
Mortuos excepit S. Martini monasterium.
Hæc memorat Gregorius Turonensis in Hist.
libro X, c. 31. Hanc autem ipse Gregorius
chronologiam evertit, libr. III ejusdem His-
toriæ, num. 17, Proculum et Theodorum
Leoni, non Licinio, referens succedentes.
Unde fides dubia nutat. Animadverte præte-
rea, suadente D. *Bouquet*, quod canones veta-
bant ne duo simul episcopi in una sederent
ecclesia; Rer. Gallic. Script. t. II, p. 387.

XI. Dionysius.

Dionysius, idem dictus et Divinius, Dini-
fius, sive Dinifrius, natione Burgundio, a
Chlodomiro præfectus ecclesiæ Turonensi,
multa contulit ecclesiæ bona quibus illum
Chlodomirus rex ditaverat. Hunc Joannes
Maan anno 513 obiisse contendit, sed a vero
certe, secundum quod sentimus, aberrans.
Licinius enim ad annum 512 saltem vixisse
comprobatur, ad annum forsitan 515, ut
Turonense refert Chronicon, et post eum
Theodorus et Proculus duos, ut diximus,
expleverunt annos. Dionysius autem ipse,
teste Gregorio, per menses decem sedit.

XII. Ommatius.

Patre consulari Ruricio natus in Arvernia,
Ommatius, sive Martius, sacerdotium, ut
aiunt, amplexus est cum Ruricius pater, sæ-
culares abdicans honores, ecclesiam Lemo-
vicensem suscepit administrandam. Conse-
cratus inde est episcopus Turonensis, anno
Justini tertio, Christi 521, e Chronico Turo- *Andr. Salmon, Collect. Chronic. Tur. p. 80.*
nensi. Basilicam B. Mariæ Virginis ille ædifi-
care cœpit, et S. Gervasii capellam in urbe
metropolitana altius extulit. Mortuus est post
quatuor episcopatus annos et quinque men-

ANNI CHRISTI

ses, e Gregorii sententia, ecclesias cum jam diœcesanas bonorum hæredes suorum constituisset.

S. Arnulfum post Ommatium, ut *Maan* asserit, Turonensem episcopum fuisse non certis constat monumentis. Prætermiserunt quidem hujus nominis præsulem Gregorius Turonensis, et auctores quicumque veterum, quæ nuper edidit dominus Andreas *Salmon*, Chronicorum. Quibus favent Guillelmus Cuperus, Sammarthani fratres, Adrianus Bailletus et J. L. *Chalmel*, æque fictitium S. Arnulfi episcopatum opinantes et demonstrantes. Sed altera pro parte tenent Albericus Trium-Fontium, auctor anonymus vitæ S. Arnulfi, Breviaria Turonensia annorum 1612 et 1635, Cointius et Joannes *Maan*. Non ultra septem et decem dies, anonymo teste, Arnulfus episcopalia gessit munera. Breviaria quædam illum per septem et decem menses sedisse memorant. Prodiit insuper domni Martenii curis, in tomo V Ampliss. Collect., p. 933, manus veteris nota, Arnulfum referens Turonensem cathedram occupavisse per annum unum, menses decem et dies septem. Tot et tantas opinionum dissensiones componere non parvi est negotii. Quædam tamen de S. Arnulfo martyre, sed incerto Turonensium episcopo, breviter referre nos juvat e Guillelmo Cupero, apud Bollandum, octava et decima die Julii. Natus in Belgio ex antiqua senatorum prosapia, patre Quiriaco, matre Quintiana, Arnulfus Remigium Remensem episcopum præceptorem habuit. Qui mox Hierosolymam petiit : unde rediens Turonorum civitatem ingressus est, cum de pontifice eligendo ageretur. In illum protinus conversæ plebis clerique mentes. Sed, assumptis vix infulis, abiit in *Hispaniam*, ubi multos ad catholicam fidem egit Arianos. Narrante Joanne *Maan*, decessit anno 534, a propinquis gladio sublatus, quod conjugem Scaribergam, a qua futuram sperabant prolem, ad perpetuæ castitatis votum adduxisset.

XIII. Leo.

Abbatem habuerunt Leonem Martinienses, quem virtutibus conspicuum sibi delegerunt episcopum Turonenses, circa annum 526. Sedit per sex menses. De illo sic Gregorius : « Fuit autem faber lignarius, faciens « etiam turres (1) holochryso tectas, ex « quibus quædam apud nos retinentur : in « aliis etiam operibus elegans fuit. Sedit « autem menses sex, et sepultus est in basi- « lica S. Martini. »

(1) Vasa, in turrium figuram informata, in quibus Christi corpus adservabatur. Cangius, edente Henschel, verbo *Turris*.

XIV. Francilio.

Francilio, quem alii Gramcilium, sive Vincilium vocant, Pictavis natus e gente senatoria, ecclesiæ gessit præfecturam non ultra duos annos et sex menses : usque ad annum 529, e Chronico Turonensi. Narrat eum Gregorius a servis veneno necatum. Conjugem habuit, Claram nomine. De quibus sic Gregorius : « Fuerunt ambo divites « valde in agris, quos maxime S. Martini « basilicæ contulerunt. »

XV. Injuriosus.

Civis Turonensis, ex humili stirpe, ingenuus tamen, pastorali pedo donatus legitur Injuriosus, anno Justiniani secundo, Christi scilicet 529. Habemus illum anno 533 se- 533
dentem in secundo Aurelianensi concilio : ubi notatur quod Injuriosus Turonensis et Flavius Rotomagensis post minoris, ut videtur, dignitatis episcopos signum apposuerunt suum. Campanum sacerdotem absentis in locum misit Injuriosus ad tertium Aurelianense concilium, anno 538, septimo 538
et vicesimo Childeberti regis. Adfuit ipse et subscripsit concilio Aurelianensi quarto, anno 541. Ecclesiam B. Mariæ, ab Ommatio 541
inchoatam, consummavit et duas alias erexit, nempe Lucilianam, in agro Turonensi, et San-Germanensem ad Ligerim.

Inter illum et Clotharium regem gravius exarsit dissidium. Prodeat testis Gregorius Turonensis, Hist., libr. IV, n. 2 : « Chlo- « tharius rex, inquit, indixerat ut omnes « ecclesiæ regni sui tertiam partem fructuum « fisco dissolverent. Quod, licet inviti, cum « omnes episcopi consensissent atque sub- « scripsissent, viriliter hoc B. Injuriosus re- « spuens subscribere dedignatus est, dicens : « *Si volueris res Dei tollere, Dominus re-* « *gnum tuum velociter auferet, quia ini-* « *quum est ut pauperes quos tuo debes alere* « *horreo, ab eorum stipe tua horrea re-* « *pleantur*. Et iratus contra regem, nec va- « ledicens abscessit. Tunc commotus rex, « timens etiam virtutem B. Martini, misit « post eum cum muneribus, veniam pre- « cans, et hoc quod fecerat damnans, si- « mulque rogans ut pro se virtutem B. Mar- « tini antistitis exoraret. » Injuriosum decessisse *Maan* opinatur anno 539 : quod e perversa, secundum morem, inducit chronologia. Vitam illius ad annum 545 protrahit Chronicon Turonense, et Cointius ad annum 546. Quibus libenter suffragamur, cum Injuriosum Gregorius sedisse dicat per annos sexdecim, undecim menses et dies viginti sex; Hist., lib. X, n. 31.

Inter subscriptiones Aurelianensis concilii quinti, anno 549 congregati, legimus : « Ego Vitalis, presbyter, directus a domino

« meo Agrestio, episcopo ecclesiæ Turo- A
« nicæ, subscripsi. » Vide Collectionem Con-
ciliorum Galliæ a domno *Labat* compilatam,
col. 1044. Unde colligere licet Agrestium
Injurioso successisse. Agrestius autem ille,
non aliunde notus, cunctos Turonicarum
rerum scriptores hactenus fugit, nec hujus
ipse meminit Gregorius. Adscribendus ne
tamen Turonensium pontificum catalago?
In ambiguo stat consilium. Manuscriptos co-
dices adivimus, et revera quidem in codice
Regio 1453 Vitalis hanc presbyteri subscri-
ptionem, quam domnus *Labat* desumpsit,
reperimus; non autem ille Vitalis, nec alius B
quilibet vices absentis episcopi gerens,
occurrit in codicibus 1451, 1455, qui ta-
men nobis præbent eosdem Aurelianensis
concilii canones. Facillime rem enodaret qui
codicem 1453 ab interpolatore diceret exa-
ratum. Faciliorem autem viam non tutiorem
esse cognovimus. Agrestius præterea, non
adhibita sedis mentione, subscribebat anno
553 concilio Parisiensi secundo.

XVI. S. Baldus.

S. Baldus, alias Baudinus, Ambasiæ do- C
minus et referendarius Clotharii regis, inter
regni proceres unus e potentioribus et di-
tioribus, episcopatum Turonensem aggressus
est, licet conjugatus et habens filium. Qui
canonicos ecclesiæ matris omnia in medium
bona reponere jussit. Unde notatur quod
capitulum Turonense tunc primum in veteri-
bus occurrat annalibus legi mensæ commu-
nis, ut res poscebat, adstrictum. Sedit Bal-
dus per annos quinque et decem menses;
pauperibusque bona sua largitus, nec non
viginti millia solidorum, quos Injuriosus
coacervatos reliquerat, decessit Vernolii, D
juxta Lochense castrum. Hunc in ecclesia
sua Martinienses sepultum asserebant, e Gre-
gorii Turonensis testimonio : Vernolii vero
comprobant humatum prisca, nec indigna
fide, Turonensis ecclesiæ monumenta, et
Vernoliensis codex quem Stephanus *Hous-
seau* transcripsit. In antiquo Lochensis
ecclesiæ breviario legebatur satis ampla nar-
ratio de translatione corporis S. Baldi in no-
vam Vernolii ecclesiam, a S. Arnulfo, Tu-
ronensi archiepiscopo, peracta. Fabulis
vero scatet textus ille Lochensis, cum sive
falsus, sive verus Turonensium præsul, S. Ar- E
nulfus ante B. Baldum vixerit. Quando tamen
ibidem mentio sit Sulpicii, Martiniensis
thesaurarii, nec non Ambasiensis toparchæ,
qui vixit, e Chronico Turonensi, tempore
Roberti regis et Henrici, filii Roberti, trans-
latio supra memorata tribuatur, si lubet,
Arnulfo, sanctæ militiæ neutiquam adscri-
bendo, de quo mox dicturi sumus. Baldi
meminit 7 Novembris Martyrologium Galli-
canum.

ANNI CHRISTI

XVII. Guntramnus I.

Guntramnus, qui dicitur et Guntharius,
ex abbate S. Venantii Turonensis episcopus,
non ad gloriam recta via grassatus memo-
ratur, cum genio lascivia diffluenti plusquam
decet tribuerit. Sedit per biennium, unde-
cimque circiter menses.

XVIII. S. Eufronius.

Guntramno defuncto successorem dedit
Clotharius Catonem Arvernum. Cum ille
vero Claromontanas ambiret infulas, et multa
moliretur in depellendo Cautino, quem
pastorem Arverni suum, S. Gallo canonice
suffectum, agnoscebant, Turonensem cathe-
dram respuit oblatam. Legendus ea de re Gre-
gorius, cujus deprompsere locum antecesso-
res nostri, tom. II, col. 241. Interea vacavit
sedes per menses decem. Tunc Eufronius,
vir e senatoria stirpe, S. Gregorii, Lingo-
nensis episcopi, nepos, cleri plebisque
votis adlectus. Electionis hujusce nuntios
Clotharius rex primum aspera fronte suscepit,
ut qui regio fores obstrusissent clienti. Re
vero melius cognita, Eufronium laudavit or-
dinarique jussit. Hæc ad annum 555 refe-
renda, cum Gregorius Turonensis in libro I
de Miraculis S. Martini, c. 32, secundum Si-
geberti regis annum, Christi 563, septimum
dicat episcopatus Euphronii. Sedebat Eu-
fronius, anno 557, in concilio Parisiensi 557
tertio. Cujus præclara diu permanserunt
pontificem agentis opera. Ecclesias enim Tu-
ronicæ civitatis, magno tunc temporis di-
rutas incendio, sumptibus suis reparavit.
Memorantur etiam Vincentiana, prope ci-
vitatem, Tauriaca, Ceratensis, Orbiniaca,
in agro Turonensi, quas ædificari curavit.
Basilicæ S. Martini resarciendæ præterea
curam admovit, cum et in ipsam illatus ig-
nis. Chramno sed enim contra patrem Clo-
tharium rebellanti cum præbuisset auxilium
Willacarius dux Aquitaniæ, iratum metuit
regem et ad S. Martinum confugit. Jussit
rex latentem milite cingi. Willacarius au-
tem, fugam struens, asylo suo tædas sub-
didit : sperabat enim, ignescente basilica,
facilem et quasi liberam fore viam per con-
turbatos milites subrepenti. Fugit quidem,
sed tota corruere basilicæ tecta, incendio
diruta Hanc, ut ait Gregorius, stanno
refecit Eufronius pontifex, opitulante rege
Clothario. Illum acerrime libertates suorum
tuentem expertus est, eo tempore, Gaiso,
Turonensis provinciæ comes, iniqua dum
studeret colligere tributa. Regem enim Eu-
fronius ipsum adiit, et, exhibitis Turono-
rum privilegiis, causam obtinuit. Nec tan-
tum operam perdidit Gaiso, sed munus,
ob injuriam S. Martino illatam. Præfuit Eu-
fronius, XV cal. Decembris 567, concilio 567

ANNI CHRISTI Turonensi secundo, in quo septem et viginti capitula sancita sunt, maximi momenti, nec minoris famæ, totam rem ecclesiasticam componentia. Hic pungendus Maan, qui non caute refert hoc concilium ad annum 560 in Turonensium præsulum serie, et ad annum 567 in Conciliis Turonensis provinciæ.

D. Labat collect. Conc. Galliæ col. 1181.

567 Scripsit prædictus pontifex, annum circa 567, ad Radegundem, Clotharii regis uxorem, sed jam Deo consecratam in monasterio quodam Pictaviensi, ne, puellæ ipsi commissæ votum et vestem deponerent in sæculum rediturae. Edidit alteram, cum quibusdam comprovincialibus episcopis, nec minus insignem, epistolam, ad diœcesanam plebem, imminente quadam publica calamitate; ut scilicet parochiani nuptialia vota differrent, solverent omnium rerum decimas, et ab incestis præsertim semet eximerent copulationibus. Quod scriptum Cointius autumat anno 570, domnus Labat anno 567, Baronius anno 559, et novissimus *Travers*, in Conciliis Turonicæ provinciæ, anno 563. Narrat Gregorius Turonensis, tempore Sigeberti regis, post annum, ut videtur, 567, Eufronium ab eo rege deputatum, qui deferret in ædes a regina Radegunde Deo datas sanctæ crucis frustum, cæterasque reliquias ex Oriente allatas. Locum Gregorii legere licet jam ab antecessoribus nostris transcriptum tom. II, p. 1147. Idem tradidit Venantius Fortunatus, in vita S. Radegundis, lib. II, n. 19.

Charta II, col. 1.

Rer. Gall. Script. t. III, p. 458.

568 Adfuit Eufronius, anno 568, dedicationi Nannetensis ecclesiæ, ut meminit Fortunatus, illum *metropolitam* expressis declarans verbis :

> Inter quos medios, Martini sede sacerdos
> Eufronius fulget, metropolita sacer,
> Plaudens in sancta fratrum coeunte corona,
> Et sua membra videns fortior extat apex.
> Lætius inde caput cum sint sua viscera secum.
> Ecclesiæ, juncto corpore, crescit honor.

Memoratur Eufronius, apud Joannem *Maan*, anno 564 defunctus; id quod Fortunatus aperte declarat erroneum. Eufronii vita deducitur a plerisque ad annum 572. Qui non adeo a vero distare videntur. Eufronii mentio fit 4 Augusti, in Martyrol. Gallicano, ubi summis laudibus extollitur. Autumant quidam, ex dictis Fortunati, primum Eufronium metropolitæ Turonensis non tantum munus, sed titulum gessisse. Jam antea aliquid certum ratumque episcopos ab archiepiscopis distinguebat, ut satis constat ex actis concilii Turonensis secundi : dignitatis vero suæ nomen non sibi metropolitani vindicare sæpius curabant. At cum hoc circa tempus expressioribus determinata fuerint articulis jura præcipuarum ecclesiæ Gallicanæ sedium, jam tum, in occidentalibus hisce Galliæ partibus, hæres S. Gatiani inter comprovinciales episcopos archiepiscopus, sive metropolita, dictus est. Invalescentem tunc temporis morem nos quidem ulterius sequemur, et ab Eufronio nobis tot erunt Turonenses archiepiscopi. Pallium non ipsis ab hoc tempore datum : munus quidem, non vero muneris insignia, diu gessere.

XIX. S. Gregorius.

Georgius Florentius Gregorius, Arvernus, patre Florentio et matre Armentaria natus, avum habuit Georgium, sive Gregorium, senatorem, avam Leocadiam, e gente Vectii Epagathi martyris. Tantæ nobilitatis juvenem susceperunt educandum S. Nicetius, Lugdunensis episcopus, Gallus, Claromontanus, et postea, Avitus Aurelianensis. Mox S. Benedicti religionem amplexus, innotuerat fama virtutis et doctrinæ, cum in episcopalem Turonensis ecclesiæ cathedram clericorum civiumque suffectus est suffragiis, anno 573. Oblatum primo munus detrectavit Gregorius; rex autem eum Sigebertus auctoritate sua coegit, et Brunechildis regina piis compulit precibus ad exuendam monachi vestem. Consecravit electum Ægidius, Remensis archiepiscopus, ut Fortunatus tradidit :

> Spes gregis ecce venit, plebis pater, urbis amator;
> Munere pastoris lætificentur oves!
> Jura sacerdotis merito reverenter adeptus
> Nomine Gregorius, pastor in orbe gregis;
> Quem patris Ægidii Domino manus alma sacravit,
> Ut populum recreet, quem Radegundis amet.
> Huic Sigebertus ovans favet et Brunechildis honorat.
> Judicio regis nobile culmen adest.

Res ipse quas pontifex egit Turonensis his descripsit verbis : « Ego indignus ecclesiam urbis Turonicæ, in qua B. Martinus et cæteri sacerdotes Domini ad pontificatus officium consecrati sunt, ab incendio dissolutam dirutamque nactus sum. Quam reædificatam in ampliori altiorique fastigio, septimo-decimo ordinationis meæ anno, dedicavi; in qua, sicut a longævis presbyteris comperi, beatorum ibidem reliquiæ Agaunensium ab antiquis fuerant collocatæ. Ipsam etiam capsulam in thesauro basilicæ S. Martini reperi, in qua valde putredine erat pignus dissolutum, quod pro eorum religionis est virtute delatum. Ac, dum vigiliæ in eorum honore celebrarentur, libuit animo hæc iterum prælucescente cereo visitare. Quæ dum a nobis attente rimantur, dixit ædis æditus : *Est hic*, inquit, *lapis opertorio tectus, in quo quid habeatur prorsus ignoro; sed nec prædecessores ministros hujus custodiæ scire comperi : deferam eum, et scrutamini diligenter quid contineatur intra inclusum.* Quem delatum reseravi, fateor, et inveni in hoc capsulam argenteam, in qua non modo beatæ Legionis testium,

ANNI CHRISTI

« verum etiam multorum sanctorum tam « martyrum quam confessorum reliquiæ te- « nebantur... Quod munus ego divinitus « indultum admirans, et gratias agens, ce- « lebratis vigiliis, dictis etiam missis, hæc « in ecclesia collocavi. In cellula S. Mar- « tini ecclesiæ ipsi contigua SS. Cosmæ et « Damiani martyrum reliquias posui. Basi- « licas S. Perpetui adustas incendio reperi, « quas in illo nitore vel pingi, vel exornari, « ut prius fuerant, artificum nostrorum « opere imperavi. Baptisterium ad ipsam « basilicam ædificari præcepi, in quo « S. Joannis, cum Sergii martyris, reliquias « posui; et in illo priore baptisterio S. Be- « nigni martyris pignora collocavi. In multis « vero locis intra Turonicum terminum et « ecclesias et oratoria dedicavi, sancto- « rumque reliquiis illustravi, quæ memo- « rare ex ordine prolixum censui. » Hucusque Gregorius. Inter illa vero summatim enarrata non occurrunt quæcumque sanctissimus pontifex gessit, ecclesiæ, vel reipublicæ studens, aut in se gesta passus est, principum audacioribus quin imo facinorosis obstans propositis. Quædam igitur subjicienda.

Hist. Franc. lib. v. n. 31.

Sigeberto neci dato, Childebertus in occisi patris hæreditatem missus est, anno 575, quem Gunthrannus puellulum ad lubricos solii Metensis gradus manu duxerat. Iras autem, ut aiebat, ob id metuens Chilperici, Suessionum regis, Gunthrannus in basilicam S. Martini confugit, asylum petens. Quid vero Fredegundæ sacrum? Fugientis Gunthrannis vestigia secutus en Rocolenus adest, Turonensemque præsulem adiens, hospitem S. Martini sibi tradi jubet. Gregorius autem, sive precibus, sive minis frangi nescius, eum fores S. Martini transire vetat et ipse terret armata stipatum caterva. Audita præsulis contumacia, Fredegunda infremuit. Illam dein in acerbiores impulit iras, cum Merovæum, Brunechildis nuper conjugem, et ipsum, irato patre, in ædes S. Martini confugientem benigniter excepit et acriter deposcenti prodere recusavit. Legato qui Chilperici regis in Gunthranni causa obstiterat, ipsine regi Merovæum suum filium repetenti impavidam frontem oblaturus? Eumdem quam Rocolenus Chilpericus probavit Gregorium, juris strenuum assertorem, et adeo propositi tenacem, ut nec ense evaginatus gladius gradu moveret. Neque Turones obsidione cingens Chilpericus, adjacentesque vastans agros, effuso sine sanguine petitam rem obtinuisset, nisi Merovæus, iniquam detrectans pugnam, semet ipse tradidisset. Gregorio, pene proditionis reo, non unus ex aulicis tunc minari : in aliam vero partem Fredegundæ furor aliquantisper conversus est, nempe in Prætextatum, Rotomagensem episcopum. Prætextatus enim primus Merovæum humaniter exceperat ex aula depul-

A sum : quocirca vocatus est ad concilium Parisiense, anno 577, ut qui regis ipsius vitam petiverat. Causam insontis solus oravit Gregorius, integer cum evasisset ex eorum congressu quos miserat rex nummos pollicentes. Dejectus in exilium Prætextatus; notatus vero Gregorius, qui nimis memorem Fredegundæ stomachum in se moverat. Leudastes erat Turoniæ comes, ex infimis eductus ad summa, vir ingenio nihil suo non condonans, et vel inter barbaros notus feritate morum. Hunc inter et Gregorium infida pax. Leudasti Fredegunda favebat : quem ad judices ire jussit
B Gregorius, impium exprobrans deprædationem. Ille autem multa contra Gregorium accusantem molitus est. Quamobrem rex Chilpericus, publicæ rei sub obtentu, præsulem arctæ dedit custodiæ, perinde ac si majestatem regiam sermonibus inceptisque læsisset, donec haberetur episcoporum conventus. Quæ, propitiante Deo, versa sunt in Leudasten; nam Gregorius coram episcopis Brennæ congregatis, anno 580, omni se crimine purgavit, et Leudastes judicio regis ivit in exilium, excommunicatione perculsus. Idem circa tempus, in Gregorium
C exarsit Felix, Nannetensis episcopus, qui terras quasdam invadere gestiens ad Nannetensem ecclesiam pertinentes, metropolitam expertus erat ecclesiæ pro jure pugnantem. Inde Felicis iræ conviciaque; a quo dictus Gregorius avidus vanæ laudis, insectator honorum et ad tyrannidem præceps. Eumdem postea lacessivit Agila, natione Hispanus, secta Arianus. Quem indefessus vicit Christi pugil. Chilpericus rex et ipse cum Gregorio disputavit, Sabellii sequax, personarum negans in Deo discrimen, et argutis verborum cavillationibus asserens variis no-
D minibus varias ejusdem essentiæ virtutes distingui. Regem insanire dixit præsul. Otium igitur Gregorio nullum, nulla requies ab insectationibus tum privatorum, tum publicorum inimicorum. Quis autem eum socordem cognovit? Pauca de illo supersunt memoranda. Subscripsit, anno 584, testamento Radegundis, Francorum reginæ. Anno postea 590, cum pius illum, ætate labente, subiisset ardor Romam invisendi, a S. Gregorio papa summa cum benevolentia fuit susceptus; qui miratus est in hujusmodi hominem (statura sed enim brevis erat) tantam
E cœlitus gratiam defluxisse. Ergastulo tandem carnis solutus evasit, die 17 Novembris, anno episcopatus 21, ætatis 51. Multa condidit, quæ, prælo jamdudum et multoties data, longum in ævum hujus nomen diffundent, neutiquam elegans, sed acre sincerumque ingenium commendantia. Primus ille quidem Gallicarum rerum Gallus narrator, cum scriptores apud coævos moris sit rhetorem Romanum in omnibus imitari, cumque singuli, desudantes in usurpandis linguæ deli-

ANNI CHRISTI: 577, 580, 584, 590, 595

ANNI CHRISTI

catioris argutiis, alterius Suetonii personam gerere invicem studeant. De S. Gregorio Turonensi passim agunt et ipse quicumque, recentioribus hisce diebus, veterum Francorum sive publicam, sive privatam vitam indagare curaverunt: quos nominatim singulos hic designare supervacuum habemus. Legantur præ aliis doctissimus domnus Rivetius, in Hist. Litter., t. III, p. 372, et D. *Levesque de la Ravallière*, Inscriptionum Academiæ socius, in Comment. ejusdem Academiæ, prior. ser., t. XXVI, p. 598-637.

XX. Pelagius.

596 Ad quem scripsisse creditur, anno 596, epistolam S. Gregorius papa, illi commendans Augustinum ad Anglos migrantem. Obiit, e Chronico Turonensi, « eodem anno « quo Mauricius imperator occisus est, » anno scilicet 602. Unde Joannes *Maan* illum annos circa viginti sedisse memorat, cum mortem Gregorii retulisset ad annum 586. Verius in Chronico Turonensi dicitur Pelagium, octavo currente pontificatus anno, terrestrem exuisse sarcinam. Quod his verbis confirmat Archiepiscoporum Turonensium Chronicon: « Peladius sedit annis VII, « mense I. »

Mansi, Concilia, t. x, col. 35.

XXI. Leopacharius.

Leopacharius, Leoparius, sive Leupicarius occurrit in Vita S. Columbani, quam scripsit Jonas, abbas, fere coætaneus. Pergens in Angliam Columbanus Turonensem pertransivit civitatem, in qua benigniter illum excepit Leopacharius episcopus; Rer. Gall. Script., *t. III*, p. 480. Hæc autem gesta Jonas memorat tempore quo Theudebertus et Theodericus reges inter se dissidia de principatu movebant, et anno tertio ante Theoderici decessum: anno videlicet 610. Leopacharium lustra per duo sedisse refert Joannes *Maan*, id asserens, non probans. Tredecimo pontificatus anno moritur, teste Chronico Turonensi, Heraclii imperantis quinto, Christi scilicet 614. Nec secus in Archiepiscoporum Chronico: « Leupicarius, « annis XII, mensibus III. »

XXII. Aigiricus.

615 Occurrit, anno 615, in testamento Bertramni, Cenomanensis episcopi, in quo legitur Aigiricum, sive Agericum, hunc nostrum Bertramno vendidisse partem villæ Blacciagi, in Burdigalensi territorio. Illi Chronicon Archiepiscoporum tres episcopatus annos concedit duosque menses, et decedentem e vivis Chronicon Turonense memorat anno Heraclii nono, Christi 618, vel 619.

XXIII. Walacus.

Walacum dicit hunc codex San-Germanensis, sub num. 1049: Walatus legitur apud anonymum auctorem Narrationis de Commendatione Turonicæ provinciæ; Guvalacus, in Regio cod. 4955: et is est quem Chronicon Turonense Givaldum, et Chronicon Episcoporum Guvaldum, non parva nominis commutatione, nuncupant. Non quidem fugit nos Sammarthanos fratres Walacum Givaldo successorem dedisse: sed unum et eumdem episcopum diversiter appellatum comprobant manuscripti codices et auctor Narrationis prædictæ, qui Walacum inter Aigiricum et Sigilaicum ponunt, nullam de Givaldo mentionem facientes. Adde quod, ex altera parte, Chronicon Turonense et Chronicon Archiepiscoporum æque de Walaco sileant. Denique notandum quod, inter Aigiricum anno 618 defunctum et Sigilaicum anno 620 Turonicæ præfectum ecclesiæ, vix unius episcopi capax sit temporis spatium.

XXIV. Sigilaicus.

Genere Biturix Sigilaicus, Dagobertum regem affinem habuit. Illum quidem ferunt e comite Bituricensi in Turonensem metropolitam assumptum, favore regis et licet conjugatum, annum circa 620. Qualem se præbuerit in cathedra non reperies: de gestis illius quibuscumque silent annalium auctores et chartæ, nisi proferamus in medium diploma Dagoberti suspectum Sanmarthanis, et a Cointio, nec non a doctissimo viro *de Brequigny*, rejectum. Suus Sigilaicum præsertim commendat filius, Sigirannus nomine, virtutibus, nec non doctrina clarus, qui fugiens aulæ jocos et strepitus, facilemque adolescenti vitam, secessit primum in ædes Martino sacratas, mox in eremum Bituricensem, et fama morum cœlesti sanctorum sodalitio adscribi meruit. Sigilaicus obiit, secundum Turonense Chronicon, anno Heraclii tertio et decimo, episcopatus sui tertio.

Diplom. Chartæ, edit. nov., t. II, p. 19.

XXV. Leobaldus.

Sedit ab anno circiter 622 ad annum 624, teste Cointio, cui libenter suffragamur. Illi tamen episcopatus sex annos tribuunt chronographi, et vitam ejus Chronicon Turonense deducere videtur ad annum 629, imperantis Heraclii decimum-nonum. Modegesilus vero jam illi suffectus erat anno 625.

XXVI. Modegesilus.

Interfuit Remensi concilio, anno 625, ut creditur, celebrato; quod memorat Flodoardus, in Hist. Eccles. Remensis, lib. II, c. 5. 625

oc Remense annum circa 625 m colligitur e præsentia Rustici , qui provectus est ad episcopa- 12, et Senoci Elusani, qui missus um a Chlotario rege anno 626; in tom. I, col. 970. Easdem chro- , quæ Sirmondum fugerant, alio ny fulcivit argumento : Diplom. 10v. edit., t. I, p. 221. Occurrit lodegesilus, quarta et vicesima die is 625, ut Mabillonius et Cointius r, in testamento S. Lonegisili, nensis sacerdotis. Quod vero mere æstimavit *de Brequigny*. Certius ni subscripsit monasterii Solemnia- quod scilicet condebat S. Eligius, x cembris 631. Hujus fundationis char- lidere antecessores nostri, inter In- nta tomi II, col. 186. Ejusdem legitur n, anno 636, ad calcem chartæ qua ndofaro, Meldensis episcopus, pri- a quædam concessit Reshacensi mo- rio, et, anno 642, inter signa subscri- um præcepto Joannis papæ IV de nitatibus S. Faronis. Huic autem præ- o nulla fides, utpote dato priusquam ditum esset S. Faronis monasterium. Vide VIII, col. 1689. Modegesilo Turonense ronicon episcopatus annos undecim tri- it, quindecim Cointius.

XXVII. Latinus.

Cabilonensi primæ synodo subscripsit, per manus Bettonis, abbatis. Perperam vero dixerunt Sammarthani synodum hunc anno 650 celebratam. Artem Dijudicandi singulas temporum Notas consulenti perspicuus erit error Sammarthanorum. Per tredecim annos Latinum sedisse legitur.

XXVIII. Garisigius.

Idem et Charisigius, sive Carigisilus, memoratur in nomenclaturis et calendariis ecclesiæ Turonensis. Hic post duos episcopatus annos mortale tegumentum exuit.

XXIX. Chrotbertus I.

Diplom. Chartæ, dit. nova t. II, p. 99. Chrotbertus, sive Rigobertus, aut Zerobertus, occurrit anno 653, in diplomate Chlodovæi junioris; quem domnus *Bouquet* Turonensem opinatur archipræsulem. Hunc Chronicon Turonense memorat privilegium S. Martini, quod Adeodatus papa confirmavit, edidisse. In quo reprehenditur a plurimis auctor prædicti Chronici, cum ille Chrotbertus, cujus Adeodati bulla meminit, coævus certe fuerit prædicti papæ, qui sedit ab anno 672 ad annum 675. Chrotbertum alterum Papoleno ibidem legimus successisse. Ille vero Chrotbertus posterior, inquit auctor A Chronici Turonensis, jam datum a priori privilegium tantummodo laudavit. Non duos, sed unum Chrotbertum, admittere forsitan fas esset. Quod si tamen ad conjecturas venimus, quid relinquemus intactum e chronographorum Turonensium tabulis? Dubitantes dubia fatemur, et, veterum dicta renovantes, legentem monemus ne plus quam decet illis confidat. ANNI CHRISTI

XXX. Papolenus.

Hunc Flodoardus, Hist. lib. II, c. 7, re- B fert adfuisse, anno, ut videtur, 658, Nannetensi cuidam concilio. In Archiepiscoporum Turonensium Chronico legimus illum per annos quinque et duos menses sedisse. 658

XXXI. Chrotbertus II.

Chrotbertus, sive Ruotbertus, quem et Crabertum et Erabertum dicunt, probavit, ut aiunt *Maan* et Bollandus, anno 662, in Captonnaco palatio, jus immunitatis quod Berthefredus, Ambianensis episcopus, Corbeiensi monasterio concesserat. Consule Dipl. C Chartæ, t. II, p. 128. Qui vero subscripsit Berthefredi chartæ Chrotbertus, aut Chrodobertus peccator, si quidem episcopus ille fuit, sedem non designavit suam, et eum Cointius, Mabillonius, nec non antecessores nostri, t. VII, col. 25, Parisiensem illum opinati sunt Chrodobertum qui S. Landerico successit. Monasterium S. Martini Turonensis libertate donavit, vel, ut quosdam juvat, in libertate jam data stabilivit. Ad hujus certe commendationem, Martiniensium immunitates, anno circiter 674, sancivit Adeodatus papa, ut constat ex diplomate sæ- *Charta III, col. 5* D pius laudato. De quo privilegio satis acriter decertatum. Agnoverunt denique verum melioris notæ critici. Advertendum sane quod inter impugnantes plerique dicant hoc diploma suspectum ad minus esse, cum nullum antea privilegium hujusmodi fuerit a pontificibus ecclesiæ Romanæ concessum, nisi prius edita episcoporum ad quos res proprie pertinebat authentica manumissione. Sed ex ipsius pontificii littera diplomatis palam est Chrotbertum jam libere monachis S. Martini, episcopis non nullis etiam Galliæ subscribentibus, concessisse plenam illam licentiam E quam Adeodatus papa confirmavit. Legitimam hanc pronuntiavit bullam Curia Parisiensis, solemni judicio, 13 Aprilis 1709. Præclarum exstat Chrotberti judicium de moniali quadam, quæ jam professa castitatem adulterium patraverat. Illud habemus e codice Thuano excerptum, cum notis Paschasii Quesnelli, et editum, anno 1675, inter Epistolas Leonis papæ. Videsis Historiam Galliæ Litterariam, t. III, admon., p. 2 (1). Episcopa-

(1) In ea Chrotberti epistola singularem hunc prorsus lo-

ANNI CHRISTI

tum rexit Chrotbertus annos per sex et viginti, e Turonicis tabulis. Hujus meminit auctor vitæ B. Projecti, apud Bollandum, 25 Januarii. Ad eumdem scriptas opinati sunt antecessores nostri litteras Importuni, Parisiensis episcopi, increpatorias, quæ leguntur in Nova Collectione Formularum, edente Baluzio, tom. II Capitular., p. 564. In his deprehenditur litteris *Frodebertus* quidam *papa* (*episcopum* lege) in Grimoaldum, majorem sub Sigeberto palatinum, per fas nefasque multa movens.

Gall. Christ. t. VII, col. 26.

Inter Chrotbertum et Bertum sequentem personarum discrimen agentes assentimus Sammarthanis, Joanni *Maan* et domno Mabillonio; qui quidem in eo nihil de suis promunt inventis, sed nomenclatores antiquos, Chronicon Turonense, Chronicon Archiepiscoporum et auctorem supra laudatæ Narrationis ad litteram exhibent. Cointio vero magis arridet Chrotbertum et Bertum nullatenus distingui, nisi sæpius usitata contractione nominis; nec contemnendis suam ille conjecturam tutatur argumentis.

XXXII. Bertus.

Bertus, sive Ratbertus, Turonibus excepit, anno 682, corpus S. Leodegarii, Augustodunensis episcopi, et Ingerrandam usque Pictonum comitatus est, cum psallentium choris, ut refert Aimoinus in Vita S. Leodegarii. Hunc opinantur Ratbertum qui, eodem anno, sedit in Rotomagensi concilio, et approbavit concessum Fontanellensibus monachis solemne privilegium (1): e vita S. Ansberti ab Aigrado monacho; Rer. Gall. Script., t. III, p. 618.

XXXIII. Ebartius.

Alias Ebaltius, Ebastius, Evarcius, Ebarcis, Ebalterius, Evaricus apud Joannem *Maan*. Hunc suspicamur qui, non sedem desi-

cum notarunt : « Quamquam in sancta synodo Nicæna, « Chalcedonensi et Ephesina, vel Constantinopolitana, super « hac re capitulum non invenimus, *quas quatuor synodos « tantum terra nostra venerabiliter recipit et concredit.* » Unde critici confestim asseruerunt quatuor tantum concilia supra dicta in Turonensi diœcesi, septimo sæculo, probata. Hoc ut videtur, aperte Chrotbertus declarat. Ansam præbuit errori sive codex mendosus, sive lectoris imperiti lapsus. Reperimus enim in codice Regio 2777, quem prisca manus exaravit : « *quas quatuor synodos tantum terrarum venerabi- « liter recipit et concredit.* » Non illa quidem vox *tantum terrarum* limpide sonat : intellectum tamen omnino non fugit.

(1) Hæc data perhibetur auctoritas *anno Domini 682, indict. decima, qui erat gloriosi regis Theoderici decimus sextus.* Non plane concordant illæ notæ, cum regnum Theoderici non ordiri liceat annum ante 670 : unde Surius et Bollandus legerunt annum Theoderici decimum tertium. Mabillonius vero, novis rem intricans difficultatibus, a restauratione Theoderici, anno 673 peracta, quæsivit sexdecimum hujus regis annum, et sic concilium Rotomagense celebratum ait anno Christi 689. Annus autem ille non indictionis decimus. Surium tutius sequeris.

ANNI CHRISTI

A gnans, subscripsit, anno 696, instrumento Agerardi, Carnotensis episcopi, concedentis privilegia monasterio B. Mariæ supra Ligerim. Eumdem legimus Ebartium, anno 697, assedisse Childeberto III in placito de villa Nocito, Compendii celebrato. Eparchii vero cujusdam, vel Ebartii, antecessores nostri meminerunt in Pictaviensium episcoporum serie, annos inter 696 et 757, tom. II, col. 1154. Cujus nomen occurrit in Ludovici, regis Aquitanorum, præcepto pro Nobiliacensibus, quod primus edidit ex autographo Mabillonius, Ann. Benedict., t. II, B col. 715, quodque ex eodem autographo rursus in lucem prodiit, antecessorum nostrorum cura, inter Instr. t. II, col. 346. Ait Ludovicus rex se Nobiliaco confirmare quæcumque dederat Hermembertus sacerdos, et « illas « conjunctiones quas anteriori pontifici Pic- « taviensis, quem nos recognovimus, Ansal- « dus, Ebasius et Grosbertus ad ipsam cellam « detulerunt, vel Deum timentes et viri ca- « tholici in antea conferre voluerint. » Verba quidem regis obscura : qua tamen arte ad mentem antecessorum nostrorum intelligenda? Dicuntur forsitan Ansaldus, Ebasius et C Grosbertus, post Hermembertum sacerdotem nominati, dedisse quædam anteriori Pictaviensis ecclesiæ pontifici, quem rex cognovit, ad cellam Nobiliacensem deferenda; certe non ipsi Pictavienses episcopi, sine pluribus et insolentibus barbarismis, leguntur. Adde quod, inter episcopos supra memoratæ subscribentes Agerardi chartæ, occurrat una cum Ebartio Ausoaldus, tunc temporis Pictaviensium, nullo infitiante, nobilis antistes. Unde manifestum est hunc Ebartium non Pictaviensem fuisse. Turonensem vero securius opinari licet. Ebartius alter, a Coin- D tio dictus Nivernensis episcopus, sedebat anno 766. Qui non ab Ebartio Turonensi plane distinguitur, supra, tom. XII, col. 628. Longum tamen temporis intervallum personarum diversitatem aperte demonstrat.

696 Diplom. Ch. edit. nov. t. II. p. 236.

697 ibid. p. 241.

XXXIV. Palladius.

Hunc Joannes *Maan* Pelagium dicit : aliis Peladius. Sedit per annos quinque, e Chronico Turonensi. De ordinationis anno non parum ambigitur, cum referat illum Cointius anno 700 defunctum, et sedentem adhuc me- E moret Joannes *Maan* anno 711. Quis intricatam adeo valeret enodare chronologiam, nisi prolatis in medium auctoritatis indubiæ chartis? Hæ vero quærentes hactenus fugerunt. Nomenclatores nonnulli Palladium ante Ebartium ponunt.

XXXV. Ibbo.

Occurrit anno 720, recentioribus si fides chronographis, privilegia confirmans ecclesiæ

Diplom. Chartæ, II. p. 319.

ANNI CHRISTI

S. Martini Turonensis. Ibboni tribuunt quidam septem, octo alii, cæteri novem episcopatus annos. Illum *Chalmel* memorat anno 724 morientem, *Maan* 727, Chronicon Turonense 730. Guntrauno præterea succedentem illum exhibet auctor Nomenclaturæ quam domnus Ruinartius edidit, in Operum Gregorii Turonensis Appendice, col. 1386.

XXXVI. Guntrannus II.

Reperitur in Chronico Turonensi sedens ab anno 730 ad annum 742. Hunc opinatur Monsnerius ex abbate S. Martini Turonensem ascendisse cathedram.

XXXVII. Dido.

Guntranno defuncto successit Dido, sive Bido. Coævus legitur Teutsindi, Martiniensium abbatis. Illius autem pontificantis annos computat Chronicon Turonense ab anno 742 ad annum 744. Consentiens subscripsit Ibbonis privilegio Martiniensibus dato. « Is « enim tum mos erat, inquit Mabillonius, ut « superiorum pontificum privilegiis subscri- « berent successores in vacuo spatio, quod « de more in authentico relictum erat. »

XXXVIII. Raganbertus.

Raganbertus, Rigobertus, Ragarabertus, Ragambertus, Ragenelmus, qui dicitur etiam a Joan. *Maan* Raimbertus. Memoratur in Chronico Turonensi ab anno 744. De cujus episcopatus spatio plerique dissentiunt. Novem per annos sedit, si Chronico Turonensi fides; si Cointii supputationibus, per octo et decem annos. Major etiam manuscriptos inter codices Chronici Archiepiscoporum Turonensium discordia, cum in quibusdam dicatur sedem tenuisse per annos octo et quinque menses, in aliis per septem et viginti annos et menses quinque. Quos inter pacem agere non valemus, nec errantes certo notare.

XXXIX. Albertus.

Sive Autbertus, ab anno 753 ad annum 768, secundum Turonense Chronicon. In alio Joannes *Maan* legit Chronico illum anno 754 obiisse.

XL. Eusebius.

Nomenclatores hunc veteres, Chronicon Turonense et auctor Narrationis successorem dant Ostaldo, sed aut nulla, aut erronea, anni mentione. Subscripsit quidem Eusebius, anno 765, concilio Attiniaci habito, cui Chrodegangus præfuit. Unde palam est illum ante Ostaldum sedisse. An vero sedem tenuerit Eusebius sive per sexdecim, sive per viginti A annos, ut quidam asserunt, nobis nullo modo compertum; et nos cum, post cæteros, insudavissemus in conciliandis fastorum Turonensium notis chronicis, operam agnovimus perditam.

XLI. Ostaldus.

Ostaldus in Chronico Turonensi memoratur ordinatus anno 765, vel 766, et infulas gerens ad annum 777. Pontifex enim sedit per duodecim annos, secundum Turonensium Archiepiscoporum Chronicon.

B

XLII. Gavienus.

Gavieni nomen non in antiquis occurrit nomenclaturis. Sed, ex Onuphrii Panvinii schedis, illum J. Sirmondus, t. II Concil. Galliæ, p. 66, memorat adfuisse Lateranensi concilio, sub Stephano papa III, anno 769. 769
Illum ideo succedentem Ostaldo ponit Stephanus *Housseau*, in manuscripta Turonensium archiepiscoporum serie. Legitur in procemio concilii Lateranensis, quod e codice capituli Veronensis ultimus edidit J. Dominicus Mansi: « Gavienno, episcopo Torenorum. »

C

XLIII. Erlingus.

Non designatus relinquitur annus quo fuit metropolitanam ad sedem evectus Erlingus, quem et Edragum amanuenses vocaverunt dormitantes. Errasse vero compertum habemus auctorem Chronici Turonensis, dum pontificatum Erlingi ad annum 819 ducit: Josephum I jam anno 802 sedisse notum est.

Incertus admodum a Gregorio ad Josephum I archiepiscoporum Turonensium ordo, quem e chronicis et auctoribus melioris fidei digessimus. A Josepho I seriem e documentis instruere licet minus dubiis.

D

XLIV. Josephus I.

Sedebat Josephus anno 802, ut testatur præceptum a Carolo Magno hoc sub tempus editum de rebus ecclesiæ Cenomanensis, in quo legimus canonicos S. Gervasii venisse supplices ad imperatorem, tunc Aquis degentem, cum licentia Josephi metropolitani. Familiarem illum habuit Alcuinus; et cum ecclesiam S. Martini missi quidam a Theodulfo Aurelianensi invaderent, quærentes monachum, qui, canonice damnatus, confugerat ad inviolatum Martini præsidium, partes Martiniensium, hospitem tradere recusantium, tenuit Josephus archipræsul. Quapropter ab Odone monacho, in Vita Alcuini, plurimum commendatur. Excepit, anno 804, defunctum Alcuinum, quem multis prosecutus est fletibus in alteram abeuntem patriam, humavitque

E

Th. Calvinus, Geogr. Antiq. Cenom. Dioc. Instr p. 50.

ANNI CHRISTI 813

juxta B. Martinum. Ex Annalibus Francorum colligere licet illo præside celebratum, anno 813, tertium Turonense concilium, cujus capitula, numero XLI, legere est in Conciliis Harduini. Non tantum ad ecclesiasticam, sed etiam ad civilem disciplinam spectat illa canonum series, et cuilibet istius ætatis mores, artes, jura, et varios usus inquirere studenti plurima valde notatu digna suppeditat. Jam pluries laudatus hujus concilii canon 17: « Visum est unanimitati nostræ ut quilibet « episcopus habeat homilias, continentes ne« cessarias admonitiones, quibus subjecti eru« diantur; id est de fide catholica, prout ca« pere possint, de perpetua retributione bo« norum et æterna damnatione malorum, de « resurrectione quoque futura et ultimo ju« dicio, et quibus operibus possit promereri « beata vita, quibusve excludi; et ut easdem « homilias quisque aperte transferre studeat « in rusticam Romanam linguam, aut Theo« tiscam, quo facilius cuncti possint intelli« gere quæ dicuntur. » Incertum est quo Josephus I decesserit anno.

XLV. Landrannus I.

Jam Turonensis Landrannus I dicebatur episcopus die 29 Junii 816, e Gestis Cenomanensium episcoporum, cum Cenomanum deveniret Franconem Juniorem consecraturus. Illum narrant rerum Britannicarum scriptores synodum comprovincialium episcoporum habuisse Rotoni, in Armorica, anno 817. Hujus tamen acta synodi temporis hausit invidia. Fuit ille Landrannus Ludovico imperatori devotissimus et apud eum præ cæteris bene acceptus, qui, in partitione provinciarum Galliæ, anno 822, Turonicæ provinciæ præfecturam sortitus est. De quo munere Joannes *Maan* : « Legatorum hujusmodi « munus erat et officium, ut eas identidem « lustrarent provincias quas sibi rex com« mendasset: episcopos, abbates et omnis or« dinis clericos monachosque inspicerent; si « conveniens et pius ecclesiarum ornatus, si « casti mores et vigil animarum cura; laïcos, « si familiæ sarta tecta, si jus suum cuique « servatum, tutusque rerum status; utros« que vero, si regi fideles, si episcopis, si « judicibus præfectisque obsequentes; atque « horum omnium justas expostulationes ex« ciperent, publicas nocentium haberent « quæstiones; in sontes denique, quantum « æquitatis ratio postulat, animadverterent, « dummodo graviora criminum judicia de« ferrent ad regem. » Hactenus *Maan* : unde cuilibet verisimile videbitur Landrannum, uti demandatam sibi provinciam fideliter administraret, non nullas in ea synodos egisse, tam civiles quam ecclesiasticas res in meliorem reducturum ordinem. Pluribus et interfuit conciliis, vel conventibus episcopo-

A rum et magnatum, in quibus actum est sive de religionis statu, sive de seditionibus quæ tunc per omnes fere imperii partes fervebant. Aderat anno 829, sexta die Junii, Landrannus huic Parisiensi concilio VI, in quo tam præclara condita sunt capitula, ad ecclesiarum et regni curam spectantia, quæ rata voluit esse Ludovicus vere Pius in conventu Wormatiacensi. Anno 832, domnum Aldricum, regia oriundum prosapia, episcopum Cenomanensem ordinavit. Verba sunt Gestorum Aldrici : « Ordinatus a suo metropoli« tano et cæteris nobilibus et sapientibus in B « idipsum convenientibus, eligente eum clero « et populo, in prædicta civitate (videlicet « Cenomanensi) et ipsa matre ecclesia, die « XI kal. Januarii, anno igitur Incarnatio« nis Domini nostri Jesu Christi 832, epis« copus est consecratus. Tertio autem die « post ordinationem suam, domnus impera« tor in suam adveniens civitatem, gratias « agens Dominum laudavit quod jam ordi« natus erat episcopus. » Unde plane liquet non Turonibus, ut asserunt Joannes *Maan* et Cointius, sed Cenomani Aldricum fuisse a Landranno ordinatum et consecratum. Ad- C fuit, anno 833, Landrannus celebri concilio, in quo subscripsit chartæ S. Aldrici, Senonensis episcopi, de translato Vallilias monasterio S. Remigii, ut legere licet inter Instrum. tomi XII, col. 5. Mox Landrannum, æstuante illa discordia quæ Cæsaream domum regnumque propemodum funditus evertit, videmus in conventu Dionysiano, prima die Martii 834, sedentem inter episcopos qui gladium et regiam dignitatem Ludovico restituerunt. Secutus deinde Ludovicum in Belgicos tractus euntem, adfuit, cum plusquam quadringentis utriusque Fran- D ciæ episcopis, conventui illi Theodonis villæ anno 835 habito, ubi de suo gradu dejecti sunt perduellionis rei præsules, scilicet Ebbo Remensis, Agobardus Lugdunensis et Bernardus Viennensis. Ecclesiæ Turonensi præfuisse fertur sive per quatuor, sive per quatuordecim annos et menses sex, in Chronico Turonensi et in Archiepiscoporum Chronico, non parum, ut palam est, discordantibus. Comprobatum autem est utrumque Chronicon a vero non parum declinasse.

ANNI CHRISTI 829 832 833 834 835 Concilia, edente Mansi, t. XIV, col. 660.

XLVI. Ursmarus.

E Landrannum jam senem, non metropolitanam abdicavisse dignitatem, sed curam et onus rerum administrandarum in Ursmarum libenter transtulisse, Joannes *Maan* opinatur, Sammarthanis assentiens dicentibus duos simul Turonensem cathedram episcopos tenuisse. Ursmari nempe et Landranni leguntur una subscriptiones, ad calcem præcepti quod ex archivo Sancti Albini Andegavensis edidit D. Moricius, in Prob. Hist. Brit., t. I,

279 : *S. Ursmarus, Turonicæ matris ec-iæ archiepiscopus; S. Lantrannus, Dei itia Turonensis ecclesiæ archiepiscopus, ic decreto subscripsi*. Sed chartarum doctis-nus indagator *Travers,* in tomo I Concilio-m Turonicæ provinciæ, p. 599, quæ manu-ripta servantur inter Alborum Mantello-um codices, notat, Turonensem canonicum ungens, subscriptiones duorum ejusdem edis episcoporum frequenter in antiquis ins-rumentis occurrere. Quod jam supra diximus in Didone. Unde colligeretur Landrannum II, in charta supra memorata, Ursmari ante-cedentis confirmavisse testimonium. Quæ-rumque est causa geminarum illarum in eodem diplomate subscriptionum, refellen-dus haud dubie Joannes *Maan,* qui ponti-ficatum Ursmari refert ad annum circiter 843, cum jam dudum, hoc ineunte anno, infulas Ursmarus gereret. Extat enim testamen-tum Aldrici, Cenomanensis ecclesiæ antis-titis, cui subscripserunt anno 837, calendis Aprilis, multi numero præsules et presbyteri, et, inter nomina episcoporum huic documento secundum morem affixa, occurrit : *Ursma-rus, indignus Turonicæ urbis archiepiscopus, huic testamento annuens subscripsi.*

Multa et valde gravia perpessus a Norman-nis qui, Rotomago jam occupato, in confines Neustriæ provincias, Britanniam scilicet et Turonensem pagum, turmatim defluxerant, his episcopalia invadentibus mœnia viriliter viam interclusit Ursmarus, concursu civium facto, et objecto corpore sancti Martini, ut satis prolixe refertur in Chronicis. Auxilio sed enim B. Martini plurimis civium clamo-ribus et cantibus sacris impetrato, cæsæ fuga-tæque sunt numero carentes grassatorum ca-tervæ. Grande prorsus in Turonum fastis eventum! Quem plures egisse synodos asserit Joannes *Maan,* et pace nostra narret ille, licet nullo teste, Ursmarum, anno 843, illi Lauriacensi synodo præfuisse, in qua sex condita sunt capitula de pace imperii, tam Normannorum incursionibus quam Britan-norum ducum factionibus turbati. Tantæ auc-toritatis acta, quæ paucos post annos in conci-lio Meldensi expensa solemniter probataque sunt, auspicem forsitan sibi vindicant pro-vinciæ metropolitanum. Adfuisse vero Urs-
843 marum constat, hoc anno 843, Germiniacensi concilio, in pago Aurelianensi, in quo præ-cipue de rebus monastici ordinis actum
844 est. Anno 844, nobile prædium suæ ditionis in Troillana parochia, Audacro, abbati Cor-maricensium, tradidit, acceptis in commu-tationem locis quibusdam Evenæ. Annum circa 845, dono dedit Ursmarus ecclesiæ sancti Martini mansellos duos in pago Turo-
Ch. xxvi, col. 13. nico, quos de Rotgario, præmia donationis atque traditionis, acquisiverat. Concilium Senonense, in quo subscripsit Ursmarus con-firmationi privilegiorum S. Remigii, coartum

A fuisse memorat Baluzius anno 845; illud vero ANNI CHRISTI
L. Acherius ad annum 852 rejicit. Baluzio favet J. Dominicus Mansi, Concilia, t. XIV, col. 976, quando sedit in hoc concilio Tricas-sinus Adalbertus, cui jam Prudentius ab anno 847 cognoscitur suffectus. Quam Baluzii chronologiam comprobat Ursmari non hacte-nus notata in Senonensi concilio præsentia; nempe sub annum 846 Ursmaro Landrannus II successit. Confirmans legitur Ursmarus hoc
anno 845 Gauslenum, abbatem Glannæ; ex 845
libro Miraculorum S. Mauri, cap. 6. Ex actis Sparnaci, juxta Matronam fluvium, anno
B 846, constat capitulorum seriem in hac villa conditorum, præsentibus Carolo rege, pro-ceribus et episcopis regni, collectam et congestam fuisse ex variis synodalibus do-cumentis, quæ secum attulerant ad regem archiepiscopi quinque maximæ apud Gallos auctoritatis, videlicet Wenilo Senonensis, Guntboldus Rotomagensis, Hincmarus Re-mensis, Amolo Lugdunensis et Ursmarus Tu-ronensis; et cum in prœmio regalis instru-menti legatur episcopos supradictos schedas Sparnacum allatas jam primum edidisse cum
suffraganeis suis, in synodis anno eodem 846 846
C celebratis, Ursmarum nostrum hoc anno sy-nodum habuisse, jussu regis, palam est. Quo vero loco suffraganeos suos ad hoc rite con-gregaverit, quosque vel quot una canones novos protulerint, plane est ignotum. Ad an-num forsitan 846 referendum est præceptum Lamberti comitis, cui simul subscripserunt Ursmarus et Landrannus, cum hoc circi-ter anno Lambertus regis in gratiam regres-sus, comitatum Andegavensem, pacatis Nan-netensium tumultibus, obtinuerit. Amicus fuit Ursmarus Lupo Ferrariensi, qui littera-rum valde, ut satis compertum est, studiosus,
D ad eum direxit nuntium, ut codicem char-taceum impetraret, in quo Severini Boetii in *Topica* Ciceronis commentarii legebantur. Verba sunt Lupi scribentis ad Ursmarum : « Supplicamus ut commentarios Boetii in « *Topica* Ciceronis, quos in chartacio codice, « sive, ut emendatius aliis dicendum videtur, « chartinacio, Amalricus in armario Sancti « Martini habet, obtentos ab eo nobis per « hunc quem ad hoc direximus nuntium di-« rigatis. » Inter Lupi litteras, quas Baluzius edidit, epist. 16. Refert Turonense Chroni-con Ursmarum anno episcopatus sui decimo
E obiisse.

XLVII. Landrannus II.

Landrannum jamdudum senio confectum contendit Joannes *Maan,* Ursmaro defuncto, pastoralem, quam dimiserat, curam aliquan-diu resumpsisse. Sed huic conjecturæ non suffragantur antiqui nomenclatores, apud quos duo memorantur episcopi Turonum eo-dem designati nomine, alter ante Ursma-

ANNI CHRISTI
rum, alter post eumdem. Quorum freti tes-
timonio dicemus, anno 846, Landrannum,
nomine secundum, sive Landratium, ut
ait auctor Narrationis, transtulisse solem-
niter in Majus Monasterium corpus S. Gor-
847 gonii. Convenit Parisios, anno 847, teste Flo-
doardo, cum Hincmaro et Wenilone, judex
datus Ebboni, qui, Lotharii ad nutum, Re-
mensem cathedram armatus invaserat. Lan-
drannum constat, anno circiter 849, illam,
quam sæpius prælo datam norunt omnes,
synodicam scripsisse epistolam, in qua No-
minoi, Britonum ducis, prave gesta non se-
gniter improbantur; apud Moricium, Prob.
Hist. Brit., t. I, col. 291. De tumultuariis hu-
jusce Nominoi facinoribus plura in episcopis
Dolensibus reperies. Nec minores tunc tem-
poris contentiones de dogmate fidei quam de
libertate pastorum, cum Gothescalcus mona-
chus, acerbis nimium et non sat maceratis ver-
bis, sententiam de prædestinatione gemina
veterem renovasset. Illum opprimere stu-
dens Hincmarus Landrannum collegam, nar-
rante *Maan*, vocavit ad Carisiacum villam,
ubi Carolus regium placitum habebat. Æger
vero Landrannus non pergere quo vocabatur
valuit, delegavitque suo nomine Gernobrium,
Redonensem episcopum. Sed hic incertis vera
miscet *Maan*. Turbavit enim et occiduas et
eoas ecclesiæ Gallicanæ partes Gothescalcus
tempore Landranni; sed nullo modo compertum habemus Landrannum adhuc viventem
ad villam Carisiacum accersitum, sive anno
Vindiciæ Prædestinationis et Gratiæ, p. 75. 849 ineunte, ut Manguino placet, sive desi-
nente, ut cæteri quidam referunt. Nobis so-
lummodo notum est Landrannum jam ali-
quanto ante mensem Junium 849 ad cœlestem
abiisse sedem, cum Amalricus sequens jam
occurrat in hoc mense.

XLVIII. Amalricus.

In manufirma quadam Rotberti comitis et
abbatis S. Martini, nec non in Audacri Cor-
Ch. XVI, col. 39 maricensis charta de Petrucio, legitur hunc
Amalricum scholam Martiniensem tenuisse,
antequam ad metropolitanam sedem evehe-
retur. Hujus et Martiniensis armarii memi-
nit Lupus, Ferrariensis abbas, in epistola ad
Ursmarum supra laudata. Et non parvam qui-
dem scholasticus doctrinæ laudem compara-
vit: illum enim Josephus sacerdos, libellum
conscribens de translatione Ragnoberti, Baio-
Gall. Christ. Nov. t. XI, col. 22. censis episcopi, se prædicavit magistrum ha-
buisse, et revera creditur infulas a populo
cleroque collatas eximie docenti (1). Occurrit
A Turonensium metropolita jam anno 849, ANNI CHRISTI
mense Junio, in Caroli regis præcepto quo
S. Florentii monachis traditur S. Joannes su- 849
pra Ligerim; Rer. Gallic. Script., t. VIII,
p. 501. Noscitur inde quam parva fides Chro-
nico Turonensi tribuenda sit, cum ordina-
tionem Amalrici referat ad annum Christi 863,
quem imperantis Ludovici primum declarat.
Ludovicus enim Lothario patri suffectus erat
ab anno 855, et in hoc anno dies episcopantis
Amalrici non primus effulsit, sed ultimus.

Hincmari Remensis causam et ipse non
segniter amplexus est. Cum enim clericos ab
B Ebbone ordinatos dejecisset Hincmarus, et de-
jectos ab eodem rursus promovisset, illi
quidem Carolum Calvum adierunt, illatam
non meritis clamantes injuriam. De qua re sy-
nodus consuluit Suessionensis, Aprili mense
853. Aderat huic synodo noster Amalricus, 853
illumque delegit Hincmarus judicem, cum
Wenilone Senonum et Pardulfo Laudunen-
sium episcopis : qui probaverunt ab Hinc-
maro peracta. Cumque Cenomanensis Al-
dricus gravi se diceret morbo impeditum ne
rebus ecclesiæ suæ satis provideret, Ceno-
manum a synodo missus est Amalricus, par- *Jacob. Sirmond. Caroli Calvi Capitula, p. 82*
C tes ægrotantis gessurus episcopi. Interfuit
Amalricus et conventui Vermeriensi, eodem
anno, VI cal. Septembris. Hujus nomen oc-
currit in quibuslibet missis ab hoc conven-
tu litteris. Edita est supra, t. II, Instr., col. *Ibid. p. 92, 96*
303, sententia, cui subscripsit, de Heri-
manno, Nivernensis urbis episcopo. Gra-
viora perpessus est Amalricus a Norman-
nis, qui Turonensem civitatem eo tempore
vastarunt, nec profanis, nec sacris parcentes.
Pars præcipua tandem fuit, anno, ut suspica-
mur, 855, concilii Bonigolensis, ad quod rur- 855
sus delata lis Anisolensium et episcopi Ce-
D nomanensis (1). In hoc anno vitam exuisse
videtur Amalricus.

(1) In schedis Baluzii legitur (arm. 3, fasc. 2, n. 2, pag. 44) :
« In Pancarta Nigra, fol. 84, adnotatum est Amalricum, qui
« fuerat magister scholæ S. Martini, fuisse episcopum tempore
« Roberti abbatis. Gauzvinus erat tum decanus. Itaque
« oportet tempora episcopatus Amalrici referre ad regnum
« Odonis; nam tunc Robertus, frater Odonis regis, erat abbas,
« et Gauzvinus decanus. Ergo Amalricus iste non fuit ar-
« chiepiscopus Turonensis, quippe archiepiscopus Turo-
« nensis ipsius nominis sedit ante Herardum. Herardus au-
« tem sedit anno 858. » Errorem Baluzii paucis refellere satis
est verbis. Occurrit quidem Amalricus, sicut diximus, in
charta Roberti, fratris Odonis, Gauzvino decanante : non
autem ad hoc tempus superstes inter vivos Amalricus ibi
memoratur, cum jam diu mortalem exuisset sarcinam.
In hac charta sed enim agitur de beneficio quod tenuerant
Martiniensi scholæ præfecti, *a tempore Amalrici quondam qui-
dem magistri et postmodum episcopi*. Robertus et Gauzvinus
apud Martinienses insimul florebant anno 894, et in Audacri
diplomate de Petrucio, anno 856 dato, noster Amalricus,
recens e numero vivorum deturbatus, dicitur *olim venera-
E bilis præsul*. Hunc in errorem non forsitan delapsus esset Ba-
luzius, si Martinienses scholas regentem Amalricum notavis-
set sub Adalardo abbate, anno scilicet 840.

(1) De concilii Bonigolensis anno paucis disserere operæ
pretium est. Depromitur ex ipsius concilii litteris, quas Marte-
nius edidit, rem Anisolensium enodatam fuisse anno Christi
855, Caroli regnantis XVI, indict. I, VIII cal. Septembris.
Annus Caroli Calvi sexdecimus incœpit a Junio mense 855 :
tunc autem currebat indictionis annus tertius. Non quadrant
igitur chronicæ notæ, quæ leguntur in editione Marteniana.
Quamobrem autumavit J. D. *Mansi* (Concil. t. XV, col. 26).
Bonigolense concilium ad annum 853 retrahendum. Cui non
tamen suffragamur. Coactum est Vermeriense concilium VI
cal. Sept. 853 : dubium unde primum movetur de Bonigolensis
in eumdem annum eumdemque mensem concursu ; nulli sed

ANNI CHRISTI

XLIX. Herardus.

Cujus in vicem electus est et ordinatus He-
rardus, sive Ayrardus, anno 855, aut 856,
ut compertum habemus e statutis synoda-
858 libus ab eo datis mense Maio 858, anno or-
Ch. xxxii, col. 39. Hist. Litter. Galliæ t. v, p. 393. dinationis ejus tertio. Hæc sunt capitula,
numero centum et quadraginta, quæ redegit
in compendium domnus Rivetius et summo-
pere laudavit. In magna rerum Turonica-
rum colluvione, quum nihil intactum Nor-
manni desævientes undique reliquissent, fa-
tiscentem Herardus reparavit ecclesiam et in
meliorem statum composuit, morum cleri
studiosus indagator. Lustrationem deinde
totius agens diœcesis, devenit ad Villelupen-
sem abbatiam, cujus ecclesiam XIV calendas
859 Junii 859 dedicavit, ad precem abbatis Anda-
Ch. xxxiii, col. 47. chri, jussitque Villelupenses monachos Cor-
maricensibus se præstare obnoxios. Illi tunc
temporis motem detrectans Festinianus, epis-
copus Dolensis, pallium a Nicolao papa po-
poscit. Quod negavit Nicolaus, Herardoque
mandavit ut legatum ad se mitteret Turonen-
sis ecclesiæ jura propugnaturum, si forte ju-
dicii solemnis adire pericula Dolensis auderet.
Hæc e Nicolai papæ litteris ad Festinianum.
Herardus, eodem anno, dotes satis amplas
attribuit ecclesiæ Troianæ, antiquitus jam
ædificatæ; e chartis ab *Housseau* collectis,
t. I. Adfuit, mense Junio, concilio Tullensi,
Saponariis celebrato, in quo præsertim ac-
tum est de compescenda Salomonis Britonis
protervia, et conculcanda Wenilonis, sive
Guanelonis, Senonensis episcopi, famosa
perduellione. Herardus quidem, ut consilio
valens et rerum judicandarum peritus, da-
tus fuit Weniloni judex et sententiam tulit
de proditionis convicto, ut supra dictum
est, t. XII, col. 23. Nec tamen, ad illum jam
damnatum et qui vadimonium deseruerat
missus, a concilio munus hoc quam pruden-
tissimo viro delegatum adimplere valuit, sed,
infirmitate quadam laborans, Roberto Ceno-
manensi provinciam hanc dedit, et ea de re
commonitorium dedit jam sæpe in lucem edi-
tum e codice S. Petri Redonensis. Hactenus
de Wenilone. Non segnius quidem se gessit
Herardus in causa Salomonis et episcoporum
Britannici tractus, a Turonensis metropolitæ
obedientia semet subducentium. Quorum
contumaciam concilium vel acerrimis ne-

A quaquam fregit commonitionibus. Sedit He-
rardus et in concilio Turiaco, anno se-
quenti, ibique confirmavit possessiones et jura
S. Martini Turonensis, cum jam donationum
chartas canonici producere nequirent a
Normannis dissipatas. Adfuit et anno 862 862
concilio Pistensi, subscripsitque confirmatis *Conc. Labbei t. VIII, p. 759.*
monachorum S. Dionysii, nec non S. Carilefi,
privilegiis. Inter illum et Nicolaum papam I
perquam frequens epistolarum commercium.
Quem delegavit papa, ut reconciliaret Ro-
bertum Cenomanensem et monachos S. Ca-
rilefi magnum inter se moventes dissidium.
B Idem et a Roberto judex electus, una cum Do-
done Andegavensi. Vicere monachi, et lon-
gævam tandem sopivit litem Vermeriense
concilium, anno 863, cujus pars Herardus
magna fuit. Sedebat, anno 866, in concilio 866
Suessionensi tertio, ad quod de novo delata
fuit res Salomonis in ecclesiam Armorica-
nam impigre desævientis. Extat Herardi ad
idem concilium præclara adnuntiatio de re-
gina, Caroli Calvi uxore, ab episcopis bene-
dicenda. Nicolaus etiam papa concilio præce- *Ibidem, col. 830.*
perat uti clericos Remenses ab Hincmaro
deturbatos legitimo reconciliaret pastori. In
C qua causa plurimum insudavit Herardus,
æque se fidum domino papæ et amicum
Hincmaro nimis æstuanti præbere gestiens.
Subscripsit et quibusdam litteris ab eodem
concilio datis, ad preces Bernardi, Solemnia-
censis abbatis. Mox ad suos redux, tertio ca-
lendas Octobris, Electrannum ordinavit Re-
donensem episcopum, assistentibus Roberto *D. Moricius, Prob. Hist. Brit. t. I, col. 323.*
Cenomanensi et Actardo Nannetensi. Ad
hunc annum forsitan referenda quæ narran-
tur de jurgiis Herardi Turonensis et Roberti
Cenomanensis. Deveniens Cenomanum ar-
chipræsul, episcopali domo, quin imo ca-
D thedrali prohibitus est ecclesia, plurimis-
que lacessitus injuriis a Roberto præsule,
cujus mores fastumque censura notaverat.
Unde tam ad Nicolaum papam, quam ad
Carolum regem, Herardi litteræ. De qua re
fusius infra, in Cenomanensibus episcopis.
Anno 867, Herardus et quicumque Suessio- 867
nem convenerant præsules Trecis aliud ege-
runt concilium de causa clericorum ab Eb-
bone ordinatorum, et ad papam litteras
miserunt illis nequaquam faventes. Subscrip-
sit Herardus et in eodem conventu Ebbo-
nis privilegio de Magniaco, quod antecessores
E edidere nostri, tom. XII, Instrum., col. 306.
Anno sequente, VIII idus Martii, litteras ac-
cepit Adriani papæ, quibus, Actardi Nanne-
tensis amicus, et exulem fovens, monebatur
ut omnibus rebus egentem monasterio cui-
dam Turonensis agri præficeret; apud Mori-
cium, Prob. Hist. Brit., t. I, col. 324. Quo
eodem anno, Carisiacum rursus adibat He-
rardus, testimonium daturus de doctrina et
moribus Wiliberti, Turonensis sacerdotis,
quem Catalaunenses exoptabant episcopum.

enim verisimile videbitur eosdem patres Bonoili, juxta Versalias, sedentes 25 Augusti, transvectos fuisse Vermeriam, in diœcesi Suessionensi, trium intra dierum metam. Adnotandum præterea quod Vermeriensi adfuerant Hubertus Meldensis episcopus et Ansegaudus Abricensis, quorum sedem tenent in Bonigolensi Hildegarius et Remedius: palam ergo fit Vermeriense et Bonigolense concilia non idem circa temporis punctum habita. Communem et tutiorem sequentes viam, antecessores nostri Bonigolensem conventum anno 855 sæpius adscripsere. Manifeste vero erraverunt, tomo XII, col. 22, eumdem conventum ad annum 856 ducentes. Amalrico sed enim, qui primas in eo tenuit, jam suffectus erat Herardus, ut infra videbitur, ante Maium mensem 856

ANNI CHRISTI 869

Gall. Christ. t. x, col. 159, instr.

Testis erat, anno 869, concessorum prædiorum monasterio S. Petri Vivi ab Egilo, Senonensium archiepiscopo. Eodem anno, Vermeriam tendebat, Hincmarum Laudunensem auditurus; et, cum Ludovicus, rex Germaniæ, Bertulfum ad Trevirensem cathedram legitimis evectum suffragiis repelleret, oravit regem, cum Hincmaro Remensi et Remigio Lugdunensi, ne ultra plebis clerique votis resisteret. Decessit Herardus, teste *Maan*, calendis Julii 871, non mediocria tradens posteris doctrinæ suæ monumenta. Obeuntis meminit calendarium S. Mauricii Andegavensis, pridie calendas Julii, sine ulla vero anni mentione. Herardum Lupus Ferrariensis familiarem habuit, et ad eum scripsit epistolam, quæ recensetur inter editas Lupi Epistolas sub numero 118. Herardus ipse, humaniorum litterarum non ignarus, vitam condidit S. Chrodegangi, episcopi Sagiensis, de qua consule Hist. Galliæ Litter. t. V, p. 395.

L. Actardus.

Actardum Nannetenses episcopum primi cognoverunt, laudaruntque audacem ecclesiasticæ libertatis assertorem. Quot opprobria, quot et quanta damna sit expertus, Nannetensis dum curam gereret ecclesiæ, sequentes docebunt paginæ. Nunc de Turonensi archipræsule tantummodo res erit. E Nannetensi depulsus cathedra sedebat Actardus, anno 871, in Duziacensi concilio, sub hoc nomine: *provinciæ Turonensis episcopus*. Quem in aliqua sede cum incardinari jussisset Adrianus papa, ad hunc, Herardi morte cognita, protinus scripserunt congregati patres: « Venerabilem fratrem et coepiscopum nostrum « Actardum, quem clerus et plebs metropolis « ecclesiæ Turonensis, in eadem ecclesia « baptizatum, tonsum et nutritum, per singulos gradus ad ordinem episcopatus pro- « vectum sibi incardinari deposcit..., auctoritati vestræ remittimus, quatenus illum in « præfata metropoli, eo, si vobis placet, tenore « archiepiscopum incardinetis. Quem licet, « juxta Antiochenos canones, perfecto concilio, atque secundum apostolicas vestras « litteras, vacanti ecclesiæ incardinare possemus, quia tamen Turonensis ecclesia ex « antiquo metropolis et B. Martini meritis « famosissima et honorabilis semper extitit, « et præfatus frater noster Actardus venerabilis episcopus genio pallii a benignitate « vestra est honoratus, rationabilius vidimus « ut, petitione cleri ac plebis ipsius ecclesiæ, « et consensu nostræ unanimitatis, ac favore « domini nostri Caroli regis gloriosi, ac vestra « auctoritate eidem incardinetur ecclesiæ. » Hactenus epistola synodalis episcoporum Duziaci sedentium, data VIII idus Septembris 871. Unde palam est Herardo defuncto suffectum Actardum a clero populoque, probante rege, priusquam de ejus incardinatione quæstionem moverent congregati patres. Quod plane concordat cum Flodoardi testimonio, verba referentis quæ missi Turonenses ad Hincmarum tulerunt, elapsis aliquot diebus post Herardi decessum. Soluta Duziacensi synodo, legatus episcoporum et Caroli regis Romam Actardus ivit, ab Adriano papa postulaturus confirmationem sententiæ qua synodus Hincmarum Laudunensem, Remensis nepotem, dejecerat e sede. Adrianus nequaquam comprobavit gesta contra Laudunensem episcopum : sed incardinavit protinus Actardum, et ea scripsit ad episcopos Duziacenses : « Sicut synodus nuper « expostulavit, plebs et Turonicus clerus « eum concorditer elegit, per nostræ auctori- « tatis decretum constituimus cardinalem « metropolitanum, et archiepiscopum Turo- « nicæ ecclesiæ atque provinciæ. » Quæ sunt inusitata plane, sicut omnes notant, ad hoc tempus verba. Nec minus insolito statuit Adrianus decreto, ut si Nannetensis ecclesia ad priorem statum rediret, in ipsam, legitimam quasi sponsam, episcopale jus exerceret Actardus. Adriani datæ sunt litteræ 25 Decembris 871 ; quas edidit integras J. D. Mansi, Concil., t. XV, p. 852. De quo translationis modo legendus Hincmarus Remensis, id acriter impugnans. At vero Turonensem in cathedram vixdum sublimatus Actardus, sibi reservatam abdicavit ecclesiam, decanumque Nannetensis ecclesiæ Ermengarium protinus episcopum consecravit Nannetensem. Præfuit ipse Turonibus per annos fere tres. Hunc anno 873 defunctum memorat chronographus Turonensis : ad annum vero 874 Sammarthani vitam ejus proferunt.

Mansi Concilia, t. xvi, p. 672.

Ragenelmum Actardo succedentem æque referunt Sammarthani fratres et Joannes *Maan ;* qui scilicet anno, ut aiunt, 876, interfuit synodo Pontigonensi. Illos autem mirum in modum hallucinantes dispungamus. Nulla hujusce Ragenelmi mentio reperitur sive apud veteres nomenclatores, sive in Chronico Turonensi. Ragenelmum quidem in Pontigonensi concilio deprehendimus sedentem, sed Tornacensem, non Turonensem episcopum. De quo supra, in episcopis Tornacensibus, vel Noviomensibus, t. IX, col. 988. Hæc ad præsens sufficiant.

Mansi, Concilia t. xvii, p. 313.

LI. Adalardus.

Adalardus, qui et Adalandus, Aladaldus Adaboldus, Adalandus et Aulandus dicitur, ut præcipuas tantum memoremus corrupti nominis lectiones, Aureliæ natus perhibetur, e parentibus Ambasiensis castri dominis. Adelardi neptis Aalix, sive Adalinda, conjux data Ingelgerio juveni, quem Ludovicus Balbus, Caroli Calvi filius, vice-comitem constituit Aurelianensem, e Chronico Turonensi.

Andegavensis episcopi germanum memorant Adalardum. Quibusdam alius est ille Raino ac Berno, episcotianensis: sed personarum discrimen et e charta Roberti de restauratione i. Clementis, apud Martinienses, cui serunt insimul, cum Herberno Tu-, Andegavensis Raino et Berno Aureis. Aderat Adalardus, anno 875, Caensi concilio. Testis occurrit adlectus, 876, ab Hugone, S. Aniani abbate, dum clericum a vinculo servitutis abite et instituente civem Romanum (1). s domicirus Ludovici regis, anno 878, . Junii, tradebat Martiniensibus quemtractum juxta Casellas, et, eodem anno, rmationi privilegiorum abbatiæ Trenornsis subscribebat. Aderat, mense Augusto, cilio Tricassino, quod coegerat Joannes a VIII. Is quidem non segniter Adalardo t Dolensis episcopi contumaciam premere denti. Occisis ultimis Britanniæ regibus, n Carolus Calvus Armoricam suo sub jure episset integram, tempus idoneum putaAdalardus ad jura suæ sedis repetenda, ea de re dominum papam admonuit. Scrisit ad Mahenen Dolensem Joannes et ad æteros Britonum episcopos, illos de schimatica carpens defectione. Nec minus tamen rrita fuit summi pontificis admonitio quam metropolitæ querela. Inauditus etiam papa minitans excommunicationem, ut qui sæpius fulgurantis gladii strepitum jam per auras edidisset. Ad finem deveniente prædicto Tricassino concilio, Joannes confirmavit privilegia Turonensis ecclesiæ. Adalardus et ipse primo amicissimum, mox infensum Leonem expertus est. Quod comperimus ex epistola Leonis ad Hugonem abbatem, data v cal. Septembris 882, qua monet illum ne veniat in consortium Formosi anathematisati, Joannis Rotomagensis, Adalardi Turonensis et Frotarii Bituricensis. Eodem anathemate quo Formosus Adalardum perculsum fuisse *Chalmel* autumat, sed nullo teste. Formosus quidem e sua sede fuit dejectus: Adalardus vero Frotariusque annum ultra 882 gregem quisque suum regentes occurrunt. Subscribebat
886 Adalardus, anno 886, Odonis chartæ, Martiniensium abbatis, de villis Italicis quas ille e mensa decerpebat abbatiali canonicis S. Martini restituendas; apud Martenium, Anecd., t. IV, col. 65. Eodem anno, occurrit accipiens a Carolo Crasso, IV cal. Novembris, confirmationem jurium ad ecclesiam S. Mauricii spectantium. Narratur anno 887, die 13 Decembris, redditum Turonis corpus S. Martini. Autissiodorenses has sanctissimi confessoris exuvias jam ab annis triginta servabant, quas non semel petitas distulerant quin restituerent. A precibus ad convicia, a conviciis ad vim apertam ventum est. Congregatis enim sex millibus tum equitum, tum peditum, Ingelgerius comes Autissiodorum tetendit, sublatumque corpus B. Martini devexit Turones. Jusserat Adalardus votis precibusque, nec non jejuniis, felicem expeditionis exitum a Deo posci: redeuntes solemniter excepit sancti viri reliquias. Hanc S. Martini reversionem ad annum 912, sequentes Albericum Trium Fontium, quidam trahunt; qui non omnino despiciendis sententiam suam rationibus fulcire conantur. Rejicienda tamen, cum pluribus et tutioribus adversetur testimoniis, ut Pagius et postea J. D. Mansi notavere; Concil. t. XVIII, p. 59. « Nec multo post » peractam S. Martini reversionem obiit Adalardus, inquit auctor Chronici Turonensis, anno episcopatus septimo decimo; Christi scilicet 889, vel 890. Dormitabat ergo Joannes *Maan*, cum ejus decessum anno 878 collocaret. Celebrabatur hujus anniversarium in ecclesia S. Martini XIV cal. Junii; e martyrologio, quod Baluzius compilavit. Dies idem legitur in calendario S. Mauricii Andegavensis, ex ejusdem Baluzii schedis.

Ch. XXXVI col. 51.

LII. Herbernus.

Herbernus, qui ab aliis Hebernus, Herbenus, Herbuinus, Ebrenus, Urbinus, nec non et Herbertus vocatur, in vicem Adalardi defuncti a populo cleroque adlectus est. Alterius et ipse fuit frater Adalardi, ignotæ sedis episcopi, quem Martiniensem episcopum Monsnerius dixit. Legimus enim chartam, anno 897 ab utroque datam, in qua condonant ambo canonicis Martiniensibus prædia quædam sua in pago Dunensi; et hæc sunt hujus instrumenti prima verba: *Nos in « Dei nomine sanctæ Turonicæ sedis Erber- « nus humilis archiepiscopus, nec non et « germanus noster Adalaldus et idem epi- « scopus,* tractantes quotidie modum fragili- « tatis humanæ, et pertimescentes admodum « molem nostræ nequitiæ, paventesque ultimi « examinis tremendum omnibus diem.., offe- « rimus et perpetuo condonamus, etc., etc. » Quod quære diploma inter schedas domni *Housseau*, t. I. Herbernum Majore Monasterio dicunt eductum, cui præerat abbas, ut quosdam juvat; prior, e cæterorum sententia. Hujus de electione sic Turonense Chronicon: « Quo (Adalardo) defuncto, In- « gelgerius comes Andegavensis et Fulco Ru-

(1) Erravere, nec leviter, antecessores nostri, cum seriem abbatum S. Aniani condentes, Hugonem hunc, ad fidem chartæ de Reginaldo manumisso, coævum dixerunt Caroli Crassi. Illa sed enim charta legitur data « III nonas Decembris, anno I regni Caroli imperatoris; » et imperator ille Carolus, ne quæ supersit erroris occasio, in eodem præcepto dicitur Ludovici semper Augusti proles. Quæ verba non alium declarant quam Carolum Calvum, Romæ salutatum imperatorem die 25 Decembris 875. Benedictinos non redarguit, sed ab eis tamen prudenter declinavit *de Brequigny*, in Indice Diplomatum Chronologico.

ANNI CHRISTI « fus, filius ejus, nec non Turoniæ et Ande- A
« gaviæ proceres universi Turonis veniunt,
« cleroque et populo de substituendo sibi
« pontifice diligenter tractanti humiliter
« supplicant et devote, ut sanctum senem
« Herbernum, abbatem Majoris Monasterii,
« in patrem et patronum reciperent...; qui,
« rationabilibus votis eorum protinus an-
« nuentes, eum in Turonensem archiepisco-
« pum consecrarunt. » Quæcumque cæterum
tribuenda sit huic sermoni fides, rei nulla
pars certe fuit Ingelgerius, cum ille non ad
hoc tempus superstes, et non senex admodum
Herbernus quando ad Turonensem sedem B
fuit adlectus, ut e diuturno patet ejus epi-
scopatu. Quo fuit electus anno certum habe-
890 mus. Sedit ab anno 890, ut infra notabimus,
concordantibus, quod rarissimum est, char-
891 tis et chronicis. Et quidem, anno 891, archi-
episcopalibus ornatus infulis, aderat Mag-
dunensi concilio et subscribebat privilegiis
Mans., Concil., tom. XVIII, p. 120. monachis B. Petri Vivi concessis. Testis
idem, idibus Septembris 900, anno post
900 obitum Odonis tertio, in Roberti comitis
præcepto de restauratione cellulæ S. Clemen-
tis; inter Baluzii schedas, arm. 3, fasc. 2,
908 num. 2. Magna exorta est, anno 908, inter Mar- C
tinienses et Herbernum controversia. Cum
enim ille per legatos Rotbertum ducem, tunc
apud Aurelianos degentem, supplex adiisset,
petens ut Majus Monasterium, in canonicorum
manus delapsum, sibi traderetur, ejus votis
Rotbertus annuit. Quamobrem protinus ex-
arserunt animi canonicorum, sese nemini
unquam subjectos, nisi regi aut abbati suo,
conclamantium. Re delata rursus ad Rotber-
tum, ille non aliter tantum potuit sedare
motum, quam canonicis integram restituendo
libertatem, sive proprii jus dominii. Cujus
restitutionis instrumento subscripsit Her- D
bernus ipse, semet, ut legitur, exinde casti-
gans. Illius episcopatum ducit Turonense
Chronicon ad annum 915; domnus vero Ri-
Hist. Litt. t. VI, p. 157. vetius illum anno 912 suspicatur defunctum.
Tam docti viri pace, notabimus obeuntis Her-
berni diem designatum die synodi Turonibus
anno 925 congregatæ, cum dicatur tunc tem-
poris Rotbertus ab annis octo infulas adeptus,
cumque Rotbertum inter et Herbernum non
sedem vacavisse memoretur. Præterea legitur
in Archiepiscoporum Chronico hunc sedisse
per annos septem et viginti, nec non quatuor
menses. Decessit igitur Herbernus ultra me- E
dium annum 916. Anniversarium hujus cele-
bratum a Martiniensibus XVI cal. Decembris:
occurrit autem 30 Octobris, in Martyro-
logio Gallicano. Adscribunt Herberno pleri-
que Tractatum de Reversione S. Martini,
editum in Biblioth. Cluniac. Nec Herberno
tribuendus, nec Odoni, cujus etiam nomen
exhibent nonnulli codices, sed cuidam mi-
noris notæ.

LIII. Rotbertus I.

Constat hunc Rotbertum anno 917 fuisse 917
pastorali pedo honestatum, e notitia quadam
Rainaldi presbyteri, quæ his incipit verbis:
« Notitia manifestatæ rei, qualiter veniens
« quidam presbyter, nomine Rainaldus, in
« advocationem filii sui Rainonis, ante do-
« minum Rotbertum, Turonicæ sedis ve-
« nerabilem archiepiscopum, in conventu
« synodico anno Incarnationis Dom. DCCCC
« XXV, episcopatus ejusdem domini archie-
« piscopi anno IX, proclamans... etc., etc. »
Adjice quod hujus notitiæ charta, cui no-
ster subscripsit Rotbertus, data legitur anno
tertio Radulfi regis (1). Basilicam S. Mar-
tini, dirutam a Normannis, consecravit Ro-
bertus tertio idus Martii, anno 920. No- 920
tatur quod in hujus consecrationis solemni
die, clarus inter Cluniacenses abbas Odo,
qui tunc in abbatia S. Martini præcento-
ris partes agebat, concionem illam habuit
quam inter illius opera reperies. Aderat et
Fulco Rufus, comes Andegaviæ. Trucida-
tus est Rotbertus a latronibus Alpinis, cum
Roma rediret, anno 929, teste Flodoardo. Il- *Rer. Gallic. Script. t. VIII, p. 187.*
lius vero mortem trahit Turonense Chronicon
ad annum Ludovici Transmarini primum,
Christi 936. Testes inter illos neutiquam pa-
cem agit Chronicon Archiepiscoporum, quod
scilicet annos tres et viginti Rotberto tribuit
episcopanti; unde sub annum 940 promo-
vendus esset hujus e vita decessus. Utriusque
chronici demonstratur error in sequente.

LIV. Theotolo.

De quo sic Ademarus Lemovicensis in
Chronico: « Eo tempore, adhuc vivente Tur-
« pione, episcopo Lemovicensi, Odo et Theo-
« tolo, canonici S. Martini illustrissimi,
« adimplentes evangelicum præceptum, de-
« relictis omnibus, pauperes pauperem
« Christum secuti sunt. Unde postea, Dei
« nutu, Odo abbas præfuit sanctissimus,
« Theotolo, jubente abbate suo, archiepi-
« scopus consecratus est Turonis. » Quæ fuit
apud Cluniacenses Odonis auctoritas omni-
bus plane notum. Hujus laude monumenta
quælibet hujus ætatis quasi circumsonant.
Odonis mores, Odonis doctrinam nullus
inter Benedictinæ militiæ tyrones qui non
consequi toto corde studuerit. Impar qui-
dem fuit nostri Theotolonis fama: ille ta-
men inter præcipuos ecclesiæ Turonensis an-
tistites non humiliorem tenet locum. Natus
Turonibus, parentes habuerat tam genere
nobiles quam potentes opibus. Sed cum

(1) Conventus ille synodicus non episcoporum fuit suffraganeorum, sed tantummodo curionum. Res agebatur inter Rainaldum et Geoffridum, presbyteros, de decimis Faiæ Vinosæ. Geoffridus non recusavit ferri calentis probationem, et in hac causa vicit. Videsis Rer. Gallic. Script., t. IX, p. 324.

ANNI CHRISTI

vox quæ ex intimis audiltur præcordiis illum ad amplectendam canonicorum professionem impelleret, ad ostium S. Martini sacrum non retinens accessit. Testis est Ademarus Lemovicensis supra laudatus Theotolonem a canonicis ad monachos transiisse et Cluniaci professionem egisse monachicam. Cui fidem negavit Baluzius, neutiquam verisimile reputans Theotolonem adeo instabilis animi fuisse, ut intra paucorum annorum spatium toties vestem mutaverit. Consule schedas Baluzianas, arm. 3, fasc. 2, num. 2, pag. 81. Occurrit primum S. Martini sacerdos nuncupatus, anno 903, in notitia de pacto cum Guichardo diacono; mox, anno scilicet 905, S. Martini præcentor in charta de oblatis monasterio bonis a Gausvino decano. Post Adalelmum, anno 909, dicebatur S. Martini decanus, et eo munere fungentem illum tabulæ Martinienses exhibent ad annum 927, quo subscripsit chartæ Rotberti archipræsulis tradentis Arduino cuidam diacono, sub institutione census, jugera duo de rebus S. Vincentii. Decanum exuisset, e Chronico Turonensi, ut monachum indueret. Hæc enim sunt anonymi verba chronographi : « Nec « mora, Theotolo, decanus ecclesiæ B. Martini Turonensis, sub Odone abbate Cluniacum intrat cœnobium, ea quæ sunt « mundi relinquens. » Hallucinabatur vero, ut pote qui non satis caute legerat Ademarum Lemovicensem, Turonensium annalium scriptor, cum sub annum Caroli regis septimum et vicesimum, Christi videlicet 920, transitum Theotolonis ad monachos Cluniacenses referret. Hunc enim ad annum saltem 927 decaniam Martiniensem retinuisse diximus. Infulas vero Turonenses quo susceperit anno melioris auctores notæ reliquerunt incertum. Si fides esset auctori breviorum Chronicorum, quæ sub numero 4955 codices inter Regios asservantur, non ante annum 941 Theotolo ad archiepiscopatum Turonensem promotus fuisset. Errorem adeo manifestum refellere operæ quidem pretium non est. Illum asserit *Maan* metropolitanæ ecclesiæ cathedram anno 937 adiisse. Quod verius est, sed non plane verum. Episcopale Theotolonis in medium antecessores nostri produxerunt instrumentum, quod annum 936 præ se fert, et nomen Radulfi regis hoc anno decedentis : in quo scilicet legitur Theotolonem episcopum ecclesiam S. Maxentii, in vicaria Raciacensi, vice Frotherii, Pictaviensis episcopi, dedicavisse. Consule hujus dedicationis diploma, tom. II, Instrum., col. 328. Notus præterea Flodoardi locus in Chronico, narrantis, ad annum 933, antistitem Remorum Artaldum una cum Teutolone, sive Theotolone, Turonensi, synodo præsedisse, qua consecratus fuit Hildegarius Bellovacensis episcopus. Quod supra, Flodoardo teste, memoratur, tom. IX, col. 703. Ea de re tandem deperditis, ut videtur, innitens documentis, Baluzius notavit Theotolonem anno jam 931 pedo pastorali donatum; e Baluzii schedis, arm. 3, fasc. 2, num. 2, p. 80.

Andr. Salmon, Collect. Chronic. Tur., p. 109.

Sed hæc de promotionis incerto die sufficiant. An 939, ecclesiam S. Maximi, quam 939
eo usque Turonenses archidiaconi, quasi sub suo jure positam, expostulationibus et molestiis quam plurimis lacessiverant, ab omni synodi vel circadæ redhibitione liberam fecit. In primis autem habuit curis restaurationem S. Juliani, in suburbio Turonicæ urbis, a Normannis funditus evulsi. Quod anno jam 939 fere construxerat ex integro, 939
pristinum, juxta legem S. Benedicti, vitæ claustralis ordinem restituens, ut constat ex hujus anni charta, mense Maio, qua, Rotberti fidelis ad precem, Hugo comes et Francorum dux S. Juliano, sub annuo censu, capellam in villa Cancellis, cum omnibus adjacentibus rebus, concedit; apud Rer. Gallic. Script., t. IX, p. 722. Idem præbet aliud in aliquo suspectum diploma, datum XI cal. Aprilis 941, in quo Nefingus, S. Martini decanus, 941
præbendam unam confert monasterio S. Juliani, ad precem Theotolonis episcopi; apud Mabill., Annal., t. III, p. 710. Sic tandem, eodem anno, mansio una, in villa Florentiaco sita, et prædia non nulla, e ratione S. Vincentii distracta, ad preces Arduini diaconi (1), ad idem S. Juliani monasterium, providente Theotolone, collata sunt. Tunc erat ille noster Theotolo Parisiis, ubi subscribebat, VII idus Januarii, præcepto comitis Hugonis super restitutione bonorum omnium S. Martini, de S. Juliano suo fortassis regem aut Hugonem sollicitans; vide supra, t. VII, col. 41. A rege Ludovico, anno 943, 943
villam Ciconiacum, in pago Turonico, cum capella in honore B. Mariæ, insimul et Grusciacum, Ulmos et Montiniacum villas, et villam Valerias et alias capellas et alia loca, cum mancipiis utriusque sexus in his commorantibus, obtinuit. Quæ diligentia Theotolonis, in nihil aliud magis intenti, ad S. Juliani cœnobium omnia confluebant. Odonem sperabat quam maximo visurum gaudio tanti sudoris opus. Illum igitur precibus accivit. Qui, non diu cunctatus, venit Turones : sed statim appulsus, occubuit. Sepultum fuit hujus corpus, fractum tot vigiliis, tot virtutibus sacrum, in basilica S. Juliani, sub majori altari. Inde crevit etiam Theotolonis in has ædes pietas. Bonis quibus eas jam ditaverat mox adjecit res omnes suas, nec non res sororis suæ Gersindis, et cætera quæcumque ex successione avunculorum Hieronymi, Sigeberti, Otgerii atque Raubaldi, sibi et sorori obvenerant : et, paulo post, e ratione matris ecclesiæ, cellulam S. Christo-

(1) Hujusce donationis non concordant chronicæ notæ. Certiorem opinamur annum Ludovicis regis quintum, Februario mense, quam annum Christi 942.

ANNI CHRISTI

phori, sitam in villa Bridada, cum prædio quodam adjacente; insuper et capellam dicatam S. Saturnino, quam, in suburbio Turonicæ civitatis, eatenus sub jure suo tenuerant metropolitani præsules. Et cum exorirentur quotidie jurgia quædam de mensura rerum S. Juliani, non certis, ut apparet, limitibus signatarum, illas tractatu determinavit peculiari, qui nobis ad annum 947 referendus videtur. Hujus instrumenti memorandæ sunt chronicæ notæ : « Acta sunt hæc, Turonis, « anno ab Incarnat. Dom. 933, indict. v, re- « gnante Ludovico rege duodecimo. » Quæ non inter se concordant. Annus quidem indictionis quintus vel 932, vel 947. Annus vero 947 revera duodecimus a Ludovico regnante : unde palam est non jam ab anno 932 Ludovicum Franciæ regnum sortitum fuisse. Manifestus ergo jam fit error Sammarthanorum, qui prædictum ediderunt diploma sub annum 933. Eadem et alio modo menda refellitur, cum inter testes Theotolonis occurrat Osbertus, S. Mauricii decanus; hic enim, ut infra videbitur, non ad decanatum promotus est annum ante 945. Hoc anno præterea
947 947, Ludovici regis scilicet duodecimo, Theotolo S. Juliano tradebat, ad farinaria componenda et extruendos aggeres, vineas quasdam, alveum juxta Ligeris sitas; e Baluzii schedis.

Theotolonem præcipue S. Juliani sedulum diximus. Nec tamen negligens rerum quæ spectabant ad alia Turonensis ecclesiæ monasteria, monachis S. Maximi Cainonensis contulerat, anno 943, vectigalia plura et prædia, quos et synodalibus eximens juribus, e Joanne *Maan*. Beneficum et aliæ domus expertæ sunt. Hujus præterea nomen præbent duæ de rebus S. Lupi chartæ, quas primus prælo dedit D. Andreas *Salmon*, in *Bibl.* Scholæ Chart., t. I, p. 445, 448. In priori quidem confirmat Theotolo traditam sub lege census, a Dodaldo archidiacono, terram ad S. Lupum pertinentem, anno Ludovici decimo, Julio mense, Christi scilicet 945. Posterior eumdem exhibet stabilientem concessa quædam Bernario ab Hildegarde, S. Lupi abbatissa, mense Augusto, anno Ludovici duodecimo, Christi 947. Annum quidem D. *Salmon* proponit 941, Ludovici Transmarini regnum ordiens ab anno Caroli morientis. Sed obstat testimonium infra scriptum Otberti decani, cum ab anno 939 ad annum 945 Badilo decaniam, e plurimis chartis, tenuerit, Otbertus autem ab anno 945 ad annum saltem 951.

De cujus morte sic Flodoardus : « Dom- « nus Theotilo, venerandus urbis Turonicæ « præsul, obiit, qui, dum de pace inter re- « gem Ludovicum et principes componenda « certaret, hisque studiis occupatus a Lau- « duno rediret, ægritudine corporis in ipso « deprimitur itinere. » Eadem aut parum diversa narrat Richerus, in Historia, lib. II, c. 46. Decedentis vero quis fuit annus? Res in controversiam vertitur. Annum 943 Flodoardus exhibet, et Flodoardo suffragari videtur qui Chronicon Archiepiscoporum compilavit, cum per annos tredecim quatuorque menses Theotolonem sedisse memoret. Eadem est D. Andreæ *Salmon* sententia, qui primum Josephi sequentis diploma referens ad mensem Aprilem 946, et sedem vacavisse per undecim menses colligens ex Historia S. Juliani, Theotolonem obiisse pro certo tenet anno 945 ineunte. Hic primo notandum quod Josephi diploma supra memoratum annum præbeat Ludovici regis undecimum, et Aprilem mensem; in schedis *de Gaignières*, sub num. 179? Cum autem Ludovicus ille, quem Transmarinum dicunt, solium conscendisset 19 Junii 936, diploma sæpe laudatum Aprilem mensem præbet anni 947, secundum hodiernum morem. Adde quod levis sit auctoritas San-Julianei chronographi, sedem per undecim menses vacuam fuisse asserentis. Quem aperte refellunt chartæ tam de S. Lupo, quam de mensura rerum S. Juliani, nec non de vineis eidem monasterio traditis, anno Ludovici duodecimo datæ. Concordantes eædem unum Josephi diploma, quod, ut dictum est, anno Ludovici undecimo adscribit apographus a D. *de Gaignières* servatus, corruptum quoad chronicas notas demonstrant. Theotolonem decessisse præterea reperies, anno 948, in chartario S. Juliani. Cui fides forsitan adhibenda, nec non ejusdem S. Juliani martyrologio, quod hujus depositi meminit sub IV cal. Maii; e Baluzii schedis, arm. 3, fasc. 2, num. 2. Certe vixit ultra Junium mensem 947, ille qui ter saltem testatus est semet duodecimum Ludovici regnantis annum cognovisse. Sepultus fuit in basilica S. Juliani, sub altaris dextera parte, quo Gersendis sororis terrenas ipse jam detulerat exuvias.

Aud. Salmon, Collect. Chronic. Tur. p. 227.

LV. Josephus II.

Rariora de Josepho II testimonia. Chartam illius jam tunc archiepiscopi sigillo munitam supra retulimus, monachis S. Juliani Fulnacum villam, cum duabus ecclesiis, et plurima de rebus matris ecclesiæ, concedentem : quæ data legitur, in schedis D. *de Gaignières*, anno undecimo Ludovici regis, mense Aprili, anno videlicet 947 ineunte, secundum hodiernam computandi rationem. Mendosus autem, ut patuit, ille dies. Hanc ad annum tredecimum Ludovici Transmarini chartam attrahamus; nec ultra, cum Georgius huic subscripserit San-Julianeus abbas, quem Theotoloni testantur non multum supervixisse. Iisdem præterea S. Juliani monachis Josephus, anno 949, ad precem Aririi sacer- 949
dotis, quasdam vineas e potestate S. Maximi

ANNI CHRISTI

contulit. Annum præbet 950 et Josephi si-
gnum Ragenfredi, Carnotensis episcopi,
charta, duodecim præbendas monachis S. Pe-
tri tradentis in ecclesia S. Mariæ (1). Anno
954 954, Josephus quartam e rebus S. Lupantii,
sub institutione census, concessit Gunbaldo
et uxori ejus Bathchildi; apud *Housseau*,
t. I. Subscripsit, eumdem circa annum, lit-
teris Ragenfredi, Carnotensis episcopi, Ger-
minionem villam abbatiæ S. Petri reddentis,
e Chart. S. Petri, p. 30; et ejusdem solemni
præcepto de integra ecclesiæ supra memo-
ratæ restauratione, supra, t. VIII, Instr.,
col. 289. Nec plura, nisi quod, VII cal. Aprilis
957 957, secundum neotericum usum, testis fuit
adlectus a Tethaldo comite, servum quem-
dam suum, nomine Lesbrannum, et ejus so-
bolem canonicis S. Martini condonante; in
schedis *Housseau*, t. I. Referunt illum se-
disse per annos undecim, menses duos et
dies octodecim. Decessit XIII cal. Julii, e
martyrologio S. Juliani Turonensis.

LVI. Frotherius.

958 Frotherius occurrit, mense Januario 958,
monachis S. Juliani confirmans quædam e
ratione matris ecclesiæ jam ipsis data; in Ba-
luz. schedis, arm. 3, fasc. 2, num. 3. Sedit
archipræsul per annos tres, sive quinque, ex
Archiepiscoporum Chronico: manuscripta
sedenim ejusdem exemplaria Chronici non
inter se concordant. Anni vero non tres
numerantur inter Josephum anno 957, et
Harduinum anno 959 variis chartis subscri-
bentes. Ejus exequias Martinienses celebra-
bant III nonas Junii.

LVII. Harduinus.

E decano S. Mauricii in episcopum as-
sumptus Harduinus, jam susceperat infulas
959 circa finem anni 959: quod compertum ha-
bemus e manufirma, data IV calendas Martii,
anno VI Lotharii regis, in qua tradita quæ-
dam S. Juliano a Bernardo milite auctori-
tate sanxit episcopali; in Baluz. sched.,
arm. 3, fasc. 2, num. 3. Et ipse monachis
S. Juliani non nulla concessit, inter quæ
res hereditario jure sibi traditas in loco qui
961 dicebatur Pons Saxonum, et, anno 961, mo-
letrinam ad Cusillam fluvium constitutam.
Illo præsule reædificata est ecclesia Luca-
censis castri, quam Childebertus, Clodovæi
regis filius, jamdudum erexerat in honorem
Mariæ Magdalenæ. Cujus restaurationis auc-
tor Geoffridus, comes Andegavorum, Ro-
mam profectus erat supplex, scilicet ut vitæ
lapsus pœnitentia expiaret publica; inde re-

A diens, operam, sine mora, susceperat ala-
cer promissam, liberaliter de suis largiens,
ita ut, basilica de novo constructa, duodecim
canonici, apostolis pares numero, ibi v am
agerent. Illam Harduinus, anno 965, conse- 965
cravit. Eodem anno, probavit Harduinus au- Ch. xiv. col. 61.
ctoritatem Widonis, Cormaricensis abbatis,
qua liberatum est monasterium Villelu-
pense a Cormaricensi tutela, ordinavitque
primum Villelupensium abbatem Huber-
tum. Intererat, anno 966, translationi ca- 966
nonicorum in ædes B. Mauricii Andegaven-
sis. Testis idem legitur, anno 967, chartæ 967
B Girardi, S. Martini canonici, prædium S. Ju-
liano tradentis. In illa memoratur charta qui-
dam frater Harduini, Corlio nomine; e Baluz.
schedis. Concessit, anno 968, monachis S. 968
Florentii Salmuri degentibus mansionem
unam in vicaria Metgonensi sitam, e rebus
abbatiæ S. Petri Parciacensis, et alia plura,
sive in suburbio Turonum, sive infra claus-
trum ecclesiæ matris, ab ejus ditione pariter
distracta, ut legitur in Codice Nigro S. Flo-
rentii, e plurimis chartis eodem anno datis.
Non parva tunc inter Harduinum et episco-
pum Dolensem jurgia exarserunt, cum dux
C Britonum metropolitanam in suis partibus,
ipso auctore, constituens ecclesiam, Armo-
ricos præsules Dolensi subjecisset. Hardui-
nus Romam profectus, anno 970, impetravit 970
a domino papa ne quid ultra auctoritati se-
dis suæ quasi rebellantes Armorici detrahe-
rent. De qua re legenda notabilis Joannis
papæ XIII epistola, inter Concilia J. D. Mansi,
t. XVIII, pag. 482. Harduino præsente,
anno 973, Adela comitissa S. Albino dedit 973
Undarim villam et insulam. Eodem anno,
mense Decembri, consecravit ille ecclesiam
cœnobii Salmuriensis: quin imo, postu-
D lante Tethaldo comite, ecclesiam S. Lu-
pantii, comitibus Turonensibus antea col-
latam e rebus ecclesiæ matris, monachis
S. Florentii libens concessit et absolvit ab
omni synodalium exactione. Probavit, anno *Moricius*, Prob.
sequente, mense Novembri, Wandalber- *Hist. Brit.*
tum, nepotem, iisdem S. Florentii monachis *t.* 1, *col.* 548.
terras sub lege census auctorantem, in villa
Donciaco, non longe a Cainone. Quo eodem
anno non caute dicitur a Sammarthanis
Rainaldum Andegavensem ordinasse, cum
ab annis fere duobus tunc Rainaldus se-
deret, fatentibus ipsis Sammarthanis in An-
E degavensium episcoporum notitia. Occurrit
præterea, cum eodem Rainaldo, subscribens
mense Martio 974, chartæ Geoffridi comitis 974
qua confirmantur Albiniensibus ab Adela
data. In Salmurienses nullus liberaliore manu
petita quæque et vel non petita largiens ex-
titit. Legitur sedenim iisdem et quædam alia
e Parciacensi monasterio distracta condo-
nans, mense Maio 975; e Codice Nigro S. 975
Florentii. Subscripsit, anno 977, notitiæ 977
Emmæ et fratris ejus Odonis, tradentium,

(1) Edita quidem illa charta, supra. t. VIII, Instr., p. 291, sed absque notis chronologicis, et anno 954 perperam adscripta. Consule doctissimum virum B. *Guérard*, in Chart. abbatiæ S. Petri, t. II, pag. 351.

ANNI CHRISTI

sub conditione census, Lamberto farinarium et terram in villa Marciago. Occurrit et
979 anno 979, sigillo suo confirmans manumfirmam prædicti Wandalberti, res quasdam juris sui monachis S. Juliani condonantis.
980 Vita cessit calendis Maii 980, e martyrologio S. Juliani Turonensis. Episcopali fungens munere semet etiam dicebat, in chartulis sua manu sigillatis, S. Martini æditunm, sive thesaurarium.

LVII. Archambaldus.

DE SULLY. Herchenaldi filius et Herberti frater dicitur ab Aimoino, de Mirac. S. Benedicti, lib 2, e nobili Suliacenorum familia oriundus. Quo fuit electus anno non compertum habemus e chartis, et plurimum ea de re chronographi discordant. Non tamen, Harduino mortuo, sedem vacavisse memoratur. Unde potior nobis videtur eorum opinio qui consecrationem illius adscribunt fastis anni 980. Subscripsit Archambaldus, anno 987, Hugonis Capeti diplomati, quo libertates, juraque Gallicanarum ecclesiarum confirmata : quod apud Sammarthanos reperies, t. IV, p. 343. Archambaldum inter et Bernerium, Majore-
991 tanorum abbatem, acta fuit, anno 991, quædam commutatio locorum in pago Turonico, e schedis *Housseau*, t. I. Intricatis eo tempore curam dedit ecclesiæ Remensis negotiis. Cum enim, Arnulfo deposito, Gerbertum sibi Remenses præfecissent, idque a Romano pontifice non probaretur, Robertus rex concilium Chelæ congregavit, rem jubens iterum pertentari. Eo venit Archambaldus,
993 anno 993, Gerbertoque favens quæcumque fuerant peracta sanxit; e Richeri Historia, lib. IV, c. 89. Eodem anno, monachis Majus Monasterium incolentibus concessit altaria ecclesiarum S. Symphoriani, S. Petri de Parriaco et S. Sulpicii de Orodorio, ea ratione ut quidquid ex istis altaribus ad mensam episcoporum ea tenus, in annona, vino, circadis censuumque redhibitione, erat exactum, ad communem monachorum utilitatem deinceps exigeretur; apud *Housseau*, t. I. Non ille quidem primus, sed numerandus inter primos Turonenses archiepiscopos quibus S. Martini canonici debitum detrectaverunt obsequium. De qua re legendus Gerbertus, Remensis archipræsul, in epistola 48. Illum Martinienses memorant prohibuisse ne consecraretur episcopus S. Martini peculiaris : eo vero teste, benedictionem ipsius clerus S. Martini renuerat. Inde violatam infularum majestatem non immerito doluit, et rebellibus diem indixit. Favit illis quidem Abbo, Floriacensis abbas : alia vero fuit Gerberti eodem de jurgio sententia, qui Martinienses acriter redarguit, ut refert Mabillonius, Annal., t. IV, pag. 108. Jam in Majoretanos sui prodigus, sicut dictum est, San-Julianeis et monachis Archambaldus opem tulit : decernebat enim, anno 996, Roberti II regis ANNI CHRISTI
primo, quascumque S. Juliani ecclesias immunes fore, per totam diœcesim, ab omni 996
servitio quod antea persolvebant ecclesiæ matri. Concessit insuper Archambaldus abbati et monachis S. Maximi Cainonensis non mediocria bona, quæ Robertus regia postmodum auctoritate confirmavit, anno 997. 997
Nec, eodem anno, recusavit Archambaldus Theobaldo, Cormaricensium abbati, licentiam ædificandi quamdam capellam, S. Mariæ dicatam, intra fines Thalciniacensis oppidi, quo cives venirent, hyemis tempore, divina frequentantes officia, cum imbres et rivus præterlabens ecclesiæ S. Martini prohiberent aditum ; ex Appendice Joannis *Maan*, p. 244.
Anno 998, ad precem Corbonis, militis, 998
de beneficio quod ille miles possidebat, terram in vicaria Cainonensi monachis S. Petri Burguliensis, sub lege census annui, tradidit; *Housseau*, t. I. Quam plurimum in administranda laborans provincia, nec illæsus quidem ab inimicis, quos in se, volens, nolens, concitaverat, majus incurrit in periculum Archambaldus, postquam Roberti regis et Berthæ matrimonium hoc anno celebravisset. Bertham enim Roberto consanguineam, et contra leges ecclesiæ nuptam, judicaverunt episcopi quibus rem dominus papa demandavit investigandam. Exinde regi gravior indicta pœna ; Archambaldus et ipse suspensus a concilio Romano, anno 998, donec Romam pergens veniam a summo pontifice impetraret. Hic est secundus canon concilii Romani : « Archambaldum Turonensem archiepiscopum talis conjugii consecratorem, « cum omnibus episcopis qui consentientes « interfuerunt his incestis nuptiis regis et « Berthæ consanguineæ suæ, suspendimus, « donec ad hanc sanctam sedem apostolicam « veniant satisfacturi. » *Mansi, Concilia, t. XIX, p. 225.*

Hic summatim enarretur præclara Prulliacensis monasterii fundatio. Prulliacus dynastes Acfredus, sive Effredus, juxta castrum sibi subjectum, in prædio suo, monasterium ædificaverat satis amplum et ecclesiam SS. Petro et Paulo dicatam. Quas Deo datas ædes sacravit Archambaldus, et cum staret ante altare, vestimentis indutus archiepiscopalibus, uxor Acfredi, Beatrix Exoduneusis, cœnobio Prulliacensi propriam quamdam terram concessit; apud *Housseau*, t. II. Diem obiit extremum Archambaldus, apud Joannem *Maan*, anno 1001. Hujus dies producit Turonense Chronicon ad annum circiter 1009. Archambaldum quidem habemus subscribentem, XIV cal. Aprilis, 1001, secundum 1001
hodiernum usum, chartæ Sulpicii, Lugogalensis præpositi, a quo dimissa prava præpositorum antecedentium consuetudo, e Baluz. schedis, arm. 3, fasc. 2, num. 2; et, anno 1002, 1002
chartæ commutationis inter Robertum Cas-

ANNI CHRISTI

tro-Landonensem et Gausbertum, abbatem S. Juliani Turonensis; e codice Regio 5443. Alibi reperimus Hugonem Archambaldo jam suffectum anno 1007. Obiit, e martyrologio S. Martini, xv cal. Decembris. De quo sic S. Juliani martyrologium : « xiv cal. Decembris. « Domnus Archambaldus archiepiscopus. « Hic omnia B. Juliani altaria ab omni con« suetudine Turonicæ ecclesiæ quieta fecit et « libera. »

LIX. Hugo I.

DE CHATEAUDUN.

Hugo patrem habuit Hugonem, Castriduni vice-comitem; matrem Hildegardem, e Perticensi prosapia; fratrem germanum, vel maritum sororis, Albertum, qui Roberto successit in Miciacensis cœnobii præfectura.

Mabill. Ann. Bened., t. IV, p. 304.

Perperam Mabillonius patrem Hugonis asserit Albertum abbatem. Errantis rarissime viri emendetur non minimus error, quando filium susceperit Albertus e legitimo connubio non Hugonem, sed Arnulfum. De cujus autem prosapia si dubium quid permanserit, consulatur ipsa Hildegardis, quæ prædium Belli, seu Calidi Montis, S. Petro Carnotensi tradens, consensum quæsivisse memorat Hugonis, filii sui, Turonensis archipræsulis; supra, t. VIII, Instr., col. 295. Nec prætereundum quod inter hujus chartæ testes occurrat, præter Hugonem archipræsulem, Helgaudus, filius archiepiscopi. Unde noscimus hunc, ut e nobili stirpe deductum, sæculi moribus indulsisse et fuisse conjugii vinculis innodatum.

1007 Subscripsit ille quidem, anno 1007, præcepto Roberti regis de recenter extructo Bellimontensi sanctimonialium cœnobio; apud Rer. Gallic. Script., t. X, p. 589. Dedit, eodem anno, monachis S. Juliani terram in villa Bentiaco, cum pratis, nec non aquis adjacentibus; e codice Regio 5443. Aderat, anno 1008, synodo Calensi, accitus a Roberto rege. Robertum eodem anno in ædibus abbatiæ suæ solenniter excipiens abbas S. Dionysii Vivianus, ab eo præceptum obtinuit notabile, cui subscripsere Lethericus Senonum et Hugo Turonum archiepiscopi, nec non plurimi ad eamdem synodum coacti præsules (1).

Mabill. Ann. Ord. S. Bened. tom IV, p. 119.

Non paucis enarrat verbis Radulphus Glaber quanta inter Hugonem archiepiscopum et Fulconem comitem Andegavensem exarsit contentio, cum ecclesiam cœnobii Bellilocensis recenter Fulco comes ædificavisset, et illam, Fulcone incassum precante, Hugo consecrare abnuisset. De quibus Radulphus Glaber aditum ait Joannem papam, qui tantam diremit litem, basilicam Bellilocensem consecrari jubens ab uno e cardinalibus, nomine Petro. Nec omittenda Joannis *Maan* sententia, Baronium increpantis quod ista dicat anno 996 gesta, et apostolicum rei judicium ad annum 1004 protrahentis. Sed illa quæcumque fictitia videntur, aut saltem non veraciter digesta. Ad nos pervenit Sergii, nomine quarti, pontificale decretum, quo res tota plane enodatur. Ecclesiam Bellilocensem, recenter ab ipso in suis extructam prædiis et de suo dotatam dominio, Fulco comes S. Petro Apostolo dicavit, et Hugonis archipræsulis consecrationem non postulavit, sed recusavit. Quam sibi illatam male ferens injuriam Hugo Romam tetendit, et in cardinalium cœtu causam oravit suam. Sed illi respondens Petrus, episcopus sanctæ Vipernensis ecclesiæ, basilicam Bellilocensem a metropolitana tutela omnino liberam, et a summi pontificis legato, non ab alio quocumque, consecrandam acriter asseruit. Nec defuit ita jus S. Petri propugnanti cardinalium assensus. Unde missus est a domino papa Petrus ipse, Vipernensis ecclesiæ præsul, ad consecrandam ecclesiam Belli Loci. Actum anno pontificis Sergii tertio, indictione x, anno scilicet 1012, die Aprilis quatuordecimo. Mabillonius quidem, ut ad concordiam revocet instrumenta Bellilocensis abbatiæ et et Radulphi Glabri dicta, consecratam his memorat Bellilocensem basilicam, addens quod in ipso prioris dedicationis die subito turbine deturbata corruerit, quodque mox ab eodem Fulcone de novo constructa rursus surrexerit. Unde apud Joannem papam actum de priori, de posteriori apud Sergium dedicatione. Animadvertenti vero quod Petrus Vipernensis utramque, vel teste Mabillonio, confecerit, probabilius videbitur consecratam semel tantummodo basilicam Bellilocensem, nec prodigio quodam cœlesti protinus dirutam, et unicam Petri Vipernensis legationem ad annum 1012 referendam. Domesticam inter Andegavensem Fulconem et Castrodunensem Hugonem inimicitiam fuisse suspicamur. Sopita vix enim de Bellilocensis ecclesiæ consecratione discordia, novum inter eosdem exoritur dissidium, et ex armatorum horrisono strepitu noscit Hugo Fulconem adesse, Turonicis mœnibus minantem. Fulconi favens Andegavensis præsul Hubertus, Vindocinensi de stirpe, metropolitæ bellum et ipse suo inferebat. Urbi jam obsessæ laturus auxilium accurrit Odo, Turonensis comes : Hugo comitem et episcopum Andegavenses interdicit sacro fidelium congressu. Cum vero semet clamitaret

(1) Concilium hoc anno 997 adscribendum infeliciter autumarunt Conciliorum, *Mansi* defuncto, editores ultimi, t. XIX, p. 223. Quorum error satis aperte demonstratur vel sola Hugonis archiepiscopi præsentia. Nota vero quod concilium idem congregatum dixerunt sub annum 1008 in eodem tomo XIX, p. 293. Errori præbuerunt ansam regii diplomatis notæ chronologicæ, quas easdem legere licet tam apud Quercetanum in Hist. gentis Montmor., quam apud Dubletium in Hist. Abbatiæ S. Dionysii. Harum vero notarum scriptorem jam dormitasse notavit *de Brequigny*, in Indice diplomatum chronologico. Emendetur locus antecessorum nostrorum eodem de concilio, t. VII, col. 363.

ANNI CHRISTI

Hubertus falsis impetitum criminibus, ad A
illum scripsit Hugo præclaram epistolam,
quam Joannes *Maan* rursum edidit, e Ful-
berti Carnotensis Operibus desumptam. Sa-
crilegis finem dedit inceptis Fulco comes
Hierosolymam profectus. Pax inde rediit
votis omnium appetita, nemini magis arri-
dens quam Hugoni. Cum ei tandem liceret
securam ecclesiæ suæ rebus navare curam,
instauratam ab Hervæo thesaurario basilicam
1014 S. Martini sacro ritu dicavit, 14 Julii 1014.
Occurrit, eodem anno, in charta Roberti regis,
qui scilicet ad hujus precem profitetur se
confirmare S. Juliano Turonensi datam ec- B
clesiam Nuzilliacensem a Corbone quodam
milite; e codice Regio 5443. Hugone præ-
1015 sente, Fulco comes, anno 1015, concedit
Albiniensibus ecclesiam S. Remigii ad Lige-
rim. Sententiam edit Hugo, sub idem tem-
pus de Tedasio, vicario, qui consuetudines
iniquas eatenus ab hominibus exegerat Ma-
1016 joris Monasterii. Reperitur, anno 1016, in
conventu Compendiensi, subscribens Ro-
berti regis litteris; supra t. X, col. 361,
1017 Instr.; et, anno circiter 1017, testis actorum
quibus Fructuariæ monachis, in Eporediensi
diœcesi, libertas asserta; apud Mabill., An- C
1023 nal., t. IV, p. 253. Obiit anno 1023, die duo-
decima Maii, si Chronico Malleacensi fides;
si Vindocinensi, IV idus Julii; si tandem Sal-
muriensi, VI cal. Junii, in Probat. Hist. Brit.,
t. I, col. 127.

LX. Arnulfus.

Arnulfi de prosapia prolixe disseruit Joan-
nes *Maan*. Illum, Alberto natum Gemmeti-
censi monacho, Hugoni patruo suffectum
fuisse neutiquam ambigitur, cum ipse sub-
scripserit litteris quibusdam Alberti filium D
profitentis, quas Mabillonius edidit, Annal.,
t. III, p. 441 : dubia tantum res est an Al-
bertus Hugonis fuerit germanus, aut ejus-
dem sorori conjunctus. Arnulfus et ipse,
monachi filius, ad ordines promotus fuit
postquam e legitimis forsitan nuptiis filiam
duxisset. Hujus enim auctoramento de servis
Majori Monasterio traditis ab Huberto Vin-
docinensi subscripsit quidam Rainaldus,
dictus in tabulis *archiepiscopi gener*. Adlec-
tum eum a clero referunt VII calendas Decem-
1023 bris 1023 : illi tamen Benedictus papa VIII
pallium mittere aliquod per tempus distulit, E
spuriam videlicet reputans parentelam, aut
conjugatum respuens episcopum. Quamobrem
Arnulfus de abdicando præsulatu cogitavit,
scripsitque, consilium quærens, ad Fulber-
tum Carnotensem episcopum. Cui Fulbertus,
inter cætera : « Respondemus vobis quia si
« pallium requisistis a Romano pontifice et
« ipse vobis illud sine causa legitima dene-
« gavit, propter hoc non est opus dimittere
« ministerium vestrum; et si vestra tarditate
« nondum est requisitum, cautela est expe-
« ctare donec requiratur, ne vos ex impro-
« viso præsumptionis arguere possit. Conti-
« nentur enim quædam reverenda nobis in
« privilegiis ecclesiæ Romanæ, quæ propter
« negligentiam vestram non facile invenien-
« tur in armariis vestris. » Is tamen erat Ar-
nulfus cujus moveret animum neglectæ cura
disciplinæ. Vixdum ad Turonensem cathe-
dram assumptus, decreto prohibuit ne cleri
populique stationes, quæ quotannis fiebant,
quarto solemnitatis Paschalis die, ad Marti-
niana Majoretanorum pulvinaria, in tumul-
tuarias ulterius verterentur, paganorum de
more, trepidationes, et in sacrilegos per
aperta monachorum atria tumultus. Con-
firmavit, anno 1024, Octobri mense, tradi- 1024
tionem abbatiæ S. Lupi cœnobio S. Juliani, *Bibl. Sch.*
precante Waltherio milite, qui Lupensem *Chartar. t. 1, p. 450.*
hanc abbatiam in beneficio tenebat. Exarsit,
anno 1025, Arnulfum inter episcopum et 1025
San-Julianeos monachos pessima discordia,
cum nuper decessisset Gauzbertus abbas, et
decedenti, contempto suffragiorum jure,
suffecisset Arnulfus patrem suum Albertum.
Hæc fusius in abbatibus S. Juliani memo-
randa. Præsens dicitur Arnulfus inventioni
corporum S. Maximini et sociorum, annum
circa 1025, et monachis exinde Miciacensi-
bus usurarium tradens locum quem dicebant
Acherias. Hæc desumpsit Mabillonius e co- *Acta*
dice domini *de Herouval*. Quo forsitan et *Sanct. S. Ben. sæc.*
anno, cum ab Odolrico, Aurelianensi epi- *VI, p. 253.*
scopo, mediam ecclesiam S. Pauli Dunensis
in beneficium accepisset, ab eodem impetra-
vit ut sibi liceret hanc monachis Miciacensi-
bus largiri (1). Jam supra dictum est, t. I, col.
1162, Arnulfum hoc anno, idibus Octobris,

(1) Odolrici chartam ediderunt antecessores nostri, t. VIII, Instr., col. 493, ubi data legitur anno XL Roberti regis. Incipiebat porro Roberti regnum anno 996 : donationis igitur hujusce chartula ad annum 1035 trahenda videtur. Robertus vero decesserat jam anno 1031 : unde non leve oritur dubium. Benedictinæ congregationis alumnis placuit hoc instrumentum anno 1030 adscribere, e Mabillonii forsitan conjectura; Annal., t. IV, p. 361. Suæ vero conjecturæ consilium nec Mabillonius exposuit, nec apertum habere valuimus. Quod si mendam scriptoris suspicari, et sæpius jam memoratum diploma ad annum Roberti XXX referre mavis, annus Christi consequitur 1025; et cum tunc Miciacum incoleret Arnulfus et adesset inventioni corporis S. Maximini, non improbabile videtur eum eodem temporis articulo præceptum ab Odolrico supra laudatum obtinuisse. Plura cæterum de Roberti regnantis annis obscura deprehenduntur in instrumentis quæ nostrum ad Arnulfum spectant. Sic subscribens occurrit anno Roberti XLII, Christi scilicet 1037, chartæ comitis Odonis famulum Geraldi de Reimorentino, Saherium nomine, manumittentis (inter Instr. hujusce volum. col. 66). Quod memoravit Mabillonius, Annal., t. IV, p. 335, sub annum Christi 1027. Eadem alio modo solvere forsitan liceret. Anni sedenim regnantis Roberti non semel sumuntur a die 30 Decembris 987, quo diademate regio donatus est, ut apte declarat doctissimus vir N. *de Wailly*, in Elementis Palæogr., t. I, p. 357. Hanc vero secundum temporum computationem, annus Roberti XL et annus Christi 1027 convenirent, sic et annus Roberti XLII et annus Christi 1029. Temporum tamen notas corruptas fuisse potius credimus, quæ scilicet ut proposuimus emendatæ melius cum Arnulfi gestis congruunt.

ANNI CHRISTI cum Isamberto Pictaviensi S. Florentium A
Salmuriensem consecrasse. Non nulli refe-
Joann. Maan, Eccl. Turonens. p. 83. runt Arnulfum anno 1028 adfuisse de-
dicationi Belismensis ecclesiæ, quam Guil-
lelmus Talvatius, vitæ pœnitens dissolu-
tioris, nuper extruxerat, Leonis papæ
mandato. Extat quidem solemne documen-
tum, quo memoratur hæc peracta dedicatio
adstante archiepiscoporum, episcoporum,
nec non magnatum, illustri caterva. Cui
vero diplomati desunt chronicæ notæ, et
Gall. Christ. t. VIII, col. 1115. antecessoribus nostris placuit hoc ad an-
num 1024 retrahere. Per obscura caute
progredi sapientioris est consilii. Notandum B
sedenim quod Guillelmi Talvatii præcepto
simul subscribunt Robertus, Francorum rex,
qui decessit mense Julio 1031 et Gilduinus,
Senonensis archiepiscopus, qui non fuit con-
secratus ante Novembrem mensem 1032; Ri-
Gall. Christ. t. XI, col. 680. chardus præterea Sagiensis episcopus, ea-
tenus ignotus, cui locus deest in Sagiensium
episcoporum serie. Huic igitur diplomati
non tuta fides. Interfuit Arnulfus, anno
1029 1029, consecrationi basilicæ S. Aniani apud
Mabill. Annal. t. IV, p. 353. Aurelianos, vocatus a rege Roberto qui vo-
luerat cum eo de rebus imperii sermonem
habere, ut memorat Helgaudus in Epitome C
vitæ Roberti. Quo eodem anno, litteras ad
eum, nec non ad Garinum Belvacensem et
Odolricum Aurelianensem, dirigebant cano-
nici Carnotenses, Theodoricum ipsis præfici
dolentes a rege, nec non ab archiepiscopo
Senonensi, cum in A. decanum suffragia
convenissent; ut supra legitur, t. VIII, col.
1034 1118. Nominatur Arnulfus, anno 1034, in
charta comitis Odonis nemus Raretum S. Ju-
liani monachis perpetualiter tradentis. Di-
1040 cavit, anno 1040, basilicam S. Trinitatis,
Vindocini a Geoffrido comite suscitatam,
1041 et, die 15 Octobris 1041, ecclesiam S. Flo- D
rentii Salmuriensis novam. Aureliæ aderat
1043 Arnulfus, 1 Aprilis 1043, accitus iterum
a rege cum primoribus episcopis Galliæ, ibi-
que subscribebat chartæ qua dotabatur eccle-
sia S. Taurini Bituriensis et subjiciebatur
Miciacensi cœnobio. Hanc præbent chartam
Stephanoti schedæ, apud Sangermanenses,
sub num. 573. S. Mariæ et S. Florentini
beneficium, quod Sulpicius, thesaurarius
S. Martini, famulis addixerat Ambasiensium
1044 toparcharum, peculiarem, anno 1044, jussit
fieri presbyteri parochialis curiam. Occurrit,
1047 anno 1047, in charta Geoffridi comitis de E
quodam Roberto manumisso. Eodem et
anno vendidisse fertur, decem nummorum li-
Mabill. Annal. t. IV, p. 485. bris, Odorico Vindocinensi altare B. Mariæ
de Riparia. Illum inter et Dolensem episco-
pum de Britannarum ecclesiarum primatu lis
iterum suscepta. Cum enim Turonenses le-
1049 gati Remos anno 1049 devenissent, Octobri
mense, coram concilio querelam agentes de
pertinaci Dolensis episcopi superbia, præ-
sens Leo papa IX litigantes Turonensem nec

non Dolensem præsules Romam vocavit, in- ANNI
dicta die. Adfuit Arnulfus; Juhellus vero CHRISTI
Dolensis defuit. Inde summus pontifex epi-
scopos Dolensi adherentes e communione
christiana segregavit. Testis Arnulfus, anno
1051, in charta pacis inter Ayrardum mi- 1051
litem et Albertum Majoris Monasterii ab-
batem; apud *Housseau*, t. II. Subscribebat,
die vicesima Septembris 1052, Henrici re- 1052
gis præcepto de abbatia Casæ Dei noviter
fundata. Vide tom. II, Instrum. col., 105.
Nec multo post abiit e vivis.

LXI. Bartholomæus I.

Arnulfo defuncto jam successerat Bartho- DE CHINON. 1052
lomæus anno 1052. Legitur enim, idus no-
vembris 1054, anno secundo ordinationis,
ecclesiam Cormaricensem de novo multis im-
pendiis ædificatam consecravisse, adstanti-
bus episcopis Andegavorum et Britonum, e
schedis D. *Housseau*, t. II. Idem apertius te-
statur charta Rainaldi de Castro Rainaldo
monachis S. Juliani Turonensis ecclesiam
S. Andreæ concedentis; quæ data legitur
anno 1066, Bartholomæi episcopantis de-
cimo quarto. Nec etiam deest certius argumen-
tum. Bartholomæus enim, anno 1052, sub-
scribebat Geoffridi comitis chartæ terram
dictam Villulam S. Petro Carnotensi restitui
jubentis, ut legimus apud Mabillonium, An-
nal., t. IV, p. 335, et, eodem anno, XVIII cal.
Septembris, Aureliæ commorans apud regem
Henricum, hujus testis erat colibertum no- Ch. LIII. col. 72.
mine Salaconem libertate donantis. Frater
erat Joannis de Cainone, et compertum ha-
bemus e necrologio monasterii Ebroniensis,
apud Cenomanos, illum hujusce congregatio-
nis alumnum extitisse. Maximas passurus
erat molestias Bartholomæus a Berengario,
Turonensis ecclesiæ scholastico. Cum enim
hic nulli suo tempore secundus in sacrarum
profanarumque litterarum notitia, celebris
apud clerum industria, apud populum copia
sermonis, potens consiliis in collegio soda-
lium, vocum quasdam novitates edere non
dubitasset de corporis sanguinisque myste-
rio, exarserunt protinus animi, et fama spar-
gere cœpit exortum apud Turones, quasi in
camera archiepiscopali, calamitosum sectæ
detestabilis asseclam, novum Arium, altero
pejorem Damnatus Romæ anno 1050, Be-
rengarius venit, anno 1055, ad consilium Tu- 1055
ronibus congregatum, præsidente Bartholo-
mæo. Non quidem ante judices suam senten-
tiam ausus est sustinere; sed, recitata abju-
rationis formula, mox, ut aiunt, ad vomitum
suum rediit. Longum esset singula prose-
qui quæ hac de re gesta sunt. Norunt om-
nes pertinaciam Berengarii, subtilis ingenii
flexus, in scribendo peritiam, præcellentem
in loquendo facundiam. Quam tota insuda-
verit ecclesia ad debellandam hanc unius

ANNI CHRISTI omnium contra fidem machinam eadem voce testantur Lanfrancus, Guitmundus Aversanus episcopus, Hugo Lingonensis, Durandus Troarnensis abbas, et quotquot hæreticus habuit liberioris linguæ censores. Ad Bartholomæum citius redeamus. Viennæ memoratur
1055 sedisse, anno 1055, in episcoporum conventu, quibus confirmatæ possessiones monasterio S. Petri Viennensis nuper instaurato, abbatis Witgerii curis, collatæ. Subscripsit,
1056 anno 1056, actis concilii Cabilonensis, ut legendum est in Martenii Anecd., t. IV,
1058 p. 90. Dedicavit, cal. Martii 1058, ecclesiam B S. Albini Turonensis, e martyrologio S. Ju-
1059 liani. Remis interfuit, anno 1059, die Pentecostes, inaugurationi sacræ Philippi regis; supra, t. X, Instr. col. 23. Unde redux ad suos Bartholomæus operam dedit augendis canonicorum præbendis, ad precem Geoffridi decani et Hugonis Thesaurarii. Coactum Turonibus, anno 1060, concilium, præsidente Stephano, Romanæ sedis legato. Cui forsitan adfuit Bartholomæus; sedentium tamen episcoporum nomina non leguntur. Vide Labbæum, Concil., t. IX,
1063 col. 1108. Mox, anno scilicet 1063, judex electus inter Drogonem, Matisconensem episcopum, et Hugonem, Cluniacensem abbatem, de juribus litigantes. Acerbus episcopi sermo contra Cluniacenses; nec minor abbatis episcopi tyrannidem accusantis iracundia. Turonensium, Senonensium, Remensium, Biturigum, Burdigalensiumque archipræsules Cabilonum accivit summi Pontificis legatus Petrus Damiani; et, auditis quæ mutuo exprobrabantur, damnata fuit Matisconensis pervicacia. Nulla tunc ecclesiæ pastoribus requies, cum non tantum laici, sed etiam clerici undique lapides in christianæ familiæ quæcumque tecta moverent. Compositis vix quæ Matiscone nuper fervebant discordiis, quam maximo Turones exæstuaverunt tumultu Cum enim Majoretani monachi Alberto abbati defuncto Bartholomæum suffecissent, insidias electo molitus est Geoffridus comes, cognomine Barbatus, in cujus principatum devenerant Turones, decedente Martello. Confirmavit Bartholomæum Turonensis ar-
1064 chipræsul, anno 1064. Inde sævior in Majoretanos monachos Geoffridi comitis stomachus. Eo tandem res venerunt, ut majoris censuræ gladium evaginaret antistes et comitem feriret. Wulgrino Genomanorum episcopo suffectus, anno circiter 1065, Arnaldus, e sacerdote natus; cujus irritam electionem nonnulli clamavere, rem deferentes ad Alexandrum papam. Alexander vero scripsit ad Bartholomæum, ne meritis conspicuus Arnaldus, utpote qui patrem haberet sacerdotem, rejiceretur. E charta Prulliacensi depromitur Bartholomæum Turonensem et Haimonem Bituricensem ecclesiam S. Genulfi,
1066 anno 1066, dedicasse. Subscribebat Turo- A nensis idem archipræsul, anno 1067, diplo- ANNI CHRISTI
mati Philippi regis, quo confirmata fuit monachis Majoris Monasterii ecclesia S. Macuti, 1067
a Roberto de Sablolio concessa. Eodem anno, ad Salmuriense castrum deveniens, cum Stephano legato sedis apostolicæ, composuit litem motam inter monachos et canonicos hujusce castelli. Anno 1068, die 9 aprilis (1), e numero mortalium deturbatus est, et post illum per tres annos ad minus sedes vacavit, ut legimus in charta Fulconis comitis Veduntam villam monachis Cormaricensibus tradentis. Hæc est enim prædictæ chartæ subscriptio : « Anno ab Incarnat. Dom., 1070, « vacante sede Turonica ab episcopo, tertio « anno post mortem Bartholomæi episcopi. » Idem refert Joannes *Maan* e litteris Turonensis officialis, datis anno 1070. *Gallia. Christ. t. VI, p. 395.*

LXII. Radulfus I.

Fulchredi, sive Fulcardi Langesii filius Radulfus I et ulterius Fulchredi frater, Carrofensis abbatis. Fortunam ille quidem expertus adversam, multis vivens defunctusque C impetitus est conviciis. *Inimicum Dei* vocitarunt Martinienses, in quos plura molitus est, superbiores quam decebat debellare satagens. Audax nimium et inde discordiarum artifex improbatus est tam a suffraganeis episcopis quam a non nullis abbatibus, inter quos Geoffridum Vindocinensem præ cæteris acerbum dicere decet (2). Quorum opinionem plurimi secuti sunt. Joannes tamen *Maan* pium et bonum asseruit, et in nulla re culpandum, omnium vero sane infelicissimum. Singula referemus; sincere narratorum penes quemcumque judicium D erit. DE LANGEAIS.

Quo Turonensem ad cathedram adlectus fuerit anno, antea decani munere fungens, non plane certum, et inter se non parum ea de re discrepant veteres chronographi. Non illis quidem assentiri licet qui, Turonensi Chronico nimium confisi, promotionem Radulfi trahunt ad annum 1076, cum anno certe 1073 esset ordinatus. Extat enim charta Bartholomæi, abbatis Majoretani, de quibusdam consuetudinibus a Fulcone comite dimissis,

(1) Sic ejusdem anniversarium apud San-Julianeos cele- E bratum v idus Aprilis, e martyrologio. Idem legitur in pergameno libro Musæi Britannici quem vidit D. Andreas *Salmon*; Adnotat. ad quosdam Codices Anglic., p. 9. Obitus autem ejusdem adscribitur undecimæ diei Aprilis, in obituario Burguliensi; in codice San-Germanensi 1065.

(2) Hæc in Geoffridi litteris ad Richardum cardinalem legatumque leguntur : « Fratre, quem ad vos cum litteris do« mini Papæ misimus, referente, didicimus Radulfum, Tu« ronensem dictum archiepiscopum, in præsentia vestri de « nobis verbis inhonestis fuisse conquestum. Quod si ita est, « vehementer miramur, quia unde de nobis juste conqueri « debeat ignoramus. Mirari autem nec possumus, nec debe« mus, si inhoneste loquitur, qui, pene universo mundo « clamante, sed nullo adhuc vindicante, multa inhonesta et « perversa operatur. » Geoffridus Vindoc., lib. I Epist., epistola 17. Sirmondi Opera varia, III, 656.

ANNI CHRISTI Ch. I.V, col. 74. ad cujus calcem hæc leguntur : « Actum hoc « per manum domni Bartholomæi abbatis, « anno Incarn. Dom. MLXXIII; anno vero or- « dinationis domni Bartholomæi abbatis « nono, anno vero consecrationis domni Ra- « dulfi archiepiscopi primo. » Antea vero quam fuisset consecratus jam ab aliquot annis erat electus, dicebaturque vacans sedes, quoniam respuebant non pauci plurimis suffragiis electum. Prohibuerant enim ne sederet illi qui competitori favebant, et ab eis instrumenta litis initæ ad summum Pontificem missa. Suffragiorum fidem adulterasse pecunia jactitabant, et eumdem, privatis moribus famosum, sororem suam constuprasse. B. Petri sedem tunc temporis tenebat Alexander II, qui non auditum Radulfum, at saltem, ut opinari decet, a quibusdam quam maximæ auctoritatis viris criminatum, e communione christiana dejecit. Inde pessimi per totam provinciam tumultus, cum injuriose damnatum multi clamitarent, cæteri morem detrectarent excommunicato. Causa rursus Romæ tractata, episcopali restitutus est officio Radulfus ab Alexandro, cum tandem defecissent ab accusatione qui vehementius in illum intenderant. Ea vero sententia nequiquam ecclesia Turonensis faciem ad serenam mutata. Quin imo congeminatus eorum clamor quorum spem novissimum fefellerat judicium. Inter quos, ut aiunt, Belliloccensis abbas, et Hugo de S. Maura, miles, nominantur, debitam Radulfo recusantes obedientiam et adstipulatos ærario episcopali redditus. Ille tamen creditum sibi regebat ovile, nec adeo turbatus, nec adeo securus, ut ab inimicorum conjurationibus averteret oculos. Inducias occurrit confirmans, nonis Martii 1073, inter Fulconem comitem, 1073
cognomento Richinum, et innominatum quemdam militem, quem Heliam, Fissæ toparcham, suspicamur. Alexandro viam universæ carnis ingresso successerat, die 22 aprilis 1073, Gregorius papa VI, elatiorem gerens animum ut quem partium ambitus aut calumniosæ moverent insectationes. Ad illum Radulfus pergere statuit, et cum nudis pedibus ad S. Martini basilicam solemni die incessisset, inde Romam tetendit, adlecto comite Arnaldo, Cenomanorum episcopo. Omine sub infausto cœptum iter. Lancelinus enim quidam, Senonensis miles, episcopalem gladio adortus catervam, agnatum Radulfi servosque cecidit, ipsum vero dimisit omni re nudatum. Benigne Gregorius excepit querentem, sopitoque excommunicationis negotio, scripsit tum ad Senonensem episcopum de Lancelino, tum ad Belliloccensem abbatem et ad Hugonem de S. Maura, rebellantes compellens ad obedientiam, et cogens ad proximum concilium, ut ipsi rem dicerent suam de perverse quibusdam peractis postulati. Illæ quidem Gregorii, quas Labbæus

A protulit, epistolæ, datæ sunt XVII cal. Decembris 1075. Eodem die se testabatur dominus papa jam senescentium prorsus immemorem accusationum, Radulfum judicem designans una cum Richardo, Bituricensi archiepiscopo, in lite quam de monasterii Dolensis immunitate moverat abbas S. Sulpicii (1). Eo tempore Radulfum invisit fugax umbra pacis. Amicissimæ tunc ad illum scriptæ litteræ ab Hugone Diensi episcopo, quas *Brial* edidit; Rer. Gallic. Script., t. XIV, p. 777. ANNI CHRISTI Labbæus Concil. t. x, p. 85, 86. 1075 Ibid. p. 84.

Infensos mox Majoretanos expertus est. Cum enim ad eorum basilicam die Martis in
B Paschate de more tenderet pias stationes obiturus, portas occluserunt, aditu prohibentes, ut aiebant, istum nomine, non re, pastorem, qui deterioris vitæ notam contraxerat. Quæ retulit Joannes *Maan*, sub annum 1076.

Deveniebat tamen Castella, VIII calendas Januarii 1077, cum magno clericorum 1077
suorum comitatu, ibique testis subscribebat Hamelini cujusdam presbyteri chartæ, vendentis Vindocinensibus monachis dimidiam Vaneeliam. Notantur in ipsa charta frequentes clerici. Repulsus videlicet ab ea parte
C cleri quam regularem vocant, dici gaudebat magna stipatus cleri sæcularis corona. Nec tunc temporis apud Romanam sedem Radulfus erat male acceptus. Ad eum nempe, I Martii 1077, litteras mittebat Gregorius Rer. Gall. Script. t. XIV, p. 599.
papa VII, quem audiverat querentem de pallio ad Evenum Dolensem nuper misso. His in litteris eum summus pontifex, acerrimus, ut neminem fugit, vel præsulum vel regum castigator, humanioribus alloquitur verbis, ut quem inter Gallicanos antistites præcipuo dignaretur honore. Nec prætereamus insignem ad eum ejusdem Gregorii
D epistolam, quam Mabillonius anno circiter 1079 scriptam suspicatur, ut scilicet Berengario Radulfus patrocinetur etsi jam damnato. Hanc nos e codice olim Regio, sub numero 132, depromere juvat : *Gregorius episcopus, servus servorum Dei, R. Turonorum archiepiscopo et E. Andegavorum pontifici salutem et apostolicam benedictionem. Audivimus F., comitem Andegavensem, quorumdam instinctu qui filio nostro carissimo B. sacerdoti inimicantur, in ejus odium exarsisse. Quapropter fraternitati vestræ mandamus quatinus ipsi comiti nostra vice*
E *præcipiatis, ut non ulterius supradictum virum inquietare præsumat; nec solum, sed et contra omnes inimicos et perturbatores*

(1) Legitur hunc circiter sub annum Radulfus Romæ sedens in concilio quo Rotonensium monachorum libertates confirmatæ; apud Moric., Prob. Hist. Brit., t. I col. 442. Hujus vero confirmationis charta notas falsitatis manifestas præbet. Adsunt enim, ex ea, Romano concilio Gregorius papa VII qui sedit ab anno 1073 ad ann. 1085, Odo, S. Germani Autissiodorensis abbas, qui decesserat anno 1052, et Ansquitillus, abbas Moyssiaci, qui locum excepit Hunaldi post annum 1085.

ANNI CHRISTI

rerum ipsius vicem nostram ad ferenda illi auxilia suscipiatis præcipiendo, præcipimus ex auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli. Vale, et nulla ratione quæ præcipio contemnite. Hucusque Gregorius.

Major mox in Radulfum desæviit procella. Prohibuerat Gregorius papa VII ne laici principes episcopatus abbatiasve traderent, miseratque legatos Hugonem Diensem Amatumque Ellorensem episcopos, qui concilia congregarent notumque facerent omnibus supremum apostolicæ sedis mandatum. Hæc non passus Philippus rex, in tanta molientem dominum papam totis viribus tetendit, indixitque Gallicanis episcopis ne sederent in istis conciliis. Radulphus vero, quamplurimis impetitus criminibus, regi non paruit, et Augustodunum venit ut accusantes coram domini papæ legatis confunderet. Au-
1077 gustodunense concilium anno 1077 collocatur. In eo victus cecidit Radulfus. Pictavii de re eadem rursus actum est, anno sci-
1078 licet 1078 ineunte, ut domni *Brial* conjecturæ faveamus. Procellosum quidem fuit, nullius expectationem in eo fallens, Pictaviense concilium. Referens ad dominum papam ibi quæcumque gesta fuerant Diensis episcopus, his exoritur verbis : « Ecce « pestis et dedecus sanctæ ecclesiæ archie- « piscopus Turonensis... » Dein subjungit : « Comprobatus est ante episcopatum deca- « niam emisse, quam ex consuetudine ejus « ecclesiæ, nisi qui jam sacerdos fuisset, vel « jam futurus sacerdos esset, habere non « posset. Hic igitur Turonensis, nullomodo « canonice electus, non potuit obtinere a « rege donum episcopatus, usque dum ne- « pos hujus ipsius per nummos præfatam « decaniam fuisset adeptus. De simonia « etiam aliter accusatus est, quia cuidam mi- « liti silvam promiserit, si pro episcopatu « eum juvisset. Quod cum postea miles ipsi « improbasset, Andegavensis episcopus af- « fuit, qui nobis ex eodem clara voce testi- « monium perhibuit. Longum est, Pater, « enumerare turbas et conflictus, quos et « quantos quomodo et ubi hic Turonensis « nobis intulerit.., cum omni suorum garru- « litate et impudenti audacia clericorum. « Nam dum etiam archiepiscopum Lugdu- « nensem pene inflecterent ad tuitionem « suam, ita ut pro eis oraret, vel obloquere- « tur, foribus ecclesiæ effractis, servientes « eorum securibus armata manu introeun- « tes, concilium magno tumultu exturbave- « runt... » *Labbæus, Concil., t. x, p. 366.* Acerba sane vox accusatorum, quin imo judicum. Facile crederes, lectis legati litteris, Gregorium, illum ecclesiasticæ disciplinæ tam strenuum assertorem, singula quæque distulisse, donec dedecus illud, pestis illa christiani nominis, e Turonensi cathedra deturbaretur. Rem vero prætermisit, perinde ac si contra Radulfum dixissent tes-

A tes aut vacillantes, aut ficti. Scribebat enim papa, VII idus Martii 1078, ad Udonem Trevirensem archiepiscopum : « Radulphus, « Turonensis archiepiscopus, quia legales « accusatores non habuit, sacerdotali et « episcopali officio restitutus est, etiam « episcopis qui eum accusaverant ab accu- « satione deficientibus, et quia causa sua ab « antecessore nostro bonæ memoriæ Alexan- « dro retractata et determinata fuerat, vide- « batur quod non sine certa accusatione de- « beret retractari. Nobis tamen visum fuit « quod legatus noster cum legato Diensis
B « episcopi Turonis debeat proficisci, et con- « vocare omnes suffraganeos episcopos, nec « non clerum et populum, et ex parte « B. Petri illos commonere ut qualiter ele- « ctus fuerit vel ordinatus veraciter profi- « teantur; ut si claruerit eo de objectis inno- « centem esse, quæstio accusationis suæ « omnino deinceps sopiatur : sin autem « certissime et unde dubitari non possit « contra eum testimonium datum fuerit, ca- « nonica sententia feriatur. » Ad ipsum Radulfum Gregorius scribebat, anno 1079, ut *Ph. Labbæus, Concil. t. x, p. 191.* Lugdunensis archiepiscopi primatum agnos-
C ceret, primatis titulo donans Gebuinum qui, 1079
teste Diensi episcopo, pro Radulfo palam erat locutus in concilio Pictaviensi. Radulfum idem præterea jubebat, eodem anno, Fulconem, Andegaviæ comitem, adire et in illum excommunicationis minas obvertere, cum ille Eusebium Brunonem, Andegavensem episcopum, acerrime vexaret. Quid plura? Vocabat Radulfum Amatus, alter apostolicæ sedis legatus, ad Burdigalense concilium hoc eodem anno celebrandum, *venerabilem* illum nuncupans *Turonorum archiepiscopum, dilectissimum fratrem*,
D ejusque gaudens se mox usurum alloquio. *Rer. Gall. Script. t. xiv. p. 669* Ejusdem in Amati litteris idem præterea dicitur *religionis ecclesiasticæ caput honorabilius*. Unde patet quam caute legendum quidquid, per tot et tantos non solum Ecclesiæ, sed etiam reipublicæ tumultus, acerbis supra modum in scriptis sibi invicem imputaverunt contrariis pro partibus stantes vel maximi ponderis viri. Aderat interea Radulfus, IV idus Octobris 1079, concilio Burdigalensi, ipso præsidente Hugone Diensi, et subscribebat chartulæ qua tradita S. Crucis abbatiæ ecclesia B. Mariæ
E de Solaco. Hujusce traditionis charta legatur inter Instrumenta tomi II, col. 273. Anno 1080
sequenti, venit ad synodum Santonensem, probavitque synodi sententiam qua monachis S. Benedicti supra Ligerim adjudicatum monasterium S. Petri de Regula; inter Instr. t. VIII, col. 498. Actum est præterea in hoc concilio de juribus Turonensis ecclesiæ in Britonum episcopos, et sancitum est ut Radulfo morem præberent. Cui non paruerunt mandato. Testis Radulfus, V idus Junii,

ANNI CHRISTI

Fulconis, Andegavensium nec non Turonensium comitis, Salmuriensibus largientis sodalibus redditus omnes omnesque fructus S. Florentii Veteris. Eodem anno, II nonas Octobris, Burdigalæ rursus aderat, et in altero sedens episcoporum conventu subscribebat chartæ Goscelini, Burdigalensis episcopi, confirmantis collata Silvæ Majori quam plurima beneficia, nec non insigni præsulis ejusdem præcepto quo libertas eidem monasterio data. Prodierunt supra memoratæ chartæ inter Instrum. tom. II, col. 275, 316.

1081 Interfuit tandem, anno 1081, Exoldunensi apud Biturigas concilio, in quo testis repe-

Labbei Concil. t. x, p. 399.

ritur in litteris super ecclesia S. Martini de Campis (1). Referunt etiam non nulli Radulfum in eo Exoldunensi concilio a legatis ipsius domini papæ excommunicatum. Cui tuta fides?

Acerbiora postea passus est. Fulconem enim Richinum in se converterat, cum illum, moribus perditum, et a legitima conjuge ad amasiarum catervam pervolantem primo monuisset, mox e communione christiana dejecisset, jussu domini papæ, monita despicientem.

Brial, Rer. Gallic. Script. t. XIV, p. 673.

Illinc comes in Radulfum æstuans, et iræ quidquid poscebat condonans. Radulfi partes in ea re non segniter suscepere Lugdunensis provinciæ episcopi; sed frustra. Philippus interim rex, cum ægre ferret Radulfum, Gregorii partes amplexum, hujus legatis favisse et in conciliis ipse quæ prohibuerat sedisse, illum dejiciendum e sede Turonensi decrevit. Regis libens mandatum peregit comes, manusque protinus injecit in temporales archipræsulis redditus. Ipsi quin imo Martinienses tanta molientem comitem probavere, et, dum exul abiret Radulfus, in illum flagellum excommunicationis detorsere. Legatur apud Sammarthanos harum discordiarum relatio, a Martiniensi quodam canonico conficta, in qua Radulfus proscinditur conviciis e trivio quasi correptis. Quæ ut ad Gregorium venere, in Fulconem deseviit. Extant hujus ad clerum Turonensem litteræ, e quibus hæc depromere non abs re forsitan est : « Notum esse vobis non dubi-« tamus Andegavensem comitem ob nequi-« tiam suam esse excommunicatum..; qui « jam diu expectatus non solum de via sua « pessimu ad Deum, sicut christianum opor-

(1) Quo in eodem Exoldunensi concilio, Radulfus dicitur, Amati legati præcepto, pacem egisse inter Salmurienses Rotonensesque de rebus Maini monachi litigantes. Hæc *Travers*, in Concil. Turon. provinciæ, t. II, ad ann. 1079, e Chartulario Rotonensi. Rotonensis vero Chartularii nobis in eo suspecta fides. Coactum enim anno 1081 Exoldunense concilium, tam ex Labbæo quam ex eclogariis quibuscumque melioris notæ : in hoc autem occurrit sedens, e chartula Rotonensi, et judicio Radulfi subscribens, Natalis tunc temporis S. Florentii monachus, postmodum abbas S. Nicolai. Quod perperam dicitur. Natalis enim anno jam 1080 S. Nicolai præfecturam moderabatur, ut certis comprobatur argumentis; ergo non fuit ad annum usque 1081 Salmurii monachum agens. Unde chartulam Rotonensem pro spuria tenemus.

A « tet, non est conversus, sed insuper, ad « augmentum malitiæ suæ, aliis item ex-« communicatis conjunctus, fratrem nos-« trum Turonensem archiepiscopum de sua « sede expulit bonisque ecclesiæ penitus ex-« poliavit. Proinde apostolica vobis auctori-« tate præcipimus, ut tam a præfato comite « quam omnibus sequacibus summopere « caveatis. » Hic non nulla quidem notanda, quæ non parum inter se discordare videntur.

Brial, Rer. Gall. Script. t. XIV, p. 654.

Radulfus ab Amato et Hugone legatis excommunicatus modo dicebatur. Nunc, eodem scilicet anno, e sede sua deturbatur a B Francorum rege, uti (sic enim instrumenta veterum loquuntur) gregalis eorumdem Hugonis et Amati, et ipse Gregorius papa pro se et pro suis legatis summam injuriam patienti patrocinatur. Habes-ne omnem rem? Ecce occurrunt prædicti legati, hoc etiam anno 1081, in canonicos S. Martini sententiam excommunicationis fulgurantes, ex ipsius Gregorii papæ litteris, utpote qui Radulfo archiepiscopo nec non domini papæ ministris obsequium æque negassent. Episcopi præterea Lugdunensis provinciæ, anno 1082, excommunicationis sententiam in C Majoretanos fulgurant Radulfo debitum morem non præstantes; e Baluzii Miscellaneis, t. VI, p. 421. Discordantium, ut apparet, rerum seriem aliter ordinare si velles, et diversis annis adscribere quæ memorantur eodem anno peracta, non facile posses. Rectiorem sequeris viam ab usitata non recedens chronologia, et contraria contrariis succedere patiens in tanto tumultuantium animorum et studiorum conflictu.

Rer. Gall. Script. t. XII, p. 459.

Ibid. t. XIV, p. 655.

Quæ Radulfum exulantem sedes excepit? In Belli Loci breviariis legitur illum in hujusce nominis abbatiam, anno 1081, seces-D sisse, et episcopali pedo destitutum, abbatiale, consentientibus monachis, suscepisse. Cui non certam fidem præbemus narratiunculæ. Quis dedit exilio finem? Nescitur. Compertum autem habemus sequentibus annis Radulfum archiepiscopale munus iterum gessisse. Consecrabat enim, IV idus Novembris 1084, ecclesiam S. Juliani noviter 1084
eleganti renovatam opere, et, eodem anno, deveniens in capitulum Majoris Monasterii, monachis ecclesiam S. Quintini concedebat. Unde palam est eum tunc cum Majoretanis ad pacem rediisse. Quod clarius etiam ap-E paret, ex eo quod, eodem anno 1084, Bernardum consecravit abbatem Majoris Monasterii. Nec multo post alia contra Majoretanos movebat. Quin etiam cum Bernardo supra memorato Dolum deinde tendebat, suamque, Majoretanis contra loquentibus, causam dicebat. De quibus consule Laurent. Bochellum, ad calcem Hist. Gregorii Turon., vel potius Rer. Gall. Scriptores, t. XIV, p. 95, 96. Hæc gesta reputat *Brial* annis 1085 aut 1086. Legitur insuper in charta

ANNI CHRISTI

quam Joannes *Maan* e chartario Lucacensium deprompsit : « Anno Domini 1086, translata « fuerunt caput et ossa B. Baldi, quondam » archiepiscopi Turonensis, de Vernolio ad « ecclesiam B. Mariæ de Lochis ab Ervenaro, « priore de Lochis, domino Vernolii, con- « sentiente ad hoc Fulcone *Richin*, comite « Andegavensi et Turoniæ, et Radulfo, Ini- « mico Dei cognominato, archiepiscopo Tu- « ronensi. » Errant tamen Sammarthani qui dies Radulfi Langesii trahunt ad annum usque 1095. Defuncti vices tum Radulfus alter jam ab aliquot annis exceperat. Ejectus iterum e sede dicitur. Huic conjecturæ non- B nulla favent, et eam domnus *Brial* amplexus est. Obstat vero locus quem ex Hoelli Gestis desumpsimus et infra protulimus.

Rer. Gall. Script. t. XIV, p. 96.

LXIII. Radulfus II.

Aureliæ natus, Radulfus ille II frater erat Joannis, Aurelianensis episcopi, et ejusdem ecclesiæ præpositus et archidiaconus. Quem sibi fidum expertus, ut in aulicorum turba præpollentem et regiæ potius quam pontificiæ causæ faventem, Philippus Turones misit archiepiscopi titulo suis litteris insignitum, C nec cleri, nec populi petitis suffragiis. Conculcatos plerique non immerito clamarunt canones, inter quos Ivo Carnotensis, in epist. 66. Acceptus tamen, post non nullos tumultus, Radulfus evasit. Quo vero Turones devenerit anno cathedra potiturus non liquet. Annum 1081 proponere non dubitant auctor Clypei Fontebraldensis ordinis, et Sammarthani fratres, eo scilicet argumento quod legere est chartam Fulconis comitis in gratiam S. Mauri, in qua memoratur Radulfus archipræsul Turonibus sedens anno 1090. Radulfum hunc aut illum anno 1090 sedisse quis D negat? At vero conjecturam Sammarthanorum omnino disturbat, inter alia, charta de translatione B. Baldi cujus supra meminimus. Prodeat testis alius fidei non indignus et ea de re plura memorans. Anonymus ille forsitan coævus qui scripsit Gesta Hoelli, Cenomanensium episcopi, a Mabillonio edita in Analectorum tom. III, p. 289, sic de Hoello fatur : « Hic propter probitatem suam « Radulfo, Turonensium archiepiscopo, » viro illustrissimo, tanta erat familiaritate « conjunctus, ut in omnibus ecclesiasticis « negotiis illius consilio uteretur, atque in E « suis persecutionibus illum adjutorem et « comitem immotum haberet, cum cæteri « suffraganei, propter metum sæcularium « potestatum, nullum ei solatium exhibere « præsumerent. Unde idem archiepispopus « in ultimo vitæ positus, in epistola quam « ei novissimam scripsit, dum de persecuto- « rum suorum injuriis et cæterorum epi- « scoporum inobedientia quereretur, inter « cætera quæ in ejus laude protulit, in hæc

A « postremo verba gemebundus erupit : — « *O quam beata foret*, inquiens, *Turonen-* « *sis ecclesia, si duos aut tres habere filios* « *meruisset*. Post mortem quoque ipsius « episcopi, cum ecclesiam cerneret non « mediocriter desolatam, clericos per loca « plurima persecutionis immanitate disper- « sos, ubicumque necessarium erat illis infa- « tigabiliter succurrebat; adeo ut non solum « ab eis indignationem principis, quæ ad- « versus eos vehementer exarserat, sapienter « avertere, verum etiam inter ipsos et eum- « dem principem industria sua pacem inte- « gerrimam satageret reformare. Dum autem « pro his et cæteris ecclesiasticis utilitatibus « Turonis moraretur, omnia ecclesiastica « negotia in ejus audientia tractabantur, to- « tiusque curam ecclesiæ illius imperio dis- « ponebant..., eique per omnia tanquam « archiepiscopo debitam reverentiam exhi- « bentes. Nam et eo tempore in ipsa ecclesia « synodum tenuit, et archiepiscopi vices, se- « cundum antiquum ecclesiæ nostræ privi- « legium, in cunctis sapienter explevit. » Unde notum est, contra Sammarthanorum opinionem, Radulfum I ad extremos vitæ suæ dies archiepiscopale munus implevisse, et, eo defuncto, sedem aliquantisper vacavisse, dum res viduæ Hoellus Cenomanensis gereret ecclesiæ, sublevaret afflictos, errabundos acciret clericos, et synodum etiam ageret. Longe contraria illorum est sententia qui Radulfum II anno tantum 1094 pontificatum iniisse ferunt. Nec minus erronea. Legitur enim charta pacis initæ super ecclesia Cantociacensi monachos inter S. Nicolai et S. Florentii, cui subscripserunt VI nonas Julii 1093, indict. 1, Hoellus episcopus Cenomanensis, Geoffridus Andegavensis, nec non Radulfus archiepiscopus dictus ad verbum *secundus*. Ille igitur ab hoc anno 1093 1093
nobis certe cognitus pontificem agens; quo eodem anno subscripsit, die 17 Octobris, instrumento cuidam Heliæ comitis S. Juliano Cenomanensi dimittentis omnes consuetudines, quas vel justas, vel injustas, ad fiscum spectare suum eatenus asseruerat. Aliud nunc exhibendum est testimonium, quo scilicet adlectio Radulfi numero secundi ad antiquiorem diem ducitur. Legimus enim in Majoretanarum tribulationum relatione, quam domnus *Brial* edidit, Rer. Gall. Script., t. XIV, p. 96 : « Aggressus novus archiepi- « scopus opera patris sui renovare, antiquæ « infestationis spiritum adversus nos resus- « citare.... Nos igitur qui a facie ursi evasisse « sperabamus, postquam in leonem et catu- « los ejus periculosius offendisse nos con- « speximus.., coacti tandem longa et intole- « rabili persecutione, ad sinum et alas sanctæ « Romanæ ecclesiæ confugimus, ubi et sus- « cepti et recreati sumus; unde et privilegium « libertatis adversus inferiorum dignitatum

ANNI CHRISTI « incursiones accepimus, primum a Victore « apostolico, qui prius abbas venerandæ reli« gionis præfuit Cassinensi monasterio, dein « a successore ejus piissimo ac semper amplec« tendo Urbano. » Testis ille non ambiguis utitur verbis, et Radulfum Aurelianensem aperte denuntiat promotum ante Victorem papam III, ante videlicet diem 16 Septembris 1087. Cui jam suffragatus est Joannes *Maan*, et cui fidem nec ipsi renuimus adhibere, præsertim cum nullæ Radulfum nomine primum chartæ trahant annum ultra 1086. Radulfus igitur secundus ille est qui judex eligebatur, anno 1090, litis exortæ super Campiniaco monachos inter S. Sergii et S. Albini; de qua Mabillonius, Annal., t. V, p. 273. Addit *Maan* anno tantum 1091 pallium Radulfo irrogatum. His ipse rem prosequitur verbis scriptor Majoretanus : « Cum pallium suum « a beato papa Urbano postularet, non « ante habere potuit quam ab infestatione « nostra cessare, et in assensu tuitionis et li« bertatis nostræ eidem papæ obedire se, « præsentibus quibusdam ex fratribus nos« tris *quos illuc miseramus*, spopondit. » Nihil quidem prohibet quin ista gesta sint anno 1091. Novimus autem diutius Radulfum in Italia permansisse. Beneventum sed enim deveniens, anno circiter 1093, Urbanum papam alloquebatur de juribus Turonicæ metropolis in Dolensem ecclesiam; ex ejusdem Urbani litteris quas Martenius edidit, Anecd., t. III, col. 879 : et hunc Roma profectum die tantum 21 Aprilis 1094, cum Lamberto, Atrebatensi episcopo, testatur anonymus, apud Baluzium, Miscellan., t. V, p. 258. Annum forte lege 1093.

Adversas aliquando res et ipse Radulfus II expertus est. Difficillimis in hisce temporibus, cum plurimæ simul e contrariis polis ruentes debaccharentur procellæ, et Ecclesia civitasque discordantium rerum tumultu miserrime miscerentur, quomodo Turonensis ecclesiæ pastor neutrius partis fuisset? Amicus regi Radulfus inimicos habuit illos qui regi detrahebant, et Ivonem imprimis Carnotensem. Non caruit accusantibus : quem autem nactus est judicem sine ira?

1094 Occurrit Radulfus, anno 1094, consuetudinem dimittens cœnandi et cubandi apud San-Julianeos, vigilia S. Juliani adventante, et in Brivatensi nec non Augustodunensi conciliis sedens, e Labbæo. Quo et anno litteras Urbani II accepit, Dolensis episcopi pervicacem castigantes superbiam; apud Mori-
1095 cium, Prob. Hist. Brit. t. I, col. 482. Eumdem reperies, anno sequente, inter patres Placentiæ coactos, et subscribentem Urbani bullæ pro S. Ægidii monasterio; supra, t. VI, Instr., col. 183. Pars erat, XVIII cal. Julii, concilii Monte S.-Mariæ celebrati, et, die 18 Octobris, aderat Remis translationi corporis S. Helenæ, ut legitur in narratione Notcheri,

Rer. Gallic. Script. t. XIV, p. 89.

A Altivillarensium abbatis, quam antecessores ediderunt nostri, inter Instrum. tom. X, col. 32. Inde tendebat Clarum Montem, in Arvernensi pago, ubi metropolitas omnes Galliarum cum suffraganeis, et regem ipsum cum optimatibus regni, congregare sibi proposuerat Urbanus papa II, dudum afflictis Ecclesiæ rebus, communi consilio et idoneis tandem remediis, subveniendum putans. Hoc in percelebri conventu tam de privilegiis Majoretanorum quam de Dolensi pallio multus sermo fuit. Immunitates Majoris Monasterii Urbanus papa confirmavit, statuens
B ne deinceps archiepiscopi Turonenses abbatem et monachos excommunicarent quacumque de causa, et ne recusarent abbates debitum archiepiscopis obsequium. Jussus præterea Dolensis episcopus Turonensem agnoscere suum metropolitam et non ulterius movere litem de re sæpius audita. Turones inde venit Urbanus. Exceperunt illum Majoretani, ineunte mense Martio 1096, secundum hodiernum calculum. Urbanus in communi refectorio cœnavit, non oblitus se quondam monachirum cucullum gessisse; et cum per septem dies ibi remansisset, basilicam mo-
C nasterii solemniter consecravit. « Cui dedi« cationi (hæc sunt verba coævi monachi), « Turonensis archiepiscopus Aurelianensis « Radulfus interfuit, qui propriis suis mani« bus pignora sanctorum, quorum nomina « subscribuntur, sub dominico altari, ju« bente papa, collocavit; et una cum archie« piscopo Lugdunensi et primate Hugone, « ab infirmorum capella pridie a Brunone, « Signiensi episcopo, jussu papæ dedicata, « reliquias sanctorum quæ ibi pernoctaverant « humeris propriis ad majorem basilicam « deportavit, et una cum domno Rangerio
D « supra dicto, alphabetum latinum, illo « græcum faciente, fecit, et basilicæ ipsius « parietibus, jubente papa, crucis vexillum « ex oleo imposuit, atque altare de crucifixo, « jussu papæ, mox sacravit. » Sequuntur nomina sanctorum quorum latæ reliquiæ. Deversatus deinde Urbanus in Martiniensium æde, materiam diuturnæ litis inter canonicos et archipræsulem submovit. Exemit enim illos a censura quam nuper pronuntiarat Amatus, cum ei solemnem negassent in basilicam ingressum : e medio simul tulit episcopum hunc Martiniensium proprium,
E de cujus honore, nec non jure, plurima jam dissidia. Surgente post die 14 Martii, celebravit Urbanus sæpe memoratum in quæstorio Martiniensi concilium. Quo peracto, litteris determinavit formam electionis in abbatia Cormaricensi usitandam. His subscripsit litteris Radulfus archipræsul. Radulfus præterea memoratur sub idem tempus, judex sedens, mandato domini papæ, Geoffridum inter Andegavensem episcopum et Petrum Trenorchiensem abbatem, super eccle-

ANNI CHRISTI

Rer. Gall. Script. t. XIV, p. 97.

1096

Andr. Salmon, Collect. Chronic. Turon., p. 340.

Cf. LVI, col. 74.

ANNI siis Doadi castelli contendentes; e litteris
CHRISTI ipsius Geoffridi quas Chiffletius edidit, in
Probat. Hist. Trenorc. p., 337.

Multorum jam in sua provincia querelis,
nec non insidiis impetitus, Radulfus alia
sustinuit, aut, si credas Ivoni, movit jurgia,
in ecclesia Aurelianensi, cujus præpositu-
ram et archidiaconatum non, etsi pontifex
creatus, abdicaverat. Mortuo fratre, qui, no-
mine Joannes, ut diximus, sedebat in Aure-
lianensi cathedra, Joannem alterum, et ipsum
archidiaconum, Radulfus proposuit et ar-
denti studio commendavit. Electus vero suf-
fragiis Sanctio decanus, et ab Ivone Carno-
tensi consecratus. Plurima exinde et magis
ac magis tumultuantia dissidia. Castitate
Sanctionis minime probata, Lugdunensis
cum archiepiscopus, sedis apostolicæ nec
non legatus, dejecit, Joannemque suffecit
Radulfi clientem. Legantur his de litibus
vehementiores quam decet Ivonis litteræ, quas
exhibuerunt antecessores nostri, tom. VIII,
col. 1441 et seq. Cenomanum deveniebat
Radulfus hoc anno 1096, in Natali die, et
Hildebertum episcopum consecrabat. Occur-
1097 rit, v nonas Julii 1097, in martyrologio S. Ju-
liani, ecclesiam S. Nicolai aqua lustrali spar-
gens. Ivonem diximus Radulfo vehementer
infensum. Nec in minores ille querelas eru-
pit, cum Philippi regis excommunicati caput
Turonensis archipræsul corona cinxit, vel
1098 inter sacra, Natali die 1098. Palam enim
in eo, voluntati regis obsequens, mandata
domini papæ despiciebat.

1099 Adfuit, anno 1099, Radulfus exsequiis
Leotherici, quondam militis, postea Corma-
ricensis monachi, qui Veduntæ diem extre-
mum obierat, austeritate morum et miraculis
clarus, ut legere licet in veteri Cormariceno
chronico. Præsens, anno 1100, notatur
Prulliaci, cum abbas eligeretur Araldus, et,
eodem anno, VIII cal. Decembris, in concilio
Script. Rer. Gallic. t. XIV, p. 737. Pictaviensi sedens subscribebat cardinalium
Romanorum litteris de Cella Fruini Carro-
fensi monasterio subjecta. Non Ivone Car-
notensi benigniorem expertus est Geoffri-
dum, Vindocinensium abbatem. Attamen,
anno 1001, cum Geoffridi Meduanensis, in
Andegavensi cathedra defuncti, successor
eligendus esset, nec insidiis abstinerent par-
tes ex adverso stantes, scribebat Geoffridus ad
Gualterium, Turonensem thesaurarium: *Ut
cum domino Radulfo archiepiscopo concor-
diam facerem me admonuistis, quoniam uti-
lis erat et multum necessarius in causa quam
scitis. Quod iterum atque iterum conside-
rans, invenio esse salubre consilium, ut pravis
hominibus semper utamur in bonum, exem-
plo videlicet Salvatoris qui Judam apostatam
habuit nostræ salutis instrumentum;* ex Epist.
Geoffridi, lib. V, epist. 2. Hæc ad verbum
accipere noli. Solitus enim erat Geoffridus
abbas iracundius efferri et hisce contumeliis

A sermonem frequentare, cum ad amicos de ANNI
inimicis scriberet. Dicavit Radulfus, anno CHRISTI
1104, Magdunensem S. Leophardi ecclesiam. 1104
Eodem anno, concilio Trecensi interfuit et *Gall. Christ. t. XIV, Inst. col. 256.*
subscripsit chartæ Zugonis comitis de immu-
nitatibus canonicorum S. Petri; quo et eo-
dem anno, suffraganeos episcopos Andegavi
congregans, notam fecit concordiam iterum
initam de Catiis inter monachos S. Albini
et S. Nicolai. Illum Parisios major causa,
IV nonas Decembris, adsciscebat. Pascalis *Gallia Christ. t. III, Instrum. col. 77.*
papa II Philippum regem absolvi jusserat:
et quis libentius citiusque Radulfo mandatum
B hoc executurus? Exarsere nova Radulfum
inter et Majoretanos, anno sequenti, dissidia,
cum ab abbate Guillelmo præsul petiisset sa-
cramentum non ore solum sed etiam scripto
datum: unde antiquata rursus in lucem pro-
lata jurgia, et animi summopere concitati.
Audivit litigantes Pascalis papa, et monachis,
ut aiunt, favit. Pacem ulterius inter eos-
dem componere studuerunt Cenomanensis
et Andegavensis præsules, et ad id stetere,
ut quod ore profiteretur abbas data dextera
confirmaret. Hoc tamen Guillelmus Majore-
tanis tunc præfectus exsequi recusavit, ut e
C litteris Ivonis Carnotensis ad Radulfum com-
perimus, et dissidium illud ad Gilbertum
sequentem duravit, qui non nihil insuper
ex eo quod Radulfus novissime poposcerat
dimisit. Memoratur præterea Radulfus,
anno 1105, Nannetibus in percelebri suffra- 1105
ganeorum episcoporum concilio sedens, et
confirmans chartam Benedicti, Nannetensis
episcopi, in qua leges institutam canoni-
corum sodalitatem in ecclesia S. Medardi; e
Moricio, Probat. Hist. Brit., t. I, col. 509.
Devenit in Galliam Pascalis papa, anno 1107,
ut cum Philippo rege de rebus Ecclesiæ ser-
D monem haberet. Illum Turonibus excepit
Radulfus, illique ministravit sacra solemniter
celebranti, die 24 Martii, in Martiniensi ba- 1107
silica. Diremptum a Radulfo, præsente papa,
dissidium quod jam diu vertebatur inter Bel-
lilocenses et Nucarienses monachos de Cru-
cilliana ecclesia. Pascalem Trecas Turonen-
sis archipræsul secutus est. Sedebat, anno
1110, in synodo quam Richardus, apostolicæ 1110
sedis legatus, Floriaci coegerat, e Chronico *Rer. Gall. Script. t. XIV, p. 153.*
S. Petri Senonensis. Illi demandabat, 15 Fe-
bruarii 1112, Pascalis papa terminandam cau- *Ibid. t. XV, p. 48.*
sam Pagani, electionis jure traditam sibi re-
E quirentis abbatiam S. Albini. Subscripsit,
anno 1114, chartæ pacis initæ inter Petrum 1114
Sulleiensem abbatem et Robertum de Arbri-
sello super nemore *de Bort*. Anno 1115, vidus 1115
Augusti, monachis Majoris Monasterii altare
S. Mariæ de Ripera super Vigennam trade-
bat. Aderat, anno 1117, translationi corporis 1117
magistri Roberti de Arbrisello ad Fontem
Ebraldi, ut testatur charta Fulconis Junioris,
inter Instrum. tom. II, col. 9, edita. Obiisse
legitur Radulfus, apud Sirmondum et Sam-

marthanos, e Chronico Turonensi, anno 1119. Verius, opinante *Maan*, e vivis excessit anno 1118 ineunte, cum Gilbertus jam hoc anno 1118 occurrat pastorale munus exsequens. Hujus annua commemoratio legebatur in Belli Loci et Pontislevii necrologiis, nec non in martyrologio S. Juliani, VI calendas Maii.

LXIV. Gilbertus.

Nepos erat Gilbertus, vel Gislebertus, Radulfi II. Præposituram Sodolrii ad collegium S. Martini pertinentem primo sortitus est; exinde cancellarii, dein decani munera in ecclesia Turonensi. Eumdem opinati sunt antecessores nostri Gilbertum, Franciæ cancellarium, qui præterea sedit inter majores Franciæ eleemosynarios; t. VII, col. 229. Huic autem conjecturæ suffragari neutiquam possumus. Radulfo II mortuo, Gilbertus pallium affectare, clerique, nec non plebis suffragia sibi conciliare. Steterunt vero provinciæ præsules pro Gualterio, cantore S. Martini. Electione peracta, uterque se dixit episcopum. Gilberto cum faveret, Gillæ sororis conjux, Archembaldus Bresius, armis potens, Gualterii partibus addicti milites vexilla moverunt, inter quos præcipuus Ambasiensis Hugo comes, et incendio vastarunt Larchaiacum, nec non Vernonum, vicos archiepiscopales. Gilbertus, ex adverso, suos immisit per campos, a quibus non minor clades Gualterii patronis allata. Conseruere tandem manus Archembaldus et Hugo, fugatæque Bresii copiæ. Nec cessit victoris furor, priusquam captam Bresim flammis dedisset. Hæc in Libro de Gestis dominorum Ambasiensium leguntur; Rer. Gall. Script. t. XII, p. 510. Dum vero clericos inter non nulli, et Geoffridus imprimis Vindocinensis, Gualterio morem præberent, Gilbertus, archiepiscopali potitus æde, negato sibi munere fungebatur. Tantos tandem bellorum æstus domini papæ sententia composuit. Cum Gualterius ad illum oratores misisset, requirens ut probaretur quasi vocatus ad infulas a saniori civium parte, suos et ipse delegavit Gilbertus, qui causam obtinuerunt. Illum consecravit, ut aiunt, Hildebertus, Cenomanorum episcopus, anno 1119. Cui vero temporis notæ non tuta fides. Meminit enim his verbis Malleacense Chronicon concilii Engolismæ celebrati, anno
1118 1118: « Ibi archiepiscopus Turonensis et « duo alii episcopi confirmati sunt. Unus « eorum Audebertus Agennensis. » Hujusce Chronici testimonium non sane sufficeret, si, quemadmodum antecessores nostri supra notavere, t. II, col. 999, de concilio Engolismensi nihil aliud superesset. Sed insuper habemus satis notabile supra dicti concilii decretum, quo Tucionensis locus Fontebraldensi monasterio contra Nantolienses mona-
A chos adjudicatur; in Clypeo nasc. Ord. Fontebrald. t. I, part. II, p. 74. Nec prætereundum quod huic decreto subscripserunt, præter Gerardum Engolismensem, Gilbertus Turonensis archiepiscopus, cum suffraganeis suis episcopis, Hildeberto Cenomanensi, Marbodo Redonensi et Morvanno Venetensi. Hoc anno præterea Gilbertus sedebat infulas gerens inter testes litis diremptæ Salmurienses inter et Trenorchienses monachos super ecclesia B. Mariæ de Lausduno, et, consentiente capitulo Turonensi, capellam S. Salvatoris, quam Fulco comes recens condiderat,
B concedebat Roberto, Omnium Sanctorum abbati. Quo et anno forsitan has ad Conanum ducem litteras scribebat de querela Rotonensium et Kemperlegiensium monachorum, quas, notis chronicis carentes, Moricius sub hoc tempus edidit; Probat. Hist. Brit., t. I, p. 537. Nec perperam, ut videtur; anno sed enim 1118, Conanus partes Rotonensium deserens, Kemperlegiensibus rem de qua lis
decernebat. Anno 1119, canonicis S. Martini 1119
sub conditione census tradidit personalem vicariam septem ecclesiarum in Turonensi pago, Ligolii scilicet, Joiaci, Venciaci, Cur-
C ciaci, Sebleni, Charantiliaci et Odoadi. Beneficium eumdem cognoverunt Majoretani, quibus concessit ecclesiam B. M. de Riperia, in manus laicorum delapsam. Subscribebat, eodem anno, Aureliæ paulisper commoratus cum Ludovico rege, hujusce litteris in gratiam cœnobii Columbensis datis; e schedis Baluzii. Devenit Turones, idem circa tempus, Calixtus papa II. Excepit illum magnifice Gilbertus, ut cui plurimum debebat, et Remos secutus est, ubi congregatus episcoporum cœtus, Octobri mense. Sedere simul hoc in concilio, Turonensis Gilbertus et Baldricus
D Dolensis, nec non e Britannorum partibus quidam episcopi; apud Ordericum Vitalem, Hist. Eccles., lib. XI, c. 21. Sæpius jam motam de pallio renovavit litem Gilbertus: non ei vero congregati patres sedis suæ jura tuenti aures præbuere. Turones redux, pacem iniit cum Majoretanis, quos inter et Radulfum antecedentem acerrima, sicut dictum est, exarserant dissidia. Guillelmum Gilbertus confirmavit abbatem, ab eo suscepta subjectionis fide. Deveniebat Cenomanum, prima die post octavas Paschæ 1120, opus cathedralis ecclesiæ novum consecratu-
E rus, cum Marbodo Redonensium et Rainaldo Andegavorum episcopis. In Gestis Pontificum Cenoman. legitur: « Guillebertus Turonensis « archiepiscopus, vir genere generosus, « persona conspicuus, ætate juvenis, virtute « animi et actuum probitate cæteros ante« cedens, consecravit majus altare. » Ludo-
vicum regem, anno 1121, supplex adibat 1121
confirmanda deposcens bona quibus donati
fuerant Miciacenses monachi. Anno 1123, a 1123
Majoretanis inito consilio construendi capel-

ANNI CHRISTI

lam et officinas in insula quam eis dederat Robertus in Ligeri fluvio, locum sparsit Gilbertus aqua episcopaliter benedicta, e schedis *Housseau*, t. V, et, in die feria S. Martini æstivalis, probavit eisdem datum medium presbyterium S. Petri *de Corsolt*. Subscripsit, idibus Januarii 1124, litteris Rainaldi, Andegavensis episcopi, quem adierant monachi S. Sergii et S. Albini litigantes super aggere Varennis constructo. Cum Romam postea tetendisset, ibi fato debitum persolvit. Vitam hujus auctor Chronici Turonensis et Guillelmus de Nangiaco trahunt ad annum 1127. Horum autem, pro more, mendosa chronologia. Nec tutius confidas Orderico Vitali Gilbertum memoranti Romæ obeuntem *eadem septimana qua Calixtus papa hominem excessit*. Mors enim Calixti papæ 13 Decembris 1124 adscribenda, et tunc temporis metropolitana degebat in urbe Gilbertus, non jam vicinam sentiens mortem : sigillo
1124 sedenim suo muniebat, 26 Decembris 1124, indict. II, litteras Aletensis episcopi Donoaldi, quibus Majoretanorum sub jure firmius ponebatur ecclesia S. Maclovii Dinantiensis. Advertendum tamen quod, falsa temporum supputatione, Ordericus Calixtum papam decessisse referat anno 1125, ind. IV, in lib. IV, cap. 12; aut, nec etiam sibi consentiens, eodem anno 1125, ind. III, in lib. XII, c. 42. Suspectus ergo sit in eo testis. Obiisse videtur Gilbertus anno 1125 ineunte.

LXV. Hildebertus.

Gilberto mortuo, Turones tetendit Hildebertus, Cenomanensis antistes, primus inter suffraganeos, ut vacantem ecclesiam administraret. Hildeberti clara mox enarranda sunt initia, cum fama doctrinæ nulli secundus extiterit Cenomanensis inter ecclesiæ præsules. Hic referre satis quæ gessit Turonensis archipræsul. Ut in metropolitanam urbem devenit, votis protinus omnium designatus est, etsi renuens, Gilberti successor. Suffragia cleri plebisque mox confirmarunt,
1125 anno 1125, litteræ regis et domini papæ. Archiepiscopatus insignibus assumptis, Hildebertus solemnem habuit ad clerum concionem, quæ servatur in tom. III Biblioth.
1126 Patrum. Anno 1126, e Stephanoti schedis, apud Sangermanenses, confirmabat Miciacensibus monachis ecclesiam S. Mauræ in agro Turonensi. Eodem forsitan anno, IX cal. Novembris, præcipuum Rotonensis abbatiæ consecrabat altare, et filium Jarnogoni Oliverium audiebat monachorum res augentem, cum eis nempe locum traderet in parochia *Pirric*, qui *Ballac* dicebatur; apud Prob. Hist. Brit., I, 553 (1). Infensissimum,
A dum degebat apud Cenomanos, sibi regem Anglorum expertus erat; non multo mitiorem, apud Turonos, Francorum regem cognovit. Inter utrumque gladium tunc temporis frequens certamen, utriusque jure certis limitibus nondum circumscripto. Vacaverant siquidem in ecclesia Turonensi simul archidiaconatus et decania : quæ cum rex munera quibusdam a se delectis dedisset, eos ab archipræsule præcepit ulla sine mora consecrari. Jubentem non audivisse rebellantis fuisset : qui tamen jussa regis patravisset, nisi de sua dignitate multum passus
B detrahi? Decanum quidem elegit Hildebertus Radulfum, cliente regis amoto, sed protinus ad eum ivit supplex ut lenibus ferocem verbis animum flecteret. Heu! qualis rediit! Regi nempe gravior et redditibus ecclesiæ non nullis eversus. De qua re dolentem legere licet, apud Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 319, 320. Hæc fuerunt, non fausta quidem, metropolitanum pallium induentis tirocinia. Rem postea composuerunt Hildeberto tum demum favens Angliæ rex et Girardus Engolismensis episcopus, nec non apostolicæ sedis legatus. Non diuturnus ta-
C men Radulfi decanatus, cum ille, sceleris patrati reus, mox ad episcopale tribunal fuerit vocatus; unde Romam petens, ut qui, jam comprobata licet innocentia, apostolica denuo sententia purgaretur, ab inimicis inter eundum impetitus est et ferro sublatus. Occurrit Hildebertus, VII idus Augusti 1127, auctoritate sanciens pastorali res concessas eremitis Fontanis degentibus. Nec multo post, provinciam invisurus, in Britanniam abiit tragicis æstuantem discordiis. Indictum Nannetibus ab Hildeberto concilium, Octobri, ut videtur, mense 1127 (1); 1127
D ad quod devenerunt omnes Britannici tractus præsules, excepto Dolensi, qui, pallium gerens, Turonensi metropolitæ constanter obsequium negavit. Nannetensis concilii canonibus refrænata morum effusa licentia, cum incestis nullus propemodum abstineret connubiis, et ecclesias jamdiu truculenti milites plerasque invasissent, hæredibusque tradidissent secundum normam feodalis juris possidendas. Ille præterea mos erat, procerum avaritia paulatim inductus, ut, de-

(1) Anno 1126 Oliverii chartam adscribit Moricius. Hanc sub ann. 1127 exhibet Sangerman. codex 535. Chronicas notas inter se discordantes præbet exemplar Moricii, ann.
E nempe 1126, epact. XVII, ind. I.

(1) Quod quidem innotescit concilium e litteris Hildeberti, quibus chronicæ desunt notæ. Illud tamen concorditer fastis anni 1127 adscribunt Sammarthani, Cossartius, Labbæus, Harduinus, domnus *Beaugendre*, Moricius et cæteri. Opinatur vero *Travers*, Concil. Prov. Turon., t. II, inter manuscriptos codices Alborum Mantellorum, concilium hoc ad ann. 1125 referendum, cum ad Honorium scribens Hildebertus hujus de promotione gaudeat. Promotus autem Honorius anno 1124 desinente. Huic tamen novissimæ conjecturæ non adhæremus. Litteræ sedenim Hildeberti non potius recentem quam annosam Honorii promotionem obiter innuunt, et si Britanniam Hildebertus lustravisset anno 1125, hujus itineris alia certe penes nos essent documenta.

ANNI CHRISTI

cedente viro vel uxore, decedentis quæcumque mobilia transirent ad terræ dominum. Sic et fiscus omnia sibi vindicabat quæ dejecerat ad littus debacchantis oceani violentia. Sacerdotum tandem filii, quod pejus erat, natalitio quodam jure, patribus semet, nullo reluctante, sæpius sufficiebant morientibus, et exinde patrimonia fiebant ecclesiastica munera. Quibus aptum attulit Hildebertus remedium, consentientibus Britonum episcopis, et ea de re, paracta synodo, scripsit ad Honorium papam II insignem epistolam, quæ legitur, apud Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 320. Mox Rotonense monasterium deveniebat, x cal. Decembris, mundabatque facinorosa cruentatum obsidione. Rediit inde Turones Hildebertus, ubi non mediocris animorum motus. Exorta enim erant inter Radulfum decanum et Turonenses canonicos plusquam ecclesiastica dissidia, rege canonicorum partes amplectente et Radulfum acerrimis odiis insequente. Quas Hildeberto tulit ærumnas miserabilis ille Turonensis ecclesiæ status facile comperies e litteris quas scripsit tum ad Honorium papam, tum ad Girardum, ut videtur, Engolismensem, apud Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 321-323.

Moricius, Prob. Hist. Brit. t. 1, col. 556.

1128 Adfuit Hildebertus, Andegavi, anno 1128, translationi corporis S. Albini. Eodem anno, tradidit canonicis Omnium Sanctorum ecclesiam S. Hilarii Turonensis, quam Simon Machellus, miles, in suas manus hereditario jure delapsam, integram ecclesiæ restituerat; e schedis D. *Housseau*, t. IV. Recen-

1129 setur, anno 1129, inter præsules Gallicanos qui ministrarunt in Philippo, regis filio, inungendo. Cujus rei mentionem ipse fecit ad Honorium papam scribens: a rege sedenim, ut ait, alio vocatus, causam sibi demandatam ab Honorio definire non valuit, nempe de conjugio quod inierant Hugo de Credonio et Agnes de Lavalle. Aderat, anno

Rer. Gall. Script. t. XIV, p. 324.

1130 1130, concilio Stampensi; quo et eodem anno scribebat ad summum Pontificem ne Geoffridus Dolensis, Baldrico succedens,

1132 pallio insigniretur. Anno 1132, sedit inter judices contentionis inter Geoffridum consulem et Ulgerium episcopum exortæ; quo et eodem anno circiter, Senonibus reperitur, una cum Geoffrido Carnotensi et Stephano Parisiensi, subscribens instrumento de ecclesiis quibusdam Bonevallensi traditis abbatiæ. Anno 1133, die v Februarii, secundum Romanum, ut videtur, calculum (1), Rotoni consecrabat altare S. Mariæ Magdalenæ, et notitiam edebat super terra *de Ballac* Rotonensibus monachis a Guegono de Blaigno confirmata. Ad supremum Hildeberti

Gall. Christ., t. XII, Instrum., col. 31.

(1) Charta sedenim, præter annum, has præbet chronicas notas: indict. XI, epact. XII, quæ quadrant cum anno 1133, neutiquam cum anno 1134; D. Moricius, Probat. Hist. Brit., t. I, col. 568.

A diem nunc deveniendum. Quis autem ille fuit? Tanta est opinionum, imo chartarum discordia, ut in ambiguo stantes conjecturis tantum adhærere valeamus. Orta nimirum confusio ex eo quod in veteribus schedis litteram H. eclogarii legentes, Hildebertum alii, alii Hugonem, pro libitis, illicita scripserunt interpolatione. Ex actis Rotoni patet non leviter erravisse Pagium, qui mortem hujus adscribit anno 1131, et compilatorem diptychorum Turonensium qui sex tantum annos sexque menses archipræsulanti tribuit Hildeberto. Eadem fuit allucinatio Joannis

B *Maan*, Hildeberti decessum memorantis xv cal. Januarii 1132. Legitur quidem xv cal. Januarii defunctus in Gestis Cenomanensium episcoporum, in necrologio S. Juliani Cenomanensis, nec non in S. Sergii calendario; et, in martyrologio S. Petri Culturensis, XIV cal. ejusdem mensis. His autem in tabulis nulla apparet anni mentio. Alia conjicientes Claudius Robertus, Sammarthani fratres, Labbæusque vitam ejus trahunt ad diem 18 Decembris 1136. In quo non minus a vero declinant. Annum 1134 proponunt anonymus qui Chronicon Turonense digessit, nec non

C Guillelmus de Naugiaco, in suo Chronico; Rer. Gallic. Script., t. XX, p. 750. Et revera quidam Peregrinus nomine, professione monachus, in Historia monasterii B. Mariæ de Fontanis, hoc monasterium tradens ab Hildeberto consecratum III idus Novembris 1134, illius saltem dies ad medium hunc annum, secundum veterem calculum, ducit. Domnus tandem Antonius *Beaugendre*, qui sedulam edendis Hildeberti curam dedit operibus, Hildebertum suspicatur ad finem anni 1133 defunctum. Hanc autem chronologiam non quoad annum, sed quoad

D anni mensem, diploma satis notabile nullique hactenus suspectum refellit. Hugo sedenim Hildeberti successor legitur calendis Julii 1133, in charta Geoffridi comitis de Glonnensi castello, ut sequens pagina demonstrabit. Concordiam igitur chartarum agentes, annalistarum pace dicemus Hildebertum inter Februarium Juliumque menses anni 1133 terrestrem exuisse vitam. Nostræ quidem favet conjecturæ martyrologium S. Martini Turonensis a Baluzio compilatum, in quo legitur: « Idus Junii. Obiit Hildebertus Cenomannorum episcopus. »

E Hujus laude personant coævorum epistolæ, nec minus antiquæ quam recentes historiæ. Inter duodecimi sæculi latinos poetas floruit optimus. Ordericus unde Vitalis hæc refert: « A Romanis cardinalibus, qui frequenter « Galliarum plagas adeunt, plurima Hildeberti carmina Romam transferuntur, quæ « dicacium scholis et didascalis Quiritum « admiranda censentur. » Hujus de Epistolis sic Petrus Blesensis: « Profuit mihi quod « Epistolas Hildeberti, Cenomanensis epis-

Rer. Gall. Script. t. XII, p. 671.

ANNI CHRISTI

« copi, styli elegantia et suavi urbanitate « præcipuus, firmare et corde tenus reddere « adolescentulus compellebar; » e Petri Blesensis epist. 101. Primum forsitan locum inter ævi sui theologos obtinuisset, æmuli nisi dati Bernardus Clarævallensis et Anselmus Beccensis. Philosophorum catervæ et ipse, si Bruckero fides, nomen dedit. Artis quidem philosophicæ non fuit ignarus; sæpius tamen occurrit increpans quosque delabentes ad usum humanæ rationis in interpretandis mysteriis, suadensque simplicium fidem, ut in Sermone 69 : « Quidam in phi« losophicis facultatibus quamdam subtilita« tem inutilem, vel inutilitatem subtilem quæ« rentes, quibusdam minutiis verborum in « cavillatione respondentes utuntur, quibus « in disputatione usi ossa Christi est incine« rare.... Etsi Deus convertit nos artium li« beralium phantasmatibus uti, si in hac « scriptura voluerimus similiter sophistice « incidere, odibiles Deo erimus, strepitum « ranarum Egypti in terram Gersen tradu« cere molientes. » Hildeberti summo studio collegit opera domnus *Beaugendre*, e congregatione S. Mauri, et anno 1708 in lucem misit, Parisiis, in-fol. Hujus de vita scriptisque thesim nuper Cadomi proponebat, edebatque Bajocis D. *Hebert-Duperron*, gymnasii Bajocensis rector.

LXVI. Hugo II.

DE LA FERTÉ.

Hildeberto defuncto, magnus animorum fervor, cum vacuam sedem plures ambirent et clerum populumque in partes æquas distraherent. Non pauci optabant Philippum, quem Gilbertus archiepiscopus nepotem aluerat (1). Ludovicus rex VII inter illos, clientis non sane contemnendi potens patronus. Altera pars erat suffragantium Hugoni, Guillelmi de Firmitate germano, Turonensi forsitan monacho, ut S. *Genoux* opinatur in Gallia sua Infulata (2); quem, præter eximias animi dotes, commendabat tutela Bernardi Clarævallensis non otiosa. Cum ad comitia ventum est, secundum Hugonem plerique decernere, et canonice protinus electum asserere : numero minores, Philippo duce, Hugonem clamitare simoniacum moribusque turpem. Illinc discordiæ motæ, et dum summi Pontificis sententia requireretur, frequentes pugnæ, quin imo cædes et incendia. Mox vero cum sedem Philippus occupasset, Hugo Cenomanum se recepit, et a Guidone et comprovincialibus episcopis benedictionis munus impetravit; e Gestis Pontific. Cenoman., in Analectis Mabill., t. III, p. 339. Quo Philippus, ut aiunt, cognito, secum Turonensis insignia metropolitæ deferens, furtim, prædoni similis, aufugit. Tunc ad suos redux Hugo solemniter, ut mos erat, ab ecclesia S. Martini, inter tumultuantis plebeculæ globos et convicia, sibi viam ad metropolitanam sedem aperuit. Legatos misit summus Pontifex qui rem enodarent. Præcipuus inter illos Bernardus ad dominum papam plurima scripsit, Philippi pervicaciam increpans laudansque vitam Hugonis culpatam. Philippus ipse Romam pergit, causam oraturus suam; sed opera tardus rediit perdita. Anacleti postea, Romanorum pontificis, cum partibus adhæsisset Philippus, ab eo Tarentinus creatus est episcopus. Quem postea, a pseudo-papa veluti consecratum, Innocentius e sacerdotali gradu dejecit. Nec desunt his de jurgiis optimæ fidei monumenta : consulendus, præ cæteris, Bernardus Clarævallensis, in epistola 150; Rer. Gall. Script., t. XV, p. 562. Nunc ad Hugonis gesta. Sedisse quidem illum memorat Labbæus in Jotrensi concilio, e quo sententia prodiit lata contra Thomæ, Victorini prioris, percussores. Incertus dies Jotrensis concilii : si vero coactum fuit, opinante Labbæo, circa finem anni 1130, Hugone pro Turonensi Gratianopolitanus forsitan Hugo legatur in epistolæ papalis inscriptione ad archiepiscopos de Victorini cæde conventum habituros. Validis vero comprobare conatus est argumentis P. Antonius *Pagi* concilium Jotrense congregatum anno 1133 fuisse. Cui Mabillonius patrocinatur, cæsum Thomam hoc anno referens. De quibus, vide supra, t. VII, col. 664. Adeo non tam sagacibus rerum ecclesiasticarum enucleatoribus contradicere statuimus, ut contra neglecta ab ipsis testimonia præbere nos juvet, cum Turonensis Archiepiscopus Hugo II primum occurrat, calendis Julii 1133, in Geoffridi consulis charta, qua pactus est ille cum Salmuriensibus monachis de non augendo S. Florentii Veteris propugnaculo. Alind exhibere licet diploma ex archivo Omnium Sanctorum desumptum, in quo canoniris hujus monasterii concedens Hugo Saponarias, anno 1138, hunc annum expresse declarat episcopatus sui quintum. Propalatum denique Thomæ Calvini curis, e chartulario S. Petri de Curia, decretum Hugonis pactum sancientis inter canonicos S. Petri Culturæque monachos, cujus decreti diem adstantium nomina denuntiant. Adest enim Guillelmus Cultureusis abbas, cui jam, anno 1133 desinente, Fulco successerat, ut pluribus e chartis desumitur. Unde nec ante, nec post, sed anno ipso 1133 Hugonem electum fuisse comprobatur. Nunc ad ea quæ gessit in cathedra sedens deveniendum.

Brial, Rer. Gallic. Scrip. t. XIV, p. 419.

Mansi, Concilia, t. XXI, p. 451.

1133

Geograph. Antiq. Cenom. Ducc., Instr. p. 92.

Occurrit anno 1134, IX cal. Octobris, 1134

(1) Hunc *Maan* perperam dicit Turonensis ecclesiæ decanum. Nullus tunc hujus nominis decanus in Turonensi sedit capitulo. In Gestis abbatum Lobiensium monachus dicitur, *de familia ecclesiæ Fontanis oriundus*. Rer. Gallic. Script., t. XIV, p. 419.

(2) Codex Sangermanensis lat., sub num. 472.

ANNI CHRISTI

confirmans jam data prædia nascenti Turpiniacensium abbatiæ. Concilium provinciale Turonibus tunc temporis forsitan egit. In chartulario sedenim S. Petri de Cultura leguntur hujus litteræ pro ecclesia S. Medardi de Brueria, cui simul subscribunt Hamelinus Redonensis, Ulgerius Andegavensis, et Briccius Nannetensis episcopi. Præsens et ipse Guido Cenomanensis dicitur. Annus deest : cum autem mortalibus Guido curis eximeretur anno 1135, palam est conventum hunc sub primos Hugonis annos coactum fuisse. Deinde litem de pallio, quam moverat Hildebertus in Geoffridum Ruffum, Dolensem episcopum, Hugo acerrime prosecutus est, nec tamen ducere valuit ad exi-
1135 tum. Reperitur, die 2 Novembris 1135, Nannetibus degens et subscribens Conani ducis Britonum litteris, quibus plures episcopo Nannetensi traditæ ecclesiæ; in Probat. Hist. Brit., t. I, col. 571. Bellum hoc circa tempus exarsit fratres inter Sulpicium et Hugonem, Ambasiensis domini, Hierosolymæ nuper defuncti, filios. Hugoni cum faveret provinciæ comes, prælio victor evasit : Sulpicius vero, mox a Turonensi susceptus cliens, jure suo, Marte licet invito, potitus est. Ergo nulla quies provinciæ Turonensi; vixdum enim sopitas contentiones novi protinus excipiebant tumultus. Sedit Hugo,
1136 anno 1136, inter judices qui litem diremerunt exortam inter Salmurienses monachos et Fontis Ebraldi moniales de quibusdam locis ad Casas et Fissardos. Eodem forsitan anno, monachis S. Petri Carnotensis per eum licuit sumere lignum ipsis necessarium, in nemoribus quæ ei fratrique ejus Willelmo hæreditario jure obtigerant; e Chartulario S. Petri, pag. 610. Eodem anno præterea Burdigalam deveniebat ad Ludovicum regem, et hujus præcepto de canonica libertate Burdigalensium ecclesiarum et abbatiarum subscribebat; Rer. Gall. Script., t. XVI, p. 3. Annus non legitur quo Pictavii sedens in concilio, ut nos Garnerii Majoretani charta docet, pacem egit inter monachos Majoris Monasterii canonicosque Nannetenses super ecclesia S. Crucis; apud Moricium, Prob., Hist. Brit., t. I, col. 577 : annum vero 1136 suspicamur, cum sub id temporis Aquitaniam Hugo lustraret, non postea ad eamdem provinciam, ut videtur, iturus, eumque memorentur una Pictavium convenientes Albericus Bituricensis et Geoffridus Burdigalensis, de quibus annum hunc ante 1136 non
1137 fas loqui. Hugo testis occurrit, anno 1137, in testamento Sugerii, abbatis S. Dionysii; quo eodem anno, Cenomanum veniens, adfuit translationi corporis S. Juliani, quod a cathedralis ecclesiæ combustione per tres annos in
1138 lignea basilica jacuerat. Anno 1138, eremitarum Gastinetam silvam incolentium supplicibus votis annuens, illis concessit locum per-

A petuo possidendum, præcipiens insuper ut Augustiniana canonicorum regula, prout poscebant, uterentur, sibique præponerent abbatem sub cujus imperio degerent. Extat ejusdem eodem anno datum diploma, quo Tironensium abbati Guillelmo licentiam dedit abbatiam ædificandi novam in loco qui Lucesius vocabatur. Tunc quoque pactus est cum Majoretanis monachis de insula Majoris Monasterii. Cum maximo ferveret cœnobiticæ vitæ studio, cujuscumque religionis ascetis omnino facilem providumque se præbuit. Consuluit iterum Turpiniacensibus,
B anno 1140, statuens ut si quispiam illis in episcopatu Turonensi se suaque dedisset, dantem excipiendi plena fruerentur licentia. Memorat Joannes *Maan* illum, idem circa tempus, tutelam regimenque Fontebraldensis parthenonis lubentem admisisse. Pacem agebat, anno 1141, abbates inter S. Juliani 1141
et Villelupæ litigantes super ecclesia S. Mariæ Divitis et S. Medardi in suburbio Turonum, nec non inter monachos Pontis Levii clericosque S. Florentini Ambasiensis. Nec singula quidem narrare fas est, adeo sedulum se gessit ordinis monastici patro-
C num. Hunc ad annum, Martenio duce, referamus singularem prorsus illam Hugonis abdicationem, de qua multus apud scriptores coævos sermo fuit. Hugo consilium inierat Romam eundi, et, pium auspicatus iter, ad Charitatensem eximiæ sanctitatis abbatiam devenerat. Ibi vero, ægritudine correptus, monachicum habitum abdicatis induit infulis. Quod ut Turonensis audivit ecclesia, orbitatem lugens suam, summopere præterea metuit ne redirent electionis litigiosæ dies, missique sunt ad Innocentium II Petrus, archidiaconus, et Hugo Berne-
D rius, Nucariensis abbas, præcellentes doctrina viri, qui reddi sibi postularent exulantem episcopum, lege vetante monachum. Turonensium legatorum precibus suas ipse jungebat Petrus Venerabilis, Cluniacensium abbas, ad quem confugerat Hugo, sententiam expectans summi Pontificis. Ex epistola Petri Venerabilis ad Innocentium, quam Sammarthani, Joannes *Maan* et Mabillonius ediderunt, sequentia decerpere juvat : « Dominus Hugo, Turonensis archie- « piscopus, festinans adire majestatis vestræ « præsentiam, in ipso devotionis suæ itinere
E « apud Charitatem morbo correptus est. « Quo ingravescente, cum jam de vita de- « sperare cogeretur, monachicum ibidem « indumentum suscepit, et, per manum « prioris nostri de Charitate religionis ha- « bitu suscepto, Cluniacensis monachus « effectus est. Quod Turonensis ecclesia « audiens, et ne hac occasione pastoralem « curam relinquere vellet formidans, dom- « num P. archidiaconum dominumque Hu- « gonem Nuceriensem abbatem cum aliis

ANNI CHRISTI

« ad eum direxit, et ut ad ovile suum pastor A
« rediret omni studio, tota diligentia, sum-
« mis precibus rogare curavit. Noluit ille,
« nec multorum et magnorum virorum pre-
« cibus reditum persuadentibus adquievit.
« Instantibus illis, nec cœptis precibus ullo
« modo desistere volentibus, hoc tamen re-
« spondit nihil se horum prius facturum
« quam res vobis innotesceret, et a pater-
« nitate vestra quid sibi faciendum esset au-
« diret. Supplicat ergo quantum potest no-
« bilis illa et magna Turonensis ecclesia,
« supplicamus et nos, rogat, quod longe
« præstantius est, ipsa, ut nobis videtur, B
« justitia, quatenus patrem ad filios, pas-
« torem ad oves, prælatum ad subditos su-
« blimitas vestra redire persuadeat, et, si
« sponte noluerit, etiam invitum compel-
« lat. » Vicit tandem auctoritas apostolica
repugnantem præsulis animum, et deposi-
tum onus, ægre licet, resumens, Hugo rediit
1142 ad suos. Instituit, anno 1142, publicas Cai-
none scholas, quarum curam demandavit
capicerio et canonicis Cainonensis ecclesiæ.
Otiosam pacem plusquam decet conquirenti
mox Innocentius papa litteris mandavit,
Geoffridum Dolensem non abreptam ferre C
Rer. Gall. Script., t. XV, p. 407. sibi Aletensem ecclesiam, et judicem litis pos-
cere Romanæ sedis antistitem; quamobrem
Hugoni diem dicebat Innocentius, rem sæ-
pissime jam disputatam iterum cogniturus.
Domini papæ mandato cum non Turonensis
præsul obtemperasset, successit Innocentio
Cœlestinus, qui jussit Hugonem ad se venire
Ibid. p. 410. circa calendas Maii 1144. Sed ipse non ad
hanc diem vitam duxit Cœlestinus. Quamo-
brem res ad Lucium translata, qui Geoffridum
Ibid. p. 412. indebite metropolitanum sibi jus vindicasse
1144 dixit, et idem, mense Maio 1144, litteris
munivit privilegia quæcumque Turonensis D
ecclesiæ; apud *Maan*, p. 252. Concordiam
Hugo sancivit, hoc anno, inter Vindoci-
nenses et San-Julianeos monachos de tribus
capellis Carcere sitis, subscripsitque Lu-
dovici regis diplomati confirmantis a patre
data S. Petri Puellaris ecclesiæ, assensum
insuper præbentibus Geoffrido Burdiga-
lensi, Gilberto Porretano Pictaviensi, nec
non Bernardo Santonensi præsulibus. Eo-
dem anno, v calend. Decembris, aderat An-
degavi, et ecclesiam Castri Celsi, e ma-
nibus Normanni cujusdam, Nannetensis
archidiaconi, ad jus suum reducebat, trade- E
batque abbati Majoretanorum Garnerio;
apud Moricium, Prob., Hist. Brit., t. I,
col. 590. Carnutes tendebat anno 1146, eo
1146 vocatus cum cæteris Galliæ præsulibus, ut
Bernardum audiret, Edessa capta, vocantem
ad arma christianæ militiæ principes. Quo et
anno litteras Eugenii papæ III accepit, sen-
tentiam Lucii II de pallio Dolensi confir-
mantes; inter Prob., Hist. Brit., t. I, col. 598.
Episcopos ipse suæ provinciæ hoc circa tem-
pus Turonibus coegit, ut constat ex instru-
mento notabili quo Droco Mala Musca di-
misit querelam contra monachos S. Petri
a se motam super ecclesia S. Medardi de
Brueria (1). Infirmitate corporis gravi cor-
reptus in prioratu B. Mariæ de Charitate
ad Ligerim in alteram vitam migravit, anno
1147, postquam episcopatus peregisset qua- 1147
tuordecim annos et duos circiter menses, ex
Archiepiscoporum Turonensium Chronico.
Illius vitam æque duxerunt auctor Chronici
Turonensis, Guillelmus de Nangiaco, dom-
nus *Genoux* et Sammarthani ad annum
1149, eumdem delabentes in errorem.

LXVII. Engebaldus.

Hugonem Engebaldus protinus excepit. DE PRULLY.
Is paternum genus traxisse dicitur e Prullia-
corum dominorum stirpe, maternum e Vin-
docinensibus toparchis. Tesseram quidem
gerens priscorum Vindocinensium gentilem,
ab ipsis satus comprobatur. Occurrit jam
anno 1147 in charta Garleti de Monte Ri-
chardi, qua locus Aqua Viva dictus fratribus
Bellevallensibus addictus est: quam dona-
tionem Engebaldus confirmavit. Notitiam
edidit, anno sequente, qua sancita pax inter
Majoris Monasterii monachos et Mauricium
de Errablio, contendentes super terra *Vil-
latroc*. Eumdem præbet, anno 1149, instru- 1149
mentum Simonis de Balgentiaco, Majori Mo-
nasterio tradentis ecclesiam B. Mariæ Boni
Nuntii; inter Instr. t. VIII, col. 509. Quo
tandem anno Fontem Ebraldi deveniens, no- *Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 420.*
titiam protulit alteram sedatæ, quæ jam diu
fervebat, litis inter moniales Fontis Ebraldi
et canonicos S. Mauricii Andegavensis. Unde
palam est non parum somniasse qui primos
hujusce archiepiscopantis dies ad annum 1150
provexerunt. Confirmabat, anno 1150, ab- 1150
bati Villæ Lupæ Raginaldo Hugonis tem-
pore datas ecclesias, et idem circa tempus
agnoscebat Sulliacense monasterium ad jus
Malleacensis ecclesiæ pertinere; apud Sam-
marthanos. Occurrit et eodem anno compo-
sitas nuntians controversias inter Fontebral-
denses et Ridellum de Relgi, nec non mona-
chos S. Mariæ de Buxeria. Subscripsit,
Baugeii, anno 1151, litteris quibus Henricus, 1151
dux Normanniæ, nec non Andegavensis con-
sul, monialibus Fonte S. Martini degentibus
sexaginta libras contulit quotannis persolven-
das. Pacem egit et tunc temporis inter Nau-

(1) Droconis charta, e chartulario S. Petri de Cultura, notis caret chronicis. Cui vero subscribentes leguntur, inter cæteros, Guillelmus qui cathedram conscendit Cenomanensem anno 1142, et O., scilicet Odo, Vincentianus abbas, cui Guido successit anno 1145. Palam est ergo annos inter 1142 et 1145 percelebre congregatum Turonibus concilium de quo fasti silent Turonenses. Adfuerunt, præter Guillelmum Odonemque supra nominatos, Ulgerius Andegavensis, Alanus Redonensis, Itherius Nannetensis, Radulfus Corisopitensis, Guido Leonensis et R. abbas S. Carileti.

ANNI netensem episcopum et Majoretanos super
CHRISTI ecclesiis in Nannetensi pago sitis litigantes.
Eodem anno, Meduanam profectus, connu-
bio jungebat Mathildem, Joannis Vindoci-
nensis filiam, Henricumque Ponturensem
comitem. Quo ipso nuptiarum die in consi-
lium accitus a Guillelmo, Trecorensi epis-
copo, illi suadebat ut S. Salvatoris Wemgam-
pensis abbatiam Majori Monasterio uniret;
Prob. Hist. Brit., t. I, col. 610. Audegavum
mox pergebat, corpus S. Renati recogniturus,
1152 die 25 Martii 1252, secundum neotericam
temporum rationem, assistenti suffraganeo-
rum episcoporum numerosa caterva. Aliæ
mox ab eodem circumductæ reliquiæ. Gode-
fredus enim comes, nuper defunctus, sacras
SS. Sergii et Bacchi martyrum exuvias An-
degavum afferri curaverat e Hierosolymitanis
oris delatas : quas Engebaldus, xv calendas
1153 Februarii 1153, secundum hodiernum com-
putum, solemni ritu sacravit, præcipiens
insuper ut quarta pœnitentiarum parte ab-
solverentur benefacientes SS Sergii et Bacchi
monasterio. Bartholomæus presbyter et Re-
ginaldus, Sanaperii fratres, quidquid in Luc-
chesiana parœcia possidebant Serloni cui-
dam paucis ab annis tradiderant, uti canoni-
corum regularium abbatiam constitueret in
loco quem Baugesium dicebant. Traditionem
Ch. LXVI, col. 85. illam confirmavit Engelbaldus anno 1153,
locum omni consuetudine liberum denun-
tians, nec sibi, nec successoribus suis ob-
noxium. Pacem egit, eodem anno, inter
S. Martini canonicos et Lancelinum de Bal-
genciaco, litigantes de consuetudinibus Sodo-
briensis vici; inter Baluzii schedas, arm. 3,
fasc. 2, num. 3. Nimium famosus tunc tem-
poris Trecorensis episcopus nomine Guillel-
mus, cui simoniam, perjurium, ecclesiasti-
corum honorum prædationem et alia plura
cleri populique vox exprobrabat. Engebaldo
provinciam dedit Anastasius papa IV, anno
1154 1154, uti rei causam ordinaret. Majorem
Rer. Gallic. Script, t. XV, p. 659. etiam assecutus est apud Britones auctorita-
tem Engebaldus, cum eodem anno, die 5
Decembris, visus est Hugonem Dolensem con-
secrans. De quo consule Martenium, Anecd.
t. III, col. 912. Obsequium primo debitum
Turonensi metropolitæ negaverat Hugo re-
censelectus: quam ob rem excommunicationis
sententia perculsus, missus fuerat a domino
papa coram Sansone Remensi, causam oratu-
rus suam, sicut legimus in incerti cujusdam
auctoris epistola quam Martenius prælo dedit,
Anecd. t. I, col. 603, ex archivo B. Mariæ de
Fontanis. Altiores tandem animos exuens
consecrationem Hugo poposcit. Anno se-
quente, Burgulium pergens ad negotia quæ-
dam provinciæ tractanda, eumdem Engebal-
dus Hugonem ad se venientem benignius
excepit, audivitque, sicut meminere jurati
testes, his verbis utentem : *Ego moram feci;
tandem veni ad mandatum vestrum et ad*
A *obedientiam, sicut et cæteri episcopi vestri.* ANNI
Occurrit denique Engebaldus eodem anno, CHRISTI
XIII calendas Augusti, confirmans possessio-
nes Prulliacensis monasterii; eodem anno,
laudans paciscentes super ecclesia *de Ver*
Majoretanos et canonicos S. Maurilii Ande-
gavensis, nec non canonicos S. Martini Hu-
gonemque de S. Maura, qui jam dudum de
terris hominibusque S. Spani litigabant. De-
cedens anno 1156 memoratur a Roberto de 1156
Monte. De quo sic martyrologium S. Mar-
tini : « III idus Septembris. Anniversarium
« Angebaudi, archiep. Turonensis, qui de-
B « dit huic ecclesiæ XXX solidos super quas-
« dam vineas apud Sodobrium sitas. » Ejus
exsequias eadem die celebrabant San-Julianei,
ex eorum martyrologio.

LXVIII. Joscius.

Joscius, qui dicitur idem Jodocus, Joscio-
nus, Joscelinus, Jotho vel Gotho, Engebaldo
jam succedebat, e Briocensi sede deductus,
anno 1157, ut in Chronico Guillelmi de Nan- 1157
giaco legitur. Cui suffragatur Hamonis, Leo-
nensis episcopi, charta, data VI idus Julii
C 1157, Joscio Turonibus archiepiscopante,
quam domnus edidit Moricius, inter Probat.
Hist. Brit., t. I, col. 629. Turonibus præterea
dicitur sedens, IX cal. Augusti ejusdem anni,
in charta fundationis Vitreiensis prioratus;
ibid., col. 631. Gente Brito, et e gentis pri-
moribus, Odoni, Britanniæ duci, Joscius
placuerat. Vixdum ad cathedram devectus
Turonensem infensos expertus est S. Martini
canonicos. Cum enim Ludovicus VII pagum
S. Petri Puellaris basilicæ S. Martini dedisset,
Martinienses non modo temporale, sed etiam
spirituale jus sibi vindicarunt in prædictum
D locum, ab episcopali jurisdictione quasi libe-
rum. Illinc contentio protinus accensa, et
simul ad regem et ad dominum papam de- Rer. Gallic. Script. t. XVI, p. 49, 50.
lata. Joscio favit uterque judex, et promul-
gatum est S. Petri burgum neutiquam a spi-
rituali præsulis dominio fuisse divulsum.
Sententiam vero latam detrectaverunt cano-
nici, cumque, non multo post, Joscius ad
ecclesiam S. Petri solenniter clero stipatus
incederet, portas obserarunt : inde supremo
rex in concilio sedens illos non secus ac re-
belles castigandos edixit (1). Inter Joscium et
San-Julianeos monachos eodem circiter tem-
E pore lis exorta. Decesserat Aimericus ab-
bas S. Juliani, et sibi jus in abbatis novi
delectu pertinere dicebat Joscius, quod mo-
nachi negabant. Quocirca litteras ad Ludo-
vicum regem scripsit, petens ut civili gladio
compellerentur ad obsequium (2). Id quo-

(1) Martiniensium hanc et Joscii controversiam adscribit domnus *Brial* anno 1163. Temporum rationem quam Joannes *Maan* proposuit sequimur.

(2) Litteras Joscii reperire est tam apud A. Quercetanum, t. IV. p. 651, quam apud Rer. Gallic. Script. t. XVI, p. 17.

ANNI CHRISTI

modo cessit non plane notum, nisi fides ad-
hibeatur Joanni *Maan* qui, metropolitanam
rem semper monachicæ præponens, in causa
sua monachos cecidisse memorat; Sancta et
Metr. eccl. Turon., p. 121. Mox autem ipsam
S. Juliani custodiam dimittebat Ludovicus,
quam Henricus, Anglorum rex, suscipie-
bat: e litteris Henrici quibus, annum circa
1158 1158, Joscius ipse subscripsit; Baluz. Miscell.
t. IV, p. 486. Rursus tradebat Joscius, die 18
Augusti 1158, ecclesias capellasque pluri-
mas abbatiæ S. Melanii datas, et, hujus ad
preces, eodem anno, Manasses, Aurelia-
nensis episcopus, quædam abbatiæ Ponti-
leviensi confirmabat altaria; inter Instr.
1159 t. VIII, col. 514. Aderat, VI nonas Maii 1159,
translationi corporis S. Florentii martyris, a
Salmuriensibus in novam capsam delati. Con-
cordiam agebat, eodem anno, inter monachos
S. Juliani Turonensis et Vindocinensem S. Tri-
nitatis abbatem, de tribus capellis Carceri-
bus sitis. Major illi postea res demandata. Cum
enim Fredericus Ænobarbus, Romanorum
imperator, Victorem simul et Alexandrum de
S. Petri cathedra contendentes vocasset Pa-
piam audiendos de schismate, et ad pacem
vel sæcularibus armis cogendos, missus fuit
Joscius ad Alexandrum a regibus Francorum
Anglorumque; qui Pontificem, Cæsari morem
in divinis gerere recusantem, jamque dictum
læsæ majestatis reum, traxit in Galliam, duxit-
que primum Claromontium Arvernorum,
1163 mox Turones, ubi celebratum, anno 1163,
Labbeus, Concil., t. X, p. 1411 et seq. XIV calendas Junii, concilium inter Turo-
nensia septimum. Non parvus quidem ad
papam exulem episcoporum concursus, cum
quatuor et viginti ultra centum memorentur
in S. Mauricii basilicam convenisse. Sedebat
inter cæteros Thomas Cantuariensis episco-
pus, cum suis suffraganeis, mox numero
martyrum adscribendus. Hoc de concilio
multus a diversis habitus sermo, quos inter
præcipui Guillelmus Neubrigensis, Anglican.
Rerum lib. II, c. 16, et Nicolaus Trivettus,
in Chronico. Integram vero pauci canonum
seriem exhibuere. Horum enim octo solum
Maan edidit, e Binio, et postea quam plures
alios ea tenus incognitos Baluzius et Marte-
nius e variis codicibus eruissent, eos tan-
dem, numero novem et viginti, in meliorem
ordinem redegit notisque luculentis illustra-
vit jam sæpe laudatus *Travers*, in tomo II
Conciliorum Turon. provinciæ, ad ann. 1163.
Ibi auctoritas Alexandri firmata, dictusque
Victor pseudo-pontifex. Attentius legere de-
cet Joannis *Maan* canonem octavum, trede-
cimum in schedis *Travers*, quo prohibetur
ne regulares e claustris exeant, sæculares adi-

Erravit vero domnus *Brial*, ad annum 1158 eas referens, conjectura non adeo, præter morem, scrupulosa fretus. Anno sedenim 1158, nulla San-Julianeos apud monachos de eligendo abbate materia dissidii, dum præfecturam tenuit Garinus ab anno 1157 ad annum circiter 1160.

A turi scholas, *ad legendas leges et confec-
tiones physicas ponderandas*. Nos præterea
monet Joannes Cornubiensis, in Eulogio,
patres Turonibus congregatos famosam hanc
agitavisse, non vero solvisse quæstionem, an
Christus in quantum homo non sit aliquid.
Gratissima forsitan Alexandro fuit Turonum
civitas, quam, dimisso concilio, per plures
menses incoluit, ut illius litteræ testantur
quas A. Quercetanus edidit. Quo, ut vide-
tur, tempore, Joscio dominus papa causam
commisit investigandam Americi, Burgulien-
sium abbatis, non nullis criminibus impetiti.
B Plures ea de re scripsit Joscius ad Ludovi-
cum regem epistolas, reum absolvens omni
culpa. Legantur apud Rer. Gallic. Script.,
t. XVI, p. 73. Anno præterea 1163, Joscius
Vernoii paulisper commoratus controversiam
diluebat inter Aubertum, S. Maclovii episco-
pum, et fratres Majoris Monasterii super eccle-
siis S. Petri *de Taden* et S. Brioci de Ploasno;
apud Moricium, Prob. Hist. Brit., t. I, col.
647. Anno 1165, ad Burgundiæ fines perge- 1165
bat, colloquium habiturus cum Frederici qui-
busdam legatis de novissimis Ecclesiæ peri-
culis. Indicta vero dies præteriit, et, cum
C serius imperatorii nuncii venissent, nec au-
ditæ nec redditæ voces, et inde spes pacis
desperatissima. Summis, ut palam est, in-
cumbens negotiis, non ideo Joscius ecclesiam
neglexit suam. Frequentia tunc temporis dis-
sidia inter sæcularis Ecclesiæ pastores peculia-
ribusque regulis addictos ordinis cujuslibet
monachos, sive etiam religionis Augustinia-
næ canonicos. Joscius jam Martiniensibus
et San-Julianeis notus ut qui jura sua im-
pigre tueretur, cum Cormaricensibus dein in
litem veniens ad obsequium invitos adegit.
Nec jurgiis obdormivit istis quasi privatis,
D quæ de temporalibus monasteriorum aut ec-
clesiarum rebus sæpissime tunc movebantur.
Sic, anno supra memorato, pacem fecit inter
Cormaricenses monachos et Bartholomæum
de Haia de procuratione quadam litigantes,
e schedis domni *Housseau*, t. V; et, XVI ca-
lendas Junii 1167, composuit contentionem
ortam inter monachos S. Petri de Cultura et
Gervasium sacerdotem de jure parochiali in
Bruslonis ecclesia. Laudatur præterea sa-
piens illius judicium, cui subscripserunt præ-
stantes auctoritate viri, Joannes S. Maclovii
episcopus et Garinus abbas S. Juliani, de con-
E troversia diutius ventilata Cistercienses inter
Fontanarum monachos et Paganum, Austre-
chiæ curionem. A majoribus ad minores cau-
sas descendimus; nunc a minoribus ad ma-
jores rursus eundum. Anno sedenim 1167,
reges inter Anglorum Francorumque bellum
accenditur, et hostiles uterque villas invadens
omnia presternit occurrentia. Classica so-
nant, obsessa castella ruunt, et ferro lentius
agenti suam ignis operam ministrat. Has Jos-
cius, si Roberto de Monte fides, concitavit

procellas. Cum enim coacervata fuisset Tu-
1 ronibus ingens auri vis Hierosolymam defe-
renda, et per suos nuncios eam transvehere
vellet rex Anglorum in suo comitatu quasi
collectam, suggestione Joscii Gallorum rex
obstitit, ut qui Turones suo sub principatu
tenebat. Illinc, eodem teste, evaginati gladii.
Nec multo post simultatum mensura cumu-
latior inter Henricum, Anglorum regem et
Thomam, Cantuariensem archiepiscopum.
Thomæ favens Alexander papa III ad Joscium
70 scripsit, 18 Februarii 1170, ut terras regis
Anglorum cismarinas, nisi cum Thoma pro-
Gall. tinus ille ad pacem veniret, interdicto sup-
ipt., ponendas esse cognosceret, et in eis, omni
XVI, 423. appellatione remota, ne sacra celebrarentur
officia prohiberet. Eodem anno, 28 Decem-
bris, neci Thomas crudeli martyrio trade-
171 batur. Quocirca, 14 Maii 1171, mandabat
Ibidem, 474. Joscio summus Pontifex ut interdicti senten-
tiam, in occisorem latam, inviolabiliter ob-
servare studeret. Qui tamen Joscius, ut,
anno 1172, absoluto regi Ecclesiæ patuere
fores, illum suffraganeis stipatus episcopis
Cadomi convenit et exhibuit populo pœniten-
Ibidem, p. 485. tem. Ad Joscium et Eduensem episcopum di-
rectæ, annum circa eumdem, Alexandri papæ
litteræ de examinanda excommunicationis
sententia in comitem Henricum lata; Rer.
Gallic. Script., t. XV, p. 909. Confirmavit,
anno 1173, emptam a monachis Baugeseii
terram *de Doinces*, e Baugeseii chartulario.
Obiit Joscius in extremam paupertatem de-
lapsus, cum æs privatum in necessitates pu-
blicas impendisset. « Fuit magnanimus, sed
« versutus, ait Chronicon a domno Moricio
« compilatum; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 670.
« Nam, uti pergit chronographus, in tantum
« ecclesiam B. Martini, nec non et Henricum,
« regem Angliæ molestavit, quod in litis nau-
« fragio quidquid habere poterat dissipavit. »
Annus mortis ambiguus. Rejicienda fides
Chronici Britannici, a domno Moricio prælo
dati, in eo quod Joscium referat anno de-
functum 1175. Hæremus tamen incerti cui
potius assentire deceat, inter Guillelmum de
Nangiaco obitum hujus adscribentem anno
1173, apud Rer. Gallic. Script., t. XX, p. 738,
et Robertum de Monte vitam hujus trahentem
ad annum 1174; Probat. Hist. Brit., t. I, col.
134 (1).

LXIX. Bartholomæus II.

DE VENDÔME. Ortus gente Vindocinensi Bartholomæus
patrem habuit Godofredum, dictum Grisam
Gonellam, matrem Mathildem Castrodu-
næam. Archipræsulis Engelbaldi se declarat
A ergo nepotem, in diplomate quo protegendos
suscipit Baugeseii monachos, Oratorii filios.
Ante quam pontificias sumeret infulas, Tu-
ronensis erat decanus. Hujus quidem de
consecrationis anno litigant. Testatur et ipse
quod ab anno 1174 metropolitæ munus ges- 1174
sit, in pluribus chartis quas infra memo-
rabimus. Aderat cæterum Blesis hoc anno
1174, contendens cum Sulpicio, Cormari-
censium abbate, de juribus quæ sibi vin-
dicabat jam consecratus pontifex in ab-
batiam intra fines diœcesis suæ sitam. Quod
diremerunt dissidium judices a suprema
B sede delegati, Pontius videlicet Claromon-
tanus episcopus et Matthæus Trecensis. As-
sumptio Bartholomæi non quidem prorsus
canonice peracta, cum per totam ferveret
Turoniam bellorum tumultus, nec canonici
Turonenses suffraganeos ad excipienda suf-
fragia vocassent episcopos. De qua re lege
epistolam Arnulfi, Lexoviensis episcopi, ad
Guillelmum Cenomanensem; Rer. Gallic.
Script., t. XVI, p. 677. Sed, ut ait Ar-
nulfus, eximia electi fama abnormem absol-
vit electionem. Chronicon Turonense Bar-
tholomæum dicit genere clarum, sermone
C facundum, providum consilio. Ne mireris
igitur si fuit idem et insimul consiliarius
regum et Apostolicæ sedis legatus in Gallia.
Ipsi maximæ res continuo demandatæ : non
tamen ovile neglexit suum, quibuslibet sem-
per intentus, ut qui nil seduli præsulis in-
dignum reputaret, et pacis amans imprimis
querelas omnes temperare satageret, ipsosque
dubio auctore susurros. Pacem egit, die 10
Julii 1175, inter Cormaricenses monachos et 1175
curionem S. Macuti de Landa. Dein, eodem
anno, teste *Maan*, scholarum magisterium
adjunxit cancellariæ matris ecclesiæ. An-
D num circa 1176, præsente sedenim Roberto,
Majoretanorum abbate, contumaciam Bur-
chardi fregit, unius inter potentissimos Turo-
nensis pagi toparchas, qui molestiis afflixe-
rat innumeris homines B. Mariæ de Tavento.
Majora mox aggressus, Redonibus concilium
celebravit anno 1176, ad extirpandam, ut 1176
Maan opinatur, Albigensium hæresim : in
qua re parum profecit, illorum audacibus
cum faveret inceptis non vulgus tantum
semper novitatis amans, sed etiam strenuus
Tolosæ comes Raimundus, civilem poten-
tiam augeri studens, episcopalem minui.
E Hoc de concilio consule Robertum de Monte,
et auctorem Chronici Kemperlegiensis; quo-
rum neuter tamen de coercendis Albigensibus
mentionem fecit. Bartholomæus, eodem
anno, consecrabat altare Nucariensis monas-
terii, et ab Alexandro papa confirmatum habe-
bat jus patronatus in ecclesia Blandiaca apud
Carnutes. Memoratur, anno 1177, controver- 1177
siam dirimens inter S. Florentii monachos et
sacerdotem populumque San-Dionysianum
super finibus parœciarum Ambasiensium.

(1) Ad illum scripsit Stephanus Tornacensis de Augustino Conseranensi electo. Quam Stephani epistolam, nec non Augustini Conseranensis electionem, anno circiter 1177 adscripsere antecessores nostri, t. I, col. 1129. In quo palam est illos errasse, cum Joscius tunc e numero vivorum deturbatus jaceret.

ANNI CHRISTI

Majus, eodem anno, solutum litigium archiepiscopos inter Bituricensem et Turonensem de jure patronatus in Millebeccensi abbatia. Hanc condiderat Sigirannus, Turonensis archidiaconus, et ob id ea lege tenebatur ut patronum agnosceret suum Turonensem metropolitam. De qua re quæstionem primus movit Guarinus Bituricensis. Fœderis articulos proposuit Bartholomæus, et sancitum est ut Turonensibus metropolitis adscriberetur abbatia Millebeccensis jure prædiatorio, sive regali,
J. Maan, Sanct. et Metropol. Eccl. Turon. p. 130. Bituricensibus vero lege diœcesana. Quod ubi pacti sunt archipræsules, sacramentum utrique præstitit Petrus abbas, cujus nomen deest in abbatum Millebeccensium catalogo ab antecessoribus nostris edito, tom. II, col. 169. Bartholomæum vocavit Alexander, anno
1179 1179, ad Lateranense concilium, contra Valdenses et Albigenses congregatum. Ægrotans vero Bartholomæus ire quo jubebatur non valuit. De qua re scripsit ipse Ludovicus rex ad dominum papam : « Devotus « filius vester B. Turonensis archiepiscopus, « licet longa ægritudine afflictus, et supra « humanum characterem extenuatus, ad sa« crum concilium nostrum iter arripuerat, « quæ non poterat corpore animo satagebat « implere. Is cum venisset Parisius, locutu« rus in transitu suo cum domino rege, re« cidiva correptus infirmitate sine periculo « mortis, ut credimus, iter incœptum, etsi « oportuit, non potuit tamen consummare. » Legendus præterea Stephanus Tornacensis ad Guillelmum Remensem, plura commemorans de Bartholomæo, nec reparandam sa-
Rerum Gallic. Script. t. xv, p. 970. nitatem, nec ipsam curante vitam, dummodo Romam pergeret. Moverat illum imprimis quod tractandam se absente metuebat rem Dolensem. Illam vero Lateranense concilium
Rer. Gall. Script. t. xvii, p. 438. non cognovit. Melius semet habens Bartholomæus ministrabat, eodem hoc anno 1179, calendis Decembris, Guillelmo Remensi Philippum Augustum in regem inungenti. Ab-
Marten., Thes. Anecd. t. i, p. 593. solvebat, anno sequente, judicio quod Martenius retulit, controversiam inter Radulfum Andegavensem exortam et monachos B. Albini. Ad hunc annum referendæ Alexandri papæ III ad Bartholomæum litteræ, quas domnus *Brial* edidit; Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 971. Monet illum dominus papa supremo solvendam judicio litem de pallio Dolensi, et Romam tamen pergere non, ut aiunt, valenti dat vadimonii quamdam prolationem. Confirmavit Bartholomæus, anno
1182 1182, traditum monachis Majoris Monasterii monasterium S. Maglorii Lehonensis; iter vero non aggressus est Romanum, et eo forsitan absente litem diremisset Lucius papa III, ad illum nisi Philippus rex, calamo Stephani Tornacensis utens, epistolam scripsisset moras petentem novas. E cujus epistola fragmentum decerpere nos juvat, ut inde noscatur quantum eo fuit tempore Bar-

A tholomæi nomen, et quanta regiis in consiliis auctoritate valuit. Hæc enim sunt Philippi verba : « Carissimum ac fidelem « nostrum Turonensem archiepiscopum sug« gestione quorumdam, et favore, ut dici« tur, cujusdam, infra brevissimi temporis « angustias vocastis, ut de causa quæ magis « est nostra quam sua respondeat, et statum « coronæ in ancipiti statera ponat, periculo« sum sane et ignominiosum nobis et posteris « qui succedent. Proinde Sanctitati vestræ « preces ex toto corde prodeuntes fundimus, « ut intuitu Dei et pacis regni Francorum, B « quæ in hoc articulo, si processerit, peri« tura est, a causa ista penitus desistatis. « Sed, sicut temporibus antecessorum nos« trorum, Turonensis ecclesia metropoli« tanum suum in tota minori Britannia ob« tinuit, ita diebus nostris, quos pertur« bare nec debetis nec vultis, obtineat et « observet. Quod si forte, quod non cre« dimus, inexorabilem vos inveniremus, « usque ad congruum tempus, quo Dominus « pacem et quietem regno nostro dare volue« rit, archiepiscopo nostro Turonensi dila« tiones indulgeat benignitas vestra, quoniam C « propter necessarias regno nostro causas « eum retinuimus : primo propter difficilli« mam quam cum comite Flandriæ guerram « habemus; secundo propter motus plus« quam civiles qui in provincia Britanniæ « insurgunt inter principes ejusdem provin« ciæ et regis Anglorum filios; tertio propter « proximum colloquii terminum quod cum « Imperatore post Pascha, Deo volente, « sumus habituri : in quibus omnibus ipsius « archiepiscopi industria, præsentia, consi« lio et auxilio indigemus. » Vide Steph. Tornac. epist. 107. Romam igitur non tetendit D Bartholomæus, et rursus causa Dolensis fuit dilata. Confirmabat, anno 1184, posses- 1184
siones S. Petri Prulliacensis; inter schedas domni *Housseau*, t. V : simili confirmatione, eodem anno, probabat traditam canonicis B. Martini, a Guillelmo præcentore, eccle- Bibl. Scholæ Chartar. t. i.
siam S. Simplicii. Quo eodem, die 13 Junii, ecclesiam consecrabat Baugeseii noviter extructam, ut suis testatur in schedis Michaël *de Marolles*. Asseruit, anno 1186, 1186
ecclesiæ Turonensi Hilarianum altare ad Ederam fluvium, in Pertico. Quo et anno, Septembri mense, Urbanus ad eum scribens E papa III novas concessit quoad rem Dolensem inducias; Rer. Gall. Script., t. XIX, p. 329. Eodem, mandato domini papæ, pacem agebat inter S. Petri Carnotensis monachos et presbyterum S. Georgii; e Chartulario S. Petri quod D. *Guérard* edidit, p. 660. Nec anni sequentis fasti de Bartholomæo siluere. E Gregorii papæ litteris palam est, incuria, vel etiam, ut ait dominus papa, malitia præsulum Turonensium, ecclesiam tunc temporis matrem onere gravatam æris alieni fuisse.

ANNI CHRISTI

Usque adeo fœnus excreverat, ut totius
archiepiscopatus annui redditus vix ad sol-
vendas usuras sufficerent. Rem summo Pon-
tifici Bartholomæus confessus erat, con-
silium petens et opem. Ad abbatem Majoris
1187 Monasterii scribit Gregorius, anno 1187, ut
evoluto bonis metropolitæ centum libras
Parisienses saltem porrigat. Decreto stabi-
1188 livit Bartholomæus, anno 1188, res Burgu-
liensium, adstantibus Hugone, decano Tu-
ronensi, fratre suo, Garnerio præcentore,
Petro cancellario et aliis. Quo eodem anno,
Cenomanum deveniens, in conventu sedit
quem Henricus Anglorum rex coegerat, ut
quæstio moveretur de nummis ad susceptum
contra Sarracenos bellum comparandis. Eo
de conventu prolixe Benedictus Petroburgen-
sis in Henrici II Vita disseruit; Rer. Gall.
Script., t. XVII, p. 478 : hallucinans autem
Guillelmum ille nuncupavit Turonensis pro-
vinciæ metropolitam. Anno sequente, oc-
cumbentem excepit, Cenomani, regem Hen-
ricum; e Silvestris Girardi, Cambrensis, de
Institut. Principum dist. 3 : qui Bartholo-
mæum dicit assiduum Henrici comitem. Ei
mox idem archipræsul, mense videlicet Julio
6118 1189, in Fontebraldensi monasterio solem-
nia persolvebat; e Radulfo de Diceto. Octava
1190 et vicesima die Martii 1189, sive 1190, secun-
dum hodiernum computum, a Richardo,
Angliæ rege, præceptum obtinuit dirimens
controversias jam diu susceptas inter comites
Andegavenses et Turonenses archiepiscopos,
de consuetudinibus et redditibus Turonum,
Cainonis, Marcayi et Ableviæ. Quod pactum
mox confirmavit Francorum rex Philippus.
Eodem anno, si fides Hovedeno, Turones
iterum venit rex Richardus, festinansque
suum ad transmarinas partes discessum, a
Bartholomæo, quem Hovedenus et ipse Guil-
lelmum dicit, peram et baculum accepit. Ea
tamen de re siluit Benedictus Petroburgen-
sis, et, e certioribus forsitan testimoniis,
Radulfus de Diceto susceptam a Richardo,
Bartholomæo ministrante, crucem asseruit
sub annum 1187, cum superstes adhuc rex
Henricus esset, nec consilium filii sui probas-
set; Rer. Gallic. Script., t. XVII, p. 629.
Richardi litteris subscribebat Bartholomæus
in gratiam S. Mariæ *de Gouffern*, 6 Apri-
lis 1190; supra t. XI, col. 168, Instr. : et,
19 Aprilis, litteris ejusdem pro monachis
1191 Turpiniacensibus. Anno 1191, Bartholo-
mæus occurrit in Benedicti Petroburgensis an-
nalibus, Geoffridum, Eboracensem electum,
mandato Cœlestini papæ consecrans; Rer.
Gallic. Script., t. XVII, p. 536. Quod iisdem
fere verbis narrant Radulfus de Diceto, ibid.,
p. 641, et Annales Waverleiensis monasterii,
ibid., t. XVIII, p. 190. Memoratur præterea
1129 Bartholomæus, anno 1192, paciscens cum
Martiniensibus de variis decimis, ut in Pan-
carta Nigra Sammarthani est legere. Subscri-
A psit, anno 1196, chartæ Richardi regis plu-
rima conferentis diversis conventibus Gran-
dimontensis ordinis tum in Andegavia, tum 1196
in Turonia. Addicta Deo quasi tota Bartho-
lomæi familia. Engelbaldum jam illius dixi-
mus avunculum : chartula nunc subest de
quibusdam B. Mariæ de Bello Monte confir-
matis, anno 1197, ab ejus consanguineis Geof- 1197
frido, Bartholomæo, Gervasio et Matthæo,
in qua deprehendimus Geoffridum hunc, dic-
tum de Plessiaco, Turonensis ecclesiæ can-
cellarium, et hujusce Geoffridi matrem Dio-
nysiam monialem factam Belli Montis, patrem
B Gervasium sodalem militum Templi. Hoc
anno 1197, Guillelmum, Abrincensem epis-
copum, ad cathedram Andegavensem trans-
latum, Bartholomæus consecravit. Quod ut
Innocentii papæ III auribus innotuit, cum
hujus præter mandatum Guillelmi translatio
fuisset peracta, auctoritati suæ morem negari
debitum non tulit. Hanc ideo provinciam
Bituricensi dedit archipræsuli, ut Turonen-
sem e confirmatione pariter et consecratione
pontificum suspenderet, superatos ob juris
episcopalis in majori causa terminos et illa-
tam supremæ sedi injuriam. Hæc Innocen-
C tii litteræ declarant, quas Baluzius edidit.
Ea de re plura legere licet in episcopis An-
degavensibus.

Anno sequente, rursus agitata, mox sol-
venda, lis de pallio Dolensi. Romam tendit
Joannes IV, Dolensis electus, de more petens
ut metropolitana sibi dentur insignia. S. Pe-
tri cathedram Innocentius III recens as-
sumpserat, et is erat qui nihil actum repu-
taret in causa pacis, si quid successoribus
suis traderet agendum. Ante quem ut Joannes
stetit Dolensis, annosam de pallio litem In-
nocentius jussit iterum agi et denuo dirimi.
D Dixit igitur diem discordantibus, Turonen-
sem monens causam tandem definiendam,
etiamsi nec ipse, nec ipsius procurator
Romæ sisteret; Epist. Innoc., lib. I, epist.
168. Misit ægrotans Bartholomæus plures ec-
clesiæ canonicos, qui causam orarunt, au-
dieruntque contradicentes Joannis clericos.
Sententiam tandem summe decretoriam su-
premus Pontifex edidit, 1 junii 1199, qua su-
blatum est schisma, abolita penitus Dolensis
ecclesiæ libertate; Epist. Innoc., lib. II,
epist. 83, ad archiep. Turonensem. Ulti-
mum illud fuit Britannicæ metropolis nau-
E fragium. Ab annis plusquam tricenis quæstio
vertebatur, quæ fuit inde sopita, postquam
sæpius æs omne Turonensis ecclesiæ, nec
non Dolensis, impendia litis exhausissent, et
numero quasi carentes schedas, adversarum
conscias querelarum ac fraudum, utrinque
litigantes coacervassent. Lata sententia,
scripsit Innocentius ad Philippum regem,
ad Arthurum cæterosque Britanniæ magna-
tes, ad clerum Dolensem populumque, ne
provocatio fieret ulterius ad Romanam

ANNI CHRISTI

sedem de causa satis superque cognita. A
Ad Radulfi castrum deveniebat Bartholomæus, anno 1200, et a Dionysia, Andreæ de Calviniaco relicta, clientelaris officii professionem accipiebat. Unde constat Turonenses archiepiscopos olim fuisse castri Radulfi dominos; e Marten. Ampliss. Coll. t. I, col. 1035. Frequens Turonibus anno
1201 1201, in vigilia B. Gratiani, provincialium episcoporum conventus. Robertus enim Parisiensis cantor et Robertus de Aspigneio, apostolicarum latores litterarum, hac in urbe convenerunt Bartholomæum archipræsulem, nec non Arthurum, Britanniæ ducem, B
Moricius, Prob. Hist. Brit. t. I, col. 794. et adstantibus Redonensi, Nannetensi, Macloviensi, Venetensi et Corisopitensi episcopis, supremæ sedis de re Dolensi decretum propalarunt. Anno 1203, Bartholomæus
1203 Saponarias canonicis Omnium Sanctorum confirmavit. Quo et anno Villam Novam accedens, in partibus Britannicis, Constantiam, Britanniæ comitissam, sepulturæ tra-
1205 didit. Anno 1205, Lancelino abbati iterum concedebat ecclesias quas Pontilevienses monachi in ipsius diœcesi possidebant; ut supra legitur, t. VIII, col. 1383. Anno eodem, ordinationis suæ 31, ratum habuit C decretum Hamelini, Cenomanensis episcopi, qui capitulo suo, secundum normam ecclesiæ Carnotensis, licentiam concesserat exercendi justitiam per totam diœcesim. Eodem anno, judex eligitur ab Innocentio papa ad componendam discordiam inter canonicos S. Petri de Curia et capitulum Cenomanense. Eodem denique, synodum cogens provincialem, pactum egit cum Hamelino, Vindocinensi abbate, de trium prioratuum visitatione; e
1206 Vindocinensibus chartulis. Anno 1206, confirmavit noviter instauratam abbatiam Fontis Danielis. Eodem anno, sibi jus vindicans D in visitandos et ordinandos abbates Luceziensis monasterii, conventus Tironensis rectorem expertus est sibi vehementer adversantem. Pax tandem inter litigantes acta, IV cal. Julii, Bartholomæo fatente Luceziensis ab ipsius obedientia liberos et sub immediata Tironensium superioritate constitutos. Eodem præterea confirmavit Miciacensibus monachis ecclesiam S. Mauræ; vide supra, t. VIII, col. 1534. Obiit, e Guillelmo Armorico, e Chronico Panispontis, e Salmu-
Andr. Salmon, Adnotat. ad quosdam codices Anglic. p. 9. riensibus fastis, nec non e Chronico S. Albini, anno 1206, nempe die 15 octobris, et E sepultus fuit in abbatia Fontanarum. Illi Matthæus, auctor Tobiadis, opus suum dedicavit, anno 1542 luci datum. Quem his carminibus Matthæus alloquitur :

Ecclesiæ Turonensis apex, ovium speculator,
Ut speculum, præsul Bartholomæe, fave.
Nobilibus trabeatus avis, decus orbis, honesti
Forma, sacerdotum gemma, lucerna gregis,
Cleri præsidium, via pacis, cujus honore
Cujus luce dies ingeminata stupet;
Sol, cujus radios urbs Martinopolis orbi
Commodat, et totum partis honorat honor;
Es solis radius, in quo concessit honesto
Forma pudicitiæ, rara, sed apta comes;
Es solis radius, quo festinatur alumno
Vindocinum Turonis præsule, sive polus;
Es solis radius, cui præsul avunculus agnus
In pastore fuit, in dominante minor.
Hunc rea mors rapuit, cujus dignissimus hæres
Tractas emerita sceptra paterna manu.
Te Deus elegit, ut dispensare talenta
Tradita multiplici sedulitate velis.
Te Deus elegit vas nobile, vas in honore,
Vas speciale sibi, vas generale suis.
Vive, vale, decus ecclesiæ, dispone precanti
Portum, naufragium pelle, medere rati.
Suscipe Tobiæ titulos cum fratre decano,
Ut timidum duplex stella serenet iter...
Vivite, felices fratres, quos corpore solo
Esse duos eadem mens probat, unus amor.

Matthæum hunc, auctorem Tobiadis, abbatem S. Dionysii dixerunt Sammarthani, et hæc ex hujus epithaphio carmina deprompsere :

Archiepiscopii renuit Turonensis honorem;
Regum Francorum per tempora longa duorum,
Regni gessit onus celeberrimus iste patronus.

In quo doctos fratres non parum a recta via declinasse notarunt antecessores nostri, t. VII, col. 396. Is enim Matthæus qui Turonenses infulas renuisse memoratur, Sandionysianos rexit monachos ab anno 1258 ad annum 1286, nec idem est ac ille Matthæus qui non ignobile carmen de Tobia coævo suo Bartholomæo annum ante 1206 dicavit.

LXX. Geoffridus I.

Geoffridus de Landa, quem et alii Lusdium vocant, archidiaconus Parisiensis, et LA LANDE
a puerilibus annis in collegio B. Martini beneficio donatus, sedit Turonensis archiepiscopus ab anno 1206. Quem regi præpotens 1206
commendaverat patronus, Odo nempe, Parisiorum episcopus, ut legitur in Antissiodorensi Chronico. Eidem Odoni Geoffridoque nostro mandabat Innocentius papa III, *Gallia Christ. nov. t. VII, col. 86.*
18 Maii 1207, ut Philippum, Francorum regem, qui bona defuncti Autissiodorensis episcopi vi regaliæ abripuerat, compellerent ad restitutionem ablatorum. Eodem 1207 *Innoc. pp. Epist. lib. X, epist. 71.*
anno consecrasse dicitur Geoffridus Gastinensem ecclesiam. Mense Julio, pacem egit inter priorem Taventi et Michaelem de Ponte; apud *Housseau*, t. VI. Quo tandem anno notitiam edidit de insula Ambasiæ Villelupensibus a Sulpicio tradita, et, mandato domini papæ, judex sedit inter monachos S. Vincentii Cenomanensis Rotrodumque de Monte Forti de quibusdam juribus litigantes; e chartulario S. Vincentii. Memoratur et eodem anno, XVI cal. Aprilis, anno sri-

licet 1208 secundum neotericam temporum rationem, confirmans priori B. Mariæ de Tavento quæcumque dederant Burchardus et Bartholomæus de Insula. Obdormivi in Domino III cal. Maii 1208, secundum Sammarthanos. Aliter in necrologio Cenomanensis ecclesiæ legitur : « XII cal. Maii, obiit « sanctissimæ recordationis Gaufridus, ar- « chiepiscopus Turonensis, qui, consum- « matus in brevi, explevit tempora multa. » In codice Musei Britannici, quem vidit D. Andreas *Salmon*, XIII cal. Maii legitur. Aliter et in martyrologio Gastinensi : « XIV cal. Maii, obiit Geoffridus, archiepis- « copus Turonensis, qui ecclesiam Gastinæ « dedicavit. » Notamus insuper quod illius anniversariam diem quotannis celebrabant Parisienses II nonas Maii. Veneno occubuit Geoffridus, secundum Guillelmum de Nangiaco; Rer. Gallic. Script., t. XX, p. 753. Quem increpat, et acerbissimis quidem verbis, auctor Turonensis Chronici. Ille vero canonicus erat, ut opinantur, S. Martini, et non aliud Geoffrido, *in via peccatorum stanti*, scelus imputat, nisi quod Bellimontensem abbatiam subducere conatus sit jurisdictioni S. Martini.

al. Pari- tom. 62.

LXXI. Joannes.

E Faye

Peractis Geoffridi de Landa exsequiis, antistitis novi delectus anceps aliquantisper fuit, cum faverent comprovinciales episcopi non nulli Roberto de Vitreio, Parisiensis ecclesiæ cantori, et alii Joanni de Faya, Turonensis ecclesiæ decano. Quo flagrante dissidio, Robertus Vitræus Romæ decessit, et Innocentius papa III Joannem in locum Geoffridi subrogavit, anno 1208; e Chronico Turonensi. Hæc sunt Innocentii verba, hujus inter Epistolas a Baluzio recitata, lib. XI, epist. 149 : « Nobis constitit evidenter quod « pars illa quæ dilectum filium, cantorem « Parisiensem, elegit, erat tam auctoritate « quam numero longe minor, et eum extra « capitulum, pluribus ex fratribus inconsul- « tis, legitima provocatione contempta, eli- « gere non expavit : nos, exigente justitia, « electionem de ipso factam duximus irri- « tandam. Quia vero pars altera, quæ dilec- « tum filium decanum vestrum elegit, auc- « toritate longe major erat et numero, quam- « vis eum post quatuor appellationes elegerit, « quia tamen ex eis duæ non fuerunt legi- « timæ, unde eis non fuerat deferendum, et « contra reliquas duas nihil extitit attenta- « tum, cum ejus persona multorum testimo- « nio nobis fuerit multipliciter commendata, « et contra eam nihil omnino fuerit ab ad- « versa parte probatum, nos, de communi « fratrum consilio, electionem de ipso factam « auctoritate curavimus apostolica confir- « mare. » Joannem igitur a domino papa pro-

ANNI CHRISTI

A batum consecravit Hamelinus, Cenomanorum epispopus. Hunc plurimi dicunt e Turonica familia satum, Bartholomæi II nepotem e sorore : alii Normannum opinantur, e diœcesi forsitan Baiocensi. De qua re consulendi Joannes *Maan* et D. *de Gaignieres*, in Turonensibus archiepiscopis. Joanni vero *Maan* suffragamur. Faiæ dominorum frequens nomen in Turonicis tabulis. Legitur præterea Joannes Roberti Busanciaci avunculus, in charta qua Robertus ille censum quemdam Baugeseii tradit monasterio; semet tandem Joannes Bartholomæi archipræsulis nepotem B denuntiat in charta qua Fontis Danielis, ratam habet fundationem, et Sulpicii, Ambasiensis domini, consobrinum, anno 1209, in confirmatione rerum a Sulpicio monialibus Moncœi datarum.

Annus ille 1209 primus ordinati Joannis 1209
fuit, ut legimus in notitia de jure patronatus in ecclesia S. Matthæi, a Guidone de Thoarcio, B. Corentini præsule, concesso; apud Moricium, Prob. Hist. Brit., t. I, col. 815. Idem insuper testatur Joannis schedula de platea monachis S. Vincentii Cenomanensis tradita a Petro, Benedicti filio; e chartul. S. Vincentii, C p. 515. Eodem anno, Joannes abbatiam Fontis Danielis noviter erectam sub protectione sua suscepit, et Baugesiacam monachorum ecclesiam consecravit. Sancivit, anno 1210, 1210
traditam nepoti suo Caloni, cantori, ecclesiam B. Mariæ *de Bellou*, e codice Regio, sub num. 5443, et excepit testamentum nobilis viri Andreæ de Vitreio, qui, cruce signatus et ad Albigensium tractus iter agens, plura Britannicis ecclesiis de suis rebus nuper largitus erat; apud Moricium, Prob. Hist. Brit., t. I, col. 816. Occurrit, mense Maio 1211, fratribus Gressum incolentibus 1211
D vineam terramque concedens in feodo suo, juxta Azaium, et, mense Novembri, dimittens capitulo B. Martini parochiale jus in ecclesiis S. Cosmæ, S. Venantii et S. Petri de Cardineto. Ab iisdem Martiniensibus, eodem anno, parochiam Belli Montis, de qua lis erat, accipiebat. Sigillo suo muniebat, anno 1212, litteras Balduini de Rupibus, moniali- 1212
bus Fontis Ebraldi condonantis Raginaldum, Salmuriensem accolam. Joannis hoc anno meminit chartularium S. Sergii. Partes enim Andegaviæ, visitationis officio fungens, invisebat Aprili mense, cum venit ad prioraE tum dictum *de Juigné*, et a monachis ut procurationem exhiberent postulavit. Quam prior negavit, reditus dicens loci tenues et usibus ecclesiæ S. Sergii deputandos. Nec repulsam Joannes ægre tulit; at contra jus prioris agnovit. Pœnitentem excipiebat, anno 1213, et in cœtum Christianorum redeuntem, 1213
Joannem, Comburnii dominum, qui, cum tributa percepisset iniqua, a judicibus quos illi dominus papa dederat excommunicationis sententia fuerat perculsus. Absolutionis hu-

ANNI jus meminit chartularium Majoris Monas-
CHRISTI terii. Anno 1214, cum Hervæus, comes
1214 S. Aniani, in ipsum querelam moveret de juri-
bus ad metropolitanam sedem pertinentibus,
Anchaii, Polliaci, Marelii et Sculliaci, compo-
situm habuit hoc jurgium a Manasse epis-
copo et Roberto Aurelianensi cantore. No-
1215 vam egit, anno 1215, capituli Turonensis
constitutionem, præpositos et cellerarios e
medio tollens, et horum munera tum capi-
tulo, tum cancellario attribuens. Consecra-
1216 vit, infra octavas Ascensionis 1216, Mauri-
cium, Cenomanensem episcopum. Is erat
Joannes qui præcipuam administrandæ pro-
vinciæ navabat operam : non ei tamen civi-
lium rerum quies data. Ad illum scripsit,
XVI cal. Octobris, Honorius papa III et si-
mul ad archiepiscopos Bituricum, Senonen-
sium et Remensium, laudans illorum di-
ligentiam in pace tuenda; Rer. Gallic.
Script., t. XIX, p. 611. Ad eumdem dictus
papa, eodem anno, misit litteras, die scilicet
23 Decembris, jubens ut consuleret infor-
tuniis Berengarianæ, Anglorum quondam
1217 reginæ, et, die 17 Januarii 1217, ut citius
sententiam proferret inter illam et W. de
Guierchia, litigantes de castro Segreio. Quas
legere licet epistolas, non hactenus prælo da-
tas, inter apographa Roma delata ab exi-
mio viro *La Porte du Theil*, Inscriptionum
Academiæ socio. Excommunicationes tunc
ubique fulgurabant, cum Innocentii non
indignus hæres Honorius, inter debellantes
Angliæ et Franciæ reges sese immittens,
causam hujus, mox illius esset amplexus :
unde non mediocria pastoribus ecclesiæ Gal-
licanæ incommoda, amicos sæpius, quin imo
potentissimos apud regem populumve mili-
tes ferire, et e societate christiana deturbare
coactis. Joanni mandavit Honorius, die
17 Januarii supra dicta, ne promulgaret
expeditius excommunicationes contra sub-
ditos Berengarianæ reginæ, et jam, tertia
mensis ejusdem die, ad eumdem scripserat
de excommunicato vice-comite Belli Montis
propter infestationem Angliæ, cui Ceno-
manensis et Andegavensis episcopi pœni-
tenti crimen, juxta normam ecclesiæ, con-
donaverant; Rer. Gallic. Script., t. XIX, p.
622. Testis fuit Joannes, anno 1217, ordina-
tionis nono, concessorum Villelupensibus a
Tancredo de Plessiaco. Occurrit, anno se-
quenti, notitiam edens de subsidio quod
monachis S. Juliani Turonensis Petrus Mein-
godus adscripserat. Restituit eodem anno,
Roberto Brennæo Rupecorbonio avitam cano-
nicorum ditionem in Vodano oppido, contro-
versiamque diremit jam diu ventilatam inter
capellanum Malliaci et abbatem Majoris Mo-
nasterii, de pransorio jure quod capellanus
habebat circa mensam monachorum. Notitiam
eodem anno tradidit de rebus quas dede-
rat Helias *de Grislemont* S. Juliano Turonen-

A si, e codice Regio, sub num. 5443, et fecit ANNI
pacem cum capitulo Cainonensi, quocum li- CHRISTI
tigaverat de justitia in terra canonicorum exer-
cenda; inter schedas domni *Housseau*, t. VI.
Maximæ tunc temporis in Armoricanis par-
tibus discordiæ, de quibus Joannes valde
laboravit. Ejectus e sede violenter Stephanus,
Nannetensis episcopus, Turones devenerat;
unde litteris dominum papam monuerat,
ejus opem implorans. Qua de re scripsit Ho- *Rer. Gall.*
norius ad Joannem, quinta et vicesima die *Script.*
Junii 1218, jubens ut exuli quæcumque ne- *t. XIX,*
cessaria præstaret. Petrum denique, quem *p. 660.*
B Malum Clerum vocitabant, Nannetensis inva-
sorem ecclesiæ, provincialem ad synodum
Joannes egit et excommunicationis innodavit
vinculo. Hujus acta synodi nobis ætas invidit;
indubiis autem memoratur verbis in litteris
Honorii ad Petrum, datis 31 Julii 1218; Rer.
Gallic. Script., t. XIX, p. 662. Non forte faci-
liorem Joanni summus ille Pontifex commisit
operam hoc circa tempus, quinta scilicet
Junii die, in Cenomanensi diœcesi peragen-
dam. Senescallus Andegavensis ecclesiam
Montis Fortis invaserat et captivum duxerat
Joannem *Maurat,* hujus ecclesiæ presby-
C terum. Jam primum rem delegaverat inves-
tigandam summus Pontifex Andegavensis
ecclesiæ quibusdam ministris, qui non tan-
tum senescallum, sed etiam episcopum
Cenomanensem senescallo faventem summo-
pere metuentes, litem detulerant ad Roma-
nam sedem non solutam. Exinde mandavit
Honorius archiepiscopo Turonensi, ut me-
moratæ invasorem ecclesiæ, licet se jactaret
Cenomanensis episcopi auctoritate fretum,
excommunicationis flagello plecteret; ex apo-
graphis D. *La Porte du Theil.* Michaelem,
S. Florentii abbatem, tumulavit Joannes, III
D nonas Julii 1220. Eodem anno, mense Mar- 1220
tio, notitiam edidit de quibusdam S. Ju-
liano datis juxta Eschimiriacum ab Aimerico
de Rogeio, et de pace sancita Geoffridum
inter *Botefoi* Carthusiensesque Ligeti su-
per terris de la *Boudoinère*; e schedis domni
Housseau, t. VI. Data multa Baugeseii mo-
nachis a quam plurimis militibus qui cru-
cem sumpserant, confirmavit et laudavit,
anno 1223, et, eodem anno, Parisiis interfuit 1223
concilio quod Conradus legatus coegerat, ut
in eo quæstio solveretur Albigensis. Philip-
pus sub id tempus rex occubuit, et ejus exse-
E quiis Joannes adfuit, ut meminit Guillelmus
Brito :

Nec non Bituricus Turono cum præsule primas.

Anno 1224, e Chronico Turonensi, « Apud
« Prulliacum levatum est corpus S. Melanii,
« episcopi Redonensis, a Joanne Turonensi
« archiepiscopo et ab aliis vicinis episcopis,
« capsaque in argentea cum summa reve-
« rentia collocatum. » Eodem anno, Joan-
nes in metropolitanam civitatem accivit et
admisit militiæ tirones Franciscanæ, quos

ANNI CHRISTI

Minores vocant. Paganus illis Hermenardus,
e ditissimis inter Turonos, locum dederat
ad extruendam ecclesiam. Gravis inter Joannem Turonensem et Mauricium Cenomanensem extitit discordia, ex epistolis Honorii III
cognita. Plures cum jam per annos sese
contrariis impetivissent conviciis, mandavit
1225 Honorius, 2 Maii 1225, abbati et priori S. Juliani Turonensis, nec non S. Martini subdecano, ut militantes ad sedem apostolicam ire
cogerent antistites, nisi pacem inter se fecissent ante duorum annorum terminum. Decessit Joannes die 23 Aprilis 1228, e martyrologio cathedralis ecclesiæ. Quocum concordat
hujus depositionis anniversarium, celebratum
VIII cal. Maii in ecclesia S. Martini, ut e
necrologio comperimus a Baluzio compilato. In necrologio tamen S. Juliani eadem
depositio diei 26 Aprilis adscribitur. Annus
quo terrestrem exuit hominem desumitur e
notitia Guillelmi, Briocensis episcopi, testantis in capitulo Turonensi semet adfuisse,
anno 1228, Juhelli sequentis electioni; in
Probat. Historiæ Briocensium episcoporum
a D. Car. *Guimart* digestæ, p. 173.

LXXII. Juhellus.

De Mathefelon.

And. Salmon, Collect. Chronic. Tur., p. 374.

Juhellum de Mathefelone, quem alii perperam vocant de Meduana, Joanni succedentem anno 1226 memorat Chronicon Gastinense; eumdem *Maan* e Perionii schedis notavit ab anno 1227 sedisse, et hoc anno
pactum inter Joannem Cormaricenum abbatem et Petrum Savarici firmavisse. Erravit
autem auctor Chronici Gastinensis; erravit et
ipse Perionius, aut non satis caute Perionium
Maan legit, siquidem refert ad annum 1227
quæ gessit Juhellus anno 1238, Cormaricenorum causam suscipiens adversus Petrum Savarici, Montis Basonis dominum. Notitiam de
Joanne Cormariceno nostram inferius consule. Fugit præterea Joannem *Maan* Juhellum e decania Cenomanensi deductum ad
metropolitanam cathedram. Non in eum forsitan, ut suffragia adita sunt, primo conversæ
cleri mentes. Legimus enim in Andrensis monasterii Chronico Petrum de Collemedio Turonensem metropolim, canonice quanquam
electum, nuper recusasse, priusquam, anno
1229, compelleretur invitus ad Audomarensis
ecclesiæ fastigium. Unde Petro, ut videtur,
recusante vota convenerunt in Juhellum.

Rer. Gall. Script., t. XVIII, p. 681.

1229 Sede potitus occurrit anno 1229, componens
ortam litem inter Hamelinum Francum et
abbatem Ebronii de quibusdam in Salicensi
nemore juribus. Anno sequente, probabat
archidiaconorum institutionem in ecclesia
1231 Cenomanensi. Ipse pactum egit, anno 1231,
Januario mense, cum abbate Cormariceno,
hunc onere levans procurationis, et accipiens
in compensationem dimissi juris quæcumque
Condati possidebat abbas. Simili, Augusto
A mense, pactum inivit cum monachis S. Juliani. Ad illum scripserat, x cal. Septembris,
Gregorius papa IX, favere jubens fratribus
Minoribus quos plures insectabantur episcopi: cui paruit libens mandato. Extulit, eodem anno, corpus S. Melanii Redonensis in
præcipuam aram S. Petri Prulliacensis. Majus
forsitan est opus plurima inter eximia quæ
noster gessit Juhellus, series illa canonum in synodo Castri Guntherii hoc anno
1231 digesta, de statu, de moribus, nec non
de officiis clericorum. Sacerdotibus quidem
non indulget turpem triviatim agentibus vi-
B tam, *ribaldis* scilicet, ut ait, sive *goliardis*;
monachos cæteroquin sat asperis insectatur
verbis privata quædam bona, vel in religionis
statu, possidere studentes: quod si vero clades
Ecclesiæ sæpius illatas intuenti sæculares occurrunt illi viri, potentes armis, indole feroces, jusque alienum contemnere sueti dum
suæ quærunt domus incrementum, quo Juhellus in eos sævit impetu, quibus nefandam
illorum tyrannidem increpat objurgationibus, et quorum minas intendit flagellorum!
Eum Gregorius papa incitabat ad nova quotidie suscipienda. Extant hujus ad Juhellum
C litteræ, datæ VII cal. Julii 1232, quibus illum
monet ut ecclesiæ Turonensis dignitates, sæpius filiis sacerdotum collatas, clericis adscribat melioris notæ; inter apographa quæ
Romæ detulit D. *La Porte du Theil*. Adeo laudanda laudataque gerentem Juhellum canonici Cenomanenses suum jactabant alumnum.
Ad quos cum ille devenisset, die 12 septembris 1233, ut alteorum sodalitio recens et tantam jam assecutus fortunam, rogatus fuit ut 1233
ipse decanum eligeret Geoffrido sufficiendum, quem modo Cenomanensem dixerant
episcopum. Robertum Juhellus designavit.
D Octobri mense, Britanniam peragrans, Guillelmum invisebat, Briocensium episcopum,
et statutorum seriem edebat de rebus ecclesiæ
Briocensis; quæ legere licet in Acherii Spicilegio t. II, p. 606. Eodem anno, scribebat
ad archiepiscopum Rotomagensem, petens ut
nummi per Normannici tractus urbes pagosque ad reparandam Turonensem ecclesiam
colligerentur; e Marten. Thes. Anecd. t. I, p.
981. Juhellum excipiebat, hoc anno, Candatum, in crastino S. Bricii, et una Geoffridum
Cenomanensem, Philippumque Aurelianensem episcopos. Quibus in concilium vocatis,
E litteras edidit archipræsul non prætereundas
de Briocensis ecclesiæ diuturna viduitate. Elegerant quidem episcopum canonici Briocenses; quam vero, uti non canonice peractam,
electionem cassam dixit Juhellus, et alium
ecclesiæ tumultuanti præfecit antistitem.
Unde novimus, ex ipsius Juhelli verbis, devolutam Turonensi metropolitæ Britannicarum ecclesiarum provisionem, si quod in
electione patrata vitium deprehenderetur.
Hoc tamen, ut aliæ nos litteræ docent, in

Joan. Maan, Concilia Turon. Eccl. p. 51.

ANNI CHRISTI contentionem tunc temporis cecidit. Consule
Probat. Hist. Brit., t. I, col. 883, 888. Exi-
1235 mebat Juhellus, anno 1235, San-Julianeos
monachos a procuratione quam canonicis an-
nuatim persolvebant Turonensibus, canonicis
ipse tradens insulam S. Magdalenæ, in Ligeri
sitam, quam ære proprio nuper emerat. Hoc
eodem anno dirimendam statuebat per viam
compromissi litem de jurisdictione Belli Mon-
tis, quæ jam diu fervebat archiepiscopos in-
ter Turonenses et capitulum B. Martini. Nec
minorem illi dominus papa rem xv cal. Junii
demandabat, nempe ut, cum episcopo Car-
notensi, inquisitionem ageret de matrimonio
comitis Marchiæ et Anglorum reginæ; ex
apographis quibus Romæ condendis curam
dedit D. *La Porte du Theil*. Concilium,
anno sequenti, Turonibus coegebat, qua-
tuordecim canones editurus: de fide Judæis
servanda, quibus vim inferre nulli licitum,
« cum Ecclesia Judæos, ut ait, sustineat, quæ
« non vult mortem peccatoris; » de advocatis
per triennium jura audituris et approbandis
antequam causas orarent; de notariis exami-
nandis; de judicibus a Romana curia delega-
tis; de clericis appellantibus, testantibusque
laicis binasve nuptias contrahentibus. Ser-
vavit hoc opus excellentis prudentiæ Joannes
Maan, in Concil. Turon. Prov. p. 54. E
quadam Geoffridi, Majoretanorum abbatis,
epistola, quam Martenius edidit, Vet. Script.
Ampliss. Collect. t. VII, p. 84, colligitur
1237 Juhellum, anno 1237, provincialem Cenomani
synodum habuisse. Extant etiam litteræ W.,
archidiaconi Pentevriæ, ad eumdem Ju-
hellum scriptæ, quibus semet ait ægritudine
quadam correptum, dum tenderet ad syno-
dum die Martis post festum Omnium Sanc-
torum celebrandam. Novimus aliunde Juhel-
lum, cum suffraganeis episcopis Cenomani
degentem, die 4 Novembris, laudavisse lit-
teras Geoffridi episcopi, quibus sancita
privilegia a Mauricio canonicis data. Eodem
anno Juhellus, Franciscanorum ecclesiam
1238 Lochis consecravit. Composuit, anno 1238,
discordiam inter abbatem S. Juliani et Guil-
lelmum de Brena motam de juribus quæ sibi
vindicabat ille miles Nozilleii, et confir-
mavit data Fontis Ebraldi sanctimonialibus
a comitibus Flandriæ. Eodem anno, nempe
IV cal. Junii, Petro, Meldensi episcopo, bra-
chium mittebat S. Quintini; e Marten. Thes.
Anecdot. t. I, col. 1009. Mox, mediante Bitu-
ricensi archiepiscopo, pactus est de jurisdic-
tione cum monialibus Belli Montis. Philippus
erat tunc temporis Bituricensis archiepisco-
pus, impiger sui juris tutor, qui sacramentum
sibi debitum negantem Archambaldum Bor-
bonium excommunicaverat. Ea de lite cum
ad Juhellum dominus papa scripsisset, au-
divit ille Turonibus Archambaldum requisita
1239 peragentem, anno 1239, die Jovis post Decol-
lationem S. J. Baptistæ. Editum est hujus pacis

A testimonium inter Instrum. tom. II, col. 23. ANNI CHRISTI
Aliud, eodem anno, congregatum Turonibus
a Juhello concilium, cujus canones Joannes
Maan ad nos detulit, ad disciplinam morum
imprimis spectantes. Ab hocce exordium su-
munt articulo: « Totis visceribus corrigere cu-
« pientes ea quæ correctione indigent in Pro-
« vincia Turonensi, sacri hujus approbatione
« concilii duximus statuendum, ut, in quali-
« bet parochia, per episcopum, vel archiepis-
« copum, eligantur tres clerici, vel, si clerici
« inveniri non possint, tres laici fide digni,
« qui jurent quod de his quæ sciverint unde
B « scandalum sit subortum in parochia, vel
« in vicinis, contra fidem, vel alias de crimi-
« nibus ecclesiasticis requisiti, dicent epis-
« copo, vel archiepiscopo veritatem. » A primo
cæteros disce canones. Asper morum inda-
gator Juhellus quæque disponit ad emen-
dandam cleri plebisque vitam: cum vero
promptiores ad desæviendum prælati quidam
reperiantur, prohibet ne sententiam excom-
municationis adversus nondum admonitos fe-
rant, solis contumacibus hoc fuste pungendis.
Aprilem mensem 1240, Gallicanum nempe 1240
secundum usum, præbet chartula Cenoma-
C nensis archivi, a D. Calvino nuper edita, in
qua paciscitur Juhellus de variis procuratio-
nibus cum monachis S. Petri de Cultura. De-
creto determinavit, anno 1241, quo sedere 1241
deberent ordine Andegavensis diœcesis abba-
tes in episcopali synodo; e Thesauro Anecd.
t. I, p. 1018. Profectus hoc anno Romam cum
episcopo Carnotensi, ad concilium die Resur-
rectionis celebrandum, incœptum non peregit
iter, Frederici contra dominum papam tanta
molientis terras aggredi non ausus. Mense Ju-
nio 1242, litem diremit quam moverant ar- 1242
chidiaconus et archipresbyter Turonenses in
D Villelupæ monachos, procurationem supra
dictis ecclesiæ Turonensis ministris, ratione
visitationis petitam, recusantes: mense Au-
gusto, litteras Blesensis comitis in Pontile
viensium gratiam probavit; supra, t. VIII, col.
1160. Indulgentias, eodem anno, tribuit iis
qui subsidia largirentur monachis B. Petri de
Cultura restaurationem ecclesiæ suæ susci-
pientibus. Occurrit et confirmans fundatam
nuper Claritatis abbatiam. Ipso præside ce-
lebrata, eodem anno, Valle Guidonis sy-
nodus de reformando monachorum habitu.
Innocentii papæ IV servantur litteræ quibus,
E calendis Martii 1244, jubetur Juhellus Redo- 1244
nes ire, litesque componere de prædictæ redi-
tibus ecclesiæ. Eodem anno, mense Septem-
bri, decretum edidit de procuratione visi-
tanti metropolitæ solvenda a S. Martini Ande-
gavensis canonicis. Nec multo post Innocen-
tius eum papa, cum consensu regis, ecclesiæ
Remensi pastorem jam diu desideranti præ-
ficiebat. Legantur apostolicæ litteræ ad Re-
mense capitulum, datæ III cal. Aprilis 1245,
Romanum secundum computum. Juhelli me-

ANNI CHRISTI

minit Roncereii martyrologium, xv cal. Ja- A nuarii, quem moniales vocant patrem suum et in abbatia sua nutritum. De eodem sic necrologium S. Juliani Cenomanensis : *XV cal. Januarii, Juhellus de Mathefelon, vir scientia et nobilitate præclarus, hujus ecclesiæ quondam magister scholarum, postmodum decanus, et inde vocatus ad sedem ecclesiæ Turonensis, tandem archiepiscopus Remensis.*

Post Joannem de Faya Sammarthani ponunt quemdam Franciscum Cassardum, sive Cassardi, quem oriundum Fayeto, Gratianopolitanæ diœcesis, utriusque juris doctorem fuisse memorant, cardinalem, nec non Turo- B nensem archiepiscopum. Hæc desumpserunt ex epitaphio, quod Lugduni legebatur in ecclesia B. Mariæ *de Confort*, Cassardum anno 1237 mortuum referente. De quo etiam Cassardo mentionem fecerunt *Hilarion de Coste*, in elencho proregum Delphinatus, et Petrus Frizo, in Appendice suæ Galliæ Purpuratæ. Post illos clarissimus vir Quercetanus, Historiam Cardinalium Gallicanorum scribens, hunc Cassardum non oblitus est, et, præter epitaphium supra memoratum, e registro cameræ computorum Delphinatus eruit testamentum ejusdem Cassardi, cardinalis, nec C non Turonensis archiepiscopi, anno 1237 datum, die 12 Augusti. Inde Francisci Cassardi nomen recentes omnes historiæ Turonensis scriptores suis adjunxerunt nomenclaturis, unum si Joannem *Maan* excipias, qui fraudem forsitan suspicatus est. Advertendum primo quod Cassardus iste, tantis decoratus titulis, veteribus quibuslibet permansit ignotus. Hujus nullum meminit chronicon, nec in ipsis occurrit diptychis. Indubiæ cæterum fidei sunt instrumenta Juhelli ab anno 1227 ad annum 1245 archipræsulantis; unde nullus superest locus D Francisco Cassardo anno 1237 vitam exuenti. Opinatus est, teste Quercetano, Salvagnius Boessius, annum epitaphii dente temporis exesum, et legere voluit Cassardum anno 1337 demortuum. Sed obstat testamenti textus epitaphio consonans. Petrus præterea Fretaldus hoc anno 1337 Turonensem ab aliquot annis regebat ecclesiam, nec in eo jam erat ut terrenis eximeretur curis. Franciscus ergo Cassardus ex archiepiscoporum Turonensium serie omnino delendus. Idemne fictitius cardinalis et juris utriusque doctor? Falsarium prodere videtur epitaphii tenor, E et in ipso testamento non pauca notare fas esset quæ nec duodecimum, nec etiam tredecimum sapiunt sæculum. Addatur quod camera computorum Delphinatus non assidue suis invigilavit tabulis, quas ipsius supra dicti Salvagnii manus improba non semel adulteravit, ut legere est in Adnotationibus Philiberti *Lebrun* in Salvagnianæ gentis insignia, nuper editis e Lugdunensi codice a D. Alfredo *de Terrebasse*.

LXXIII. Geoffridus II.

ANNI CHRISTI

Marceau.

Geoffridus, filius Geoffridi alterius et Philippæ de Sabolio, e thesauraria Turonensi submotus est ad metropolitanam sedem. Ad Geoffridum, III idus Maii 1245, Innocentius 1245 papa IV litteras mittebat, quibus confirmabatur noviter electus; ex Epistolis Innocentii, quas Romæ collegit D. *La Porte du Theil*. Eodem anno, die lunæ post Dominicam qua cantatur *Oculi mei*, ejusdem papæ mandato, vocabat ante Romanam curiam Joannem comitem Blesensem, qui Majus Monasterium confractis januis invaserat et diripuerat; e schedis domni *Housseau*, t. VII. Turonensis ecclesiæ regimen vix auspicatus, provinciæ quasdam partes saltem invisit. Plures enim per dies dicitur commoratus Ebronii, dum Purificationis festum celebraretur, anno 1245; lege, secundum recentem usum, Februario mense 1246 : ex Ebronicensibus chartis. Transegit, anno 1247, cum Drocone de Melloto, Locharum domino; e Thesauro Chartarum. Quo devenit anno Turones Odo, Tusculanus episcopus, Innocentii papæ legatus, et, die 12 Junii, stabilivit a Juhello decreta de clericorum moribus et habitu. Occurrit Geoffridus, mense Maio 1248, notum faciens quod inter archiepisco- 1248 pos quisque Turonenses unam domino regi debet procurationem; e Thesauro Chartarum. Eodem anno, confert indulgentias iis qui de rebus suis tribuent aliquid ad conficiendum opus ecclesiæ B. Petri de Cultura. Decessisse legitur Geoffridus die 10 Julii 1251. Obitum autem ejus celebrarunt Andegavenses canonici die 9 Julii, et Roncereii moniales 7 Julii. Nec prætereundum quod in calendario S. Mauricii Andegavensis dicatur defunctus dum transmarinum iter ageret. Curam et ipse sedulam adhibuerat reformandis Turonensis cleri moribus, ut comperimus e synodo quam egit Valle Guidonis. Hujus enim synodi meminit Petrus, anno 1253, in quarto Salmuriensis concilii canone, his verbis : « Statuimus ut quod per concilium apud « Vallem Guidonis a felicis recordationis « Gaufrido, prædecessore nostro, provida « fuit deliberatione statutum de libris, vasis, « vestimentis et aliis ornamentis et rediti- « bus ecclesiarum, in quaternis archidiaconi « conscribendis ab archidiacono inviola- « biliter observetur. » Hanc hallucinantes Sammarthani synodum dixerunt anno 1243 Valle Guidonis congregatam a Geoffrido. Annum sedenim 1243 præbent acta synodi Valle Guidonis coactæ, cujus supra meminimus : tunc vero sedebat Juhellus in Turonensi cathedra, non Geoffridus. Quod non fugit studiosum rei investigatorem *Travers;* at ille conjecturam in liberiorem delapsus, evellendum autumavit annum 1243, quem legis ad calcem canonum Valle Guidonis di-

ANNI CHRISTI

gestorum, et temporis notas paulo recentiores authenticis pro suo Marte suffecit. Hunc autem refellit quartus Salmuriensis concilii canon, ad memoriam revocans statuta quædam de libris et vestimentis, inter ea neutiquam occurrentia quæ sub annum 1243 *Maan* edidit. Vero similius videtur alterum Valle Guidonis post annum 1245 celebratum fuisse concilium, cujus canones temporum injuria amisimus.

Geoffridus ille *Marceau* Martellus dicitur a Claudio Roberto et a Joanne *Maan*, qui cognomen, ut videtur, pro nomine posuere. Ille idem a Michaele *de Marolles*, Claudium Robertum irridente, Maufridus nuncupatur. Vide Baugeseianas tabulas a prædicto Michaele compilatas, pag. 138. Majorem Sammarthani delapsi sunt in errorem, cum Martellum, sive Marcellum, dixerunt Geoffrido successisse anno 1248, ex uno duos fingentes episcopos.

LXXIV. Petrus I.

Lamballa, sive Lamballia, Britonum civitas est in Donovæo comitatu, cujus nomen impositum Petro, ut ex ea deducto. Extant litteræ testimoniales episcoporum Ebroicensis, Aurelianensis, Silvanectensis et Parisiensis, de redditis Petro regalibus a regina Blancha, mense Januario 1252, secundum neotericum usum; in Probat. libert. Ecclesiæ Gallican., vol. II, p. 103. Eodem anno, mense Septembri, jussu domini papæ, sententiam excommunicationis intorquebat in comitem Blesensem, qui tot et tantas clades Majoretanis intulerat; apud *Housseau*, t. VII. Synodum coegit provincialem, anno
1253 1253, Castri Guntherii; alteram, eodem anno, Salmurii legitur habuisse, quam, teste Labbæo, perperam J. *Maan* adscripsit fastis anni 1243. Anno 1255, mense Aprili, solvebat regi debitam procurationem; apud Sammarthanos : XII calendas Maii, litteras Alexandri papæ IV obtinebat, prohibentes ne ultra unam dietam ad judicium per litteras apostolicas, nisi expressas, trahi posset; V calendas ejusdem mensis, ab eodem licentiam impetrabat cessionem episcopi Macloviensis excipiendi; e litteris Alexandri papæ quas Romæ collegit D. *La Porte du Theil* : eodem anno, consecrabat Hamonem, Trecorensem, nec non Alanum, Venetensem, episcopos. Paciscebatur insuper, Octobri mense, cum Judæis Turonensis pagi, quibus, sub annui census conditione, cœmeterium peculiare concedebat in parœcia S. Vincentii. Testatur Egassius Bullæus Petrum, hoc anno, regiis sedentem in conciliis, causam orasse Mendicantium fratrum contra rectores Universitatis Parisiensis, et Guillelmo de S. Amore neutiquam pepercisse. Quem bene dicendi peritum Guillelmus redarguit. Obiit anno 1256, die 24 Octobris.

Maan, Concilia Turon. eccl. p. 64. Labb., Concil. t. XI, p. 707.

LXXV. Vincentius.

Petro de Lamballa successorem dat Chronicon Archiepiscoporum Vincentium de Pilenis, aut de Pinellis, melius forsitan de Pilemis, gallice *de Pilmil*, canonicum Cenomanensem. Cui Joannes *Maan* cum plerisque suffragatur. Sammarthani vero Petrum inter et Vincentium Philippum quemdam nuncupant, his verbis : « Philippus I : notitia ejus eruitur ex antiquo originali abbatiæ Baugesiensis anni 1257. » Utinam hanc chartam Baugeseianam, quæ nos fugit hactenus, edidissent, inter cæteras, Sammarthani fratres! Isto de Philippo sive excipiendo, sive removendo, certiores essemus. Verum enim vero notus nobis est, anno
1257 ad medium decurrente, Vincentius 1257
jam Turonicis potitus infulis. Hoc scilicet anno, die lunæ ante festum Decollationis S. Joannis Baptistæ, ad Vincentium transferebant Ambasienses canonici jus patronatus in ecclesia S. Florentini, quod ipsis Hugo Calvimontanus tradiderat; e schedis domni
Housseau, t. VII. Confirmavit, anno 1258, 1258
Geoffridum Cenomanensem episcopum, probavitque, mense Aprili, initam concordiam inter comitem Andegavensem Michaelemque episcopum, de decima veteris novique Bau-
geii. Anno sequenti, mense Januario, con- 1259
tentionem dirimebat exortam inter abbatissam Fontis Ebraldi et Geoffridum de Ancenisio de jure telonei per Ligerim exercendo, uti legimus in schedis D. *de Gaignières* : quo eodem anno, litteras Alexandri papæ IV excipiebat, jubentes ad sacrum bellum Turoniæ milites vocitari; quam Vincentius provinciam priori Dominicanæ domus demandavit. Hac de re postea Parisios accitus, anno 1262, orator auditus est ecclesiæ Gallicanæ, II cal. Septembris; qui, in memoriam revocans tanta jam ad opus belli condonata subsidia, ærarium Ecclesiæ dixit exhaustum inceptisque novis nihil ab eo conferri posse; e Visitationibus Odonis Rigaltii, apud Rer. Gallic. Script., t. XXI, p. 588. Sacravit, anno
1263, Jacobum, Nannetensem episcopum. 1263
Illi facultatem, eodem anno, X calendas Novembris, concessit Urbanus papa IV, idoneis instruendi clericis singulas diœcesis Turonicæ collegiatas; e litteris Urbani papæ, in collectaneis D. *La Porte du Theil*. Anno sequente, mense Maio, pacem fecit inter Majoretanos et comitem Blesensem de consuetudinibus litigantes; e chartulario Majoris Monasterii. Hoc eodem anno, die Dominica in festo apostolorum Petri et Pauli, Simonem consecravit Macloviensem electum. Hanc peractam Turonibus consecrationem aperte declarant litteræ officialis Briocensis

sis episcopi, quas Moricius
m, *Hermant*, Labbæus et
u eodem anno, die Martis
ɔstolorum Petri et Pauli,
uisse memorant non infre-
cujus canones numero no-
Nulli vero simile videbitur
sque suffraganeos episcopos
i spatium Turonibus descen-
s. Dicendum est igitur Turo-
um quod e leviori conjectura
ocarunt, aut hujus mutandus
vit Vincentius, die lunæ post
em 1266, vel, secundum hodier-
m, 1267, Joannem Briocensem
Eodem anno 1267, a Ludovico
eliquias S. Mauricii et Thebano-
rum excepit. Memoratur, circa
us, Nannetes deveniens, ut testa-
xsequeretur Jacobi, Nannetensis
episcopi, et tunc a ministro quodam
Britonum comitis, conviciis quam
impetitus; apud Moricium, Prob.
it., t. I, col. 1010. Cogebat, anno
ie lunæ post festum B. Magdalenæ,
Suntherii synodum, quam Sammar-
perperam anno 1263 adscripsere. Ca-
ibi numero septem digesti. Inde Tu-
redux, die lunæ post festum S. Michae-
actum iniit cum scholastico S. Martini
stitia exercenda in clericos advenas,
non in scholares S. Martini. Tertium
legavi celebravit concilium, die Martis
t quindenam Nativitatis B. Joannis Bap-
tæ 1269, de prohibentibus donationes
clesiis irrogatas, et de clericis advocato-
m personam ferentibus in curia sæculari.
litteris Nicolai papæ IV comperimus illum
Neapoli debitum naturæ persolvisse, cum in
eo esset ut navem conscenderet, in Africam
tendens Ludovici regis comes. Hujus vero
de ferali die neutiquam concordant. E quo-
rumdam sedenim sententia decessit die 19
Septembris 1270. Aliter autem in necrolo-
gio Cenomanensis ecclesiæ legitur : « *V idus*
« *Maii, obiit Vincentius archiepisc. Turo-*
« *nensis.* » E Thesauro Chartarum desumitur
capitulum Turonense, mense Novembri 1270,
scripsisse ad Matthæum proregem de novo
archipræsule eligendo (1). Nec ille jam
electus circa medium Decembrem, e litteris
officialis Turonensis de Joanna largiente de-
cem solidos priori Gressus, transcriptis die
Martis ante festum B. Gatiani, sede vacante.

LXXVI. Joannes II.

DE MONTSOREAU. Ex antiqua stirpe dominorum Montis
Sorelli ad Ligerim, Joannes, nuperrime de-

A canus S. Mauricii, evehitur ad cathedram Tu- ANNI
ronensem mense Januario 1270, vel, secun- CHRISTI
dum hodiernum usum, 1271, ut compertum 1271
habemus e capituli litteris ad Matthæum pro-
regem; in Probat. libert. eccl. Gallic., t. II,
p. 77. Synodos plures coegit. Cura sedenim
disciplinæ plurimum Joannem angebat, et
populi clerique moribus consulendum erat
ad effusam licentiam grassantibus. Primum
ab eodem congregatum concilium Redonibus,
anno 1273, die lunæ post Ascensionem Do- 1273
mini, ubi quatuor editi canones, ad ecclesia-
rum et prioratuum temporales fructus spec-
B tantes. Secundum, Salmurii, anno 1276 (1); 1276
tertium, ut quidam opinantur, apud *Lan-* Maan, Concil. Tur. Provinc. p. 77.
geais, anno 1278 (2); quartum, Andegavi,
anno 1279, quod sub Jodoco male dicitur
coactum a Joanne *Maan;* quintum deni-
que, Turonibus, anno 1282, die Mercu- 1282
rii post festum B. Petri ad Vincula, tre-
decim constans canonibus. Ad eum, Julio
mense 1278, directæ Nicolai papæ III litteræ,
quibus una donatur præbenda in ecclesiis
Redonensi et Dolensi; apud Marten., Thes.
Anecd., t. III. Ad eumdem prædictus ponti-
fex alias misit litteras, II idus Novembris
C 1279, illi condonans ut ipse decanum eligeret
et canonicum, Ægidio de Bonavalle Romæ
defuncto. Ad eumdem Martinus papa IV, et
ad Rotomagensem, nec non Senonensem ar-
chiepiscopos scripsit X cal. Januarii 1282,
illorum annuens votis de canonisatione Lu-
dovici regis. Consecravit Joannes, X cal. Oc- Ch. LXXI col. 92.
tobris 1283, Cenomanensem Virginitatis ec-
clesiam. Ecclesiæ jura suæ bonaque sedulus
semper fortisque adversus quemcumque
oppugnantem Joannes tutatus est. Ideo le-
gitur multa perpessus, vel exilium, a Philippo
rege. Illum e numero vivorum deturbatum
D regi mandabat Reginaldus, Turonensis deca-
nus, die 26 Januarii, sive 2 Februarii 1284,
vel, secundum neotericam temporum ratio-
nem, 1285.

LXXVII. Olivarius.

Olivarius de Credone, per viam compro- DE CRAON.
missi Joanni defuncto suffectus, die 24 Maii
1285, a Reginaldo decano et Burchardo the- 1285
saurario S. Mauricii, creditur a quibusdam
Amalrici II Credonæi filius, ab aliis Mauri-

(1) Matthæum hunc proregem, nec non abbatem S. Dionysii prope Parisios, sibi præfici summopere Turonenses exoptarant. Oblatum vero munus detrectavit, ut supra diximus.

E (1) Leguntur acta Salmuriensis concilii apud *Travers*, in schedis sæpe jam laudatis, t. II. Editio Joannis *Maan* pessima, qui illa frustatim retulit, ut fragmenta duorum conciliorum incertis locis, annis 1276 et 1277, a Joanne celebratorum.

(2) Hujus concilii exemplaria manuscripta notis carent chronicis. Joannes *Maan*, incredibili quadam hallucinatione, ter ejusdem acta de verbo ad verbum edidit, illud adscribens, pag. 67, anno 1270; pag. 77, anno incerto, et, pag. 210, anno 1278. Annum hunc 1278 Gabriel Cossartius aptum autumavit, nec tamen certis rationibus sententiam suam comprobavit. Indubium videtur hoc concilium ab archipræsule nomine Joanne congregatum fuisse. Petrum vero Joanni sufficiendum existimat *Travers*, et concilium hoc rejicit ad annum 1255. Adeo intricatam rem enodare non licuit.

ANNI CHRISTI cii VI, Andegavensium, Cenomanorum et Turonensium senescalli. Clypeare solum gessit, ut *Maan* refert, lingulatis ex auro minioque tesserulis descriptum, et argenteo limbo circumseptum. Decessit Romæ cum in eo esset ut ordinaretur, hujus electionis examinato jam processu, die 24 Augusti 1285. Honorius papa IV jussit nonis Septembris capitulum Turonense congregari et electionem novam fieri; e collectaneis D. *La Porte du Theil.* Mendosa est Sammarthanorum chronologia, quæ post Olivarium Philippum de Canda ponit.

LXXVIII. Burchardus.

DAYN. Burchardus, vulgo dictus *Dayn*, thesaurarius antea S. Mauricii, a Reginaldo decano per compromissum designatur archipræsul,
1285 die 20 Decembris 1285. Ad aulam protinus regiam tendente Burchardo, ut sacramentum juraret debitum, e canonicorum numero duo Romam profecti sunt, qui domini papæ confirmationem requirerent. Procurationem
1286 illi suam exhibuere die 21 Martii 1286, et bullæ pontificales ad Burchardum missæ fuerunt VIII calendas Maii. In quibus legitur : « Sane olim Turonensis ecclesia per mortem « quondam Oliverii de Credonio, electi Tu« ronensis, pastoris solatio destituta, dilecti « filii R. decanus et capitulum ejusdem ec« clesiæ, vocatis omnibus qui voluerunt, de« buerunt et potuerunt commode interesse, « die ad eligendum præfixo convenientes, in « unum deliberaverunt, ad providendum « ipsi ecclesiæ de prælato, per viam procedere « compromissi, dictique et capitulum supra « dicto decano et tibi, tum thesaurario ipsius « ecclesiæ, providendi de vobis ipsis, aut aliis, « eidem ecclesiæ de pastore concesserunt li« beram potestatem.... Tu vero et præfatus « decanus, prædicta potestate recepta, sece« dentes in partem, super provisione dictæ « ecclesiæ facienda diligentem tractatum adin« vicem habuistis, et demum in te idem deca« nus consensit, teque hujusmodi concessio« nis auctoritate in archiepiscopum Turonen« sem elegit... » Consule collectanea D. *La Porte du Theil.* Burchardus Guillelmum habuit patrem, matrem Joannam *de la Roche-Bonet*, fratres Guillelmum et Alanum, si Joanni *Maan* creditur. Illius tessera pulla tria damarum capita aurea referens, aureis cornibus instructa, cum argentea margine. Anno
1288 1288, die lunæ ante festum S. Bartholomæi, litem composuit inter Geoffridum, decanum, et Guillelmum Olivarii super nemore Tholeto; ex originali charta, in Maxima Parisiorum Bibliotheca. Canonicis Ambasiensibus
1289 concessit, anno 1289, licentiam comparandi quaslibet a laicis decimas : quo et anno, diebus aliquot ante Pascha, secundum neote-
1290 ricum computum 1290, Corisopitense capi-

A tulum probavit facultatem petens eligendi episcopi. Hoc eodem anno decessit, die 19 Octobris.

LXXIX. Philippus I.

Electus a tribus canonicis per compromis- DE CANDE. sum Philippus, die 3 Januarii 1290, vel, ut hodie dicitur 1291, fato sublatus est die 15 Februarii, nundum ordinatus, ut constat e litteris capituli ad Philippum regem.

LXXX. Reginaldus.

B

Reginaldus, filius Geoffridi de Monte Ba- DE MONT-BASON. sonis et Joannæ Vindocinensis, nuper decanus et cancellarius S. Mauricii, ad apicem ecclesiæ Turonensis evectus est die Veneris post festum SS. Jacobi et Philippi 1291, elec- 1291 tione decem canonicorum arbitrio commissa. Qui, paucis ab electione sua diebus, ratam habuit confirmationem Guillelmi Majoris, Andegavensis episcopi, sede vacante peractam, et illius consecrandi provinciam dedit episcopo Redonensi. Inde Romam ipse tetendit pallium impetraturus. Bullas obtinuit De-
C cembri mense. Nec jam redux erat Januario mense 1292, ut patet e litteris Geoffridi decani et ex actis Andegavensis concilii. Gesta consule Guillelmi Majoris, in Acherii Spicilegio. Andegavum aliquanto post deveniens Reginaldus, laute susceptus est a Mauricianis, anno 1292, ordinationis suæ primo. 1292 Anno sequente, Turonibus consecravit Henricum, Nannetensem episcopum. Concilium congregavit provinciale Salmurii, die Martis post festum S. Michaelis 1294, cui dormitans 1294 *Maan*, in Conciliis, ait Joannem de Monte Sorelli præfuisse. Hujus concilii quinque
D leguntur canones. Anno circiter 1296, provinciam visitans, Trecorensem venit in urbem, interdicensque sacris Alanum episcopum, coadjutorem illi deputavit Ivonem quemdam, cantorem ecclesiæ Leonensis : de qua re conquestus est Alanus ad dominum papam, qui removit coadjutorem ab apostolica sede non datum. Ignota prorsus concilia quæ coegit sive Castri Guntherii, anno 1295, sive Belloforti, anno 1296, testibus Sammarthanis. Doctissimos vero fratres fugit concilium a Reginaldo Castri Guntherii celebratum, die mercurii ante festum B. Petri 1299, ut constat e 1299
E protestatione Nannetensis episcopi, congregatos patres deserentis, quod illius sedem, tertiam scilicet a dextra archipræsulis, Macloviensis episcopus usurpasset; apud Moric. Prob. Hist. Brit. t. I, col. 1128. Ex iisdem Sammarthanis eruitur notitia concilii Salmuriensis, anno 1300 : quibus vero parum fidere licet, cum hujus acta concilii non supersint. Confirmabat Reginaldus, anno 1301, pactum 1301 quod cum Judæis Petrus de Lamballa supra dictus inierat anno 1255. Anno sequente,

ANNI CHRISTI

Dominica in Passione Domini, Parisios deve-
niebat, cum suis suffraganeis, a rege voca-
tus, salvaque animarum salute Philippo
spondebat opem adversus Bonafieium VIII
magna moventi. Chronographus abbatum
Majoris Monasterii Reginaldi meminit Ro-
1302 mam, anno 1302, pergentis, cum archiepis-
copo Burdigalensi, qui postmodum papa
fuit electus. Ad illum scripsit Philippus
1305 rex, anno 1305, requirens subsidium ad
Flandrense bellum. Cujus postulati litteras,
e Thesauri Chartarum regestis desumptas,
exhibet tomus IV Probat. libert. ecclesiæ
Gallic. p. 234. Sed apparet e rotulo litis
contra ipsum motæ ab Odone de Malo
Buissone et aliis, Reginaldum litteris regiis
neutiquam obtemperasse, e contra vero
dixisse nullam a clero regii fisci ministris nu-
merandam, inconsulto papa, pecuniam, di-
lationemque petivisse quæ non fuit ei con-
cessa. Exinde magnus animorum fervor et per
totam quasi provinciam, suffraganeis epis-
copis ad exemplar metropolitæ semet compo-
nentibus, adversus mandatum regis exorta
Probat. Libert. eccl. Gallic. t. IV, p. 235. rebellio. In omnia mox Reginaldi temporalia
bona injectæ regiorum ministrorum manus.
Ad eum, die 12 Augusti 1307, directæ Cle-
1307 mentis papæ V litteræ, quibus monetur ut
cum vicini tractus episcopis ad concilium mox
congregandum deveniat rem Templariorum
inquisiturus. Ejusdem præterea Reginaldus
litteras accepit alias, II nonas Aprilis 1310,
Viennense concilium procrastinantes. Sedit,
1311 anno 1311, in Viennensi concilio. Dein ob-
1312 dormivit in Domino, die 23 Augusti 1312,
et sepultus est in ecclesia cathedrali, in-
ter geminas sanctuarii pilas. Unde corpus
ejus translatum, anno 1684. Post eum sedes
aliquantisper vacavit.

LXXXI. Geoffridus III.

DE LA HAYE. Geoffridus, ex archidiacono Transligerano
Turonensis electus antistes anno 1312 desi-
nente, filius erat Philippi, domini Haiæ
in agro Turonensi et Isabellæ de Passavanto.
Sacramentum regi juravit die Jovis post
1313 Pascha 1313: quo eodem anno ad Danielem,
Nannetensem episcopum, bullam Nicolai
papæ misit, qua prohibita pugnarum lu-
dicra et sæpius cruenta simulacra; apud
Moricium, Probat. Hist. Brit. t. I, col. 1245.
1315 Anno 1315, mense Aprili, paciscebatur cum
Joanne, Majoretanorum abbate, de visitatione
prioratuum Majori Monasterio subjectorum.
Exinde Salmurium pergens ibi synodum
agebat, die Veneris post festum B. Michaelis
in Monte Gargano, cujus quinque supersunt
Maan, Concil. Tur. Prov. p. 84, 213. canones ad jurisdictionem ecclesiasticam præ-
cipue spectantes. Alterum ab eodem Salmurii
coactum concilium anno 1320, secundum
1320 *Maan,* quod legitur apud recentiores chrono-
graphos Castri Guntherii celebratum. Erravit
A vero tota re Joannes *Maan,* siquidem conci-
lium idem bis edidit, paginis 84 et 213, uti Sal-
murii congregatum anno 1300 et anno 1320.
Legendæ sunt in schedis doctissimi viri *Tra-
vers* observationes quædam præviæ quibus
plane solvitur rei nodus. Hæc ille : « Verum
« enim vero concilii apud Castrum Guntherii
« a Geoffrido habiti meminit concilium An-
« degavense anno 1365, can. 23, ipsiusque
« canonem tertium refert atque innovat: hu-
« jus etiam meminit concilium Nannetense
« anno 1431, rubrica de Censibus, ut concilii
« a Geoffrido celebrati apud Castrum Gun-
B « therii. » Quæ, sicut palam est, concilii
præsidem, annum, locumque apertissime
declarant. Tertium quidem Langesii Geoffri-
dus, anno 1321, celebravit concilium, e 1321
Joanne *Maan.* Non autem hujus acta typis
Maan mandavit, et sæpius erranti fidem
adhibere non tutum. Hoc eodem anno,
mense Martio, Geoffridus pacitum fecit cum
Pontileviensi abbate de justitia exercenda in
vico *Charenton.* Obiit die 6 Aprilis 1323.

LXXXII. Stephanus I.

C Cognito Geoffridi decessu, Joannes papa
XXII, e sua, nihil aliud curans, auctoritate,
adolescentem quemdam donavit Turonen-
si pallio, etsi sacris ordinibus non ea tenus
adscriptum. Violatum jus canonici cla-
marunt. Quibus opem non denegans Phi-
lippus rex, jussit, contempta domini papæ
designatione, suffragia colligi. Ea de re
supremæ curiæ placitum legit Joannes *Maan,*
datum die 2 Maii 1323. Stephanus aliquan-
diu post omnium consensu delectus, qui pa-
rentibus obscuris Burgulii natus, anno 1269,
doctrinæ pietatisque fama devenerat ad su-
D prema Turonensis ecclesiæ munera. Mature-
scente adolescentia decreta docuerat Ande-
gavi; deinde Guillelmus illum Major, epis-
copus, eduxerat e schola et officialem elegerat
suum. Postea canonicus, dein cantor anno
1313, et denique archidiaconus Transligera-
nus in eadem ecclesia. Quem ad Turonensem
cathedram provectum probavit denuo domi-
nus papa Joannes, XVII cal. Septembris 1323, 1323
pontificatus anno septimo, ut Suaresius et
Sammarthani referunt. Apud eosdem legitur,
e Joanne Tillio, regem Carolum noluisse,
12 Maii 1324, hunc reditus episcopales 1324
E percipere. Quo et anno Stephanus fratres
Carmelitanos in urbe metropolitana jam de-
gentes, non tamen archiepiscopali constitu-
tos auctoritate, benigniter excepit. Occurrit,
anno 1326, visitans prioratum Espeigneyi 1326
agnoscensque nullam ipsi debitam hoc in
prioratu procurationem. Composuit, anno
1327, litem de decimis S. Spani. Sedit Pari- 1327
siis, die 8 Decembris 1329, in percelebri præ- 1329
latorum procerumque colloquio de temporali
ecclesiæ jurisdictione. Anno 1330, Decembri 1330

ANNI CHRISTI

1332 mense, Guidoni, Pontileviensi abbati, largiebatur totum dominium totumque jus in vico *de Charenton*. Annum circa 1332, preces anniversarias in collegiata S. Venantii fundavit, quolibet mense Martio dicendas. Eodem anno, composuit controversiam inter episcopum Venetensem et abbatem Rotonensem exortam, de visitatione prioratuum S. Salvatoris in Venetensi diœcesi sitorum. Fun-
1333 davit, anno 1333, Parisiis, in via Cytharæ, collegium Turonense, ad sex excipiendos pagi Turonensis alumnos. Cujus collegii fortuna prorsus anno 1763 cecidit. Naturæ debitum persolvit Stephanus nonis Martii 1334, vel secundum recentiorem calculum
1335 1335, e necrologio Burgulii. Alibi leges hunc 10 Martii defunctum; aut etiam 13 ejusdem mensis, in codice Musei Britannici. Sepultus est in ecclesia abbatiali B. Mariæ Gastinensis, si fides Sammarthanis adhibetur; si potior Joanni *Maan*, in sacello S. Candidi Turonensis ecclesiæ, quod prædiis ditaverat. Laudatur a Rad. Monsnerio in omnes pauperes, potissimum clericos et canonicos, egregie munificus. Synodus, vacante sede, quædam inita; cui cum interesse non possent, ad capitulum litteras misere Daniel, Nannetensis, et Guillelmus, Leonensis episcopi.

LXXXIII. Petrus II.

FRETAULT. Decretorum interpres Andegavi, Petrus summam laudem assecutus erat. Quem, anno 1315, Geoffridus Hains canonicum fecit Turonensem, futurum, anno 1323, archipresbyterum S. Mauræ. Benedictus papa XII illum, ut ad summam devenit sedem, Philippo regi commendavit, et hujus electionem apostolico diplomate probavit, ponti-
1335 ficatus anno primo, Christi scilicet 1335.
1336 Pactus est Petrus, anno 1336, de jurisdictione ad canonicos spectante in beneficiarios minoris ordinis. Plures cogens synodos memoratur, Castri Guntherii 1336, Salmurii 1342, Turonibus denique anno incerto. Anno
1340 1340, capitulum Dolense jussit episcopum eligere, Joanne nuper defuncto; apud Moricium,
1343 Prob. Hist. Brit. t. I, col. 1399. Anno 1343, transegit cum abbate Pontileviensi de Charentonio; supra, t. VIII, col. 1385. Quo et anno probavit sacerdotia quatuor Pontibus Cainonis a Petro Marmandio constituta. Con-
1347 firmavit, die Lunæ post Quasimodo 1347, pactiones initas inter abbatiam Villelupensem et parochialem ecclesiam Locheyi. Regem,
1355 anno 1355, adierunt canonici Turonenses, querentes de Petro, qui, non ipsis in concilium vocatis, interdictionis sententiam immiserat in terras S. Martini. Spiritum Petrus exhalavit supremum die 21 Maii 1357 et sepultus est in sacello S. Michaelis.

A

LXXXIV. Philippus II.

BLANCHE. Doctorem legum Philippum *Blanche* officialem elegerat Petrus Fretaldus, et postea canonicum, die 24 Aprilis 1341. Patrono suffectus ille fuit defuncto a canonicis sodalibus die 4 Julii 1357, si Joannem *Maan* sequeris. In his vero chronicis notis aliqua menda deprehenditur. Electo sedenim jam Philippo cathedram conferebat Turonensem
Innocentius papa VI 3 Julii 1357, e schedis 1357
Suaresii. Nec prætereundum quod in litteris domini papæ Philippus dicatur ecclesiæ can-
B tor Abrincensis. De quo sic Joannes *Maan* : « Electionem Geraldi, S. Genulfi abbatis, in « diœcesi Bituricensi, probavit, et regaliorum « jure ipsum vestivit ex more, qui et apud « canonicos ecclesiæ sacramentum, uti so« dalis honorarius, mox dixit, anno 1358. » Advertendum quod Geraldus ille deest in syllabo S. Genulfi abbatum quem antecessores nostri digessere. Magni tunc temporis bellorum motus, lamentabilia excidia, cum Edoardus, Anglorum rex, provincias Galliæ occiduas ferro nec non flamma vastaret. Jamjam appropinquantibus hostium turmis, Tu-
C ronensis plebs Majus Monasterium eruere funditus aggressa est, ne præda fieret Anglis et tuta sedes. Quod suscepit servandum servavitque Philippus, ut legitur in Chronico abbatum Majoris Monasterii : « Nam « dictus archiepiscopus induit se pontificali« bus ornamentis et in altum portæ suæ « ascendit, sententiam excommunicationis « fulminavit contra eos qui in demolitionem « aut destructionem prædictæ abbatiæ manus « apponerent. Et sic confusi ad suum domi« cilium sunt reversi. » Philippus nominatur inter exsecutores testamenti Petri, cardinalis (Andr. Salmon, Collect. Chronic. Tur. p. 332)
D *de La Forest*, archiepiscopi Rotomagensis,
anno 1361. Plura instituit in ecclesia Turo- 1361
nensi beneficia. Sui prodigus æris erga pauperes, adeo pauper evasit ut, Romam profectus, mitram lituumque suum pastoralem Innocentio VI, pro solvendis bullis, oppi-
gnerasse dicatur. Vixit ad annum 1363. Anni- 1363
versarium ejus celebrarunt San-Julianei nonis Septembris, ex eorum martyrologio.

LXXXV. Simon I.

DE RENOU. Abbatiam Simon regebat S. Nicolai Ande-
E gavensis, cum Turonum archiepiscopus elec-
tus est, Octobri mense 1363. Summi Ponti- 1363
ficis auctoritate confirmatus est insequente
Novembri, et, anno 1364, consecratus, 1364
solemni et ea tenus, ut videtur, insuitata pompa. Legendus ea de consecratione verbosus Joannis *Maan* sermo. Percelebrem (Sanct. et Metrop. eccles. Turon. p. 150)
habuit totius provinciæ conventum, in ec-
clesia Andegavensi, die 12 Martii 1365. Ibi 1365
quinque et triginta conditi canones de jurisdictione ecclesiastica. Vir erat magnificus,

ANNI nihil agens sine apparatu et cultum summo- A
CHRISTI pere curans ornandum. Ab illo creati, anno
1366 1366, octo clericorum tituli cantandis hymnodiis addictorum. Eodem anno, parœciam in templo S. Florentini Ambasiensis erectam confirmavit, et fregit contumaciam Cainonensium canonicorum, quippe qui se metropolitana visitatione dudum jactarent immunes. Quo et anno jura ducis Britannorum agnovit, nec ea canonibus Andegavensis concilii minuta dixit; e Moricio, Probat. Hist. Brit., t. I, col. 1614. Sæpius extra provinciam suam vocatus vicarios generales instituit,
1370 qui, die 14 Februarii 1370, licentiam dede- B
runt canonicis Andegavensibus episcopum
1372 eligendi. Anno 1372, Simon compescuit litem exortam inter abbatem Villelupensem et Radulfum *Cibot*, presbyterum *de Nouan*. Eodem anno, non parvi momenti controversia mota est de juribus quibusdam Turonensis archipræsulatus. Cum enim baillivus exemptionum Turonensis agri ante suum vocaret tribunal non tantum Turonensis ecclesiæ ministros, sed ipsum archiepiscopum, Romæ tunc temporis degens Simon a domino papa supplex poposcit ut ea de re ad Francorum
regem scriberetur. Ad summi pontificis pre- C
cem Carolus rex præceptum edidit, Septembri mense 1372, in quo legitur ad Turonensem archiepiscopum spectare ut ante curiam Parlamenti, nullo medio, causas oret suas.
1374 Romam rursus ivit Simon, anno 1374, cum pluribus e regis consiliis, ut infeodationem regni Siciliæ posceret, et impigre laboraret in conjungendis filio regis Ludovico et Catharina, Hungariæ regis filia. Tunc ab Urbano papa V obtinuit insignia Turonensis ecclesiæ pontificia, quæ Philippus antecessor oppigne-
1379 raverat. Obiit Turonibus anno 1379, die 2
Januarii, secundum veterem calculum, sepul- D
tusque est in ecclesia metropolitana ad latus altaris sinistrum.

LXXXVI. Seguinus.

D'ANTON. Huic successit Seguinus de Antone, filius Joannis de Antone et Philippæ *de Torsay*, apud Santones, canonicus primum et dein archidiaconus Santonensis. Illum quidem non capitulum elegit Turonense, sed Carolus rex creavit archiepiscopum, nulla suffragiorum habita ratione, ex indulto Clementis papæ VII.
Acceptis bullis, quas dominus papa dederat E
1380 die 8 Februarii 1380, Seguinus per procuratorem possessionem adiit die 23 Martii insequentis. Post aliquot pontificatus menses abdicavit, cum canonicis litigans. Mox dicebatur Antiochenus patriarcha.

LXXXVII. Alelmus.

BOISTEL. Consiliarius regis et libellorum supplicum magister occurrit in syngraphis acceptæ pecuniæ ad annum 1371, et, hoc anno currente, ANNI
missus Avenionem ad dominum papam, cum CHRISTI
illo colloquium habiturus de fœdere inter Genuenses et Christianissimum regem; mox, anno scilicet 1374, ad Hungariæ regem legatus. E qua redux legatione, S. Deodati præposituram apud Trevirenses suscipiebat, et,
anno 1380, Turonensem archiepiscopatum. 1380
Illo sedente, datum fuit canonicis Turonensibus a Clemente papa horum privilegia memorans diploma, anno 1380. Eodem anno, die 2 Octobris, in supremo sedens senatu, Carolum regem VI jam sui factum juris agnovit. Alelmo in remotis agente, hujus vicarii generales, 21 Julii 1382, in Redonensem episcopum informationem fieri jubebant. Decessit anno 1382.

LXXXVIII. Guido.

Guido e Belgiis oriundus, Virdunensis episcopus ab anno 1376, Dolensis ab anno 1381, Turonensi præfectus est metropoli anno 1382, ut affirmant, testibus Sammarthanis, acta Vaticani consistorialia. Cedebat anno 1383, et, die 8 Octobris, subrogabatur Heliæ, Castrensi episcopo. Ille Senonensis archiepiscopus ab anno 1385, et deinde Remensis. DE ROYE.

Guidoni *de Roye* alter suffectus a quibusdam canonicis Guido, cognomine *de la Roche*, canonicus S. Martini, præpositus Andegavensis, nec non exactor denariorum pontificalium in Turonia et Turonensis archidiaconus. Ille vero consecrationem impetrare non potuit. Auri sedenim quingena scuta mutuabatur a canonicis S. Martini, vel anno 1390, ad id ut promotionem suam prosequeretur. Quod e regestis Martiniensibus comperimus a Monsnerio compilatis.

LXXXIX. Seguinus.

Abeunte Guidone, sedes aliquandiu vaca- D'ANTON.
Cum vero Seguinus, Antiochenus patriarcha, patriarchatum assequi suum, prohibentibus Turcis, non valeret, illum rursus Clemens papa VII præfecit Turonis, VII idus
Aprilis 1385. Abdicato tamen archiepisco- 1385
patu non iterum sedit archiepiscopus, sed, ut bulla Clementis declarat, administrator perpetuus in spiritualibus et temporalibus. Hæc ex apostolicis ad Seguinum litteris desumenda : « Personam tuam nobis devotam, « exigentibus meritis, paterna benevolentia « prosequentes, illa tibi libenter concedimus « quæ tibi fore conspicimus opportuna. Dudum siquidem ecclesiam Turonensem tunc « pastore carentem tibi ex certis causis et « rationabilibus, auctoritate apostolica, de « fratrum nostrorum consilio, duximus in « spiritualibus et temporalibus commendan- « dam, per te, quandiu vixeris et ecclesiæ « Antiochenæ præfueris, in eisdem spirituali-

ANNI CHRISTI

« bus et temporalibus regendam et etiam gu-
« bernandam. » Urbem intrans Seguinus
adeunda sibi proposuit limina S. Martini.
Quod Martinienses non tulerunt, inaugura-
tum jam antea dicentes, et violandis privi-
legiis ansam præbere recusantes. Agnovit Se-
guinus se non uti archiepiscopum, uti vero
patriarcham sacratissimas ædes intraturum,
et sic inter ligitantes pax inita, die 19 Julii
1385; apud *Housseau*, t. VIII. Nec multo
post gravius inter Seguinum et metropoli-
tanæ sedis canonicos exarsit dissidium de
juribus ad ipsos spectantibus, cum se jacta-
rent immunes ordinaria jurisdictione non ut
canonicos tantum, sed etiam ut plebanarum
ecclesiarum rectores. Solvendum hoc jur-
gium primo Clemens papa demandavit ar-
chiepiscopo Bituricensi, decano S. Martini
et abbati Majoris Monasterii : causam vero
dein ipse cognoscere voluit, et canonicos di-
misit in judicio cadentes. Testamentum con-
1394 didit suum Seguinus, die 27 Aprilis 1394,
jubens corpus suum transferri in ecclesiam
Santonensem, viscera vero, si Turonibus de-
cederet, in ædem Carthusianorum Turo-
nensis diœcesis, et plura legans insuper tum
ecclesiis, tum propinquis suis; apud Sammar-
thanos, t. I, p. 778. Cui testamento codicil-
los adjunxit die 23 Maii 1395, quædam de
sepultura sua commutans; apud eosdem,
1394 p. 781. Sedebat, anno 1394, in cœtu præsu-
lum jussu Caroli VI Parisiis congregatorum,
die Purificationis beatæ Mariæ, qui statuerent
de schismate tollendo. Decessit Candæ, die
25 Martii 1395.

Chronic. Monach. Sandionys. edit. nova, t. II, p. 220.

XC. Amelius.

DU BREUIL. Amelius, doctor in decretis, consiliarius
regis supplicibusque libellis præpositus a Ca-
rolo rege V, cantoriam Turonensem postea
sortitus est, quam per annos viginti tenuit.
Hunc, 18 Martii 1381, sodalium numero suo-
rum adscribebant Martinienses canonici. Se-
debat, anno 1394, Parisiis, in prælatorum
colloquio de schismate, dictus tunc temporis
auditor sacri palatii, ut meminit monachus
San-Dionysianus, lib. XV, c. 11. Quo nomine,
sicut e litteris Benedicti papæ XIII compertum
habemus, de rebus Ecclesiæ plurimum in
Flandria desudavit. Seguino defuncto, a con-
canonicis archiepiscopus salutatus est, die 26
1395 Julii 1395, confirmatusque litteris Benedicti
XIII, Avenione sedentis. Hujus summi Pon-
tificis habes epistolam ad Joannem Britanniæ
ducem, in qua, data XII cal. Decembris 1395,
singulæ recensentur Amelii dignitates. Vix-
dum infulas gerens Amelius, ad nihilum se
gessit promptiorem quam ad sedanda dissidia
de jurisdictione capituli. Rem ille quidem de-
canusque Turonensis Geoffridus enodandam
sponte demandarunt Joanni, Ostiensi epis-
copo, Guillelmo, cardinali sub titulo S. Ste-

A phani in Cælio monte, Bertrandoque sub ti-
tulo S. Pudentianæ, a quibus litis materia re-
mota, edictique compositionis articuli, ab
ipso papa probati 14 Julii 1396. Amelius 1396
inde noscitur pacis studiosus. Multis tamen
et gravissimis mox incurrit dissidiis. Ejus-
dem Martenius edidit statuta, vernaculo idio-
mate, lunæ die post festum S. Lucæ 1396,
condita, quæ scilicet ad parochiarum admi-
ministrationem præcipue spectant. Provinciæ
suæ visitationem aggressus, Andegavum deve-
nit Februario mense 1400, secundum hodier- 1400
num usum, et, die nona dicti mensis, solem-
B nem habuit ad clerum sermonem e S. Mau-
ricii choro, adstantibus episcopis Nannetensi,
Dolensi, et nonnullis abbatibus. Apud *Tra-
vers*, Concil. Turon. Provinc. t. III, p. 228.
Inde Salmurium se recipiens, abbatiæ invi-
sendæ gratia, monachos expertus est aditum
ipsi prohibentes, quoniam, ut aiebant, in An-
degaviam ad concilium celebrandum, non
autem ad visitationem peragendam venisset.
Quos ecclesiastica censura, quasi rebelles,
Amelius notavit. Mox, cum in Britanniam se-
met longius tendens recepisset, vehementior
inter eum Dolensemque episcopum Richar-
C dum contentio surrexit, quam secuti sunt
magni tumultus, acerrimis factionibus pro-
vinciam modo quietam miserabiliter lace-
rantibus. Cum enim Dolensem civitatem
adiret, Richardus et capitulum Dolensis ec-
clesiæ portas urbis claudi jusserunt et ingres-
sum recusaverunt Turonensi metropolitæ.
Rebellantibus diem dicens Amelius misit qui
monitionem parietibus affigerent : hi vero
non tantum opprobiis, sed etiam fustibus
gladiisque evaginatis fuerunt accepti. Inde
canonicos Dolenses, nec non Richardum epis-
copum, rursus coram se vocavit ob majorem
D injuriam majori pœna mulctandos. Citati
vero neutiquam comparuerunt. Tum justæ
non ultra temperans iræ Amelius, canonicos
Dolenses et Richardum episcopum arcuit
sacris, auctoritate metropolitana secundum
normam excommunicatos. Res eadem apud
Cenomanos aliter cessit. Cum enim, Julio
mense 1400, Amelius Cenomanum venisset
et visitationem canonicam perageret, aper-
tis exceptus est januis, ut decebat. Ame-
lius igitur libens agnovit, 30 Julii, non te-
meranda capituli privilegia : e chartul. Ce-
nomanen. ecclesiæ. Audivit Parisiis Amelius,
E 28 Maii 1403, sacramentum quod rex juravit.
Aliud in ecclesia Turonensi dissidium mo-
vit Olivarius monachus, qui Gastinensem
abbatiam ad suum jus adegerat, invitamque
tyrannus regebat. Illum submovit Amelius
illique suffecit Stephanum abbatem, die 4
Novembris 1406. Inde Parisios rursus teten- 1406
dit, quo rex præcipuos acciverat ecclesiæ
Gallicanæ præsules.

Pars fuit Amelius, non parva quidem, con-
ventus apud Parisinos habiti, anno Christi

ANNI CHRISTI

æ Novembri, in quo, vo-
'egni metropolitanis, epis-
. et solenmioribus univer-
actum est de recusando
mperio. Magnus erat ani-
iode fluctuantium tumultus,
tinio non mediocri pensanda,
usque factionis studium, et
ebratissimæ auctoritatis viri.
, stetit Turonensis archiepis-
um episcopo Cameracensi, et
omitate, iis ad casum apte con-
isus est rationibus, ut nihil in
it statutum et tota res solvendi
id universalem ecclesiam, vide-
erale concilium, deferretur. Hæc
s San-Dionysiani monachi. Anno
um Gregorius papa XII, qui Boni-
r defuncto successerat, ad Bene-
assiliæ degentem misisset epistolam
s expolitam verbis, et cum Bene-
mic epistolæ licet toto pectore an-
liverticulis tamen quibusdam et ar-
cavillationibus effugere videretur rei
cujus se magnopere studiosum ven-
, electi sunt a rege Francorum quidam
ite et doctrina notabiles ordinis utrius-
ri, qui, Gregorium et Benedictum al-
vicibus adirent. Inter quos primum te-
ocum, post Alexandrinum patriarcham,
lius noster. Qui veniens ad Benedic-
, in monasterio S. Victoris Massiliensis
cœtu legatorum verba fecit, coram do-
io papa et collegio cardinalium, con-
ientissima oratione deducens hæc verba :
*nedictus es, Domine, doce me justificatio-
s tuas!* Nec tamen, hac legatione apud
enedictum peracta, cum cæteris Amelius
vit Romam ad Gregorium, sed, cum abbate
sancti Michaelis, Massiliæ commoratus est,
quorum consiliis et quotidianis admonitioni-
bus Benedictus in bono proposito firmaretur.
Amelius, anno 1407, cum Andrea de Cha-
naco, Casæ Dei abbate, Guidone de Roliaco,
et pluribus aliis, nominatur exsecutor testa-
menti Guidonis de Malesicco, cardinalis, epis-
copi Prænestini. Commendabat fidelibus et
singulis ecclesiæ Turonensis ministris, 1 Sep-
08 tembris 1408, fratres Prædicatores in urbe
metropolitana degentes, quorum domus et
ecclesia fortuito nuper eversæ fuerant in-
cendio; apud *Housseau*, t. IX. Memoratur
Parisiis, 25 Septembris, in percelebri episco-
Gall. christ., XI, col., Instr. porum conventu, et subscribens litteris con-
gregatorum patrum quibus Ludovico de Ha-
ricuria Rotomagensis ecclesia commissa fuit
administranda. Concilio Pisano interfuit,
1409 anno 1409, legatus regis et cleri Gallicani :
quo et anno consecravit Amalricum de Mota,
Venetensem episcopum. Vestivit regalibus,
1410 anno 1410, Hervæum, sive Henricum *Savari*
S. Genulfi abbatem. Interdictionis virga cæ-
1412 sit, anno 1412, Turonensium Jacobitarum

A rectorem, cum sepulturæ dedisset christianæ
virum quemdam excommunicationis flagello
perculsum ob violatam ecclesiæ libertatem.
Decessit Amelius cal. Septembris 1414.

XCI. Jacobus.

Vitam ipse suam scripsit, quam e codice GELU.
Turonensi desumpsit edidítque Martenius,
Anecdot. tom. III, col. 1947. Oriundus
e Trevirensi diœcesi Jacobus, cognomine
Gelu, artium magister evasit Parisiis anno
B 1391, baccalaureatus in decretis 1395, licen-
tiatus in legibus 1401, præfectus supplicibus
libellis Ludovici, ducis Aurelianensis, die 14
Decembris 1402, die demum 26 Aprilis 1405
consiliarius regni in supremo Parisiorum se-
natu. Unde, mense Junio 1407, Carolus illum
Delphinus evocatum jussit præsidem se-
dere in Delphinatus Parlamento. His pergit
verbis Jacobus: « Anno Domini millesimo qua- 1414
« dringentesimo decimo quarto, Dominus sua
« bonitate indignissimum me servulum suum,
« omni profecto virtute et merito carentem,
« beneficiis suis lucrari volens, sua bonitate
C « et gratia prævenit ac tantam diffudit boni-
« tatis dulcedinem, quod, eo auctore, sep-
« tima mensis Novembris anni prædicti, fui
« pronuntiatus in civitate Constantiensi, in
« Alamannia, in præsentia septemdecim car-
« dinalium, archiepiscopus Turonensis, rela-
« tionem facientibus dominis cardinalibus
« de Ursinis et Guillelmo S. Martii, quo loco
« generalium concilium erat convocatum, et
« nova pronuntiationis prædictæ recepi et
« habui Parisiis die Dominica quæ erat de-
« cima octava dicti mensis Novembris. » Sa-
cramentum regi dedit Jacobus die 4 Decem-
D bris, possessionem iniit absens, magistro
Gerardo vicem illius implente, die 29, sive 22,
et consecratus est, die 13 Januarii, ab epis-
copo Parisiensi, adstantibus episcopis Belva-
censi et Cabilonensi, solemnem ingressum
Turones ipse celebraturus die 8 Aprilis 1415. 1415
Vixdum vero duos menses exegerat in ca-
thedra, cum, 30 Maii, missus fuit ad Cons-
tantiense concilium. Nec diu sedit inter
congregatos patres : illum enim mox elegere
qui, cum pluribus episcopis et magistris,
in Septimaniam tenderet, et Petrum de Luna,
dictum ab asseclis Benedictum XIV, horta-
E retur ad concordiam. Redux ex hac legatione,
die 30 Januarii 1416, ipse coram concilio
nuntius erat pacis, non sinceræ quidem,
quam præ cæteris fecerat cum Benedicti le-
gatis. Irritos mox cognovit Jacobus quos im-
penderat sudores, Benedicto negante pro-
missa et contumaciorem se gerente. Ea
fruebatur inter sodales auctoritate, ut illum
natio Gallicana elegerit unum e duobus præ-
latis quos misit in purpuratorum conclave
de instituendo papa deliberantium. Et ipsi
data fuerunt quædam suffragia. Electus a

ANNI CHRISTI

plurimis Martinus Jacobum fidissimum habuit: quem paulo post in Galliam ire jussit apostolici legati munere insignitum. In aula regis potens Jacobus curam suscepit componendæ pacis inter dimicantes Delphinum et Burgundiæ comitem. Misit illum Corbolium
1418 Delphinus, anno 1418, cum Roberto *de Braquemont*, concordiæ verba laturum. In ea vero legatione nihil profecit, Parisiisque postea commoratus, parum abfuit quin cecidisset in illa lamentabili strage quam sociati cultris laniorum Burgundionum mucrones fecerunt. Incolumis, non autem interritus, clam fugit, postquam per dimidium mensem latebras tenuisset, ut ait: « Ego vero, qui legatus a papa, pro pace regni tam intranea « quam extranea, veneram, quam persequebar, evasi manibus impiorum hominum in « nomine Domini, die 16 Junii; de qua evasione non minores gratias ago Deo quam « de mea creatione. » Confirmavit Jacobus,
1419 anno 1419, Hubertum a Gastinensibus electum abbatem. Rara præsulantis testimonia,
1420 quoniam, anno 1420, secundum hodiernum computum, Januario mense, jam aberat, mandato Delphini, missus ad Hispaniæ regem ut ab illo peteret auxilium contra Burgundiones Anglosque simul congredientes. Unde rediit, et die 6 Junii a Turonis fuit ex-
1421 ceptus. Anno 1421, die 29 Septembris, Romam tendebat; ubi nulla quies appellenti data, nam illum protinus papa ablegavit ad Siciliæ reginam suadendam de pace cum Ludovico rege ineunda. Turonensem, anno 1427, Jacobus cathedram abdicavit, ad Ebredunensem ecclesiam translatus.

XCII. Philippus III.

DE COETQUIS.

Philippus, nobili genere natus in Leonensi pago, Leonensis primum episcopus, mox Ebredunensis ecclesiæ jus adeptus, permutationem iniit cum Jacobo *Gelu*, nundum Ebredunensibus potitus infulis. Quem archiepiscopum Turonensem rite dixit Marti-
1427 nus papa V, die 29 Julii 1427. Sacramentum regi præstitit Philippus die 30 Novembris, urbem metropolitanam solemniter ingressu-
1428 rus III cal. Junii 1428. Eximio præditus ingenio, variisque disciplinis ornatus, inter præstantiores annumerabatur ecclesiæ Gallicanæ præsules: Carolus igitur illo rex sæpius usus oratore, sive legato. Suam tamen non penitus deserens ecclesiam, illi quantas potuit curas impendit. In primis sibi molestos expertus est S. Martini canonicos. Cum enim die quadam, ad atria domus quam in claustro S. Martini comes Vindocinensis nuper ædificaverat, palam et erecta cruce, pontificem agens, incessisset, sua Martinienses clamitare violata privilegia, et in tantas erumpere minas, ut, suæ providens auctoritati Philippus, ad sedem apostolicam et concilium generale

A proximum rem judicandam detulerit. Extat hujus litis instrumentum notarii manu scriptum, 12 Februarii 1430, more Gallicano. Hæc autem Philippi provocatio nullum exitum sortita est. Carolus enim rex per suos impetravit legatos ne concilium Basileense litem judicaret, semet asserens, probante Eugenio papa IV, moti judicem dissidii, utpote qui S. Martini dicebatur abbas, vel proprius episcopus. Scribebat Philippus, 5 Maii 1431, ad Joannem Nannetensem epis- 1431 copum, jubens ut absolveret Joannam, Francorum regis primogenitam, quæ se de-
B liquisse fatebatur quando matrimonio junxerat Isabellam filiam suam et Ludovicum regis Siciliæ filium; inter francicos Regis codices, sub num. 8357². Eodem anno, Nannetibus habuit provincialem synodum, cujus acta, multis in locis a Joanne *Maan* corrupta, ad meliorem normam *Travers* redegit, tam e codicibus manuscriptis, quam ex aliis conciliis quorum canones Nannetensis illa synodus expresse renovat. Videsis concilia Provinciæ Turonensis a D. *Travers* collecta, t. III, p. 283. Sedebat Philippus, anno 1432, 1432 in comitiis Bituricensibus: unde missus est
C ad Basileense concilium. Anno 1433, Aprili 1433 mense ad exitum currente, Basileam Philippus profectus est. Hujus de laude consentiunt quicumque res ibi gestas posteris commendavere: nam prudentiæ non minus quam eloquentiæ nomen promeruit, causam quam erat amplexus summo semper fovens studio et acerrime propugnans. Inter cætera, 18 Junii 1435, occurrit coram congregatis patribus egregie patrocinans Guillelmo, abbati S. Sepulchri de Bello-Loco. Basilea redierat, die 13 Januarii 1436, qua 1436 Ludovico Delphino, quatuordecim annis
D nato, dispensationem concessit ad ineundum matrimonium cum Margarita, filia Jacobi, regis Scotiæ. Anno sequente, pacis studiosior quam auctoritatis per lites et insidias augendæ, ut qui summis intentus negotiis non minima curabat, confirmavit, die 1 Junii, pacta quorum jam antea meminimus de non visitandis ab archiepiscopo Turonensi prioratibus Majoris Monasterii; apud *Housseau*, t. IX. Nec, anno 1438, Phi- 1438 lippi præpotens defuit consilium Gallicanis præsulibus, quos Bituricum excepit civitas Pragmaticam Sanctionem condere stimulentes.
E Inde rursus Basileam tendebat, regii oratoris titulo insignitus. Illum Felix anti-papa cardinalem creavit anno 1440. Purpuram vero 1440 non diu gessit, cum debitum naturæ persolveret, Turonibus, die 12 Julii 1441.

XCIII. Joannes III.

Demortuo Philippo, canonici Turonenses BERNARD. ad regem iverunt, licentiam eligendi postulantes archiepiscopi. Quorum votis cum rex

ANNI CHRISTI

annuisset, dissipari suffragia : scrutinio sæ-
pius adito, electio nulla peragi. Quamobrem
in eam canonici tandem convenerunt senten-
tiam ut ab Eugenio papa IV præsulem posce-
rent. Eugenius Joannem Bernardi designavit,
idibus Decembris 1441. Natus ille Turonibus
utrumque jus docuerat, et de rege bene me-
ritus libellorum supplicum ab anno 1424
curam habuerat excipiendorum. Metropoli-
tanam urbem ingressus est Joannes die
1442 27 Maii 1442, ut meminit in schedis domnus
Housseau, instrumentum ingressionis pu-
blicum desumens e chartulario S. Martini.
Pontificatum auspicantis Joannis pauca su-
perfuere monumenta. Non quidem occurrit
1447 in tabulis annum ante 1447, quo canonicis
Andegavensibus licentiam dedit episcopum
eligendi. Concilium habuit Andegavi, die
1448 7 Julii 1448, in quo triginta conditi cano-
nes ad immunitatem clericorum præcipue
1450 spectantes. Consecravit anno 1450 Joannem
de Coetquis, Philippi nepotem, Redonensem
episcopum : quo et anno lustrandam aggres-
sus provinciam, repulsam passus est a Ra-
dulfo, Dolensium episcopo, cum ille se me-
tropolitana visitatione diceret immunem.
Turones redux, die 29 Januarii 1450, sive,
1451 secundum Gallicanum usum, 1451, indul-
gentias quadraginta dierum concessit Carme-
litanos monachos adjuvantibus : quo et anno
Cœlestinos sodales, Parisiis accitos, in Gra-
viensi Cormaricensium prioratu constituit.
Inde Romam profectus est, circa Septem-
brem 1451, sermonem habiturus coram
domino papa de rebellione Dolensi, et,
mandato regis, de schismate Romano. Con-
cordiam fecit cum Radulfo, Dolensi epis-
1452 copo, anno 1452, apud Moricium, Prob.
Hist. Brit., t. II, col. 1610, et paulo post
Romam deseruit ad suos rediens. Accipiebat,
anno 1453, Nicolai papæ litteras, datas
die 10 Januarii, quibus, non obstantibus
privilegiis antiquitus S. Martino condona-
tis, Turonensis metropolitæ jurisdictio in
quascumque diœcesis ecclesias diffundeba-
tur, vel in ipsas Romanæ sedi, nullo medio,
se jactitantes obnoxias. Die Dominica S. Tri-
1454 nitatis 1454, consecravit Joannes Lingonen-
sem episcopum Guidonem, e fratre nepotem,
qui, Turonensis nuper archidiaconus, le-
gatione functus erat apud Nicolaum papam;
eodem anno, ultima die Junii, se contulit,
non paucis stipatus monachis clericisque,
ad ecclesiam S. Mauræ, aperuitque capsam
in qua jacebant ossa pretiosa SS. Mauræ et
Brittæ; apud *Housseau*, t. IX. Memoratur
et eodem anno missus in Hispaniam a
rege, qui prisca Franciam inter et Hispa-
niam fœdera confirmata impetraret. Unde
redux fortassis erat 25 Novembris, uti ex
hujus litteris apparet ad Nannetensem epis-
copum, quibus eum venire jubet ad conci-
lium Valle Guidonis celebrandum die Sab-

A bati post *Reminiscere* proxima; in Conciliis
Turonensibus D. *Travers*, t. III, p. 349.
Morbo laborans et non adesse valens eleva-
tioni corporis B. Vincentii Ferrarii, 4 Apri-
lis 1456, dicitur a Frizone, in Gallia Purpu-
rata. Anno 1457 legatione fungebatur altera
ad Mantuæ ducem. Reperitur, eodem anno,
mense Decembri, missus ad excipiendos La-
dislai, Hungarorum regis, legatos, in matri-
monium deposcentes Magdalenam, Franco-
rum regis filiam. Prædicti Turones devenere
legati 8 Decembris, et in abbatia S. Juliani
lautis epulis sunt adhibiti. Quam accedens
B ad S. Juliani abbatiam Joannes, mense Ja-
nuario 1458, secundum recentem usum, e 1458
veteribus capsis in novas plurium corpora
sanctorum transferri curavit. Turonensem
ecclesiam, quam Senonensi submissam an-
tiquitus Lugdunensi morem præbere pri-
mati jusserat recentius sedis apostolicæ de-
cretum, in libertatem integram vindicare
summopere studuit Joannes, litemque movit
ea de re ad Pium papam II, hoc anno 1458.
Cum vero fluctuaret anceps papæ sententia,
Joannes ecclesiam suam in omnibus soli Pe-
tro subjacere professus est. Confirmabat,
C anno 1461, electionem Guillelmi Multoris, 1461
abbatis S. Petri de Cultura. Quo eodem
anno, 24 Decembris, sententiam edebat de
Joanna *la Féronne*, Cenomanensi, in infami
pegmate palam ponenda; ex Albo libro Ce-
nomanensis episcopi. Anno 1462, præsules 1462
Armoricanos a Francisco duce vexatos strenue
tutatus est. Constituit, anno 1464, procura- 1464
tores generales ad paciscendum de diversis
juribus cum civibus Turonensibus, et, anno
sequente, Joannem, Andegavorum episco-
pum, excommunicationis flagello percussit
ipsi debitum detrectantem obsequium. De-
D cessit Joannes Turonibus, die 28 Aprilis
1466, non pauca relinquens egregii pas-
toris pignora. Sepultus est in media navi
S. Gatiani, exsequiis celebrandis operam
præbente Petro *de Montplacé*, abbate S. Ju-
liani.

Legit *Travers* in regestis ecclesiæ Nan-
netensis Petrum quemdam, Turonensem ar-
chiepiscopum, Nannetes anno 1450 deve-
nisse, procurationesque duas petivisse, de
quibus coram capitulo quæstio mota. Inde
pro certo tenuit duos sub hæc tempora
Joannes in cathedram Turonensem ascen-
E disse, quorum prior cessit anno 1449, vel
ineunte 1450, posterior Petro suffectus est
anno 1450, vel anno 1451. Conjecturam
hanc plane refellunt coævorum quæque scri-
ptorum rerumque ipsarum testimonia, et
certissime Petrum pro Joanne scripsit in re-
gestis Nannetensibus oscitans amanuensis.
Joannis Bernardi supra mentionem fecimus
anno 1450 Britanniam invisentis.

ANNI CHRISTI

XCIV. Gerardus.

BASTET DE CRUSSOL. Gerardus e Gerardo Crussolio et Alcide *de Lastric* genitus, electus est Turonensis archiepiscopus non, ut moris erat, a canonicorum collegio, sed a Paulo papa II, expectativa, ut aiunt, gratia utente. Accepit
1466 bullas die 12 Junii 1466, fidem regi dedit die 24 Augusti, et, die 13 Octobris, consecratus est Aureliæ ab archipræsule Burdigalensi. Quare canonicorum audita querela, de sua libertate detrahi murmurantium. Hos autem sibi conciliavit Gerardus litteris, die 17 Decembris datis, quibus agnovit cætera capituli jura. Cathedralem ingrediebatur ecclesiam die 11 Januarii sequentis, et ea die de illo querebantur Martinienses canonici, quod, cum debuisset, e veteribus statutis, primam impendere populo benedictionem ex altari S. Petri, in ecclesia S. Martini, observandæ consuetudinis negligentem se præbuisset. Nec multo post, die 3 Martii, exceptus fuit in ecclesia Lucacensi, juravitque se canonicorum privilegiis firmiter adhæsurum; apud *Housseau*, t. IX. Ab illis tamen,
1467 Februario mense 1467, fiscale donum exegit; de qua re lis fuit ante curiam Parisiensem. Synodum provincialem celebravit Nannetibus 2 Augusti, in qua nempe statuta sodalitatis, sive confratriæ Sanctissimi Sacramenti, in ecclesia Nannetensi, confirmavit. Hujusce confirmationis litteras servavit D. *Travers*, Concilior., t. III, p. 370. Abdicavit Gerardus Turonensem ecclesiam, ad Valentinam
1468 translatus, die 19 Maii 1468.

XCV. Helias.

DE BOURDEILLES. Helias de Bordeilla, de quo supra inter episcopos Petrocoricenses, canonicis notus erat Turonensibus ab anno 1467, quo Turones venerat ad comitia trium ordinum hac in urbe coacta. Abeunte Gerardo, illum elegerunt; qui fidem juravit regi die 23 decembris 1468, et metropolitanam ingressus est ecclesiam Sabbati die infra octavas Ascensionis 1469, uti legebat domnus *Housseau* in S. Juliani chartaceo codice. Quo eodem anno, 9 Augusti, annuebat proposito Ludovici regis capellam condere studentis in Ambasiensi castello; e Maximo Francorum Archivo, litt. K, 186. Anno sequente, 7 Junii, ratam fecit pacem Ancenisii compositam inter regem Francorum et Britonum ducem; Prob. Hist. Brit. t. III, col. 193 : 10 septembris, legatum adibat Romanum Turones venientem, illumque solemniter alloquebatur urbis extra mœnia, clero populoque, prout rex jusserat, stipatus. Acerrimus auctoritatis Romanæ defensor Helias tractatu peculiari Pragmaticam Sanctionem impugnavit, in quo sæcularia terrenis potestatibus, spiritualia vero supremæ sedis Pontifici tota et

A sine ulla exceptione submitti tenaciter asseruit : quod opus non semel reperies inter manuscriptos codices quos servat Maxima Parisiorum Bibliotheca. Scripta præterea gestis confirmans, Joannis Baluæ, cardinalis, a rege in carcerem missi, causam impigre vel apud regem oravit, nec vehementioribus abstinuit verbis. Quin imo minas anathematis fulguravit. Quocirca senatus Parisiensis in præsulem uti rebellem acerrimæ censuræ, et in hujus temporalia manus immissæ. Inde vero Sixto papæ IV acceptissimus Helias, hunc qui purpura donavit,
B VII cal. Januarii 1483, sub titulo S. Luciæ in Silice. Die 1 Decembris, Carola de Sabaudia, Ludovici regis XI relicta, testamentum suum Ambasiæ condebat, proximam sentiens mortem : cujus inter exsecutores designatus occurrit Helias, Turonensis archipræsul. Coacta Turonibus, Januario mense 1484, generalia Franciæ comitia, quorum pars Helias non minor fuit, sedens juxta Lugdunensem archiepiscopum. Moritur Artanis, 5 Julii 1484 et sepelitur in ecclesia cathedrali ad dextrum latus aræ majoris. Miraculis illum claruisse ferunt : de quibus
C inquisitionem instituit publicam, anno 1526, Joannes de Planis, Petrocoricensis episcopus.

CXVI. Robertus II.

Natus ex Henrico Lenoncuriano et Jacoba Beaudricuriana Robertus, ut antecessores nostri comprobavere, tom. IX, col. 146, abbas primo fuit S. Remigii Remensis. Illum ætate nondum matura, vix enim quintum et vicesimum attigerat annum, Carolus rex canonicis Turonensibus commendavit per litteras Heliæ sufficiendum. In ancipiti vero steterunt DE LENONCOURT.
D suffragia. Inde ad Sixtum papam IV electio delata, qui, regi obsequens, Robertum nominavit. Hunc papa novus Innocentius VIII confirmavit, die 12 Septembris 1484, ea lege 1484
ut integram non susciperet provinciæ administrationem annum ætatis ante septimum et vicesimum. Fidem regi dedit die 24 Octobris. Turonensem in urbem de more solemniter ingressus est 14 Septembris 1488, ut constat e regestis capitular. S. Martini. Pacis erat amans, quietis amantior. Primum transegit cum canonicis de juribus capituli : mox Remos abiit, ecclesiam vicariis genera-
E libus tradens gubernandam. Inter quos et canonicos novæ lites exortæ. Tandem anno 1508, permutatione facta cum cardinali Carreto, ad ecclesiam Remensem Robertus transiit. De illo plura quære Remenses inter archiepiscopos.

XCVII. Carolus Dominicus.

Hujus cum Roberto commutationem agentis initia jam superius dicta, in archiepisco- DEL CARRETO.

ANNI CHRISTI

pis Remensibus. Archiepiscopus factus Turonensis die 5 Aprilis 1509, procuratorem habuit in quibuscumque et vicarium Jacobum *de Beaune*, episcopum Venetensem, nec non ecclesiæ Turonensis decanum. Coacta Turonibus anno 1510 cleri Gallicani comitia, quibus præfuit, mandato regis, Franciscus *de Rohan*, archiepiscopus Lugdunensis, nec non Andegavensis episcopus. Statuta diœcesis synodalia Carolus summatim in unum coegit, et Gallice versa misit, anno 1512, ad Turonenses singulos curiones. Conciliandis Ludovico regi Julioque papæ summopere studuit Carolus Dominicus, stans inter utrumque, nimiumque ferventes animos ad pacem constanter compellens. Dimissis tandem Turonensibus infulis, ecclesiam Cadurcensem suscepit administrandam, anno 1513 desinente, vel, ut quibusdam placet, 1514 ineunte.

Maan, Concil. prov. Tur. p. 117.

XCVIII. Christophorus.

DE BRILHAC.

Aurelianensis primo decanus et plurimorum abbas locorum, Aquensis episcopus, Aurelianensi denuo præfectus ecclesiæ, de quo superius dictum, tom. VIII, col. 1481, Christophorus Turonensem conscendebat cathedram anno 1514. Quo et anno fiebat abbas S. Crucis, in ecclesia Burdigalensi. Bullæ pontificales ad eum missæ die 3 Julii. Dein possessionem adiit, die 10 Februarii 1515, secundum hodiernum computum: cujus solemnem ingressum copiose narravit Joannes *Maan*. Eodem anno, concessam a Leone papa X indulgentiam, cum magno populi concursu, celebravit. Interfuit die 10 Maii 1517, e Sammarthanis, solemnibus ad inungendam reginam Claudiam celebratis. Eo ipso anno dictus est abbas S. Ambrosii, in ecclesia Bituricensi. Defunctum illum memorant pridie cal. Augusti 1520.

Sacra et Metrop. eccl. Turon. p. 187.

XCIX. Martinus II.

FOURNIER DE BEAUNE.

Jacobi *de Beaune*, Samblancæi baronis, filius et Joannæ Ruzeæ, Martinus frater erat Jacobi Venetensis episcopi. Ecclesiæ datus a teneris annis, canonicus fuit Turonensis ante legitimam ætatem, et mox decanus. Canonicus idem S. Martini Turonensis, cellerarius S. Florentii, prior Bosci Raherii et abbas commendatarius S. Petri de Cultura. Tandem in archiepiscopum Turonensem as-
1520 sumptus a Francisco I, Decembri mense 1520, ætatis tertio et vicesimo, sumpsit infulas
1521 die 16 Martii 1521. Probavit, anno 1523, sodalitatem Canonicorum in Monthesaurina ecclesia constitutam, sacravitque die 1 Maii 1524 capellam B. Magdalenæ Ambasiensis, e
1527 Joanne *Maan*. Die 15 Junii 1527, pro jure suo sanciebat conditam capellam Stabuli, vulgo *d'Estableau*, a domina Maria *de Mont-*

A *bron*, relicta nobilis viri Arturi *de Villequier*. Obiit Turonibus, hoc anno, 2 Julii, acerbissimum cum non ferre valeret patris casum, quem patibulo rex mox jussit affigi, maternis nimium indulgens inimicitiis: e Diario Burgensis anonymi Parisiensis, p. 308. Sedes post Martinum aliquantisper vacavit.

C. Antonius.

DE LA BARRE.

Antonius, natus Veretis, in pago Turonensi, e Joanne *de la Barre*, equite torquato
B Stampensique domino, Mariaque *de la Primaudaie*, decanus primum fuit S. Martini Turonensis, et abbas S. Catharinæ juxta Rotomagum, mox Engolismensis episcopus; de quo supra, tom. II, col. 1020, et t. XI, col. 130. Sacramentum fidei juravit Turonensis archiepiscopus die 24 Aprilis 1528. 1528
Indictum fuerat, sede vacante, a Turonensi capitulo concilium 22 Junii celebrandum. In archipræsulem assumptus Antonius concilio non ipse præfuit, sed Turones misit, utpote qui personam absentis impleret, magistrum Carolum de S. Germano, presbyte-
C rum, cantorem Constantiensis ecclesiæ. Hujus acta concilii D. *Travers* ad nos detulit, Concil. t. III, p. 597-626. Mox Antonius possessionem per procuratorem adiit, die 5 Julii. Dicavit, anno 1533, Vosdanam ec- 1533
clesiam. Præcipuam vero sibi laudem comparavit digerens, anno 1537, amplissimam 1537
statutorum seriem de sacerdotalibus officiis. Ussæi fundatum firmavit, anno 1538, canonicorum collegium; die 17 Januarii 1542, 1542
erectam in parochia Tauxigniacensi capellam B. Mariæ Lauretanæ a Guillelmo *Sauvage*, Baugeseii abbate; anno præterea 1545, 1545
D alteram Bonidesiderii conditam canonicorum sodalitatem a Philiberto *Babou de la Bourdaisière*. Decessit anno 1547, die 12 Januarii. 1547

CI. Georgius.

D'ARMAGNAC.

Ex illustri Armaniacorum stirpe oriundus, anno 1500, Georgius patrem habuerat Petrum Armaniacum, Jordanis insulæ comitem, matrem Yolandam de Passavento. Laudatur optimis ab adolescentia disciplinis instructus, regique Francisco I perquam fa-
E miliaris. Illum elegerant suum canonici Lactorenses episcopum, anno 1529: Lactorensi vero sede nunquam potitus est, ut supra memoratum, tom. I, col. 1086. Eodem anno, Ruthenensi præfecit illum ecclesiæ Franciscus I, et, anno 1536, Vabrensi. Purpura donatus anno 1544, mense Decembri. Quem Turonensem metropolitam dicebat rex die 14 Januarii 1547, et, eadem die, scribebat ad decanum canonicosque Turonenses, illis, absente præsule, curam tradens ecclesiæ regen-

Gallia Christ. t. 1, col. 229. Ibid. t. 1, col. 281.

ANNI CHRISTI

dæ. In possessionem per procuratorem invectus est die 27 Februarii; quam abdicavit, nunquam Turonibus, vel unam per diem, teste *Maan*, commoratus, anno 1551 ineunte, secundum hodiernum usum. Plurimis sub id tempus ditatus est abbatiis a rege. Absentis Georgii vices gerens, Joannes de Selva, utriusque juris doctor et abbas Turpiniaci, Andegavi celebrabat, 14 Augusti 1550, non infrequens concilium, nummos a provinciali clero petens in regni laborantis subsidium. Cujus concilii gesta leges in codice Regio, sub numero 1559. Lascurrensis posthac Georgius ecclesiæ designatus administrator, anno 1555, et Tolosanus archiepiscopus, 1562, postremo Avenionensis, 1577. De quo consule Tolosanos archiepiscopos, t. XIII, col. 56, et Avenionenses, t. I, col. 833. Occurrit præterea inter abbates Claritatis Dei et Calercii.

CII. Stephanus II.

DE PONCHER

Patria Turonensis Stephanus, plurimorum Turonensis pagi locorum toparcha, e consiliis regis, nec non e supplicibus libellis, ortum traxerat e Joanne Poncherio, ærarii publici quæstore, et Catharina Huraltia. Baionensi primum, non vero, ut perperam dicunt, Baiocensi, præfectus ecclesiæ, translatus est, anno 1551, ad metropolim Turonensem, abdicata sub idem tempus Claritatis Dei præfectura: cujus translationis bullæ diem sextum Apri-
1551 lis 1551, secundum Romanum calculum, præ se ferunt. Possessionem cum adiisset absens die 4 Maii, fidem regi juravit eodem mense.
1553 Decessit Parisiis, 15 Martii 1553, ut hodie computamus. Translatum fuit hujus corpus in ecclesiam Cœlestinorum Esclimontis. Idem erat abbas S. Petri Vivi Senonensis et nepos e fratre alterius Stephani, Parisiensis episcopi.

CIII. Alexander.

FARNESE.

Alexander Farnesius, Petri Aloysii, Parmæ ducis, et Hieronymæ Ursinæ filius, cardinalis Ostiensis, amplissimis jam et quasi numero carentibus decoratus dignitatibus, ut antecessores nostri memoravere, tom. I, col. 831, in archiepiscopis Avenionensibus, ad Turonensem insuper vocatus est cathedram ab Henrico rege II, et bullas obtinuit pontificias
1554 die 27 Aprilis 1553. Cessit anno 1554.

CIV. Simon II.

DE MAILLE DE BREZÉ.

Natus anno 1514, e Guidone Mallio, Brezæi domino, equite torquato, et Anna *de Louant*, Simon Arturum hunc fratrem habuit primogenitum quem ejus patrem *Maan* dixit. Adolescens Cisterciensium militiæ nomen dedit. Episcopatu postea Vivariensi potitus,

A in Viennensi provincia, dictus est tandem archiepiscopus Turonensis a Julio papa III, VII cal. Julii 1554, cum ei plurimum faveret, utique cognato, Diana Pictaviensis, regias inter amicas famosissima. Bullæ pontificales Simoni datæ, die 24 Julii. Qui subrogatus hominii fidem regi juravit 3 Januarii 1554, sive, secundum neotericum usum, 1555, et exceptus est Turonibus, 15 1555
Februarii. Non minus ille creditum sibi gregem curavit quam antecedentes proximi neglexerant. Sedit Parisiis, anno 1557, die 5 1557
Januarii, in solemni trium ordinum conven-
B tu. Debacchantibus undequaque tunc Calvinistarum factionibus colloquium habitum Poissiaci, Septembri mense 1561. Cui Simon 1561
non defuit. Quo et anno Guillelmus illi Morelius dicavit Historiam Gregorii Turonensis. Divertens autem ex aula Turonesque rediens, Simon concionem habuit ad populum, die Palmarum, de periculis imminentibus Ecclesiæ. Non autem falsi nuntius vanos spargebat terrores; nam, die 2 Aprilis, Calvinistæ Turones invasere. Furentes ducebat Rupefulcaudensis comes, et eisdem provinciæ proceres plerique studebant. Urbem ingredientibus
C nullus obstitit: civilibus igitur abstinuerunt ædibus, dum sacras quascumque diripuerunt. Archiepiscopale palatium cum obsiderent, clam Simon fugit et se recepit Vernotum. Illos vero mox Turonibus abire jussit rex Navarræ, et armatis vacuam urbem occupans Monpenserius latebras tardius quærentibus et deprehensis non pepercit. Simoni dedicavit, anno 1563, Joannes Picus quam prælo dabat translationem Opusculorum Marci Eremitæ. Ille postea Carolum, Lotharingum cardinalem, in Italiam secutus est, seditque inter patres Tridenti congregatos qui de no-
D vissimis rebus deliberabant. Auditus et ille diserte loquens, et acerbis increpans verbis hæresis Calvinianæ sequaces. Ex Italia redux Simon Brezæum in castrum secessit. Hac in villa secure degens, totum se litteris dedit, et plurima scripsit tam versibus quam prosa. Laudatur præterea ecclesiæ cathedralis, quam hæretici vastaverant, sedulus tunc temporis reparator. Brezæum aliquantisper deseruit suum, anno 1583, synodum habiturus pro- 1583
vincialem. Hæresi Calviniana magis ac magis invalescente, corruebat pietas, et magis ac magis Ecclesiæ status fatiscebat. Inde fre-
E quentes episcoporum conventus. Turonensem clerum Simon Nannetibus congregavit. Cum autem delatum esset hanc urbem sævissima peste laborare, Turones acciti Simonis litteris totius provinciæ præsules. Ecce autem articulari morbo correptus, per ter menses ægrotans ille jacuit. Quibus elapsis, ad primam Maii diem vocata synodus. Nec defuerunt Turonensis cleri proceres: cum vero jam a quindecim fere diebus sederent, ingravescens eos lues coegit e claustris S. Ga-

ANNI CHRISTI tiani secedere, et in calendas Septembris Andegavi prorogatum est concilium. Prælo mandavit quæcumque gesta sunt in hoc concilio Ægidius Beysius, Parisiis, anno 1585. Tum quidem semet præbuit Simon regiæ firmiter addictum auctoritati, anathematis flagello terrere conatus quosque sive Calvinistis sive Fœderatis consentientes, et rem publicam iisdem insidiis, iisdem igne ferroque catervatim impetentes. Ad Fœderatos ulterius se vertit, ut qui regem maxime formidabat hæreticum. Die 14 Aprilis 1586, cuilibet episcopo licentiam concedebat consecrandæ ecclesiæ
1597 *Paulmy*. Decessit undecima Januarii 1597, anno ætatis 82, morbo jam diu laborans, et sepultus est in ecclesia cathedrali. Cujus laudes leguntur in Elogiis Scævolæ Sammarthani. Abbas idem fuit Insulæ Dei, in ecclesia Lucionensi, ab anno 1561 ad annum saltem 1564.

Gallia. Christ. t. 2, col. 1443.

CV. Franciscus.

DE LA GUESLE. Joannis Gueslæi filius in Parisiensi senatu præsidis, et Mariæ *Poiret*, Laurelli dominæ, Franciscus in suprema curia primum inter consiliarios sedit clericos. Quamobrem a Scævola Sammarthano Simonem laudante dicitur a teneris annis Themidis pius antistes. Idem ab anno 1571 Brivatensis ecclesiæ præpositus, et, ab anno 1584, abbas Cerasii commendatarius. Anno 1597, Turonensis creatus
1597 archipræsul, fidem regi dedit die 28 Aprilis.
1598 Interfuit, anno 1598, generalibus cleri Gallicani comitiis, et, die 28 Septembris, concionem habuit ad regem de restauranda Ecclesiæ disciplina, renovandisque veteribus institutis, libera suffragia reddi requirens tum canonicis, tum monachis, abrogari pensionum consuetudinem, vetustate fatiscentes ecclesias resarciri, ipsam denique optime vivendi normam, a maximis ad minimos, sine ulla salutis æternæ cura, conculcatam, auspice rege, in jam pristinum statum restitui. Consilium probavit rex primoribus labris: quæ vero suadebantur peragenda ad prolabentis disciplinæ levamentum distulit. Nec multo post Franciscus in litem venit cum Martiniensibus de Bellomontana virginum abbatia. Hanc sedenim cum suo sub jure positam sodales dicerent non unius papæ bullis, causa ad curiam Parisiensem delata est, quæ, die 17 Martii 1603, quæstionem solvit Francisco
1608 favens. Confirmavit Franciscus, anno 1608, Renatum *Foussier* decanum Andegavensem. Suffragiis collectis, 14 Junii 1614, dicebatur personam laturus cleri Turonensis in generalibus regni comitiis, Parisiosque cum tetendisset ut eo munere fungeretur, decessit die 30 Octobris, et post illum sedes per quatuor circiter annos vacavit.

Gall. Christ. t. II, col. 487.

CVI. Sebastianus.

GALIGAÏ. Sebastianus, patria Florentinus, abbas Majoris Monasterii, dictus est a Ludovico XIII Turonensis archiepiscopus, anno 1617: cui 1617
fidem professus est, testibus Sammarthanis, die 9 Martii. Sororem habebat Eleonoram, Concinii conjugem. Concinio jussu regis interempto, die 24 Aprilis, protinus in patriam se recepit Sebastianus. Possessionem adierat, sed non præsens, vicesima Aprilis: consecrationem nondum adeptus exulavit.

CVII. Bertrandus.

D'ESCHAUX Bertrandi jam meminerunt antecessores nostri inter episcopos Baionenses. Turonensis dictus archipræsul bullas accepisse memoratur a Paulo V datas, die 25 Junii 1617. Sedit, anno 1618, in conventu Rotomagensi, quo et præceptor S. Spiritus renuntiatus est. Inter regis consiliarios jam sedere gaudebat, ut compertum habemus ex apocha quam tradidit 14 Martii 1618. Primus et ipse fuit regios inter eleemosynarios, ex altera ejusdem apocha, data 20 Januarii 1621. Anno 1623, abbas creatus S. Maxentii apud Pictavos, ubi Calvinistas aggressus est, illos deserere jubens templum quod juxta monasterii muros extruxerant. Ea de re non segniter utrinque litigatum. Causam Bertrandus oravit suam, et sententia quæstorum Pictavii considentium victor evasit. Unde petiit rex ut inter purpuratos conscriberetur: nec renuit Urbanus papa VIII, ut ejus litteræ prælo datæ testantur: res tamen non ad felicem exitum perducta, obstante cujusdam arte in conciliis domini papæ regisque prævalentis, quem cardinalem Richelium suspicantur. Aulam sequens Bertrandus Turones interdum accessit, ea ipse cogniturus quæ Victori *Le Bouthillier*, coadjutori suo, demandarat. Sub id tempus Carmelitarum ecclesiam consecravit, Minimos sodales in urbem accivit, nec non Patres Societatis Jesu, pluresque addixit ædes monialibus S. Ursulæ, Benedictinis, filiabusque S. Mariæ quæ a Visitatione nuncupantur. Ex aula tandem redux operam totam dedit resarciendis archiepiscopii parietinis. Turonibus decessit, cunctis flebilis, et quem lacrymæ plurimorum prosecutæ sunt, die 21 Maii 1641, 1641
depositusque est in sacello B. Catharinæ, ad sinistrum latus aræ majoris, ubi sibi vivens sepulchrum marmoreum ædificari curaverat.

CVIII. Victor.

LE BOUTHILLIER Victoris initia jam superius laudata, in Boloniensibus episcopis, t. X, col. 1574. Bertrandi coadjutor adlectus 12 Decembris 1630, Boloniensem cessit ecclesiam Joanni *Dolce*, Bertrandi nepoti, et provinciam sibi novissime demandatam eximie procuravit.

ANNI CHRISTI Attamen ab ea, jussu regis, discessit, anno 1635, ad Ambianorum partes, ferventibus animis et ad seditionem propemodum adactis, cum Ruenses incolæ S. Wulphagii reliquias, e suo deductas oppido ultimi tempore belli, sibi vindicarent, creditamque Monstrolienses capsam abnegarent. Vir fuit Victor quo conspecto siluerunt omnes : altera parte reliquiarum Ruensibus, altera Monstroliensibus addicta, pax rediit. Compescuit præterea Cainone fatuarum turbam mulierum quæ per vicos clamitantes et semet a malo dæmone ululantes obsessas, nonnullos terruerant ad vanam formidinem plusquam decebat certe pronos. Quarum statim sopitus furor, delegatis a Victore judicibus qui furentes inquirerent. Bertrando defuncto datus successor,
1641 anno 1641, sede potitus est die 2 Junii, ut pessimis quidem ad nos detulit versibus Olivarius *Cherreau :*

Victor le Bouthillier, digne prélat de Tours,
Vint à l'archeveschè pour commencer son cours,
Le deuxiesme de juin, une heureuse journée,
Qui fut l'an mil six cens quarante et une année.

Sine mora, novum imposuit ecclesiæ Turonensi regimen, inter duodecim decanias quoscumque diœcesis partiens curionatus.
1642 Pallium accepit, 20 Martii 1642, e manibus episcopi Meldensis; quo et anno Henricum *de la Motte-Houdancourt* Redonensem, Dionysium *de la Barde* Briocensem, et Joannem Baptistam *Gault* Massiliensem episcopos ordinavit. Memoratur præterea, 18 Julii 1649, consecrans Parisiis, in abbatia S. Germani Pratensis, Petrum *Bedacier,* Augustensem episcopum; supra, t. XIII, col. 802. Ex his satis patet qua apud omnes auctoritate valuit. Laudatur præterea sedulus rei Turonensis curator; qui seminarium in urbe metropolitana constituit et eo plures arcescivit virginum cœtus Deo devotarum. Decessit
1670 die 12 Septembris, anno 1670, ætatis septuagesimo tertio.

CIX. Carolus.

DE ROSMADEC. Carolus, filius Martini *de Rosmadec*, Venetensis episcopus ab anno 1648 ad annum 1670, metropolitana donatus Turonorum
1671 cathedra anno 1671, a canonicis solemniter exceptus est 12 Januarii 1672. Quem perperam Baionensem episcopum *Chalmel* dixit. Nec diu sedem tenuit Turonensem; cum enim ægrotans ad aquas Borbonii calidas tetendisset, ibi vita cessit anno 1672.

CX. Michael.

AMELOT DE GOURNAY. De Michaele jam dictum est in episcopis Vaurensibus, t. XIII, col. 350. Turonensis archiepiscopus creatus a rege memoratur

A 16 Januarii 1673 : sed fortassis mendose, nam 23 Februarii 1673, sede vacante, Cormaricenus abbas Henricus sacerdotem instituebat in ecclesia S. Symphoriani, ut legitur in schedis D. *de Gaignières*, sub num. 240. Fidem regi dedit Michael 19 Octobris 1673, 1673
et, 16 Novembris, possessionem iniit. Occurrit 22 Aprilis 1675, prima fundamina ponens ecclesiæ S. Francisci a Paulo. Decessit 7 Februarii 1687, postea quam tertium 1687
et sexagesimum ætatis annum implevisset.

CXI. Claudius.

B Claudius, doctor Sorbonnicus, Augustodunensis clericus, schedulam regiam pro Matisconensi episcopatu acceperat 22 Maii 1682; ante vero quam Michael *Cassagnet*, Matisconensis episcopus, ad Claromontanam ecclesiam vocatus a rege, bullas obtinuisset pontificias, Claudius episcopus Claromontanus ipse designatus est. Dissidiis tum inter Francorum regem pontificemque Romanum ferventibus, Michaeli defuncto suffectus est Claudius nondum litteris donatus apostolicis, 17 Maii 1687. Nec illum domi- 1687
C nus papa Turonensem consecrari jussit archiepiscopum : quamobrem in conventu cleri Gallicani sedens anno 1690, *designatus* 1690
dicitur *archiepiscopus*. Translatus est 5 Septembris 1693 ad metropolim Lugdunensem. 1693
De quo plura superius in Lugdunensibus archiepiscopis, t. IV, col. 196. DE ST. GEORGES.

CXII. Matthæus.

Initia Matthæi jam dicta in episcopis Condomiensibus, t. II, col. 973. Turonensis ille ISORE D'HERVAUT
creatus est archiepiscopus prima die Novembris 1693, et Parisiis consecratus est 25 Fe-
D bruarii 1694, ab archiepiscopo Parisiensi, 1694
adstantibus episcopis Leonensi et Briocensi. Canonicos S. Martini supremum ante senatum non segniter egit, delenda clamitans ea quibus adeo superbiebant privilegia, et vicit totis viribus reluctantes. Aderat Parisiis, Junio mense 1704, feralibus exsequiis Guillelmi Egonis, cardinalis *de Furstemberg ;* supra, t. VII, col. 472. Decessit ipse Matthæus Parisiis anno 1716.

CXIII. Armandus-Petrus.

E Matthæo successit Armandus Petrus, major archidiaconus Narbonensis, archiepisco- DE LA CROIX DE CASTRIES.
pus Turonensis designatus a rege anno 1717, 1717
e Calendario Regio. Idem legitur supra, t. III, in Annotationibus præviis. Advertendum tamen quod, chronographi quodam lapsu, dicatur, t. VI, col. 126, ad Turonensem cathedram sublatus anno tantum 1719. Qui, 5 Novembris 1719, denuntiatus est Albiensis archiepiscopus. Plura de illo quære inter abbates Vallis Magnæ, t. VI, col. 726.

ANNI CHRISTI

CXIV. Henricus-Oswaldus.

DE LA TOUR D'AUVERGNE. Henricus Oswaldus, quem ex Henrica Francisca de *Zollern* habuerat Fredericus Mauricius II *de La Tour d'Auvergne*, eleemosynarius regis, Rotonensi præfectus est abbatiæ 23 Augusti 1692, Conchensi, in Ebroicensi ecclesia, anno 1694; abbas præterea Cluniaci, et B. Mariæ de Voto, priorque S. Petri Abbavillæi, Turonensibus in-
1719 fulis donatus est a rege anno 1719. Possessionem vero non suscepit, translatus ad Viennensem metropolim 4 Januarii 1721.

CXV. Franciscus III.

BLOUET DE CAMILLY. Filius senatoris cujusdam Normanni, abbas Vallis Richerii ab anno 1693 et S. Petri supra Divam ab anno 1699, episcopus postea Tullensis factus anno 1704, tandem, 10 Januarii 1721, ad archiepiscopatum Turonensem traductus est Franciscus *Blouet de Camilly*. Munus iniit 1 Maii 1723. Quo anno decessit, mense Octobri. De eo jam dictum in abbatibus Vallis Richerii et S. Petri supra Divam, t. XI, col. 452 et 735, nec non in Tullensibus episcopis, t. XIII, col. 1057.

CXVI. Ludovicus-Jacobus.

DE CHAPT DE RASTIGNAC. De Ludovico Jacobo jam sermo fuit in episcopis Tutelensibus. Archiepiscopus Tu-
1723 ronensis dictus est Octobri mense 1723; quo et anno accepit abbatiam B. Mariæ de Corona, in Engolismensi diœcesi. Die 29 Martii 1727, augebatur abbatia S. Trinitatis Vindocinensis. Univit collegio Cainonis,

A 24 Septembris 1736, Sulleii mensam conventualem, et mensam abbatialem Majoris Monasterii fisco Turonensis archipræsulatus, 1736
anno 1739. Condebat, anno 1746, hospitium B. Mariæ Magdalenæ dicatum, in quo projectitii pueri exciperentur. Præses legitur generalium cleri Gallicani comitiorum, annis 1745, 1747, 1748. Abbatem Vallis Lucentis rex illum renuntiabat 28 Augusti 1748. Obiit 2 Augusti 1750. 1750

CXVII. Henricus-Maria-Bernardinus.

B Henricus Maria Bernardinus, Narbonensis clericus, nepos erat cardinalis *de Fleury*. DE CEILHES DE ROSSET DE FLEURY
Nominatus anno 1751, consecratus est 20 Junii, in ecclesia S. Cyrici, coram rege regiaque domo. Nec mireris inter Ludovicum decedentem Henricumque promotum tantum temporis præteriisse; nam Lemovicensis episcopus, ad Turonensem cathedram ire primo jussus, oblatum munus recusavit. Accipiebat Henricus, anno 1760, Joyacum, apud Senonenses. Creatus est, anno 1774, Cameracensis archiepiscopus. 1751 1774

C CXVIII. Joachim-Franciscus-Mamertus.

Henrico ad alteram sponsam, non sponte quidem, abeunte, Turonensibus præfectus est Ludovicus Franciscus Marcus Hilarius *de Conzié*, episcopus Atrebatensis. Quam vero promotionem ille recusavit. Recusantis in locum rex Turones misit germanum ejus Joachimum Franciscum. Sedit, a clero deputatus, in comitiis regni generalibus, anno 1789, et abdicavit munus edicta cleri constitutione civili. DE CONZIÉ.

DECANI TURONENSES.

Turonensem post archipræsulem primas tenebat decanus in capitulo. Hujus de proprio munere supra satisque dictum est. Decanorum jam condidit seriem Joannes *Maan*, sed imperfectissimam. Quam emendantes, ad officiosissimum virum D. Carolum *Grandmaison*, cui Turonensis archivi cura demandata, non semel confugimus.

Decanorum Series.

CH. XXVI col. 33. I. Grimaldus, presbyter atque decanus, subscripsit, anno circiter 845, Ursmari chartæ de prædiis S. Martino traditis. Fuit ille forsitan S. Mauricii decanus; nam id munus apud Martinienses certe non gessit.

II. Frandebertus, sacerdos atque decanus, subscripsit, anno 859, chartæ de prioratu Troiano. Subscripsit idem, an. 878, IV cal.

D Junii, notitiæ de tractu quodam ad Casellas monachis S. Martini restituto.

Osbertum perperam legerunt decanum S. Mauricii, anno 933, in charta Theotolonis de partitione rerum S. Juliani. Vide seriem decanorum quam Sammarthani protulerunt. Hanc supra diximus chartam anno 947 adscribendam.

III. Badilo subscripsit decanus, an. 939, chartæ Theotolonis archiepiscopi de libertate S. Maximi; an. 940, chartæ ejusdem de prædio in villa Florentiaco monachis S. Juliani condonato, et testamento de vinea quam
E Harduinus eisdem obtulit; anno denique 943, cessioni quam fecit Theotolo omnium suarum rerum cœnobio S. Juliani.

Tunc erat Nefingus decanus S. Martini, non S. Mauricii, ut perperam *Maan* opinatus est.

IV. Otbertus, quem alii mendose dicunt

Osbertum, sive Rotbertum, Badiloni successit. Subscribit, anno 945, duobus Theotolonis archiepiscopi chartis, quarum una capellam S. Saturnini rebus addit S. Juliani Turonensis, altera confert eidem cellulam S. Christophori. Subscripsit idem, anno 947, instrumentis ejusdem Theotolonis dominium S. Juliani determinantis, et quasdam res S. Lupi Bernario concedentis. Occurrit, anno circiter 949, in charta Josephi II Fulnacum villam et plurima de thesauro matris ecclesiæ S. Juliano conferentis. Idem, anno 951, in charta Waltarii prædia largientis Cormaricensi cœnobio.

V. Harduinus decanus memoratur, anno 954, in testamento Josephi archiepiscopi de rebus abbatiæ S. Lupantii, et, anno 958, in charta Frotherii monachis S. Juliani facultatem concedentis quædam sub conditione census tradendi.

VI. Gotefridus huic successit, cujus nomen reperies ad calcem auctoritatis qua præsul Harduinus, anno 959, confirmavit data quædam S. Juliano a Bernardo milite.

VII. Rotgarius e pluribus documentis innotescit. Hunc enim primo deprehendimus, anno 965, in charta Widonis de libertate Villelupensibus collata; dein in charta Harduini archiepiscopi tradentis, anno 968, monachis Salmurii degentibus prædium unum de rebus S. Petri Parciacensis, et in altera ejusdem Harduini auctoritate, eodem anno data, qua res Salmuriensium iterum augentur. Nec decanatum deposuerat anno 975, quo subscripsit chartæ forsitan ultimæ Harduini episcopi pro Salmuriensibus.

Ch. XLI, col. 62.

VIII. Hugo I primum legitur decanus S. Mauricii, qui et insimul Castridunensis vice-comes erat et postea fuit archiepiscopus, in charta Archambaldi præsulis, condonantis, anno 993, Majori Monasterio reditus ecclesiarum S. Symphoriani, S. Petri de Parciaco et S. Sulpicii de Orodorio. Idem Hugo decanus reperitur in charta Archambaldi, anno 997, de ecclesia construenda intra fines Thalciniacensis oppidi. Idem occurrit in chartulario Majoris Monasterii, Bernerio abbati plura prædia largiens juxta Cainonem. Huic instrumento præterea subscripsere Robertus rex et Bertha regina, quam Robertus dimisit anno 998.

Post Hugonem Lauctor quidam, apud Sammarthanos, testis privilegii ecclesiæ Bellævallis concessi. Hujus nomen fortassis male legerunt. Nullius enim unquam viri *Lauctor* nomen fuit.

IX. Reginaldus I occurrit, anno 1002, subscribens chartæ commutationis inter Rotbertum Castro-Landonensem et Gausbertum abbatem S. Juliani.

X. Mainerius desumitur ex Hugonis archiepiscopi chartula, monachis S. Juliani tra-

A dentis, in villa Bentiaco, terram quam ille Mainerius sub beneficii ratione tenuerat. Hæcce charta præbet annum 1007.

XI. Sindegardus S. Mauricii decanus subscripsit, anno 1007, Hugonis chartæ supra memoratæ.

XII. Haefredus legitur matris ecclesiæ decanus anno 1020, in diplomate Burchardi, Insulæ Domini, cellam Tavennensem consuetudinibus quibuscumque eximentis.

Ch. XLV, col. 66.

XIII. Hervæus decanus, forsitan S. Mauricii, subscripsit Arnulfi archiepiscopi auctoramento de servis ab Huberto Vindocinensi

B Majori Monasterio traditis.

XIV. Geoffridus I testis, anno 1040, in charta Geoffridi comitis de stagno S. Nicolai Andegavensis monachis tradito. Idem memoratur, annum circiter 1060, a Bartholomæo archiepiscopo poscens et impetrans ut augeantur canonicorum præbendæ. Sedit, sub annum 1067, in Turonensi conventu, ad quem delata Bartholomæi, Majoretanorum abbatis, querela de Bairiaco; Rer. Gallic. Script., t. XIV, p. 152.

Bovo legitur apud Sammarthanos præsens, anno 1040, dedicationi monasterii Vindoci-

C nensis. Unde Bovonem istum desumpserint ignotum est. Nec in instrumento Vindocinensi, nec in alio quodam nobis occurrit Turonensis ille decanus. Bovonem infra ponemus inter S. Martini decanos, sub annum 1021.

XV. Radulfus I nominatur *Turonensis decanus, postea archiepiscopus*, inter testes Andreæ Peloquini confirmantis chartam Burchardi de construenda Ismantiæ S. Ægidii ecclesia. Unde constat Radulfum decanatum tenuisse usque ad annum circiter 1070. Empti muneris reus, semet in Picta-

D viensi concilio, summa cum verborum vehementia, falso crimine dixit impetitum.

XVI. Geoffridus II, frater Hamelini de Langiaco, subscripsit, anno 1076, post Radulfum archipræsulem, litteris Hamelini Vincentianis monachis Tuffiacensem cellam tradentis. Idem, archiepiscopante Radulfo, annum circa 1080, excepit, sedens in capitulo, Hugonem, S. Mauræ dominum, agnoscentem a quibusdam colonis S. Martini iniquum semet exegisse tributum. Eodem anno, Cormarici paulisper hospitabatur, ex Historia Cormarici ab Ivone *Gaigneron* digesta. Quem præterea

E reperies testem adlectum ab ejus fratre Hugone, media Carlona Baldricum Burguliensem donante. Ordinatur, anno 1082, Andegavensis episcopus.

XVII. Lisivus, Lisuvius, sive forsitan Lisoius, innotescit e charta qua Guillelmus de S. Maura, filius Hugonis, Parilliacum, animam exhalans supremam, Nucariensibus tradidit monachis. Quandoquidem hanc chartam confirmavit Hugo teste, Petro S. Martini decano, post annum 1086 res agebatur, cum

Petrus de Duaco, sive de Doaclo, decanatum S. Martini non ante hunc annum suscepisse videatur.

XVIII. Gualterius nominatur, anno 1094, in charta Radulfi II, archiepiscopi, dimittentis consuetudinem cœnandi et cubandi per noctem apud San-Julianeos, in vigilia B. Juliani episcopi. Idem in ejusdem charta eximentis ecclesiam Loratorii a quodam censu. Occurrit insuper Gualterius, anno 1107, in decreto Radulfi II de Crucilliana ecclesia.

XIX. Gilbertus, antea cancellarius ecclesiæ Turonensis, decanatu potitus est Radulfi II tempore. Ad Turonensem cathedram, Radulfo mortuo, promotus est Gilbertus, anno 1118.

Gilberto successit ignoti nominis decanus, quem sub annum 1125 novimus obiisse ex epistolis Hildeberti. Consule Rer. Gall. Script., t. XV, p. 319.

XX. Radulfus II, sive Ranulfus, dictus Faciens Malum, anno circiter 1126 ad decaniam ab Hildeberto vocatur. Quem non probans Ludovicus rex ab archiepiscopo scilicet Turonensi adlectum et promotum, iræ plus quam decebat indulsit. In archiepiscopum tamen desæviit rex, non in decanum. Ideo Radulfus occurrit anno 1127, VII idus Augusti, in instrumento Hildeberti confirmantis datas immunitates eremitis Fontanas incolentibus. Legitur, eodem anno, decanus idem et archidiaconus in charta litis diremptæ inter Robertum Andreæ et S. Florentii monachos. Testis præterea, anno 1128, in charta Hildeberti concedentis canonicis Omnium Sanctorum ecclesiam B. Hilarii Turonensis a Simone Machello dimissam, et, anno incerto, in ejusdem Hildeberti instrumento testantis fuisse compositam a Guidone, Cenomanensi episcopo, controversiam inter monachos Ebronienses et Bellilocenses canonicos, de decimis spectantibus ad ecclesiam S. Paduini de Campis. Cæde Radulfus sublatus est e vivis. Cum enim canonicorum mores argueret, odium movit multorum et præcipue Nicolai cujusdam, qui decanum acerbius censorio munere fungentem ipse verbis procacibus et maledicis impetivit. Radulfo germanus erat miles, nomine Fulco. Hic fraternam suscipiens causam militari more propugnandam, adversus Nicolaum famulos mittit, qui scilicet incautum aggrediuntur et obcæcant. Clamor statim exoritur decanum scelus jussisse, cumque trahit Nicolaus ad curiam episcopalem, ecclesiastico munere privandum asserens istum collegæ sanguine respersum. Quo se Radulfus crimine purgavit, coram Hildeberto archipræsule, episcopisque Cenomanorum Redonumque in concilium vocatis. Cum vero nonnulli per vulgus præterea spargerentur voces obmurmurantium sontem favore, non justitia absolutum, Radulfus Romam petiit, dominum papam ap- A pellans. Inter eundum vero, sicariis lacessitus, occubuit. Hunc autumavit *Maan* Arnulfum, cujus meminit Platina in vita Honorii II : in quo forsitan erravit.

XXI. Gano, Guano, Ganilo, et alias etiam Galimo, decanatum sortitus erat jam anno 1132, quo testis nominatur in Ulgerii charta, Brisci Castri domini, Sulioni, S. Juliani abbati, decimam quamdam largientis. Operæ pretium non est referre quot Hugonis archiepiscopi litteris subscripserit, quæ chronicas non præbent notas. Non vero prætereundum quod, anno 1138, reperiatur in B charta pacis initæ prædictum inter Hugonem et Majoretanos monachos super insula Majoris Monasterii; anno 1140, in litteris antistitis ejusdem quibus non pauca Turpiniacensibus tradita; anno 1141, in ejusdem sententia San-Julianeos arcentis ab ecclesia S. Mariæ Divitis; anno 1142, XVII calendas Novembris, in ejusdem præcepto quo rata pax inter capicerium et canonicos B. Maximi Caimonensis. Galimo legitur S. Mauricii Turonensis decanus, ad calcem præcepti Ludovici regis ecclesiam S. Petri Puellaris S. Martino confirmantis. Gano iterum testis anno 1150, C in charta Engebaldi archiepiscopi sancientis quas Villæ Lupæ monachi possidebant ecclesias, et in ejusdem charta de cella Sulliacensi monachis Malleacensibus firmiter adscripta. Unde liquet Sammarthanos Hugonem quemdam decanos inter Turonenses, anno 1140, mendose posuisse.

XXII. Bartholomæus, XIII calendas Augusti 1155 in Engebaldi præcepto confirmantis possessiones monasterii Prulliacensis. Idem subscripsit, anno 1159, chartæ litis sedatæ inter Vindocinenses et San-Julianeos monachos de capellis Carceribus sitis. Liti- D gavit et ipse cum monachis Majoris Monasterii de prædiis quibusdam justa Calviniacum, in pago Carnotensi : quod dissidium Guillelmus, Cenomanensis episcopus, mandato domini papæ sedavit; e chartulario Majoris Monasterii. Ad Turonensem cathedram provectus est Bartholomæus anno 1174.

XXIII. Hugo II, Bartholomæi archiepiscopi germanus, hujus litteris subscripsit, anno 1177, quibus confirmata quæ dederat Fontanarum monachis Agnes de Valemerio; e Fontanarum tabulis, apud *de Gaignières*, sub num. 678. Occurrit testis in ejusdem E notitia de lite dirempta præsulem inter Andegavensem et monachos S. Albini, Augusto mense 1180. Hugonis deinde præbet nomen decretum Bartholomæi litem componentis inter Paganum de Vegia et monachos B. Mariæ de Ebronio. Idem, anno 1182, testis in archiepiscopali præcepto quo monachis Majoris Monasterii confirmatum Lehonense cœnobium in Britannia, commutatione peracta cum monachis S. Maglorii Parisiensis. Huic chartæ subscribentem expressis verbis dicit

fratrem suum Bartholomæus archiepiscopus. Testem eumdem exhibet notitia de confirmata Majoretanis ecclesia B. Mariæ de Riperia, anno 1184, et, eodem anno, Bartholomæi archiepiscopi instrumentum de possessionibus S. Petri Prulliacensis. Occurrit præterea, anno 1186, in ejusdem Bartholomæi charta Burguliensium abbati Hilario sagenæ tractum liberum firmantis in Condatensi portu; anno 1188, in archiepiscopali instrumento quo Burguliensis cœnobii confirmatæ possessiones; anno 1189, in charta de jure quod dimisit Cormaricensibus Burchardus de Insula Jerusalem proficiscens. Testis juratus sermonem habuit, ante judices adlectos ad investigandam rem archiepiscopatus Dolensis, et testatus est se Britanniam, anno 1176, adhærentem vestigiis Bartholomæi archipræsulis, peragrasse.

Theobaldum post Hugonem Sammarthani nuncupant. Ille fuit S. Martini, non S. Mauricii decanus.

XXIV. Joannes I de Faya, ex archidiacono Turonensi. Archidiaconatum tenens occurrit anno 1197 in tabulis Fontanarum, apud *de Gaignières*, sub numero 678. Decani vero munere fungens, anno 1202, notitiam edebat, cum Bartholomæo archiepiscopo, de pacto capitulum inter Lochense et capellanos S. Germani de Moliherna. Idem legitur, anno 1206, in tabulis Fontanarum, e schedis domni *Housseau*. Adlectus est e decano Turonensis archiepiscopus Joannes de Faya, anno 1208.

XXV. Josbertus de S. Maura, ab anno forsitan 1208. Joannes quidem alter occurrit decanus S. Mauricii, mense Novembri 1211, in charta Joannis de Faya super traditis ecclesiis capitulo S. Martini; quam quidem chartam edidit Monsnerius, in Hist. S. Martini Turonensis, pag. 50. Adnota vero quod chartam hanc fideliter, de more, transcribens S. Baluzius non Joannem legit decanum, sed tantum, scripturæ compendio, J., quem Josbertum suspicamur. Memoratur Josbertus, anno 1216, in excerptis e tabulario Montis Cælestis, et, anno 1217, in charta canonicorum S. Martini ipsi concedentium, S. Martini canonico et S. Mauricii decano, ut, post decessum, in hujus memoriam servitium celebretur annuum. Scripsit, anno 1222, ad episcopum Redonensem, exhaustas memorans bellorum tempestatibus quascumque res ecclesiæ Turonensis, et eleemosynariam præcipue domum, opportunumque petens levamen; ex Acherii Spicilegio t. II. Idem, Aprili mense 1224, decem solidos censuales habens in terris quas sub jurisdictione sua capitulum S. Venantii tenebat, illos ad capitulum idem transfert, inferias annua religione patri suo instituens; apud *Housseau*, t. VI.

Juhellus *de Mathefelon* decanus Turonensis dicitur in Chronico Gastinensi tempore Joannis de Faya. Decanus ille quidem fuit, non Turonensis vero, sed Cenomanensis.

XXVI. Geoffridus III memoratur in actis annorum 1226 et 1231, e Sammarthanis.

Turonensis occurrit decanus Nicolaus de Roya in Alberici Chronico, sub ann. 1228; apud Rer. Gallic. Script., t. XXI, p. 598, et in hac Gall. Christ., t. IX, col. 1008. Hunc inter decanos S. Martini quære.

XXVII. Enjorrandus, Augusto mense 1231, notitiam edit de pacto inter Juhellum archiepiscopum et monachos S. Juliani, qui domum quamdam tradunt ut procurationibus ultra fiant immunes; e Monastico Bened. t. XX, part. 1. Idem, anno 1235, subscribit litteris Juhelli de lite cum Martiniensibus super jurisdictione Belli Montis per viam compromissi solvenda.

Albericus quidam Turonensis perperam dicitur decanus, anno 1232, in instrumento de nemoribus apud Rosetum et Vernotum ipsi datis a capitulo Parisiensi: quod instrumentum edidit B. *Guérard*, tom. I, p. 406, Chartularii Parisiensis ecclesiæ. Albericus ille tum erat decanus S. Martini Turonensis.

XXVIII. Geoffridus IV, idem cantor Andegavensis ecclesiæ et Turonensis decanus, primum occurrit, Octobri mense 1236, paciscens de quibusdam decimis cum monachis Villelupensibus. Ad quem scripsit Gregorius papa IX, XVII cal. Maii 1239: « Attendentes « siquidem olim donum scientiæ, honestatem « morum et nobilitatem generis, quibus ad « obtinendam specialem apostolicæ sedis « gratiam dinosceris adjuvari, tecum duxi- « mus dispensandum ut decanatum, quem in « Turonensi ecclesia obtinebas, posses libere « retinere una cum cantoria, quam in Ande- « gavensi ecclesia fueras assecutus. Cæterum « quia, ut asseris, dicto decanatu pro eo quod « cura erat illi animarum annexa dimisso, « thesaurariam in præfata ecclesia Turonensi « ex concessione venerabilis patris nostri « Turonensis archiepiscopi es canonice asse- « cutus..., auctoritate tibi præsentium indul- « gemus ut thesaurariam ipsam una cum can- « toria prædicta libere valeas retinere. » Ille forsitan Geoffridus, tabula nomen integrum non referente, subscripserat, anno 1233, in vigilia Paschæ, initæ concordiæ cum Andrea de Calvigniaco, Montis Basonis domino, cujus domnus *Housseau* meminit in schedis. Hunc decaniam abdicavisse anno 1239 certe comperimus e supra memorata Gregorii papæ epistola; in collect. D. *La Porte du Theil*.

XXIX. Galeranus, die Jovis post Decollationem S. Joannis Baptistæ 1239, occurrit in charta de juramento quod fecit Archembaldus de Borbonio; supra, t. II, Inst., p. 23. Anno 1240, e decano Turonensi Nannetensis præsul creatur.

XXX. Raherius, antea canonicus Ceno-

manensis, dein Turonensis archidiaconus, exinde decanus a mense Julio 1241. Eodem anno, mense Januario, chartam edit qua testatur capitulum a Ludovico rege obtinuisse clavem unam portæ juxta castrum Turonense sitæ. Idem, Septembri mense 1244, subscripsit inito pacto Turonensem inter archiepiscopum et canonicos S. Martini Andegavensis de procuratione visitanti metropolitano debita. Occurrit, anno 1245, testis in insigni causa de justitia capituli Cenomanensis, cujus instrumenta servavit dominus *de Gaignières*, n° 199. Decembri mense 1246, Raherius chartam protulit pro Bangeseii monachis, quibus partem decimæ Cereii condonavit. Anno 1247, mense Aprili, testis est Geoffridi archiepiscopi paciscentis cum civibus Castri Novi de quodam denario annui reditus. Idem, mense Maio 1248, testis ejusdem archiepiscopi agnoscentis se et successores procurationem unam, sive gistum unum, debere Franciæ regi; e Thesauro Chartarum. Perperam nominatur in quibusdam excerptis Racherius, aut etiam Sacherius.

XXXI. Jacobus I *de Guérande*, canonicus Parisiensis et decanus Turonensis, transiit ad episcopatum Nannetensem anno 1260, e Sammarthanis.

XXXII. Joannes II de Montesorello, anno 1268, in charta pacis inter Vincentium archiepiscopum et scholasticum S. Martini de justitia in clericos advenas exercenda. Electus Joannes archiepiscopus Turonensis anno 1270.

XXXIII. Ægidius I de Bonavalle, antea S. Martini sub-decanus, decessit Romæ, anno 1279, e litteris Nicolai papæ III ad archiepiscopum Turonensem de ipsius Ægidii successore eligendo; inter apographa D. *La Porte du Theil*.

XXXIV. Reginaldus II de Monte Basonis, 2 Februarii 1285, secundum hodiernum calculum, mandat regi mortem Joannis archiantistitis; in Probat. Libert. eccl. Gallic., t. II, p. 80. Idem, die 24 Maii, per compromissum eligit Olivarium Credonensem, et, die 20 Decembris, Burchardum *Dayn* e thesaurario archiepiscopum. Electus et ipse archiepiscopus, decem canonicorum arbitrio, anno 1291.

XXXV. Geoffridus V, Fontebraldensis, anno 1288, die lunæ ante festum S. Bartholomæi, paciscebatur, coram Burchardo archiepiscopo, super nemore Tholeto, cum Guillelmo Olivarii, milite. Arbiter electus erat, anno 1289, a Durando, Nannetensi episcopo, de quibusdam procurationibus cum Majoretanis litigante. Ille post decessum Burchardi archiepiscopi, sede vacante, confirmavit electionem Guillelmi Majoris, Andegavensis episcopi, et ad præsules provinciæ singulos rem scripsit rite peractam, anno 1291, die Martis post festum Resurrectionis Do-

A mini. Quas legere est epistolas in Acherii Spicilegio, tom. X, p. 269. Concilium Andegavense, mandato domini papæ, Geoffridus convocavit, litteris datis 8 Decembris 1291. Mox eidem aderat concilio, 26 Januarii 1292.

XXXVI. Guillelmus I de S. Maura, decanus idem S. Mauricii nec non S. Martini, testamentum condidit suum, 17 Januarii 1334, matri multa tradens ecclesiæ.

Stephanus de Mornaco dicitur Turonensis decanus anno 1336; supra, t. XII, col. 367. Errorem hunc notare abs re non est. Fuit enim Stephanus decanus S. Martini.

B XXXVII. Olivarius, teste *Maan*, anno 1353.

Petrus de Castro Raholi, dictus cardinalis de Caramanno, eodem teste, 1354. Erroneam autem hanc notulam suspicamur, cum nemo hujusce nominis occurrat in cardinalium Romanorum serie.

XXXVIII. Geoffridus VI *Lemeingre*, frater Joannis *Lemeingre*, dicti *Boucicault*, Franciæ marescalli, e decano Turonensi factus est Laudunensis episcopus, anno 1363. De quo Laudunenses episcopi consulendi, t. IX, col. 549.

C XXXIX. Petrus I *Seignoret*, e Joanne *Maan*, anno 1364.

Archembaldus *de Vendatour*, frater Adelaidis, abbatissæ Fontis Ebraldi, memoratur supra t. II, col. 1323, decanus Turonensis annum circa 1370. Archembaldus ille non reperitur inter Adelaidis fratres, apud *Courcelles*, Hist. Genealog. Par. Franc., t. IV. Nec illum aliunde novimus.

XL. Joannes III *de Monstrelais*, die 15 Novembris 1376, decanus Turonensis et procurator Hugonis cardinalis, pro suscipiendo canonicatu vacante in ecclesia S. Martini : D quod e regestis capitularibus S. Martini Baluzius desumpsit.

XLI. Hugo III, cardinalis, 1380; e Joanne *Maan*.

XLII. Germanus, 1382, ex eodem.

XLIII. Richarius, 1389, ex eodem.

XLIV. Geoffridus VII *Gogart* de juribus capituli contendens cum archiepiscopo Turonensi, anno 1396, rem dimittit enodandam quibusdam ecclesiæ Romanæ cardinalibus.

XLV. Joannes IV Silvestris, gallice *Sauvestre*, Geoffrido suffectus a canonicis, diu litigavit de decania cum Joanne *de Seillous*, auditore E in curia Romana, quem Benedictus papa, Gallicanis præsulibus ipsi obsequium negantibus, proprio motu decanum Turonensem elegerat. Venit Turones ille Joannes, assecla pseudo-papæ, sedemque vacantem occupavit. Extant vero regis litteræ, datæ die 25 Octobris 1405, quibus abire jubetur, ad tutelam Silvestris adhibendo baillivi Turonensis præsidio. Adfuit Silvestris, decania demum potitus, Constantiensi concilio. Absentis vices tenens episcopi confirmavit,

anno 1416, Februario mense, sive, ut nunc dicimus, 1417, Bertrandum Rosmadecum, Corisopitensem electum. Mandato domini papæ, prioratum Fontis Cari Majori Monasterio univit 18 Augusti 1420; e schedis *Housseau*, t. XII. Occurrit 12 Februarii 1431, testis adlectus a Philippo archipræsule Martinienses provocante ad futurum generale concilium. Obiit anno 1432, postquam plurimis cathedralem ecclesiam ornamentis ditaverat. Legendus de Joanne Silvestri *Maan*, in Philippo de Coetquis.

Perperam Sammarthani Nicolaum *d'Orgemont* dicunt Turonensem decanum ab anno 1406. Decanus erat ille S. Martini.

XLVI. Martinus I *Berruyer* demortui Silvestris legitime sedem sortitus est, canonicorum suffragio. Illum vero non paucis afflixit ærumnis Matthæus Monettus, ab Eugenio papa institutus. Prævaluit tamen jus capituli. Sedebat Martinus anno 1431 in Basileensi concilio. Dimisit Turonensem decaniam, peracto quindecim annorum, ut ait *Maan*, regimine, ad Cenomanensem cathedram vocatus, anno 1452.

XLVII. Petrus II *Barillot*, dictus a Xanconio, assumptus est in decanum a canonicis abeunte Martino, dum, eodem tempore, fratrem ejusdem Petri germanum, Joannem *Barillot*, Nicolaus papa designabat. Compositum postea jurgium abdicatione Joannis.

XLVIII. Nicolaus *Leloup* a capitulo delectus. Hujus electionem rex jussit, anno 1474, ab archiepiscopo renitente confirmari. Litigavit et ipse Nicolaus, anno 1478, cum canonicis S. Maximi Cainonensis.

XLIX. Joannes V *d'Argouges* circa 1490, qui et thesaurarius, in D. Andreæ *Salmon* Adnotationibus ad quosdam Anglicanos codices, p. 11.

L. Ludovicus *de S. Fere*, 1504, e Joanne *Maan*.

LI. Jacobus II *de Beaune de Samblançay*, filius Jacobi, ærario publico præpositi, et Joannæ Ruseæ, Venetensis idem episcopus et decanus Turonensis, occurrit, anno 1509, personam implens Caroli Dominici possessionem induentis Turonensis ecclesiæ.

LII. Joannes VI *de Lenoncourt*, anno 1511, e Joan. *Maan*.

LIII. Antonius I *Fumée*, anno 1512, ex eodem.

LIV. Martinus II *de Beaune*, anno 1503.

LV. Franciscus *Bohier*, patria Turonensis, filius Thomæ, regio præpositi cubiculo, et Catharinæ *Briçonnet*, quæ castellum *Chenonceaux*, eximium opus, summis curis impensisque perfecit. Decanus ille jam Turonensis, nec non præpositus Normanniæ in ecclesia Carnotensi, dicebatur, anno 1524,

A abbas Bernaici commendatarius. Decaniam rexit ad annum 1535, quo Dionysio *Briçonnet*, cujus erat coadjutor, decedente, Macloviensis factus est episcopus. Laudatur a pluribus litterarum apprime gnarus.

LVI. Thomas *Bohier*, dominus de *Nazelles*, abbas idem Bernaici. Decessit circa annum 1578.

LVII Florentinus *Renard*, ab anno 1578, e Joan. *Maan*.

LVIII. Carolus *de Balsac*, abbas idem S. Georgii de Balcherivilla, thesaurarius S. Capellæ Parisiensis, etc., etc. Evectus est,
B anno circiter 1596, in Noviomensem cathedram.

LIX. Franciscus II *Choisnin*, anno 1597, e Joan. *Maan*. Post quem electus est a capitulo Ægidius *de Souvré*, qui non fuit receptus, et resignavit.

LX. Helias *Convers*, ab anno circiter 1606. Ille 4 Maii 1615, archiepiscopali sede vacante, Turonibus clerum totius provinciæ congregavit ut eligerentur quidam ad comitia generalia deputandi; ex archivo cleri Gallic., in Max. Paris. Bibliotheca. In eum suffragiis diœcesani cleri conversis anno 1617, Turonibus
C adest electioni deputandorum ab ecclesiastica provincia; ex eodem archivo.

LXI. Guillelmus II *de Besnard de Rezé*, in senatu Parisiensi consiliarius, decanus occurrit annis 1646, 1648, 1649, 1654, 1676, ex archivo Turonensi.

LXII. Petrus III *Belin*, doctor Sorbonnicus, anno 1678.

LXIII. Jacobus III *Le Peintre de Marigny* ab anno 1680 ad annum 1713.

LXIV Franciscus III Paulus *Lefebvre de Caumartin*, cujus initia supra memorantur, t. VIII, col. 1344, decanus Turonensis occur-
D rit ab anno 1713 ad Martium mensem 1718. Inunctus fuit Venetensis episcopus hoc anno, Julio mense, postquam decaniam Turonensem abdicaverat, 29 Martii, in gratiam sequentis.

LXV. Antonius II Cyprianus *de Pechpeyron Comminges de Guitault* electus est 21 Aprilis 1718. Reperitur usque ad annum 1735.

LXVI. Franciscus IV Odetus *d'Aydie*, doctor theologus, Savigniei commendatarius abbas, in tabulis annorum 1737, 1744, 1749, 1751.

LXVII. Guillelmus III Josephus *d'Abzac*, e
E decano Turonensi assumptus est, 17 Julii 1774, in episcopum S. Papuli.

LXVIII. N. *Ducluzel* a die 4 Decembris 1774. Decessit ille mense Maio 1782, et post celebratas ejus exsequias abolitum fuit decani munus, cujus stipendia reparandæ S. Gatiani basilicæ addicta sunt.

ECCLESIA COLLEGIATA S. MARTINI TURONENSIS.

Nobilius S. Martino sepulchrum Perpetuus condere cum statuisset, manum protinus admovit operi, et e solo mox visa surgere structura basilicæ ingentis, columnis innixa marmore coruscantibus, dives auro gemmisque, omnimode scilicet digna quæ tantum exciperet hospitem. Æde perfecta et rite dicata, acciti sunt clerici quibus demandata loci cura.

Monachos incertæ religionis antiquitus ibi divina celebravisse mysteria quidam opinati sunt; quos in hunc delapsos errorem dixit Nicolaus Gervasius, in quarto libro Vitæ S. Martini, eo quod cœnobiticum vivendi genus nonnulli profitentes juxta Perpetui basilicam sedem elegissent et festivis diebus in eam oraturi convenirent. De primis quidem collegii Martiniani exordiis nil certum habemus. Nicolaus tamen Gervasius a vero certissime aberravit, asserens nunquam monachos basilicam Martinianam incoluisse, cum ex Adeodati papæ privilegio sæpius laudato palam sit, annum circa 674, monachos S. Benedicti regulæ adstrictos ibi vixisse, cumque Ibbonis diploma, datum anno 760, plurimaque alia recentioris ævi monumenta Benedictinam religionem in ea percelebri domo diu floruisse comprobent.

[Ch. II, col. 5.]

Hoc Adeodati privilegium, de quo jam supra mentionem fecimus in Chrotberto, non dispunctore caruit, ut nimium favens monachis, depressa nimium episcopali dignitate. Ne tot jurgiorum parentem illam rursus quæstionem suscitemus! Ad publicum judicem re delata, verum patuit et nulla manu corruptum summi Pontificis diploma. Cui fidem libenter præbentes, adnotandum æstimamus quot quantisque juribus S. Martini monasterium Adeodatus papa ditaverit. Chrotbertus fuerat Martinianæ primus auctor libertatis, qui locum jam exemerat ab episcopali jurisdictione : nonnulli præterea Gallicani tractus antistites hujus insolitæ donationis schedulæ subscripserant. Confirmat data summus Pontifex, et ne postea moveantur lites inter manumissos Martinienses et Turonenses episcopos recuperandis studentes iis quæ dimiserant, scribit nullum in his ædibus Turonensi præsuli debitum hospitium, nec ei reservatum jus investigandæ disciplinæ, in re qualibet integra monachis asserta libertate, nisi quod sacerdotes levitasve in parœcia monasterium ambiente consecrabit episcopus. Hanc chartam ipse sancivit, anno circiter 720, Ibbo, Turonensium archipræsul, verbis etiam utens amplioribus, ne quid in ambiguo relictum dissidiis ansam præberet. Anno præterea

[Diplom. Chartæ, edit. nov. t. II, p. 819]

A 786, Adrianus papa I privilegium Adeodati pro suo jure ratum rursus habuit, summatim pronuntians ut omnia ad S. Martinum spectantia componerentur et corrigerentur ab ipsis et solis regularibus monasterii præfectis, omnino et absolute *seposita potestate episcopali Turonicæ urbis.* Nil ergo clarius est quam prisca B. Martini libertas. Quam tamen non semel aggressi sunt Turonenses archiepiscopi, in dies crescente infulati cleri potentia, dum cucullatum delabentia quæque sæcula sensim deprimerent. Martiniensium jura firmiter, nec minus docte, B tutatus est præcipuus inter alios Rad. Monsnerius, in Historia Celebris ecclesiæ S. Martini Turonensis, et in opusculo de Juribus ejusdem ecclesiæ Propugnatis. Cui Joannes Launoius oblocutus est alacriter, pro suo more, et non sine procacis ingenii petulantia.

In controversiam præterea vertitur, an seposito, sicut dictum est, Turonensis ecclesiæ præsule, non ipsi Martinienses proprium antiquitus habuerint episcopum. His de monasteriorum episcopis Glossarium Cangii non siluit : quod consulant ii quibus inaudita res hactenus fuit. Inter Martiniensium episC copos veteres chronographi nuncupant Wicterlum, et Andegarium. Chronicorum quidem sublesta fides. Supra memoratis vero Monsnerius ex antiquis chartis adjungit Amarldum, Nicentium, Paternum, Benignum, Desiderium, Wichardum, Adalaldum, Maximum, Julianum, Philippum et Lucianum (1). Adrianus insuper papa I, anno 786, in laudata superius bulla, sic de Martiniensibus episcopis aperte loquitur, ad Itherium scribens : « Decernimus cum dicto monas« terio vestro, statuentes prorsus omnia « quæ usque nunc sunt, et ut liceat ibidem D « habere episcopum, sicut a priscis tempori« bus usque hactenus fuit, per cujus prædi« cationem populus, qui a diversis regionibus « devota mente quotidie ad sancta ejusdem « confessoris Christi limina concurrit, reme« dia percipiat a creatore animarum. » Veteres igitur chronographi neutiquam Martinienses episcopos somniaverunt. Quod agnovit sedens, anno 1096, in Turonensi concilio Urbanus papa II, cum, revisis priscorum Mar-

[Ch. VI, col. 8.]

(1) Guntramnus quoque dicitur Martiniensis episcopus a nonnullis recentioribus, ex Ibbonis privilegio. Hæc enim ex E eo decerpunt : « In id ipsum venerabilem Gunthramnum « abbatem, suamque congregationem, vel præfati monas« terii S. Martini antistitem... » Locum vero male lectum ex authentico Mabillonius emendavit (Annal. Benedict. Append., t. II, instr. 3), resecandusque Guntramnus ex episcoporum Martiniensium numero, cum ea sint ipsissima chartæ verba : « Venerabilem Gunthramnum abbatem.... vel præfati mo« nasterii S. Martini antistitis.... »

tiniensium diplomatibus, et auditis, ex altera parte, querelis metropolitæ Turonensis, æmulum ægre ferentis, episcopatum Martiniensem univit Apostolicæ cathedræ. A vero tamen deflecterent qui degentem hunc inter monachos episcopum longe lateque potentem extitisse reputarent. Ut apprime docent Adriani litteræ, nihil huic juris extra monasterium; in quo, munus exsequens pastorale, decurrentes undique ad tumulum S. Martini clericos laicosve sæcularis ipse suscipiebat et pio fovebat hortamine. Quin imo subjectus erat abbati, cum nihil perageret, vel emendaret sine abbatis sui consensu. Ea sunt apostolici diplomatis verba.

Alia movetur controversia de tempore quo canonici sæculares in ædibus S. Martini monachis suffecti sunt. *Hist. Turon., t. III, p. 472.* Recentior et minus probanda domini *Chalmel* sententia, qui mutationem hanc peractam asserit circa annum 848, Viviano scilicet abbate. Non tam erronea conjectura Mabillonii, qui notavit, ex *Ann. Bened., t. II, p. 450.* Haganonis testamento, anno Ludovici imperantis quinto, Christi scilicet 818, jam Martinienses monachos ad canonicorum habitum et mores defecisse. Altius tamen res repetenda. In Chronico Petri, qui filius fuit Bechini, legitur : « Anno regni Caroli XXII, « adhuc erant monachi, Hilario abbate, apud « S. Martinum. » Et inferius : « Anno regni *And. Salmon, Collect. Chronic. Tur., p. 40.* « Caroli XXVIII jam erant canonici apud « S. Martinum. » Huic consentit auctor Chronici Turonensis, tunc temporis memorans plerosque monachos Martinienses in delicatioris vitæ laqueum delapsos; quos aversatus abbas Itherius Cormaricum secessit, *Ibid. p. 93.* anno Caroli quarto et vicesimo, Christi 795, fratres nundum ea peste corruptos secum trahens. Non caret nugis, ut Mabillonius animadvertit, Chronici Turonensis narratiuncula. Aliunde constat, vel Alcuini tempore, nonnullos monachos in ædibus S. Martini superstites permansisse. Attentius perlectis S. Martini documentis, opinamur Itherii sub regimine quosdam e monachis Martiniensibus ad canonicorum normam liberioris vitæ ductos illecebris, austerioris autem sectatores tunc Cormaricum exulasse, et postea, sub Alcuino, monachorum numero quotidie decrescente, rite concessum Martiniensibus monachis ad canonicos transitum. Sic enim auctor Chronici Turonensis : « Anno Constantini V et Caroli XXIX posuit « Carolus canonicos in ecclesia B. Martini « Turonensis, auctoritate Adriani papæ. » Advertendum quod annus Caroli nonus et vicesimus quartus sit Alcuini S. Martinum regentis. Alcuinus igitur diaconus, sive clericus sæcularis, non monachus, mixto monachorum et canonicorum collegio aliquamdiu præfectus abbas a rege, mox totum ipsi gregem obnoxium ad suum traxit habitum. Canonicorum privilegia confirmavit Leo papa III

A anno 806. Nec a monachorum institutis canonici Martinienses longe discessere. Quod et ipse notavit Mabillonius, quamvis canonicorum acer improbator. Quamobrem scribens ad Alcuini sodales, quos olim expertus erat in fide imperatori debita dubios, Carolus eos Magnus his verbis increpat : « Vos autem qui « contemptores nostræ jussionis extitistis, « *sive canonici, sive monachi vocamini*, ad « placitum nostrum, juxta quod præsens mis« sus noster vobis indixerit, nobis vos adsis« tere scitote. » Mediam sedenim viam inter utramque vivendi disciplinam tenuerunt, qui, S. Benedicti simpliciorem cultum aspernati, B abbatis tamen sub regimine permanserunt. Abbates habuerunt clericos usque ad Vivianum, anno 845. Comes ille Vivianus primus e laicis abbatibus S. Martini. A summis imperii principibus abbatiale munus non multo post appetitum, donec Hugo Capetus, rex Francorum salutatus, abbatis Martiniensis titulum univerit regio stemmati. Hoc jurabant sacramentum reges Franciæ, quando abbates S. Martini dicebantur : « Ego..., annuente « domino, Francorum rex, abbas et canonicus « hujus ecclesiæ B. Martini Turonensis, juro C « Deo et B. Martino me de cætero protecto« rem et defensorem fore hujus ecclesiæ, in « omnibus necessitatibus et utilitatibus suis, « custodiendo et conservando possessiones, « honores, jura, privilegia, libertates, fran« chisias et immunitates ejusdem ecclesiæ, « quantum divino fultus adjutorio secundum « posse meum, recta et pura fide. Sic me Deus « adjuvet ! » S. Martinum, a quo reges habuit abbates, decani gubernavere. Antiqua decanorum, vel apud monachos Martinienses, institutio; horum vero potestas, quæ subalterna primitus fuerat, dein evasit quasi suD prema. Hujus inclyti monasterii narrata sæpius historia, tum latine, tum gallice. Summatim ergo describere nunc satis est præcipuos eventus quorum chronographi meminere. Concremata illa quam Perpetuus extruxerat basilica, Clotario regnante, per Wilicharium, ut narrat S. Gregorius, restaurandæ protinus operam dederunt. Sed anno 732 devenere Turones Sarraceni, qui prædam inde locupletissimam detulere, vastatis ædibus S. Martini : quod ex ipsis scriptoribus Sarracenæ gentis D. *Reinaud* depromsit palamque fecit, in sua Invasion. Sarracen. Hist., p. 44. E Ea tamen de clade christiani silent chronographi. Favit Martiniensibus Carolus Magnus et res eorum plurimum auxit, non tantum in utraque Francia, sed etiam in transalpinis partibus. Eo duce et auspice condita, curis Alcuini, percelebris S. Martini schola, ad quam mox confluxerunt ex omnibus orbis christiani regionibus, clericorum monachorumve rudes ea tenus catervæ, quas inde exeuntes excepere, litteris politos et sacris et profanis, Francia, Neustria, Aquitania, Sep-

timania et ipsa Roma. Memorantur insigniores post Alcuinum Martinianæ scholæ magistri, Fridugisus, qui gnosim non assecutus quidem est, at vero suspicatus Alexandrinam; Amalricus, dein archiepiscopus, Guischardus, Miloque, quorum laudibus veteres chartæ personant, et tandem arte scribendi dicendique notissimus inter fratres Berengarius, imo, ut usurpem Tullii verba de Paulo Scipione, tristitia et severitate popularis, sophista sedenim eloquio potens et per vicos frontem gerens et habitum apostoli, qui, novis usus verbis in interpretando corporis sanguinisque mysterio, plures primo allevit, mox autem, hæresis indubiæ notam incurrens, non semel ad solemnes cleri gallicani conventus accitus est, et damnatus. Venalis fuit ab origine scientia quam Martiniano gymnasio præfecti doctores scholaribus tradebant; postea vero gratuita evasit, ut infra dicemus.

Ampla jam Martiniensibus concessa privilegia confirmavit Ludovicus Pius, II nonas Novembris 832. Novam vero fratres experiebantur stragem, novum incendium, anno 853, irruentibus Normannis, ut ait, inter alios, Sigebertus in Chronico. Irruptiones Normannorum, sive Danorum, eo tempore multiplices : quarum seriem adamussim ordinare, deficientibus certæ fidei testimoniis, penes nos quidem non esse fatemur. Memorantur et aliquot post annos rursus Turonensium profligatæ res ab iisdem. Multis jam tum nobile reliquiis cœnobium S. Martini; nullis nobilius quam corpore tutelaris patroni, ad quod clericorum laicorumque, vel e remotissimis Galliæ partibus, frequens conventus. Imminente altera illa Normannorum irruptione, sacratissimas Martinienses et Majoretani monachi detulerunt exsuvias ad tutiores Galliæ tractus. Cujus translationis amplam quidem, fabulis vero non expertem, historiam scripsit incertus auctor, quem ex amanuensibus nonnulli Cluniacensem Odonem, sed perperam, dixerunt. Cœlo tandem nitescente, anno circiter 887, redditum Turonis corpus S. Martini. A Normannis tertio vastata domus Martiniana, anno 909. Quartum hujus exeidium anno 994 memorat Brevis Historia S. Juliani, anno 997 Petri Chronicon. Reficiendis ædibus tunc temporis præcipuam contulit operam Hervæus archiclavis, quo nullus majorem sibi peperit laudem inter S. Martini benefactores, et restauratæ basilicæ consummatum opus, anno 1014, Hugo archiepiscopus consecravit. Has præbet temporis notas Historia S. Juliani. Radulfus autem Glaber dedicationem restauratæ basilicæ peractam memorat anno ante obitum Hervæi quarto, et Hervæus, e Chronico Turonensi Magno, decessit anno Roberti regis quinto decimo, Christi circiter 1011. Proinde consequens esset hanc dedicationem sub anno 1008 contigisse. Subjungendum quod anno 1009 occurrit bulla Sergii papæ IV, quartam hanc S. Martini restaurationem confirmans. Obiit vero Hervæus, ex Historia S. Juliani, anno 1022. Unde novum oritur dubium. Alia Urbani II confirmatio annum 1096 exhibet. Quo anno S. Martinum deveniens prædictus papa caput suum cinxit, more Romano, corona palmarum, ut refert auctor Chronici Turonensis. Hoc tamen eodem anno, VIII idus Aprilis, teste Petro, Bechini filio, quintum ecclesiam S. Martini sustulit incendium, et sextum, anno 1122, bellum inter se moventibus canonicis et civibus Castri Novi; e Chronico Petri, assentiente auctore Chronici Turonensis. Septima tandem memoratur anno 1203 basilicæ Martinianæ concrematio, jubente Joanne, Angliæ rege. Nec singulæ quidem summorum Pontificum litteræ, quibus renovatum auctumve Adeodati privilegium, hic, pagina deficiente, referendæ sunt : ex uno verbo intelligas nullam canonicorum sodalitatem tantum apud Romanam sedem gratiæ locum obtinuisse. Nec eidem defuit æmulus regum procerumque favor, et Francorum præcipue regum; qui, vel antea quam cœnobii fuissent abbates, B. Martinum peculiarem patronum suum dicebant, et cappam ejus per bella gerebant, ut testatur Monachus Sangallensis. A quibus tamen proceribus regibusve nonnullas Martinienses passi sunt injurias. Ex archivis hujus ecclesiæ desumpsit hanc Stephanus *Housseau* narrationem, ad annum circiter 1112 referendam : « Quoniam stili « memoriæ commendata dierum longitudine « vix aut nunquam possunt deleri, pateat « universis tam præsentibus quam futuris harum testificatione litterarum Fulconem, An« degavensium comitem, claustri B. Martini « sacrum jus violasse. Ipsius siquidem claus« tri locum omnibus patens tutum refugium, « quamvis nullis resistentibus, violenter « intravit armata manu, domus deinde pro« pugnacula cujusdam canonici cellerarii « præcipitari injuste fecit; cujus rei inauditæ « atrocitate et magnitudine canonici vehe« menter perculsi, et contra hoc malum « tantum, tam subitum et insperatum, quid « novum agere possent solliciti, corpora « protinus sanctorum et crucifixum terræ « deponentes, super ipsum B. Martini con« fessoris sepulchrum et circa corpora sanc« torum et crucifixum spinas adposuerunt; « portæ insuper ecclesiæ die et nocte conti« nuo clausæ, castrensibus etiam non intro« euntibus, solis peregrinis patuere. Consul « itaque non multo post, facti sui pœnitens, « et misericordiam quærens, sponte sua in « claustrum et in domum domini Sicardi ma« gistri scholarum venit, ibique discalceatus, « nudis pedibus, et quidam cum eo sui pro« ceres in ecclesiam humiliter perrexerunt,

Andr. Salmon, Collect. Chronic. Turon. p. 129.

« primum ante B. Martini sepulchrum, dato A « pignore consul Deo et B. Martino per manum Rainaldi, Andegavensis episcopi, « promisit se nihil amplius tale quid facturum : deinde ante corpora sanctorum, ad « ultimum ante crucifixum, satisfactionem « fecit. » Nunc ad ea quæ contra eosdem prave reges gessere. Anno 1194, Richardus, Angliæ rex, Augustam Turonum aggressus, minas bellorum præ se ferens, canonicos B. Martini non patienter tulit obsequium negantes; quos ex ædibus, imo ex ecclesia dejecit. Elapsis vero tribus annis ad sua rediere. Diu viguerat apud eos primæva, quæ- B vis fuerit, disciplina : attamen, cum omnia tempus edat, morum licentia paulatim gliscente, non parum ab officii religione declinaverunt. Auditis igitur piorum querelis, et ne rueret in pejus tanti nominis domus, summus Pontifex Turones ire jussit Hamelinum, Cenomanensem episcopum, et Adamum, Perseniæ abbatem, qui progredientis corruptelæ causas attente rimarentur novosque conderent arctioris normæ canones. Hæc anno 1204 gesta sunt. Annum 1211 præbet amplissimum Philippi Augusti præceptum, quo possessiones et privilegia C S. Martini quæcumque sanciuntur. Nec prætereundæ Odonis, Burgundiæ ducis, litteræ, anno 1215 datæ, quibus notum fecit semet et quemque post se futurum ducem Burgundiæ canonica sodalitate fuisse donatos. Martinianum præ cæteris Galliæ regibus fovit cœnobium Ludovicus IX, qui capellaniam ibi constituit, assignans capellano viginti libras Turonenses annui reditus. Frequens et canonicorum hospes Ludovicus XI eis plura contulit, inter quæ non prætermittere licet eximia fabricatos arte pretiososque materia cancellos quibus cinxit D B. Martini sepulchrum. Huic vero successit Franciscus I, non illepidus quidem princeps, sed qui, totus rebus civilibus, ecclesiasticas neglexit, imo sæpius pessumdedit. Cum enim tum in bellis, tum in aulicis festivitatibus, publicum exhausisset ærarium, in sublapsæ domus levamen hos poposcit cancellos, monetali nota feriendos. Petentem surdis auribus excepere. Inde rex, impatiens repulsæ, erumpere in iras et mittere quosdam e ministerialibus suis ad sacratissimas ædes, nec non plures episcopos ex aulicorum caterva, qui, militibus secum adductis, nec loci religio- E nem, nec canonicorum civiumque planctus curantes, argenteum S. Martini septum vi sustulerunt, die Veneris octava mensis Augusti 1522. Sex currus pretiosum onus vexerunt ad Turonensem monetæ domum; quo pensato, argenti sex millia et trecenti besses inventi sunt : unde quadringenta circiter millia scutorum in manus regis delata.

Eximiis ab antiquo Martiniana basilica gaudebat privilegiis. Celeberrimum illius asylum, in quod reges ipsi, vel filii regum secessere, ducesve regum metuentes iras, inter quos Austrapius, Wilicharius, Gunthramnus, Boso, Ebrulfus, Merovæusque, Chilperici filius, recensendi. Creber ea de re sermo Gregorii Turonensis : epistolas præterea legere licet Alcuini querentis de Theodulfo episcopo, qui clericum Aurelianensem ad altare B. Martini confugientem abstulerat. Nec silendum de jure cudendæ monetæ, quod capitulo S. Martini tribuere Francorum reges Carolus Simplex, Radulfus Burgundio, Ludovicus Transmarinus et Hugo Capetus.

Is erat novissimis temporibus ordo S. Martini. Dignitates appetebant undecim, quibus aucti dicebantur decanus, thesaurarius, cantor, scholasticus, subdecanus, cellerarius, eleemosynarius, grangiarius, et camerarius. Constabat præterea capitulum quindecim præposituris, tribus præstimoniis, uno et quinquaginta canonicatibus, sex et quinquaginta vicariis perpetuis et octoginta capellanis. Inferiores dignitates omisimus. Ducenta nec non tria et sexaginta cujuslibet gradus beneficia numerabantur ad capitulum S. Martini pertinentia. Decanum et thesaurarium rex præsentabat. Capituli Martiniani sub tutela erant abbatiæ Cormaricena et Bellimontana, ecclesiæ collegiatæ S. Venantii, S. Petri Puellaris, Cableii, Lereii et S. Aredii, nec non prioratus S. Cosmæ, S. Eligii et Guierchiæ.

Abbatum et decanorum seriem præcipue desumpsimus e chartis quas Maxima Parisiorum Bibliotheca servat collectas a Baluzio, Puteanis fratribus, Anselmo *Le Michel* et Stephano *Housseau*. Auxiliantibus insuper utebamur Radulfo Monsnerio, nec non Francisco *Lesueur*, congregationis S. Mauri monacho, qui chartularium B. Martini studiose compilavit, anno 1643, et compendiosam insuper digessit S. Martini Turonensis Historiam, quam invenies inter San-Germanenses codices.

Abbates S. Martini.

I. Leo, de quo superius in archiepiscopis Turonensibus, primus innotescit inter Martinienses abbates e Gregorio Turonensi, cui Petrus, filius Bechini, nec non auctor Chronici Turonensis assentiunt. In episcopalem cathedram evectus est circa annum 526.

Inter abbates S. Martini recenset D. *Bouquet* Eustochium, cujus meminit Gregorius Turonensis in libro de Vitis Patrum, c. 20. Vid. Rer. Gallic. Script., t. II, p. 304. Melius Altaserra et Ruinartius Eustochium hunc abbatem dixerunt Majoris Monasterii, ut legitur in Commendatione Turonicæ provinciæ.

II. Ægiricus presbyter et abbas S. Martini

Ch. III, col. 5. dicitur, circa annum 674, in Adeodati papæ privilegio. Ille Romam cum ivisset, a domino papæ Chrotberti litteras obtinuit confirmatas. Hujus meminit Martyrologium gallicanum, 11 Aprilis.

Perperam post Ægiricum posuere Sammarthani Vudelandum, qui non alius est ab Audelando, Theoderici regis IV coævo, de quo mox sermo fiet.

III. Guntrannus, anno forsitan 720, ex Ibbonis diplomate immunitates S. Martini sanciente; Dipl., Chartæ, ed. nov. t. II, p. 319. Memoratur anno 730 ad Turonensem cathedram evectus.

IV. Gundolaicus, e Guntramni episcopantis privilegio desumptus.

V. Audelandus, Audandus, Autlandus, Odelandus, Widolandus, vel etiam Undolandus, cujus meminit auctor vitæ S. Pardulfi, ad ann. 732, secundum Mabillonium. Quas-
Ch. IV, col. 6. dam ille terras emit a Gundosone, anno tertio decimo Theoderici regis, IV cal. Julii, Christi 733. Dicuntur hæ terræ in pago sitæ Brisgaugiensi. Unde Mabillonius Audelandum non temere quidem suspicatus est genere Alamannum; Annal. Bened., t. II, p. 92.
Ch. V, col. 7. Idem occurrit in charta Caroli Magni de villis S. Martini, nec non in ejusdem diplomatis a Carolo Calvo confirmatione.

VI. Teutsindus, de quo Fontanellense Chronicon. Monasteria S. Martini et Fontanellæ dicitur adeptus post mortem Landonis, Fontanellensis abbatis, post annum videlicet 734. Vide supra t. XI, col. 170.

VII. Wicterbus, gente Baugoarius, sive Bajoarius, de genere Agilolfingico, e quo duces Bajoariorum veteres, ut Mabillonius opinatur. Dictus idem Wicterbus episcopus et abbas S. Martini. Obiisse legitur anno 756.

VIII. Wulfardus I Wicterbo successit abbati, non episcopo. Tunc enim facta partitio dignitatum eidem superius addictarum. Ille est Wulfardus de quo Fredegarii continuator, sub ann. 765: « Amanugus, comes Pirta-
« viensis, dum Turonicam infestatam præda-
Script. rer. Franc. t. V, p. 6. « ret, ab hominibus Wulfardi, abbatis mo-
« nasterii B. Martini, interfectus est. » Illo Martinienses regente, rex Pippinus, morti proximus, ad sepulchrum accessit S. Martini multasque eleemosynas quam plurimis ecclesiis et monasteriis largitus est, ex eodem Fredegarii continuatore, et ex Annalium auctore quos D. *Bouquet* edidit, tom. V, p. 36. Wulfardus, anno 774, a Carolo Magno accepit insulam cum castello Sermionensi, vallem Camoniam, Solarium villam infra Papiam, et nonnullas insuper in Italico tractu terras, villas et ecclesias; apud Rer. Gallic. Script. t. V, p. 724. Idem cum Alcuino Romam a rege missus est ad Adrianum papam I.

IX. Itherius dein occurrit. Illum Eginhardus memorat, anno 760, obsidem datum Pippino regi a Waifario comite. Pippini

A postea dictus est cancellarius. Quem cum sibi Carolus Magnus devinxisset, hunc ire jussit ad Stephanum papam. Talem in ea legatione se gessit Itherius, ut de eo Stephanus ad Carolum : « Religiosus ac pruden-
« tissimus vir, et revera noster et vester sin-
« cerus fidelis. » Et inferius : « Magnæ
« scientiæ illustratur prudentia, piis quoque
« meritis atque immutilatæ fidei decoratur
« integritate. » Cancellarius idem Caroli regis, aliquantisper comes addictus fuit assidue per æstivos menses bellanti, per hiemem Aquis venanti. Itherius Martiniensibus da-
B tus abbas circa annum 774 : præceptum sedenim regium sub hoc tempus obtinuit Ch. V, col. 7.
quo confirmata jura S. Martini in villanos Rer. Gallic.
monachis obnoxios. Immunitatem illi præ- Script.
terea tribuit rex, anno 782, rerum omnium t. V, p. 42.
ad S. Martinum pertinentium; quo anno trans montes rursus tetendit Itherius, ad papam Adrianum: quære supra, t. VII, col. 349.
Litteras, anno 786, pontificias accepit, qui- Ch. VI, col. 8.
bus Martiniani jura gregis de novo sancita, lexque condita de proprio episcopo eligendo. Eidem, pridie calendas Septembris 790, Carolus quamdam rem confirmavit, ad *Staina-*
C *gonstadt*, apud Alamannos, pretio comparatam. Anno tertio et vicesimo regnantis Caroli Magni, Christi 791, XII idus Februarii, Itherius testamento confirmavit quæ fecerat ad augendum honorem S. Martini in cella
S. Pauli, vulgo dicta Cormaricena. Conditor Ch. VII, col. 9.
siquidem ille Cormariceni cœnobii : de quo inferius. Itherio munus abbatis exsequente, moritur, anno 790, Andegarius, Martiniensis episcopus. Cujus meminit his verbis auctor Annalium qui Petaviani dicuntur : « Ande-
« garius, episcopus S. Martini, obiit XV cal.
« Februarii. Fuit autem ex genere Anglo-
D « rum ; sed pater ejus, Botto nomine, nego-
« ciator fuit in urbe Massilia. Fuit autem
« magnæ humilitatis; unde omnibus gratis-
« simus habebatur. »

X. Alcuinus, sive Albinus, anno 796, ut in illius Vita legitur, Itherio demortuo subrogatur a rege. Eumdem annum initi regiminis ab Alcuino primum agnovit Mabillonius, ex epistola quam scripsit ad Carolum ex Italia reducem : de qua consule, si lubet, Annales Bened., t. II, p. 320. Mabillonio tamen ne crede monachum hunc fuisse firmiter asse-
E renti. Cœnobitis pastor datus, horum mores induit, sed, teste Sigulfo, vitæ socio, nullis se votis unquam Benedictinæ devinxit familiæ. Genere Northumber, patria Eboracensis, Vita Alcuini,
Alcuinus, exhaustis omnimodæ disciplinæ c. III, VIII.
fontibus, devenerat in Franciam Caroli Magni precibus accitus, scholæque primum præfectus palatinæ, docentis auditores habuerat regem, regis filios filiasque, nec non summos quosque Aquensis aulæ proceres. Tanto summopere gavisi Martinienses magistro. Cœnobii præfecturam nuper auspicatus, ille

præceptum a Carolo Magno satis amplum obtinet quo confirmantur jam antea Martiniano gregi concessæ donationes. (Ch. x, col. 13.) Notandum præsertim quod in eo diplomate de stipendio monachorum agitur: non ergo integra monachorum familia jam Cormaricum fuerat translata. Aquas Alcuinus tendebat, anno 799, cum Felice Urgellitano disputaturus de natura Christi. Ancipites erant animi theologorum, nec non aulicorum, quos plurimum quæstio movebat jam sæpius ventilata. Aptissimis Alcuinus argumentis Felicianam doctrinam ab Ariana quodam tantummodo verborum discrimine differre comprobavit, erroremque suum Felix confessus est in lacrymas erumpens. Anno 800, Carolus rex, e Centulensi monasterio, ubi Paschæ solemnem celebraverat diem, venit ad delubra S. Martini, comitibus filiis et Liutgarda conjuge. Ibi receptus ab Alcuino, licentiam illi concessit monachorum ad normam S. Benedicti Cormarici constituendorum, (Ch. viii, col. 11.) et paulo post, si chronicis diplomatum notis tuta fides, iv nonas Julii, Carolus Cormaricensibus jus tribuit duas naves per Ligerim, Meduanam, Sartam, Leduın, Vigennamque dirigendi. (Ch. ix, col. 12.) Afflicta tunc gravi morbo Liutgarda extremum efflavit spiritum pridie nonas Julii, et in æde S. Martini fuit sepulta: ex Eginhardi Annal., ad ann. 800. Cujus in laude vultu formosæ et corde mitissimæ reginæ, a feroci Fastrada longe dissimilis, consentiunt Theodulfus, episcopus Aurelianensis et auctor carminum de Adventu Leonis papæ ad Carolum regem. Magnum tunc Carolus conventum habuit in cœnobio S. Martini, inter filios regna partiturus, e Moissiacensi Chronico. Sed fictitiam illam partitionem, de qua silent omnes alii annalistæ, communiter asserunt Petrus Pithœus et domnus Martinus *Bouquet*, nec illis assentire dubitamus, præsertim cum in plerisque ejusdem Chronici Moissiacensis exemplaribus, locus ille non inveniatur interpolationis merito suspectus. Idem circa tempus Alcuinus, jussu Caroli imperatoris, construxit oratorium in honorem beatissimæ Dei genitricis Mariæ, hospitalesque domos ad perpetuam peregrinorum mansionem, in loco qui vocatur Duodecim-Pontes, juxta littus Sequanæ, in Campania. A nemine lacessenda strenue tutatus est S. Martini privilegia, vel contra Carolum regem, anno 802, in hujus Aurelianensis clerici causa, qui, Theodulfi præsulis e carceribus elapsus, in basilicam S. Martini confugerat. Ultra jus suum tendentem Alcuinum admonuit primo, mox vehementer improbavit Carolus, cum non reum, sed canonice damnatum, tradere recusasset hospitem. Decessit Alcuinus 4 Junii 804, humatusque fuit intra S. Martini basilicam cum hoc epitaphio:

Hic rogo pauxillum veniens subsiste, viator,
Et mea scrutare pectore dicta tuo;
Ut tua deque meis agnoscas fata figuris,
Vertatur species ut mea sicque tua.
Quod nunc es fueram, famosus in orbe viator,
Et quod nunc ego sum tuque futurus eris.
Delicias mundi casso sectabar amore;
Nunc cinis et pulvis, vermibus atque cibus.
Quapropter potius animam curare memento
Quam carnem, quoniam hæc manet, illa perit.
Quid tibi rura paras? Quam parvo cernis in antro
Me tenet hic requies, sic tua parva fiet.
Cur Tyrio corpus inhias vestirier auro,
Quod mox esuriens pulvere vermis edet?
Ut flores pereunt, vento veniente minaci,
Sic tua, namque caro, gloria tota perit.
Tu mihi redde vicem, lector, rogo, carminis hujus,
Et dic: Da veniam, Christe, tuo famulo.
Obsecro nulla manus violet pia jura sepulchri,
Personet angelica donec ab arce tuba:
Qui jaces in tumulo terræ de pulvere surge!
Magnus adest judex millibus innumeris,
Alchuin nomen erat sophiam mihi semper amanti;
Pro quo funde preces, mente lege titulum.

Hujus laus jam multis vocibus celebrata. In eo tamen humilis et angusta doctrina, cum, Cassiodorum sequens Bedamque, vel per tritas timidus vias incederet. Potiores aula Caroli novit poetas, inter quos Theodulfum Aurelianensem; rhetores in arte scribendi peritiores, quorum merito princeps dicitur Eginhardus; theologos denique Patrum sententias magis callentes, e quibus Paulum Diaconum: nullus vero superavit Alcuinum in docendi studio, nullus magis insudavit in informandis cujusque sexus et ordinis discipulis. Alcuino claruerat auspice palatina schola: nec minorem Martiniana famam comparavit. Præcipuos habuit auditores in Martiniano gymnasio Rabanum Maurum, Moguntiensem futurum episcopum, Richbonem Trevirensem, Haimonem Halberstadiensem, et B. Aldricum Senonensem. Ejus de operibus passim editis, quæ non omnia quidem exhibet editio Frobeniana, consulere licet domnum Rivetium, et, inter recentiores, auctorem thesis super Alcuino neutiquam contemnendæ, D. Fr. Monnerium.

XI. Gulfardus II post Alcuinum ponitur a Francisco *Lesueur*, in Historia cœnobii Martiniani manu scripta: idem qui Sammarthanis ante Alcuinum, et Radulfo Monsnerio perperam locandus visus fuit inter Fridugisum et Adalardum. Innotescit ille Gulfardus e bulla Leonis papæ III canonicos eximente a jurisdictione episcopali, anno non primo quidem, sed undecimo Leonis data, et sexto Caroli imperantis, Christi scilicet 806. Ejusdem præterea legimus testamentum, quo « relinquens arma comamque, » seque dicens diaconum humilemque B. Martini levitam, fratribus nonnulla prædia tradit quæ ad ipsum hæreditario jure devenerant: in schedis Baluzii, arm. 2, fasc. 2, num. 3, t. II. Unde certum est illum alterum esse a

Wulfardo supra memorato qui monachis præfuit Martiniensibus.

XII. Fridugisus, quem Nathanaelem vocat Alcuinus, ab illo moriente designatus erat ut præfectura S. Martini præ cæteris dignus. De quo jam Fridugiso inter abbates S. Bertini, t. III, col. 489. Idem fuit Caroli Magni cancellarius, et hujus testamento subscripsit. Illo orante, Ludovicus, rex Aquitanorum, anno 807, Cormaricensibus favebat. Ad eum extat præclarum Helingandi comitis diploma, plurima S. Martino concedentis in Meldico pago sita, anno 813. Obtinuit, anno 816, III cal. Septembris, a Ludovico Pio confirmationem quorumcumque locorum jam S. Martino adscriptorum, et, eadem die, sed altero præcepto, ratas accepit regis auctoritate jam antea Gulfardo decessori traditas immunitates a Carolo Magno. Devenit in ædes S. Martini Ludovicus imperator anno 818 : quem Fridugisus excepit dona ferens, ex Ermoldo Nigello :

Ch. XII, col. 15.

Ch. XIII, col. 19.

> Inde Turonus adit Martini culmina celsi
> Visere, Mauricii martyris atque pii.
> Eia age, tempus adest, Fridugise magister, et instat;
> Cæsaris adventum, gratulabunde, vides;
> Munera magna offers.

Anno 819, occurrit Fridugisus in testamento Aganonis et Adjutoris, Germanorum, peculiaria tradentium prædia, in pago Blesensi sita, confratribus canonicis S. Martini : apud Marten. Anecd., t. I, pag. 20. Cormaricenses, anno 820, libertate donavit, rege probante. Occurrit præterea Fridugisus, anno 828, in Pippini, regis Aquitaniæ, diplomate, quo rata Marciagi traditio, in Arvernico pago, et in ejusdem præceptis anni 831 pro Cormaricensibus. Plures Fridugisus villas variis S. Martini ministris dederat in beneficium : unde tam in victualibus quam in vestimentis cæterorum fratrum plura deficiebant, congregationis totius imminuta re : quæ deperdita jussit ipse in S. Martini dominium revocari, et Ludovicus Pius probavit, anno 832. Laudatur Fridugisus inter eximios sæculi noni scriptores. Decessit, e Mabillonio, cui suffragati sunt antecessores nostri, anno 834. Anniversarium ejus celebrabant Martinienses IV idus Augusti.

Ch. XIV, col. 20.
Ch. XV, col. 22.
Ch. XVI, col. 23.
Ch. XVII, col. 23.
Ch. XVIII, col. 24.
Gall. Christ. t. III, col. 489.

XIII. Adalardus post Fridugisum, non Teuto, Theoto vel Theodo, sicut Mousnerius et Sammarthani opinantur. Quem Teutonem quære inter abbates Majoris Monasterii. Probavit Adalardus, mense Junio 840, commutationem inter Audacrum abbatem Cormaricensem et Fredericum militem. Scholæ Martinianæ ab Alcuino florebant, docentium doctrina, nec non discentium frequentia percelebres. Promercalis autem tradebatur scientia. Adalardus *abominabilem*, ut ait, hanc consuetudinem exosus, gratuitas scholas esse jussit, anno 841, Augusto mense, assignato magistris rerum quarumdam beneficio. Has dederat res S. Martino e suis prædiis Amalricus, tunc scholasticus, qui postmodum fuit Turonensis archiepiscopus. Clarum extitit sub Amalrici regimine S. Martini gymnasium, et alumnos enutrivit magnæ laudis, inter quos recensere juvat Josephum, Aquitaniæ cancellarium, et Paulum, Rotomagensem archiepiscopum. Adalardus, anno 843, Vidiniacum, nec non Tannogilum villas, e dominio S. Martini distractas, Cormariceno contulit cœnobio, Ludovico rege probante. Eodem anno, sedebat in Germiniacensi synodo; e Conciliis *Mansi*, t. XIV, col. 796.

Ch. XXI, col. 28.
Ch. XXII, col. 28.
Hist. Litteraria Franciæ, t. V, p. 91
Ch. XXIII, col. 29.

Heirardus quidam abbas legitur testis in Ursmari donatione, annum circa 845. Heirardus ille non alius forsitan ac Adalardus, sive Aderardus supra memoratus.

Ch. XXVI, col. 33

XIV. Vivianus comes, abbas idem laicus S. Martini et Majoris Monasterii. Nonis Januarii 845 (perperam, in Indice Diplomatum, 844), suscepit a Carolo rege confirmatas res quas Amalricus largitus erat; Rer. Gall. Script., t. VIII, p. 451. Eodem anno, nempe 27 Decembris, ab eodem impetravit sancitas immunitates S. Martini; ibid., p. 482. Idem terris quibusdam in pago Dunensi, nec non in pago Blesensi, donatus, anno 846, ab Odone comite et ejus uxore Guandelmonte; apud *Housseau*, t. I. Vivianus ille ducentos tantum in cœnobio canonicos degere jussit, quorum ipse rebus adjunxit, anno 848, Antoniacum villam. Probavit hanc Carolus Calvus donationem, eodem anno, cal. Maii. Anno 849, XI cal. Julii, idem rex, orante Viviano, S. Martino confirmavit Colonicam et alia quæ dederat Adelmannus levita; Rer. Gallic. Script., t. VIII, p. 502. Anno 850, cum abbas Vivianus quasdam villas S. Martini monachis Cormaricensibus tradidisset, ad eorum inopiam tam in victu quam in vestitu sublevandam, ratum habet hoc donum Carolus rex, XIV cal. Martii, tunc degens in æde S. Martini. Annuit, eodem anno, Vivianus Cormaricensibus de fundatione Villelupensis abbatiæ præceptum sollicitantibus regium. Occisus legitur anno 851, contra Britones militans sub regiis vexillis, in Chronicis Engolismensi et Lemovicensi. Ut sæcularis abbas monachis Vivianus erat invisus. Id palam fit e libro Revelationum Andradi Modici, quem, ut aiunt, fatidica subit imago Dei sic Carolum regem increpantis : « Ibi (in Britannia) morietur « perfidus et nefandus Vivianus, qui non ex- « timuit conculcare nobilitatem ecclesiarum « mearum, abbatem se glorians monasterii « B. Martini et cæterorum. Devorabunt enim « idcirco carnes ejus feræ silvarum; » apud Rer. Gallic. Script., t. VII, p. 290. Decerpsit Baluzius e codice olim Colbertino versus aureis caracteribus exaratos, in quibus Vi-

Ch. XXVIII, col. 34
Ch. XXIX, col. 36.
Ch. XXVIII, col. 35

vianus comes et abbas describitur Biblia sacra offerens Carolo regi; Baluzius, t. II, Capitular. col. 1568.

XV. Hilduinus, abbas idem et antistes S. Martini, occurrit, anno 857, in notitia super prædio evindicato in villa Malebuxo; apud *Housseau*, t. I. Idem, 7 Novembris 860, deperditis privilegiis quorumdam episcoporum et præceptis regum ad S. Martinum spectantibus, adit episcopos quatuordecim provinciarum in Tullensi parochia coactos, et ab eis generalem obtinet rerum omnium S. Martini confirmationem; apud *Lalande*, Concil. Galliæ, p. 164. In qua deinde synodo, Herardus metropolita, episcoporum consilio, concessit Hilduino abbati et antistiti ejusdem abbatiæ S. Martini, privilegia quæcumque Chrotbertus et alii monachis tribuerant. Abbas idem fuit S. Medardi Suessionensis, S. Bertini et S. Germani Pratensis. Vixit ad annum saltem 877, ut notarunt antecessores nostri, t. VII, col. 428. Sed perperam hunc opinati sunt ad extremos vitæ dies S. Martino Turonensi præfuisse. Fuit ille Caroli Calvi archicapellanus, ut testatur Hincmari epistola. Ad eumdem extant litteræ Lupi Ferrariensis, apud Rer. Gallic. Script. t. VII, p. 509.

XVI. Hucbertus legitur anno 862 Martiniensibus præfectus, quo, VI cal. Maii, confirmationem privilegiorum a Carolo rege obtinuit, et, eadem die, mansionem quam Bernardus quidam possederat, ob latrocinia dejectus a rege; Rer. Gall. Script., t. VIII, p. 574, 576. De Hucberto sic Annales Bertiniani ad annum 864 : « Hucbertus, clericus « conjugatus et abbas monasterii S. Martini, « qui S. Mauricii abbatiam et alios honores « Ludovici, imperatoris Italiæ, contra vo« luntatem ipsius tenebat, ab hominibus « ejus occiditur, et Theotberga soror ejus, « abjecta Lotharii, ad fidem Caroli venit; « cui Carolus Avenniacum monasterium do« nat et abbatiam S. Martini Ingeluvino dia« cono palatii sui committit. » Memoratur et in charta Ludovici Transmarini, in qua Martiniensibus dedisse dicitur Caderniacum, Andegavensis pagi villam. De quo plura inter abbates S. Mauricii in Valeria, t. XII, col. 791.

XVII. Ingilwinus, e diacono palatii regii Martiniensis fit abbas anno 864, ad fidem eorumdem Annalium. Hic, anno 865, petit a rege ut hospitium S. Martini juxta Duodecim Pontes Cormaricensibus tradatur monachis. Ex Annalibus Bertinianis illum e præfectura rex dejecit anno 866.

Ch. xxxv, col. 50.

XVIII. Robertus I Fortis, dux Franciæ, a quo Francorum reges oriundi, dicitur quondam Martiniensium abbas in iisdem Annalibus, et in charta de Dociaco communi mensæ canonicorum reddito. Annum 897 hæc charta præbet. Illum memorant quidam cecidisse

Ch. xxxviii col. 55.

A victorem, 25 Julii 866, juxta Briesertam, in prœlio cum Normannis commisso. Has vero chronicas notas refellere videtur ex archivis S. Martini desumptum documentum, et summatim editum ab Antolii barone Chiffletium acriter mordente, in libro cui titulus Verus Childebrandus, Probat., p. 39. In quo sedenim documento legitur, x cal. Martii, anno Caroli Calvi septimo et vicesimo, Christi 867, Robertum abbatem S. Martini, nec non et comitem, bona canonicis quondam data ab Odone Aurelianensi, avunculo suo, confirmasse. Notamus vero quod contracta ab An-

B tolii barone charta non ab alio fuit desumpta ex archivo S. Martini, quod tot tamque studiosi priscæ rei indagatores excusserunt. Unde nobis est valde suspecta. Roberti mortem Annales Metenses ad annum 867 referunt his verbis : « Contra quos « (Normannos) Robertus qui marcham tene« bat et Ramnulfus, dux Aquitaniæ, col« lecta multitudine, aciem dirigunt. Ro« bertus absque galea et lorica accurrens, « cum incautius dimicaret et inimicos inse« queretur, interfectus est in introitu ipsius « ecclesiæ... Ille Robertus nostris tempori-

C « bus fuit quasi alter Machabæus, cujus « prœlia, quæ cum Normannis et Britonibus « gessit, si per omnia scripta fuissent, Ma« chabæi gestis æquiparari potuissent. »

XIX. Hugo I, Conradi, comitis Parisiensis et Antissiodorensis ex Adelaide filius, abbas insuper S. Germani Antissiodorensis, S. Bertini, S. Vedasti Atrebatensis, idem et archiepiscopus Coloniensis, occurrit primum apud Martinienses die 27 Decembris 867, quo concedit ei Carolus rex cellam nomine Capleiam in agro Tornodorensi : Rer. Gallic. Script. t. VIII, p. 607. Ab eodem poposcit opem et

D præsidium, cum villici prædia S. Martini popularentur apud Bituriges et Arvernos, anno 869; ibid., p. 613. Ejusdem ad preces Carolus rex, anno 877, confirmavit commutationem inter canonicos S. Martini Cableiensis peractam et Arnulfum quondam S. Martini Æduensis abbatem; ibid., p. 667. In qua charta plura notanda. Hugo namque, ut abbas S. Martini Turonensis, dicitur et abbas Capleiensis, sive Cableiensis monasterii; et de monasterio Cableiensi, cujus apud Tornodorenses siti jam meminimus, hæc habetur in eadem charta mentio : « Quo corporaliter

E « ejusdem (scilicet S. Martini) venerandosum « corpus quiescit. » Hugoni Ludovicus rex, in ædibus B. Martini paulisper commoratus, anno Christi 878, duodecimo calendas Junii, dat villam Meslaum in agro Camisiacinsi; Rer. Gall. Script., t. IX, p. 403. Cujus præceptum traditionis ipse rex propria manu ponit supra sepulchrum beati Martini. Eodem anno, die 5 Septembris, Ludovicus rex sub Hugonis tutela Capleiam et Miliciacum confirmat a Carolo Calvo jam data, ibid.,

p. 406, et circa calendas Octobris, Hugo dux A
ille et idem abbas canonicis offert prædia
quædam sua in comitatu Meldensi. Commu-
tavit alia prædia, Aprili mense 879, cum
Attone; e Baluz. schedis, arm. 3, fasc. 2, num.
2. Annum ultra 882 nominatur Hugo in Ca-
rolomanni regis præcepto de rebus et juri-
bus S. Martini; Rer. Gallic. Script., t. IX,
p. 427. Decessit ille, sed jam abdicata, ut
videtur, abbatis dignitate, annum circa 887,
ex Annalibus Metensibus, et in æde S. Ger-
mani Parisiensis tumulatus est. De quo
plura præcipue, t. III, col. 641, et t. XII,
col. 372, 374. B

XX. Odo post Hugonem, Roberti Fortis
filius ex Adelaide, Conradi vidua, occurrit
mense Maio 886, in charta Frotharii, Bituri-
censis episcopi, de commutatis bonis inter
S. Martinum Turonensem et S. Julianum
Brivatensem; e schedis Baluzianis, arm. 3,
fasc. 2, num. 2. Idem restituit hoc anno
canonicis villas in Italia sitas et abbatiali
mensæ quondam adscriptas : quarum con-
firmationem, Solarii scilicet, nec non vallis
Camonicæ, obtinuit, 16 Junii 887, a Carolo
rege; Rer. Gallic. Script., t. IX, p. 359. Se-
quenti die, *comes seu abbas* S. Martini legitur C
in præcepto Caroli regis de rata Leuthardi
cujusdam libertate; Marten. Thes. Anecd.,
t. I, col. 50. Eodem anno desinente, saluta-
tus est Odo rex Francorum, postquam,
11 Novembris, Carolum Crassum e solio Gal-
lica gens deturbavit.

XXI. Robertus II, Odonis germanus, dux
Franciæ, Neustriæ, Aquitaniæ et Britanniæ,
memoratur die 10 Octobris 890, probans Ram-
nulfo traditam Dociacum villam, et S. Martino
Ch. xxxvii, col. 53. restituens res cuidam Paterico, contra jus
ab ipso beneficiario more concessas. Hic anno
891, xi cal. Aprilis, sanctæ crucis signo corro- D
boravit sententiam adversus Richertum edi-
tam, qui terras quasdam Martinianas depræ-
datus erat; e Baluz. schedis, arm. 3, fasc. 2,
num. 2. Anno 893, mense Junio, quam plu-
rimas res accepit a milite quodam Radoino et
ejus genitrice Acharana in villula Genclia-
censi, prope Turones; apud *Housseau*, t. I.
Anno sequente, a Berengario, rege Longo-
bardorum, propinquo suo, restitutionem ob-
tinuit rerum omnium, quæ quondam a Carolo
Magno Martiniensibus in Italiæ partibus con-
cessæ, in cujuslibet invasoris possessionem
dudum abierant. Cujus non silentio præter- E
mittenda est manusfirma, data Augusto mense
894, qua Odalrico, scholæ Martinianæ magis-
tro, beneficium in villis Catiniaco et Puteo
Mundato, muneris scholastici præmium, con-
cedit; ibidem. Legitur enim in ea charta, a
tempore Caroli Calvi et etiam antea, hocce
beneficium scholasticis S. Martini, scilicet Mi-
loni, Guichardo et Ermangario, sine ulla
intermissione fuisse delegatum. Quo eo-
dem anno, xi cal. Junii, petitioni Martiniani
gregis annuens, jusserat cellæ S. Clementis
reddi bona beneficiario jure laicis Odonis an-
tecessoris mandato concessa. Anno 897, Pas-
chæ solemnem celebravit diem in ecclesia
S. Martini, canonicis restituens Dociacum
villam e communi mensa jam diu distractam.
Cujus rei testimonium præbet charta, in qua
legitur S. Martinum tunc temporis ad suam
basilicam rediisse. Hæc sunt subscriptionis
verba : « Data est hæc restaurationis auc- Ch. xxxvii, col. 54.
« toritas vi Kal. Aprilis,[1] in die sanctissimo
« Paschæ, Turonis, coram corpus beatis-
« simi. » Accepit, anno 897, a germanis Her-
berno archiepiscopo Turonensi et Adalardo
S. Martini episcopo, prædia quædam sita in
agro Dunensi, et, anno sequente, a Carolo
rege, villam a Normannis vastatam et ab om-
nibus relictam, nomine Magniacum; *Hous-
seau*, t. I. Anno præterea 899, a Gualtero,
vasallo, quædam circa Gaudiacum, in agro
Pictaviensi; e Baluz. schedis, arm. 3, fasc.
2, num. 2. Restauravit, anno 900, cellulam
S. Clementis, cui jam plura restitui jusserat
deperdita, ad hospitandos peregrinos et
pauperes; *Housseau*, t. I. Cujus restauratio-
nis charta, satis ampla et quam maxime piis
ornata sententiis, nos iterum docet illam pau-
perum in ædibus S. Martini receptionem Odo-
nis tempore, ipsius negligentia, excidisse.
Quo eodem anno dona Guidonis et uxoris
Immæ non minima gratus excepit; in codice
Baluzii supra laudato. Anno 904, concessa
Martiniensibus canonicis a Roberto, nec non
a rege, collatio præbendarum. Hujus conces-
sionis charta legitur apud Monsnerium,
p. 171. Anno 907, confirmationem privile-
giorum a rege obtinuit. Roberto poscente,
Carolus Simplex, a qualibet humana potesta-
te liberum fecit castrum quod circa cœnobium
S. Martini, ad novos Normannorum ictus
propulsandos, ædificatum fuerat. Rollonem
Robertus e sacro fonte suscepit, anno 912,
ex Orderico Vitali. Hunc, anno 914, adibant
Gumbertus miles et uxor Bertaidis, offeren-
tes, more precario, S. Martini canonicis res
plurimas e suo patrimonio divulsas : quorum
annuens petitioni, res illas et quasdam in-
super eisdem sub census ratione Robertus
tradebat. Anno 920, Carolus Simplex amplis-
sima charta rursus ratum habuit quidquid
ipse vel antecessores sui S. Martino concesse- Ch. xxxix, col. 55.
rant; in quo memoratur privilegio liberum
jus cudendæ monetæ. Franci Robertum di-
xerunt regem die 29 Junii 922.

XXII. Hugo II, Roberti filius, quem Hu-
gonem Magnum vocitant. Ille quidem recens
abbas, anno 922, muneris initia commenda-
vit, Martiniensibus prædia quædam sua lar-
giens in agro Meldensi. Nominatur, anno 923, Ch. xl, col. 60.
in charta de prædiis nonnullis Gerardo tra-
ditis, abbati Bronii. Illum, anno 926, adi-
bant canonici, petentes ut sibi restituerentur
prædia tam Curciaci, quam Antoniaci po-

sita, et ab avidis militibus direpta. Anno 927, si domno *Bouquet* fides est, integram a rege Radulfo confirmationem obtinuit privilegiorum jam antea concessorum. Videmus et eumdem, anno 930, amplam notitiam de quibuscumque S. Martini rebus dictantem, et a Leone papa litteras accipientem, quibus vetitum ne mulieribus in cœnobium S. Martini detur aditus : mox, VII cal. Aprilis 931, res alias fratribus tradentem, nempe Castellionum in agro Bituricensi, in Turonico Martiniacum, et, aliquanto post, confirmatas immunitates impetrantem a rege pro castro nuper circa cœnobium ædificato. Abbas idem dicitur S. Martini et Majoris Monasterii, in præcepto Radulfi regis sua sub protectione suscipientis sodalibus canonicis adscriptas ædes Majoris Monasterii, die 7 Octobris 932. Præfecturam ipse tenuit S. Germani Autissiodorensis, S. Germani a Pratis, et S. Dionysii. Commutavit, anno 937, terras quasdam cum Attone vice-comite; in cujus commutationis charta legitur hunc Attonem nuper castrum Prulliacense in vicaria Abiliacensi contruxisse. Anno 938, v cal. Novembris, ad hujus precem Ludovicus Transmarinus possessiones juraque monasterii confirmavit. Ad Hugonem Parisiis degentem venerunt, anno 941, a fratribus missi Nefingus decanus, Gunthelmus archiclavis, Rainaldus, Gualterius et Ernulfus, canonici, iterum expostulantes uti bona quam plurima neglecta aut deperdita monasterio S. Martini, sine ullo detrimento, restituerentur. Quorum petitioni, accitis in concilium qui tunc Parisiis aderant episcopis nec non primoribus regni, ille libens annuit, chartaque nova voluntatem declaravit suam, VII idus Januarii. Occurrit Hugo, rursus Majoris Monasterii dictus rector, Aprili mense 947, sub institutione census terram Adalulfo tradens, ad precem Haymonis. Subscripsit, anno 954, chartæ Ingelbaldi, S. Joannis abbatis, ad censum concedentis prædium in suburbio castelli S. Martini situm. Obiit anno 956, et sepultus est in basilica S. Dionysii juxta Parisios. Hunc supra quære inter abbates S. Germani Pratensis, S. Germani Autissiodorensis et S. Dionysii.

Mansi, Concilia, t. XVIII, p. 375.

XXIII. Hugo III, Franciæ dux, mox ipse ad summum regni culmen processurus, cœnobium S. Martini circa annum 956 suscipiebat administrandum. Hujus memoratur charta qua concessit, anno 969, Otberto presbytero vineam quamdam ad hospitium Majoris Monasterii sitam. Creatus rex anno 987, abbatis nomen retinuit, et cæteris Francorum regum titulis in perpetuum adjunxit. Spondebat ille, hoc anno 987, se defensorem futurum omnium S. Martini bonorum : quæ curanda peculiariter tradebat decano nec non thesaurario capituli.

Non post Hugonem Capetum series abbatum Martiniensium recensenda. Ab eo sedenim tempore Francorum reges, ad Hugonis exemplar, abbates S. Martini dici voluere : abbatiale vero munus, rerum civilium curis impediti, penitus neglexere. Nunc decanorum mentio fiat.

SERIES DECANORUM S. MARTINI.

I. Frandarius, anno 644, e Pancarta Nigra S. Martini; cujus meminit dom. *Housseau*, in indice decanorum a Rad. *Monsnier* omissorum. Fraudarius occurrit alter anno 794, cum S. Leone abbate, in fictitio Caroli Magni diplomate, quo memoratur ab eo rege restauratum Athanum, apud Hispanos. De utroque Fraudario æque ambigimus.

Mendose post Fraudarium ponunt Sammarthani Harduinum, quem Ludovici Pii tempore vixisse opinantur. Coævus ille fuit Harduinus Ludovici Transmarini.

II. Siuvaldus, Augusto mense 841, subscripsit Adalardi chartæ de scholis S. Martini. Idem est qui, cum Viviano abbate, occurrit in carminibus a Baluzio e codice olim Colbertino decerptis. Depingitur nempe Vivianus offerens Biblia Carolo regi, et infra legitur :

Ch. XVII, col. 29

Hæc etiam pictura recludit qualiter heros
  Offert Vivianus cum grege nunc hoc opus.
Ante ubi post patrem primites mundus, amandus
  Sigualdus, justus, summus Aregarius,
Quis tribus est probitas, pietas, verumque fidesque,
  Cætera honesta quoque consociata simul.

III. Amalricus decanus, forsitan S. Martini, anno 846, in charta Viviani comitis de ecclesia S. Mariæ restauranda.

IV. Guichardus occurrit Hugonis abbatis tempore, mense Januario 879, vel 881, anno scilicet secundo Ludovici regis, cum relinquatur incertum an secundus vel tertius ejusdem nominis rex memoretur. Agebat tunc temporis Guichardus ante delectos judices Guillelmum quemdam de villis scholæ Martinianæ litigantem. Idem Guichardus, anno 880, mense Decembri, nominatur in charta Garibaldi Curtem Odonis S. Martino largientis.

Heldifridus decanus legitur subscribens, anno 886, peractæ commutationi inter Odonem abbatem et Froterium Bituricensem archiepiscopum. Fuit-ne decanus S. Martini Turonensis aut Bituricensis ecclesiæ? Animadverte quod deest hic Heldifridus in decanorum Bituricensium serie ab antecessoribus nostris digesta.

V. Fulchradus, die 10 Octobris 890, innotescit e charta qua precario more tribuit Ramnulfo, nec non Ebolo, Ramnulfi nato, Dociacum villam, in pago Pictaviensi.

VI. Gausvinus, anno Odonis tertio, XII cal. Aprilis, Christi videlicet 891, Richertum vocavit ante judices villæ cujusdam Martinianæ deprædatorem. Idem, anno 894, subscrip-

sit chartæ Roberti abbatis de prædiis Odalrico concessis. Idem occurrit, anno 895, in charta Fulradi rem quamdam suam S. Martino tradentis. Quam quidem edidit chartam primus D. *Champollion-Figeac*, inter Documenta e Mss. codicibus Biblioth. Regiæ desumpta, t. I, p. 475. Anno 899, subscripsit chartæ Roberti quædam juxta villam Gandiacum accipientem, et, anno 900, ejusdem chartæ de rebus a Guidone traditis. Anno 903, x cal. Martii, notitiam edidit de pacto cum Guichardo diacono, Guichardi quondam decani nepote. Dicitur idem Gausvinus nuper gregis S. Martini sacerdos et decanus, anno 905, in charta qua ipsius demortui bona canonicis traduntur.

VII. Beliacus, anno 900, e Monsnerio.

VIII. Adalelmus, anno 908, in charta de libertate S. Martini, quam edidere Sammarthani, t. I, p. 744.

IX. Theotolo, anno 910, notum fecit duas areas Guidoni concessas fuisse ad moletrinas exstruendas. Occurrit in actis annorum 914, 915, 920. Quæ summatim tantummodo referenda. Prodiit autem anno regis Radulfi primo, Christi 923, Waltarii documentum archiclavis, cui Theotolo subscripsit, et cui parumper immorabimur. In eo sedenim Gerardus abbas Bronii, juxta Namurcum, reliquias S. Martini deposcit et impetrat, nec non quinque villas de rebus S. Martini sitas ad Bronium : unde patet hoc anno 923 jam conditum esse Bronii monasterium; de quo licebat hactenus ambigere. De Theotolone non silent tabulæ anni 924. Anno 926, misit legatos ad comitem Ebolum, petens ut Martiniensibus restituerentur nonnulla prædia tam Curciaci quam Antoniaci sita, et illi notitiam locorum exhibentes in ea causa vicerunt. Idem nominatur in chartis anni 927, mox ad Turonensem cathedram promovendus.

Ch. xl, col. 60.

X. Bernerius, anno 929, reperitur in Hugonis præcepto villam Medonnam canonicis restitui curantis; inter Baluzii schedas, arm. 3, fasc. 2, n. 2, pag. 139. Idem, anno 934, xvii cal. Maii, Immæ, Roberti regis filiæ, sub census institutione tradebat villam, Montem nomine, in Melidunensi pago.

XI. Nefingus, anno 940, in charta qua Martinienses San-Julianeis in ecclesia sua præbendam unam concessere; e schedis domni *Housseau*, et e Chronico Petri, filii Bechini. Idem, vii idus Januarii 841, memoratur in Hugonis abbatis præcepto de restitutis S. Martino villis. Occurrit præterea Nefingus, anno 943, in charta Theotolonis ab avunculis suis ipsi tradita nonnulla largientis S. Martino, et, anno 947, subscribens ejusdem Theotolonis instrumento mensuram rerum S. Juliani describentis.

XII. Harduinus plura commutavit cum Rohodo et Gansberto. Ille post Nefingum, teste A Monsnerio, locandus, sub ann. octavum decimum Ludovici Transmarini, Christi scilicet 953. Subscripsit anno 954, Lotharii primo, chartæ infra laudatæ Ingelbaldi, S. Joannis abbatis. Occurrit usque ad nonas Martii 957. Harduinus alter, aut idem, eodem tempore S. Mauricii decanus.

XIII. Rotgarius, anno 965, in charta de libertate Villelupæ. Ch. xli, col. 62.

XIV. Rainaldus, x cal. Maii 966, jussit ad precem Viviani sacerdotis stationem fieri quotannis in oratorio sub S. Georgii nomine B consecrato.

Odalgerius occurrit post Rotgarium apud Sammarthanos, qui Rainaldum ignoravere. Odalgerius ille narratur ab eis, Ludovici regis V et Hervæi archiclavis tempore, Pictavorum episcopo concedens unam præbendam et in claustro mansionem. Hervæus autem thesaurariam adeptus est, testibus ipsis Sammarthanis, post alium Rainaldum, qui nominatur in infra memorato Hugonis diplomate. Ille igitur Hervæus, archiclavis nomen gerens, nulli subscripsit chartæ sub Ludovico rege. Verius antecessores nostri C dixere præbendam Martinianam ab Hervæo et Odalgerio concessam Isamberto Pictavorum episcopo, qui sedit ab anno circiter 1021 ad annum forsitan 1047. Vide Gall. Christ., t. II, col. 1163. De Odalgerio decano, Hervæi archiclavis coævo, infra mentio fiet.

XV. Archembaldus, anno circiter 988, in Hugonis regis charta de confirmatione privilegiorum S. Martini; e Monsnerio, p. 191. De quo forsitan martyrologium S. Martini a Baluzio compilatum : « v cal. Julii. Sic interfecti fuerunt Archembaldus levita atque « decanus et Ingelgerius subdiaconus. »

D XVI. Otho, vel Odo I, iii cal. Octobris 996, a Gregorio papa V bullam obtinuit qua rata quæcumque jura jam Martiniensibus concessa. Acriter cum Archembaldo archipræsule de capituli juribus litigavit. Dimissam accepit, xiv cal. Aprilis 1001, secundum hodiernum usum, consuetudinem quamdam a Sulpitio, Lugogali præposito. Odo, anno 1004, subscripsit chartæ Guillelmi Pictaviensium ducis, Britanniolam monachis Burguliensibus condonantis; apud *Besly*, Hist. Comit. Pict., p. 353. Hunc autem Odonem ab Othone distinxere Sammarthani, sed per-E peram, ut videtur.

XVII. Odolgerius, Odulgerius, sive, contractione nominis, Ulgerius, occurrit, anno 1007, in Roberti regis diplomate, quo firmatur fundatio parthenonis Bellimontani. Testis idem in charta Geoffridi comitis et Agnetis uxoris, condonantium monasterio Nucariensi terram et aquam ad aggerem exstruendum. Ad illum exstat epistola Richardi, S. Medardi abbatis, quam Monsnerius edidit; Hist. S. Mart. Tur., p. 205. In tabulis reperitur ad annum usque 1021. Ulgerius ille

Ch. xliii, col. 64.

fuit conjugatus et plures habuit liberos. Archembaldus, semet ipse profitens filium Ulgerii decani, subscripsit chartæ Geoffridi comitis pro Majore Monasterio litigante cum Joanne de Monte Basonis. Legitur et in schedis domni *Housseau* Ulgerius *filius Ulgerii decani,* annum circa 1060, calumniam dimittens ab ipso motam contra Majoris Monasterii monachos de consuetudinibus Loratorii. Denique Gaufredus, *filius Ulgerii decani quondam S. Martini,* cum fratre suo Sulpicio tradebat Majoretanis, anno 1067, quidquid sibi vindicaverat ea tenus juxta Loratorium.

XVIII. Bovo ab anno 1021 ad annum 1035. Occurrit testis in charta Odolrici, Aurelianensis episcopi, de Urso Villari; supra t. VIII, Instr, col. 491.

XIX. Josbertus, cujus feralem diem adscribit martyrologium sexto idus Novembris. Decanatum tenuisse dicitur per septem et viginti annos, sed erronea, ut videtur, conjectura; nam

XX. Geoffridus I, S. Martini Turonensis decanus occurrit, XVIII cal. Septembris 1052, in Henrici regis præcepto de Salacone manumisso. Ch. II, col. 71.

XXI. Radulfus I e pluribus chartis innotescit, tempore Berengarii, scholæ Martinianæ magistri. Quem Monsnerius non alium opinatur a Radulfo postmodum archiepiscopo. Huic vero non licet assentire, cum ex authenticis prodeat chartis Radulfum archiepiscopum e S. Mauricii decano fuisse. Advertendum insuper quod Radulfus ille Martiniensis sedit circa annum 1067, in Turonensi quodam conventu cujus chartularium Majoris Monasterii meminit, una cum Geoffrido S. Mauricii decano : Rer. Gallic. Script., t. XIV, p. 152. Cum autem Geoffridus S. Mauricii decanatum ante Radulfum Langesium tenuerit, alter ab altero Radulfo sic plane distinguitur.

XXII. Geoffridus II dicitur ab anno 1072 S. Martini decanus. Anno 1086, ad precem Geoffridi, Vindocinensium comitis, Hieremiæ canonico domos lapideas in claustro surgentes concessit, ea ratione ut post hujus Hieremiæ decessum S. Martino restituerentur; e Baluziano codice sæpe laudato.

XXIII. Petrus I de Duaco, sive de Doado, gallice *de Doué,* ab anno 1086. Anno 1091, in solemni Paschæ die, subscripsit instrumento quod fecit Hugo, Longobardiæ marchio, canonicis S. Martini restituens terram Solariam, apud Longobardos; *Housseau,* t. III. Societatem iniit, anno 1092, cum canonicis S. Martini Plenipedensis, et, eodem, documentum edidit de condito S. Cosmæ monasterio. Testis idem, 6 Julii 1093, in charta pacis inter S. Florentii et S. Nicolai monachos super ecclesia Cantociacensi. Occurrit præterea, anno 1096, in bulla de Cormaricensibus S. Martino subditis. Profertur hujus charta canonicis S. Cosmæ tradentis, anno 1101, ecclesiam S. Perpetui Solariensis, apud Longobardos; in codice Baluzii sæpe laudato. Decessisse creditur XII cal. Augusti 1112. De quo sic martyrologium : « Anniversarium Petri de Doado, de« cani B. Martini, debet fieri de tota pen« sione domus quam dedit B. Martino, in « qua modo manet. » Vitam autem illius ad annum 1112 ducentes in manifestum delapsi sunt errorem, ut infra patebit.

XXIV. Odo II Petro successit, avunculus Hamelini, Cenomanensis episcopi. Ille, assumpta vixdum decania, Heliam, Cenomanorum comitem, fortiter insecutus est privilegiis canonicorum insidiantem. Quorum jus ipse tandem agnovit comes et semet inique facti reum, præsentibus Radulfo Turonorum archiepiscopo, Hildeberto episcopo, nec non Geoffrido, Cenomanensi decano (1). Ch. IX, col. 80. Cum vero Geoffridus ille, Cenomanensis decanus, Rotomagensem cathedram conscenderit anno 1111, certum est Odonem Petro suffectum fuisse ante annum 1112. In tabulis dein Odo reperitur, anno scilicet 1114, abbati Nucariensium Gaudino confirmans ecclesiam *de Paizay*. Anno 1115, amicitiæ fœdus novavit cum Majoretanis. Illo decanante, Ludovicus VI, anno 1118, sua sub tutela posuit prioratum SS. Cosmæ et Damiani, et, anno 1119, S. Martino dedit ecclesiam S. Petri Puellaris, vicum adjacentem, capellamque S. Michaelis. Quem inter et Radulfum, abbatem S. Jovini, controversiam de jure patronatus in ecclesia Dociacensi tandem diremit, anno 1128, Gerardus, Engolismensis episcopus, nec non legatus sedis apostolicæ. Anno 1143, a Ludovico rege suscepit confirmationem ecclesiæ S. Petri Puellaris. In quas eo tempore devenerit ærumnas non plane compertum habemus. Attamen e litteris Ulgerii Andegavensis ad Lucium papam II, qui sedere cœpit anno 1144 et anno 1145 ineunte desinit, Odonem constat Romam profectum ut a supremo judice veniam quamdam impetraret. Scribit enim ad Lucium Ulgerius : *Caris-*

(1) Aliud in Odonis charta nomen legitur, de quo silere non licet. Post Geoffridum enim, Cenomanensem decanum, inter cæteros testes occurrit Roscelinus de Compendio, vir famosus in Galliis et vel ultra mare Gallicum ea tenus inaudito sermone de rebus profanis sacrisve, nec non valde procellosa vita. Hujusce doctoris indaganter vestigia pressimus initia quicumque scholasticæ philosophiæ describere sumus conati, et jam novimus illum apud Anglos exulem post annum 1093, ex Anglia, non multis elapsis annis, in Galliam rediisse. Nec deerat quidem testis unus, at vero testis sublestæ fidei, Petrus scilicet Abælardus, Roscelino plusquam peripateticum decebat infensus, a quo docebamur ex Anglia reducem apud canonicos S. Martini aliquantisper permansisse. Hæc sunt Abælardi verba : « Et in ipsa, cujus « pudore canonicus dicitur, B. Martini ecclesia, nunquam, « ut aiunt, a canonicis verberatus, morem solitum servave« rit. » Nunc vero, ex Odonis charta, certissima Roscelini inter Martinienses commoratio. Annum igitur ante 1111 Castellum Lidi cum canonicis deveniens Roscelinus Heliam audivit comitem S. Martini jus confitentem.

simus pedes sacrosanctæ majestatis vestræ precibus et supplicatione postulare præsumimus, quatenus venerabilem decanum B. Martini dominum Odonem, virum egregium, cum ad vestram venerit præsentiam, pro vestræ benignitatis misericordia dulciter et mansuete suscipiatis, et ejus graves molestias in lætitiam convertatis... Testamur quod cum ad modo dictam ecclesiam venissemus, et capitulum, qui tunc frequentissimum residebat, fuissemus ingressi, nullum in fratribus illis intelleximus qui in superius nominatum decanum clamaret, vel ei in aliquo derogaret; sed potius ei plurimum ob ejusmodi increpationem vestram condolebant... Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 420. Hæc Ulgerii verba annotare non valemus. In martyrologio legitur : « iv cal. Augusti. Anniversarium Odonis debet fieri de xxx solidis, quos Hamelinus, episcopus Cenomanensis, nepos ejus, præcepit et statuit ad hoc capi de domibus suis Turoni, et de vineis et teneuris juxta Turonum sitis. »

XXV. Philippus I, Ludovici Crassi filius, frater Ludovici VII. Uxorem primum duxerat; qua relicta, Cisterciensem induerat habitum. Illum quando Parisienses canonici exoptaverunt episcopum, maluit dici S. Martini decanus. Occurrit in tabulis anni 1155. Obiit anno 1161, pridie nonas Septembris, e necrologio Parisiensis ecclesiæ. Cujus anniversarium apud Martinienses celebratum iv nonas ejusdem mensis.

XXVI. Bartholomæus concessit, anno 1163, domos et ecclesiam Gressum dictam eremitis hunc in locum devenientibus, et, eodem anno, sub census conditione, viculum Charentelliacum Gosberto puero, concanonico, filio Hugonis de S. Maura. Extant Bartholomæi plures ad Ludovicum regem, anno circiter 1164 directæ litteræ, in quibus acerbe queritur de civibus Castri Novi jus Martiniensium detrectantibus; quas legere licet apud Rer. Gallic. Script., t. XVI, p. 95 et seq., ubi Bricio cuidam, quem non aliunde novimus, perperam adscribuntur. Ad Ludovicum regem præterea scripsit Bartholomæus, idem, ut videtur, circa tempus, cum inter ipsum et S. Martini thesaurarium exorta esset non levis controversia de Cableiensi præpositura; Rerum Gallic. Script., t. XVI, p. 99 et seq. Hunc rex sibi fidum expertus ejus utebatur monitis, vel in maximis regni rebus. Sic anno, ut opinantur, 1167, ad eum quosdam legatos mittebat, anxius de consiliis Henrici II, et a Bartholomæo petens quid Anglus circa Pictaviensem agrum molietur; ibid. p. 141. Martenii prodiit curis, Anecd. t. I, p. 555, Bartholomæi charta, anno 1171 data, qua fratribus Charitatis supra Ligerim adscribit ecclesiam S. Michaelis de Guierchia. Dives erat Bartholomæi domum, et exiguum a monachis censum de-

A poscebat. Unde, tanti se gratum beneficii testatus Charitatensis conventus, canonicos protinus in societatem precum admisit. Confirmavit, eodem anno, Alexander papa III concordiam inter illum et comitem Stephanum de consuetudinibus Liriaci; in sched. Baluz., arm. 3, fasc. 2, n. 3. Occurrit, ann. 1172, in instrumento litis diremptæ cum Roberto de Sablolio de nemoribus sitis in parochia Priscingiacensi. Idem, anno 1174, unus e judicibus in causa Sulpicii Cormaricensis adversus Bartholomæum archipræsulem. Decanus simul erat et magister scho- B larum. Anniversarium ejus, e martyrologio, celebratum iii cal. Septembris.

XXVII. Philippus II, ab anno 1176, nepos Odonis decani de quo supra, germanusque Hamelini, Cenomanensis episcopi. Illius ad petitionem, hoc anno, Ludovicus rex villam Albigniacum, ad Martinienses pertinentem, sua sub protectione suscepit, e Baluz. schedis, arm. 3, fasc. 2. num. 3, et ipse documentum edidit de quam plurimis reditibus a civibus Castri Novi S. Martino concessis; ibidem. Multas, annum circa 1180, movit lites adversus incolas Castri Novi qui, C conjuratione peracta, rerum publicarum liberam administrationem, sub nomine *communiæ*, constituerant. Causa diu fuit ventilata : hi tandem, paparum regumque sententiis damnati sunt, et, populo contra ipsos concitato, ad extremum rebellionem abjuraverunt. (Ch. LXVII, col. 186.) Edidit Philippus, anno 1184, notitiam super ecclesia S. Sulpicii de Castro Novo, S. Florentio Salmuriensi a Guillelmo præcentore S. Martini tradita. Anno sequente, corpus S. Briccii transferebat, adstante Guillelmo, Pictavorum episcopo, in capsam argenteam a Framundo canonico D fabricatam, et, Januario mense, pactum inibat cum Mainerio, Salmuriensium abbate, de jure patronatus in prædicta Castri Novi ecclesia; quo eodem anno novabat societatis fœdus cum canonicis B. Aredii, in episcopatu Lemovicensi. Anno 1186, memoratur in charta de terra quadam ad Ulmum Roberti Mainerio, Salmuriensium abbati, a canonicis B. Venantii data. Instituit, anno 1190, in ecclesia S. Martini processionem singulis diebus Dominicis celebrandam; e cod. Baluziano, ut supra. De quo legitur in martyrologio : « xv cal. Augusti, anniversa- E rium Philippi, decani B. Martini et sacerdotis, debet fieri de xxx solidis sumendis super universum patrimonium suum, tam in domibus quam in vineis in pago Turonico constitutis. »

XXVIII. Anselmus, sive Ancelinus, ab anno 1192, Philippo regi acceptissimus. Cum ab eo Richardus, rex Angliæ, Turonibus captis, sacramentum fidelitatis quæreret, anno 1194, jubenti negavit obsequium Anselmus. Quapropter, quasi rebel-

lionis reus, actus est in exilium. Secessit tunc ad Philippum, Francorum regem, qui plures ei provincias, vel maximas, demandavit. Sic, feria sexta post festum S. Barnabæ 1194, Vallem Rodolii deveniebat, ut qui pro suo rege staret in colloquio de induciis cum Anglo pangendis, et, 23 Julii, instrumentum edebat quo istæ denuntiabantur induciæ; Rer. Gall. Script., t. XVII, p. 569, 570. Hunc præterea mittebat prædictus rex, anno 1195, ad Rotomagensem episcopum, ut ad eum pacis verba ferret; e Radulfo de Diceto, ibid., p. 652. Eodem anno, Octobri mense, pactus est cum Isambardo, abbate S. Mauri Fossatensis, super terra cultui tradenda in qua surgebat nemus *Rooni*; supra, t. VII, col. 295.

XXIX. Theobaldus de Pertico, filius Geoffridi comitis, anno 1197 societatem init cum canonicis S. Cosmæ et renovat, anno 1200, cum canonicis B. Martini Leodiensis. Petierant canonici Leodienses aliquid e S. Martino reliquum : petitum vero Turonenses negant, dicentes *nihil unquam de corpore* beatissimi viri *excerptum* fuisse. Quod notatu dignum visum est, cum plures ecclesiæ reliquias ostenderent S. Martini, sibi, ut aiebant, tertium decimum ante sæculum datas. Illum inter et canonicos Martinienses contentio vertebatur, ann. 1203, de quibusdam capituli reditibus. Inter se pacem fecerunt, ubi spopondit Theobaldus se Romam iturum, et expensis suis operam daturum ut quiescerent animi summi Pontificis in canonicos non leviter moti. Ab eis ille iratos averterat oculos, cum interdictionis sententiam, in terras Francorum regi subjectas latam, ægre suscepisse et non ab initio quidem observavisse dicerentur. Prohibuit Theobaldus, anno 1206, ne duæ darentur eidem præposituræ. Eodem anno, mense Julio, de custodia sigilli pactum egit; e schedis *de Gaignières*, sub numero 240. Statuit, anno 1207, de dono morientis Willelmi, canonici, et, anno 1209, notam fecit pacem initam cum Roberto de Brena. Perperam ille dictus est decanus Turonensis tam a Sammarthanis quam ab antecessoribus nostris, t. XI, col. 692.

XXX. Odo III Clementis, patruus Jacquelini de Malliaco, anno 1211 parochiam Bellimontis, de qua lis erat, dimisit archiepiscopo Turonensi. Nominatur pluribus in chartis annorum 1212 et 1213. Litigans cum Drocone de Melloto, Locharum domino, de consuetudinibus quas ille miles sibi vindicabat in terra Ligoliensi, præceptum impetrat a Philippo rege quo contentio dirempta, anno 1215. Philippus rex thesaurarium dixerat S. Martini Petrum Carlottum, filium suum nothum : cui muneris aditum Odo strenue negavit, donec ei summus Pontifex adoptionis gratiam fecisset. Odonis nomen in tabulis reperitur usque ad mensem Augustum 1216. Decessit hoc anno 1216 desinente. Plane igitur distinguendus ab Odone Clementis altero, qui monachis S. Dionysii in Francia præfuit ab anno 1229, et ab anno 1245 sedit in Rotomagensi cathedra.

XXXI. Nicolaus I de Roya, nepos Bartholomæi, Franciæ camerarii, non semel occurrit in tabulis anni 1217. Ille enim, hoc anno, in bona Cormaricensium manus injecit, cum debitum detrectarent obsequium, et agnovit præpositos Chableiensem et Leriacensem canonicos esse in ecclesiis eisdem demandatis. Illo decanante, anno 1219, Stephanus de Montibus, canonicus, concessit in perpetuum centum solidos annui census, ad processionem solenniter celebrandam, cum capis sericis, in feria die S. Martini æstivalis. Statutum edidit, anno 1220, de hebdomadariis presbyteris, et, anno 1222, de vacantibus præbendis, postquam decreverat capitulum præbendas personales non plus quam quinquaginta fore. Electus fuit Noviomensis episcopus anno 1228. De cujus morientis die plurima proferuntur testimonia quæ non parum inter se discordant. Legantur in tom. IX Gall. Christ., col. 1009. E necrologio S. Martini desumpsit domnus Monsnerius : « XVI « cal. Maii (1), anniversarium Nicolai, No- « viomensis episcopi, prius decani hujus ec- « clesiæ. Promotus enim anno 1228, et factus « episcopus Noviomensis, S. Martini memo- « riam nulla unquam delevit ejus oblivio. « Fundavit enim in ecclesia Noviomensi fes- « tum S. Martini hiemalis, anno scilicet « 1233, in ejus honorem et reverentiam, « transactisque in episcopatu annis fere duo- « decim, excessit e vivis anno Christi 1240. »

XXXII. Albericus *Cornut*, canonicus Parisiensis, frater Gualterii Senonensis archiepiscopi, ab anno 1229. Anno 1230, incolis Castri Novi spondet se juribus et libertatibus eorum firmiter adhæsurum. Memoratur componens cum Theobaldo comite, Decembri mense 1230; supra, t. VII, col. 204. Anno 1233, in vigilia Paschæ, notitiam edidit de pacto quodam inter capitulum Turonense et Andream de Calvigniaco, et, mense Maio 1234, composuit litem inter thesaurarium Martiniensem et Petrum de Castello super consuetudinibus Dompnæ Mariæ contendentes. Eodem anno, litteras a Ludovico rege impetravit quibus sopita lis inter ipsum et Matthæum Alberti, civem Turonensem. Evectus fuit, anno 1236, Albericus in cathedram Carnotensem. De quo plura in Carnotensibus episcopis, t. VIII, col. 1159. Anniversarium ejus a Martiniensibus celebratum XIV cal. Septembris.

XXXIII. Joannes I de Curia, sive, ut alias

(1) Legit Baluzius XVI cal. Martii. Consule schedas Baluzii; arm. 3, fasc. 2, num. 3, pag. 432.

legitur, *d'Aubergenville*, jam occurrit in tabulis anno 1236, ante festum S. Matthiæ, statuens ut canonici matutinis intersint. Cancellarius idem fuit Ludovici regis. Andream de S. Georgio procuratorem instituit ecclesiæ S. Martini in Italia, Septembri mense 1239. Celebrandum edixit, anno 1240, anniversarium Radulfi, Engolismensis episcopi, qui S. Martini granicarius de canonicis erat optime meritus. Servantur Innocentii papæ IV litteræ, datæ die 24 Februarii 1244, quibus prædictus papa Joannem confirmat electum Ebroicensem episcopum. Decessit anno 1256 in episcopali cathedra. De quo consule episcopos Ebroicenses, t. XI, col. 586. Perperam in Annalibus Uticensibus dicitur Turonensis decanus.

XXXIV. Archembaldus, antea thesaurarius S. Martini, decanus occurrit anno 1245.

XXXV. Guido I de Nealpha, xv cal. Junii 1249, litteras ab Innocentio papa VI accepit, declarantes provide factum a capitulo decretum de reditibus præcentoriæ et succentoriarum. Idem, mense Novembri 1251, edixit quomodo de septennio in septennium canonici Turonensis cœnobii Leodienses visitare deberent. Institutionem succentoriæ in ecclesia Leriacensi probavit anno 1253, ut compertum habemus ex ipsius instrumento quod Monsuerius servavit. Dicitur Guido magister curiæ regis ejusdemque consiliarius, in charta Ludovici regis eximentis, anno 1255, jure quodam homines Villelupensis monasterii. Concordiam fecit, mense Julio 1260, cum abbate Majoris Monasterii super quodam nemore. Anno 1261, aderat Parlamento Purificationis B. Mariæ, apud Joannem Tilium, in Collect. de Regibus Franciæ. Emit, mense Decembri 1262, ab Eschivardo, Prulliacensi domino, præbendam quæ dicebatur Præbenda Propugnatoris. Testis, Januario mense 1265, in charta de decima Podii Achardi monialibus Belli Montis tradita. Protulit, anno 1268, una cum Vincentio archipræsule, præclarum instrumentum dé jurisdictione Martiniensis scholastici. Die Sabbati ante Epiphaniam 1269, arbiter electus cum Guillelmo de Nova Villa, Carnotensi canonico, litem diremit inter abbatem Pontislevii et Joannem de Ambasia. Eodem anno, mense Martio, secundum hodiernum computum 1270, cum transmarinum iter aggrederetur, capitulo S. Martini tradidit pratum dictum *Vacheriau*.

Radulfus *de Grosparmi*, qui postea fuit Ebroicensis episcopus, recensetur ab antecessoribus nostris, annum circa 1258, inter decanos S. Martini Turonensis. Quos errasse palam est.

XXXVI. Petrus II Cabilonensis, gallice *Challon*, stirpe nobili natus, cancellarius regis Philippi, decanus ab anno 1270 : in pluribus enim chartis occurrit hoc anno datis.

A Idem, anno 1274, præceptum edidit de matutinis a canonicis frequentandis. Pepigit, Octobri mense 1276, cum Geoffrido, Montis Basonis domino, super nemore Brusseneio. Non parva tunc temporis canonici S. Cosmæ damna patiebantur, cum, excusso disciplinæ jugo, priores locorum ad hanc domum pertinentium sibi commissa, quasi propria, pro suo arbitrio bona traderent. Hanc compescuit licentiam Petrus, juris oblitos priores ad jus compellens, anno 1279. Alençonii comitis testamentum exsecuturus dicebatur anno 1282. Adstitit Parlamento Omnium B Sanctorum, anno 1283, quo Pictaviensis comitatus Philippo III, Francorum regi, adscriptus est; ut supra legere est, t. VI, col. 81. Occurrit, anno 1287, ex Indice Thesauri Chartarum, quosdam reditus emptione comparans a Joanna *de Monbaudier*. Anno 1290, e numero vivorum dejectus est : quo anno, die lunæ post festum B. Martini æstivalis, pactus erat cum cœnobii thesaurario de domo juxta S. Petrum Puellarem sita; e schedis Baluzianis, arm. 3, fasc. 2, n. 2, pag. 105.

XXXVI. Ægidius Lamberti occurrit in chartis annorum 1290, 1291, 1293 et 1295. C Cum civibus Castri Novi sibi libertatem vindicantibus ante regem et ipse litigavit. Habemus illum, anno 1306, paciscentem de præpositura S. Spani cum Petro de S. Maura. Confirmavit, anno 1303, Mathæam de Audigniaco, a monialibus Belli Montis abbatissam electam. Sedens usque ad annum 1315 memoratur.

XXXVIII. Stephanus *de Mornay* e cancellario Ludovici X decanus S. Martini, renovavit anno 1317 fraternitatis fœdus cum canonicis B. Martini Leodiensis; e Marten. Ampliss. Collect., t. 1, col. 1435. Philippus D rex Pictavium tendens, anno 1321, comitiis regni coactis, commoratus est Turonibus in domo Stephani. Cum vero debitam rex autumaret hanc procurationem, indebitam aperte declaravit decanus, et dein agnovit ipse rex, litteris datis mense Maio 1321. Solemniter in aureum vas, anno 1323, caput B. Martini transtulit. Legantur Joannis papæ XXII hac de translatione litteræ, in libro cui titulus : *Défense des Privilèges de l'église de Saint-Martin etc., etc.* Stephanus obiit anno 1329.

XXXIX. Petrus III *de Mornay*, ab anno 1329 ad annum, ut videtur, 1331.

E XL. Guillelmus I de Meduana, S. Mauræ dominus, canonicus erat S. Martini, cum, anno 1329, die Sabbati ante festum B. Martini æstivalis, assumptus est in cancellarium Franciæ a Philippo rege. Anno deinde 1331, ut quibusdam placet, circa festum nascentis Christi, decanus S. Martini ab eodem rege creatus est. Occurrit tamen ad ipsum jam Martiniensem decanum epistola Petri de Credonio, thesaurarii S. Martini, quæ chronicas has exhibet notas : *Die lunæ post festum*

B. Matthæi apostoli 1330; inter Baluzii schedas, arm. 3, fasc. 2, n. 2, pag. 143. Quo munere fungens Martinianam ecclesiam plurimis ditavit bonis. Decessit anno 1334, in vigilia Conversionis S. Pauli.

XLI. Joannes II de Blesia, regi propinquus, anno 1335.

XLII. Mauricius *Chamaillard*, consiliarius regis, jam decanus mense Martio 1335. Ad quem, 2 Junii 1352, rex scripsit, mandans ut, cum episcopo Cenomanensi et Andegaviæ senescallo, comitia cogeret Andegavensia nec non Cenomanensia, et ab eis subsidium ad opus belli peteret. Decessit Octobri mense 1352.

XLIII. Guido II, dictus cardinalis Boloniæ, Joannis regis avunculus, capitulum adiit, litteris munitus regiis, die 12 Novembris 1352. Decessit in Catalaunia, die 25 Novembris 1373. Vicarium generalem habuerat Guillelmum *de Molaix*, canonicum.

XLIV. Petrus IV de Ordeomonte, gallice d'*Orgemont*, filius Petri cancellarii Franciæ, cancellarius et ipse ducis Turonensium, nec non Parisiensium computorum cameræ præses datus, decanatum S. Martini præterea sortitus est litteris regiis, die 16 Februarii 1374. Capitulum hunc excepit die 23 Martii. Morinensis electus est episcopus anno 1375, et postremo Parisiensis anno 1384.

XLV. Amalricus I *d'Orgemont*, antecedentis germanus, e libellis supplicibus, decania Martiniana vestitur litteris regiis, die 3 Julii 1376. Ea per procuratorem potitus est die 8 Julii; quam abdicavit, anno 1382, uxorem ducturus Mariam *de Paillart*.

XLVI. Nicolaus II *d'Orgemont*, cognomento Claudus, patre satus Petro *de Chantilly*, senatus Parisiensis principe, et matre Margarita *de Voisines*, jam canonicus Parisiensis et archidiaconus Ambianensis, munus iniit anno 1382. Eo decanante, 5 Maii 1413, Ludovicus de Borbonio, comes Vindocinensis, se professus est hominem ligium S. Martini. Qui cum partibus Biturigum ducis favisset, sententia senatus Parisiensis, data die 30 Aprilis 1416, damnatus, ex officiis et honoribus dejectus est et in carcerem detrusus, in quo mox obiit.

Ch. LXXII, col. 92.

XLVII. Jacobus I de Borbonio, decanus S. Martini creatus a rege 23 Maii 1416, possessionem induit per procuratorem Joannem Cathaloe, magistrum in artibus, die 27 ejusdem mensis. Mox, matrimonium contrahens, cessit. Die 7 Octobris 1417, procurator Jacobi de Borbonio postulavit ut sibi decania traderetur. Quod prohibuit procurator Joannis Torrelli æquo se jure munitum asserens. Res ad curiam Parisiensem delata. De Jacobo plura reperies inter thesaurarios S. Capellæ Parisiensis, t. VII, col. 244.

XLVIII. Henricus I *d'Avaugour*, e nobilissima apud Armoricos gente deductus, possessionem iniit per procuratorem 2 Aprilis 1418, et receptus ipse fuit 31 Julii 1419. Cessit, anno 1421, creatus archiepiscopus Bituricensis, in gratiam sequentis.

XLIX. Carolus *le Boursier*, consiliarius regis et magister in artibus, occurrit in tabulis anni 1424. Decessit die 13 Januarii 1442.

L. Joannes III *le Breton*, ab anno 1442. Suscepit, anno 1447, die 23 Februarii, jusjurandum Joannis, comitis Vindocinensis, se profitentis hominem ligium S. Martini. Adest, anno 1453, solemni translationi capitis B. Martini. Decessit anno 1462, vel 1463, secundum recentem usum, die 20 Januarii. Vacans decania dicitur 25 Januarii, in apocha qua capitulum denuntiat acceptam a rege pecuniam (1).

Ch. LXXIII, col. 95.

LI. Petrus V *Artaud*, consiliarius regis, creatus a rege 10 Februarii 1462, provinciam adit die 19 ejusdem mensis. Legationibus nonnullis functus, obiit die 5 Augusti 1471.

LII. Thomas *Deslandes*, sive *de Landaz*, aut *de Lardon*, patria Tornacensis, e regiis conciliis, acceptus in capitulo decanus 11 Augusti 1471. Decessit 15 Julii 1491 et sepultus est in navi ecclesiæ, ante altare Trium Mariarum. Hic forsitan Martiniensis decanus ille est qui, cum aliis ejusdem collegiatæ domus ministris, Parisinos detrusus est in carceres, sententia summi supremæ curiæ præsidis. De qua re consulere licet litteras canonicorum ad regem, in codice Regio 8447. Desideratur annus.

LIII. Joannes IV *de Rely*, Atrebatensis, doctor Navarræus, confessor regis. Canonicus S. Martini dictus erat, e regestis capitularibus, die 5 Augusti 1490, decedente Joanne de Peyrato. Laudatur 5 Julii 1491, Breviarium Martinianiæ ecclesiæ curans prælo dandum. Die 16 Julii, capitulo litteras exhibuit regias, quibus decaniæ vacanti præficiebatur a rege. Decembri mense, creatur episcopus Andegavensis. Decanatum abdicavit in gratiam sequentis.

LIV. Vedastus *Brioys*, capellanus regis ordinarius, antecedentis nepos, collationem decanatus accipit 17 Martii 1491, vel, secundum usum recentiorem, 1492. Decessit Turonibus 17 Julii 1518 et in basilica S. Martini sepultus est.

LV. Antonius I *de la Barre*, pronotarius Romanæ sedis, a die prima Augusti 1518 ad 28 Januarii 1523, secundum veterem computum, qua creatus est Engolismensis episcopus, futurus, anno 1528, Turonensis archipræsul.

LVI. Jacobus II *Babou de la Bourdaisière*, Turonensis, libellorum supplicum ma-

(1) In Max. Paris. Biblioth., *Suppl. franç.*, num. 4743².

gister, a teneris admodum annis dictus est S. Martini decanus, die 28 Januarii 1523, vel, secundum nostrum usum, 1524, et in possessionem admissus, mediante procuratore, 31 Januarii. Cum vero, sicut supra diximus, Antonius *de la Barre* Turonensem conscenderet cathedram, Jacobum excepit Engolismensis. Decaniam tamen retinuit usque ad annum 1532, quo decessit, ætatis primo et vicesimo.

LVII. Philibertus *Babou de la Bourdaisière*, Jacobi frater et ipse e libellis supplicibus, fratri successit in decania Martiniana et in Engolismensi episcopatu. Mox Romam ivit regius legatus, et non paucorum pars magna fuit negotiorum, ut qui prudentiæ laudem apud omnes meruerat. Purpura donatus anno 1561, Romæ obiit anno 1570, et sepultus est in ecclesia S. Ludovici Gallorum, cum hoc epitaphio :

Deo optimo maximo

Philberto Babou, cognomine Burdesio, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali, trium Galliæ regum Henrici II, Francisci II et Caroli IX apud Paulum IV et Pium IV, Pontifices maximos, legatione perpetua egregie functo Maria Gaudin mater, Philbertus et Fabricius nepotes posuerunt. Vixit annos 57. *Obiit anno* 1570, VII *cal. Februarii.*

Quem præterea reperies inter thesaurarios S. Capellæ Parisiensis, t. VII, col. 246.

LVIII. Joannes V *de Morvilliers*, jam Aurelianensis episcopus, de quo multa lege, t. VIII, col. 1485, S. Martini decanus salutatus est die 16 Februarii 1570. Litteræ regiæ diem 5 Februarii præ se ferunt. Decessit Turonibus, 23 Octobris 1577.

LIX. Guillelmus II *le Pelletier*, presbyter Carnotensis, Francisci Valesii consiliarius et eleemosynarius, creatus a rege decanus ultima die Octobris 1577, possessionem iniit per procuratorem die 11 Decembris. Hunc, 28 Aprilis 1584, canonici procuratorem dixerunt suum ad dispungendas rationes quas exhibebat Philippus *de Castille*, quæstor cleri Gallicani; ex hujusce cleri Archivo, Alien. Turon. diœcesis. Abdicavit anno 1586.

LX. Victor *Moreau de Bellassise*, utriusque juris doctor, in possessionem invectus 19 Julii 1586. Moritur Parisiis anno 1613.

LXI. Radulfus II *de Gazil*, protonotarius apostolicus et eleemosynarius regis, a die 18 Februarii 1614 ad diem 3 Maii 1618, in qua permutavit cum sequenti.

LXII. Amalricus II sive Emericus *de Bragelongne*, creatus eodem anno S. Mariæ Virtudensis abbas, usque ad annum 1623. Factus est anno 1624 Lucionensis episcopus.

LXIII. Armandus Joannes *du Plessis*, cardinalis *de Richelieu*, a 1 Septembris 1623.

LXIV. Alphonsus Ludovicus *du Plessis*, cardinalis Lugdunensis, a die 13 Julii 1632. Decessit anno 1653. De quo mox in abbatibus Cormaricensibus.

LXV. Franciscus I *de Servient*, Carcassonensis episcopus et plurium abbas monasteriorum, S. Martini decanatum rexit a die 15 Julii 1653. Episcopus Baiocensis evasit 23 Maii 1654. Mense autem Martio jam decani munus tradiderat Henrico sequenti, qui pro rata permutatione dimiserat abbatiam Perredii Novi.

LXVI. Henricus II *de Laval de Bois-Dauphin*, idem episcopus Leonensis et postea Rupellensis.

LXVII. Petrus VI *Rouillé*, clericus Turonensis, baccalaureus in theologia, nec non prior commendatarius Bosci Raherii, Grandimontensis ordinis, in Turonensi diœcesi, decanatu provisus est a Ludovico rege 13 Junii 1681, postea quam prioratum abdicavit suum in gratiam Henrici antecedentis : e schedis *de Gaignières*, sub num. 240.

LXVIII. Antonius II Simon *de Magny*, doctor Sorbonnicus, die 7 Aprilis 1697, Petro abdicante. Decessit 26 Februarii 1705. Abbas idem S. Crespini Suessionensis, et episcopus Oleronensis.

LXIX. Christophorus Ludovicus *Turpin de Crissé de Sanzay*, die 11 Aprilis 1705, e canonico Tornacensi, futurus Nannetensis episcopus.

LXX. Petrus VII Armandus *de Castries*, archiepiscopus Turonensis, postea Albiensis.

LXXI. Henricus III *d'Osvald de la Tour d'Auvergne*, die 11 Decembris 1719, Turonensis archipræsul, qui mox cessit.

LXXII. Franciscus II *Blouet de Camilly*, die 11 Januarii 1721. Archiepiscopus et ipse Turonensis.

LXXIII. Ludovicus Jacobus *de Chapt de Rastignac*, et ipse archiepiscopus Turonensis, ad ann. 1750.

LXXIV. Joannes VI *Taschereau de Baudry*, abbas Fontanarum, S. Martini thesaurarius ab anno 1731, decaniam obtinuit Octobri mense 1750. Decessit 10 Octobris 1752.

LXXV. Guillelmus III Gabriel *de Benoist de la Prunarède*, nominatur a rege die 28 Januarii 1753. Iniit possessionem 26 Maii sequentis.

VETERA TURONENSIS ECCLESIÆ MONASTERIA.

I. S. Petrus Puellarum. Basilicam S. Petri
Ch. I, col. I. S. Perpetuus ædificavit, cujus in testamento
suo meminit. Eodem in loco, Gregorio teste,
mox condidit abbatiolam Chlotildis, uxor
Chlodovæi I. Legitur insuper in vita S. Chlotildis, quam Mabillonius edidit, inter Acta
SS. ord. S. Bened., sæc. I, p. 98: « Ædificavit
« (Chlotildis) multa sanctorum monasteria
« per regiones plurimas, e quibus unum in
« honorem Petri Apostoli, in suburbano Tu-
« ronicæ civitatis, ante portam castelli B. Mar-
« tini. » Quidam autem hoc conditum cœnobium autumant a S. Manegonda, post Chlotildis obitum. Ibi moniales antiquitus constitutæ. De puellis S. Petri mentionem fecit Itherius
in charta de fundatione Cormariceni cœnobii,
Ch. VI, col. 10. anno 791. Locum Ludovicus rex dedit, anno
1119, capitulo S. Martini. Exinde collegium
excepit canonicorum, retento S. Petri Puellarum nomine. Decem ibi bullis apostolicis
constituti canonici. Acerrima Joscium inter
archipræsulem et Martinienses controversia
de S. Petro Puellari surgebat, annum circa
1157. Cujus instrumenta lege apud Rer.
Gall. Script., t. XVI, p. 49 et seq.

II. S. Petrus ad Cœmeterium. S. Petrus Turonensis occurrit, anno 819, in Haganonis Adjutorisque testamento, et infra monasterium
S. Martini dicitur, id est extra castrum. Hanc
tunc temporis domum regebat Hiltfredus,
sub Martiniensium tutela. Inter S. Martini
possessiones hanc recensuit abbatiolam Radulfus rex, anno 927. Ejusdem meminit Calixtus papa II, anno 1119. Patronos cum agnosceret S. Martini canonicos ipsa canonicorum vel minimam congregationem excepit,
ut Mabillonius opinatur, annotationibus illustrans litteras quasdam Philippi, Martiniensium decani; Annal. Bened., t. II, pag. 451.
Certum est quod cum Calixtus Pontificem
ageret, jam a longo tempore exciderat in ædibus S. Petri monastica disciplina. In ecclesiam parochialem locus postea mutatus, dictusque capella S. Petri de Cardoneto; apud
Monsnerium, S. Mart. Turon. Hist.

III. S. Vincentius. Hujus cœnobii exordia plane
sunt ignota. De eo primum mentio fit, anno
927, in Roberti archipræsulis chartula, quasdam res, olim Vincentianas, sub lege census
tradentis. Sub id scilicet tempus, nondum
tamen vacuus monachis locus, ad episcopale
dominium transierat. Suspicamur tunc superstites fuisse monachos in ædibus declinantis abbatiæ e charta Theotolonis, anno 942
data, qua, S. Julianum spoliis augens Vincentianis, rectorum nihilominus S. Vincentii
meminit. Januario tandem mense 958, Frotherius archipræsul quibusdam aliis S. Vin-

A centium exuens, hanc his verbis memorat
abbatiam: « Quam ad præsens in nostrum
« dominium tenere videmur. » Desinit in
prioratum sub lege positum Andegavensis
Omnium Sanctorum cœnobii; e Martenii Hist.
Majoris Monasterii manu scripta.

S. Crux. Tradit Venantius Fortunatus IV.
B. Radegundem Turonibus degentem, antequam Pictavium secederet, monasterium ad
excipiendos viros juxta S. Martinum exstruxisse. Ad eam cum misisset Justinus II
imperator fragmentum quoddam Dominicæ
crucis, sacrosanctum pignus monachis illa
B suis aliquantisper commendavit, et inde Pictavium detulit; e Vita S. Radegundis lib. II,
c. 19. Abbatiam hanc Turonibus abiens Radegundis, ut ferunt, tradidit S. Martino. Ibi
postea Gregorius Turonensis ecclesiam sub
invocatione S. Crucis constituit. Monachis
quamdiu locus permanserit addictus ignotum
est. Anno 1188, Bartholomæus, Turonensis
archiepiscopus, ecclesiam S. Crucis sub monachorum Burguliensium jure constituebat.
Idem confirmatur litteris apostolicis Innocentii III, anno 1203. Suppressa parochia
1 Januarii 1782.

C S. Venantius Turonensis. Monasterium V.
S. Venantii, in suburbio Turonum situm et
basilicæ S. Martini contiguum. Hanc perveterem abbatiam quis primus rexerit incertum. Silvinus innotescit e Gregorio, de Vitis
Patrum: ad quem Silvinum accedens Venantius, gregi monachorum nomen dedit. Ipse
postea Venantius factus abbas, decedente Silvino. Venantius ille, sanctorum numero adscriptus, e Bituricensi territorio oriundus
erat, quem ingenui luci dederant parentes.
Adolescentiam dicitur expertus delicatiorem,
epularum sectator, puellamque ardens for-
D mosam quam sibi connubio junxerat. Deinde
vero totum se asperrimæ vitæ addixit. Sub
diem Octobris 13 memoratur in martyrologio
Gallicano. Cui successit Licinius, salutatus
episcopus Turonensis circa annum 501. Postea Guntramnus, sive Gunthariús, qui Turonensem cathedram et ipse conscendit. Memoratur ecclesia S. Venantii inter S. Martini
possessiones anno circiter 927, in Radulfi
regis præcepto. Jam ibi forsitan regularis
status defecerat. Beneficium enim erat, anno
991, Roberti cujusdam militis, ut e commutatione inter Archembaldum præsulem et
E Bernerium abbatem Majoris Monasterii noscitur. Depulsis monachis, in ecclesiam collegiatam olim florens abbatia desinit. Confirmatur Martiniensibus, anno 1119, a Calixto
papa II. In illa non mediocrem sibi comparavit famam collegiata, sub annum 1140,

Firmatus, canonicus, cujus vitam scripsit Stephanus de Filgeriis, episcopus Redonensis.

Duodecim constabat canonicis capitulum S. Venantii, quos Martiniensis sodalitas elegerat. Hanc ecclesiam et ipsius jura parochialia omnemque jurisdictionem in canonicos ibi degentes libere et absolute dimisit Joannes de Faya, anno 1211.

VI. Abbatiola S. Joannis-Baptistæ. Adjacens erat basilicæ S. Martini. Ibi Gregorius, Turonensis episcopus, baptisterium, ipso teste, constituit, in quo S. Joannis et S. Sergii reliquias posuit. In eodem loco postea surrexit abbatiola, sub Martiniensium lege constituta. Occurrit, anno 854, ecclesia S. Joannis inter possessiones S. Martini a Carolo Calvo descriptas. Anno præterea 920, memoratur cella S. Joannis in præcepto Caroli Simplicis de rebus ad S. Martinum pertinentibus. (Ch. xxxix, col. 59) Abbates tamen retinuit proprios S. Joannes, vel post susceptam canonicorum tutelam. Hujus rector erat Ingelbaldus, anno Lotharii primo, Christi 954, qui, Martiniensibus præfectum abbatem seniorem dicens suum, eo consentiente quædam sub census rata conditione tradebat. Ille postea locus, monachis vacuus, capitularibus canonicorum congregationibus faciendis addictus est.

VII. S. Cosmas in Insula. Primos excepit hospites quosdam e grege S. Martini canonicos, qui, duce Hervæo archiclavi, cœnobiticam vitam consectantes, hunc in recessum, derelictis fratribus, confugerunt. Hæc sub annum circiter 1002 referuntur, et revera superstites hactenus parietinæ hujusce temporis non ambiguas notas præbent. Assiduis tamen victus Martiniensium precibus, quam nuper amplexus erat vitam Hervæus ejuravit, monasteriolumque suis erectum curis monachis Majoris Monasterii tradidit, ea sub lege ut duodecim ibi monachos alerent, censumque S. Martino persolverent; e schedis D. *Housseau*, t. II. Hujus autem pacti conditiones cum Majoretani segniter exsequerentur, aut forsitan detrectarent, in judicium vocati et ex insula dejecti sunt. In insula S. Cosmæ decessit anno 1088, ut aiunt, Berengarius exilio liberioris ingenii pœnas luens. Ibi, anno 1102, factus est conventus quindecim et amplius canonicorum regulam S. Augustini profitentium; e Chronico Turonensi, p. 130. Ecclesiæ tamen patronatum Martinienses retinuere, ut constat e litteris Calixti II, sub ann. 1119. Inter S. Cosmæ priores eminuit ille cujus ex ore francicum carmen nova nec injucunda personuit, Petrus Ronsardus. Hac in æde vitam exuit, anno 1585. Suppressus est anno 1742 prioratus S. Cosmæ.

VIII. Papolenum, sive Popolenum monasterium. (Ch. xxxix, col. 59) Designatur, anno 920, a Carolo Simplice, inter cœnobia sub jure S. Martini constituta. Papolenus quidem nomen est Turonensis A episcopi, quod posteris commendarunt tam Flodoardus quam veteres Turonensis ecclesiæ chronographi. Ille forsitan monasterium hoc exstruxit jam Martinianam in cellam mutatum sæculo decimo decurrente. Hujus autem cellæ nullum in recentioribus instrumentis vestigium occurrit. Quod situm intra castrum S. Martini putamus.

IX. S. Nicolaus. Lignea surgebat antiquitus capella in insula quam Sicia currens ad Ligerim efficiebat, S. Nicolao dicata. Ibi virgines Deum amplexæ vitam agebant monasticam duodecimo sæculo ineunte. Inter eas B memoratur Adelesis, soror Majoretanorum abbatis Guillelmi, quæ, dum rebus terrenis inserviret, filium genuerat Garinum, Majoris Monasterii sub abbate Guillelmo priorem. Consule Probat. Hist. Brit., t. I, col. 522.

X. S. Medardus. Hujus meminit abbatiæ Adrianus papa II, anno 871, ad Carolum Calvum scribens, in qua tunc diruta jacuisse dicit corpora SS. Gatiani et Lidorii. Monasterium S. Medardi Mabillonius opinatur desiisse in prioratum ad Villelupensem abbatiam pertinentem; Annal. t. III, p. 172.

XI. S. Lupus. In Turonum suburbio, monialibus C antiquitus addicta domus. De qua primum mentio fit, anno 945, in charta Dodaldi, archidiaconi, quamdam terram ad hanc abbatiam pertinentem sub lege census Bernerio tradentis. Quam confirmavit traditionem Theotolo archipræsul. Occurrit hujusce parthenonis abbatissa, anno 947, Hildegardis eidem Bernerio quædam sub prædicta lege concedens. Nec altera forsitan fuit ab illa. Vacuæ sed enim abbatiæ prædia Gualterius miles tenebat anno 1024, eaque tradebat S. Juliano Turonensi, annuente Arnulfo archiepiscopo. Nihil jam supererat, anno 1184, D de veteribus monialium ædificiis, præter capellam sub invocatione S. Lupi, in quam deveniens Bartholomæus archipræsul ecclesiam S. Simplicii mittebat in jus S. Florentii Salmuriensis. Consule notitiam de S. Lupo quam nuper in Biblioth. Scholæ Chartar., t. I, edidit D. Andreas *Salmon*.

XII. S. Venantius Malliacensis. Malliacensis monasterii memoriam servavit Gregorius Turonensis, in libro de Gloria Confessorum, cap. 21. Ibi S. Solennis, Carnotensis episcopus, sedem elegit, ibique decessit. De quo postea in prioratum mutato sic Chronicon E Prioratum Majoris Monasterii : « Sanctus « Venantius, distans a monasterio quatuor « milliaribus, situs super cacumen montis « juxta Ligerim fluvium, apud Malliacum, « conventualis olim erat, sed ob bella in tantam rerum penuriam incidit, ut vix nomen « ipsum retineat. Dotatus primo fuerat ab « illustrissimo domino de Malliaco, nomine « Hardoyno, circa annum 1054, quo tempore, « superbis ædificiis et magnificis celebris, « multa et amplissima bona possidebat, pri-

« vilegiis insuper ac libertatibus insignis « valde. Nunc supersunt quædam ædificio« rum monumenta, quæ opera et impensis « defuncti prioris de Montar et Majoris Mo« nasterii prioris primarii constructa sunt. » In Collectan. Chronic. Turon., a D. Andrea Salmon editis.

XIII. S. Lupantius, in agro Cainonensi. S. Lupantium hujus cœnobii conditorem opinantur, alumnum Miciacensis abbatiæ. Ille, sexto currente sæculo, hunc in locum, ut aiunt, secessit, et cellam exstruxit quæ veteribus in chartis diversim dicitur abbatia, abbatiola, locellusve S. Lupantii. De cujus historia nihil certum superest, nisi quod post Normannicam stragem dominio matris ecclesiæ fuit addicta. Occurrit, anno 954, Josephus archiepiscopus quædam e rebus S. Lupantii distrahens, Gunbaldo militi sub institutione census concedenda. Hunc postea locum archiepiscopus Turonensis comiti Blesensi tradidit. Anno tandem 973, Theobaldus comes, assentiente Harduino archiepiscopo, S. Lupantium Amalberto, S. Florentii Salmuriensis abbati, « tam causa refugii, quam « etiam ad monasticum instituendum » largitus est; apud Marten. Thes. Anecd., t. I, p. 91. Exinde semet Amalbertus denuntiavit abbatem S. Lupantii non secus ac S. Florentii, hoc anno 973, in charta de terris Walterio traditis in vicaria Cainonensis castri; e Libro Nigro S. Florentii D. P. *Marchegay*; sub num. 47. De S. Lupantio dein sæpius agitur in diversis Salmuriensium chartulariis.

XIV. S. Maximus Cainonensis. Inter præcipuos S. Martini discipulos laudantur Clarus Maximusque, ambo doctrina, ambo studio rei monasticæ pariter insignes. Post varias itinerum casus rediit Maximus Turonensem in agrum, et juxta Cainonense castrum abbatiam condidit, ubi plenus dierum fato debitum solvit. Consule Gregorium, de Glor. Confess., c. 22. Celebratur a Fortunato venerabilis Flameris, Cainonensium abbas monachorum, qui cum ascetæ cuidam jamdudum ægrotanti subscriptam manu B. Germani, Parisiensis episcopi, obtulisset epistolam, illum sanavit. Ad annum usque 943 de monachis Cainonensibus agitur. His enim tunc legitur præfectus Helias, cui Theotolo archipræsul vectigalia plura prædiaque dimisit; e Joanne *Maan*, p. 73. Nec multo post monachos excipiebant canonici. Archembaldus enim antistes, Robertum regem adiens, confirmationem poscebat rerum quas canonicis in monasterio S. Maximi nuper ab ipso constitutis tradiderat; e schedis domni *Housseau*, t. I. Unde colligitur quod annos inter 980 et 1007 abrogatus ibi fuit monasticus ordo. Nec tamen ecclesiæ Cainonensis ab eo tempore nomen periit. Innocentius enim summus Pontifex, anno 1144, publicas institui scholas Cainone jubebat, quarum administrationem ca-

A nonicorum rectori, sive capicerio, tradebat. Qui fuerint isti capicerii non plane liquet, nec horum seriem ex instrumentis condere pretium operæ duximus. Quosdam tamen inter antiquiores exhibere licet. Alexander Cainonensium capicerius occurrit, anno 1191, in charta quæ testatur Robertum de Ulmis fidem dedisse pro terra Escaliensi; apud *Housseau*, t. V. Paciscebatur Gillotus, anno 1218, cum archipræsule Joanne de justitia Cainone exercenda; ex eodem, t. VI. Guillelmus, Aprili mense 1266, testis legitur in charta Nicolai de Uceyo, dantis capitulo B. Maximi B quidquid juris habebat in collatione duarum capellaniarum; ex eodem, t. VII. Andreas, die Mart. post Ascens. Dom. 1273, arbiter eligebatur litis inter Joannem priorem B. Mariæ de Tavento et Joannem de Brichia, clericum uxoratum, super vinea quæ dicebatur de Cruce Taventi; ex eodem, t. VII. Anno tandem 1292, Joannes testatur Philippam, viduam Philippi de Podio, dedisse priori Taventi sex denarios annui census; ex eodem tomo. Ad annum 1790 capitulum S. Maximi permansit.

Senaparia, rustice *Sevenières*, inter Angerem et Angerulum, loci nomen est in quo, XV. C sæculo sexto decurrente, cœnobium condidit S. Ursus, ex urbe Cadurcina deveniens, cuique S. Leubatium abbatem præfecit. Consule Gregorium, de Vitis Patr., c. 18. De hoc cœnobio nihil aliud occurrit.

S. Ursus. Eodem quo Senapariam tempore XVI. Lochas S. Ursus altero donavit cœnobio, cui præfuit ipse, sicut Gregorius testatur, de Vitis Patr., c. 18. Ibi Turonensis præsul Eustochius capellam ab aliquot annis ædificaverat B. Mariæ Magdalenæ sacratam. In collis cacumine capella surgebat; in valle cellulas monachorum Ursus posuit. Nec prætereun-D dum quod, ad fidem Gregorii, defixis in Angere fluvio palis, aggerem extruxit, et, ad cœnobii moletrinam captivas ducens aquas, ab iis moletrinæ rotam versari jussit. Abbatia S. Ursi tradita fuit monachis Bellilocensibus, cum pratis, vineis, silvis, aquis, molendinis, servis et ancillis ad eam spectantibus, circa medium undecimum sæculum, a Geoffrido Martello Andegavensium comite. Quot et quos habuerit abbates incertum.

S. Petrus de Parciaco. Pluries memoratur in Libro Nigro S. Florentii, annis 968 et 975. Hocce monasterium, jam monachis, ut vide-E tur orbatum, tunc in potestatem canonicorum Turonensium devenerat, et quasdam ex hujus ratione terras Harduinus archipræsul Salmuriensibus tradebat. Anno præterea 993, ipsum altare S. Petri de Parciaco monachis Majoris Monasterii condonavit Archembaldus, Harduini successor; apud *Housseau*, t. I. Prioratus inde factus est locus, sub Majoretanorum lege. De quo mentio fit in bulla Innocentii papæ, anno 1136, et in Chronico Prioratuum Majoris Monasterii.

ABBATIÆ SUPERSTITES (1).

Sunt illæ numero septemdecim.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

Majus Monasterium, *Marmoutiers*.
S. Julianus, *S.-Julien de Tours*.
Cormaricus, *Cormery*.
Villa Lupa, *Villeloin*.
Bellus Locus, *Beaulieu*.
Nucariæ, *Noyers*.
Turpiniacum, *Turpenay*.
Prulliacum, *Preuilly*.
Boscus Alberici, *Bois-Aubry*.
Sulleium, *Seuilly*.

Feminarum.

Bellus Mons, *Beaumont-lès-Tours*.

ORDINIS S. AUGUSTINI.

Virorum.

Fontanæ Albæ, *Fontaines-les-Blanches*.
Gastineta, *Gastines*.
Aquaviva, *Aigue-Vive*.

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Virorum.

Claritas Dei, *Clarté-Dieu*.
Baugeseium, *Baugerais*.

Feminarum.

Mons Cœlestis, sive Monceium, *Moncé*.

MAJUS MONASTERIUM.

Hujus antiquissimi monasterii narrat originem Sulpicius Severus, in Vita S. Martini, c. 7. Cum enim S. Martinus, recens Turonorum episcopus, habitu vitaque constanter monachus, a circumstrepentibus visitantium turbis sæpius secedere vellet, et regiminis ægre suscepti tædia submovere, in eo loco, annum circa 372, monasterium constituit, et plures eodem accivit vitæ studiosos eremiticæ. Hæc sunt verba Sulpicii : « Quum inquietudinem frequentantium « ferre non posset Martinus, duobus fere « extra civitatem millibus monasterium sibi « statuit. Qui locus tam secretus et remotus « erat, ut eremi solitudinem non desideraret. Ex uno enim latere præcisa montis « excelsa rupe ambiebatur : reliquam planitiem Liger fluvius reducto paululum « sinu clauserat : una tantum eademque « arcta admodum via adiri poterat. Ipse ex « lignis contextam cellulam habebat. Multi « quidem e fratribus in eumdem modum, « plerique saxo superjecti montis cavato,

A « receptacula sibi fecerant. Discipuli vero « octoginta erant... Ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur; cui tamen operi « minor ætas deputabatur. » Nec altius quære quam vitæ normam discipulis suis indixerit Martinus. Omnibus ille quidem erat exemplo : omnes, rerum omnium communione juncti, ad unius imaginem certatim se componebant.

Martino defuncto, crevit pietas loci, et postquam decurrentes undique monachi cellulas plurimas extruxerant effoderantve cavernulas, sub Majoris Monasterii nomine mox
B clarus evasit. De cujus tamen cœnobii primordiis ad Normannorum, sive Danorum, in Turoniam devenientium tempora nil plane notum. Non quidem desunt a majoribus traditæ narratiunculæ, sed quibus in compendiosis, et eam ob causam sinceris, non locus est annalibus. Haud tamen silere licet qui primi tradantur abbates Majoris Monasterii. Horum seriem exhibet auctor Narrationis de Commendatione Turonicæ Provinciæ : quam ex hoc fonte haurimus, forum quidem, ut aiunt, deserentes, nostra si requiratur auctoritas. Hi scilicet Majori Monasterio post
C B. Martinum præfuisse dicuntur : « Gillebertus, Aichardus, Guildemandus, Peregrinus, Audemundus, Dominicus, Ildemarus, « Mainfredus, Deodatus, Vulgrinus, Benedictus, Hildricus, Martinus, Godo, Latinus, « Gymo, Fandilus, Bonifacius, Eustochius, « (hic tempore fuit B. Gregorii Turonensis; « hujus tempore fuit B. Leobardus), Froterius, Guichardus, Genesius, Volusianus, « Antimus, Regionarius, Desiderius, Principius, Petrucio, Felix, Baudelus, Berno, « Clemens, Theobaldus, Hato, Petrus, Aigulfus, Francilio, Anianus, Joannes, Da-
D « niel, Isembertus, Hamricus, Robertus, « Alexander, Bertharius, Gaudregisilus, « Radulfus, Michael, Ismarus, Romanus, « Godescalcus, Bartholomæus, Leonius, Betarius, Leodemirus (*alias* Leodecarus), « Agilus, Jonas, Aufrisus (*alias* Amfrisius), « Riomirus, Herbernus. » Gilleberti quidem, sive Galberti, nec non Aichardi, meminit Chronicon Turonense Magnum, ad ann. 424; Eustochii Gregorius Turonensis, in libro de Vitis Patrum, cap. 20 : Baudelum, sive Baedulum, hunc opinantur qui, tempore Caroli Magni, ecclesiam S. Savini
E Pictaviensem opere novo construxit; Berno, quem nonnulli codices Bertionem dicunt, ille forsitan fuit Betto, dictus abbas, qui in concilio Cabilonensi primo Latini præsulis personam gessit; supra, col. 28. Hanc Marteuius conjecturam proposuit. Quoad vero

And. Salmon, Collect. Chronic. Tur., p. 306.

Mabill. Ann. Ord. S. Bened. t. II, p. 644.

(1) Ad annum 1790, ut supra in Admonitione ad lectorem.

Bertharium cuilibet, sicut jam Mabillonio, nec non Martenio, verisimile videbitur illum non ab eo Bertachario differre, quem Ibbonis diploma pro Martiniensibus exhibet. De cæteris autem nil aliud profertur. Adde quod a Ludovico Pio, instrumentorum ad fidem indubiorum, plures Majoris Monasterii mox declarabimus abbates quorum ne unum quidem Narrator novit. Nunc ad excidium Normannicum. Annum circa 853, ad Ligeris oras appulerunt Normanni, prœlio feroces, prædatores urbium, ecclesiarum invasores, qui, Turonorum civitate crescrentibus undis Cari Ligerisque prohibiti, Majus Monasterium aggressi sunt, et monachos ferro trucidarunt, aut fugitivos propulsarunt in cavernas; nec recesserunt priusquam saxa murosque cœnobii funditus eversos in acervum congessissent. Quatuor tamen et viginti memorantur e B. Martini numerosa clientela, qui, abeuntibus Normannis, exeuntes e latebris a canonicis Martiniensibus fuerunt accepti. Nec multo post, cum fama vulgasset Normannos redire, superstites monachi, Martinienses canonici et multi de sæculari clero se comites eis adjungentes, beati Martini corpus, ne Barbarorum præda fieret, Cormaricum primo, mox Aureliam, dein S. Benedictum supra Ligerim, tandem Chableium et Autissiodorum detulerunt. Unde deductum et quasi sublatum fuit ab Ingelgerio Andegavensium consule, revectumque Turones, annum circa 887.

Interea dirutæ abbatiæ rudera, ultimis monachorum exulantibus, canonici Martinienses occupaverunt, et in ea quatuor et viginti fratres circiter constituerunt, proprio morem gesturos decano. Rursus vero devenientibus Normannis, ea fuit ab eis peracta strages ut Herbernus præsul, archiepiscopalis rei levamen quærens, Robertum Martiniensium abbatem adiverit sibi Majus Monasterium tradi flagitans. Annuit Robertus Herberni votis : tunc vero canonicorum clamor auditus, idipsum ad aliam mensam trahi ægerrime ferentium. Quocirca Robertus, mutato consilio, spopondit, anno 908, semet cœnobii jura defensurum. Superstitibus autem in ædibus degentes canonici, alienæ postmodum tutelæ se liberius quam decebat subducentes, in vitæ genus effrenatæ proximum licentiæ sensim delapsi sunt. Cui rei nullum aliud reperit remedium Odo, comes Turonensis, nisi quod monachis locum rursus adscriberet. Accitis igitur Cluniaco tredecim S. Maioli commilitonibus, illos Majore Monasterio donavit, annum circa 982, abire jubens canonicos. Unde semet Odo comes dixit *instructorem* et *defensorem* Majoris Monasterii, in charta qua confirmavit, anno 987, datum monachis Taventum a Tetbaldo milite, et suorum *fidelium monachorum* meminit, mense Maio 986, in instrumento de Culturis iisdem restitutis.

Jam sane S. Benedicti regula, Normannicam ante vastationem, apud Majoretanos florebat : a Maiolo tamen beatissimi patris vestigiis propius adhæsere ; unde invaluit fama loci, ad quem amplissima contulerunt prædia Turonenses et Andegavenses toparchæ, et e quo plures detulerunt abbates circum surgentibus monasteriis præficiendos. Memorantur Fulco Nerra, comes Andegavensis, Baldricum Majore Monasterio deducens, qui S. Nicolaum instauraret; laudantur præterea, inter alios, Rainardus, qui S. Trinitatem Vindocini condidit, et Ebrardus qui legem Nucariis dedit, ambo Majoretani monachi. Quotiescumque in vicinia regularis ordo, gliscente morum corruptela, defecit, adlecti protinus e claustro S. Martini fratres, et rei corruentis restauratores instituti : quam experti sunt fortunam S. Florentius Salmuriensis, S. Julianus Turonensis, S. Sergius et S. Albinus Andegavenses.

Non singula quidem referre licet documenta quibus dominium Majoretanum dilataverunt proximi tractus proceres, nec non ipsi Gallorum reges. Undecimum decurrebat sæculum, cum frequentiora Majus Monasterium sortitum est incrementa. Tunc vero abbatialis mensæ minima cura : cujus de reditibus amplificandis dum nullus e piorum archimandritarum numero curaret, opum auctu fratrum cœtus augeri, et ubique novæ cellæ surgere. Cum autem vel maximam adhibens diligentiam non tot ædes e longinquo regere posset abbas Majoris Monasterii, et locus esset metuendi ne tot inter priores distributa minus auctoritas valeret, ad disciplinæ firmamentum statuerunt ut capitula generalia quotannis saltem cogerentur. Quæ annua sodalitatis Martinianæ comitia, secundum Martenium, Albertum, Majoretanorum abbatem, auctorem sibi vindicant. Idem inde mos hac illac postea propagatus.

Numero quin etiam carent summorum Pontificum epistolæ ad monachos tanti nominis missæ. Præcipuum cœnobio S. Martini, ut verbis Narratoris utamur, decus additum, cum, anno 1096, Urbanus papa II basilicam monachorum dedicaret in honorem SS. Petri et Pauli, nec non B. Martini. Quo tempore, litem omnem de jurisdictione removens Urbanus, monasterium S. Martini, nullo medio, sub Romani pontificis tutela constitutum asseruit. Quod rursus privilegium concessit Pascalis papa II, et Turonensem archipræsulem improbavit, qui fratres abbatemque suum præter jus interdixerat et e communione christiana dejecerat. Eamdem arcebant Turonensis metropolitæ jurisdictionem Calixtus II, Cœlestinus II anno 1143, Eugenius anno 1145, et Alexander III anno 1178, ut cæteros taceamus. Inter impera-

tores regesve quos præcipue beneficos Majus Monasterium expertus est recensentur Carolus Magnus, Ludovicus Pius, Carolus Calvus, Radulfus, Philippus Augustus, etc., etc. Statuta, mandato domini papæ Majoretanis dedere, anno 1204, Hamelinus, Cenomanensis episcopus, et Adam, abbas Perseniæ : quæ confirmavit, anno 1208, Paulus cardinalis B. Mariæ in Porticu legatusque Romanæ sedis. Adeo creverunt, labentibus annis, monachorum opes, eorumdem adeo crevit auctoritas, ut, ad superbiam facile sublati, libertate sua non semel usi sint archipræsulatus in opprobrium, aut in detrimentum sæcularis, debiles quæ foverat, potestatis. Ideo Geoffridus eos abbas Vindocinensis duodecimo jam sæculo his increpat verbis : « Quos B. Martini humilitas « superbos, et ejus paupertas pecuniosos fa« cit. » Non tamen semper æquum postularunt quicumque, sive clerici, sive laici, nimium, ut videtur, tumescentes aggressi sunt. Quod si nonnullos inique monachi traxerunt ad judicem, iniquiora passi sunt a plurimis, quos inter Blesenses comites memorare decet. Dicendum inferius cujus sub umbra juris et quantulam ob noxam tantam Hugo de Castellione contra monachos moverit litem, et quantis eos afflixerit damnis. Commendatarios cognovit abbates Majus Monasterium ab anno 1539 : quorum primus ordine Joannes, cardinalis Lotharingus, non a fratrum nemoribus prædiisve abstinuit. Majorem mox experti sunt cladem, anno 1562, quo sacras in domos irrupit, Rupefulcando duce, Calvinistarum sæva cohors. Nec illi sacræ supellectili, nec altarium ornamentis, dummodo converti possent in monetam, nec libris, nec pictis tabulis, nec organis pepercere : basilicæ vel ipsius columnas, ut aiunt, securibus percusserunt, ædificioque ruinam jam minabantur, cum devenerunt plures e monachis supplicibus verbis orantes ne tam lacrymosum fieret excidium. Huic per universam Galliam celeberrimæ primus manum admovit basilicæ, anno circiter 1220, Hugo quem dicunt Carnotensem; Geoffridus post eum *de Conan* et Robertus Flandrensis inceptum opus auxerunt, quod tandem absolvit Odo de Braccolis. Varias Majoris Monasterii summatim narravit clades domnus Michael *Germain*, in compendiosa hujusce domus historia quam servat San-Germanensis codex 583. Unde sequentia colligimus : « Non pa« rum etiam identidem nocuit Ligeris vici« nia, nec, quantacumque cura vallis emi« nentibus et robustis contra fluviorum « impetus cœnobium munitum fierit, hacte« nus ab iis sese potuit defendere. Sic, anno « 1628, per claustra, refectorium et alia loca « tanta altitudine exundaverunt aquæ, ut « maximum quemque hominem superassent. « Anno 1641, par fere undarum moles fuit,
A « et muri monasterium cingentes solo tenus « maxima ex parte subversi disjectique, quem« admodum biennio prius contigerat, licet « non tanta fuisset aquarum irruptio. » Illa quidem Benedictinæ religionis reformatio, quam in prioratu Lehonensi vigentem postea Sodalitatem Britannicam nuncupaverunt, orta est apud Majoretanos 1 Augusti 1603. Non diu tamen apud eos viguit. Qui, 10 Julii 1637, postquam diu nec segniter restiterant, institutores tandem novos acceperunt : de patribus reformationem S. Mauri professis loquimur. Multis fuit ornatus pri-
B vilegiis abbas Majoris Monasterii. De quibus compendiose Michael *Germain :* « Gau« det Majus Monasterium prærogativis quæ « famam ejus longe lateque propagaverunt. « Dictum est enim *caput ordinis,* a quo sparsi « per varias provincias prioratus numero « centum et quadraginta regularis vitæ nor« mam acceperunt. Quippe solebat quotan« nis abbas convocare generale capitulum « ad quod singuli priores conveniebant, ad« ministrationis rationem reddituri, a qui« bus, ubi res exigebat, ad ferenda monaste« rii onera et reparanda sarta tecta subsidium
C « impendebatur. Primam quoque clericalem « tonsuram monachis suis abbas aliisque sibi « subditis conferre potest, accepto privilegio « quod etiam ad quatuor minores ordines « extensum est. » Ab anno 1661, generales congregationis S. Mauri conventus plerique in ædibus Majoris Monasterii coacti sunt. Abbatialem mensam, anno 1739, ecclesiæ Turonensi univit Ludovicus Jacobus *de Chapt de Rastignac.*

Abbatum series jam sæpe condita. Inter veterum annales præcipuum tenent locum Nar-
D ratio de Commendatione Turonicæ provinciæ, Chronicon abbatum Majoris Monasterii, liber de Restructione ejusdem cœnobii, et quædam alia ejusdem tenoris opuscula quæ prælo recens dedit, in Collectaneis suis Chronicorum Turonensium, D. Andreas *Salmon,* tanto studio nisus in patrium decus. Præcipuus recentiores inter Majoris Monasterii chronographos memoretur Edm. Martenius, cujus historiam, auctoris manu scriptam, exhibent plures ex armario Sangermanensi deducti codices, hos inter quos Residuos vocant, sub num. 972 et seq. Nec prætereamus stu-
E diosissimum fastorum Majoretanorum abbreviatorem domnum Michaelem *Germain,* cujus schedas servat Sangermanensis codex 583. Ad quos cum nosmet applicaverimus, eis gratia palam a nobis referenda. Usi præterea sumus apographis a Stephano *Housseau* collectis, et ipso Majoris Monasterii chartulario quod plures exhibent Regii codices. Inter Regios præterea libros adivimus chartularium Vindocinense Majoris Monasterii, et, inter Sangermanenses, chartularium ejusdem cœnobii Castridunense. Instrumen-

torum ingentem denique copiam nobis schedæ Stephani Baluzii suppeditaverunt. Plura designare ad præsens forte supervacuum.

Prolatis jam nominibus abbatum qui a B. Martino ad nonum sæculum Majori Monasterio præfuisse traduntur, certiorem securius, instrumentis utentes authenticis, nunc ordiamur sequentium catalogum.

SERIES ABBATUM.

I. Hieremias abbas Majoris Monasterii dicitur, anno Ludovici Pii primo, Christi 814, in imperatorio præcepto quo monachorum immunitates et privilegia confirmantur; Rer. Gall. Script., t. VI, p. 468.

Ann. t. II, p. 555. II. Theoto, alius, ut Mabillonius nos monuit, a Theotone regis cancellario, non alius autem ab eodem secundum Martenium, occurrit anno 832, accipiens a Ludovico Pio villam Cambonem in pago Blesensi, seu Dunensi, Ibid. p. 738. et, mense Martio 833, a Troanno, comite Vindocinensi, domos, vineas, nemora, nec non mancipia, in loco Marciago nuncupato. Illum Adrevaldus monachus et Andegavense Chronicon memorant occisum in pugna contra Lambertum comitem, anno 834; Rer. Gallic. Script., t. VI, p. 313. Idem lege in Annalibus Bertinianis, ibid., p. 196, et in Annalibus Fuldensibus, ibid., p. 210. Dicitur Theoto a quibusdam, sed perperam, abbas S. Martini.

Adalardus a nonnullis ponitur post Theotonem, quibus videtur insimul Martiniensibus et Majoretanis præfuisse. Quorum conjecturæ Mabillonius non patrocinatur; Annal. t. II, p. 644.

III. Rainaldus, Viviani comitis frater, oc-Ch. III, col. 31. currit, IV cal. Januarii 844, in præcepto Caroli Calvi jura Majoretanorum confirmantis; idem, anno 845, in Caroli regis diplomate Mabill. Annal. t. II, p. 747. de quibusdam villis Majori Monasterio restitutis. Eodem anno, Rainaldus reperitur in Viviani charta pro monasterio Herensi.

Erravit Mabillonius Rainaldum post Vivianum ponens, postquam, mendoso nimium confisus apographo, diploma de villis adscripserat anno 846. Hæc sunt Mabillonii verba: « Post Vivianum, eodem anno (846), le« gitur charta Raginoldi abbatis (1), non alius « haud dubie a Rainaldo abbate, sive is amo« tus fuerit statimque restitutus a Carolo « rege, qui ejusmodi mutationes pro suo ar« bitrio sæpe faciebat, sive secundi abbatis « locum tenuerit sub Viviano, primario forte « abbate. » Hucusque Mabillonius; Annal. Bened., t. II, p. 644. Nec Reginaldus Viviano successit, nec is fuit abbas illo præfecturam simul agente. In ista vero dubia non certe delapsus esset Mabillonius, nisi autumasset chartam Caroli regis datam III cal. Fe-

(1) Non Reginaldi quidem, sed Caroli Calvi, ad precem Reginaldi.

A bruarii, dum in aliis legatur apographis: « Data III cal. Septembris, anno VI, indict. « VIII, regnante Karolo gloriosissimo rege. » Quæ chronicæ notæ anno 845 respondent, neutiquam anno 846. Romam Rainaldus, sive Reginaldus, ivisse dicitur, et inde retulisse corpus S. Gorgonii.

IV. Vivianus comes regimen Majoris Monasterii nec non S. Martini semet ait sortitum, in charta de restauranda S. Mariæ ecclesia, data cal. Januarii 846; e Mabillonii Annal., t. II, col. 746. Obiisse legitur anno 851.

B V. Robertus, anno 852, innotescit e præcepto Caroli Calvi plurima confirmantis prædia in vicinia Majoris Monasterii sita, nec non ecclesiam S. Symphoriani supra Ligerim; Rer. Gallic. Script., t. VIII, p. 520.

VI. Herbernus, antea custos oratorii Septem Dormientium, abbas erat Majoris Monasterii anno 853, quo ferox irruit turba Normannorum et quasi totam monachorum familiam ferro sustulit. Herberni laudatur his in angustiis constantia, quem variis cruciatibus affecerunt Normanni. Nec eis tamen quidquam tradidit vir inaccessum timori pec-C tus gerens. Illum præterea ducem fuisse ferunt exulantium ad longinquos tractus monachorum, et S. Martini venerabile corpus secum asportantium. Quod post annos circiter triginta revexit ipse Turones Herbernus jam tunc senex, et deinde ad archiepiscopatum Turonensem, ut diximus, evectus fuit.

Desinit hic secunda series Majoretanorum abbatum. Vastati monasterii parietinas postquam suo sub jure canonici Martinienses exceperant, eidem Majori Monasterio dicuntur tunc præfecti quos S. Martino præfuisse didicimus, nempe Robertus Fortis, Hugo D Abbas, Odo, Robertus Odonis germanus, Hugo Magnus, et Hugo Capetus. Quibus a Mabillonio adjungitur, Roberti Fortis tempore, Ludovicus, Caroli Calvi filius.

Occurrunt nomina quorumdam qui munus post abbatem primum tenuerunt et dicti sunt Majoris Monasterii decani. Erlandus et Adalelmus decani memorantur insimul, anno 908, in charta pacis initæ canonicos inter et Amalricum, rectorem portariæ Majoretanæ, de prato juxta Mercuriolum sito. Hildebertum ejusdem Majoris Monasterii leges decanum, anno 947, in Hugonis charta de rebus E Adalulfo, sub ratione census, traditis. Godofredus post eum, anno scilicet 969, subscripsit Hugonis Capeti litteris de vinea Otberto presbytero condonata.

Cluniacensi colonia ad resurgens cœnobium translata, ibi iterum S. Benedicti religio floruit. Monachorum in monasticas ædes redeuntium primus abbas fuit

VII. S. Maiolus, Cluniacensis abbas, qui tredecim e fratribus suis Turones secum adductis, cum ipsis commoratus est, donec,

disciplina vigente, præfecturam alteri secure tradere posset. Nominatur Maiolus abbas in Herlani canonici charta prædium situm Pasnegeriis S. Martino tradentis.

VIII. Wilibertus, seu Guillebertus, Cluniacensis monachus, ut legitur in charta Stephani, comitis Blesensis, restaurationem Majoris Monasterii referentis, occurrit anno 986, mense Januario, Waringo cuidam terras concedens sub conditione census; apud *Housseau,* t. I. Idem, Octobri mense 989, a Fulcone comite pisces omnes piscariæ Baisseiensis, exceptis luciis, accipiebat. Decessit Wilibertus annum circa 990 et sub basilicæ propylæo, ad dexteram partem, sepultus fuit. Hunc opinantur Ecbertum ad quem plures Gerbertus scripsit epistolas.

IX. Bernerius, eductus, ut videtur, e Cluniacensium familia, quosdam commutavit locos cum Archambaldo archipræsule, Septembri mense 991, et ab eodem, anno 993, census et reditus omnes accepit, quos contulerant ea tenus in quæstum ærarii metropolitani ecclesiæ S. Symphoriani, S. Petri de Parciaco et S. Sulpicii de Orodorio. Occurrit idem Gisbaldo et Guidoni sub lege census plura tradens sita Chamartii, in pago Dunensi; e cod. Sangerm. 447. Chamartium hunc locum Bernerio nuper tradiderat Odo, Blesensis comes. Aliis Bernerius reperitur in chartis, sed absque notis chronicis. Hujus præfecturam agentis turbidum fuisse tempus cognoscitur e litteris Abbonis Floriacensis. Bernerium præterea quidam dicunt e sua sede dejectum Cluniacum secessisse, et tandem, ab anno scilicet 1008 ad annum 1028, Trenorchiensi monasterio præfuisse. Incerta vero non pro certis habenda.

X. Ganzbertus, abbas jam S. Juliani, Malleaci, Burgulii, nec non Culturæ Cenomannensis, vir genere potens, siquidem propinquos habuit Emmam Pictaviensem comitissam et Odonem Turoniæ comitem, Majus Monasterium, abeunte Bernerio, suscepit regendum. Occurrit anno 1000, paciscens cum Reginaldo milite. Robertum regem inter alios beneficum expertus est, a quo donatus est areis ad abbatiam S. Petri Puellaris pertinentibus. Concessit, anno 1004, sub lege census, Gisleberto præposito Castriduni quasdam vineas e ratione S. Martini, in villa Cormartiaca. Anno 1007, prædia plura tradidit Acfrido militi. Quo anno decessit, die 27 Septembris.

XI. Sichaldus, alias Sichardus, abbas e decano Majoris Monasterii, anno 1007, Guaonem militem inducit ad restituendas monachis quasdam decimas; e schedis *Housseau,* t. II. Idem sub tempus Roscelinus, Turonensis accola, septem jugera terræ Sichaldo tradidit, monachos rogans ut pro se Deum orarent.

Richardus post Sichaldum, vel Sichardum, a Martenio ponitur, ex una charta chronicis notis carente. Richardum hunc forsitan a Sichardo primus distinxit oscitans quidam eclogarius. Illius nulla apud veteres mentio.

XII. Ebrardus occurrit anno 1015, ad cujus precem Odo comes et Hugo Turonensis archiepiscopus dimittunt consuetudines quas perceperant in emporio S. Bartholomæi; e chartul. Majoris Monasterii. Sub idem tempus, eidem prædicti comes et archiepiscopus condonant alias consuetudines a Tedasio vicario usurpatas; ex eodem. Memoratur, anno 1020, accipiens a Burchardo, Insulæ domino, Tavennensem locellum in honorem S. Mariæ consecratum. Aderat Andegavi, cal. Septembris 1022, consecrationi Frederici, e Majoretano monacho Salmuriensis abbatis. Ille forsitan est Evrardus abbas qui subscripsit, annum circa 1027, Odonis chartæ de Seherio manumisso. Ad cujus deprecationem editum Odonis præclarum instrumentum de Chilziaco Majoretanis tradito. Hoc quidem chronicis notis caret: cum vero signum Henrici regis exhibeat, certe post annum 1031 prodiit. Plura alia Ebrardo data, sed incertis annis: inter quæ notabimus Hetredvillam a Richardo, Normannorum duce concessam, cum adjacentibus prædiis, atque vicariam quam Rainaldus, Castelli dominus, monachis abstulerat, et ægrotans, vicina jam morte, restituit. Nec silendum super monasterio S. Exuperii de Gahardo, in Redonensi diœcesi, quod Alanus dux Ebrardo tradidit; inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 360. Dicitur Ebrardus institutor S. Nicolai Andegavensis et reparator S. Florentii Salmuriensis. Abbas et ipse fuit S. Juliani et Nucariarum, ut Mabillonius conjicit, Annal., t. IV, p. 362. Mabillonii conjecturæ Martenius adhæsit.

Ch. XLV, col. 66. — Ch. XLVI, col. 67. — Ch. XLVIII, col. 68. — *Mabill., Ann., t. IV, p. 433.*

XIII. Albertus oriundus erat ex agro Cainonensi, secundum Sammarthanos; eumdem vero nonnulli referunt apud Aurelianos natum. Horum potior nobis videtur sententia; fratrem enim habuit germanum Hubertum quemdem de Firmitate, militem, qui, plura condonans Majori Monasterio, inter cætera vineam nuncupavit *in Aurelianensi pago* sitam, nec non *prope suam Firmitatem.* Consule Martenii manuscriptam Historiam, t. I, p. 312. Abbas fuit ab anno 1034, secundum Mabillonii supputationem, in Annal., t. IV, p. 395. Quosdam reperire est illum qui putant e decano Carnotensi factum abbatem: vide supra, t. VIII, col. 1197. His assentire quamvis non tutum, nescitur tamen quo tempore famularem pœnitentiæ vestem susceperit, et quo munere monachos inter donatus sit, priusquam, ut aiunt, in candelabro fuit collocatus. Ut primum salutatus abbas, fama morum claruit, nec non doctrinæ: unde plures sibi devinxit Turonensis agri nobiles, qui renas-

centem abbatiam multis auxerunt prædiis. Longum esset singula memorare quæ data vel empta comparavit; in præcipuis tantummodo commorandum, cum, illo regente, sex et triginta novi prioratus surrexerint. Occurrit primum Albertus ab Odone comite accipiens aquam Fontis Chari, nec non prata Mercurioli sita. In eumdem iterum Odo beneficus villam suam Monasteriolo contiguam, quæ Mons Theobaldi dicebatur, monachis contulit, in qua protinus ecclesiam extruxere. Mox vero pependit opus interruptum, Arnulfo quippe archiepiscopo in iras, testibus monachis, exardente, cum Monasteriolum ad jus suum pertinere, sibique injuriam inferri diceret. Exules ergo monachi secesserunt, probante Theoderico, Carnutum episcopo, ad Fontem Merlandi, vulgo *Meslant*, et ab omni jure liberum ibi condiderunt oratorium. (Ch. XLIX, col. 68.) Quæ peracta sunt annum ante 1049, cum instrumento fundationis subscripserit Theodericus, exeunte 1048 defunctus. Hoc anno 1048, ut supra legitur t. XII, col. 495, sive 1038, ut in eodem tomo legere licet, col. 542, ad Cellensem abbatiam, in Trecensi diœcesi, devenit Albertus, et Bernardi Cellæ monachis præficiendi curam suscepit. (*Gall. Christ. t.* VIII, *col.* 1119.) Idem circa tempus impetrabat a Petro, Sigebranni filio, domum in Camiliacensi castro, quam nuper ille disposuerat ad hospitandos monachos. Seincurtis locus est in pago Carnotensi, dives opum et amœnis non procul a Sparnonis vallibus: quem, anno 1051, dedit Alberto miles Amalricus. (Ch. L, col. 69.) Sedebat Albertus, anno 1053, in conventu Sandionysiano, ut Rigordus memorat: vide supra, t. VII, col. 363. Majori Monasterio dederat Theobaldus comes, Odonis Campanici filius, silvam Blimartium in Blesensi territorio: quam, Alberto subscribente, confirmavit donationem Henricus rex, mense Maio 1059, « Eo videlicet anno quo filium suum regem « fecit ordinari Philippum, paucis ante illam « ordinationem diebus, tunc scilicet quando « obsidebat castrum Trodemerense nuncu- « patum, in pago Carnotensi, noviter a quo- « dam Guaszone constructum; » inter chartas ad Majus Monasterium spectantes, quas Martenius collegit. Præclarum est Orcicasæ donum, in Carnotensi pago, quod Agobertus Alberto fecit episcopus, VII cal. Decembris 1060, et cujus fidem tulit ad posteros præceptum a Mabillonio desumptum e Majoris Monasterii chartulario. (*Mabill. Ann., t.* IV, *pag.* 600 *et* 751.) Mox, II cal. ejusdem mensis, Albertus a Guaszone milite Normanniceam villam, dictam Chrotum, assequebatur; ex eodem chartulario. Eodem anno, Albertus transegit cum Mainone, episcopo Redonensi, de prandio quod episcopi Redonenses quotannis a Majoretanis exigebant; Prob. Hist., Brit., t. I, col. 405. Ecclesiam denique Saviniaci ab altero Mainone, Redonensi milite, eodem anno Albertus impe-

A piebat; ibid. col. 393. Memoratur in tabulis anni 1061 colibertum nomine Joannem, arte piscatorem, accipiens a Geoffrido comite, Fulconis filio, et Guicherium de Castro Reginaldi propellens ante curiam Tetbaldi comitis, donec calumniam ejuraret de nemore Blimartio. Eodem anno pepigit de prædiis Veteris Vici. Alberti nomen sæpius legitur anno 1062. Inter Cenomannici pagi proceres, Fulco dat Alberto Boerianam ecclesiam, et Hubertus, filius Rodulfi, confirmat altare Vivoniense. Quo et anno reperitur Albertus pacto sibimet obligans Guiche-

B rium, filium Guicherii de Castro, qui sæpius monachorum colonos Gastinellæ degentes erat deprædatus. Eodem anno, servum S. Martini quemdam manumisit tonsuraque clericali ornavit, et pactus est cum Hugone, Geoffrido, nec non Haimone, Lavarziensibus, de decima ad ecclesiam Semetarianam pertinente, cum Roberto Bacheto de prædiis prope Buziacum, et cum Frotmundo de rebus quæ sibi vindicabat ille miles in terra Adelelmi Butafocum. Ecclesiam S. Salvatoris de Bairiaco nobilis quædam e gente Britonum femina, Innoguendis nomine, Alberto dederat.

C Querelam ea super ecclesia movit Almodius, Rotonensis abbas, ante Quiriacum, Nannetensem episcopum, et utrique abbati ad causam orandam indictus ab episcopo dies. Cum vero senesceret Albertus, et Nanneticum placitum adire non valeret, Quiriacus Andegavum accessit, ubi simul Albertus et Almodius convenere, V idus Februarii 1062. (*Bouq. Rer. Gallic. Script. t.* XIV, *p.* 149.) Vicit jus Majoretanorum. Accepit Albertus, anno 1063, a Geoffrido Papabovem castellum Ruiliacum, in Andegavensi pago, a Rainaldo Castri Guntherii partem aquæ Chari, a Roberto de Tœniaco quidquid habebat potens ille miles in

D territorio Guarniacensi, ab Isambardo calumniatam Semetarii terram, a Gradulfo quasdam mansiones Senatorii, et a Fulcone, Floriani presbyteri filio, confirmationem traditæ colibertæ. (Ch. LII, col. 71.) Idem circa tempus adjungebat Albertus rebus S. Martini prioratum S. Quintini, et ei largiebatur Tetbaldus comes amplam nemoris Blimartii partem. Geoffridus Martellus, in articulo mortis, Alberto tradiderat vectigal navis unius, et unius cymbæ sal deferentis monachorum per Ligerim a Nannetensi civitate. Hoc datum legitur in gratiam Tetbaldi monachi, nec non medici,

E qui per multos dies assiduas ægrotanti curas præstiterat. De eodem Tetbaldo, sive Tetberto, plura leges in Annal. Mabillonii, t. IV, p. 529. Albertum præfecturam abdicasse quidam opinantur anno 1063 et in secessu quiete novissimos vitæ dies consummasse. Attamen II idus Martii 1063, ineunte scilicet, secundum nostrum usum, anno 1064, nominatur in charta Geoffridi Barbati a militari servitio eximentis homines Majoris Monasterii vexilla sua sequi recusantes; inter instrumenta quæ

Martenius Historiæ Maj. Monast. adnexuit. Idem testatur Herlehardi de Domniolo charta monachum induentis, anno 1064, *sub regimine domni abbatis Alberti,* et Majori Monasterio tradentis dimidiam ecclesiam sui castri. Nec prætereundum Geoffridi militis præclarum, firmante Philippo rege, præceptum, quo data Majoretanis, sub Alberti regimine degentibus, dives opum Basenivilla, anno quinto Philippi regis, Christi scilicet 1064. Consulenda denique charta de Blimartio nemore, quod sibi vindicarat Guicherius de Castro Raginaldi, cujus ad calcem legitur : « Actum castro Blesensi, anno ab incarnat. Dom. « MLXI... Henricus, Tetbaldi comitis filius, « post annos tres atque dimidium, eo scilicet « anno quo beatum sortitus est transitum su- « pradictus domnus abbas Albertus, nobisque « præsidere jam cœperat domnus abbas Bar- « tholomæus, mense Januario, VII cal. Fe- « bruarii... suum chartæ huic præbuit aucto- « ramentum. » A nonnullis dicitur defunctus Albertus die 20 Maii 1064.

Temporibus Alberti Majoretanos inter sodales recensetur Guanilo, qui postquam S. Martini thesaurariam abdicaverat monachus factus est. Ille est, artis logicæ peritissimus, qui contra *Proslogium* Anselmi Beccensis scripsit, nimis Platonicam thesim argumentis repugnans eximium prodentibus Peripateticum.

XIV. Bartholomæus legitur Majoretanis incipiens præsidere, ipso anno *quo domnus Albertus beatum sortitus est transitum*, in Henrici Blesensis chartula cujus supra meminimus; anno videlicet Christi 1064, ante Junium mensem. Nec desunt quidem instrumenta quibus initia Bartholomæi trahere conantur ad annum 1063 : obstant vero pleraque, ut jam Mabillonius notavit, Annal., t. IV, p. 658. Mabillonio tamen ipsi non suffragamur, cum electi nuper Bartholomæi regimen, e male lecta forte scheda, ab anno 1064 desinente, sive, secundum neotericum usum, ab anno 1065 ineunte, exordium sumpsisse dicat. Bartholomæus enim jam sedebat abbas ante Junium mensem 1064, ut testatur auctoramentum Girardi de Balgentiaco infra notatum. Idem præterea, XVI cal. Januarii, sive die 17 Decembris 1064, concordiam pepigit cum Theobaldo de Rupibus, qui plures adversus monachos lites moverat. Hujus circa benedictionem multa molitus est Geoffridus Barbatus, Turonensium comes, præcipiens ut de manu consulari baculum pastoralem acciperet. Qua re cognita, monachorum æstuare cœtus et privilegia prætendere, nulli nisi regi clamitans obnoxium S. Martini cœnobium. Comiti ferox inerat animus consiliique tenax, quem non inermis turbæ querula vox conturbare valeret. Hic debitum veluti morem detrectantes appetens, terras hominesve mona-

A chorum, ipsos et monachos vexare cœpit, se rapturum vi confisus quod libenter tradere recusabant. Vana quidem tutela fuit pro libertate sua impigre propugnantium concentus precum quas ad tumulum S. Martini undequaque detulere pauperes, infirmi, leprosi, subsidium egestatis a monachis quotidie suscipientes. Ipse mox Hugo Cluniacensis Turones devenit, et comitem adiit, flexis hunc modo genibus exorans, modo viriliter adloquens, dicensque Ecclesiæ jura a nemine impune violari ; inaudita vero fuere vel Hugonis monita, et in dies tyranni crevit furor, quoad B a Fulcone deturbatus fuit et in carcerem dejectus. Annum Christi 1064 primum *Mab. Annal. t. IV, p. 659.* Bartholomæi fuisse jam declaravimus. Quo anno pactus est super terris quibusdam ad Semitarium, tam cum Drogone Lavarzinensi quam cum Gausfredo de S. Amando. Eodem, concordiam iniit cum Sulione, filio Tedasii de Rupibus, qui nempe ecclesiam et moletrinam Membrariolæ per vim invaserat, traditas quanquam a patre secundum jus et normam emptionis. Eodem denique, servum nomine Rainaldum ab Odone comite accepit ; e cod. Sangerm. 447. Terram aliam juxta Se- C mitarium pariter sitam repetiverat Hugo, frater Hamelini de Langiaco : quam dimisit anno 1065. Eodem anno, Rainaldum et Albergam uxorem excepit Bartholomæus semet Ch. LIII, col. 72 servitutis vinculo Majoretanis obligantes. Anno 1066, *præsidente anno tertio domno abbate Bartholomæo*, cum Guillelmus, comes Normannorum, in eo esset ut Anglorum gentem debellaturus mare transiret, Robertus, ejus filius, confirmavit quæcumque Majoretanis ille dederat in Normannico tractu; e Baluzii schedis, arm. 3, fasc. 2, num. 3. Unde rursus novimus Bartholomæum Majore- D tanis præfuisse ante annum 1065. Eodem anno 1066, Bartholomæus quievit a lite quam moverat Letgardis, filia Reinerii Calvi, de parte cujusdam domus quam incoluerat Agnes Thesauraria, uxor nuncupata Buanilonis thesaurarii S. Martini. Annus Christi 1066 abbatis Bartholomæi tertius præterea dicitur in charta qua Fulco, Vindocinensis comes, vicinam sentiens mortem, consuetudines Loiris, nec non Forgetarum monachis largitus est, et in conventione quadam cum Guismando quam exhibet chartularium Vindocinense Majoris Monasterii. E Nec prætereundum Hugonis militis præclarum donum, qui Gisortii simul ecclesiam ad Eptam fluvium et nonnulla prædia eodem anno Majoretanis contulit, nigrorum cellam monachorum in eo loco studens constitui. *Mabill. Ann. t. IV, p. 675.* Bartholomæus ab annis tribus præsidens, anno scilicet 1067, prædium auget quod de monachis juxta castrum Malliacum habebat Geoffridus, filius Bernardi. Idem annus, mense Junio, Bartholomæi præsidentis quartus nuncupatur, in auctoramento Girardi de

Balgentiaco super rebus Ohelmi et Ascelini, servorum; in cod. Sangerm. 447. Alexander papa II, IX cal. Octobris 1067, confirmavit ecclesiam S. Guingaloei, Majoretanis nuper datam a Gervasio de Castro Ledi, et Philippus rex, eodem anno, concessam eisdem a Roberto de Sablolio ecclesiam S. Macuti. (Menag., Hist. Sabol., p. 77.) Hugo de Roceto monachis tradiderat ecclesiam S. Martini Belismensis : is, VIII idus Decembris 1067, anno Bartholomæi quarto, cum in eo esset ut monachus fieret, fratribus largitus est quidquid ea tenus e rebus hujus ecclesiæ sua sub potestate retinuerat. Probavit Hugonis donum Ivo, Sagiensis episcopus; e Miscell. Baluzii, t. VII, col. 197. Dicam impegerat monachis Geoffridus, filius Ulgerii Martiniensis olim decani, de consuetudinibus Loratorii : cum eo pactus est Bartholomæus XII cal. Martii 1067. Sub hunc annum referenda quæ prolixe quidem refert chartularium Majoris Monasterii Britannicum, de lite super Bairiaco. Britanniam peragrabat Bartholomæus, cum auditus ab eo fuit Almodius, Rotonensium abbas, iteratas de Bairiaco querelas acriter edens. Rem ad summum Pontificem deferendam ambo tunc dixerunt, et hujus mandato Turonibus mox sedit episcoporum abbatumque conventus. Nec tamen in eo sopitum fuit dissidium, abeunte protinus Almodio, secundum Majoretanos, ut novas moliretur insidias. Cellam Bairiacensem aliquanto post excommunicatus a domino papa Rotonensis dimisit. Turonensem de quo supra conventum adscripserunt anno 1064 antecessores nostri, t. VIII, col. 1381. Celebratus autem fuit post Burdigalensem synodum anno 1067 coactam, ut notavit *Brial*, Rer. Gall. Script., t. XIV, p. 151. Accepit Bartholomæus, anno 1068, ab Hugone, Salomonis monachi filio, confirmationem rerum quas pater monachis largitus erat juxta S. Lupum, in Cenomanensi tractu. Quo anno Cenomanum venit et ab Arnaldo episcopo obtinuit S. Guingaloeum, Vivonium, Vallem Guidonis et S. Macutum de Sablolio; e Baluzii Miscell., t. VII, p. 199. Beneficum expertus est, X cal. Octobris 1069, Harduinum, filium Gelduini, dimittentem Majoretanis vectigal quod de rebus per Malliacum transvectis exigere solebat : ab eodem accepit, anno quidem incerto, ecclesiam S. Venantii Malliacensis, cum tota terra, et pratis omnibus, nec non ecclesiam S. Solemnis et amplissima privilegia. Anno 1070, paciscitur (Ch. LIV, col. 72.) Bartholomæus cum Hilgodo Cunneario, cui debitum in hospitio prandium famulus quidam monachorum negaverat. Verberibus, de more, cæsus est famulus, et ea sub conditione pax inita. Guismandum, eodem anno, plura monachis condonantem, spondet Bartholomæus se monachorum in cœtum admissurum. Accipit insuper ab Odelina, Bel-

A li Montis abbatissa, sub lege quidem annui census, molarem aream; a Richardo de Curciaco, Guillelmo rege probante, ecclesiam S. Vigoris in vico Petrariis, et a Radulfo, filio Radulfi, Lusdiensis vice-comitis, auctoramentum de prædio Nuceriis sito. Majus et in re majori donum paulo prolixius enarrandum. Cum Burchardus de Insula bellum moveret in Godofredum Foaldum, Godofredus, cum nepote non valens in aperto conserere manus, Tavennas confugit. Illius instat Burchardus vestigiis, et stipatum pau-
B cis fugæ comitibus opprimere gestit. Godofredus vero semet in ecclesiæ turre cum suis includens, inde vanos irridet expugnantis impetus, quoad impatiens vindictæ Burchardus ne sacris quidem parcere jubet, flammisque turrim invadi, quæ mox ecclesiam, officinas monachorum et totum quasi viculum communi hauriunt incendio. Cujus delicti postea dolens, fratribus Majoris Monasterii, anno Bartholomæi septimo, mediam primum, mox integram dedit Riperiam, et ipse suscepit monachorum habitum; apud *Housseau*, t. II. Occurrit, anno 1071, Bar-
C tholomæus, VI cal. Aprilis, transigens cum filiis Ingelbaldi de quibusdam rebus juxta Semitarium. Anno sui regiminis nono, III nonas Martii, Christi 1073, Bartholomæus (Ch. LV, col. 73.) notitiam edidit de dimissis consuetudinibus quas antea Fulconis comitis ministri in terras S. Martini satagebant immittere. Eodem anno, villam Nantulfum accepit ab Ebrardo (Rer. Gall. Script. t. XIV, p. 33.) vice-comite Carnotensi. Tendebat, XV cal. Novembris 1074, ad Salmuriense S. Florentii cœnobium, ut in eo componeret litem inter S. Albini et S. Sergii monachos acerrime de Campiniaro contendentes. Annorum 1075,
D 1076 et 1077 tabulæ Bartholomæi meminere ob res vero minoris momenti, nisi quod, annum circa 1075, in Britanniam devenit et accepit locum supra fluvium Herdam, sub vocabulo S. Georgii constructum; apud Moricium, t. I, col. 443. Obtinuit, anno 1078, a presbytero quodam Girardo, quem puerulum dono patris exceperant monachi, quique monachicum induere noluerat habitum, moletrinam et plura alia Fonte Cari sita, collatæ pretium alimoniæ; e schedis *Housseau*, t. III. Huic tradidit, eodem anno, Milesendis, Bernardi Bloii quondam uxor, terras et prata
E quibus ad exitus diem eam frui licebat. Visitavit, anno 1079, Laudunensem ecclesiam et societatem iniit cum Elinando præsule, a quo ecclesiam S. Nicolai Roceiensis accepit; supra, t. IX, col. 525. Occurrit testis, V Junii 1080, datorum S. Florentio Salmuriensi fructuum omnium S. Florentii Veteris a Fulcone, Andegavensium nec non Turonensium comite. Anno 1081, ab Odone, pagi Constantini vice-comite, partem accepit Heltvillæ, a Sulpitio de Calvo Monte partem Calvomontani nemoris, et ante hunc annum

desinentem (cum Eusebii Brunonis nomen charta præbeat) a Geoffrido de castro Reliaco S. Lupi ecclesiam, canonicis antea datam, tum demum a monachis occupandam, cum negligentius canonici res sibi deputatas administrassent. Sibi jam diu vindicabat Bartholomæus ecclesiam B. Mariæ de Chimiliaco : hunc audivit tandem, anno 1082, Petrus, filius Sigebranni, et rempostulatam dimisit. Eumdem annum non mediocriter Majoretanis commendavit Ebali et Andreæ memorabile donum, qui Cellam Brigensem, in Meldensi pago, abbate proprio destituerunt, quia delicatioribus monachorum suorum moribus nimium indulgebat, et eam Bartholomæo tradiderunt inter Majoris Monasterii possessiones ulterius recensendam. De qua donatione consule, si lubet, tomum hujusce Gall. Christ. VIII, col. 1673. Quo eodem anno Lugdunensis provinciæ episcopi sententiam excommunicationis edixerunt in Majoretanos, archipræsuli Radulfo debitum morem detrectantes. Accepit tandem Bartholomæus, anno 1073, a Roberto de Simpliciaco plures decimas. Eodem anno, disciplinæ virgam moderans dicitur in charta quæ præbet homines Odonis, cognomine Desreati, paciscentes cum Majoretanis monachis de cujusdam usu nemoris prope Nantoliacum villam; e Sangerm. codice 447. Decessit, ut aiunt, die 23 Februarii 1083, vel 1084, secundum recentem computum, multum fletus a monachis, qui rem S. Martini præ cæteris egregie curaverat. Hujus sub regimine prioratus quadraginta, quorum decem apud Anglos, adepti sunt Majoretani. Bartholomæum habuit acceptissimum Guillelmus, Angliæ rex Sepultus fuit in basilica monasterii, Apostolorum ad altare, unde in Assumptionis capellam fuit translatus. Pauca desumpsit Mabillonius e Bartholomæi vita ab anonymo digesta, Annal. t. IV, p. 659, et hujus insuper quædam retulit miracula Joannes Dolensis, Comburnii dominus; apud Moricium, Prob. Hist. Brit., t. I, col. 665. Sanctus idcirco dicitur in Martyrologio Benedictino.

XV. Bernardus, dictus de S. Venantio, consecratus est anno 1084 ineunte a Radulfo archiepiscopo. Hoc autem præter morem actum est, cum ea tenus Majoretani se venditassent ab episcopali jurisdictione prorsus immunes. Quocirca nonnulli contra Bernardum querelæ. Hic, anno 1084, munus exsequens abbatiale, dimissam recepit a quodam Gualterio litem de terra Martiniacensi, et ab Harduino de Malliaco confirmatas res quas Bartholomæo jam ipse dederat. Eodem, legitur rediens e Medantæ placito et Camarcii commorans, ubi Algrinus ei clericus ecclesiam S. Albini tradidit. Eumdem tandem annum præbet charta Pagani Guidonisque ecclesiam S. Mariæ juxta Parisios abbati Bernardo concedentium; eumdem charta Bonelli mo-
A nachum induentis et fratribus condonantis quidquid possidebat in ecclesia Guahardi. Denique, si conjecturæ domni Moricii tuta fides adhibetur, eo tempore vocatus Dolum a Geoffrido comite, quem Boterellum dicebant, multa juxta Lamballam Bernardus accepit; e quo dono traxit originem prioratus S. Martini de Lamballa (1). Hunc annum revera præbet alia ejusdem Geoffridi chartula, qua Bernardo Britanniam invisenti concedit prædia nonnulla in insula Brihiaco nuncupata; ex eodem Moricio, Probat., t. I, col. 459. Bernardo largitur anno 1085, Fulco
B comes, morbo laborans, silvam Canevosam integram et omni liberam consuetudine; apud *Housseau*, t. III. Anno 1090, ab Anscherio et Liecelina uxore divitem accepit ecclesiam Bodini Curtis, gallice *Biencourt*, in agro Pontivo, eique terram, quam S. Martino jam antea traditam Garnerius quidam invaserat, restituit uxor Garnerii ferro necati; ex eisdem *Housseau* schedis. Eodem anno, Guido junior, Vallis dominus, dimisit consuetudines ab ipso per vim ablatas monachis Valle degentibus, et Guillelmus de Braitello indebita quæ sibi diu vindicaverat
C jura in vico S. Serenici. Eumdem annum præ se fert charta Gervasii Vindocinensis, tradentis Bernardo ecclesiam S. Secundini. Memoratur hoc eodem anno Bernardus visitans Segurniacum prioratum, et accipiens a quodam Telmaro jura nonnulla in nemore Duciaco. Servum S. Martini, nomine Rotbertum, a jugo servitutis exemit Bernardus, anno 1091, et tonsum in sacram clericorum cohortem misit. Anno 1092, rex Philippus Turones venit, plures secum trahens episcopos, quos inter Elinandus Laudunensis erat: ille Majus Monasterium adiens Bernardo
D dedit altare quoddam in villa quæ Bariacus vocabatur, adstante S. Vincentii Laudunensis abbate Adalberone. Eodem anno, Bernardus a Guanilone de S. Aniano supremum efflante spiritum accepit quidquid ille miles possidebat in cœmeterio Palmeriensi. Mense Maio memoratur Bernardus Chilziacum deveniens et a Radulfo de Monte Foleto impetrans ecclesiam S. Joannis de Chamarciaco; e codice Sangerm. 447. Eumdem annum exhibet testamentum Sigeberti, Bernardum ejusque monachos hæredes suos constituentis : eumdem charta de Rosdonio, quod, dicta causa, recu-
E peravit Bernardus ab Erchambaldo Pejore-Lupo calumniatum : eumdem charta de ecclesia S. Leonii de Rupe super Oium, a ca-

(1) Charta, quam nuper integram edidit D. Carolus *Guimart*, in sua Episcoporum S. Brioci Historia, notis caret chronicis. Inter testes, post Bernardum abbatem, occurrit « Drogo, bajulus ejus, qui fuerat archiepiscopus Remensis. » Hujus autem Drogonis in archiepiscoporum Remensium serie nulla mentio. Pro Drogone forsitan legere est Brunonem, quem exoptarant archiepiscopum, Manasse exauctorato, canonici Remenses, quemque exceperat, mandato regis, Elinandus, Laudunensis episcopus.

nonicis S. Hilarii Pictaviensis tradita, et Isemberti, Pictaviensis episcopi, præceptum Bernardo confirmantis ecclesiam S. Germani de Pisciaco; e chartul. cœnobii: eumdem denique ipsius Bernardi diploma de rebus ab Adelinde matrona datis et confirmatis a Petro, Pictaviensi episcopo; inter chartas quas Martenius collegit. Plura plures Bernardo largiti sunt anno 1093 (1). Memorandus primum Richardus de Mereio confirmans quæcumque pater ejus Humfredus S. Martino dederat juxta Bohonium. Quidam insuper Normanni milites, accepti memores hospitii, prædia nonnulla decimasque addiderunt domni monachorum S. Vigorem incolentium, et Robertus filius Gibardi rebus ad Mundum, sive Montem Johannis sitis decimam moletrinarum Calumniensium. Dein, XIX cal. Junii, Bernardus pactus est iterum cum Harduino de Malliaco, et, die Dominica post octavas Pentecostes, cum Petro, Camiliaci domino, de vico novo S. Petri. Extat hoc anno datum, XVI cal. Martii, Philippi regis præceptum, quo monasterium S. Maglorii Parisiensis, Hamonis abbatis incuria laborans abbati Majoretanorum Bernardo traditur restaurandum, ut, ab illo tempore, « cella sit dominica B. Martini, et omnis ejus ordinatio in « arbitrio et prudentia pendeat abbatis et mo- « nachorum Majoris Monasterii. » Anno 1094, Bernardus litem habuit dimissam a Rainaldo presbytero, nec non ab ejus fratribus Ingelbaldo et Christiano. Eodem anno, die festo S. Joannis-Baptistæ, Salmurium deveniens, subscripsit absolutioni Fulconis, Andegavorum comitis; quod sub tempus obtinuit ab Hamelino capellam S. Juliani Bituricensis et fœdus mutuæ caritatis iniit cum monachis S. Petri de Cultura (2). Peragravit tunc temporis Britanniæ partes et a quibusdam militibus plura accepit. Memorantur amplissima dona quæ Bernardo contulit miles quidam e gente Britonum, Haimo, filius Maini. Nec minus large benefici celebrantur eodem anno Gualterius Oditus et uxor Basilia: inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 485, 486. Anno 1095, contentionem a se motam in ecclesiam S. Remigii in Pontico ejuravit Gualeranus de Monasteriolo. Majus Monasterium adiit, eo tempore, coquus Stephani comitis, Harduinus Desredatus nomine, qui, Jerusalem petens, Bernardo tradidit abbati quidquid habebat juxta castrum Sparniacum. Eumdem annum exhibet Ivonis Britonis charta, qua media decima S. Os-

Prob. Hist. Brit., I, col. 481.

(1) Rogerius dicitur, in Indicibus tomi X, abbas tunc temporis Majoris Monasterii, subscribensque litteris Hugonis, episcopi Suessionensis, pro monasterio S. Theobaldi juxta Basilicas, inter ejusdem tomi Instrum. col. 104. Errorem hunc antecessorum nostrorum corrige.

(2) In quibusdam hujusce chartæ transcriptionibus annus 1084 reperitur. Cum vero nomen exhibeat episcopantis Hoelli, annum lege 1094, ut in chartulario Majoris Monasterii, codices inter Regios servato.

A berti et alia quædam Bernardo tradita. Mense Februario 1095, vel, secundum hodiernum usum, 1096, Urbanus papa II, Gallicanas perlustrans ecclesias, Majus Monasterium adiit, et, capitulum ut intravit, hujusce loci monachos, et eos qui ex hac luce jam antea, Deo vocante, discesserant, et eos qui tunc temporis superstites quotidianum Deo persolvebant officium, a peccatorum vinculis liberos dixit, præsentibus Hugone Lugdunensi, Amato Burdigalensi, Brunone Segniensi et Rangerio Lucano. Dedicavit Urbanus, die Martii prima, Majoris Monasterii basilicam, usus B ministerio supra dictorum præsulum, nec non Radulfi, Turonensis archiepiscopi. Peractis autem solemnibus, ampla monachis dona adstantes largiti sunt proceres, inter quos Fulco Richinus, Robertus de Rupibus, et Hugo de Calvo Monte. Non minus promptos ad dimittendum ea de quibus erat contentio se præstiterunt nobiles e vicinia qui cum Majoretanis litigabant: recensendi Ademarus Martiniacum antea sibi vindicans, et Guido, filius Aimonis, viculum a matre datum. Eodem anno, Bernardus a Gualterio, Meldensi episcopo, confirmatas obtinebat C ecclesias S. Celiniæ, B. Mariæ de Curte Ebraldi, et B. Jacobi Galliferi; supra, t. VIII, col. 1610. Eodem, Nannetes ivit: unde rediens et appellens ad portum Ancinisi, a Chotardo, milite, liberam accepit per Ligerim navigationem; inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 488. Notatur etiam Bernardus e cœtu fratrum digressus, et Sablolii aliquantisper quiescens, anno 1091, in notitia de rebus monasterio datis a Roberto Allobroge Hierosolymam pergente. Major eum, eodem anno, res ad synodum Remensem vocabat. Monachum quemdam suum, Rotbertum nomine, D præfici monasterio S. Remigii Remensis permiserat, ea tamen sub conditione, ut, licet abbas salutatus apud Remenses, Majoretanorum tamen abbati obsequium præberet, et ab eo, si non adeo caute normam beatissimi patris observaret, correctionem pateretur. Nec multo post prædictus Robertus ab archiepiscopo Remensi reus dictus est dissolutæ vitæ, et a Bernardo, ante quem adesse renuerat, excommunicatus. Cujus causam cognovit Remensis synodus et in assensum Bernardi transiit, ut legere est in Atrebatensis episcopi litteris ad Urbanum papam; Rer. E Gallic. Script., t. XV, p. 184. Hujus dissidii mentionem jam antecessores nostri fecere, t. IX, col. 231. Difficillime quidem Bernardus, anno 1098, ad veniam sibi suisque monachis condonandam adegit Robertum de Rupibus acerrimas exardentem in iras, cum tres e familia monachorum juvenes, in ipsius monasterii curia, Fulconem Painnonem, prædicti Roberti præpositum, occidissent. Adfuit, VI idus Novembris ejusdem anni, judicio litis inter S. Nicolai et S. Albini monachos

de parte silvæ Catiarum, et pridie idus Martii 1099, in placito sedens Geoffridi, Andegavensis episcopi, inter eosdem jurgium diremit de nemore juxta Prunarias. Eodem anno, Philippus rex ei reformandum commisit cœnobium Faræ Monasterii; supra, t. VIII, col. 1703. Decessit, e litteris monachorum ad fratres, VII idus Aprilis 1100. *Ch. LVII, col. 75.* Dies idem legitur in ecclesiæ Remensis vetere calendario, inter Quercetanas schedas, t. LXXIII, et in martyrologio S. Michaelis in periculo maris, inter easdem, t. XXII. Ad Bernardum scripsit Ivo Carnotensis, illum verbis compellans acerbis quia Gualterium, abbatem olim Bonævallis, exceperat latebras et otium Turonibus quærentem, dum ecclesia Carnotensis exulem, et veris falsisve criminibus impetitum frustra vocaret. Vide supra, t. VIII, col. 1239.

XVI. Hilgotus, sive Hilgodus, legitur e decano S. Genovefæ Parisiensis accitus ad cathedram Suessionensem, circa annum 1085. *Gall. Christ., t. IX, col. 352.* Majoris Monasterii monachus occurrit idem et jam *episcopus*, Sablolii sedens cum Andrea, germano suo, inter testes concordiæ cum Culturensibus initæ, Dominica prima post octavas Epiphaniæ 1084, aut, secundum hodiernum computum, 1085. Eo tempore forsitan decanatum S. Genovefæ nuper abdicaverat ut monachicum indueret habitum. Episcopatum certe Suessionensem deseruit anno circiter 1088, ut ad Majoretanos rediret. Inter quos tamen, induta monachi veste, nomen episcopi retinuit, ut constat, anno 1092, in judicio litis de Rosdonio quod sibi vindicabat Hugo, præpositus Blesensis, et in charta Radulfi de Monte Foleto supra memorata. Non aliter *Suessionensis quondam episcopus* dicitur, Bernardi tempore, in instrumento litis de Asinensi ecclesia cum Quinciensibus monachis; inter chartas a Martenio compilatas, t. I. A toto conventu, Bernardo mortuo, salutatus est abbas. Occurrit Hilgodus Majus regens Monasterium anno 1100, in chartis Tetboldi et Joannis de Alluia; e schedis *Housseau*, t. IV. Quo nuper ordinato, Majus Monasterium ingressus est Gervinus, Ambianensis episcopus, cum iter faceret ad Pictaviense concilium, et egregie susceptus a monachis, illis tradidit patronatum ecclesiæ B. Mariæ in villa super Alteiam sita. Hujus traditionis instrumentum lege tom. X, col. 295. Eodem anno, 19 Novembris, Pascalis papa II, litteris ad Hilgotum missis, privilegia bonaque monasterii confirmavit; e Guiberti abbatis Operibus, p. 588. Pactus est Hilgotus, anno 1101, cum canonicis S. Carilefi Blesensis de decima Fractæ Villæ; e cod. Sangerm. 447. Accepit, VIII idus Julii 1102, a Guicherio, Castri Rainaldi domino, ecclesiam Novæ Villæ, juxta Castrum Rainaldi, quæ jam diu deserta pastorem desiderabat, sexque misit fratres ad eam occupandam et restauran-

A dam. Datum, eodem anno, altare Dalmariaci a Rainaldo, Andegavensi præsule. Romam ivit Hilgotus. In Angliam quoque memoratur appellens. Anno 1104, devenit in curiam Adelæ, Blesensis comitissæ, terram sibi vindicans juxta Villam Belfodii, quam Girardus de Conomo invaserat, et subscribit, Andegavi, concordiæ monachos inter S. Nicolai et S. Albini tandem initæ de Catiis. De quo sic Chronicon abbatum Majoris Monasterii : « Hic privilegia de libertate hujus ecclesiæ, « pro qua dominus Bernardus diu laboraverat, data a beato papa Urbano attulit. In B « Angliam etiam pergens triginta marcas argenti quas annuatim habemus a rege et regina Anglorum et plura alia adquisivit. » Obiit, e martyrologio S. Sergii, IV idus Augusti; anno videlicet 1104. Hilgodum episcopum fratres abbatiali pedo donaverant, ut tolleretur occasio benedictionem ab archipræsule deposcendi. Consecratus enim jam fuerat Hilgotus postea quam ad Suessionensem provectus cathedram. Rursus tamen consecrandum ad se vocavit Turonensis archiepiscopus, illatam suo juri clamans injuriam, et nonnullis præterea criminibus episC copum exulem, abbatem rebellionis reum impetens. De qua re scripsit Ivo Carnotensis ad Pascalem papam, et Hilgodi causam suscepit. *Rer. Gallic. Script. t. XV, p. 116.* Benedictioni novæ non esse locum Pascalis edixit.

XVII. Guillelmus, patria Brito dicitur, satus Arengrino patre et matre Aremburga; quem doctrinæ fama primum evexit ad Nannetensis ecclesiæ archidiaconatum, mox vero sæcularis vitæ contemptus ad asperas illas et dumis horrentes semitas traxit, in quibus monachi Deo deserviunt. Majus Monasterium ingresso non tamen latere licuit et totam piis D orationibus vitam impendere. Hilgotus enim postquam cœlestem abierat in patriam, Guillelmum ei fratres suffecerunt. Hic non multo post virilem animi constantiam testatus est. Cum enim Radulfus ab eo petiisset archiepiscopus obedientiæ fidem dextera prætensa firmatam, id agere noluit Guillelmus, insolitum repudians morem. Unde non levis exarsit contentio. Radulfus, ad Pascalem papam scribens, acerrimis Guillelmum conviciis lacessivit; abbatem vero non segniter Ivo Carnotensis tutatus est, et archiepiscopum inclementis calami flagello castigavit. E Eadem in causa pacem molientes verba scriptaque perdidere Raginaldus Andegavorum et Hildebertus Cenomanorum episcopi, ut dixit Joannes *Maan* in Radulfo. Romam tandem pergens Guillelmus, archiepiscopali spreta benedictione, apostolicam quæsiit et obtinuit anno 1105. Unde redux, hoc anno 1105 (qui scilicet in ipsa donationis charta primus dicitur ordinati Romæ), a Gualterio, milite, accepit terram dictam de Scartis, seu de Cartis. Hoc tempore confirmavit eidem Guil-

lelmus, filius Roberti de Belismo, quæcumque Majoretani sua possidebant in terra, et Joscelinus vice-comes cellam castelli sui tradidit; e Probat. Hist. Brit., t. I, col. 511. Anno 1106, sedit in Pictaviensi concilio, ubi causam Majoretanorum oravit adversus Haimonem, qui Chahaniensem ecclesiam, apud Cenomanos, invaserat. Monachorum jus sententia concilii firmavit. Eodem anno, cum Pascalis papa Gallias peregraret, ivit ei Guillelmus obviam. Remeans deinceps ad suos et iter faciens per Buzantiacenum agrum, hospitatus est sub tecto cujusdam Mainardi, in vico S. Genulfi. Quod ut compertus est Robertus, supra dicti castri dominus, Guillelmum adiit, et ei, piæ peregrationis in memoriam, consuetudines quasdam condonavit. Annus 1106 secundus Guillelmi abbatis insuper dicitur in charta Radulfi Achardi decimam quamdam confirmantis. Eumdem exhibet annum charta Geoffridi Chainardi Guillelmo concedentis liberum iter per Ligerim, juxta Chelziacum; apud P. *Marchegay*, Archiv. Andeg., t. II, p. 42. Anno sequente, abbatiam Cellæ Briensis accepit Guillelmus a Manasse, episcopo Meldensi; supra, t. VIII, Instr., col. 549. Eodem anno, obtinuit a Gihardo de Calonna decimam moletrinarum quatuor, et ab Harpino decimas alias in agro Dalmariacensi; apud *Housseau*, t. IV. Invisit, anno 1108, Britanniæ provincias Tunc Dinannum se recipiens, impetravit a Benedicto, Aletensium episcopo, ecclesiam S. Maclovii Dinannensis. Eo tempore semet ad castellum Joscelini contulit et non nulla impetravit a osthone vice-comite. Illum adiit, anno 1109, Benedictus, Nannetensis episcopus, ab eo poscens monachos in cœnobio S. Medardi *de Dolon*
Ch. LIX, col. 79. constituendos, et illi dimisit Peloquinus, Insulæ dominus, furnum de cujus possessione lis fuerat. Notitiam hujusce, quamtumvis minimæ, dimissionis edere non vanum æstimavimus, cum in ea memoretur incendium quo sublatum Insulæ castrum. Lausdunense tunc temporis sedebat concilium. Ad hoc delata fuit causa Majoretanorum, a quibus S. Stephani
Rerum Gallic. Script. t. XIV, p. 147. capellam acriter requirebant Camilliacenses canonici. Jus autem Guillelmi concilium agnovit, consecravitque solemni præcepto Girardus Engolismensis episcopus, et apostolicæ sedis legatus. In eodem concilio subscribebat Guillelmus Girardi præcepto de querela Trenorcensium monachorum et episcopi Nannetensis. Eodem anno, Guillelmum, S. Vincentii Cenomanensis abbatem, jubebat ad Waldinum, sive Gaudinum de Malicorna pergere et ab illo dimissionem vectigalis iniquæ requirere. Prodierunt, anno 1110, Fulconis comitis litteræ quibus datum Guillelmo nemus inter Ligerim Carumque procurrens, cum tota terra, nec non aquis insulisque adjacentibus; inter schedas domni

A *Housseau*, t. IV. Benedictus insuper, Aletensis episcopus, confirmavit a Josthone datam quartam partem ecclesiæ Joscelini; in Prob. Hist. Brit., t. I, col. 521. Memoratur præterea Guillelmus, eodem anno, in castri Joscelini cellam reliquias e Majore Monasterio deductas solemniter transferens; nempe, ut ait schedula quam domnus Moricius edidit, t. I, col. 512, reliquias de Cruce divina, de corporibus S. Corentini episcopi, S. Flaviani martyris, S. Martini abbatis, nec non SS. Fulgentii et Samsonis episcoporum. Quatuor, anno sequente, Cenomanenses clericos Guil-
B lelmus in capitulum Majoris Monasterii venientes benignus excepit : quorum dux, Gualterius quidam, Manciniaci presbyter, vineam monachis tradebat. Nec multo postea tempore cum Hervæo, Rotonensium abbate, de Bairiaco rursus paciscebatur, ei condonans Insulam Areæ, perpetuum pacis intemerandæ monumentum. Hujusce pacis cyrographum edidit domnus *Brial*, Rer. Gallic. Script., t. XIV, p. 152 (1). Anno 1113, Guido de castro Gualardonensi, cum de partibus Andium veniret, quo perrexerat in auxilium Fulconis comitis, Majus Monasterium ingres-
C sus est hospitandi gratia : nec recessit priusquam, accepti memor beneficii, abbatem Guillelmum monachosque dixisset immunes ab omni tributo per totius terræ suæ tractum. Guillelmo concessum, eodem anno, a Lisiardo, Suessionensi episcopo, ut capella S. Maximini, Petrafonte sita, monachis S. Sulpicii in eodem castello commorantibus traderetur. Memoratur Guillelmus, IV nonas Julii 1114, in notitia Godefridi, Ambaniensis episcopi, de prædiis Majori Monasterio datis ad Bodini curtem. Ei tradidit, eodem anno, Cenomanensis præsul Hildebertus ec-
D clesiam dictam *Villerx* Caroli Magni. Guillelmus sub idem tempus occurrit, ad dimittendam calumniam adigens Hugonem, Ambasiensis castri toparcham; e cœnobii chartulario. Anno 1115, fœdus amicitiæ Guillelmus novum iniit cum canonicis S. Martini; e Residuo S. Germani codice, fascic. 111, num. 2. Eodem anno, accepit a Bertrada regina partem silvæ juxta Carum fluvium, quæ Splendida nuncupabatur; apud *Housseau*, t. IV. Nec prætereundum quod in prata monachorum juxta Fontem Carum venit ipsa Bertrada, Guillelmum adiens abbatem. Sub
E hos dies, Radulfus archipræsul Guillelmo tradidit altare B. Mariæ de Ripera propter Vigeunæ ripas, ex eisdem *Housseau* schedis, et Briccius, Nannetensis episcopus, confirmavit quæcumque Majoretani possidebant in sua diœcesi. Anno 1118, Hildebertum Cenoma-

(1) Hanc pacem initam opinatur domnus *Brial* anno 1109, in Nannetensi concilio. Concilium autem illud Nannetense annos inter 1111 et 1112 celebratum fuisse novimus, cum huic interfuerit, e supra memorato cyrographo, Judicael Benedicti successor in Aletensi sede.

nensem rursus beneficum Guillelmus expertus est, qui monachis tradidit ecclesiam Lapiniacensem in Cenomanico pago; tunc et a Roberto, Corisopitensi episcopo, accepit ecclesiam S. Tutuarni. Transegit Guillelmus, anno 1119, cum Nivelone de Fracta Valle super Silvaloniæ quadam parte. Lis tandem de juramento metropolitæ præstando videtur sub hoc tempus sopita, testibus tabellis quarum ad fidem J. *Maan* sic de Gilberto loquitur: « Guillelmum abbatem, post accep« tam ab eo subjectionis fidem confirmavit, « et ut confirmarentur postea qui eligerentur « abbates, tametsi forte dexteram non darent, « quod dissidii reliquum erat, inita sui et « canonicorum cum Majoretanis monachis « solemni transactione, constituit, ac utram« que ecclesiam amico fœdere sociavit, homo « pacis amantissimus. » In Britanniam ivit Guillelmus, anno 1120, et a Donoaldo, Aletensi episcopo, accepit ecclesiam B. Mariæ de Combornio: dein, 24 Julii 1121, a Godefredo, Britonum duce, ecclesiam juxta Lamballam sitam et plura adjacentia; ex Alborum Mantellorum codice, sub num. 45, p. 700. Guillelmus occurrit anno 1122, a Geoffrido, Carnutum episcopo, ecclesias Cuscherii, nec non Nucareii, Vindocinenses, impetrans; supra, t. VIII, col. 1135. Quo eodem anno memoratur, VI idus Octobris, in dormitorio monachorum Gahardi degentium, obtinens a presbytero, nomine Jacob, ecclesiam S. Petri *de Hilphintic*. Eidem Guillelmo, anno 1123, die feria S. Martini æstivalis, probantibus Donoaldo Aletensi et Gisleberto Turonensi episcopis, dedit clericus quidam medium presbyterium S. Petri *de Corsolt*. Alexander, Rupium dominus, sæculo valedixerat et apud Majoretanos monachorum susceperat habitum. Cujus filius et hæres Robertus, fratrum gaudens frui colloquio, sæpissime monasterium invisebat. Bonorum autem dives temporalium, suo sub jure tenebat Robertus insulam, quam circa, decurrens ad Ligerim, amnis Sicia serpebat. De ea, die quadam, sermonem fecit ad Robertum Guillelmus abbas, locum laudans aptum infirmis excipiendis, fratribusve remotam ab omni strepitu vitam consectantibus. Audivit benigne miles abbatem, et, dum prædictam ambo peragrarent insulam, Guillelmo juncum, quem in dextra gerebat, porrigens Robertus, illum sic insula donavit. Accitus dein Gislebertus archiepiscopus locum benedixit, in quo mox claustra condita. Guillelmus, anno 1123 exeunte, IV idus Martii, sedit in Carnotensi concilio. Anno 1124 decessisse legitur, die 23 Maii. Depositus fuit in dextera parte capituli. Sororem Guillelmus habebat Adelesim, quæ secessit ad fratrem vixitque inter moniales S. Nicolai.

Maan, Eccl. Turon., p. 102. Ch. LXV, col. 81.

XVIII. Odo I, prior antea claustralis, [A] Guillelmo successisse videtur anno 1124. Annus enim 1127 tertius ordinationis domni Odonis abbatis memoratur in charta Rainaldi, Christiani et Americi terram Molerias dimittentium Majori Monasterio. Huic vero chronologiæ quædam aliæ chartæ non suffragantur. Odo nempe, ordinationis anno primo, Christi 1126, Adelelmo de Simpliciaco capellanum concedit sacra celebraturum in Simpliciaco castro. Annus idem Odonis ordinati primus nuncupatur in charta qua Willelmus *Girolet*, Rollandi fratris semet profitens occisorem, scelerisque peracti memoriam delere studens, Majori Monasterio [B] confert ecclesiam S. Salvatoris. Unde conjicimus electionem Odonis anno 1124 peractam, ordinationem vero ad annum 1125, aut 1126, fuisse dilatam. Eodem anno 1126, Rainaldus, filius Pagani de Genesta, Odoni confirmabat terram monachis a patre datam, et cum eo Joannes, Sagiensis episcopus, paciscebatur super duabus territorii Belismensis ecclesiis, Daniaco scilicet et S. Martino, mediante Anglorum rege. Nec inde sopitum omne jurgium inter Odonem et Joannem Sagiensem episcopum, cum is in [C] concilio Belvacensi querelas edidisset de quibuscumque Majori Monasterio traditis ecclesiis sive Belismi, sive juxta Belismum. Pax inter litigantes anno 1127 demum firmata, judicio Girardi, Engolismensis episcopi, et Calonis Leonensis. Anno 1128, in die Ascensionis Dominicæ, magnus erat Cenomani clericorum militumque concursus: comes enim Andegavensis, Hierosolymam profecturus, crucem suscipiebat. Hujus participes cœtus fuisse memorantur, inter alios, Hildebertus Turonensis archiepiscopus, Guido Cenomanensis, Ulgerius Andegavensis epis[D]copi, nec non Odo, Majoretanus abbas. Nec vacuis abiit manibus. Cum enim Hugo de Ambasia consuetudines sibi quasdam vindicavisset in terram S. Martini, hunc indignata voce comes Andegavensis compellavit jussitque rem deserere. Odoni, eodem anno, Theobaldus, comes Carnotensis, conferebat ecclesiam et præbendas B. Martini de Valle, in Carnotensi suburbio. Memoratur sub idem tempus in Odonem beneficus Hugo, vicecomes de Puteolo, qui, ad Theobaldi preces, concessit Majoretanis quidquid possidebat in ecclesia B. Martini de Valle. Harum [E] donationum chartas Stephanotus servavit, in codice Sangermanensi 573. Lege præterea S. Bernardi Clarævallensis, nec non Hugonis Pontigniacensis abbatum, epistolam ad nostrum Odonem, qui tardius, ut videtur, compromissa cum Theobaldo supra memorato peragebat; in Annal. Cisterc. t. IV, p. 538. Odonem tunc Hierosolymitanum iter in animo saltem habuisse noscitur e Geoffridi Vindocinensis litteris; lib. IV, epist. 21. In quibus præterea legimus Odonem jam antea ad

P. Marchegay. Arch. Andeg. t. II, p. 23.

easdem oras ivisse. Sic enim Geoffridus : « Hierusalem semel vidisse vobis sufficere « debet. » Addit Geoffridus, ab eo nostrum Odonem itinere dehortans : « Hierusalem ire « sicut indictum est laicis, sic interdictum « est monachis ab apostolica sede. » Quæ forsitan interdictio Odonem a proposito deduxit; Britanniam enim peragrans, anno 1129, VII cal. Junii, confirmatam impetrabat ab Aletensium episcopo mediam ecclesiam S. Petri *de Corsolt*. Eidem, anno 1130, dimisit Gauvenus de Dalmeriaco nemus Castellionem, quod contra jus aggressus erat. Sedit, anno 1132, in concilio Remensi, ut compertum habemus e litteris Donoaldi, Aletensis episcopi, quibus inter Majoris Monasterii et S. Jacuti monachos dirempta controversia de consuetudine piscium, Majoretanis a Geoffrido de Dinanno concessa; apud Marten. Thes. Anecd., t. IV, col. 139. Eo ipso anno Bessiacensem ecclesiam, nec non Bellifortensem capellam, accepit ab Ulgerio, Andegavensi præsule. Eodem anno præterea nominatur in charta Theobaldi, comitis Carnotensis, condonantis malas consuetudines in vico Chamarcio, et in charta Joannis, Briocensis episcopi, Rupem Tinguilii Majori Monasterio largientis; inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 569. Odoni Robertus de Relliaco, dictus Papa-Bovem, anno 1133, die quo Margarita, uxor præfati Roberti, sanctimonialis effecta est, decimum denarium de feria S. Lupi tradidit. Eo quoque anno, Britanniam Odo peragravit, et Comburnium deveniens a Buterio, Guitmundi filio, dimissum impetravit quidquid ille diu sibi vindicaverat in ecclesia B. Mariæ; e Probat. Hist. Brit., t. I, col. 567. Memoratur et anno 1136 in charta Josleni, Suessionensis episcopi, plurima condonantis Majori Monasterio. Decessit die 13 Aprilis 1137, ex hodierno computo, sepultusque fuit in basilicæ propylæo, juxta Bernardum. Nota vero quod hujus decedentis dies non idem sit apud omnes. Legitur enim 13 Aprilis in necrologio Pontileviensi : ab aliis tamen dicitur 19 Junii.

Rer. Gall. Script., t. XIV, p. 242.

P. Marchegay, Arch. Andeg., t. II, p. 47.

XIX. Garnerius anno 1137 ordinatur. Annus enim 1139 ordinati secundus legitur in charta qua monachis tradit Ursio, dominus Fractæ Vallis, partem aquæ Ledi, et annus pariter 1148 Garnerii duodecimus nuncupatur in pluribus instrumentis, inter quæ memorare satis est schedulam Mauricii de Erablio, dimittentis querelam quam moverat de rebus *Villatroe* sitis; inter schedas D. *de Gaignières*, sub num. 179². Antea fuerat Garnerius, e Majoretano monacho, prior Rameruci et Sparnonis. Abbatiali pedo nuper donatus, 31 Decembris 1137, capitulum generale coegit, in quo sederunt Geoffridus Carnotensis, Donoaldus Macloviensis et Evenus Venetensis episcopi. Sub id tempus, Brictium, Nannetensem episcopum adiit, et cum eo denuo pactus est super ecclesia S. Crucis Nannetensis : quam auxit ecclesiam Conanus dux, VIII idus Decembris 1138. Consule Probat. Hist. Brit., t. I, col. 571 et seq. Transegit idem, anno 1139, cum Hugone archipræsule de insula Majoris Monasterii. Occurrit, anno 1141, in ejusdem Hugonis charta de pace inter monachos S. Juliani et Villælupæ peracta super ecclesia S. Mariæ Divitis, et, anno 1144, ab eodem accipiens ecclesiam Castri Celsi; quo anno bullatas ad eum misit litteras Cœlestinus papa II, quibus Majoris Monasterii jura quæcumque confirmata. Garnerius eodem anno nominatur in Rollandi, Briocensis episcopi, charta de ecclesia S. Aaronis, Majoretanis Lamballæ monachis concessa. Annum 1145 præbet charta concordiam memorans initam inter Garnerium et Robertum, Omnium Sanctorum abbatem, de S. Mariæ Belismensis ecclesia, quam, eodem anno, Garnerio condonaverat Girardus, Sagiensis episcopus. Magna tunc temporis fervebant dissidia Majoretanos inter et Joannem, Macloviensem episcopum, de possessione S. Maclovii de Insula. Rem Eugenius papa cum mandasset investigandam Gaufrido Burdigalensi archipræsuli, Gaufrido Carnotensi et Lamberto Engolismensi, Petragoras hi Garnerium vocarunt, qui vademonium deseruit et causam perdidit; ex Alexandri III litteris, quas Moricius edidit, Hist. Brit., Pr., t. I, col. 607. Anno 1146, Garnerius terram permutavit cum Theodorico, Stellæ abbate; supra, t. VIII, col. 1402. Anno 1149, ecclesiam B. Mariæ de Bono Nuntio, Aureliæ sitam, Garnerio tradidit Simon de Balgentiaco, et Rainaldus, Uciaci dominus, mediam partem omnium vectigalium quæ solitus erat in portu villæ suæ percipere; supra, t. VIII, Instr., col. 509. Quo et anno Gislebertus, Pictavorum episcopus, discordiam composuit quæ intercedebat inter ipsum et Hugonem, Mali Leonis abbatem. Ipse pacem inivit, anno 1150, cum Guidone de Valle, super consuetudinibus prædiisque de quibus diu fuerat litigatum. Imo Guillelmus, Cenomanensis episcopus, ob illatam monachis injuriam, Guidonem ejecerat e communione christiana. Garnerio tradidit, XIII cal. Octobris 1151, Guillelmus, Trecorensis episcopus, abbatiam S. Salvatoris Wemgampensis, quam deseruerant monachi vetustate fatiscentem. Ecclesiam *Ver*, Majori Monasterio traditam a Normanno episcopo, tunc suam clamitarunt S. Maurilii canonici, remque detulerunt ad papam, qui litis judices elegit Venetensem et Briocensem episcopos, Andegavensi sede eo tempore vacante. Hi Garnerio mandaverunt, anno 1155, ut Andegavum pergeret causam oraturus suam. Garnerius vero eodem anno decessit e vivis, 23 Maii, hoc dissidio nondum sopito. Majoris Monasterii sedulus

ædes curavit, qui cellarium, coquinam, dormitorium mediamque partem claustri infirmorum opere novo refecit; ex Abbatum Majoris Monasterii Chronico.

Garnerii tempore Majus Monasterium incolebat Joannes, qui comitum Andegavensium gesta compilavit, dedicavitque Guillelmo, Cenomanorum episcopo.

XX. Robertus I, dictus *de Megueri*, e Britannia oriundus, Garnerio nuperrime suffectus, anno scilicet 1155, a canonicis B. Maurilii Turones devenientibus ecclesiam *Ver* accepit. Consule doctissimum virum P. *Marchegay*, in Archiv. Andeg. t. II, p. 79. Pepigit, anno 1157, cum Radulfo, abbate Stellæ; supra, t. VIII, col. 1402. Eidem tradidit, anno 1159, Herbertus, Abrincensis episcopus ecclesiam S. Martini *de Mesnil-Ramfroi*; e schedis Baluz., arm. 3, fasc. 2, num. 3. Confirmatas Majoretanorum singulas quascumque possessiones in Andegavensi diœcesi obtinuit, anno 1161, a Matthæo episcopo, ut legere licet inter schedas D. *Housseau*, t. V. Quo præfecturam agente, die nempe 14 Octobris 1162, Alexander papa III Majus Monasterium venit dedicavitque capellam infirmorum, mirum opus, summis laudibus sæpius elatum. Roberto, necnon Joscio metropolitæ, demandavit, anno sequente, prædictus papa causam Aymerici, Burguliensium abbatis, quem absolutum omni crimine dimiserunt; apud Rer. Gallic. Script., t. XVI, p. 74. Eidem tradidit Albertus, Macloviensis episcopus, anno 1164, ecclesiam S. Mariæ de Becherello. Nec minus insigne testamentum Odonis, Britonum comitis, Majoretanis castri Joscelini monachis plurima jura tam Veneti quam *Nænian* concedentis. Venerat enim Majus Monasterium comes, cum magno militum comitatu, et, a Roberto solemniter exceptus, supra memorata ei largitus erat. Quum is vero nundum prioratum castri Goscelini visitavisset, in Britanniam tetendit, et, anno 1164, confirmationem prædictorum ab Odone obtinuit; e Prob. Hist. Brit., t. I, col. 653. Decessisse legitur Robertus IV cal. Septembris 1165.

XXI. Robertus II, dictus Blesensis, ab anno sedit 1165. Qui primum occurrit, anno 1166, notitiam edens de rebus Majori Monasterio traditis a Falcone de Rameruco. Litigavit, anno 1171, ante Geoffridum, Andegavensem episcopum, de reditibus ecclesiæ *Ver*, cum hujusce parœciæ presbytero. Plura dein excepit, anno 1172, monachis S. Trinitatis de Comburnio tradita ab Alberto, Macloviensi episcopo; e Prob. Hist. Brit., t. I, col. 667. Idem ante curiam metropolitæ Turonensis, sedente Bartholomæo II, post annum scilicet 1174, Burchardum, Insulæ dominum, compulit audivitque fatentem se jura Majoretanorum violasse et semet obligantem ad æs pro delicti pœna numerandum. Occurrit, anno 1175, litem ipse dirimens inter Guillelmum presbyterum et Sulpicium, Cormaricensium abbatem. Idem, eodem anno, in emptionis charta, pactionem peragentibus Hugone de Fureis et Gualterio Fac-Malum. Dicitur in Chronico sæpe laudato « vir valde venerabilis « et gratiosus, » qui « fecit thalamum et ca- « pellam abbatis. » Obiit anno 1176.

XXII. Petrus I, e Vasconia oriundus, Roberto Blesensi successit anno 1176. Hæc de illo Majoris Monasterii chronographus : « Hic in simplicitate bona, primo anno elec- « tionis suæ, penultimo scilicet die anni illius « quo assumptus est in abbatem, Deo vo- « cante, fati munus implevit apud Taven- « tum; cujus tamen corpus huc per Ligerim « apportatum et humatum fuit ante altare « Crucifixi. » Unde novimus illum obiisse die 22 Aprilis 1176, secundum veterem usum, cum a die 24 hujusce mensis exordium sumpserit annus 1177. Huic litteras miserat Alexander papa III, possessiones quascumque monachorum confirmantes in Cenomanensi diœcesi, 28 Februarii 1177, secundum computum Romanum; apud Calvinum, inter Instrum. Geographiæ Cenom., p. 84.

XXIII. Hervæus, a mense Maio 1177. De quo sic Chronicon abbatum Majoris Monasterii : « Quartus decimus abbas (scilicet a « restauratione monasterii) fuit Hervæus « de Villa Piscor. Hic a pueritia sua in mo- « nachum susceptus fuit, nobili prosapia or- « tus, honestate morumque probitate con- « spicuus, discretione et providentia præditus, « in abstinentia præcipuus, caritate fervidus. « Hic cum bonæ opinionis semper exstitisset, « cum esset hospitalarius hujus abbatiæ, Deo « volente, in abbatem assumptus est. » *Villa Piscor* corruptum est nomen : cui sufficiendum Villa Peror, sive Villa Pirorum, sive Villa Perosa, gallice *Villepreux*, ut ait Ernaudus de Feritate, Hervæum monachum, Ebrardi filium et Villæ Perosæ natum, avunculum suum declarans, anno 1169, et confirmans possessiones Majoris Monasterii Villæ Perosæ sitas. Nec multo postquam Hervæus Petro successerat, Majus Monasterium prædictus adiit Ernaudus, die Pentecostes 1178, et ab avunculo suo Hervæo humanissime acceptus, piscatorium quoddam jus monachis tradidit in stagno suo. Hervæo postulante, confirmabat, eodem anno, Alexander papa ecclesias ad prioratum Belismi pertinentes. Rerum ei datarum a Guillelmo, Cenomanensi episcopo, Majoris Monasterii tabulæ meminerunt, sub annum 1180. De quibus vero Chronicon amplioribus verbis : « Nobis in urbe Cenomanensi domum « non habentibus felicis memoriæ Guillelmus, « episcopus Cenomanensis, qui eumdem « Hervæum pro religione sua plurimum dili- « gebat, vineas suas proprias, quas de manu « laicali abstraxerat, ad herberiagium fa-

« ciendum, nobis dedit; in quo loco idem « pontifex capellam de proprio construi « fecit. » Hervæo dimisit, anno 1181, Paganus de Frovilla terras a se calumniatas juxta villam Berfordum. Occurrit, eodem anno, in charta Theobaldi Blesensis de terra quam pignori supponebat Ursio de Umbleriis, a monachis accipiens triginta libras Carnotenses. Anno 1182, Hervæus ab Alberto, Macloviensi episcopo, Lehonense monasterium, cum adjacentibus ecclesiis, obtinuit. Res quidem non parva fuit, nec minimis sumptibus empta. Cum enim S. Maglorium Lehonensem sibi vindicarent monachi S. Maglorii Parisiensis, his primum, ad removendam litis materiam, Majoretani concessere Versalias, *Chalifer* et Calvum Montem. Præterea, cum obligatum esset ære alieno Lehonense monasterium, magna nummorum copia redemptum est, ut in Abbatum Chronico legitur. Paciscebatur Hervæus, anno eodem, cum Simone, Meldensi episcopo, de procuratione in ecclesia S. Celinæ, et, anno 1183, cum Drogone, Petræ Fontis rectore, de reditibus hujus ecclesiæ. Quod probavit pactum Nivelo, Suessionensis episcopus, semet profitens Hervæo consanguinitatis copula devinctum. Sedit, anno 1184, inter domini papæ legatos quibus demandata res Castri Novi. Eodem anno, ad castrum Montiniacum veniens, consecutus est a Raherio confirmata quæ Majoretanis hoc in castro dederat Odo, pater Raherii. Hunc denique præbet annum Hervæi charta cum abbate Caricampi paciscentis, quam ediderunt antecessores nostri, inter Instrum. t. X, col. 320. Occurrit, anno 1186, judex a domino papa delectus dissidii quod inter se moverant presbyter S. Georgii et monachi S. Petri Carnotensis; e Chartulario S. Petri, p. 660. De prioratibus Britannicis mox novum dissidium, cum Petrus, Macloviensis episcopus, Lehone procurationem sibi debitam assereret. Litigantibus dati judices a domino papa, qui sententiam anno 1187 protulere. Quo scilicet anno magnus Britannorum episcoporum abbatumque in claustro Majoretanorum conventus, inter quos, præter Petrum Macloviensem, Herbertus Redonensis, Mauricius Nannetensis et Guihenocus Venetensis, ut leges in hujusce Petri charta Majoretanorum prioratus in Macloviensi diœcesi sitos confirmantis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 709. Eo anno Majoris Monasterii præfecturam Hervæus abdicavit. De cujus abdicatione loquitur his verbis Chronicon Abbatum : « Abba« tiam decimo anno, die eadem qua eam « acceperat, lugentibus universis, omnibus « commotis, dimisit, et in recluso, quod sibi « ad Dormientes latenter excidi fecerat, sex« decim annis in religione multu, oratione « continua et abstinentia perdura inibi vixit; « multo tempore quartario panis lolio con« fecti contentus fuit. Sex annis ante finem « suum in lecto non jacuit : bonum exitum « habuit et in loco quo dimittens præceperat, « hoc est in choro ante januas ferreas, se « sepeliri fecit. » Obiit XII cal. Maii, e martyrologio S. Petri de Cultura.

XXIV. Geoffridus I, dictus *de Corsouez*, alias *de Coradut*, aut etiam *de Coursol*, natione Brito, Hervæo successit. Semet Geoffridus fratrem dixit Roberti de S. Valeriano, in tabula prioratus Fractæ Vallis, secundum Sammarthanos. Ad cujus preces, anno 1189, Clemens papa III laudavit pactum initum inter monachos et episcopum Macloviensem. Eidem, eodem anno, Vivianus *de Cossé* multa tradidit ad usum monachorum Oriniaci degentium. Pactus est, Februario mense 1196, cum N. de Merlaio de decima Fractæ Vallis. Sedit hoc anno testis initæ pacis inter Philippum Francorum et Richardum Anglorum reges. Quod non sine gravi Majoretanæ rei detrimento peregit. Cum enim, non multo post, Philippus inducias fregisset, iratus ab eis, quos fidejussores suos denuntiaverat, Anglus vindictam petiit, et protinus in omnia Majoris Monasterii prædia manus injecit. Geoffrido, anno 1202, Bartholomæus *de Columbers* majoriam quamdam suam obligavit pro tribus millibus solidorum Andegavensis monetæ. Accepit Geoffridus, anno 1203, a Juhello de Meduana Fontis Gyardi abbatiam. Quam donationem illico confirmavit Hamelinus, Cenomanensis episcopus. Britanniam circumibat, anno 1204, deveniensque Malestrietum inde sancita retulit quæcumque monachis jam dederat Paganus, Malestricti dominus. Ineunte anno 1205, Aprili mense, a Petro, duce Britanniæ, obtinuit omne jus quod ille circa res a Joanne Dolensi concessas habebat. Eodem anno desinente, nempe die 1 Februarii, ab Innocentio papa III judex electus est litis exortæ inter canonicos S. Petri de Curia et capitulum Cenomanense. Huic Bartholomæus de Insula, mense Decembri 1207, ratam tradidit chartam patris sui de Tavento, et Geoffridus, Turonensis archiepiscopus, eamdem sancivit, XVI cal. Aprilis. Occurrit et alterum Geoffridi archipræsulis præceptum, X cal. Aprilis datum, quo confirmantur quæcumque Majori Monasterio largiti erant tam Burchardus quam Bartholomæus de Insula. Eodem anno, litigans cum Garino *Gonele*, milite, super decimis Fontis Cari, missus fuit a domino papa ante Hamelinum, Cenomanensem episcopum, Guillelmumque S. Vincentii abbatem, causæ judices electos, qui rem utrique suam æque tribuerunt. Citavit, eodem tempore, ad curiam Geoffridi archiepiscopi Petrum Savarici, Montis Basonis dominum, in prata Fontis Cari sibi non debita jura vindicantem, et, orata causa, vicit. Eumdem præ se fert annum charta Roberti de Perroniaco

Rer. Gallic. Script., t. XVII, 578.

Ch. LXVIII, col. 87.

Geoffrido confirmantis ea quæ monachis
in suo dominio jam fuerant concessa. Anno
1209, sigillo suo munivit Geoffridus litteras
Rotrodi, Montis Fortis domini, decimas quas
diu abnuerat tradentis Radulfo priori S.
Serenici, nec non Geoffrido Torceii priori;
ex archivo Cenomanensi. Et ipse Majoreta-
norum regimen abdicavit, anno 1210, et
abiit in prioratum S. Martini de Comburnio
ubi supremos vitæ vixit dies. Nec decesserat
anno 1217, ut testatur charta Petri Mali Cleri,
ducis Britanniæ, in qua legimus : « Cum nos
« et Alicia uxor nostra in recessu peregrina-
« tionis nostræ S. Michaelis in Periculo
« Maris, quadam die ad prioratum B. Mar-
« tini de Combor ad missam audiendam des-
« cenderimus, ac Fr. Gaufredus de Coradut,
« abbas ecclesiæ Majoris Monasterii Turo-
« nensis, dicto die divina officia celebrasset,
« qui dictus abbas, etc., etc. Actum anno
« Domini MCCXVII, mense Aprili. » E char-
tulario Majoris Monasterii. Unde palam est
Geoffridum, vel post abdicationem, nomen
abbatis retinuisse. Ad eum epistola Petri Ble-
sensis 117. Hic refert Geoffridum ante
curiam archipræsulis vocasse priorem S. Cos-
mæ, et in ea causa cecidisse : quam nactus
occasionem monachos insectandi litigiosos,
verbis Petrus asperis non abstinet.

XXV. Hugo I, patria Carnotensis, dictus
frater Guillelmi *de Rochecorbon*, a pueritia
susceptus in monachum, Majoretanis præfici-
tur anno circiter 1210. Occurrit in tabulis,
anno 1211, edens pactum de proventu nun-
dinarum Jupilianarum, et ad pacem veniens
cum Petro, Prulliacensi domino. Nominatur
idem, anno 1212, in charta concordiæ cum
Rolando, rectore S. Salvatoris de Monte-
gniaco. Anno 1213, mense Aprili, consan-
guineo suo Gualchero de Castellione, comiti,
prioratum *de Oeth*, sive *des Œufs Martois*,
Morinensis diœcesis, tradidit per totum vitæ
tempus possidendum. Fœdus iniit, eodem
anno, cum Petro Savarici de justitia cujus-
Guill. Armor., apud Rer. Gall. Script. t. XVII, p. 104. dam vici juxta Columbarias. Pacem fecit anno
1214, inter Franciæ et Angliæ reges (1).
Quo eodem anno, causam suscepit prio-
ratuum S. Martini de Valle Melleiique, et,
Februario mense, in judicio vicit Guillel-
mum, Redonensis agri senescallum, qui
procurationem inique sibi vindicabat in
prioratu *Gahart*. Nec quievit annis 1217
et 1218, pluribus subscribens pactis quarum
tabulæ Majoretanæ meminerunt. Contendit,
anno 1219, de justitia Taventi cum Bur-
chardo de Insula : monachorum vero causa

A potior visa est Theoderico de Gallardone,
Turoniæ et Pictaviæ senescallo. Transegit
anno 1221, cum Eremburgi *de Faveriz* de
parte nemoris in Medantico tractu. A quibus-
dam dicitur decedens e vivis cum annus 1226
ad finem vergeret : non autem huic com-
puto favet charta, in Archivo Cenomanensi
servata, quæ præbet Hugonem, Septembri
mense 1227, pactum ineuntem cum Simone,
S. Dionysii domino, de pressorio quod is,
spreto monachorum jure, juxta Boeriam ex-
truxerat. Adversus archiepiscopum Turo-
nensem, teste Chronico causam dixit, cum ille
B Majoretanorum abbatem pontificalibus indu-
tum insignibus non ferret. Liti finem dedit
Hugo, baculum mitramque reponendo. Præ-
cipuam ei meruit laudem cura quam impendit
reparandis ædibus monasterii. Ejus tamen
mores Honorius papa III non probavit, nec
laudavit res Majoris Monasterii procuran-
tem. Inter collectanæa domini *la Porte du
Theil* legantur Honorii litteræ, quibus illum
acerbe quidem increpat in insolentiam col-
lapsum et in statutorum oblivionem, jubetque
restituere monachis hospitalariam, panneta-
riam, cellelariam aliaque officia ab eodem
C abbatiali fisco addicta. Hæ datæ sunt litteræ
31 Januarii 1222. Decessit VIII cal. Februa-
rii, e necrol. B. Mariæ de Josaphat, in San-
germ. codice 1067.

XXVI. Geoffridus II, edebat notitiam,
anno 1227, de lite sopita inter priorem Villæ
Pirorum et uxorem Geoffridi *Sanz-Avoir;*
apud Marteniium.

XXVII Guarinus abbas antea B. Mariæ
de Josaphat, in ecclesia Carnotensi, sedit ab
anno 1229, et tamen chronographis Majoris
Monasterii transiit ignotus. Occurrit anno
1232 paciscens cum Ægidio, abbate Burgi
D Medii, supra, t. VIII, col. 1393, et postea,
mense Maio 1233, in charta cujus meminit
Housseau, t. XII. E necrologio B. Mariæ de
Josaphat legitur in codice Sangerm. 1067 :
« *v cal. Decemb., depositio religiosi viri pa-
tris nostri Garini, primo hujus loci, postea
Majoris Monasterii abbatis.* » Vide supra,
t. VIII, col. 1281.

XXVIII. Hugo II post Guarinum, annum
circa 1233. Hunc e Monte Regali deductum
Severtius opinatur : Carnotensem antecesso-
res nostri dixere, fratremque Guillelmi *de
Rochecorbon*, hunc, ut videtur, accipientes *Gallic. Christ. t. V, col. 607.*
E pro altero Hugone de quo supra, et in eum
errorem inducti quod nulla sit in chronicis
mentio nec Geoffridi, nec Guarini, nec hujusce
Hugonis, numero secundi. Ab aliis tandem,
gentilitio nomine, *de Sales* dicitur. Ex abbate
Majoris Monasterii Cluniacensis abbas re-
nuntiatus est anno 1236, salutandus episco-
pus Lingonensis anno 1244. Damietæ, in
Ægypto, vita perfunctus est, idibus Aprilis
1249, cum secutus esset Ludovicum regem
contra Sarracenos christiana vexilla moven-

(1) Abbatem hunc Majoris Monasterii, qui pro rege Phi-
lippo stetit in colloquiis anni 1214, Guidonem *Turpin* voci-
tarunt antecessores nostri, t. II, col. 1102, e Matthæo Parisio.
Adnotandus error, cui præbuit ansam comma deficiens.
Guido sed enim *Turpin* ad prædicta venit colloquia, sed mili-
tis habitum gerens, non abbatis, et plane diversus est ab illo
Majoretanorum tunc temporis abbate cujus nomen Parisius
ignorasse videtur.

tem. De quo fidem ferit Gerardus de Arvernia, in Chronico, apud Rer. Gall. Script., t. XXI, p. 215.

XXIX. Geoffridus III *de Conan*, natus in comitatu Blesensi, reperitur electus abbas anno 1236. Cujus eo meminerunt anno Belli Rami tabulæ. Anno 1237, non ire valens ad Cenomanense concilium, archiepiscopo Turonensi litteras scripsit excusatorias. Hoc eodem anno, die 5 Julii, paciscebatur cum episcopo Cenomanensi de novalibus nemoris juxta Meduanam siti, et, Augusto mense, cum Andrea de Vitreio qui plurima damna, evaginatis eo tempore gladiis, intulerat colonis B monachorum S. Crucem de Vitreio incolentibus. Quibus compositis gravior lis exoritur. Hugo sed enim de Castellione, Blesensis comes, procurationem a monachis eum posceret, aut detrectantes, aut tardius præstantes expertus est. Quapropter Majus Monasterium invadit, armatus armatisque stipatus quam plurimis, et, effractis foribus, occurrentes servos monachosque verberibus impetit : mox, quasi contra Deum ipsum militans, quæ reperiuntur imagines Crucifixi aut in locis sanctis, aut in officinis, securibus evertere jubet. Nec, his patratis, comitis C furor quiescere : at, militari facto concursu in quoscumque prioratus, quascumque domos Majoretani Blesim versus tenebant, ibi ponere satellites, exigere stipendia, et acerbiora minari querentium si forte murmur audiretur. Ad dominum papam Gregorium missus a Majoretanorum abbate tantæ cladis, tanti sacrilegii nuntius, lataque sententia comes e communione christiana segregatus. Dein Gregorius archiepiscopum Rotomagensem ad afflictum monasterium ire jussit, qui res tanta vexatas procella componeret. D Archiepiscopum vero despexit comes et inania loquentem silere coëgit. Nec multo post, nonis scilicet Augusti 1241, scripsit Gregorius ad episcopum Prænestinum, segnem increpans Rotomagensis animum, præcipiensque ut citius, perfracta comitis contumacia, armatorum turma Majore Monasterio depelleretur. Comes autem, cum pagi Blesensis principatum abdicasset, in natum suum Joannem munus et iras transtulit. Hic Majus Monasterium, vix imperium auspicatus, devenit, et vel pejora quam ipse pater ausus est. Vocatus ergo fuit Romanam ante curiam, E anno 1245, mandato Innocentii papæ IV, a Geoffrido Turonensi recens archiepiscopo. Non indebitum semet petiisse Joannes asseruit, et per sacra testatus est quosque sui nominis comites illam, de qua singularis prorsus contentio vertebatur, procurationem percepisse. Responderunt vero monachi de procuratione vel debita, vel indebita jam non agi, cum nulli liceret, vel comiti Blesensi, debitum ab ipsis exigere monasterii januas frangendo, calcando sacras imagines, colonias denique diripiendo; et posquam his verbis causam oraverant suam, ex aula comite damnato discesserunt, ut legitur in litteris Innocentii, datis XVII cal. Julii 1249. Alia mox inter eosdem et gravioris materia dissidii. Cum enim Majoretanis quidam e fratribus juxta castrum Blesense per locum transirent apertum cunctisque viatoribus securum, illos aggrediuntur coruscantibus gladiis sævi comitis sæviores ministri, et, occisis equis, dejectos e rupibus horridis dant præcipites. Postea pergentem ad quosdam Angliæ prioratus, meantemque per terras quas suo sub jure tenebat comes S. Pauli, prædicti Joannis germanus, abbatem ipsum Geoffridum impia cohors de medio rapuit et captivum duxit in castrum *de Guise* nuncupatum. Monachos diu latuit quo strenuus abbas carcere jaceret. Processiones peragebant, Deumque suppliciter exorabant, ut ipse sublevaret omni re eversos, cum terrenum Dei vicarium impune ferox comes irrideret. Quadam vero die, ait auctor Chronici sæpius laudati, « nutu Dei permittente, « contigit coquum dictis abbatis ad præfatum « castrum *de Guise* applicare, et, dum castrum respiceret, dictus abbas per quamdam « fenestram famulum suum vidit et cognovit. Et tunc suo nomine illum vociferat, sic « inquiendo sibi : *Ego sum Gaufridus de « Conan; sed quæso ut mihi dicas quomodo « mei fratres religiosi se habent et si de me « amplius recordantur.* Tunc famulus stupe« factus, et de inventione domini sui lætus, « dolens tamen de injuria ejusdem, gratias « Deo retulit. Et tandem domino suo cum « fletu dixit, quod sui religiosi eum quam « plurimum desiderabant, et quod in magna « desolatione erant constituti. Quo dicto famulus cito ad conventum est reversus, et « omnia quæ inventa et dicta sunt eidem enar« ravit. Tunc religiosi, Deo et sanctis gratias « agentes, absque mora dominum papam, « nec non et dominum Franciæ regem adi« verunt, justitiam et remedium super his « exquirendo. » Res tandem anno 1259 composita. Majus Monasterium sua sub protectione suscepit Ludovicus rex et medians pecunia ferventes ultra modum comitis animos paulatim temperavit. Tardius impetrata pro pace Majoretani regi dederunt tria millia librarum Turonensium, quingentis super additis. Per septem circiter annos in carcere Geoffridus dicitur permansisse.

Summatim narratis Blesensium comitum in Majoretanos incursibus, nunc altius repetere decet quæ gessit Geoffridus præfecturam agens S. Martini, non quidem plane securus, armatorum siquidem stipante caterva, carceri tamen nondum mancipatus. Occurrit, die Jovis post Decollationem S. Joannis-Baptistæ 1239, in charta de juramento quod coram archiepiscopo Bituricensi

fecit Archambaldus de Borbonio. Anno 1241, pactus est cum Geoffrido, Cenomanorum episcopo, de decimis Mancigneii percipiendis. Nominatur, Julio mense 1243, in charta Michaelis, Andegavensis episcopi, de consecratione S. Leonardi Camilliacensis. Cui confirmavit, anno 1244, Richardus de Curceio ab avis data monachis Petrariis degentibus. Septembri mense 1246, postquam domus Majoretanorum Cenomani sita incendio fuerat sublata, deficientibus ad eam restaurandam nummis, obrutas cinere Geoffridus jubet parietinas Vivoniensi prioratui in perpetuum uniri. Sic, Augusto mense 1250, B æs alienum contraxit ad solvenda debita Santoniensis prioratus. Ejusdem anni Septembri mense, Geoffridus a Francorum regina licentiam impetravit in ecclesiam Veteris Belismi Martiniensem transferendi reliquias S. Leonardi, ea tenus in ipso Belismi castello servatas; e Probat. Libert. ecclesiæ Gallic., IV, p. 82. Ab eo forsitan tempore missus fuit in carcerem. Hoc in carcere dum jaceret, Innocentius papa IV eum vocavit ad Macloviensem sedem. Quæ cum res hactenus ignota transierit, sequentes Innocentii litteras recitare juvat ex apographis quæ Roma detulit C eximius vir *La Porte du Theil*. Scribit prædictus papa ad episcopum Andegavensem : « Cum venerabilis frater noster episcopus « Macloviensis a nobis per suas patentes « litteras cedendi licentiam postularit, tibi« que super hoc nostras sub certa forma lit« teras dirigamus, nos intendentes dilectum « filium Gaufridum, abbatem Majoris Mo« nasterii Turonensis, quem, suis exigentibus « meritis, speciali prorogativa favoris prose« quimur in iis et majoribus, si facultas « obtulerit, honorare, mandamus quatenus, « postquam ipsius episcopi receperis cessio- D « nem, prædictum abbatem, quem primitus « a vinculo quo eidem monasterio tenetur « absolvas, præficias Macloviensi ecclesiæ « in episcopum et pastorem, faciens sibi a « capitulo ipsius ecclesiæ ac aliis ejus subdi« tis obedientiam et reverentiam debitam « exhiberi, eique munus consecrationis im« pendi, contradictore non obstante, si ali« quibus quod excommunicari, suspendi, « vel interdici non valeant a sede apostolica « sit indultum, et quævis alia ipsius sedis « indulgentia generalis, vel specialis cujus« cumque generis existat, per quam id impe- E « diri vel differri valeat, et de qua ejusque « toto tenore de verbo ad verbum plenam et « expressam fieri oporteat in præsentibus « mentionem et constitutione de duabus dic« tis edita in concilio generali. Datum Ana« gniæ, secundo idus Junii, anno XI. » Hæc ad annum 1254 referenda. Quæ vero translatio nullum sortita est effectum. Carcere tandem liber Geoffridus, Januario mense 1256, secundum hodiernum usum 1257, assentie-

A bat Guillelmo *Sobrie* conventualem domum Romagneii ædificare studenti. Eodem anno, die Jovis in crastino B. Martini hiemalis, transigebat cum Guillelmo, Cenomanensi episcopo, de decimis silvæ Meduanæ; e chartulario S. Juliani Cenomanensis, in schedis Baluzii. Decessit Geoffridus die 19 Julii 1262.

XXX. Stephanus, Vivonii nuper prior, per compromissum abbas electus, ab Urbano papa consecratur die 29 Octobris 1262. A quo delegatus fuit ad Cistercienses reformandos. Non et ipsi quies a comitum Blesensium insidiis. Occurrit in tabulis ab anno 1264, sub nomine census pratum tradens Geoffrido de Novilla. Anno 1265, concordiam fecit inter Paganum de Penone prioremque B. Mariæ de Toreeio super quibusdam reditibus litigantes; ex archivo Cenomanensi. Operæ quidem pretium non est singula minoris momenti referre quæ gessit, e tabulis, annis 1268, 1269, 1272, 1273 et 1279. Obiisse dicitur die 1 Januarii 1283. Illum vero chartularium Majoretanum exhibet hoc mense, negotiantem de decimis quarumdam vinearum cum Roberto, Mortui Maris abbate. Advertendum insuper quod eadem pagina mendosam declaret abbatum Mortui Maris seriem, quam antecessores nostri supra edidere, t. XI, col. 310.

XXXI. Robertus III, e Flandria oriundus, prioratum regebat Cellæ in Bria cum a fratribus abbas est electus. Votis vero fratrum non libenter annuit, et, Romam pergens, ut coram Martino papa IV stetit, abdicavit munus. Martinus autem nullum reputans tanto munere digniorem eo qui se dictitabat indignum, Roberto regimen abbatiæ rursus commisit, xv cal. Junii 1283. Eidem, II idus Junii, licentiam utendi mitra, nec non annulo concessit. Extant præterea Martini ad eumdem litteræ, scriptæ VI cal. Decembris, quibus ad sublevandam ecclesiæ Majoretanæ inopiam, Roberto adscribuntur quinque prioratus ad monachos pertinentes, dummodo conventuales non sint. Litigabant, anno 1289, Robertus abbas et Geoffridus, Montis Basonis dominus, de jure persequendi delinquentes in flumine Caro, arbitrosque eligebant Geoffridum Villelupensem et Joannem *Picon*. Pactus dein est Robertus, anno 1290, cum Guillelmo *Larchevesque*, Partenaci domino, de decimis Simpliciaci percipiendis. Memoratur Robertus anno 1291 et ipse carcerem perpessus. Legimus enim in Abbatum Chronico : « Ulterius præfatus Robert« tus, causa visitationis, mare Anglicanum « transfretavit : sed rex dicti regni de facto, « sicut illi patriotæ solent uti, pro prisonario « retinuit, et propter hoc prioratus Ebora« censis et de Tiefort damna plurima susti« nuerunt. » Occurrit præterea Robertus, anno 1293, veniens ad pacem cum Andegavensi præsule de visitatione cujusdam ec-

clesiæ. Occurrit, anno 1095, pluribus in chartis quarum Martenius meminit. Eodem anno, Bonifacius eum papa litteris donavit, quibus aucta res Majoretanorum tam Lutetiæ quam in Anglia. Legendum in Chronico quæ gessit, ædificiis monasterii reparandis incumbens. Eum obiisse memorant 11 Martii 1296, secundum hodiernum computum.

XXXII. Odo II de Braceolis post Robertum recensendus, nobilis genere, ut ait Chronicon, et sufficienter litteratus. Sedit ab anno 1296. Dives erat tunc temporis Majoris Monasterii thesaurus, cum decem millia librarum Turonensium coacervata Robertus reliquisset. Quibus tamen non pepercit Odo, Romam pergens. Non semel reperitur in tabulis anni 1298; quo anno litigavit cum abbate S. Michaelis, de jure patronatus in ecclesia Argogiensi. Pactus est, anno 1300, cum Geoffrido, Montis Basonis domino, de justitia Fontis Cari. Statuta condidit numero duo et triginta, et monasterii basilicam consummavit. Obiit anno 1312.

XXXIII. Joannes I de Monte Leonis, alias *de Mauléon*, Pictaviensis, e præclara stirpe deductus, Odoni successit. Otiosam hujus administrationem dicunt, nisi quod Malum Nidum, opulentum prædium, comparavit. Fœdus tamen inivit, anno 1315, cum archiepiscopo Turonensi de visitatione prioratuum Majoris Monasterii; anno 1322, mense Maio, cum Guillelmo, Sagiensi episcopo, de procurationibus quas is sibi vindicabat in prioratu S. Martini Belismensis; anno 1324, cum Stephano, episcopo Parisiensi, de nummis solvendis cum visitaret prædictus episcopus Longum Pontem et Villam Petrosam; anno 1324, cum Geoffrido, Malleacensi episcopo, de simili procuratione in prioratu Tredecim Ventorum; anno tandem 1328, cum Guillelmo, Senonensi episcopo, de visitatione prioratuum Senonensium, supra, t. XII, col. 72, et, 8 Aprilis ejusdem anni, cum Durando, episcopo Meldensi, de pransorio jure; supra, t. VIII, col. 1624. Procuratorem constituerat suum, anno 1328, Petrum Vitulum, rectorem Lupigniaci. Abdicavit tandem munus anno 1330, hoc tradens Simoni *Le Maye*, camerario, decessitque anno sequente.

Chart. eccles. Paris, t. III, p. 251.

XXXIV. Simon *Le Maye*, sedens ab anno 1330, procuratorem instituit et ipse Petrum Vitulum anno 1331. Nec tamen sibi credita neglexit, ut testatur chronographus, referens quantam impendit operam tam augendis quam reficiendis ædibus abbatiæ. Accepit, anno 1332, a Geoffrido de Plesseiaco curam et administrationem collegii Majoris Monasterii Parisiensis; apud Moricium, Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1362 et seq. Occurrit, 14 Februarii 1333, agnoscens semet ab Isabella de Neella donatum juribus quæ dicta domina possidebat in nundinis S. Bartholomæi. Libertates insuper fratrum acerrime

A tutatus est. S. Michaelis abbatiam adivit anno 1337, delegatus a Benedicto XII ad visitanda monasteria tam Turoniæ quam Normanniæ; supra t. XI, col. 525. Obtinuit, die 12 Augusti 1352, a Burchardo, Vindocinensi comite, litteras confirmantes vetera pacta comites inter Blesenses et monachos Majoris Monasterii. Hoc anno Simon Dolensis salutatus est episcopus.

XXXV. Petrus II *du Puy*, Lemovix, Meimaci primum fuerat abbas, in agro Lemovicensi, et postea S. Florentii Salmuriensis. Donatus est Majore Monasterio cum annus
B 1352 pergeret ad exitum. Advenientibus Anglis Turones secessit; nec inde tamen fratrum tutelam deseruit : cumque civium Turonensium turma Majus Monasterium tenderet, diruere, vel potius deprædari gestiens fratrum ædes quibus furor Anglicus imminebat, pro virili parte irruentibus restitit. Decessit die 6 Augusti 1363, sepultusque fuit in capella S. Florentii, quam fundaverat.

XXXVI. Gerardus I de Podio, Petri germanus, Petro successit. Invalescente corruptela morum, jam et in ecclesia Christi fraternam fratres excipiebant sedem, hæreditario
C quasi jure. Gerardus ille abbas antea fuerat S. Petri ad Montes, in diœcesi Catalaunensi. Nec multo postquam Majus Monasterium devenerat, monachorum exhausit ærarium, suis unice consulens commodis, ut legitur in Abbatum Chronico. Hic erat tunc temporis monasterii thesaurus : « Valebat in moneta « XXXII millia flor., et, in scyphis aliisque « utensilibus argenteis, CMLXXX marcas « argenti. » Ivit in Italiam Gerardus anno 1370, dictus sanctæ sedis thesaurarius, et, ut in Chronico supra laudato legitur, « nedum
D « thesauros prædictos, imo plura alia bona, « etiam ad ornatum ecclesiæ pertinentia, se- « cum portavit. Quæ omnia, ut fertur, in Ita- « lia fuerint perdita; » dum scilicet Gerardus honores sectaretur, et nullis parceret impensis ad sibi conciliandum cujuscumque favorem. Urbis tamen Perusinæ præfecturam sortitus, civibus displicuit, quos etiam rebellantes expertus est. Insignitus deinde purpura fuit, die 20 Decembris 1375 : cum vero nulla tunc vacaret sedes, illum cardinalem nuncuparunt Majoris Monasterii. Titulum S. Clementis anno 1377 suscepit,
E decessurus Avenione XVI cal. Martii 1389. Carcassonensem ascendisse cathedram falso dicitur a Sammarthanis. Ab aliis etiam sumitur pro Geraldo quodam alio de Podio, qui decessit anno 1359, tunc Vasatensis episcopus. Ab anno 1376 noster Geraldus Majoris Monasterii regimen abdicaverat.

XXXVII. Gerardus II *Paute*, Lemovix, ex abbate S. Eligii Noviomensis factus Floriacensis abbas, Majus Monasterium, anno 1376 desinente, vel, ut hodie computamus, anno 1377 ineunte, suscepit administran-

dum. « Erat, ait Chronicon, valde dives, sed « thesaurum suum penes nos non attulit, « imo diversis locis illum custodiebat. » Permutavit, anno 1389, cum Helia, S. Sergii abbate. Cui pacto, nondum usitato, Majoretanis plures e monachis fortiter diuque obstiterunt.

XXXVIII. Helias, natus in diœcesi Petragoricensi, abbas erat S. Sergii, cum, permutatione peracta cum Gerardo, Majoretanos suscepit administrandos, anno 1389. Sic de eo Chronicon Abbatum : « Ille Helias parum « litteratus erat et valde pauper ; nimis libe« ralis ac familiaris tam sæcularibus quam « religiosis aliquibus. » Occurrit in pluribus chartis, res autem sanciens minimi momenti. Secessit tandem in ædes S. Sergii, sub alterius lege permutationis, anno 1412, et ei successit, apud Majoretanos

XXXIX. Guido I de Luro, nepos Gerardi *Paute*, natione Lemovix, qui receptus fuit abbas IV idus Augusti 1412. Non facilem et quietam provinciam sortitus est, bellorum undique debacchantibus procellis : egregie tamen sibi creditum ovile rexisse perhibetur. De quo plura in Abbatum Chronico. Reperitur, die 18 Augusti 1420, in sententia Joannis Silvestris conventualem Fontis Cari prioratum Majoretanorum mensæ, mandato domini papæ, unientis. Victum enim suis tunc negabat monachis nimis exigua res Fontis Cari. Obiit Turonibus, ex eodem Chronico, die 21 Octobris 1426, et sepultus fuit juxta Gerardum.

XL. Petrus III *Marques*, Michaelis, domini *de la Bedouere*, Ludovici regis secretarii, germanus, electus est anno 1427 ineunte. Probavit, 2 Maii 1438, commutationem cum abbate Bellæ Branchæ peractam, et, 5 Maii 1452, concordiam inter priorem Petrariensem et Richardum *Le Bouthillier*. Die 8 ejusdem mensis, una cum Guillelmo cardinali et Romanæ sedis legato, conjungebat Cormaricensium abbatiali mensæ officia pitanciarii et camerarii. Decessit, e chartulario, die 4 Augusti 1453.

XLI. Guido II *Vigier*, senior, abbatiæ nuper eleemosynarius, electus abbas die Mercurii 26 Septembris 1453, munus obiit die 3 Maii sequentis, adstante Hugone *d'Aubusson*, Tutelensi episcopo. Aderat, eodem anno, secundum usum ecclesiæ Gallicanæ, die 3 Februarii, translationi capitis B. Martini, et, 23 Januarii 1457, secundum eumdem computum, sacri cœtus pars erat qui novis in thecis San-Julianeas reliquias condidit. Episcopus creatus Bybli, in partibus infidelium, resignavit abbatiam 11 Septembris 1458 in gratiam sequentis.

XLII. Guido III *Vigier*, junior, antecedentis nepos, antea prior Camilliaci, abbas ab anno 1458. Sedebat in comitiis regni generalibus anno 1484, et a rege provinciam hanc

A suscipiebat ut consilium ederet de reformando ecclesiæ statu. Occurrit VI idus Martii 1487, a Juliano, episcopo Ostiensi, licentiam impetrans Hierosolymæ invisendæ. Quod si peregit iter, redditus erat suis 7 Maii 1491, qua die memoratur præsens consecrationi Joannæ *Viau*, Bellimontensis abbatissæ. Anno 1494, missus est a domino papa ad reparandam Gallicanorum monasteriorum disciplinam. Sepelivit 2 Januarii 1495, secundum veterem usum, in ecclesia S. Martini, Carolum Orlandum, filium Caroli regis VIII et Annæ de Britannia. Obiit 25 Maii 1498.

B XLIII. Ludovicus I *Pot*, germanus Guidonis, S. Pauli comitis, abbas S. Launomari ab anno 1467, ab anno 1484 Tornacensis episcopus, et, ab anno 1494, Lactorensis, Majore Monasterio donatus est anno 1498. Decessit die 5 Martii 1505, secundum neotericum computum.

XLIV. Franciscus I *Sforcia*, natus, anno 1490, e Joanne Galea Maria Sforcia, Mediolanensi duce, et Isabella Aragonensi, Alphonsi filia, Neapolitanorum regis. Francisci patrem cum veneno sustulisset principatum ambiens
C Ludovicus Sforcia, quem Maurum dicunt, Isabella, adempto conjuge, de salute filii non secura, Ludovico XII, Francorum regi, eum commisit, qui puerum apud Majoretanos curavit enutriendum. Decedente vero Ludovico *Pot*, fratres Jacobum *Verhu* sibi præposuerant abbatem. Quam non probavit electionem Ludovicus rex, et Paulo papæ II Franciscum, quindecim annis natum, commendavit. Franciscus a summo Pontifice abbatiali munere donatus est, qui Jacobum *Verhu* vicarium suum in spiritualibus designavit, sæcularibus
D totum se tradens negotiis, vel potius oblectamentis, ut revera juvenem intonsum decebat. Nec diu præfuit monachis, nam, inter venandum, die 25 Decembris 1511, ampliorem foveam transire contendens, ex equo dejectus est et immatura morte præreptus.

XLV. Matthæus *Gauthier*, in sacra pagina doctor, jamque prior S. Martini de Valle, electus est abbas a capitulo mense Martio 1511, sive, secundum neotericam computationem, 1512. Hujus electionem probavit Pisana synodus, XI cal. Novembris 1512. In Francisci regis diplomate, anno 1515, dici-
E tur castellanus Oratorii toparcha. Pactum fecit de resignatione perpetranda, 15 Dec. 1536, cum Philippo *Hurault* : quod pactum auctoritate confirmavit apostolica Paulus papa III, XI. cal. Februarii 1537. Majus Monasterium cedenti tradidit Philippus *Hurault* prioratus S. Martini *de Couldres*, Chosiaci, nec non Plessiaci Monachorum : resignavit insuper in gratiam Adriani *Gauthier*, Matthæi nepotis, abbatiam B. Mariæ de Absia in Vastina. Sibi denique reservavit Matthæus nonnullorum prædiorum fructus. Cui mox episcopatus Euboicus,

sive Nigropontensis, in Turcarum partibus, collatus est a domino papa, die 21 Octobris 1537, et ille quidem episcopali munere secundum normam auctus est die 7 Aprilis 1538, in ecclesia S. Petri Burguliensis, a Francisco *Bohier*, Macloviensi præsule. Extat posterior Pauli papæ bulla memorans permutationem inter Philippum et Matthæum peractam; quæ data legitur pridie nonas Novembris 1538. In priore quædam fortassis desiderabantur. Constat enim monachos non ea probavisse pacta ante diem 14 Novembris 1538. Decessit Oratorii Matthæus, 15 Julii 1552. Cujus laudes non semel cecinit Nicolaus Barptholomæus, in Epigrammatum libello. Ille, sicut apparet, statura non gaudebat procera; nam sic eum vates Lochiensis alloquitur :

Cui non nota suo est cantu Philomela, negabit
Parvi tam longos gutturis esse sonos;
Cui non nota tua est solertia tanta, negabit
Parvo tot sensus corpore posse tegi.

XLVI. Philippus *Hurault de Chiverny*, abbas jam S. Nicolai Andegavensis et S. Petri Burguliensis, acceptus est abbas a Majoretanis fratribus, Absia nuper dimissa, pridie calendas Februarii 1537, secundum neotericum computum. Fatis concessit, Lutetiæ Parisiorum, 12 Novembris 1539. Ultimus fuit regularium. Cujus de parentela dictum in abbatibus Absiæ, t. II, col. 1383.

XLVII. Joannes II, cardinalis Lotharingus, filius Renati ducis, sub nomine commendæ Majus Monasterium accepit, anno 1540. Episcopus idem Albiensis, Aginnensis, Lucionensis, Valentinensis, Metensis, Virdunensis, et archipræsul Narbonensis, Lugdunensis, Remensis, etc., etc., nec non abbas Cluniaci, Gorziæ, S. Audoeni, S. Mansueti et Fiscanni. Plurimis licet jam dives beneficiis, Majori Monasterio non pepercit. Cujus deprædationes summatim narravit auctor Supplementi ad Chronicon Abbatum. Debitum naturæ persolvit die 10 Maii 1550. [*Andr. Salmon, Collect. Chronic. Tur., p. 386.*]

XLVIII. Carolus I, et ipse dictus cardinalis Lotharingus, antecedentis nepos, patruo successit. Quo præfecturam regente, Aprili mense 1562, Calvinistarum turmas ducens Franciscus, comes Rupefucaldensis, Majus Monasterium invasit vastandumque suis tradidit. Ut vero monachorum forenses possessiones, terras scilicet silvasque, diripuerat Joannis cardinalis avaritia, sic hæreticus furor, penetralia matris ecclesiæ aggrediens, nihil intactum reliquit. Exinde Majoretanorum quasi penitus eversa res. Quorum deseruit regimen Carolus anno 1562, abdicans in gratiam sequentis. Consulendus de hoc præpotenti Lotharingiæ cardinali libellus acuto scriptus stylo, non autem infacetus, qui sub hoc titulo fuit propalatus : *Legenda Caroli cardinalis Lotharingiæ;* Remis, 1576.

XLIX. Joannes III *de la Rochefoucauld*, abbas jam S. Amantii de Buxia, S. Pauli de Cormarico et Villælupæ, priorque B. M. de Lanvilla, bullas accepit pontificias quibus Majori Monasterio præfectus est, XIII cal. Februarii 1563, secundum hodiernum usum. Germanus erat Joannes illius Francisci quem Calvinistæ ducem sequebantur. Illatum a fratre damnum quantum potuit resarcivit, et ejus laude personat Supplementum ad Chronicon Abbatum. Sacramento semet regi obligavit 13 Aprilis 1566. Obiit die 26 Maii 1583, cum in castro degeret *Verteuil*, testamento legans mensæ monachorum quatuor millia librarum Turonensium.

L. Jacobus *d'Avrilly*, lictoris cujusdam Aurelianensis filius, Francisci Valesii favore præfecturam obtinuit die 11 Junii 1583. Hujus vero mox funera dolens patroni commendam abdicare jussus est. Hanc dimisit 21 Julii 1584, et Molismensi donatus est monasterio.

LI. Franciscus II *de Joyeuse*, cardinalis, archiepiscopus Narbonensis, Jacobo cedente Majore Monasterio præfectus est a Gregorio papa, VI cal. Septembris 1584, et procuratorem protinus instituit suum Antonium *de Bruyères*, Lucionensem episcopum designatum : qui possessionem inivit, abbatis personam gerens absentis, die 18 Novembris. Vixdum autem Majore Monasterio donatus, fratres egit Franciscus senatum ante Parisiensem, querens de societate quadam inter eos inita, nec non monachos Rotoni, Floriaci, Doli et Vindocini, et de conditis ab iisdem statutis, quibus abbatum auctoritas prorsus evertebatur. Hæc jam Joannis Rupefucaldensis tempore mota seditio : quam dum compescere studeret fato sublatus erat, et monachis suprema curia nimium favens, ut Franciscus ait, abbatis defuncti supplices libellos despuerat. Inde nova lis, quam Henricus rex sopivit, 23 Decembris 1584, monachorum societatem rescindens; e schedis Stephani *Housseau*, t. X. Permutavit Franciscus, anno 1604, abbatias Majoris Monasterii et S. Florentii, in quarum vicem accepit archiepiscopatum Rotomagensem. Plura de illo reperies, si quærere lubet, in archiepiscopis Rotomagensibus, tom. XI, col. 103.

LII. Carolus II *de Bourbon*, quem Antonius de Borbonio filium susceperat e Ludovica *de la Beraudière*, non legitima quidem uxore, ecclesiam Convenensem per plurimos annos tenuerat, nec non Lactorensem, unde transiit ad Rotomagensem. Abbas Majoris Monasterii ab anno 1604, vixit usque ad diem 15 Junii 1610.

LIII. Sebastianus Dorius *Galigaï*, subdiaconus Florentinus, decretorum doctor, bullas accepit pontificias VIII idus Julii 1610, et ab eo procurator constitutus Guillelmus *du Peyrat* possessionem iniit 22 Octobris. Tu-

ronensem Sebastianus conscendit cathedram anno 1617.

LIV. Alexander *de Bourbon,* Henrici regis IV nothus, clericus Nannetensis, creatus est abbas litteris Pauli V, 12 cal. Junii 1617. In possessionem admissus per procuratorem, die 12 Augusti. Idem erat abbas S. Luciani Bellovacensis, S. Faronis Meldensis, et Vallis Azonis, in ecclesia Rotomagensi. Decessit anno 1629, IV idus Februarii.

LV. Petrus IV, cardinalis *de Bérulle*, quem conditorem agnoscunt suum patres congregationis Oratorianæ, bullis creatus abbas apostolicis, 9 Aprilis 1629, decessit 2 Octobris ejusdem anni.

LVI. Armandus Joannes *du Plessis*, cardinalis *de Richelieu*, reformationem S. Mauri in abbatiam introduxit 10 Julii 1637. Quo decedente, 4 Decembris 1642,

LVII. Joannes-Baptista Amador *de Vignerod du Pont-de-Courlay*, antecedentis nepos e matre, abbas Majoris Monasterii creatus est litteris Innocentii X, datis XVII calend. Octobris 1644. Annos undecim natus Majus Monasterium insimul et Floriacum, S. Audœnum Rotomagensem pluraque alia beneficia suo sub jure tenebat. Quæ, anno 1652, abdicavit, uxorem ducturus.

LVIII. Emmanuel Josephus *de Vignerod du Pont-de Courlay,* antecedentis germanus, accepit, XIV cal. Maii 1655, bullas Alexandri papæ quibus fraternis auctus est beneficiis. Possessionem adiit die 25 Novembris 1658. Abdicavit forsitan anno 1664, cum in Hungariam proficisceretur bellaturus; nam

LIX. Julius Paulus *de Lionne*, clericus Parisiensis, pridie nonas Martii 1664, Alexandri papæ litteris præficiebatur Majori Monasterio, et, 7 Maii 1665, procurator ejus Franciscus *Camus*, ecclesiæ Turonensis cancellarius, possessionem adipiscebatur. Idem Julius abbas Cari Campi, nec non Caroli Loci, et prior S. Martini de Campis. Decessit 5 Junii 1721.

LX. Ludovicus II *de Bourbon-Condé*, ab anno 1721, qui regimen abdicavit anno 1739, et tunc Turonensi cathedræ mensa abbatialis fuit unita. Abbatem abrogarunt Majoris Monasterii litteræ pontificiæ, 21 Novembris 1739.

S. JULIANUS.

Perquam celebre S. Juliani monasterium, olim situm in suburbio Turonicæ civitatis, inter campos et vineas ad Ligerim decurrentes, postea complexa sunt succrescentis paulatim urbis mœnia. Ab ipsis primordiis hoc in loco duæ surgebant, ut quidam autumant, ecclesiæ, quarum una B. Mariæ dicata, altera S. Juliano. Meliorem, ut videtur, conjecturam sequentes, unam et eamdem ecclesiam diceremus ab antiquo, sicut in recentioribus legitur chartulis, sub invocatione B. Mariæ, S. Antonii et S. Juliani positam, et, cum ampliora semper contrahat usus vocabula, solo S. Juliani nomine novissimis temporibus signatam. Hæc etiam dicta Scalariensis cella, sive de Scalariis. Incertum est quem habuerit auctorem. Veterum si fides narratiunculis, S. Juliani monasterium Chlodowæus rex construxit, devictis apud campum Vogladensem Gothis, et a S. Licinio tunc temporis consecratum est. Altera de consecratione certius est testimonium, quam quidem peregit, anno 578, Gregorius archipræsul. Ipsum consule Gregorium, in opusculo de Gloria Martyrum, lib. II, c. 34. Ejusdem unctionis meminit Robertus rex, in charta donationem quamdam referente, anno 1014. Haud secus auctor Brevis Historiæ S. Juliani Gregorium memorat ædem antiquitus fundatam exuviis S. Juliani martyris ditavisse. Omnia quæque ad hanc spectant abbatiam dubia usque ad restitutionem a Theotolone susceptam. Eam dicunt antiquitus incoluisse monachos S. Benedicti regulam profitentes; sed quo tempore eo delati fuerint prorsus ignoratur. Narrant alii S. Antonium de Rupe, huic cœnobio præfuisse, et in adjacente quodam oratorio, exhaustis quidem viribus, obiisse. Extat sedenim rupes quæ et hodie cavea S. Antonii nuncupatur : quæ vero de S. Antonio traduntur valde incerta. Infesti venerunt primum Sarraceni, e Mabillonio, mox Normanni, qui, monasteriolum B. Mariæ funditus destruxerunt; ita ut de vetere cœnobii fama, si qua fuit, hoc solummodo, dirutis ædibus, permansit, quod a rege fuerat conditum.

Ad ecclesiæ Turonensis apicem erectus Theotolo San-Julianei cœnobii parietinas hæreditario jure susceperat. De cujus restauratione valde sollicitus, opus a fundamentis anno 937 aggressus est, et ampla de suo, nec non de sororis suæ Gersindis patrimonio, prædia monachis rursus instituendis condonavit. Nec ei quam plurimos in hac re adjutores quærenti æmulam detrectaverunt operam Martinienses; et ipse Ludovicus rex e propriis bonis auxit jam a Theotolone collata. Cujus solemne præceptum de rebus resurgentis cœnobii lege, in Baluzii Miscellan., t. VII, p. 235. Datum legitur IV idus Februarii 943. Extructa demum ecclesia in honorem B. Virginis Mariæ, nec non SS. Juliani et Antonii, a Theotolone consecrata est, XVI cal. Septembris 943. Reperiuntur enim hæ chronicæ notæ in perantiqua Historia S. Juliani, et concordant cum ipso dedicationis instrumento, quod servavit in suis schedis Stephanus Baluzius. Occurrit quidem nobis charta recentior, qua refertur hanc anno 940 peractam fuisse consecrationem, ibique

corpus S. Antonii solemniter allatum : parva vero fides huic videtur adhibenda. In cœnobium recens intromissos Benedictinæ sectæ monachos ut ad perfectiorem Theotolo regularis vitæ normam componeret, Odonem Cluniacensem, sibi dudum amicissimum, advocavit, ei curam mandans monastici regiminis ineundi. Sed Turones statim ac adveniens Odo febre correptus occubuit. Cujus mortales reliquias sepelivit archipræsul Theotolo in San-Julianea ecclesia, ad dexteram principis altaris partem, mox ibidem Gersindem germanam humaturus. Ipse voluit his post mortem adjungi quibus vivens arctissimis fuerat connexus vinculis, et sub eodem lapide ad votum jacuit.

Non pauca post mortem Theotolonis S. Juliano contulerunt beneficia successores ejus Josephus, et Archambaldus. Denique Radulfus archiepiscopus, numero primus, basilicam majorem anno 1084 dedicavit, IV idus Novembris, nec non sanctissimæ Trinitatis oratorium, quod anno 1024 Gausbertus abbas extruxerat. Oratorium S. Albini oleo perliniverat Bartholomæus I, anno 1058, calendis Martiis : nonis Julii 1097, Radulfus præsul numero secundus oratorium S. Nicolai consecravit, adductis reliquiis SS. Largi et Smaragdi. Ædificia monasterii jam, ut aiunt, vetustate laborantia instauravit, anno 1032, Richerius abbas : basilicæ navim Ebrardus, anno circiter 1240, cœlesti fulmine subversam : refectorium Petrus de Castro Reginaldi anno 1299 ; majus refectorium Petrus *de Montplacé*, anno 1470. Insignes olim fuerunt hujus ecclesiæ reliquiæ : quas dissipaverunt vicissim Normanni et Calvini de grege hæretici.

Anno 1589, senatus Parisiensis, Turones litteris regiis translatus, sedem in ædibus S. Juliani constituit. Quod his versibus memorat Scævola Sammarthanus :

> Vix una fluctuantem
> Turonum amica civitas
> Regem vix exceperat una.

Compositis tamen regni negotiis et senatu Parisios remeante, suis locus orbatus incolis profanos hospites, quin imo comœdorum examen excepit. Ibidem auditæ postea tumultuariæ voces causidicorum tribunali coram sedente. Quidam tandem, elapsis aliquot annis, rediere monachi. Unita postremo fuit S. Juliani abbatia collegio patrum Societatis Jesu Turonibus degentium, anno 1735. Anno 1790 ibi supererant pauci admodum sodales, sub regimine prioris.

Eximiis gaudebat privilegiis S. Juliani Scalariensis abbatia. Antiquæ ei adscriptæ tum in ecclesia metropolitana tum in collegio S. Martini præbendæ, de quibus exortam quamdam contentionem sedavit Godofredus Haius, annum circa 1315, ut Joannes *Maan* prolixe narrat. Eo sane titulo, quoties San-Julianei monachi publicis supplicationibus aderant, primi post ecclesiæ matris canonicos incedebant. Præterea majorem aggressi fortunam, sese ab omni archiepiscopali jure vindicaverunt immunes, et a Joanne papa XXIII, anno 1411, litteras prorsus novas impetraverunt, quas præferens Theobaldus abbas metropolitæ Jacobo *Gelu* morem debitum gerere recusavit. Is vero episcopalis assertor dignitatis, a Martino Pontifice novum obtinuit, anno 1417, diploma, quo San-Julianeis libertas adempta monachis. Legitur insuper in ejusdem cœnobii non jam vetere Historia, quæ scilicet inter manuscriptos Regis codices reponitur, sub numero 5443 : « Nec sane illud in spiritualibus « prærogativis omittendum, quod Turonen- « sis archiantistes, urbem et ecclesiam suam « maxima pompa primum ingressurus, pri- « die suæ desponsationis ad ecclesiam S. Ju- « liani, tanquam sacrarum nuptiarum para- « nymphi, divertat, in quam a monachis « admissus, post effusas preces ad princeps « altare, cum suo comitatu apud dominum « abbatem cœnat et hospitatur, die donec il- « lucente San-Gatiani canonici in basilicam « Julianeam adveniant, in qua mox ipse do- « minus archiepiscopus aut sacratur, aut, si « jam pontificium characterem exceperit, « episcopalibus induitur et ad suam a suis « deducitur ecclesiam. »

Ignotum plane quos et quot, ante restauratam a Theotolone domum, abbates habuerint monachi in oratorio, sive cœnobio, sive cellula B. Mariæ degentes. Quorum a Theotolone seriem cum ex antiquis monumentis confecimus, tum ex Historia S. Juliani Turonensis inter codices Regios asservata. Utilem insuper præbuerunt opem tomus vicesimus Monastici Benedictini, inter Residuos S. Germani Prat. codices, et, in eodem armario, Martenii schedæ, qui quidem seriem abbatum San-Julianeorum annexuit Historiæ suæ Majoris Monasterii, t. I. Nec sine fructu consuluimus tam Brevem Historiam S. Juliani, quam ejusdem cœnobii Chronicon rhythmicum, quæ nuper edidit D. Andreas *Salmon*, in Collect. Chronic. Turonensium.

ABBATUM SERIES.

I. Odo primus nominatur. Sed num munere functus sit abbatiali plurimum ambigitur. Hic enim vix Turones appellens e vita decessit : anno scilicet 942, si Flodoardo et Chronico Dolensi fides ; anno 944, XIV calendas Aprilis, si quibusdam non minoris notæ documentis. Abiit, ut aiunt, hæc proferens :

> Mors mihi quando datur, requies non pœna paratur ;
> Mors igitur requies, vivere pœna mihi.

II. Georgius post eum occurrit, quem primum abbatem libenter diceremus. Anno enim octavo Ludovici Transmarini, mense Martio, moriente nuper Odone, aut fortassis non mortuo, designatur Georgius abbas S. Juliani, in charta Fulconis comitis, nec non Cormaricensis abbatis, qua pars fluminis Vosdæ conceditur in censum monachis San-Julianeis. Theotoloni decedenti justa persolvit et per paucos dies ipse supervixit. Nominatur tamen in charta Josephi II archipræsulis, Fulnacum villam, cum duabus ecclesiis, et plurima S. Mauricii bona monasterio S. Juliani largientis. Georgii præterea meminit, e Monastico Benedictino, charta Bernonis, ei, anno 947, tradentis villam Ciconiacum.

Hugonem quemdam inter archimandritas S. Juliani, circa Theotolonis tempora, ante vel post Georgium, ponit unus e chronographis Monastici Benedictini. Hujus autem Hugonis, cujus nomen in priscis deest nomenclaturis, quævis alia nos mentio fugit.

III. Ingenaldus emit terram Alxon, prope Cainonem, anno 950, e Monastico Benedictino. Idem dicitur abbas S. Juliani Scalariensis in charta Josephi archipræsulis, regnante Ludovico rege data, ante annum scilicet 954. Huic enim concedit facultatem Josephus quædam Ingelfredo tradendi sub census institutione, quæ S. Juliano Ebroinus largitus erat. Occurrit tandem, e Monastico, in instrumento Mainardi, Cenomanensis episcopi, ab eo præbendam accipiens canonicalem in ecclesia S. Juliani Cenomanensis, et, anno 964, indict. VII, 20 Maii, dans quædam ad censum. Nostrum referunt Ingenaldum non alium esse ab illo monasterii S. Pauli in urbe Romana rectore, quem Alpes transeuntem interfecerunt Sarraceni. Ingenaldi meminit Martyrologium S. Juliani, VIII idus Februarii.

Froterius, si Sammarthanis fratribus et Joanni *Maan* creditur, Ingenaldo successit, et deinde in Turonensem cathedram fuit devectus. Nullum vero diploma servavit nomen hujus abbatis et in nullis veterum chronicis reperitur. Froterius quidem archiepiscopus Bituricensis et insimul abbas S. Juliani Brivatensis occurrit, anno 886, in Pancarta Nigra S. Martini. Quam fortassis chartam male legerunt, et inauditum ea tenus condiderunt S. Juliani Turonensis abbatem.

IV. Bernardus ab Harduino archipræsule res accepit quasdam sitas ad locum qui dicebatur Pons Saxonum. Quem, anno 965, turre tradunt et super imposita pyramide ecclesiæ vestibulum adornavisse. Abbatis Bernardi anniversarium memoratur VI cal. Augusti, in martyrologio S. Juliani.

VI. Ebrardus I, *vir totius religionis* dicitur in Historia S. Juliani. Sacras e capite S. Juliani reliquias obtinuit, auctoritate Pon-
A tii, Arverniæ comitis, et in aurea theca conditas altari principi superimposuit. Emit, anno 976, a Syone, S. Launomari abbate, prædium dictum Soniacum in pago Turonico. Eidem concessit miles Girous villam nuncupatam *Vilers*, in agro Anguliacensi, perpetuo habendam. Ebrardus tandem quatuor jugera terræ tradidit ad censum anno 989, in vicaria Cancelliacensi; e Monastico Benedictino. Ebrardi cujusdam abbatis meminit martyrologium S. Juliani VII cal. Martii; alterius vero III cal. Maii.

VII. Gausbertus I, comitibus Turonum et
B Blesarum consanguinitatis fœdere junctus, regularis disciplinæ studiosissimum se gessit patronum. Huic, jam S. Juliani Turonensis abbati, concessit, anno 991, Odo, comes Blesensis, licentiam ædificandi monasterium Burguliense. Gausbertum idcirco dicunt primum Burguliensium abbatem. Idem memoratur, anno 996, quo Turonorum archipræsul Archambaldus cuncta, per totam diœcesim, San-Julianeorum altaria ab omni matris ecclesiæ servitio liberaliter exemit, assentientibus Bosone, Froterio et aliis archidiaconis. Annum circiter 1000 Gausbertus
C Romam profectus est, pii secum habens comitem itineris Gausbertum juniorem, futurumque successorem. Eos benigno vultu papa Sylvester excepit, deditque petentibus privilegium quo res omnes S. Juliani confirmavit. Commutavit prædictus abbas, anno 1002, cum Rotberto Castro-Landonensi villam Radulfi, sitam in pago Stampensi, ab illo quidem accipiens prædium *Bellomont* nuncupatum, in pago Canomanensi, super Dimidiam. Cui chartæ subscripsit Archambaldus archiepiscopus. Idem fuit abbas S. Petri Culturensis, S. Petri Malleacensis et
D Majoris Monasterii. Sic legitur utriusque Turonensis congregationis pater inclitus (Majoris Monasterii scilicet et S. Juliani) in charta quadam annum 1004 præ se ferente, qua tradidit in censum San-Julianeis terras et vineas quæ fuerant antea sub jure Majoris Monasterii. Gausberto postulante, Rainaldus, Parisiorum pontifex, anno 1005, dimisit omne jus quod habebat circa Vallem Boanam et Bellum Montem. Decessit, e necrologio, V cal. Octobris, anno, ut videtur, 1007. Hoc enim anno momoratur superstes in chartis ad Majus Monasterium spectantibus.
E Eodem anno præterea, ab Hugone, Turonensi archiepiscopo, terram obtinuit in villa Rentiaco, cum pratis, sylvis, aquisque adjacentibus, quam, sub jure S. Mauricii positam, beneficiario more tenuerat Mainerius decanus; e cod. Regio 5443. Gausbertus vituperatur a chronographo S. Juliani, ut pote qui totam operam externis monasteriis adhibuerit, illis tradens libros, ornamenta variamque supellectilem Scalariensis cœnobii. Ad eum scripsit Abbo Floriacensis epis-

tolam de tumultuantibus Majoris Monasterii monachis.

VIII. Gausbertus II dein occurrit. Hic sanctissimæ Trinitatis oratorio extructo, sacrarium plurimis ditavit ornamentis. Eum emisse ferunt Prulliacense monasterium, S. Juliano Scalariensi uniendum; quod, post ejus mortem, ab Arnulfo archiepiscopo ablatum est. Sic Brevis Historia S. Juliani. Deinde accepit, anno 1024, a Waltherio milite abbatiam S. Lupi, cum omnibus ad eam pertinentibus; quam scilicet is Waltherius beneficiario more ea tenus occupaverat. Donationem mox confirmavit Arnulfus archipræsul. Has præbet chartas Biblioth. Scholæ Chartar., t. I, p. 449, 450. Obiit Gausbertus anno 1025.

IX. Albertus, pater Arnulfi archipræsulis, idem et abbas Miciacensis, San-Julianeis præficitur invitis ab Arnulfo filio. Tunc cœnobium monachi deserentes suum exulaverunt in montem Bodiolum. Quod memorat his verbis auctor quorumdam rhythmorum de S. Juliani historia, quos edidit studiosissimus erga suos Turonos D. Andreas *Salmon*, in Collect. Chronicorum Turonensium, p. 235:

Libertatis expertus dulcedinem
Servitutis duræ odit amaritudinem;
Cujus amaritudo quo durior,
Eo libertatis dulcedo suavior.
Quæ dulcedo tunc apud nos amittitur
Cum a præsule Arnulfo Albertus
Pater ejus
Hunc in locum abbas intruditur.
Id quidem mire
Durum abbatiæ
Ab aliis accipere
Quod consueverat dare.
Ex ea ideo monachi exeunt,
Monte Bodiolo castellum statuunt.
Frequenter inde panem de furno
Inter cætera tollunt navigio.
Tollunt itaque de abbatia,
Tollunt undique quæ possunt omnia.

Albertus ille, vir cæterum bonæ frugis, sed violenter intrusus, post triennium obiit, aut, si veteri chronico major fides, abire compulsus est ad Miciacenses. Adegerat Hugonem Vindocinensem ad dimittendam calumniam de Valle Boana et de Bello Monte.

X. Fredericus, Scalariensis monachus, Alberto succedens, duos per annos abbatiæ præfuit. Et ipsum, sodalitatis vinculo licet affinem, rebelles ejecerunt monachi. Hunc opinatur eumdem Martenius ac Fredericum cœnobii Salmuriensis abbatem.

XI. Ebrardus II non magis securum suscepit regimen, eademque fuit hujus et antecedentium fortuna : anno namque vixdum elapso expulsus est a monachis.

XII. Richerius tunc a Scalariensibus acci- A tus. Patria Britannus, primum Turonibus S. Mariæ Pauperculæ presbyter, postea Majoretanus monachus, dein Frederici tempore prior S. Juliani, tandem Blesis S. Launomari abbas fuerat renuntiatus. Hic rediens ad fratres ædificia monasterii vel a fundamentis inchoavit vetustate fatiscentia. Cum, anno 1034, die tertia Paschæ, Odo comes una et Arnulfus episcopus S. Julianum venissent, a Richerio abbate laute fuerunt excepti. In cujus memoriam Odo comes concessit S. Juliani monachis nemus Raretum perpetuo habendum, et petiit ut post mortem no- B men suum inter nomina fratrum scriberetur; e cod. Regio 5443. Vocatus fuit Redones Richerius, anno 1037, a Maginenio quodam milite, qui monasterium S. Cirico dicatum nuper reparaverat, et ibi regularem studebat renovare disciplinam. Sub regimine S. Juliani positum hoc a conditore monasterium accepit Richerius, et mox rediit ad suos. Subscripsit, hos circa dies, chartæ Theobaldi et Stephani comitum, qui S. Lupantium prope Cainonem ab iniquis vectigalibus vindicavere. Odone quidem vita defuncto. Geoffridus Martellus Turones, anno 1047, C obsidione cinxit arctissima. Hic ob emendationem damni quod rebus monasterii per hanc obsidionem attulerat, venit in capitulum S. Juliani, et, coram Arnulfo archiepiscopo Richerioque abbate, monachos omni consuetudine fiscali per totam terram suam exemit; apud *Housseau*, t. II. Secutus est Richerius, anno 1050, Leonem Pontificem e Gallia Romam revertentem. Illo precante, anno 1051, Hugo, Cenomanensis comes, quædam confirmavit S. Juliano, vel pretio, vel dono nuper comparata, et ipse de suis nonnulla contulit, inter quæ ecclesias D S. Constantini, S. Salvatoris et S. Martini, in pago Cenomanensi; e Regio cod. 5443. Richerii mentio fit in Monastico Benedictino ad annum 1058, quo memoratur Harduinum de Rupibus cucullo donans monachico. Laudatur Richerius abbatiæ strenuus rector, qui res tam temporales quam spirituales summa resarcivit industria. Hujus depositio celebrabatur II idus Februarii.

XIII. Guillelmus I legitur post Richerium S. Juliano præfectus. Quibus vero consuluerit et quid egerit incertum est. Non diuturnum ejus certe regimen fuit. Hujus marty- E rologium meminisse videtur v cal. Augusti.

XIV. Robertus I, vir nobilis, patria Redonensis, oratorium S. Albini consecrari curavit, anno 1058. Anno 1062, pacem fecit cum Theobaldo de Rupibus. Obtinuit ab Adamo de S. Bricio villulam in Normannicis partibus, dictam Runcevillam. De qua firmiter monasterio S. Juliani tradenda supplex adiit, anno 1063, Willelmum ducem Normannorum; qui quidem ab Adamo data confirmavit. Ei concessit, anno 1066, Rainaldus de

Castro Rainaldi ecclesiam S. Andreæ de Castro Rainaldi quietam et liberam ab omni consuetudine, apud *Housseau*, t. II. Abbas adhuc sedebat Robertus anno 1067; quem tunc temporis præfecturam deposuisse memorant, quia pro ordinatione ejus San-Julianei promiserant pecuniam, et ipse promissam dare recusabat, simoniam exosus. Hujus obitus memoratur in martyrologio v cal. Januarii.

XV. Gilbertus, sive Girbertus, innotescit, ut aiunt, ab anno 1073. Hic, IV idus Novembris 1084, basilicæ elegantius restauratæ curam adhibuit dedicandæ a Radulfo II, Turonum archiepiscopo. Pactus est, anno 1085, cum Arduino de Malliaco. Sic etiam fecit pacem, anno 1088, media Quadragesima, cum Gosberto, cognomine Pagano, qui res quasdam S. Juliani a patre datas invaserat, aut calumnia sibi vindicare conabatur; ex archivo Andegavensi, inter Eschimiriacenses chartulas. Ecclesiam S. Audoeni, in pago Cenomanensi, quam Albericus de Miletia sibi arrogabat, revocavit, anno 1091, in jus S. Juliani. Eodem anno transegit cum canonicis Evonensibus, et accepit a Geoffrido de Meduana jus annuæ feriæ in Gabroniensi villa; e Monastico Benedictino. Concessit ei, anno 1093, Guillelmus de Feritate Matthæi, in extremis agens, cellam et quam plurimas in castro suo decimas. Et ipse Rotbertum de Simbliciaco, qui terras S. Juliani deprædatus erat juxta Cancellos, ad pœnitentiam redegit; nec prius habuit absolutum quam multa de suis S. Juliano contulit. Gilberto tradidit Reginaldus *de Vool* Ecclesiam S. Martini de Eschimiriaco, episcopante Geoffrido Turonensi; ex archivo Andegavensi. Depositionem abbatis Girberti celebraverunt San-Julianei III non. Aprilis.

Gerardus legitur, anno 1092, Ambasiæ comitibus, monasterii possessiones invadentibus, fortiter obstitisse. Quod his verbis memorat Historia Regalis Abbatiæ S. Juliani, codices inter Regios. Si quis Gerardo locus debetur, abbas fuit anno 1093 jam peracto. Verisimilius autem est eclogarii cujusdam menda vel interpolatione Gerardum hunc Girberti loco positum. De Gerardo nulla mentio in abbatum serie quam Monasticon exhibet Benedictinum. In liberiorem delapsus conjecturam Martenius, Gerardum hunc dicit eumdem fuisse ac S. Gerardum, Sammedardensem abbatem, in Suessionensi ecclesia, et Silvæ Majoris conditorem. Quod prorsus inane.

XVI. Joannes I cœnobio jam præfuisse videtur anno 1094. Cum enim archiepiscopus Turonensis Radulfus II, anno pontificatus octavo, sibi jus vindicaret cœnandi et noctem agendi apud San-Julianeos in vigilia beati martyris Juliani, huic obstitit consuetudini Joannes, et eam dimisit archipræsul, quasi

A quietis monachicæ novercam. Joannes ille quidem abbas compositionem fecit, 25 Julii 1097, de Valle Boana, cum Cenomanensis ecclesiæ capitulo; quam confirmavit Hoellus, in extremis agens. Eodem anno oratorium S. Nicolai pro infirmis extrui et consecrari curavit. Wigonem de Marra, ab Hierosolymitano redeuntem itinere, anno 1099, humaniter excepit; qui, memor hujus hospitii, ecclesiam Beluanam rebus S. Juliani in perpetuum adjunxit. Subscripsit Joannes, anno 1104, chartæ pacis inter monachos S. Albini et S. Nicolai de Catiaco nemore.
B Marbodum, episcopum Redonensem, qui scilicet de ecclesia S. Cirici in dominium capituli Redonensis revocanda nimis acriter contendebat, eo quidem adduxit abbas Joannes, anno 1105, ut semet monachorum jus læsisse confiteretur; inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 508. Non unius Joannis occurrit mentio in martyrologio S. Juliani.

XVII. Philippus I de Vilereio, annum circa 1106. Hic dedit fratribus suis Hugoni et Guillelmo, nec non Mariæ matri, obedientiam suam quæ Capella sancti Remigii dicebatur. Hujus depositio celebrata II nonas
C Martii, sive XI cal. ejusdem mensis.

XVIII. Reginaldus I, anno 1111; ex Historia abbatiæ, inter codices Regios.

XIX. Joannes II, anno 1117, occurrit in sententia litis diremptæ de vicaria S. Juliani de Campania; eodem anno, mense Octobri, Pontium, apud Cluniacenses abbatem, perquam urbane excepit. Unde inter Cluniacensem et San-Julianeam abbatias perpetuum fœdus sancitum. Qui Geoffridum Guiterni, nec non Geoffridum Infernum, silvæ Capduanæ invasores, compulit, anno 1129, ad dimittenda omnia quæ hac in silva sibi jura
D vindicaverant.

XX. Sulio, summæ virtutis abbas, ut legitur, discipulum habuit B. Christianum anachoretam. Obiit III Calendas Octobris.

XXI. Fulcandus, ex æditno S. Florentii, teste Michaele abbate, annum circa 1134 ad San-Julianeam est accitus præfecturam. Ei concessit Aimericus de Narbonia terram suam Mentiacum. Inter eum et Andream de Sancto Medardo, de dubiis quibusdam rebus litigantes, concordiam fecit Hugo Turonensis archiepiscopus.

Brial, Rer. Gallic. Script. t. XIV, p. 507.

XXII. Aimericus contentionem habuit
E cum abbate Villæ Lupæ de S. Medardi Turonensis ecclesia; quam, Hugonis archiepiscopi jussu, diremit Garnerius abbas Majoris Monasterii, anno 1141. Anno sequente, molestiam quamdam passus est ab Ysoredo, præposito Montis Basonis, qui de San-Julianeorum jure monachorum in sylvam Chedoniensem litem movebat: sed, testibus productis, causam perdidit Ysoredus. Is quidem Aimericus, anno 1144, litteras apostolicas a Cœlestino II, et a Ludovico VII regias

Ch. LXV, col. 83.

obtinuit in sacrilegos monasticarum possessionum invasores. Litem inter eum et Robertum Vindocinensem exortam, de tribus capellis Carceribus sitis, diremit, anno 1144, Andegavorum comes Geoffridus. Inter eosdem pax iterum sancita litteris Eugenii papæ III, xvi cal. Maii 1148; supra, t. VIII, col. 1371. Aimerici meminere Nucarienses tabulæ, in quibus testis reperitur Aimerici *d'Aver*, calumniam dimittentis coram Hugone archipræsule. Memoratur vitam exuens terrestrem anno 1157. De cujus eligendo successore non parva dissidia, cum Joscius, Turonensis archiepiscopus, electionis peragendæ semet pro jure suo participem fore dictitaret, istudque jus ea tenus inauditum et suæ libertati repugnans monachi clamarent. Scripsit Joscius ad Ludovicum regem, et argumentis causam suam tueri conatus est, quibus in præsule nimium civiles affectus produntur. Ludovici regis responsum ætas invidit. Sed mox agnovit ipse Ludovicus custodiam S. Juliani Turonensis ad Henricum, Angliæ regem, pertinere; ut testantur Henrici litteræ, quibus ipse Joscius subscripsit. Consule A. Quercetanum, t. IV p. 641, et Baluzium, Miscell. t. IV p. 486. Obiit, e martyrologio, III cal. Februarii.

XXIII. Garinus, vel Garnerius, Aimerico noscitur succedens anno 1157. Qui fratrum commodis, ut memorant, nimium delicate providit. Terram in ejus manum misit Philippus de Bello Monte, de cujus possessione prius contenderat. Nec leve inter Garinum abbatem et Dadonem militem jurgium exarsit de Capduana sylva, quam hic quasi suam invaserat : sed jus monachorum in ipsius curia Dadonis prævaluit. Concordiam iniit, 1158, sive 1159, cum Roberto, Vindocinensi abbate, de capellis B. Mariæ, S. Vincentii et S. Nicolai. Nominatur, anno 1160, inter testes confirmatorum S. Juliano in Normannia bonorum, prope Aenerias, Mevaniam, Fresneium, Belloium, etc., etc. Quo etiam anno, Garinus terram quamdam emit ab Huberto Ungrini; e Monastic. Bened. Hujus celebrabantur exsequiæ v idus Septembris, ex ordinario S. Juliani.

Post Garinum duos quosdam abbates, mera fretus conjectura, ponit auctor Historiæ S. Juliani quam servat codex 5443 : Stephanum scilicet, cujus martyrologium S. Juliani meminit VIII cal. Novembris, et Martinum, ex eodem martyrologio depositum VI id. Septembris. At vero fictitium forsitan intervallum non duos, ut videtur, capit abbates. Nec habenda cura de locandis inter abbates S. Juliani plurimis abbatibus quos sine sedis mentione præbet San-Julianeum martyrologium; hi sed enim, ut opinamur, cœnobiis præfuerunt aliis quibus cum S. Juliano fraterna societas.

XXIV. Petrus I, electioni suæ tantum superstes; ex Historia inter Regios olim codices asservata. Petri ejusdem meminit martyrologium, VI cal. Februarii.

XXV. Geoffridus I, anno 1165, concordiam iniit cum Gauffrido *Isoré* super Ulmo S. Sulpicii.

XXVI. Guillelmus II memoratur paciscens, anno 1171, cum Bartholomæo, domino S. Medardi, super decima Varennæ; e Monastico Benedictino. Ille forsitan non alius fuit a Geoffrido antecedenti et sequenti. Frequentissima recentes inter eclogarios ista nominum corruptio. Duos tamen Geoffridos recensuit martyrologium, præter Geoffridum, cognomine Pictavim.

XXVI. Geoffridus II, annum ultra 1176, testis adlectus ab Hervæo Villelupensi Ligetum concedente monachis Carthusianis. Anno 1182, Bernardum *Boisum* et uxorem ejus excepit semet S. Juliano offerentes.

XXVII. Philippus II monasterii jura fortiter feliciterque defendit. Memoratur, anno 1193, inter recuperatores apostolicos; supra, t. VIII, col. 1456. Idem, anno 1197, legitur in chartulario Majoris Monasterii, mandato domini papæ litem sopiens inter Bereii monachos et Hilarium, presbyterum S. Joannis. Philippum hunc opinamur eumdem ac Paganum qui dicitur in Thesauro Nucariarum Abbreviato societatem egisse cum Henrico Nucariarum abbate. Plures in martyrologio Philippi, nullus vero Paganus.

XXVIII. Raginaldus II, nullius quasi nominis abbates excipiens, majorem famam assecutus est. Ille scilicet, anno 1200, stabat coram Sulpicio, Ambasiæ domino, litigans, cum Roberto de Brenna; cujus litis singularis prorsus materia fuit. Acceperat Robertus sarcinale jumentum e domo monachorum Cancellis sita, cumque supremam quadrupes efflavisset animam regis Franciæ sub vexillis, ad ejus restitutionem teneri miles se negabat, defuncti dummodo præberet auriculam. Asserebant monachi se quidem jumentum, secundum consuetudines, Roberto debere ad castra comitis Andegavorum eunti, sed petebant ut sanum redderetur istud quod Francorum regi servitium præstiterat indebitum. Causam obtinuit Raginaldus et aliud Robertus tradidit jumentum. Raginaldo concessit, anno 1203, Hamelinus de Roorta decimam moletrinæ suæ. Idem pactum iniit, anno 1205, cum Raginaldo, priore Gressus, super prædio quodam juxta *Lucigné*. Testis subscripsit, anno sequenti, chartæ Philippi de Remaforti, capellam *Voo* Villelupensi tradentis abbatiæ. Denique sedebat, III nonas Martii 1209, mandato domini papæ, inter judices qui litem composuerunt exortam inter monachos Pontilevienses et Guillelmum de Oscampis. Præfuisse dicitur monachis S. Juliani ad annum 1210. Quis fuit autem abbas ille Petrus, qui

e in Sangermanensi codice, sub num. lomos, anno 1208, sub conditione cen- adidisse? Corruptum ab elogario Ra- di nomen opinamur.

XIX. Joannes III Reginaldi vices jam ex- rat hoc anno 1210, mense Septembri, onstat e charta Joannis de Faia, Turo- sis archiepiscopi, confirmantis datam oni, cantori, ecclesiam B. Mariæ de *Bel-* Habuit rem Joannes, anno 1211, co- i episcopo Cenomanensi, cum Hamelino Roorta, quia scilicet debita mortuis of- a non celebrabant monachi in ecclesia di Montis. Eodem anno legitur ad concor- m compulisse litigantes abbatem Majoris onasterii et Petrum de Prulleio, militem. otitiam edidit, anno 1212, de composita ce inter monachos Majoretanos et presby- rum S. Salvatoris de Montiniaco; e chartu- rio Majoris Monasterii. Qui quidem Joan- es III, *lucerna lucens et ardens* dictus in nartyrologio, summis Pontificibus Inno- entio et Honorio acceptissimus fuit. Arbi- trum illum delegavit, anno 1213, Innocentius inter abbatem Majoris Monasterii et Joannem de Comburnio, de quibusdam reditibus li- tigantes. Eodem anno, mense Decembri, ejusdem papæ jussu, contentionem diremit quæ intercedebat inter capitulum B. Mar- tini et Guillelmum de Priciniaco, dominum S. Mauræ, super rebus Lamberti cujusdam ob homicidium perpetratum damnati. Eidem, nec non S. Juliani priori, mandavit Honorius, die 25 Maii 1218, ut bona quædam monas- terii S. Petri de Cultura, apud Cenomanenses, quæ sæcularibus viris ipsi tradenda detur- baverant abbates, ad jus monachorum revo- carent. Obiit hoc anno 1218.

XXX. Mainardus, Joanne e vivis sublato, mox electus est et ordinatus. Illum jam, anno 1218, Richildis de S. Medardo de Pila desi- gnabat inter sui testamenti curatores, et jubebat eumdem Honorius papa sedere ju- dicem inter priorem S. Petri de Camilliaco quosdamque B. Mariæ canonicos litigantes super sex capellarum patronatu : de qua re sententiam edebat eodem anno; e chartulario Majoris Monasterii. Idem, mense Martio 1220, litem diremit inter priorem Basin- villæ Philippumque de Alneto, militem, et, ejusdem anni mense Novembri, litem alteram inter abbatem Majoris Monasterii et Aimeri- cum Danielem; e chartulario Majoris Monas- terii. Ei Joannes archiepiscopus cessit, anno 1221, novalia in parochiis e quibus decimas percipiebat. Idem Mainardus inter præcipuas habuit curas restaurationem ecclesiæ S. Ju- liani, quæ, anno 1224, in festo S. Matthæi apostoli, debacchantibus imbribus et ventis, fere tota corruerat. Nec operi suscepto defuit Martiniensium auxilium. Ab eis enim, anno 1125, Mainardus impetravit eleemosynam centum et quinquaginta librarum, a Bruno de

A Monte Bruno S. Martino collatam, ea tamen pacto ut San-Julianei monachi, Martinien- sium munus exsequentes, tredecim pauperes, singulis annis, curarent vestiendos. Eodem anno, precum communionem sancivit cum Matthæo, Pontilevii abbate. Mainardo, die 2 Maii ejusdem anni, Honorius papa III pro- vinciam dedit, nec non S. Martini subdecano, ut ad pacem ineundam cogerent acrius discor- dantes Joannem archiepiscopum et Mauri- cium Cenomanensis ecclesiæ præsulem. Pepi- git Mainardus, Octobri mense 1230, cum Majoretanorum abbate, de nemoribus inter B vallem *Chenuchum* et fossas *Dalidon* sitis; e chartulario Majoris Monasterii. Eumdem denique præbet annum Mainardi charta tran- sigentis cum capitulo Turonensi de justitia in terris circa S. Lupum exercenda; apud Biblioth. Schol. Chart., t. I, p. 453. Anni- versarium hujus XVI cal. Februarii celebra- tum.

XXXI. Laurentius ab anno circiter 1234. Occurrit mense Martio 1241 in Alba Mar- tiniensium Pancarta, ad fidem domni *Hous- seau*, t. XIII.

XXXII. Evrardus III, annum circa 1243, C qui, ad meliorem disciplinæ statum, insti- tuit ut deinceps e monachis unus coquinam tum abbatis, tum fratrum, administrandam susciperet. Majoris basilicæ restaurationem, ab aliquot annis eversæ, pie continuavit, nonnullis fidelium minores ad peragendum hoc opus abbatiæ facultates augentibus. Obiit circa annum 1250.

XXXIII. Joannes IV, anno 1250, mense Novembri, videbat et laudabat litteras Phi- lippi regis quibus ablata civibus Castri Novi rerum publicarum administratio communis. Legitur, anno 1252, in instrumento de pa- D tronatu ecclesiæ Hablonvillensis, in diœcesi Sagiensi. Concordiam idem iniit, anno 1259, cum domino Montis Basonis. Qui et ora- torium S. Lupi suburbicanum ædificavit. Hujus meminit his verbis martyrologium S. Juliani : « VIII cal. Martii, depositio domni « Joannis abbatis. Fr. Joannes, abbas hujus « cœnobii, donavit conventui apud Chesiam « tria arpenta vinearum pro anniversario « suo annuatim faciendo. Actum anno Dom. « 1281. »

XXXIV. Geoffridus III, Pictavis cogno- mine, e monacho Burguliensi San-Julia- E neus abbas exoptatus, suam præfecturam singulari fama virtutum, nec non in paupe- res effusa pietate commendavit. « Vir pius « atque inter largos largissimus » dicitur in martyrologio. Abiit tandem in Burgu- liense monasterium, extremos ibi vitæ dies humiliter acturus. Morientem æterna quies excepit anno 1299, die Cœnæ Domini.

XXXV. Petrus II, de Castro-Reginaldi, electus anno 1298 e Chronico Turonensi Abbreviato, refectorium extruxit et cœno-

bium ære alieno liberavit. De eodem idem Chronicon : « Ille fuit religiosus, eleemo« synarius, inter fratres discordes pacem re« formans. » Decessit anno circiter 1300.

XXXVI. Guillelmus III desinit anno 1305.

XXXVII. Petrus III novas iniit lites cum canonicis S. Gatiani, quas electi composuerunt arbitri. Nec minus strenue se gessit contra duces Ambasiæ monasterii rebus semper infestos. Occurrit, anno 1308, transigens cum Geoffrido Vindocinensi, patre Joannis.

XXXVIII. Joannes V, cognomine *Roquet*, sive melius *Roguet*, sedit ab anno 1317, in festo S. Mauri. Anno 1318, pactus est cum abbate Majoris Monasterii de nemoribus juxta S. Laurentium de Gastina. Quemdam dictum Capreolum, ecclesiæ S. Saturnini vicarium, cum is in præfatam ecclesiam jura monachorum nimis acriter impugnaret, ad obsequium coegit debitum, anno 1322. Fratres B. Mariæ de Carmelo, post diuturnas lites, admisit anno 1325, in oratoriolo quodam ad S. Julianum pertinente. Obiit VIII calendas Marti 1326.

XXXIX. Joannes VI *de Savion*, sive *de Samion*, aut *de Santon*, regimen adeptus est abbatiæ anno 1326, in festo S. Catharinæ, e Chronico Turonensi Abbreviato. Obiit anno 1337.

XL. Guillelmus IV *le Beau*, præfecturam suscepit calendis Januarii 1337, ut legitur in Chronico Turonensi Abbreviato. Hic Theotolonis Gersindisque sororis reliquias transtulit in mediam chori partem. Decessit V nonas Martii; e martyrologio.

XLI. Joannes VII, anno 1354, in capitulo generali renovavit statutum Petri, prædecessoris sui. Decessit anno 1356.

XLII. Petrus IV, cui cognomem *Gaudion*, e priore Chesiæ abbas S. Juliani, V calendas Julii 1356, ab Innocentio papa VI instituitur; e Suaresio. Promulgavit, anno 1365, censuras contra monachos suos male viventes, e Monastico Benedictino. Vita decessit V idus Augusti 1380.

XLIII. Helias, anno 1385, Petronillæ de Stagno concessit sub lege census locum dictum *Baudri*.

XLIV. Guillelmus V quam acerrime litigavit de juribus S. Juliani cum archiepiscopis Seguino de Antone et Guidone de Roya. Obiit, annum circa 1400, adiens summum Pontificem.

XLV. Robertus II, secundum Sammarthanos, S. Juliano præficitur anno 1407. Quorum ad fidem si recensendus est ille Robertus, non diu rexit abbatiam; nempe legitur

XLVI. Guillelmus VI *Millon*, 2 Octobris 1408, inter apochas ad clerum spectantes, in Max. Paris. Bibliotheca; *Cab. des Titres*. Ejusdem in schedis D. *de Gaignières* syngraphas duas sigillatas reperimus, annis 1409 et 1410. Litteras, 16 Septembris 1411, a

A Joanne XXIII accepit quibus non mediocria S. Juliano concessa privilegia. Hæc vero mox abrogavit Martinus.

XLVII. Theobaldus, anno 1413, privilegium antecedenti concessum tutari conatus est adversus episcopum Turonensem. Memoratur, in martyrologio, mense Julio 1414, accipiens a Ludovico *Forest* domum in vico S. Catharinæ sitam. Post annum 1417 S. Julianum deseruit, Burgidolensis, ut dicitur, electus abbas. Deest autem in Burgidolensium abbatum serie, quam antecessores nostri digessere, t. II, col. 152.

B XLVIII. Ivo *Maillart* occurrit anno 1419.

XLIX. Philippus III de Saxo, alias *d'Ussay*, præerat capitulo generali die duodecima Novembris anni 1440. Moritur III nonas Februarii ejusdem anni.

L. Guillelmus VII *de la Saugière*, cujus innumera memorant in abbatiam beneficia. Neutiquam sane prætereundum eum bibliothecam suam optimis libris instructam monachis dono dedisse. Huic Robertus de Monte, apostolicæ sedis legatus, litteris ad abbatem Majoris Monasterii missis, die 6 Maii 1444, restitui jussit alienata distractaque S. Juliani
C bona. Aderat, die 3 Februarii 1453, secundum Gallicanam computationem, translationi capitis B. Martini. Et quidem moriens, calendis Junii 1457, quidquid argenteæ supellectilis habebat cœnobio S. Juliani legavit. Plura de illo reperies in martyrologio.

LI. Robertus III *Robin*, e priore Bauni abbas S. Juliani, sacras ecclesiæ reliquias e veteribus educi sarcophagis et in novas transferri thecas curavit anno 1458, secundum hodiernum computum, secunda, sive tertia et vicesima die Januarii, præsentibus Maria Andegavensi, Francorum regina, et
D Magdalena ejus filia. Reginam et proceres habuit Robertus hospites; e schedis Baluz. arm. 3, fasc. 2, num. 3. Obiit IX calendas Decembris 1459.

LII. Petrus V *de Montplacé*, e monacho S. Florentii, prior fuerat non unius prioratus et vicarius Joannis Bellaii, S. Florentii abbatis. Electus abbas San-Julianeus, idem fuit vicarius generalis Joannis Bernardi, Turonensis archipræsulis, quem sepelivit die 29 Aprilis 1466. Postquam autem Bernardus e vivis decessit, Petrus ab ejus successore Geraldo, eodem anno 1466, obtinuit
E prioratum Ciconiacenum, tum vacantem, uniendum mensæ S. Juliani. Cui scilicet Gerardo Turones devenienti obviam ivit, 10 Januarii 1467, et mensæ accumbentem suaviter laute excepit. Petro non aliter dein usus est Helias archipræsul, 18 Maii 1469. Anno 1482 diem obiit supremum.

LIII. Joannes VIII *de Quédillac* præfecturam San-Julianeam titulo commendæ adeptus est anno 1482. Cum, hoc eodem anno, ruens e cœlo fulgur totam vastaret ec-

clesiam, terrore perculsus abbas se quasi A Deo minanti promisit quam primum monasticam professionem suscepturum. Quæ mox vota persolvit. Eo tempore Lirensem regebat abbatiam Benedictus *de Chamery*, e venatore Ludovici regis factus olim monachus S. Juliani, qui, Turones redire gestiens, Liram Joanni obtulit, S. Julianum permutatione peracta recepturus. Vix autem abfuit, en Lirenses, aditis suffragiis, regularem elegerunt abbatem, nec deinceps Joannem *de Quédillac* possessionem adire cupientem, nec Benedictum abdicata repetentem excepere. Inde plurimæ lites. Consule seriem Lirensium ab- B batum, t. XI, col. 649 et seq. Anno 1494, S. Julianum regens Joannes bullam ab Alexandro VI obtinuit qua cœnobii jura sancita. Abbas idem fuit Baugeseii commendatarius et Oratorii. Obiit Aprili mense 1515, ex instrumentis motæ litis contra Joannem sequentem.

LIV. Joannes IX *Binet*, e primaria apud Turones familia, Majoretanus monachus, postea S. Juliani abbas electus est 31 Maii 1515 : contra cujus electionem in curia Parisiensi litigavit, ab anno 1517, Joannes Franciscus, Tiburtinus episcopus. Nec ea lis so- C pita 22 Junii 1528. Hac enim die in Turonense concilium deveniebat Gilbertus *Pichot*, supprior abbatiæ, dicebatque, ut in actis concilii legitur, « venisse duntaxat ad excu- « sandos religiosos et conventum dicti mo- « nasterii, quia nullus *erat* in eodem abbas « pacificus, sed super abbatiali dignitate pro- « cessus *pendebat* indecisus. » Diem clausit extremum Joannes anno 1530. Illius cecinit laudes Nicolaus Barptholomæus Lochiensis, in epigrammatum libro.

LV. Joannes X, cognomine *Robert*, sacellum S. Benedicti, producta longius ecclesiæ D ala, extruxit. Obiit anno 1540.

LVI. Franciscus I *de Tournon*, cardinalis Ostiensis, commendatarius abbas. Hic quam plurimis jam dives beneficiis, ut inter præcipuos Francisci regis amicos, in minimis habuit curis San-Julianei cœnobii præfecturam. De quo plura inter archiepiscopos Lugdunenses, t. IV, col. 183.

LVII. Antonius *de Crequi de Canaples*, creatus est anno 1552 Nannetensis episcopus. Abdicavit abbatiam S. Juliani anno 1561 desinente, in gratiam Nicolai *de Pellevé*, a quo sedem Ambaniensem accepit. E Huic vero permutationi nonnulli obstitere, cum non bene moratus Antonius diceretur. Vide t. X, col. 1208. Quocirca bullas annum ante 1564 obtinere non valuit. Incertum est an supra memoratus Nicolaus commendam S. Juliani, post peractam cessionem, probante rege tenuerit. Nullis enim occurrit in abbatum S. Juliani catalogis.

LVIII. Ludovicus I a Lotharingia, cardinalis *de Guise*, anno 1566. Qui vicarium generalem habuit Jacobum *du Plessis*, eleemosynarium regis.

LIX. Franciscus II *Fouquet*, anno 1577, abbas contra morem regularis.

LX. Georgius II *Péricard*, filius Joannis, procuratoris generalis in Parlamento Normanniæ, occurrit anno 1582. Idem fuit abbas S. Stephani Cadomensis. Utramque vero præfecturam abdicavit anno 1582, promotus ad episcopalem ecclesiam Abrincensem.

LXI. Carolus *d'O*, dominus *de la Ferrière*, filius Joannis *d'O*, domini *de Manou*, et Carolæ *de Clermont-Tallart*, ex Anselmo, abbas S. Juliani Turonensis litteris pontificiis instituitur, nec non S. Stephani Cadomensis, XIII cal. Januarii 1582, ætatis annum agens 22. Anno 1584, afflictas ecclesiæ res sedulus nec minimis quidem impendiis reparavit. Sed non monachos revocare valuit exules. Tunc enim Turones rex et aula, nec non senatus, Parisiis pulsi, exulaverunt, et in claustris S. Juliani desertis habuerunt sedem. Abdicavit Carolus et Parisios secessit, ubi mortuus est anno 1627.

LXII. Philippus IV *de Gamaches*, inter professores theologiæ regios celeberrimus, dispersos insecutus est monachos quatenus in claustrum redirent. Sed vacuas ædes interea curia præsidialis Turonensis occupavit. Obiit anno 1625, VI idus Julii, anno sexto et quinquagintesimo ætatis, et sepultus est in sacello Sorbonnæ, ut legitur in schedis Suaresianis.

LXIII. Georgius III *Catinat*, regius in jure dicendo Turonibus proprætor, S. Julianum nuper sortitus, huic Congregationi reformatæ S. Mauri jungendum curavit. Obiit III calendas Januarii 1653. Cui successit, fratris filius,

LXIV. Petrus VI *Catinat*, qui scilicet Petrum habuit patrem in supremo Galliarum senatus seniorem, et inter fratres Nicolaum primarium exercitus Gallici præfectum, doctor ac socius Sorbonicus, multa liberalis San-Julianeos in suos contulit. E vita cessit Parisiis, die 8 Octobris 1676, et tumulatus est in ecclesia Sorbonnæ, e S. Juliani martyrologio.

LXV. Clemens *Catinat*, Nicolai frater et superioris Petri, doctor itidem Parisiensis, possessionem iniit anno 1677. E vivis cessit septima die Maii 1685.

LXVI. Ludovicus II *Catinat*, e Renato Petri, Nicolai et Clementis fratre, præfecturam suscepit San-Julianeam anno 1685, quatuordecima die Septembris. Obiit anno 1714.

LXVII. N..... *de la Croix*, ab anno 1714 ad annum 1734, qui fuit abbatum ultimus.

CORMARICUS.

Locus est juxta fluvium Angerem dictus a priscis Cormaricus, adjacens regioni amœnissimæ, quam saluberrimis aer flatibus recreat, a civitate Turonica distans octo millibus, ab urbe Lucacensi decem. Ibi Itherius, abbas S. Martini, basilicam sub nomine S. Pauli suscepit instaurandam, trina constituens altaria, quæ dedicavit, opere nondum perfecto, VII idus Februarii, indict. XIV, anno Caroli Magni vigesimo tertio. Explosa jamdudum eorum sententia qui referunt Martinienses omnes tunc temporis monachos, angeli cujusdam nocturno flagello neci datos fuisse, unumque Itherium, e tanta strage superstitem, secessisse *corde mœrentem* in prædictam S. Pauli cellam, inde *Cormœriacum* nuncupatam. Fabulantes silere jussit Mabillonius; Annal. Benedict., t. II, p. 300. Itherio tamen S. Martinum regente, deducti quidam e domo Martiniana monachi Cormarici cellulas instituerunt. Cormaricenum absolvit opus Itherio succedens Alcuinus, Carolo Magno probante et adjuvante Benedicto, clarissimo Anianæ rectore, qui misit australibus e Galliæ regionibus ad novam illam coloniam numero viginti fratres, in arte strictioris disciplinæ versatos, quorum sub auspiciis Cormaricena res protinus floruit. Quæ legimus apud Ardonem, Benedicti magistri vitam scribentem. Alterum quidem a Carolo Magno præceptum in Cormaricensium gratiam obtinuit Alcuinus. His, anno 800, Carolus rex, non jam imperio superbiens, jus concessit naves duas habendi per Ligerim, Meduanam, Sartam, Lædum Vigennamque decurrentes et nulli obnoxias vectigali. Talciniacum postea et Albiniacum, de rebus S. Martini, Cormaricenæ cellæ Alcuinus addixit, eam peculiariter fovens, et jam, prædiis scilicet ditatam propriis, spe nobilioris fortunæ. Sub Fridugiso postea Martiniensium abbate, Ludovicus Pius, rex Aquitanorum, anno 807, confirmavit immunitatem duobus navibus concessam. Neutiquam vero mutatus fuit Cormaricensium monachorum status arctissime Martiniensibus subditorum, ante annum 820, quo Fridugisus, litteris a Ludovico Pio datis, eorum a cervicibus jugum depulit. Exinde libertate Benedictina potiti, non jam cellæ, sed abbatiæ celebris hospites, proprio gavisi sunt abbate. Duarum navium immunitatem firmavit Pippinus rex anno 831, et alia largitus est. Damna plurima, nec multum abest quin dicamus totius rei cladem, perpessi sunt Cormaricenses decimo sæculo. Tunc in jus Andegavensium consulum redacti, ut infra dicetur. Eversam de novo funditus ædificaverunt basilicam Robertus Infernus Robertusque Andegavensis abbates, consecrataque fuit a Bartholomæo, Turonensi archiepiscopo. E delubris resurgens Cormaricenum cœnobium tunc Martinienses canonici sibi clamitarunt obsequii vinculo devinctum, et ab Urbano papa II, anno 1096, præceptum obtinuere, quo solemniter confirmatum evasit jus ab ipsis repetitum. Innocentius papa II Cormaricenum monasterium sua sub protectione suscepit, anno 1139. Hoc præterea non minimis auxerunt privilegiis Alexander III cæterique supremæ sedis Pontifices. Nullus vero monachos e canonicorum exemit tutela. Quocirca lis frequens inter utramque domum. Libertatem sæpius sibi vindicarunt Cormaricenses, sive confugientes ad dolos, sive patronis contumaciter et aperte resistentes. Mense Februario 1217, postquam Martiniensibus ratum negaverant obsequium, in abbatiam ipsam omnesque monachorum ecclesias injecit manus decanus S. Martini, Robertusque de Logiis, senescallus Turoniæ, decani jus agnovit. Inde plures ærumnas Cormaricus tulit. Pejores aliunde mox devenere. Anno 1358, XV cal. Aprilis, miles quidam nomine Baguinus, sive Basquinus de Ponceto, stans a partibus Angliæ regis, tumultuaria comitante caterva, Cormaricum invasit, omniaque, sive sacra, sive profana, deprædatus, fugientibus monachis, equos in basilicæ navim immisit; dormitorium insuper, refectorium et cæteras domus partes suis occupanda vastandaque tradidit. Quæ per annum et amplius duravere, adeo ut nullus manserit ruinæ locus immunis. Ea de vastatione legendæ Innocentii papæ ad Turonensem archiepiscopum litteræ, anno 1358, et monachorum ad papam, anno 1359. Pretio tandem abbas Gerardus ab Anglis et Vasconibus monasterium redemit. Cui restaurando Petrus, Gerardo succedens, curam impendit. Anno 1412, reduces Angli nova minabantur incendia, novas prædationes : cum illis pactus est abbas Guillelmus, et ne rursus inermes monachi strictos conspicerent gladios, æs dederunt. Non vero minimam sibi tradi quovis mense jusserant Angli nummorum copiam, et postquam menstruam Octobris Cormaricenses solverant pecuniam, cœnobio jamjam omnibus rebus egente et Anglis non abeuntibus, Turonessese recipiunt. Ultimam postea passi sunt cladem ab hæreticorum turmis, anno 1564.

Historiam Cormariceni cœnobii manuscriptam reliquit Joachimus Perionius, quam Turonicum servat armarium. Aliam exhibent Residui S. Germani codices ab Ivone *Gaigneron*, Cormaricensi monacho, digestam. In Monastico Benedictino eorumdem fastorum epitome reperies a Gilberto Gerardo confectum, et inter vetustiora S. Germani volumina, sub num. 1066, seriem abbatum Cormaricensium, cui condendæ curam dedit domnus Anselmus *Lemichel*. Consule præterea schedas Stephani *Housseau*, t. XVIII.

Ch. VII, col. 9. Ch. VIII, col. 11. Ch. IX, col. 12. Ch. XI, col. 14. Ch. XIV, col. 20. Ch. XVI, col. 23. Ch. LVI, col. 74.

et Historiam S. Martini a R. Monsuerio prælo datam. A

ABBATUM SERIES.

I. Jacobus I, Cormaricensium abbas, anno 831, in charta Ludovici Cæsaris datam a Fri-
Ch. xvii, col. 24. dugiso Mazdonium, Magdonium, sive Burnominum villam, confirmantis. Ei somnianti apparuit S. Maurus, ut legitur in veteribus chronicis, teste et depromente Joach. Perionio, suasitque ut Rorigonem comitem adiret de restauratione Glannafoliensis monasterii diutius deliberantem. Jacobum e vivis B decessisse constat annum circa 837, cum hoc anno, mense Maio, nominetur in cujusdam Hilerlaici charta, et anno forsitan eodem, vel, ut alii opinantur, sequente, Ludovici scilicet imperantis vigesimo quarto, xvi calendas Julii, Audachrum jam electum abbatem regium diploma declaret.

II. Audacher, Audactus, sive Otacher, Lupi Ferrariensis consanguineus, ut jam dictum est, tom. XII, col. 159, anno 837, vel 838, a Ludovico Cæsare Cusciacum villam
Ch. xix, col. 26. accepit. Eidem, anno 838, vel 839, Pippinus, Aquitanorum rex, Cusciacum supra dictum, C
Ch. xx, col. 26. nec non Arciacum, Antoniacum et Magdonium confirmavit. Ultimo denique Ludovici imperantis anno, mense Junio 840, commu-
Ch. xxi, col. 27. tavit Audacher cum Frederico milite villam Hilariacum in Cenomanensi pago, accepitque Sodinnacum in Biturico. Adelardo, Martiniensium abbati, perquam amicus, ab eo
Ch. xxiii, col. 29. suscepit, anno 843, Vidiniacum et Tannogilum villas, de jure S. Martini translatas : quam donationem, eodem anno, sigillo suo firmavit Carolus Calvus, vii calendas Martii. Ursmaro, Turonensium pontifici, tradidit, anno 844, mansiones, prata, vel terras D Evenæ, accepto in commutationem prædio quodam in Troillana parœcia. Hujus commutationis instrumentum, anno sequente,
Ch. xxiv, col. 30. iii calendas Januarii, Carolus rex confirmavit, immunitates jam antea concessas monachis Cormaricensibus de novo largiens, eisdemque jus tradens hebdomadalis mercatus, nec non annuarum nundinarum, in festivitate Conversionis S. Pauli. Anno 850, vi calendas Junii, sancita præcepto Caroli regis fundatio valde notabilis cellæ, ad fluvium Adriscum, in loco qui dicebatur antiquitus Villa Lupæ, adscriptaque monachis E
Ch. xxviii, col. 35. ea cella sub abbatis Audachri regimine degentibus. Anno eodem, Vivianus, abbas S. Martini, Cormaricensibus nonnulla contulerat, ad eorum inopiam tam in victu quam in vestitu sublevandam. Extat Caroli Calvi
Ch. xxix, col. 36. diploma, xiv cal. Martii datum, quo dona Viviani confirmantur Audachro. Anno sequente, Waltarius clericus plura condonat
Ch. xxx, col. 37. Audachro, cal. Februarii. Mense Maio 856, Miloni et Guichardo, germanis, concessit Audacher res sitas in loco Petrucio, ea lege Ch. xxxi, col. 38.
ut has res in utilitatem ecclesiæ S. Pauli studerent amplificare. Petrucium nuper S. Paulo dederat quidam nomine Garinus. Nec fidem Milo fefellit; quin imo plus quam promiserat præstitit : refert enim eum Perionius amplissima Cormaricensibus contulisse bona, mense Maio 860. Adiens Herardus pontifex Villam Lupæ, xiv calendas Junii 859, ecclesiam consecrat absolutam, ad pre- Ch. xxxii, col. 49.
cem Audachri, monachosque ibi degentes Cormaricensibus parere jubet. Cellæ protinus Villælupæ Spaniacum Audacher abbas largitur. Obtinuit, anno 861, mense Aprili, Ch. xxxiv, col. 49.
Cambortum villam a Carolo rege, et ab eodem, Ingelwino consentiente, anno videlicet 865, xiii calendas Julii, xenodochium S. Mar- Ch. xxv, col. 50.
tini prope Duodecim Pontes, supra Sequanam, ab Alcuino fundatum. Anno tandem 868, mense Aprili, ei tradidit Mainardus miles Nogarium villam in pago Turonico sitam. Decessisse fertur Audacher v nonas Maii : annus vero Perionium et nos fugit. Audachri meminit Lupus Ferrariensis, in epistola 86 ad Hattonem, Fuldensem abbatem, et in epistola 96 ad Hilduinum. Ad eum insuper misit epistolam, quæ numerum 90 præbet in editione Baluziana. In ea legimus Audachrum Ferrarias, invisendi Lupi gratia, semet recepisse.

III. Ivo post Audachrum, sed minoris famæ. Huic tradidit, v calendas Junii 893, anno regni sexto, Odo rex villam Moliensem, nec non vineas silvasque adjacentes, in Pictaviensi pago. Cui subscripsit præcepto notarius Ernulfus, ad vicem Adalgarii archi-cancellarii.

IV. Aimo Cormaricensis abbas occurrit, anno 900, in tabulis quas legit Monsuerius. Quem consule, in Hist. S. Martini, p. 117.

Hic intermissa series abbatum Cormaricensium. Nomina quorumdam Ivoni proxime succedentium legit Perionius in pervetusto codice, sed nullo ordine digesta, Ingenaldum scilicet, Gotofredum, Adalbaldum, Raimbaldum, Fraimbaldum et Gosbertum. Nec hos quidem præteriit Cormaricenum necrologium : nulla vero de gestis eorum mentio reperitur, cum, ineunte decimo sæculo, quod merito ferreum vocat Baronius, Galliæ vel felicissimas regiones nova barbaries invaserit, miseriarum memoriam suarum litteris tradere neutiquam studiosa. Nec mirum videretur si prodiret testis alicujus fidei, quasi funditus eversum narrans per id temporis vitæ regularis ordinem in Cormariceno cœnobio. Compertum saltem habemus Andium consules, advocatos custodesque cœnobii tunc dictos, hujus in se bona transmovisse. Legendus ea de re Mabillonius, Annal. Ord. S. Bened., t. IV, p. 335.

V. Fulco, Perionio necnon Ivoni *Gaigneron* ignotus, abbas et rector occurrit Cormaricensis cœnobii in chartulario S. Juliani Tu-

ronensis, ubi legitur, anno 944, monachis S. Juliani sub census conditione tradidisse partem fluminis Vosdæ nuncupati. In laicorum manus delapso S. Pauli monasterio, ille Fulco non alius forsitan quam Fulco Bonus, Andegavorum comes;

VI. Guido sed enim, Fulconis hujus Andegavensis dynastæ filius, Albiniensi, Ferrariensi, nec non Cormariceno monasteriis præerat insimul anno 965, mox futurus episcopus Aniciensis. Confirmavit, hoc anno 965, disjunctionem cellæ Villelupensis e Cormariceno monasterio, et, eo præfecturam agente, monachis Geoffridus comes Valeneiacum villam, in pago Biturico, tradidit hæreditario sub jure possidendam, cum silvis, vineis, aquarum decursibus, mancipiisque ibi commanentibus. Alter fuit abbas Cormaricensis, Guido nomine, de quo post hac sumus locuturi, ad annum 1060. Unum solummodo Guidonem quidam amisere, et ultra dimidiam undecimi sæculi partem transtulere manumissam Villælupæ abbatiam, datumque S. Paulo Valenciacum. Error iste castigandus. Extat sedenim charta de libertate Villæ Lupæ, quæ præ se fert annum 965. Præterea ad calcem præcepti, quod de Valenciaco Geoffridus comes edidit, legitur « : Has « vero res, per hoc testamentum... omni- « potenti Deo offero, et fratribus monasterii « S. Pauli..., ubi frater meus Guido abbas « præesse videtur... ut pro nostrorum paren- « tum, genitoris videlicet Fulconis et genitri- « cis Girbergæ, ac fratrum meorum erratis « intercedant... » Cujus autem Geoffridi Fulco pater et mater Girberga? Non alterius nisi Geoffridi Grisæ Gonellæ, qui, decedente patre, rerum Andegavensium principatum suscepit anno 958. Alterum nec minus irrefragabile de priore illo Guidone legitur testimonium, in charta quæ memorat illum in Aniciensem cathedram traductum. Sunt enim hæc hujusce chartæ prima verba : « Fuit « vir quidam ex nobili Francorum progenie « ortus, Guido nomine, qui, providentia « Dei disponente, traditus a parentibus lit- « terarum studiis, relictis sæcularibus pom- « pis, monachus factus in cœnobio quod vo- « catur Cormarium, viriliter militavit ibi sub « regula S. Benedicti. Patre vero illius monas- « terii migrante ex hac luce, fratrum concor- « dante consensu, abbas ibidem eligitur, at- « que juxta morem canonicum benedicitur... « Quo in tempore Aniciensi ecclesia viduata « suo antistite, a clero et populo... unanimi- « ter legati mittuntur ad regem, ut daret illis « utilissimum pastorem, præfatum scilicet « abbatem, cui erat frater germanus nobi- « lissimus comes Gaufridus, cognomento « Grisa Gonella. » Integram reperies chartam, supra, tomo II, inter Instrum., col. 223 et seq. Quæ vero gessit, ab anno 976, episcopus Aniciensis, sive Podiensis, in eodem volumine summatim sunt digesta, col. 695, 696. Animadvertendum quidem quod in charta de libertate Villelupensibus tradita, semet Guido dicat filium Fulconis Rufi et fratrem insimul Geoffridi comitis. Alterum ab eo Guidonem Fulco Rufus genuit, quem Suessionenses episcopum sortiti sunt. Noster ille Guido, Cormaricensis abbas et postmodum Podiensis episcopus, patrem habuerat Fulconem Bonum, Rufi filium. Corruptus imperita manu fuit chartæ locus, quæ non aliis caret mendis.

Ch. xli, col. 60.

VII. Daniel a quibusdam Guidoni succedens recensetur. Vixit sub rege Lothario. Anno que hujus vicesimo quarto, anno scilicet 977, legitur quasdem res in Blesensi pago Constantio clerico sub lege census tradidisse. Quandiu vero præfuerit ille Daniel, non aliunde notus, post Perionium et Ivonem *Gaigneron* ignoramus. Ejus depositio memoratur in Cormariceno necrologio, xv cal. Augusti.

VIII. Theobaldus I, Haimonis Corboliensis comitis filius, anno 997 ab Archambaldo archipræsule licentiam impetravit ædificandi capellam, S. Mariæ dicatam, in villa Lupantia, intra fines Thalciniensis oppidi, quo parœci per hibernum tempus pergerent sacris interfuturi, ecclesiam quando S. Martini Thalciniensis imbres nimiæ prohiberent. Postquam Fulco comes castella duo, quæ Mons Basonis et Mirebellum vocantur, in vicinia cœnobii Cormariceni construxisset, metuentes ne in futurum illa suis rebus castella infestum quid et valde nocivum minarentur, adierunt Robertum regem monachi, et ab eo præceptum obtinuerunt eorum quo jura rata fuere. Theobaldus nominatur in hoc Roberti regis mandato, cui notæ desunt chronicæ. Cormaricum deseruit anno, ut videtur, 1006, cœnobio Fossatensi præficiendus. Consule tomum VII, col. 290.

IX. Richardus post Theobaldum occurrit. Ille jam cœnobio præerat anno 1007, nisi falso conjicimus hunc eumdem esse ac Richardum abbatem, qui, sine sedis mentione, testis legitur hoc anno Gauzberti, Majoretanorum abbatis, plura tradentis Acfrido militi. Richardo præfecturam tenente, Cormaricenum monasterium consul Andium Fulco, mandato Roberti regis, suscepit custodiendum, ea lege ut in alienam dominationem non ulterius traduceretur. Idem Richardus mulieri cuidam, Adelaidi nomine, molendinum tradidit Troilinum juxta ripam Agneris, mense Septembri, anno Roberti regis tricesimo, ut constat e litteris a Mabillonio cæterisque laudatis. Ergo palam est Richardum ad annum 1026 saltem vixisse. Amicissimus erat Marrico de Nucastro. « Unde nimia fa- « miliaritate poposcit (Marricus) a mona- « chis, ut si quando in festivitate S. Pauli « in refectorio manducare vellet, consenti- « rent. Quod et fecerunt : et ipse propter

« hunc honorem eo die dabat illis unum stu-« rionem. » Sic legitur in amplissima de Monte Canino charta, quam Mabillonius edidit; Annal. Ord. S. Bened., t. IV, p. 713.

X. Robertus I Richardo successit, quem vocant Infernum. Occurrit in pluribus chartis, inter quas primum memorare juvat chartam de Monte Canino, quem Marranus promiserat se Roberto daturum, nec dedit, præmatura scilicet morte interceptus. Ei vir nobilis, Geoffridus nomine, Asiacum vulgo Ridellum largitus est, si Perionio credas; nam hujusce donationis charta, Arnulfo archiepiscopante data, chronicas non præbet notas, et ad Robertum sequentem congruentissime referri potest. Certius constat huic, et non sequenti, Gerardum et Odam conjugem concessisse Rivarennam et adjacentia prædia; namque si Gerardi donantis instrumentum notis caret, sigillum tamen Fulconis dynastæ præ se fert, qui decessit anno, ut opinantur, 1040, sub prioris Roberti regimine.

XI. Robertus II, dictus Andegavensis. Frater erat Bernardi, scholis Andegavensibus præpositi, qui librum misit de Miraculis S. Fidis Conchensis ad Fulbertum Carnotensem. Cum annus 1054 illius ordinati dicatur septimus, in charta de restauratione Cormaricenæ ecclesiæ, Robertum Andegavensem habemus præfecturam auspicantem anno 1047. Is subscripsit, sub Eusebio episcopo et Geoffrido consule, inter annos scilicet 1047 et 1060, initæ concordiæ inter moniales B. Mariæ de Roncereio et Gislebertum, equitem, de terra Curte Petræ sita. Consecratur, hujus cura, idibus Novembris 1054, extructa opere novo Cormaricena basilica. Ei Guanilo, filius Maranni, Montem Caninum, jam pridem promissum, tandem tradidit, mediante vero pecunia. Hujus, aut forsitan antecedentis Roberti, anniversarium diem celebrabant moniales Roncereii nonis Septembris.

XII. Bernardus I ante Guidonem sequentem colligitur e chronico Malleacensi.

XIII. Guido II a Fulcone comite, die 28 Augusti 1070, villam accepit quæ dicitur Vedunta. Mense Junio 1079, Richerius Senonensis archiepiscopus Guidoni concessit ecclesiam S. Gervasii de Stabulis, donatam a Pontio, Castri domino. Cujus concessionis chartam exhibuerunt antecessores nostri, inter Instrumenta tom. XII, col. 14. Fulconis chartæ de Vedunta subscripserat quidem Hugo de Langesio, terræ dominus : se vero metu comitis hanc donationem ratam habuisse mox contendit litemque movit; quæ composita fuit anno 1080, XIV calendas Julii. Majoris sane momenti controversia canonicos inter S. Martini Turonensis et monachos Cormaricenses tunc temporis exarsit, quoniam dicerent canonici Cormaricenum cœno-

A bium, suis sumptibus suoque studio antiquitus ædificatum, in libertatem involavisse procacem, sub comitum Andegavensium metuenda tutela, acriterque peterent ut nullus apud Cormaricenses abbas institueretur, nisi consentientibus ipsis et baculum legitime possidendum tradentibus. Rem sibi delatam diremit Urbanus papa II, anno 1096, in episcoporum abbatumque percelebri conventu, cum, Galliam peragrans, in Turonensem devenit provinciam. Dixit summus pontifex, Martiniensibus favens, Guidonem non ordinate consecratum, eumque jussit canonicis Ch. LVI, col. 74.
B reddere baculum, qui protinus ad tumulum B. Martini delatus fuit, Guidoni mox restituendus, ut optimæ frugis monacho. Tunc perpetuo sancitum decreto, ut, decedente Cormaricensium quolibet abbate, idem ad sepulcrum S. Martini sine mora traduceretur baculus, quo deveniens noviter electus, communi decani capitulique Martiniani consensu, muneris insignia sumeret. Ab eo tempore capitis quasi minores Cormaricenses; non mediocriter saltem depressus honor loci. Plura de Guidone memoranda supersunt. Occurrit, anno 1109, componens cum Ro-
C berto de Arbrisello, super quibusdam decimis, mediante Petro Pictavorum antistite. Ut legitur in tabulis, ad annum usque 1111 et forsitan ultra vixit. Eo regente, emptum suburbanum Parthenaei, vicus S. Pauli nuncupatum. Nec prætereundum Peloquini donum. Peloquinus, dominus Insulæ, fratrem suum, nomine Thomam, adduxit in Cormaricenum monasterium, rogans ut eum monachi acciperent, et, annuentibus Guidone conventuque, dedit Peloquinus cuncta quæ possidebat in villa dicta Duobus Luriis. Non aliter Rogerius de Albignio, filium suum Ro-
D bertum offerens Domino, abbati Guidoni largitus est quidquid proprium habebat in ecclesia Marsiciacensi, nec non ecclesiam S. Nicolai de Bosco Rogerii. Eidem Sulio, clericus Turonensis, plurimas terras concessit, in quas postea calumniam movit Hugo de S. Maura, mox et ipsi Guidoni rem totam dimissurus.

Hujus tempore floruit B. Leotherieus, genere et professione miles, qui, Romam profectus, inde rediit eremitæ cultor vitæ. In Lotharingiam primo secessit, mox Cormaricum devenit, egens quibuscumque et mendi-
E cans, et dein Anchiacum, vicum Cormariceni juris, ubi fructibus undequaque desumptis herbisque crudis vesci consuevit. Ultima sedes errantis Vedunta, quo plurimi tetenderunt pontifices, abbates, nec non laici dignitate pollentes, virum Deo gratissimum invisendi gratia. Decessit octavo calendas Octobris 1099. Hujus funeri nobilior cleri Turonensis pars interfuit. Plurima quoque sub idem tempus de Guillelmo Ludovico narrantur. Quidam monachus Cormaricensis, no-

mine Guillelmus, cognomine Ludovicus, plurimis peragratis terris, Constantinopolim tandem appulit. Imperii regebat habenas Alexius, qui sibi Guillelmum addixit misitque Nicomediam. Eumdem mox Apulienses, ejus audita fama, elegerunt episcopum Salpinæ. Detulit inde redux plurimas Cormaricum reliquias, quas, anno 1103, Guido supra dictus excepit. Ch. LVIII, col. 76.

XIV. Mainardus, antea prior claustralis, post Guidonem abbas occurrit. Semet Mainardus profitetur e Remorum civitate oriundum et S. Brunonis discipulum, in epistola quam, anno 1102, Cormaricensis tunc prior ad fratres S. Mariæ de Eremo scripsit, Brunonis mortem dolens. Hanc exhibet epistolam Mabillonius, Ann. Bened., t. V, p. 669. Hujus tempore Archambaldus, filius Ulgerii decani, nec non alii milites terras ad Brusaisneam silvam sitas Cormaricensibus abripere conati sunt. Hac de re magna lis, quam diremit Fulco consul, anno 1123, monachorum jus agnoscendo et confirmando. Sub eodem abbate, anno 1130, Henricus Senonensis archiepiscopus Raynaldo, priori Triagni, confirmavit capellam Pagani. Guidonem antecedentem Mainardo successisse perperam Mabillonius opinatus est; Ann. Bened., t. V, p. 459.

XV. Theobaldus II, patruelis B. Leotherici, Mainardo successit. Asserit præterea Perionius se Theobaldi mentionem invenisse in tabulis anni 1133, quibus traditur Bartholomæum, ex optimatibus castri Vindocinensis, contentionem agitavisse de bonis monachorum sitis in comitatu Blesensi. Litteratus vir is fuit Theobaldus et hymnum in honorem S. Pauli condidit, nec non vitam *Leotherici* deperditam.

XVI. Guillelmus I, anno 1139, ab Innocentio papa II bullam obtinuit, qua Cormaricenum monasterium sub B. Petri tutela susceptum. Eidem confirmavit Geoffridus, filius Fulconis, Hierosolymitani regis, immunitates jam hominibus S. Pauli Cormariceni collatas. Occurrit etiam Guillelmus in charta litis diremptæ cum Hugone Galoio super furno Aziaci constructo.

XVII. Joannes I Sabardus nominatur anno 1146, in litteris quibus monachi Cormaricenses, ad precem Anselli, Triagniani castri toparchæ, monialibus concedunt juxta muros Triagni commorantibus decimam ex aratris ipsarum Solennicum agrum sulcantibus percipi solitam. Ejusdem Joannis mentio fit in charta qua paciscitur domina quædam, Cassanıota nomine, super terra Pinis. Occurrit præterea Joannes Andegavum venire compulsus ab Ismero, seu potius Ymaro, supremæ sedis legato, et ibi Petronillæ, Fontis Ebraldi abbatissæ, terram de qua lis erat dimittens. Hæc refert *Travers*, e chartul. Fontis-Ebraldi, in suis Conciliis, t. II, sub annum circiter 1140. Mendosus autem est hic annus, cum legationem Ismerus iniisse dicatur suam in Turonensi provincia post Geoffridi Carnotensis discessum, cumque Geoffridus ad annum saltem 1144 legati munus gesserit, ut videre est in hac Gall. Christ., t. VIII, col. 1138. Adde quod, e Clypeo Fontebrald. Ordinis, t. I, p. 38, Andegavi cum Ismaro judices prædictæ litis adfuerunt Joannes, episcopus Macloviensis ab anno 1144, et Hugo, Turonensis archiepiscopus, qui Deo reddidit animam anno 1147.

XVIII. Rogerius litigavit cum supra dicto Ansello super ecclesia quam hic in suo castello construxerat. Rem vero composuit Henricus, Trecensis comes, anno 1164. Ad annum 1172 memoratur in tabulis. Primus, teste Perionio, usus est his verbis, dum consecraretur a Joscio archiepiscopo : « Ego Rogerius, nunc benedicendus abbas Cormaricenus, sanctæ Turonensi ecclesiæ tanquam majori, et tibi, pater Josci, omnibusque successoribus tuis canonice substituendis, reverentiam, subjectionem et obedientiam promitto, et super hoc sancto altari propria manu firmo... » Anno 1165, Joscius pacem fecit inter ipsum et Bartholomæum de Haia, qui procurationem a monachis requirebat indebitam.

XIX. Sulpicius acriter pertexuit animosam contentionem de juribus archiepiscoporum Turonensium in Cormaricenum monasterium. Rem demandaverat enodandam summus pontifex Matthæo Trecensi Pontioque Claromontano. Pacem Blesis inierunt, anno 1174, litigantes, Bartholomæus scilicet Turonensis archipræsul, Bartholomæus S. Martini decanus, Sulpiciusque Cormaricensis abbas. De qua lite legendæ Pontii prædicti litteræ. Alteram habuit Sulpicius, sed pondere minorem, controversiam, cum Guillelmo, S. Macuti de Landa presbytero, de media parte decimarum S. Macuti, quam sibi commissam a Romana sede solverunt, anno 1175, Bartholomæus archipræsul et Robertus abbas Majoris Monasterii.

XX. Geraldus, sive Gerardus I, nominatur, anno 1180, in bulla Innocentii papæ, possessiones, nec non privilegia Cormaricensium confirmantis. Litigavit adversus Rainaldum, priorem eremitarum in ecclesia S. Joannis de Gressu degentium, a Cormariceno cœnobio duobus millibus distante, jusque suum persequi destitit, anno 1182, ad precem Henrici regis. Hermentiaci decimam insuper a Majoretanis expetiit, et cum eis pactus est. Subscripsit idem, anno 1184, chartæ qua Bartholomæus archiepiscopus ecclesiam B. Mariæ de Ripera Majoretanis confirmavit, ab antecessore Gisleberto traditam. Decessit 11 Maii, e necrologio Cormariceno.

XXI. Philippus occurrit, VIII cal. Maii 1188, indict. VI, in litteris Burchardi, Insulæ do-

mini, monachis liberum transitum in castro suo confirmantis circa res ad victum vestitumque necessarias. Is quoniam non semel defuerat celebrandæ septimanæ in S. Martini basilica, vocatus fuit a capitulo Martiniensi coram Gregorio, sedis apostolicæ legato. Edictum de eo Gregorii judicium anno 1194. Accepit Philippus, anno 1198, a Bartholomæo, Burchardi filio, confirmata quæcumque jam Cormaricensibus largiti erant Insulæ prædictæ domini. Eodem anno, societatem fraternam inivit cum Michaele, Belli-Loci abbate; e Sammarthanis, Bellilocensium abbatum seriem describentibus. Eodem, subscripsit judicio litis inter episcopum Cenomanensem et Matthæum militem de ecclesia S. Georgii super Arvam.

XXII. Turpinus Philippo successisse creditur : septem enim pauperes statuit in anniversario defuncti Philippi reficiendos esse. Necrologium Turpini meminit his verbis : « Augusti IV nonas, depositio domni « Turpini abbatis. »

XXIII Simon confirmavit, anno 1205, partem nemoris *Cortaiot*, quam emerat comitissa Blancha a Renaudo, priore B. Mariæ de Pontibus. Idem eidem comitissæ tradidit, anno 1211, reditus villæ cujusdam pro ducentis et quadraginta libris Pruvinensibus. Simonem inter et Cormaricenses monachos cum non levis quidem exarsisset contentio, rem, more solito, monachi detulerunt ad canonicos S. Martini Turonensis, a quibus Simoni dies indicta. Is vero, orandæ causæ nimis incuriosus, citantibus tardius paruit. Augusto tandem mense 1211, S. Martini capitulum adiens, scripto testatus est se graviter deliquisse, et ad misericordiam canonicorum confugit. Agnovit Simon præterea discordiam quamlibet inter Cormaricenses exortam, vel in abbatis electione, judicio canonicorum S. Martini solvendam; e schedis domni *Housseau*, t. VI. Januario mense 1212, Cormaricena sodalitas, Simone mortuo, abbatem eligendi licentiam impetrabat a decano Martiniensi. Palam testati sunt Hugo, abbas Curiæ Dei, et Hamericus, magister scholarum Aurelianensium, se, in capitulo B. Martini constitutos, audivisse canonicos Cormaricensibus petitam concedentes licentiam.

XXIV. Geoffridus I *de Millay* innotescit, Januario mense 1212, e catalogo domni Ans. *Lemichel*.

XXV. Matthæus, abbas dictus Cormaricensis, reperitur in charta Roberti de Crisperiis, dimittentis, anno 1214, canonicis Martiniensibus integram jurisdictionem in terra B. Martini de Octo. Ille vero Matthæus non aliunde notus.

XXVI. Joannes II, anno 1215, affirmavit traditionem quamdam nemorum Blanchæ comitissæ. Idem anno 1216, mense Aprili, eidem Blanchæ comitissæ domum vendidit, prope

A pontem lapideum B. Mariæ de Pontibus. Concessit terram, anno 1221, fratribus Gressum incolentibus, sub annui census conditione.

XXVII. Reginaldus innotescit e litteris Droconis de Melloto, datis Januario mense 1228, quibus jus supremæ justitiæ monachis Cormaricensibus tribuitur Cormarici, Tauxigniaci, Loantii, Bournerii etc., etc. In his litteris prædecessor Reginaldi dicitur Joannes. Eodem anno, Reginaldus Turpiniacensibus monachis aream, in Aziaceno oppido sitam, sub lege redditus annui contulit.

B XXVIII. Adamus, anno 1231, Januario mense, pactus est cum Juhello archiepiscopo de jure visitandi quosdam prioratus, e quibus pecuniam Turonense capitulum exigebat. Sequente mense, nominatur in litteris Hervæi archipresbyteri, litigans cum oppidanis Cormaricensibus de publica vini mercatura.

XXIX. Joannes III occurrit, anno 1238, in litteris Juhelli archiepiscopi, quibus Petrum Savarici, Montis Basonis dominum, jubet servare fidem Cormaricensibus a patre datam, et excommunicationis flagello percellit non C parentem. Superstes erat Joannes mense Martio 1241; ex abbatum serie quam *Housseau* digessit. De eo videlicet et de Joanne II sic series abbatum Cormaricensium Sangermanensis, sub num. 1066 : « Joannis nomine « abbates duo paucis annis interjectis præ« fuerunt, alter e cœnobio B. Juliani Turo« nensis, alter e cœnobio S. Joannis Angeria« censis, in Santonibus. »

XXX. Geoffridus II, anno 1241, mense Novembri, pacem iniit cum Cormariceni pagi civibus quoad jus de frumento mensurando. Biennio post, mense Maio, abbatis D ad precem Geoffridi, Montis Basonis sacellum ecclesiæ Vindiniacenæ fuit unitum ab archiepiscopo Juhello. Ad annum 1244, teste Gilberto Gerardo, memoratur in tabulis; ad annum 1255, teste *Housseau*. Meminit quidam nomenclator abbatis Burchardi, quem sedere jussit anno 1249. Is vero, non aliunde nobis notus Burchardus, Bernardus forsitan est ab anno 1256 in tabulis memoratus.

XXXI. Bernardus II, die Martis post *Reminiscere* 1256, in pacto cum priore Rivarennæ; e schedis *de Gaignières*, sub num. 640. Idem, anno 1259, annuit chartæ pacis E inter Guillelmum S. Pauli de Parthenaco priorem et dicti S. Pauli cives de decimis hortorum. Transegit idem Bernardus, anno 1266, cum Turonensi capitulo de procuratione pro Rivarenna annuatim solvenda. Notat Perionius nullam in tabulis abbatis mentionem reperiri, sigillum vero Bernardi nomen præferre.

XXXII. Bernerius, cujus tantummodo nomen sive apud Perionium, sive apud Gilbertum Girardum legitur. Bernerius ille for-

sitan non alius quam Bernardus supra dictus, immutato leviter nomine.

XXXIII. Joannes IV a Brossia. Incertum relinquitur, teste Perionio, an Joannes Bernerii fuerit successor, vel antecessor. Joannes hic forsitan idem est ac Joannes alter, quem Jacobo sequenti suffectum Perionius ignoravit.

XXXIV. Jacobus II, die 15 Augusti 1271, scripsit ad Balduinum, dominum Uceyi, et P. de Brione, milites, quibus exsequendi testamentum Olivarii de Rivarenna demandata provincia, a se petivisse morientem nuper Olivarium ut in capella quadam sua prior Cormaricensis Rivarennæ curionis vices impleret. Anno sequenti, Decembri mense, Philippus rex ei justitiam, ut dicitur, altam concessit, mediantibus triginta libris Turonensibus annui reditus. Occurrit et in tabulis, die Martis post Pentecosten 1274. Obiit Jacobus IX calendas Maii 1275, et monachi, die lunæ post Ascensionem Domini, camerario et tribus e numero priorum fratribus curam demandarunt abbatem eligendi quem vellent ad candelarum extinctionem. Hujusce compromissi litteras legere licet inter Baluzii schedas, arm. 3, fasc. 2, n. 2, pag. 100.

XXXV. Joannes V, ignotus Perionio, antea prior Burnoniensis, præsentatus est abbas capitulo S. Martini die Martis sub Ascensionem Domini 1275, sive, secundum recentiorem usum, 1276; e schedis Baluzianis, arm. 3, fasc. 2, n. 2, pag. 99. Post annos quinque monasterii regimen abdicans deseruit. Quod constat e Nicolai, prioris claustralis, epistola, scribentis, anno 1280, ad cæteros priores, uti convenirent ad eligendum pastorem post festum apostolorum Petri et Pauli. Joannis de resignatione testimonium aliud exhibet Nicolai ejusdem ad Martinienses epistola, data in vigilia Ascensionis 1280.

XXXVI. Petrus I de Uciaco memoratur annis 1283 et 1290. Anno 1293, die Veneris post festum Nativitatis B. Mariæ, facultatem abbatis eligendi, Petro nuper mortuo, a Martiniensibus Cormaricenses requirebant.

XXXVII. Theobaldus III de Cabilone, anno 1296, Sabbati die post festum apostolorum Petri et Pauli, majoriam Veigneii tradit; idem, eodem anno, Isabellæ de Gelennis, quæ nuper sacellum in æde Pontium ad Sequanam fundaverat, quatuor missas ordinavit in perpetuum. Occurrit, anno 1299, in charta Guillelmi Puteani, monachi, condentis altare S. Catharinæ; anno 1300, in charta Martini, eleemosynarii, extruentis capellam in honorem S. Joannis. Compellit, anno 1314, ante Turonensem archipræsulem, presbyterum ecclesiæ S. Martini Troilani Joannem, qui parœcianis vetuerat, sub excommunicationis pœna, ne quibusdam nundinis interessent. Anno 1325, Guillelmo Poterii scholas Cormaricenas tradit regendas. Usque ad annum 1332 saltem præfuit Theobaldus.

XXXVIII. Michael Rupinus, sive Lupinus, memoratur anno 1333 in schedis Suaresii. Qui possessiones aliquas, in Belsia sitas, sub reditus annui conditione tradidit anno 1334, moriturus hoc eodem anno, nonis Octobris.

XXXIX. Joannes VI *Lechat*, 14 Octobris 1334. Quo regente, Jacobus Guidolius capellam B. Mariæ, in ecclesia monasterii, condidit. Scripsit Joannes, anno 1338, ad abbates Majoris Monasterii et S. Florentii Salmuriensis, a summo Pontifice deputatos ut Cormariceni cœnobii, ære alieno valde gravati, fructus et onera recenserent. Ei tradidit, anno 1339, Clemens, monachus, villam dictam Pinos, quam nec reficere fatiscentem, nec tueri valebat a potentioribus viris impetitam. Joannem abbatem ad annum 1352 præfuisse Perionius asserit, et hoc anno VI idus Maii decessisse.

XL. Gerardus II *Potier*, die 17 Decembris 1352, teste Perionio, ad Campaniæ priores litteras scripsit, quibus significavit se reducem Avenione cum eis sermonem mox habiturum de multis cœnobii negotiis. Quæ miserrima contigerunt anno 1358 jam supra retulimus. Infestas Anglorum Vasconumque fugiens manus abiit Gerardus, et, Turonibus degens, Baguinum de Ponceto, invasorem cœnobii, sæpius commonuit uti Deo redderet ablata Deo. Surdis auribus exceptus est, donec pretium tulerit. Memoratur Gerardus, anno 1372, tum demum Cormarico gaudens vel maximis fidelium sumptibus recuperato, a Joanna Sazilleia, domina *de l'Islette*, plurimas accipiens decimas in parœcia Vindiniacena. Gerardum ad annum 1376 Cormaricensibus præfuisse discimus e litteris Petri, Arelatensis episcopi, mirantis quod ille, qui curiam papalem quotannis adire debebat, hoc anno per procuratorem tantum Romæ præsens fuisset. Hujus obitum Cormaricenses Martiniensibus nuntiavere die Mercurii post festum B. Lucæ 1376.

XLI. Petrus II *d'Azay*, antea prior S. Helenæ, acceptus est in capitulo S. Martini die 27 Februarii 1377, secundum recentem usum, et rexit monasterium ad annum 1410, quo decessit, idibus Septembris, teste Gilberto Girardo. Dies Petri memoratur a quibusdam ultimus IV idus Maii 1411. Optimum se gessit rei Cormaricenæ administratorem, et e plurimis quos comparavit nummis ædes cœnobii fuerunt restauratæ.

XLII. Guillelmus II *de Hotot*, doctor theologus, regis a consiliis, Petro succedens vix præfecturam erat auspicatus, cum rursus Angli devenerunt. Jam Bellum Locum ingressi, paucis tantum millibus Cormarico distantem, spargebant flammas, spoliataque tecta solo

tenus æquabant; jam decurrentes undique coloni rusticanas referebant ardere domos sub jure S. Pauli positas : tunc Guillelmus, suis consulens novamque præsertim metuens cœnobii vastationem, misit ad Anglos quemdam Jacobum *de Villain*, qui, sub certa conditione nummorum quovis mense solvendorum, pacem ab Anglis impetravit. Dies qua venalem hanc pacem fecerunt vicesima Octobris 1412. Nec multum profuit numerata pecunia, ut supra legendum. Sedit Guillelmus, anno 1416, in Constantiensi concilio, dictus, una cum Petro Roberti, camerario Majoris Monasterii, et Pontio Simoneti, in theologia magistro, legatus cleri Turonensis. Anno 1417, creatus est abbas Corbeiensis a Martino papa V, XIV cal. Martii.

Ad nos delata fuit oratio quam Guillelmus habuit in concilio Constantiensi de novem articulis Joannis Parvi. Quam legere licet inter latinos Regis codices, in Maxima Parisiorum Bibliotheca, sub num. 1485, t. II, p. 236. Advertendum vero quod ejusdem Bibliothecæ catalogus nostro Guillelmo perperam adscribit quoddam *Calendarium*, inchoatum Romæ sub annum 1372 et anno 1382 absolutum, quod numerus exhibet 5264. Hunc errorem notare satis est; probare supervacuum. Auctorem Calendarii denuntiat operis proœmium, in quo legitur : « Istud Calendarium composuit fratre Guil« lelmus, diœcesis Caturcensis, abbas basi« licæ B. Pauli almæ urbis. »

XLIII. Humbertus, antea prior Bereii, Nannetensis diœcesis, die Jovis sexta mensis Octobris 1418 susceptus est a capitulo S. Martini Cormaricensis abbas, ut meminit Monsnerius. Hunc summus Pontifex Cormarico præfecerat XIV cal. Martii, ut supra diximus. Memoratur XVI cal. Augusti, in necrologio Cormariceno.

XLIV. Guillelmus II *de Hotot*, rursus Cormaricum rexit, postquam diu et infeliciter litigavisset de Corbeiensi monasterio legitime possidendo cum Joanne *de Lion*, quem elegerant monachi Radulfo de Roya successurum. Cormaricenæ abbatiæ præfecturam rursus tenens, 25 Februarii 1423, procuratorem instituebat Joannem *Luillier*, qui pacisceretur cum præfecto Cainonensi de domo Cainone sita; e schedis *de Gaignières*, vol. 640. Guillelmum misit, anno 1430, summus Pontifex ad abbatem Corbeiensem, ut debitos Romanæ sedi compararet nummos. Mox ad Silvanectensem cathedram vocatus Guillelmus, anno 1433, XII cal. Martii, Cormaricenam retinuit commendam, cujus administrator dictus est in perpetuum. Decessit pridie nonas Maii 1434, et sepultus est in cœnobialis ecclesiæ choro, ad sinistrum latus altaris.

Gallia. Christ., t. X, col. 1284.

Hic advertendum quod nonnulli successorem dant Petro *d'Azay* Guillelmum quemdem *Bachelier*, cui suffectum memorant annum circa 1429 decedenti Guillelmum *de Hotot* non antea Cormarici notum. Hos vero refellit Gilbertus Girardus, testimonia proferens non dubiæ fidei, quibus Cormaricensibus Guillelmum *Bachelier* nunquam præfuisse comprobatur. In instrumento sedenim censualis cujusdam traditionis, quod dabat anno 1419 Guillelmus abbas, testis legitur Guillelmus Baccalaureatus, dictus tunc temporis prior Tauxigniaci. Adde quod Guillelmus *de Hotot*, die 13 Septembris 1424, Cormaricensis abbas occurrit in rotulo visitationem et aperturam sanctarum reliquiarum referente, et testis in eodem Guillelmus Baccalaureatus, tunc etiam prior supradictæ Tauxicaguiacensis ecclesiæ.

De Guillelmi proximo successore aliud dissidium, quod dirimere non penes nos fuit. Gilbertus enim Girardus Petrum Berthelotum Cormaricensibus jam præfectum abbatem in tabulis anni 1435 legisse declarat. Radulfus aliunde Monsnerius Jacobum *Cœur*, argentarium Caroli VII, in plurimis apochis, usque ad annum 1453 datis, abbatis Cormaricensis titulo insignitum vidit. Cum uterque testis pari sit fide dignus, res eat ad judicem certiorem.

XLV. Petrus III Berthelotus, antea prior Petrucii, die 1 Augusti 1452, a Guillelmo, cardinali S. Martini in Montibus, apostolicæ sedis legato, impetravit ut sibi, quocumque pergeret, ferre fas esset altare portatile. Die 24 Octobris ejusdem anni, procurationem dedit, uti scilicet pitanciarii et camerarii officia mensæ abbatiali unirentur; e schedis domini *de Gaignières*, cod. 640. Die 7 Aprilis 1453, a Carolo rege litteras obtinuit de vallando cœnobio, et de nundinis 17 Octobris et 15 Novembris celebrandis. Eodem anno, die 3 Februarii, secundum Gallicanam computationem, aderat translationi capitis S. Martini. Multa sancivit Petrus quoad reformandum statum cœnobii : de quibus Perionium consulas. Anno 1456, illi per Alanum, apostolicæ sedis legatum, licuit pontificalia insignia gerere. Aderat, anno 1458, translationi sanctorum, in ædibus S. Juliani. Si jam corruens vitæ monasticæ disciplina unius improbo labore studiosaque vel minimorum cura servari potuisset, Petrus Berthelotus, optimorum unus abbatum, hanc servasset, totus incumbens restaurandis monasterii parietinis. Decessit anno 1476, IV nonas Octobris. Hujus neptis Joanna *Berthelot*, vidua Joannis *Briçonnet*, æri publico colligendo præfecti, anniversarium avunculi defuncti celebrari curavit, anno 1505. Adjutorem habuerat in præfectura sæpius laudata Guillelmum *Fleuriau*, claustri priorem.

XLVI. Joannes VI *Bochard*, doctor theologus, episcopus Abrincensis, e regiis consi-

liis, secundus abbas esæcularibus, Cormarico præfectus est anno 1476, pridie nonas Novembris. Non ipse rem sibi commissam administravit, sed per septem propemodum annos vicario usus est Joanne *Conseil*.

XLVII. Joannes VII *Conseil*, Cormaricensis monachus, Bochardo suffectus a Sixto papa IV, IV idus Decembris 1483, recipitur in capitulo S. Martini die 14 mensis Februarii. Pactus est, anno 1487, cum Majoretanis de decimis Rivarennæ. Hic cœnobium rexit ad annum usque 1490, quo spiritum exhalavit supremum, VIII idus Septembris; e necrologio Cormariceno. Sepultus est in area B. Joannis sacello subjecta.

XLVIII. Joannes VIII *du Puys* prioratum Campi Venti accepit, anno 1486, a Radulfo, Nucariarum abbate. Mox dictus est prior Rupium S. Pauli. A Cormaricensibus dein monachis abbas electus est, 7 Septembris 1490 et a canonicis S. Martini confirmatus 18 Octobris. Quod rege non probante fecerunt. Audito siquidem Joannis antecedentis interitu, rex Cormaricum Potoni *de Cueilly*, sive *de Coué*, protonotario sanctæ sedis, tradiderat. Inde gravis exorta contentio, quam tamen mox compescuit Joannis Puteani favor aulicus, adjuvante repentina Potonis morte. Ad illum misit, VII cal. Julii 1492, Innocentius papa VIII confirmationem privilegiorum Cormaricenorum. Legitur in tabulis Joannes is octavus emens aut tradens plurima, nec non ædes et prædia monasterii sedulo curans. Ab eo domus abbatialis a fundamentis extructa. Renatum Puteanum, e fratre nepotem, sacris initiavit, eique vixdum ex ephebis excedenti resignavit abbatiam, retentis, sub pensionis nomine, opimorum fundorum reditibus. Obiit anno 1517, nonis Junii.

XLIX. Renatus *du Puys*, annum circa 1507. Possessionem adiit mense Maio 1508. Eo præfecturam tenente, anno 1514, monasterio dedit Joannes Puteanus auro argentoque ditissimam supellectilem ad basilicam exornandam, missamque fundavit quotidie celebrandam. Transegit Renatus, anno 1515, cum canonicis S. Martini, de variis dissidiis. Cessit deinde, anno 1520, in gratiam sequentis.

L. Dionysius *Briçonnet*, episcopus Macloviensis, a Francisco rege ad Leonem papam orator missus, abbatiam suscepit possidendam die 9 Februarii 1520, sive, ut hodie computamus, 1521. Die 24 Martii 1524, senatus Parisiensis litem inter eum diremit decanumque S. Martini, jam Renati tempore motam. Quæstio vertebatur de missa, quam, Cormaricensis abbas, ut numero Martiniensium canonicorum adscriptus, ipse, hebdomade sua, in basilica S. Martini Turonensis dicere debebat, et abnuerat. In hac causa vicerunt Martinienses, ut legitur est inter Probationes Libertatum ecclesiæ Gallicanæ, a Pithœo collectas, parte IV, p. 100. Pactus est, 30 Junii 1525, cum Aziaci domino de nundinis hujusce loci. Decessit Dionysius anno 1535, Decembris die 18, in ædibus Montis Canini, quem sibi locum utpote saluberrimum elegerat habitandum, depositusque fuit in ecclesia Cormaricena.

LI. Joannes IX *du Bellay*, cardinales inter Gallicanos notissimus, Cormaricenam abbatiam a Francisco I, decedente Dionysio, confestim accepit, cujus in possessionem venit per procuratorem die 4 Martii 1536. Eodem anno, 20 Maii, non personaliter, secundum normam, valens ad ecclesiam B. Martini pergere, utebatur excusatione rei publicæ, cui præcipuam, ut satis compertum est, navabat operam. Quo et anno celebratum generale capitulum, et Cormarici renovata statuta. Anno 1545, Joannes sequenti cœnobium tradit, commutatione quadam peracta.

LII. Jacobus III *de Jaucourt*, Cisterciensis monachus, Pontiniacensem abbatiam cedens antecedenti, eo pacto fit Cormaricensis abbas et in possessionem inducitur Junio, vel Augusto mense 1545. Mortalem exuit sarcinam VII calendas Maii 1547.

LIII. Carolus I *de Lorraine*, Guisianus cardinalis dictus, receptus est abbas per procuratorem die 3 Octobris 1547. Cessit anno 1550, in gratiam sequentis, et Remigianam accepit abbatiam. Usus est Joachimo Perionio priore claustrali.

LIV. Robertus III *de Lenoncourt*, Theodorici filius, Roberti nepos archipræsulis, cardinalis, tot sacerdotiis dives, Cormaricenam Dolensemque abbatias, nec non episcopatum Metensem accepit, anno 1550, in commutationem tradens supra dicto Carolo S. Remigii Remensis monasterium. In possessionem Cormarici missus per procuratorem, die 6 Septembris : exceptus et ipse solemniter, Perionio concionem habente, VI calendas Januarii. Moritur Joachimus Perionius 18 Julii 1557, ob eximiam doctrinam a plurimis laudatus. Cormaricenam cessit abbatiam Robertus eo anno 1557, postquam plurima jam abdicasset ab anno 1553 ex innumeris quasi beneficiis. Decessit 2 Februarii 1561.

LV. Joannes X *de la Rochefoucauld*, per procuratorem suum Antonium *Isoré*, die 18 sive 19 Decembris 1557, S. Pauli Cormariceni possessionem inivit. Cum monachis litigavit statuta mutari non ferentibus. Moriens, anno 1583, fuit sepultus in medio choro Majoris Monasterii, cujus abbas fuit, nec non Villelupensis cœnobii.

LVI. Geoffridus III, alias Gotofridus *Le Pin*, sive *Du Pin*, bullas pontificias accepit VIII idus Augusti 1583, et in possessionem per venit ipse die 10 Septembris. Huic tamen commendæ fructus suæ percipere non protinus licuit; nam villas et agros ad jus abbatis spectantes armata manus invaserat, duce

comite Rupefucaldensi. Jussit eam rex inde pelli 13 Octobris 1583. Die 10 Februarii 1586, Geoffridus procuratorem constitui Petrum *Bochereul*, monachorum eleemosynis præfectum. Resignavit eodem anno, annuente rege, et factus est Aurelianensis decanus ad annum usque 1590.

LVII. Carolus II *Miron*, Marci, regis archiatri, e Maria *Gentian* filius, Cormaricum obtinuit anno 1587, ætatis 17. Anno sequenti ad cathedram Andegavensem promotus, abbatis munus, aut saltem nomen retinuit. Quod tamen abdicavit anno 1626, cum Lugdunensem eum Urbanus papa VIII creavit archiepiscopum. Plura de illo supra, t. IV, col. 192. Abbas fuit et Aureæ Vallis.

LVIII. Ludovicus *Gouffier de Caravas*, antecedentis nepos, admissus per procuratorem die 31 Julii 1627, mox cessit Armando *du Plessis de Richelieu*, ut militiam amplecteretur. Non vero Armandus possessionem suscepit. De Ludovico jam dictum est in abbatibus Aureæ Vallis apud Pictones.

LIX. Alphonsus Ludovicus *du Plessis de Richelieu*, cardinalis, archiepiscopus Lugdunensis, per resignationem supra dicti fratris Cormaricensium abbas anno 1631. Possessionem iniit die 14 Octobris hujus anni, per Petrum *Mangot* procuratorem. De quo jam in decanis S. Martini. Decessit anno 1653.

LX. Henricus *de Béthune*, archiepiscopus Burdigalensis, bullas pontificias accepit mense Maio 1653, et possessionem adiit per procuratorem 21 Octobris. Hic monachos congregationis S. Mauri introduxit in Cormaricenam abbatiam anno 1662, die 29 Septembris. Decessit anno 1680, mense Maio.

LXI. Nicolaus Guillelmus *Beautru de Vaubrun*, doctor Sorbonnicus, consiliarius regis, filius Nicolai et Margaritæ *Beautru*, abbatiam accepit a rege 28 Junii 1680, ætatis anno decimo et octavo. Decessit Parisiis, 14 Novembris 1746.

LXII. N. *de la Clue*, vicarius major episcopi Carnotensis, abbas Rochæ creatus, apud Parisienses, mense Junio 1742, nuperrime Cormarici, ineunte Januario 1747. Sedebat anno 1790.

VILLALUPA.

De Villelupensis abbatiæ fundatione profertur Ludovici Imperatoris diploma, in quo legimus, defuncti Caroli tempore, et ejusdem serenissimi Augusti, traditum Audachro, Cormaricensium abbati, a Mainardo scilicet et Mainerio, fratribus, locum Villam Lupæ dictum, ut in eo novum in honorem S. Salvatoris cœnobium extrueret. Hoc quære, si lubet, diploma in Monastico Benedictino, t. XLV, p. 321. Imperator ille Ludovicus quem Lotharius filium habuit non id confecit, cum sublatus ipse fuerit e vivis Carolo Calvo superstite. Tribuendum ergo nulli videtur nisi Ludovico Pio, Caroli Magni filio. Audacher vero non Caroli Magni tempora cognovit. Unde pro fictitio habendum est hoc instrumentum, imperita manu conditum. Villalupa, sive S. Salvator de Villalupa, fundatores quidem suos, nec immerito, declarat Mainardum Maineriumque, germanos, et opus extruendi monasterii revera suscepit Audacher, Cormaricensis abbas. Hæc autem non imperantis Caroli Magni, sed Caroli Calvi regnantis tempore gesta novimus ex hujusce regis præcepto, dato VI cal. Junii 850, quo fundatio probatur committiturque locus abbatis tutelæ Cormaricensis. Ch. XXVIII, col. 35. Consummatam dedicavit basilicam Herardus archiepiscopus, XV cal. Junii 859; quo suadente et Audachro annuente, sancitum est ut viginti saltem numero monachi his ædibus hospites deputarentur. Ch. XXXIII, col. 47. Ut Cormaricenses primo Martiniensibus, sic Cormaricensibus Villelupenses subditi. Unde non inquirendum qui primi rexerint fratres Villælupæ degentes : de primis enim abbatibus Villælupæ jam inter Cormaricenses dictum est. Anno tandem 965, monachi Villelupenses Guidonem abbatem adierunt, supplicibus expostulantes precibus propriam, secundum S. Benedicti decretum, electionem et proprium rectorem. Ch. XII, col. 60. Quorum vota non obseratis auribus accepta. Adlectus quidam Hunebertus e Cormaricensium collegio præficitur tunc temporis fratribus Villælupæ; qui mox ab Harduino archipræsule ordinatur. Abbatiæ possessiones confirmavit, anno 1156, Adrianus papa IV. Pari modo, Innocentius IV, anno 1253. Anno 1301, Philippus rex, Lochis aliquantisper commoratus, diploma Caroli Calvi laudavit. Clades nonnullas ædes monasterii passæ sunt. Non eis pepercerunt, anno 1412, Anglicanæ turmæ. Anno 1667, abbatiam ingrediuntur quidam Benedictini sodales reformationi S. Mauri addicti, inito pacto cum Michaele *de Marolles*. Non tamen illico peracta totius cœnobii traditio, cum veteris licentiæ laudatores loca sacra retinuerint ad 1 Januarii 1669.

Abbatum seriem condentes utebamur compendio quod e schedis Michaelis *de Marolles* D. *de Gaignières* ad nos transtulit, sub numero 678. Excerpta A. Quercetani præterea consuluimus, in hujus Collectan., vol. 22, et Villelupensium abbatum synopsin in Monastico Benedictino servatam.

ABBATUM SYLLABUS.

I. Hunebertus, anno 965 eductus Cormarico, a Guidone Cormaricensium abbate nec non ab Harduino Turonum archiepiscopo manumissis præficitur Villelupensibus. Ch. XII, col. 61.

II. Stephanus decessit annum circa 1034,

ex Annalibus Mabillonii, t. IV, p. 394.

III. Gazfridus, sive Geoffridus I, annum circa 1060, testis in charta Fulconis comitis qua monachis Villælupensibus traditæ consuetudines Hispaniaci; apud *Housseau*, t. II.

IV. Reginaldus I, anno 1081 reperitur subscribens, in Exoldunensi concilio, sententiæ Radulfi archipræsulis de rebus Maini monachi. Hanc vero sententiam, e Rotonensi chartulario desumptam, suspectam quoad tempus supra diximus.

V. Geoffridus II, anno 1091, adest pacto inter Gilbertum S. Juliani abbatem et canonicos Evonenses; ex abbatum S. Juliani serie, in Monastico Benedictino.

VI. Odo, anno 1105, ab Irviso Cabrono non nulla prædia accepit. Idem, annum circa 1107, pactus est cum Roberto de Urtiaco, Geoffrido, filio Guiterni, et pluribus aliis de supra memoratis Hispaniaci consuetudinibus.

VII. Reginaldus II occurrit, anno incerto, accipiens a Fulcone comite aquam Chimilliaci. Annum circa 1140, pacem inter eum fecit et Cadilonem, sacerdotem Colongiaci, Hugo archiepiscopus Turonensis. Eidem, anno 1141, Hugonis ejusdem sententia, adscribitur jus patronatus in ecclesia S. Mariæ Divitis, quod sibi non pigre vindicabant San-Julianei. Reperitur tandem, anno 1150, impetrans ab Engelbaldo archiepiscopo confirmationem quarumdam ecclesiarum.

VIII. Aimericus innotescit e bulla Adriani papæ IV, confirmantis, VIII idus Decembris 1156, possessiones et jura Villælupæ. Decessit peractis in sede tredecim annis.

IX. Hervæus anno 1164 Britanniam perlustrabat, comes adlectus viæ a Roberto Majoretanorum abbate, et testis erat datorum Majori Monasterio ab Odone comite. Idem anno 1169 paciscebatur cum Hugone, abbate S. Mariæ Landensis, de sextario frumenti priori Crotensi a fratribus Landensibus annuatim tradendo. Concessit monachis Carthusiensibus locum dictum Ligetum, adstantibus Mauricio Belliloci et Geoffrido S. Juliani abbatibus, annos scilicet inter 1176 et 1185. Occurrit idem anno 1178, in charta Odonis de Buzanciaco liberum transitum per suas terras tradentis Prulliacensibus monachis; apud *Housseau*, t. V.

Marten. Anecd. t. I, p. 570.

X. Ernulfus, sive Arnulfus, pactum iniit, anno 1183, cum capellano Monestensis ecclesiæ. Idem, annum circa 1189, testatus est Ascelinam, dominam *de Montrésor*, monachis Baugeseiensibus quædam pascua concessisse. Legitur tandem, anno 1193, in charta Fulconis de Villentrasto, suscipientis sub protectione sua Villelupensium nonnulla prædia monachorum. Hujus autem, ut videtur, exemplar chartæ notas falsas præbet; nempe

XI. Hugo I reperitur anno 1191, cum Ai- A maro Aquæ Vivæ abbate, testis Philippi de S. Aniano, confirmantis a patre data monachis Casalis Benedicti; e chartulis Corneliacensibus, quas Anselmus *Le Michel* contraxit, in cod. Sangerm. 1068.

XII. Girardus I dat, anno 1200, Petro Zachariæ syngrapham acceptæ pecuniæ. Æquum et beneficum expertus Hervæum, Nivernensis agri comitem, ab eo suscepit, anno 1202, denuo traditam terram Lucium dictam. Occurrit, anno 1205, in charta Geoffridi de Paludello partem decimæ largientis. Alias idem Girardo tradidit decimas, archi- B episcopante Bartholomæo, sed mediantibus quadraginta libris Giemensis monetæ. Anno 1206, Girardus a Philippo de Remaforti capellam *Voo* accepit, quam pater Philippi Stephanus, Andegaviæ quondam senescallus, ædificaverat; a Mauricio Raimbaudi dimidium molendinum *Goubec*, et a Petro Savarici, Montis Basonis domino, viginti solidos, quos hic ab eo, ratione cujusdam procurationis, extorserat. Anno 1207, Geoffridus, Turonensis archiepiscopus, eidem confirmat capellam Insulæ, ante domum leprosorum Ambasiæ sitam, quam Sulpicius dederat. C Willhelmus de Fretaio Girardo molitus est insidias ob decimam Fretaii. De qua re sententiam edidere Robertus Baugeseiensis abbas et Geoffridus Turonensis archidiaconus, anno 1207, e Michaele *de Marolles;* anno 1208, e collectaneis Quercetani. Inter eum Tancredumque militem cum moveretur contentio super nemore Chedonensi, pacem inter eos fecit, anno 1208, Droco de Melloto. Transigebat eodem anno de nemore Clofero cum vidua Petri *Ragot*. Hujus eodem anno meminere tabulæ Fontanarum. Nec de eo silent Villæ- D lupenses, annis 1210, 1211. Capitulum Villælupense, visitante Joanne archiepiscopo congregatum, anno 1212, Girardo concessit, ut, si forte monasterii regimen abdicaret, haberet in suos usus quidquid possidebant monachi tum Bellomonte, tum Montesorii. Quod si vero consilium ei fuit tunc temporis tot sudoribus emptum otium expetendi, a proposito non multo post declinavit. Reperitur enim in tabulis annorum 1213 et 1214, novis subscribens pactis aut novas movens lites. Veniebat anno 1216 ad curiam Joannis archiepiscopi, causam dicturus ad- E versus Aimericum *de la Borde*, de nemore Chedonensi. Eumdem Chedonem rursus curabat, anno 1217, emens a Tancredo, pretio decem millium solidorum Andegavensis monetæ, quidquid ibi miles hic possidebat. Occurrit deinde Girardus in variis schedis tum Villælupæ, tum Baugeseii, ad annum 1219.

XIII. Reginaldus III, anno 1223, mense Martio, e litteris Joannis, Turonensis archiepiscopi, pacem facientis inter ipsum et Joannem *Zacharie*. Eodem anno Reginaldus

sententiam de homicidio quodam edebat, et componebat cum Hervæo, B. Mariæ Blesensis abbate, supra, t. VIII, col. 1391.

XIV. Joannes I, mense Decembri 1229, in charta Geoffridi de Paludello de servis abbatiæ Villælupensi datis a Joanne *Zacharie*. Idem, mense Martio, pacem fecit inter Carthusienses Ligetenses et Geoffridum *Botefoi*. Occurrit insuper, anno 1230, in charta Droconis de Melloto; quo eodem anno conciliabat Godofredum *de Murcins* et incolas Noenti. Legitur idem in tabulis anno 1231.

XV. Gerardus II mense Januario 1231, sive, secundum hodiernum usum, 1232, permutationem sancivit cum Fulcone, domino *de Villentrois;* e schedis domni *Housseau*, t. XIII.

XVI. Thomas occurrit Aprili mense 1235. Anno 1238, pactum fecit cum pluribus præceptoribus Templariorum, arbitro Guillelmo *de Ponai,* præceptore militiæ Templi in Pictavia.

XVII. Michael innotescit e tabulis annorum 1242 et 1246. Obiit 5 Januarii, e Villælupensi necrologio. Hujus tamen anniversarium diem celebrabant San-Julianei VIII idus Februarii, sicut legere fas est in eorum martyrologio.

XVIII. Robertus I, mense Junio 1248, pactus est cum Drocone de Melloto, Locharum domino, de justitia in territorio Villælupæ exercenda, et anno 1252, cum Mathilde Ambasiensi, de dominio Espiniaci. Cui, die 1 Julii 1255, Ludovicus rex dimisit consuetudinem, dictam *albanagium*. Eodem anno, societatem iniit Robertus cum Cisterciensium abbate. Ipse et Godofredus de Paludello acriter litigantes elegerunt arbitros, anno 1260, Geoffridum episcopum Cenomanensem et Geoffridum de Lavarzino, equitem. Memoratur usque ad ann. 1265. In veteri Villælupensium abbatum catalogo occurrunt duo Roberti, quorum prior ab anno 1248, posterior ab anno 1266. Quos inter recensetur, anno 1250, quidam Galfridus *de Villedomain*. Hujus Galfridi nulla mentio fit in tabulis a Michaele *de Marolles* contractis.

XIX. Archambaldus, anno 1270, quædam permutat cum Geoffrido, Violii domino. Plura iniit, aut renovavit mutuæ caritatis fœdera cum fratribus Pontilevii, Ligeti, S. Sigiranni in Brena, Virsionis et Fontisgombaudi, annis 1271, 1274, 1275, 1285 et 1287. Anno 1287, transegit cum Roberto Caroli de justitia Cereii exercenda. Occurrit ad annum 1288. Ejus exsequias celebrabant Villælupenses die 8 Augusti.

XX. Joannes II, anno 1293, societatem iniit cum Guillelmo, abbate S. Georgii in Nemore.

XXI. Geoffridus III *Donil*, annis 1297 et 1299, in chartis de venditionibus peractis.

XXII. Joannes III *du Mesnil* et Droco, Vernuciæ abbas, apud Bituriges, mutuam sibi spondent caritatem, anno 1308. Legitur et in tabulis anno 1315, in quibus reperitur usque ad annum 1317.

XXIII. Hugo II *de Notz* occurrit anno 1320, in litteris Reginaldi, archiepiscopi Bituricensis; anno 1326, die Sabbati post *Lætare Jerusalem,* in litteris Stephani, Turonensis metropolitæ, confitentis non sibi debitam esse procurationem in Espeignei, sive Espiniaci prioratu, et, anno 1339, in charta Guillelmi *Guénant*, militis, de quibusdam pratis sub certa conditione traditis.

XXIV. Joannes IV *Gastineau,* assumptus abbas e sacrista, occurrit in chartis annorum 1341, 1343, 1347, 1350 et 1352.

XXV. Philippus Rigoti, alias *de Luc*, e priore Espiniaci, Innocentii papæ VI litteris abbas instituitur, IV idus Maii 1354, sicut legebat Suaresius in regestis Innocentii. Occurrit in Villælupensibus tabulis, annis 1355 et 1357.

XXVI. Petrus I bullis donatur die 20 Decembris 1357, ex eodem Suaresio. Cujus meminere tabulæ Villælupenses, annis 1361, 1373, 1377.

XXVII. Bertrandus *de la Marche*, annis 1386, 1392, 1406, 1407, 1409, 1410, 1413. Decessit anno 1414, ex A. Quercetano.

XXVIII. Petrus II Aalanus, in decretis licentiatus, annis 1415, 1416, 1431, 1433, 1437, 1438. Adfuit Constantiensi concilio.

XXIX. Simon *de Coufis* possessionem iniit in festo S. Andreæ 1438, præsentibus Guillelmo Belliloci, Jacobo Baugeseii et Matthæo Aquæ Vivæ abbatibus. Præpositum claustralem dixit, anno 1451, Stephanum Guidonem. Adfuit, 14 Junii 1455, electioni Joannis, abbatis Baugeseii. Occurrit usque ad annum 1462.

XXX. Joannes V *Jouffroy, Geoffroy*, sive *Geoffredy,* antea monachus et abbas Lexoviensis, episcopus postea Atrebatensis, mox anno 1461 presbyter cardinalis, Albiensis tandem episcopus anno 1462. Donatus est abbatia Villelupensi a Pio papa II anno 1463, nonis Octobris; quam rexit ad annum 1471, quo decessit Romæ, die 24 Novembris. De quo plura lege in episcopis Atrebatensibus et Albiensibus, nec non in abbatibus S. Dionysii in Francia. Dixit illum Ciaconius virum ingenio, nec non doctrina præstantem. Commendatarius abbas vicariis usus est Matthæo *Le Court*, et Dionysio *Buret*, monachis.

XXXI. Joannes VI *de Barasc de Beduer,* filius Deodati Barasci, domini *de Beduer* et *de Grealou,* in agro Cadurcino, et Antoniettæ Joannæ *de Gimel*. Villælupensis ille professus, abbas fuit ab anno 1472 usque ad annum 1493, quo resignavit in gratiam sequentis. Obiit autem anno 1495, die 31 Maii. Laudatur ecclesiæ claustrique sedulus repa-

rator, in hisce carminibus (si carmina dicere licet) quæ Michael *de Marolles* servavit :

Ut sua sint merito apud me præmia laudi
  Indita, Johannis Beduerii acta canam.
Caturcum claris natalibus edidit, atque
  Natura omnigenis dotibus excoluit;
Eloquio suavi, procero corpore, forma
  Vultus perspicua, moribus ingenuis.
Sed plures intro studio congessit honores,
  Sub Benedictina religione cluens;
Hujus enim claustri, cui nomen Villalupensi,
  Ferme instaurator præsidiumque fuit;
Nam collapsa situ reportavit culmina templi
  Juraque protexit corpore magnanimo.
Et quia pestiferæ novit contagia litis,
  Qui sibi succedat vivus adhuc statuit,
Nomine qui solo (meritis nam proximus ille est).
  Nostra perenne decus concio debet ei.

Ansam præbent errori gentilitia quæ prædicto Joanni adscribuntur stemmata. Advertendum est quod ille, tesseram spernens paternam, materna sit usus.

XXXII. Antonius I *de Barasc de Beduer* (quem nonnulli *de Balsac* præterea dicunt, e Claudia matre), antecedentis nepos et ipse Cadurcensis clericus, nec non baccalaureus in legibus, pridie cal. Septembris 1493 abbatiæ designatur præficiendus ab Alexandro papa VI. Decessit anno circiter 1518.

XXXIII. Jacobus *Leroy de Chavigny*, abbas idem Salmuriensium, Cluniacensium et Dolensium, Villælupæ præfuit ab anno 1519 ad annum 1551. Archiepiscopus is præterea fuit Bituricensis; de quo plura, t. II, col. 98.

XXXIV. Robertus II *de Lenoncour*, cardinalis, Jacobo cedente Villælupensis abbas ab anno 1551 ad annum 1557, quo cessit ipse in gratiam sequentis. Cormaricum simul et Majus Monasterium rexit, et fuit episcopus Catalaunensis Metensisque, archiepiscopus Tolosanus, Arelatensis, Ebredunensis. Purpura donatus Sabinensem episcopatum sortitus est.

XXXV. Joannes VII *de la Rochefoucauld*, ut supra dictus Robertus abbas Majoris Monasterii, Cormarici et Villælupæ. Obiit anno 1583. Post Joannem abbatiæ fructus ad se traxit nobilis vir dictus Hugo *de Lavergne*, sub nomine cujusdam fiduciarii, professione canonici, quem Petrum *Roussel* vocabant.

XXXVI. Petrus *Roussel* abbatis nomen gerit, anno 1584, in charta de prædio locato.

XXXVII. Antonius II *de Bruyères de Chalabres* ab anno 1585, idem et abbas Fontanarum. Cessit anno 1597. Dicitur a quibusdam e Villælupensi præfectura ad S. Saturninum Tolosanum migrasse. Quorum error castigandus. Antonius fit præpositus ecclesiæ Tolosanæ 8 Maii 1598, per cessionem Joannis *Daffis*.

XXXVIII. Achilles *de Harlay de Sancy*, de quo mentio facta est inter abbates Floriaci, Cariloci et Castellariarum, et fiet mox inter episcopos Maclovienses. Cessit, anno 1607, in gratiam sequentis.

XXXIX. Galardus *de Cornac*, Tolosanus, jam abbas Payriniaci, diœcesis Aginnensis, ab anno 1606, Villamlupam sortitus est anno 1608. Obiit anno 1626, die 2 Decembris. Hujus reperies Sermones varios in codicibus Maximæ Parisior. Biblioth., sub num. 7046, 7047, 7048, 7049.

XL. Michael *de Marolles*, Claudii equitis et Agathæ de Castellione filius, jam abbas Baugeseii, Villamlupam a rege suscipit 5 Decembris 1626, instituitur a domino papa 19 Martii 1627, et ingreditur abbatiam 6 Julii. Eximiis ille præditus animi dotibus, litteras summa cum laude coluit, et plura prælo dedit. Permutavit anno 1674, accipiens B. Mariam de Miravalle.

Scripsit Michael, 20 Octobris 1641, ad Victorem, Turonensem archiepiscopum, lectu dignum Commentarium de rebus Villælupensis abbatiæ, quem servat codex Franc. Maximæ Parisior. Biblioth., sub numero 7048. Denuntiat abbas perditos monachorum mores, conculcatam regulam, privatamque vitam communi suffectam, adeo ut quisque vel novitiorum suam mensam haberet.

XLI. Ægidius *Brunet*, licentiatus in theologia, nec non Parisiensis senator, abbas antea B. Mariæ de Miravalle, et capellanus in sancta Parisiorum capella, occurrit in apocha data 5 Aprilis 1684. Decessit anno 1709, postquam plura deperdita recuperasset abbatiæ bona.

XLII. Justinus *de Lee*, natione Erigena, creatus abbas 24 Decembris 1709, vixit ad annum 1754.

XLIII. N. *de Rigault*, creatus anno 1754, superstes erat anno 1789.

BELLUS LOCUS.

Monasterium Belli Loci, juxta fluvium Andriam, in castro Lucacensi, condidit Fulco Nerra, comes Andegavensium, in honorem sanctissimæ Trinitatis, nec non « cœlestium « agminum super quæ Deus sedet, hoc est « Cherubin et Seraphin. » Qua de fundatione et de ecclesiæ dedicatione multa referuntur quibus non fides adhibenda. Has primus forsitan edidit narratiunculas Radulfus Glaber, in Historiæ libro II, vera falsis miscens, ut palam est Bellilocenses tabulas attentius indaganti. Lubricum igitur chronicorum tramitem deserentes, et solo diplomatum testimonio freti, per invia incendamus. Hildeardis sponsæ nec non Geoffridi filii consilio, ædificandam Fulco comes abbatiam suscepit, surgentemque amplissimis ditavit privilegiis. Vicus erat ad ripas Andriæ quem Bellum Locum dicebant : hunc monachis Fulco tradidit, cum omnibus prædicti loci consuetu- Ch. XIV, col. 64.

dinibus, tam ad dominium quam ad justitiam A spectantibus. Villas insuper eisdem et prædia non minoris famæ contulit, mercatumque qualibet hebdomade celebrandum, nec non, Lucacensibus inde civibus ademptum, jus cudendæ monetæ. Cum hujus charta fundationis chronicis careat notis, data Sergii papæ IV tempore pluribus visa est. Quorum tamen declarat errorem bulla Joannis papæ XVIII, a Sammarthanis prolata, qui cœnobium a Fulcone jam constructum sub apostolica suscipit tutela, et ab archiepiscopali jurisdictione plane liberum denuntiat. Hinc noscimus fundationem peractam fuisse ante Maium B mensem 1009, quo desinente Joannes sedem abdicavit. Nec fugit nos supra laudatas Joannis papæ litteras Joanni XIX non semel adscriptas fuisse, qui pontificium onus sustinuit ab anno 1024 ad annum 1033. Hæc autem apud Sammarthanos attributio non valuit : quam et nos rejiciendam arbitramur, cum in prædictis litteris agatur de monasterio nuperrime condito, et tunc primum Romanæ tutelæ pignus exoptante. Hactenus de fundatione : nunc pauca de consecratione subjicienda, præsertim cum Radulfus Glaber omnia quæ in ea re gesta sunt, ut supra C notavimus, confuse, nec vere quidem, ad Fulconem aggravandum, narraverit. Archiepiscopo Turonensi nulla, sicut legitur, in Bellilocences monachos auctoritas concessa. Quod Fulconis et ipsius Joannis papæ litteræ testantur. Ædificatam tamen ecclesiam, magni sudoris opus, consecrare voluit Hugo, Turonensis archipræsul : qui repulsam passus non tantum a monachis, sed etiam a Fulcone, illatam sibi clamitavit injuriam, et, Romam pergens, litem contra monachos comitemque movit, quasi rebellionis reos. Joanni Sergius IV successerat, qui, causa cognita, non D favit Hugoni : confirmatis vero, quæ Joannes nuper monachis largitus erat, privilegiis, arcendum edixit procul a liberis ædibus Turonensis cleri pastorem, consecrandamque ecclesiam a Romanæ sedis cardinali. Hæ Sergii litteræ præbent annum 1012. Quarum e præscripto Petrus, Vipernensis episcopus, Bellum Locum venit, consecrationemque peregit. Amplioribus hæc jam memoravimus verbis, in notitia gestorum ab Hugone.

Temporis tantummodo dentem Bellilocensis domus erat passa, cum eam, anno 1412, Angli, Ligeri trajecto, invaserunt et E funditus diruerunt. Destructæ leguntur ædes combustæque, et locus, ut verbis utamur Caroli regis, *ad aratrum redactus*. Restaurandis mox parietinis curam dederunt eximii nominis abbates. Paucis enarranda Bellilocensis abbatiæ historia, siquidem nihil singulare præbet. Calvinistarum rabiem experta est anno 1562. Aprili mense 1576, Franciscus, quem ducem Alençonii vulgo dicunt, Bellum Locum secedebat, Catharinam Mediceam matrem aversatus, ipsi negantem is quæ debita reputabat. Tunc ad eum perrexit Catharina, et in ædibus monasterii nobilis excepta fuit hospes, quam fœminarum de more perelegans stipabat cœtus. Anno 1662, die 8 Julii, reformationem S. Mauri, duce et auspice Ludovico *de Paulmy d'Argenson*, Bellilocenses admisere. De juribus Belliloci temporalibus dicendum quod, litteris Francisci I et Caroli IX, a curia Parisiensi solemniter anno 1681 confirmatis, abbas quibuscumque ad baronem spectantibus fruebatur.

Bellilocensium abbatum seriem jam a Sammarthanis digestam rursus condentes, pluribus (ne chartarum collectanea quæque memoremus) compendiis utebamur, quæ nec sedulo labore, nec arte carent. Auxiliantibus gratiam agentes, designare juvat imprimis Ivonem *Gaigneron*, e congregatione S. Mauri monachum, cujus codicillos servat tomus V Monastici Benedictini (inter eos S. Germani Pratensis codices quos Residuos hodie nuncupant), et Stephanum *Housseau*, qui Sammarthanæo multo ditiorem abbatum Bellilocensium catalogum confecit, et ad nos transtulit ineditum, in tomo XVIII schedarum suarum.

Nonnullorum quidem abbatum nomina præbet Bellilocense necrologium, quorum nec chartæ nec compendia recentiora meminere. Monasteriis sane præfuerunt quibus cum Bello Loco fraterna societas fuit.

Abbatum Syllabus.

I. Odo notescit ex antiquis cœnobii breviariis. Is, patria Turonensis, monachum forsitan induerat in abbatia S. Genulfi. Huic abbatiæ sedenim præerat, cum, e Gestis Consulum Andegavensium, a Fulcone Nerra fuit Bellum Locum accitus, qui recentis monasterii hospites doceret asperam Benedictinæ disciplinæ normam. Utramque rexisse dicitur abbatiam usque ad extremos vitæ dies : quo vero decesserit anno non reperimus. Hujus meminit Bellilocense necrologium, IV nonas Decembris.

Vixit forsitan post Odonem Genulfus, cujus mentionem fecit his verbis auctor Bellilocensis necrologii : « II nonas Aprilis, Genulfus, abbas hujus ecclesiæ, qui fundavit « capellaniam in honore S. Martini. »

II. Laurentius, tempore Geoffridi Martelli, subscribit hujus instrumento quo Bellilocensibus traditur abbatia S. Ursi, cum pratis, vineis, sylvis, aquis, servis et ancillis ad eam pertinentibus. Depositus est, secundum necrologium, XV cal. Januarii.

III. Stephanus, eodem annuente comite, emit a Sanctone, milite, mediam sepulturam S. Petri de Baleesma. Idem, V idus Martii 1068, secundum recentem usum, proba-

vit pacem initam inter canonicos et monachos Salmurienses; apud Sammarthanos, t. IV, p. 395. Nec multo post acerba surgebant inter Turonensem archiepiscopum et Bellilocensem abbatem dissidia. Monachorum in ea lite jura tutatus est Stephanus, e quorumdam conjectura, quibus *Housseau* favet : Joannes vero *Maan* consertum ait certamen inter Radulfum archipræsulem quemdamque Fulconem, Bellilocensium tunc abbatem. Erravit-ne *Maan,* ad tempora Radulfi numero primi retroducens Fulconem alterum, qui tempore Radulfi secundi Bello Loco præfuit? Cum ea de re sileant ad nos tradita veteris ævi monumenta, recentium inter historiarum scriptores exortam hanc discordiam dirimere non valemus. Depositus est Stephanus IV idus Aprilis; e necrologio.

Sanct. et Metrop. eccl. Turon. p. 88.

Radulfus e breviariis Bellilocensibus desumitur post Stephanum. Radulfum hunc dicunt, archiepiscopum antea Turonensem, e sede sua depulsum, Bellum Locum secessisse, et monachis aliquantisper præfuisse. De quo secessu nihil legere est in archipræsulum annalibus a Joanne *Maan* digestis; et Radulfi quidem archiepiscopi necrologium Bellilocense meminit, non autem abbatis.

IV. Petrus I, e Sirmondo, Geoffridi Vindocinensis epistolas annotante; lib. III, epist. 1. De quo scribebat Vindocinensis abbas ad Geoffridum Andegavensem episcopum : « Litteras vestras accepi, quibus nullo modo « credidissem nisi eas sigillatas sigillo vestro « vidissem. Ibi enim dicitur vos electioni « Petri Bellilocensis consensisse, et ideo nunc « necesse habetis ut eum in abbatem conse- « cretis. » Geoffridum Vindocinensem tam ab ejus epistolis quam a gestis promptum ad iram didicimus, nec facile mansuescentem : neminem igitur ex ejus sententia, cum deerit testis alius, damnabimus. Petrum ante Geoffridum episcopum insequebatur, quod ille Guillelmo cuidam familiaris erat, quem *excommunicatum* dicit *suum*. Eum Sirmondus opinatur abbatem Belliloci propre Lochas; meram tamen conjecturam nullis fulcire valet argumentis. Non prætereamus igitur quod in necrologio Belli Loci Lucacensis mentio sit quatuor abbatum, quibus Petri nomen inditum.

V. Bertrandus, mense Martio 1097, litteras ab Urbano papa II obtinuit, quibus Bellilocensibus confirmatum liberi jus suffragii. Idem, die 10 Aprilis ejusdem anni, accipiebat a Geoffrido Britone res plurimas in ecclesia S. Petri de Varennis. Hujusce donationis apographum quod ad nos detulit domnus *Housseau* annum præbet 1117, et eumdem asserit annum indictionis quintum. Inter se repugnant hæ notæ. Annus vero quintus indictionis plane congruit cum anno Christi 1097. Ad Bertrandum, prima nominis littera tantummodo designatum, opinamur direc- A tam Pascalis papæ II, Urbano succedentis, bullam, qua rursus confirmata Belli Loci privilegia. Decessisse legitur Bertrandus anno 1104.

VI. Fulco, sive Fulcherius, adfuit Nannetibus, anno 1105, et subscripsit instrumento Benedicti, Nannetensis episcopi, de institutione canonicorum in ecclesia S. Medardi; Marten. Anecd., t. I, col. 315. Idem, anno 1107, Radulfum adivit, Turonensem archiepiscopum, querens de Nucariensibus qui Crusillanam ecclesiam occupaverant, hanc sibi vindicantes. In ea causa Fulco vicit. Idem, B 15 Maii 1108, subscripsit litteris Marbodi, Redonensis episcopi, omnes S. Sergii in sua diœcesi ecclesias denuntiantis; in Prob. Hist. Brit., t. I, col. 516.

VII. Hamelinus, anno 1124, testis in charta Geoffridi Grisæ Gonellæ, agnoscentis ad Vindocinensium abbatem pertinere jus servos manumittendi suos; e chartis quas collegit *Housseau*. Hamelini depositio memoratur in necrologio X calendas Februarii. Anno forsitan 1124 humanis eximebatur curis, nam

VIII. Gotefredus, sive Geoffridus, eodem anno 1124, a Gilberto archiepiscopo jus C impetrabat ecclesiam et monasteriolum extruendi juxta castellum Haiæ. Eumdem ad Gotefredum Boso deveniens, Gosmeri filius, quando quidem senio confectus vicinam mortem intelligeret, monachorum suscepit habitum, et Bello Loco dedit totam decimam S. Petri de Baleesma, anno 1133.

Clemens occurrit abbas Belli Loci cum Nucariensibus monachis mutuæ fœdus caritatis iniens. Hujus tempora pernoscere non licet, et ei locum hunc assignat, nullo teste, Yvo *Gaigneron*. Erravit vero Benedictinus chronographus, ut infra leges.

D IX. Geraldus e priore Baleesmæ, ad quem, idibus Aprilis 1173, Alexander papa III litteras misit, quibus possessiones et privilegia Belli Loci confirmantur. Decessit 9 Septembris 1176, e domno *Housseau,* postquam cœnobio per annos octo nec non triginta præfuisset. Hujus vero depositi necrologium meminit XVI cal. Februarii.

X. Mauricius eligitur die 17 Septembris 1176. Occurrit, anno 1178, in Odonis de Buzanciaco charta, monachis Prulliacensibus liberum tradentis per suas terras transitum. Testis præterea Mauricius, e Thesauro Nu- E cariarum Abbreviato, concordiæ quam inierunt Henricus abbas Nucariarum et Guano de S. Quintino, annum ante 1184, cum inter cæteros testes reperiatur Petrus, abbas S. Genulfi. Subscripsit tandem, annum ante 1185, litteris Hervæi Villælupensis, quibus Carthusianis concessum Ligetum. Decessit 13 Decembris 1189, e domno *Housseau :* e necrologio vero III cal. Februarii depositus fuit.

XI. Michael I, antea prior claustralis, electus abbas Decembri mense 1189. Societatem

iniit, anno 1198, cum Philippo, Cormaricensium abbate; e Sammarthanis. Hujus depositio VII idus Octobris, e necrologio, celebrata.

XII. Matthæus I electus est anno 1208, quo decessit Geoffridus archiepiscopus. In tabulis Bellilocensibus sub hunc annum Matthæus a Sammarthanis legebatur. Eumdem eodem anno, in Villælupensibus schedis, bona Mauricii *Raimbaut* Villælupensibus monachis adscribentem reperimus.

XIII. Hugo I petiit, anno 1224, a Drocone de Melloto ut sibi ligna quædam ad reficiendum monasterium decerpere liceret in adjacentibus silvis. Cui Drocorem petitam, anno 1225, concessit.

XIV. Joannes I electus 1 Decembris 1226. Unus erat, anno 1228, e judicibus litem dirimentibus inter Richardum de Bello Monte et Villælupensem conventum; e Quercetano tabulas Villælupenses contrahente. Occurrit idem, anno 1229, capellanum S. Laurentii instituens. Depositus est 9 Julii; e necrologio.

XV. Reginaldus, Belli Loci natus, et a puero monachus, suffragiis fratrum abbas exoptatus est die 18 Julii 1233. Plures ad eum directæ summorum Pontificum litteræ. Paciscebatur, anno 1274, cum Joanne, Ambasiæ domino, de quibusdam juribus, e schedis *de Gaignières*, sub num. 240. Hunc decedentem memorat domnus *Housseau* undecima die Decembris 1279, diuturna peracta præfectura. Mendosæ vero deprehenduntur tabulæ quas *Housseau* secutus est, cum Reginaldus occurrat anno 1280, in chartulario Baugeseii, terram tradens Joanni *Beauribant*. Hujus depositio memoratur V idus Julii.

XVI. Matthæus II, anno 1290, litigavit cum Dionysio, Baugeseii abbate; e Baugeseianis tabulis. Idem forsitan, annum circa 1300, pacem fecit inter monachos Misericordiæ Dei et Girardum *de Bez;* in chartis cura domni *Housseau* transcriptis, t. VIII. De quo sic necrologium Bellilocense : « XVIII *cal. Martii, obiit D. Matthæus abbas Belli Loci, qui rexit ecclesiam istam* XXII *annos et fecit unam cappam et fundavit capellaniam B. Catharinæ.* »

XVII. Michael II, dictus *de Valory*, anno 1313, in charta ad prioratum S. Martini de *Perol* spectante.

XVIII. Petrus II, anno 1335, consecratur ab Aimerico Antissiodorensi, sede Turonensi vacante, ut supra dictum est, t. XII, col. 317. Diem obiit supremum anno 1363.

XIX. Joannes II, Belismensis antea prior, abbatiam obtinuit litteris Urbani papæ V, datis V calendas Decembris 1363; e schedis Suaresii. Joannes ille nominatur anno 1373, in tabulis Cormarici et Baugeseii. Idem, 6 Januarii 1383, in apochis ad clerum spectantibus, apud Maxim. Paris. Biblioth.; *Cab. des*

A *Titr.* Decessit, post annorum viginti regimen; e necrologio, VII cal. Junii.

XX. Guillelmus I de Valleriis, monachus Bellilocensis, postea prior S. Laurentii de Langeseio, electus est abbas annos natus octo et viginti. Occurrit, 16 Januarii 1398, in apocha quam servavit *de Gaignières.* Laudatur fatiscentis cœnobii reparator. Decessit 13 Martii 1402, e domno *Housseau;* e necrologio vero, 28 Martii.

XXI. Andreas Bernardi, patria Turonensis, Guillelmo successit. Irruentibus Anglis, anno 1412, cœnobiumque funditus vertenti-
B bus, libertatis suæ pretium Andreas solvere non valuit; ideo translatus est in Angliam captivus, nec rediit ad suos annum ante 1418. sub idem tempus a Martino papa V excommunicatus est, quod jura quædam usurpasset summis Pontificibus reservata. Decessit Andreas 30 Junii 1426, anno ætatis tertio e quinquagesimo; e Stephani *Housseau* chronographia. Cui propemodum suffragatur necrologium, in quo legitur : « III cal. Julii, depositio « D. Andreæ Bernardi, abbatis istius monas- « terii, anno MCCCCXXVI. »

XXII. Guillelmus II Bernardi, Andreæ
C germanus, nec non patruelis Joannis, quem Turoni archipræsulem salutavere, regimen Bellilocensium auspicatus est ineunte Julio 1426. Audivit, 6 Februarii 1431, Nicolaum Guerinum pœnitere semet profitentem, ob noxas canonicis Lucacensibus illatas; e schedis domni *Housseau*, t. XVIII. Anno 1436, ad eum litteras misit Eugenius papa IV, quibus privilegia cœnobii confirmata. Aderat, anno 1438, Villælupæ, cum Simon possessionem iniret. Occurrit et in tabulis anni 1440. Vitam cum morte commutavit 10 Junii 1442, et sepultus est juxta
D fratrem, in sanctuario.

XXIII. Guillelmus III *Moreau de Beauregard*, juxta Bellum Locum natus, e stirpe Turonos inter clara, monachum induerat Belli Loci, anno 1417, ætatis decimo-septimo. Prior inde S. Petri apud Bituriges evaserat. Quem fratrum vox proclamavit abbatem 19 Junii 1442. Occurrit in tabulis Cormaricenis annorum 1450 et 1453, nec non in Bellilocensibus. Idem, 1 Julii 1458, in apocha, quam exhibet Max. Paris. Bibl.; *Cab. des Titres.* Quassatas ab Anglis ædes quantum potuit refecit, et depositus est 27 Augusti
E 1458, in capella Sepulchri tumulandus.

XXIV. Hugo II, dictus *de Poissy*, annis 1468, 1471, in apochis quas servat Max. Paris. Biblioth.; *Cab. des Titres.* Idem, anno 1479, schedulam edidit de vectigali quodam septenario, quo Ludovicus rex monachos eximebat, ea conditione ut unam missam in perpetuum pro regibus Francorum annuatim celebrarent. Anno 1480, Joannes, Sabinensis episcopus, Hugoni facultatem concessit mitram, annulum, baculumque gerendi; e

litteris quas edidere Sammarthani. Cantoris officium, anno 1482, creavit, et ea quæ ad id pertinent largitus est.

XXV. Joannes III, Bellilocensis monachus, abbas electus post Hugonem, decessit 27 Maii 1485.

XXVI. Hugo III *Fumée,* Turonibus natus, e prosapia dominorum Castri Rupium, frater Petri *Fumée,* regii Turonibus quæstoris, electus est 5 Junii 1485, et depositus 11 Augusti 1494, e necrologio.

XXVII. Harduinus *Fumée,* patruelis Hugonis, ei successit die 20 Augusti 1494. Filius erat Adami *Fumée,* domini Rupium S. Quintini, Franciæ cancellarii et Thominæ Ruzeæ. Idem canonicus ecclesiæ Parisiensis et cancellarius Dolensis abbatiæ. Decessit anno 1521, 7 Octobris, e domno *Housseau.* Depositi meminit necrologium, 11 nonas Octobris.

XXVIII. Joannes IV *de Bourdeille,* Aquitanus, quem ex Anna Vivonensi susceperat Armandus *de Bourdeille,* Harduino suffectus est. Electus-ne fuit a monachis, aut a rege creatus, ad normam nuper pactorum inter Leonem papam et Franciscum regem? In dubio res relinquitur. Decessit Lutetiæ Parisiorum Joannes, 7 Julii 1534, et humatus est in ecclesia Franciscanorum.

XXIX. Guillelmus IV *de Meyne,* regiis abbas litteris, ab anno 1534. Protonotarius Romanæ sedis præterea dicebatur, nec non eleemosynarius et consiliarius regis. Naturæ debitum solvit, in castro Lucacensi, 24 Novembris 1564.

XXX. Nicolaus I *de Tiercelin d'Apelvoisin,* filius Adriani, Brossiæ domini, sive ex Joanna *de Gourlay,* sive ex Barbara *Rouhaut,* germanusque Ludovici, qui monachis Oratorii præfuit. Bellum Locum rexit Nicolaus et insimul Claritatem Dei, obiitque 9 Aprilis 1584; e necrologio. Hunc tamen Gallia Sacra memorat, abdicata abbatia et suscepto militari tirocinio, juxta Carnutum in prœlio cecidisse, anno 1589; inter manuscriptos codices Maximæ Parisiorum Bibliothecæ, Suppl. Franc., sub numero 1577.

XXXI. Nicolaus II *Fumée de la Tousche,* Parisinus, filius Martini *Fumée,* e supplicibus libellis, et Martinæ *d'Alez.* Ex ecclesiæ Parisiensis canonico Culturensem Cenomanorum abbatiam jam sortitus erat; eam vero, anno 1575, deseruit, Bellovacensis creatus episcopus, permutatione facta cum Carolo de Borbonio. Donatus postea Bellilocensi commenda, eam in cathedra sedens nihilominus retinuit, et obiit Carnuti, anno 1592, vel, ut qui dam volunt, anno 1593. Plura de eo tam supra, in episcopis Bellovacensibus, t. IX, col. 765, quam infra, in S. Petri Culturensis abbatibus.

XXXII. Guido *Fumée des Roches Saint-Quentin,* Nicolai nepos, satus ex Antonio *Fumée,* senatore Parisiensi et e Claudina *d'Erian,* Bellilocensis abbas creatus anno 1593, decessit Lochis anno 1637, postquam abdicasset in gratiam sequentis.

XXXIII. Franciscus *de Saint-Pastour de Salern,* Aginnas, patrem habuit Gaillardum *de Saint-Pastour,* castri Lucacensis præfectum. S. Crispinum Majorem, in ecclesia Suessionensi, rexerat olim, anno 1606 Landesio fruebatur anno 1613, cum Bellilocensibus, cessione Guidonis, fuit præpositus. De quo Ivo *Gaigneron* in Monastico Benedictino : « Cum dictus Franciscus aliquando « graviter ægrotaret, et ipsum crederent indu« bitanter moriturum, monuere Guillelmum « *Moynier de la Piobière,* cubicularium re« gis christianissimi Ludovici XIII, qui peti« tam ab ipso rege pro filio natu minore Bel« lilocensem abbatiam obtinuit. Meminerat « quippe gratissimus rex summi vitæ suæ pe« riculi, a quo fuerat ereptus a cubiculario « suo circa 1618. Ipsa autem abbatia non est « potitus cubicularii filius, nam abbas ægro« tus cito convaluit. » Abdicavit Franciscus, anno 1630, sequentem regi commendans.

XXXIV. Ludovicus I *de Nogaret,* cardinalis *de la Valette,* ab anno 1630, qui occubuit in Sabaudia, 28 Septembris 1639.

XXXV. Ludovicus II *de Voyer de Paulmy d'Argenson,* filius Renati et Helenæ *de Lafons.* Prioratum antea regebat S. Sepulchri, in diœcesi Meldensi. Creatus abbas Belli Loci 6 Octobris 1639, in abbatiam patres Congregationis S. Mauri introduxit, anno 1662. Decanus evasit S. Germani Antissiodorensis, apud Parisios, 21 Octobris 1671, permutatione peracta cum sequente. De quo, t. VII, col. 276.

XXXVI. Nicolaus III *Le Roi de Moré,* Normannus, regisque eleemosynarius, e decano S. Germani Antissiodorensis abbas Belli Loci. Sententiam obtinuit, 28 Decembris 1681, qua suprema Parisiorum curia abbati Belli Loci jura quæcumque confirmavit ad baronem spectantia. Decessit Lochis, 19 Septembris 1693. De eo, t. VII, col. 276.

XXXVII. Carolus *Boileau,* doctor Sorbonnicus, eleemosynarius et ipse regis, et in Academicorum Franciæ palæstra cathedram sortitus, abbas Belli Loci creatur 1 Novembris 1693. Cujus alia ecclesiastica beneficia recensere operæ pretium non est. Decessit Parisiis, Novembri mense 1704. Hic Ludovicum regem adiit, poscens ut Bellilocensis civitas ab hospitandis militibus diceretur immunis; et postquam ejus votis rex annuisset, inde frequentior civium numerus evasit.

XXXVIII. Joseph Joannes-Baptista *Quinot,* doctor Sorbonnicus, Mazarinæi collegii custodiendis libris præfectus, Bellum Locum rexit ab anno 1705 ad annum 1722, quo cessit in gratiam sequentis.

XXXIX. Simon Nicolaus *de Frizon de*

'amont, canonicus Remensis, creatur ab- ıs 16 Maii 1722 : anno 1757, Remis decessit, › Maii, annis natus novem et septuaginta; Diariis.

XL. N. *Parchappe de Vinay*, abbatia donatur anno 1757. Per decem annos sedit.

XLI. N. *de Chazal* ab anno 1767.

XLII. N. *Micolon de Blanval* ab anno 1769 ıd annum 1790.

BEATA MARIA DE NUCARIIS.

Nucariæ, sive Nuceriæ, vicus est Turonici pagi, infra Portum Pilarum situs, nec longe a Nuchastro, ubi Vigenna Crosaque miscent aquas, in rostri morem terras effingentes. Antiquitus ibi surgebat basilica, S. Trinitati et S. Mariæ Virgini dicata, grandæva cujus origo in priscarum ea tenus rerum arcanis latuit. Quo in loco condendam decreverunt abbatiam, ad excipiendos Benedictinæ congregationis alumnos, Hubertus, miles, et Thomas, clericus, hujus filius, qui Malrannum, potentem Nucastri toparcham, adeuntes, ecclesiam ab eo veterem impetraverunt, et nonnullis eam protinus auxerunt prædiis, Carriciaco scilicet, Delsiaco et Cavannia, ne devenientes monachi ad victum necessariis carerent. Quorum probavit consilium Fulco comes, et surgentes sua sub protectione suscepit ædes Robertus rex, anno 1030. Eodem tempore monachos Arnulfus archipræsul libertate donavit. Qua jam diu fruebantur, quando eam litteris suis confirmavit Richardus Anglorum rex. Claustro et ecclesiæ non unum damnum attulere ruens præpete cursu Vigenna, et cæcus furor bellorum per vicinos agros desæviens. Destructum jam memoratur cœnobium sub abbate Rainerio; quod colligimus e veteri charta, in qua reperitur prædictus abbas Lemovicensem agrum pererrans subsidiumque deposcens ad restaurandas Nucariarum ædes : quas tandem refecerunt Bernerius, Ægidius et Henricus, quasque jussit conserrari, v cal. Maii 1176, Bartholomæus archipræsul, nec non Romanæ sedis legatus. Abbatiam deprædata est annum circa 1580, quædam Calvinistarum turma, quæ nec thesauris, nec chartis pepercit. Nucarias ingressi sunt patres Congregationis S. Mauri die 4 Aprilis 1659. Possidebat abbatia prioratus octo et quinque capellas in diœcesi Turonensi; in diœcesi Pictaviensi, prioratus novem.

Benefactores præcipuos habuerunt Nucarienses, præter fundatores de quibus supra dictum est, Aymericum de Nerbona, Geoffredum de Uxello, Adhemarum *de Cursay*, Uriam de Nucastro, Savaricum de Bosceia, Eschivardum de Prulliaco, Archambaldum Insulæ dominum, etc., etc. In temporalibus dominum agnoscebat Nucariensis abbas Nucastri toparcham, et ei quotannis offerebat octo nec non decem denarios, florenm sertum, manicasque pelle canina confictas, quarum par unum virilibus aptum digitis, alterum femineis.

Seriem abbatum, quæ prorsus deest apud Sammarthanos, desumpsimus tum e veteribus chartis, tum e schedis domni *Housseau*, t. XVIII. Nec defuit auxilium anonymi qui scripsit, annum circa 1680, Thesaurum Abbreviatum monasterii B. Mariæ de Nucariis, inter residuos S. Germani Pratensis codices hodie servatum, fasc. 114. num. 4, et iterum in Monastico Benedictino, t. XXIV. In Monastici tomo præterea reperire est alteram, sed compendiosam, Nucariarum historiam. Plura quærere licet in armario Pictaviensi.

Abbatum syllabus.

I. Ebrardus primus abbas Nucariarum memoratur, a quo promissæ preces, teste veteri scheda, Badiloni, militi, filio Hugonis Normanni, anno quidem incerto, ante vero tempus Andreæ abbatis. Ebrardus ille Mabillonio non alius videtur ab ejusdem nominis abbate qui tunc Majoretanis et San-Julianeis præerat; Ann., t. IV, p. 362. Eadem est sententia Ed. Martenii, in Historia Majoris Monasterii manuscripta. Quibus libenter suffragamur. Decessit Ebrardus, e necrologio Nucariarum, vi idus Decembris.

II. Andreas innotescit e pluribus chartis. Ei tradidit Haymo filium suum, dictum Gualterium, Deo consecrandum, et Archambaldus, Malranni de Nuchastro germanus, dotem Bertæ, uxoris suæ. Occurrit, anno Philippi regis secundo, Christi scilicet 1061, vel 1062, ab Aimerico milite tertiam partem accipiens Grisaici prædii, inter Vigennam et Mirmandam siti, sicut legitur in Thesauro Abbreviato et in Annalibus Mabillonii, t. IV, p. 626. In tabulis præterea sæpius memoratur usque ad annum 1067. Obiit Andreas die 28 Novembris.

III. Geoffridus post Andream, qui multos et ipse milites Nucariensis agri beneficos expertus est. Ei sedenim Ganslinus Aldebertus, ægrotans et monasticum induens habitum, nonnullas de suis res contulit; Hubertus Pretrosilus, e Monte Basonis, quidquid consuetudinario jure tenebat in Insulensi castellania, et, ne singulos memoremus, Hubertus Darsus villam inter Crosam et Vigennam. Adiit Geoffridus Burchardum, Insulæ dominum, rogans ut sibi liceret ecclesiam condere in Ismantiæ suburbio : cui petitioni Burchardus annuit, et surgens ecclesia nomen accepit S. Eligii.

IV. Rainerius, sive Raginerius, concordiam iniit cum Bartholomæo, Majoris Monasterii abbate, super ecclesia S. Ægidii, annos scilicet inter 1063 et 1084; e chartulis ad Majus Monasterium spectantibus quas Marte-

nius compilavit, t. I. Difficillimis temporibus abbatiam rexisse dicitur; moventes enim inter se bellum vicini tractus milites non monachorum ædibus pepercere. Ivit vel ad Lemovices subsidia petens ad restaurandum cœnobium.

V. Stephanus, monachus, ut opinantur, Majoretanus, in tabulis sæpius occurrit. Hujus, ut videtur, magna fuit in tota provincia auctoritas; nec tantum apud clericos consilio valuit, sed etiam apud milites, quos inter non semel pacem fecit. Annos inter 1086 et 1094, præsens fuit feralibus exsequiis Guillelmi de S. Maura, juvenis, qui Vasconicum quoddam castrum obsidens occubuerat. Res annum ante 1094 agebatur, cum Lisivus, S. Mauricii decanus, tumulando corpori curam una præbuisse dicatur. Subscripsit Stephanus, anno 1094, chartæ Radulfi II consuetudinem dimittentis cœnandi et hospitandi in ædibus S. Juliani Turonensis. Sedit, anno 1095, in Claromontano concilio. Nominatur, anno 1098, in charta pacis inter Majoretanos et Robertum de Rupibus de cæde Fulconis Painnonis. *(Brial, Rer. Gallic. Script. t. XIV, p. 98.)* Ad hoc tempus referenda quæ de Sulione narrantur. Sulio, dominus Rupium, cognomine Aridum Mare, homicidium in cœmeterio Nucariensium peregerat. Excommunicatus inde fuit, et monachi, sanguine christiano respersum locum deserentes, a publica missarum celebratione cessaverunt. Petitum diu quidem negavit Sulio piaculum: victus tandem Stephani constantia, venit ad cœmeterium, et, verbera passus, absolutus abiit. Pictavii Stephanus reperitur, tempore Bernardi Majoretanorum abbatis, sedens in placito super ecclesia Asinensi. Pactus est, anno 1106, cum monachis Majoris Monasterii, super ecclesia S. Ægidii, quam Taventi horum sine permissu ædificaverat. Anno vero 1107, ecclesiam Crucillanam sibi vindicans, a Fulcone, Bellilocensium abbate, ad subsellia trahitur archipræsulis Radulfi, et in ea causa cadit. Memoratur Stephanus calcaria deaurata dans Achariæ de Mirmenda, qui monachis Buxerias tradiderat, anno 1108. Pacem fecit inter Guarnerium *Maingoth* et Paganum, armigerum Bartholomæi Insulensis, qui scilicet Paganus adstrictum vinculis Guarnerium in parva incluserat arca. Ingens eo tempore luctus Hugonis de S. Maura, qui, postquam Guillelmum nuper, e suis unum filiis, ut diximus, amiserat, superstites mox duos audivit natos, Joscelinum et Hugonem, insidiis impetitos furtimque necatos esse. Tot in eadem domo funera lugens Stephanus, occisos in monasterium deferri jussit juvenes, et honeste sepelivit. Quamobrem tetendit ad Nucariense capitulum Hugo, S. Mauræ toparcha, deditque monachis ecclesiam sui castri. Deveniens aliquanto post Girardus, Engolismensis episcopus, nec non Romanæ sedis legatus, juvenes non auditis peccatis

A sublatos quantum potuit absolvit, confirmavitque Nucariensibus ab Hugone data. Aderat Radulfus, Turonensis archiepiscopus, eadem qui pro sua parte sancivit. Emendetur recens eclogarius, qui donum hoc Hugonis annum ante 1096 Nucariensibus collatum suspicatur. Gerardus enim ad Engolismensem ecclesiam non pervenit annum ante 1101, et missus est ad Turonorum partes aliqua legatione jam peracta: Gall. Christ., t. II, col. 996. Novum fecit fraternitatis pactum Stephanus cum Guillelmo, Majoretanorum abbate, decessitque die 15 Octobris, anno in-
B certo. Sedisse legitur per decem annos.

VI. Gaudinus *de Poent*, frater Aimerici *de Poent*, occurrit anno 1113; cui sub lege census tradit Gualterius, S. Martini thesaurarius, ecclesiam et curiam Paysiaci; apud *Housseau*, t. IV. Idem confirmavit, anno 1114, Odo, Martiniensium decanus. Plurima Gaudinus a plurimis obtinuit: quarum vero donationum chartæ chronicis notis carent. Per annos tres et viginti monasterium, ut aiunt, rexit, et e vivis excessit 17 Januarii.

VII. Hugo I Bernerius dimissam impetra-
C vit calumniam, anno 1132, ab Archambaldo de Argeo. Odoni, Majoretanorum abbati, tradidit, anno 1134, terram juxta Monediacum sitam, ab eo Chassaniam, certa commutationis ratione, accipiens. Contendit Romam, anno 1139, ut Lateranensis concilii pars esset. Vir boni consilii, asperitate morum conspicuus, et observandæ studiosus disciplinæ, favorem sibi multorum conciliavit. Quamobrem, sub hujus regimine, non pauca mensæ monachorum collata prædia. Inter eum tamen et Hugonem archiepisco-
D pum lis exarsit. Ecclesiam S. Mauræ, monachis Nucariensibus nuper, ut supra dictum est, addictam, clerici quidam Turonenses invadere tentabant. Inde mota contentio; cumque clericorum audaciam præsul probasset, rursus Romam tetendit Bernerius, suamque oravit causam, Theovino, Turonum archipresbytero, contradicente. Abbatis jus agnovit papa, scripsitque ad Geoffridum Carnotensem episcopum, ut Nucariensibus restituerentur ea de quibus surrexerat contentio. Archiepiscopus autem Hugo is erat qui sopitæ discordiæ non diuturnam servaret memoriam. Bernerium sedenim. Hugoni si ingratus fuis-
E set, non ad Hugonem Turonensis ecclesia misisset, cum is monachicam sponte vitam amplexus est. Decessisse legitur, post annum præfecturæ suæ decimumquartum, anno 1146. Errantem vero deprehendimus hujusce chronographiæ conditorem, cum Bernerius occurrat, anno 1149, in archipræsulis Engebaldi notitia, de lite inter moniales Fontebraldenses et ecclesiam Andegavensem composita; Rer. Gall. Script., t. XV, p. 420.

VIII. Ægidius, Bernerio succedens, Nu-

cariensibus per annos sex et viginti præfuisse dicitur. Hujus tabulæ non semel meminerunt. Dies obeuntis Octobris vicesimus in necrologio; annus vero non plane dignoscitur. Ne confidas enim Mabillonio Ægidii mortem adscribentis anno 1172. Quam evertit chronologiam Engebaldi notitia supra memorata.

IX. Henricus, anno 1186, impetravit a Petro, filio Goscelini, pratum Bardonis, et pepigit cum Hugone Manselli de quadam decima. Testis occurrit, anno 1189, in charta qua memoratur Burchardus, Insulæ dominus, Nucariensibus dans mediam partem fructuum quos annuatim e molendinis suis percipere solitus erat, et, anno 1191, in charta Nivelonis quartam partem decimæ Burguliensibus tradentis. Repetiverat Guano de S. Quintino nemus quoddam prope Brischastam : cum eo venit in concordiam Henricus, præsentibus Mauricio Belliloci et Petro S. Genulfi abbatibus. Hugonem II de S. Maura morientem inunxit oleo et Nucarias deportavit tumulandum, adstante Bartholomæo archipræsule. Hujus nomen legit *Housseau* in Alba Martiniensium Pancarta, anno 1198. Abbatiam, ut aiunt, rexit per octo et viginti annos, decessitque 19 Novembris.

X. Odo de Azaico, cellelarius antea Nucariensis et prior S. Mauræ. Hunc Richardus, Angliæ rex, electum probavit abbatem; ante videlicet Aprilem mensem anni 1199, quo Richardus fato functus est. Odoni concessit, anno 1203, Nivelo de Faya jus nundinarum annuarum in vico cui nomen S. Ægidius de Collibus. Interiit, ex Abbreviato Thesauro, postquam novem sedisset per annos, et obitus ejus diei 29 Septembris adscribitur in necrologio.

XI. Aimericus *Sorin*, Octobri mense 1216, nundinas quarum supra meminimus celebrari jussit in festo S. Clementis. Occurrit idem, anno 1218, res quasdam accipiens a Petro *Barbez* Hierosolymam pergente.

XII. Joannes I *d'Aubers*, sive *des Aubiers*, occurrit in tabulis annorum 1240, 1244 et 1247.

XIII. Joannes II Sancius, filius Fredeburgis, eximiæ pietatis matronæ. Sedit per unum annum, cum dimidio.

XIV. Girardus I, alias Gilo, sed perperam, sedit per septem annos; de quo hæc scripsit Alexander papa ad Turonensem archiepiscopum, anno 1255 : *Dilectus filius Girardus, abbas monasterii Nucariensis, ordinis S. Benedicti, tuæ diœcesis, nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse propter defectum visus et aliam sui corporis infirmitatem regimini dicti monasterii commode vacare non possit, cessionem ipsius admitti eique de bonis ejusdem monasterii provisionem congruam assignari misericorditer mandaremus. Quocirca mandamus quatenus, si est ita, ab eodem abbate libera regiminis dicti monasterii per te, vel per alium, resignatione recepta, de bonis ipsius monasterii provisionem dicto abbati assignari auctoritate nostra facias competentem. Contradictores, etc., etc., non obstantibus, si est aliquibus ab apostolica sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras dictæ sedis non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Neapoli, III nonas Aprilis, pontificatus nostri anno primo.* Has desumere licuit Alexandri papæ litteras ex apographo quod confici curavit *D. La Porte du Theil.*

XV. Hugo II *Sorin*, abbatialis sacrarii custos et forsitan nepos Aimerici supra laudati, præfuit Nucariensibus per annum et dimidium. Depositus fuit, e necrologio, x cal. Januarii.

XVI. Matthæus I occurrit in tabulis anni 1272. Per annos viginti sedem tenuit, pacifici rectoris laudem meritus.

XVII. Philippus I, alias Petrus *Mesmin*, capitulum generale coegit anno 1296. Constitutiones edebat anno 1303.

XVIII. Zacharias memoratur anno 1315, quasdam res accipiens a Theobaldo, presbytero Nucariensis ecclesiæ.

XIX. Philippus II innotescit, primo die Sabbati post Epiphaniam anni 1321, e Joannis Bernardi litteris se suaque Nucariensibus offerentis. Sedit per annos septem et viginti, obiitque die 2 Januarii.

XX. Petrus I, sive II, cujus nomen tantum superest, ex Abbreviato Chronico.

XXI. Arnaldus per procuratorem abdicavit anno 1359, inter manus Innocentii papæ VI.

XXII. Nicolaus de Villanova, ab anno 1359, ut constat e litteris Innocentii VI, datis XVI cal. Augusti, anno pontificatus octavo, ut legit Suaresius in regestis Innocentii. Decessit anno 1363.

XXIII. Radulfus I, prior antea Pilarum, in Pictaviensi diœcesi, vacantem abbatiam obtinet litteris Urbani V, XIII cal. Aprilis 1363; ex eodem Suaresio. Obiit anno 1364, die 7 Junii.

XXIV. Joannes III, e priore claustrali, promotus apostolicis litteris, Avenione, idibus Septembris 1364; e. Suaresio.

XXV. Guillelmus I aderat, anno 1409, concilio Pisano, sicut in indicibus Labbæi legitur. Reperitur in tabulis anni 1418.

XXVI. Raginaldus memoratur abdicans munus, et, alicujus subsidii donatus auxilio, secedens in prædium *Pavilly*, juxta Cainonem; ut constat e litteris Martini papæ V, datis XIV cal. Februarii 1431.

XXVII. Joannes IV, antea prior S. Mauræ, abbas creatur a Martino V, pactione cum Raginaldo peracta. Quam ratam habuit pactio-

nem Eugenius papa IV, v idus Martii 1431.

XXVIII. Salomon *Chevalier*, annum circa 1438. Anno 1440 moletrinam elocavit; ex archivo Turonensi.

XXIX. Guillelmus II *de Chawigné* reperitur anno 1443. Adfuit, die ultima Junii 1454, visitationi reliquiarum SS. Mauræ et Brittæ. Obiit mense Julio 1458. Dormitorium capitulumque extruxerat.

XXX. Mauricius *de Parthenay*, antecedentis ex matre nepos, decessurus circa 1470.

XXXI. Radulfus II *du Fou du Vigean*, e Corisopitensi oriundus diœcesi, germanus Joannis et Ivonis, Ludovici XI consiliariorum, episcopus Petragoricensis ab anno 1468, mox ad Engolismensem ecclesiam translatus est, pridie nonas Julii 1470, et sub idem tempus commendatarius dictus est abbas Nucariarum. Aliis postea beneficiis donatus et ad Ebroicensem episcopatum evectus, anno 1479, Nucarias tamen retinuit. Occurrit in tabulis Nucariensibus anno 1486. Claustrum opere novo refecit. De quo jam dictum est in episcopis Ebroicensibus, t. XI, col. 608.

XXXII. Gerardus II *de Mauny* eligitur a fratribus anno 1498, e schedis domni *Housseau*. Obiit 1 Maii 1505.

XXXIII. Jacobus *de Mauny*, monachus Nucariensis, e nobili stirpe oriundus quæ S. Anianum apud Cenomanos incolebat, electus est et ipse a fratribus. Vitam hujus ad annum 1544 ducit Thesaurus. Obiit autem anno 1542, e schedis domni *Housseau*. Anniversarium hujus adscribitur 7 Aprilis, in necrologio.

XXXIV. Franciscus I *de Mauny*, Jacobi frater, Briocensis episcopus ab anno 1544 et ab eodem forsitan Nucariarum commendatarius abbas. Tironnellum etiam monasterium, ordinis Cisterciensis, sortitus erat apud Cenomanos. Episcopus postea Trecorensis, et tandem Burdigalensis archiepiscopus dictus est anno 1553. De quo supra, t. II, col. 848. Domum abbatialem reædificavit ornavitque ecclesiam. Abdicabat Nucarias, ut memorant, anno 1554, decessurus anno 1558, die festo S. Lucæ, evangelistæ: e Thesauro Abbreviato.

XXXV. Matthæus II *de Mauny*, antecedentium nepos, usque ad annum 1560.

XXXVI. Eustachius *du Bellay*, Parisiensis episcopus, innumeris præterea donatus beneficiis. De quo t. VII, col. 163. Nucarias usque ad annum 1574 rexisse dicitur.

XXXVII. Franciscus II *Chesneau* occurrit anno 1575. Obiit, ut fertur, anno 1578.

XXXVIII. Antonius *Millet* usque ad annum 1584.

XXXIX. Carolus I *de Cossay*, sive *de Corsay*, non diu præfuisse videtur.

XL. Carolus II *Martineau de Thuré* occurrit anno 1588.

XLI. Joannes V *Fouldrin*, regis ab elee-

A mosynis, abbas jam B. Mariæ Blesensis, Nucarias obtinuit litteris Clementis VIII, VII idus Februarii 1597, rege probante 17 Maii ejusdem anni. Decessit VIII cal. Octobris 1615. Quære supra, t. VIII, col. 1396.

XLII. Emmanuel *Martineau de Thuré*, Caroli supra dicti nepos, abbatia donatus est anno 1649. Hic introduxit monachos Congregationis S. Mauri, die 4 Aprilis 1659. Obiit eodem anno, die 21 Decembris, degens in castro *Thuré*. Priores quidem reformatæ domus primi fuere Fabianus *Guy* et Silvinus *Marbœuf*.

B XLIII. Cæsar *de Beaudean de Parabère*, filius Henrici comitis *de Parabère* et Catharinæ *de Pardaillan*, litteras regias accepit 27 Decembris 1659, et possessionem adiit 28 Novembris 1662. Permutavit, mense Martio 1663, cum sequente, in commutationem accipiens Eleemosynam, in ecclesia Blesensi.

XLIV. Claudius *de Blancpignon* in possessionem inductus est 11 Julii 1663. Sedit per duos tantum menses, bullas non adeptus, et Eleemosynæ præfecturam iterum adiit.

XLV. Cæsar iterum *de Beaudean* abbatiæ bona cum monachis partitus est anno 1673.

C De quo sic Thesaurus : « Post cardinalis « Mazarini obitum, cujus gaudebat favore, « spretis curiæ deliciis, cum quibusdam ec« clesiasticis, privatam et humilem vitam « agens, excessit e vita anno Domini 1678. » Dicitur in Gallia Sacra anno 1680 defunctus.

XLVI. Petrus II Amabilis *Richou* suscepit regimen Aprili mense 1678. Bullas non petiit, et decessit mense Martio 1687; e Thesauro.

XLVII. Joannes Baptista *Pinsson*, e sacerdotibus Parisiensis Missionariorum domus, filius Francisci *Pinsson*, eximii jurisconsulti, D creatus abbas a rege die Pentecostes anni 1687, bullas accepit pontificias 25 Augusti 1688. Decessit anno 1736.

XLVIII. Julianus Hyacinthus *Le Riche*, archidiaconus Turonensis, anno 1736. Cessit anno 1746.

XLIX. Ludovicus *le Bègue de Majainville* ab anno 1746.

L. N. *Dubois de Sansay* creatus anno 1749, rexit abbatiam ad annum 1761.

LI. Urbanus Renatus *de Hercé* ab anno 1761; qui Dolensis episcopus dictus est anno 1767. Abbatiam tenuit ad annum 1785.

E LII. Ludovicus II Julius Franciscus *d'Andigné de Mayneuf* ab anno 1785 ad annum 1790. Bullas quibus abbas institutus est reperies apud Max. Paris. Biblioth., in chart. capsa sub num. 1814.

TURPINIACUM.

Turpiniacense monasterium, antiquitus Torpenaium, duobus circiter leucis Cainone distans, non in loco situm læto memorant,

sylvis autem vepribusque horrente. Hunc A quidem locum olim elegit vitæ sectator monasticæ Robertus miles, et postquam plures ad eum convenissent piam inire societatem gestientes, rusticana ab eis ædificata sunt tuguriola, annum circa 1107, probante Fulcone comite, quibus primus Turonensis præsul Hildebertus, anno 1129, abbatiæ nomen imposuit. Ab eo tempore data Roberti sociis nonnulla prædia, a Peloquino scilicet, Insulæ domino, Gaufrido Rufo *de Cravent*, Babino de Marrenaio, et a quibusdam aliis militibus qui vicinis in castellis degebant. Anno 1134, VII calendas Octobris, Hugo, Turonensis ar- B chipræsul, ecclesiam consecravit novam, jamque datas monachis terras confirmavit. Eadem auctoritate sanxerunt apostolica Innocentius papa II, die 19 Februarii 1142, et Eugenius papa III, anno 1147. Non diu vero floruerunt res Turpiniacensium : statutum est igitur ut Absiæ Pictaviensis monachis subderentur. De qua re vehementer decertatum, cum non deessent Turpiniaci pristinæ libertatis strenui vindices, et condonatam sibi prædam Absiæ rectores retinere conarentur. Altera monasterio labes fuit Calvinistarum adventus, qui, monachis fugatis, C piis non pepercerunt ædibus. Eas utinam subsecuti reparavissent abbates! Ut vero regulares commendatarii excepere, omnia confestim in pejus ruere et eo quidem devenire ut monachus Turpiniacum unicus hospes incoleret desertum. « Sacris tunc, ut aiunt, « nullus honor, nullus eorum cultus; nequi- « dem tegendis altaribus mappa vel sagum « inerat; ædes impluvio fœdatæ, consumptæ, « labantes, et omnibus, non dicam homini- « bus ac feminis, sed etiam equis et canibus « apertæ; vitra, organa, quidquid demum rapi « poterat, impune direptum. » Hactenus Tur- D piniaci chronographus, Michael *Germain*. Tot malis fuit medela cœnobii Turpiniacensis adjunctio S. Mauri Congregationi. Reformationem inchoaverunt Philippus Regius, provinciæ visitator, et prior Burgulii Bonifacius *Letan*, anno 1657. Benefactores præcipuos habuit Turpiniacum, post Robertum fundatorem, Paganum, Garinum et Angerium fratres, Peloquinum Insulæ toparcham, Guillelmum Montis Sorelli comitem, Robertum de Monte Consulari, Aimericum Toarcii vicecomitem, nec non Gualterium de Monte Sorelli. E

Seriem abbatum conficientibus auxilium præbuere schedæ D. *de Gaignières*, sub numero 240, et Stephani *Housseau* de Turonensibus abbatiis, nec non Historia brevis Turpiniaci, quam Joannes *Hardouineau* digessit et San-Germanenses ineditam servavere, in Monast. Bened., t. XLIII. Jam citavimus alterum Turpiniacensis historiæ compendium, inter S. Germani codices, sub numero 583³, opus Michaelis *Germain*.

ABBATUM SYLLABUS.

I. Robertus miles, annum circiter 1125, in Turpiniacensem secessit eremum, et excepit ipsi subeundos quoscumque vocavit in agrestem hunc locum pium vitæ delicatioris tædium. Roberto deinde Peloquinus dedit insulas a Ligere præcinctas, struendis molendinis aptas aquas, piscaturam et prædia Rivarrenæ sita. Accepit insuper, anno 1133, mense Decembri, a Gaufrido Rufo *de Cravent* tantum terræ quantum quatuor bobus sufficiebat : quam mox donationem confirmavit Ribotellus de Haia, terræ dominus. Ligneam primo, mox lapideam ædificavit ecclesiam, quam archipræsul Hugo consecravit. Testis occurrit, anno 1136, in charta pacis inter Absiæ et Fontis Ebraldi abbatias. Ei præterea dederunt, anno 1137, Odo *de Cheners* et Geoffridus, Odonis filius, dimidiam partem juris quod habebant juxta Turpiniacum. In aliis etiam ejusdem anni chartis occurrit, quibus confirmavit Jacquelinus de Ursiaco data jam a Peloquino de Insula Burchardi. Eidem, eodem anno, largiti sunt Paganus, Garinus et Angerius fratres terras monasterio contiguas. Anno 1140, Hugo Turonensis archipræsul, constanter consulens rebus surgentis cœnobii, concessit Roberto et ejus successoribus ut quæcumque darentur in Turonensi diœcesi a quibuslibet acciperent. Undique jam confluebant ad eos amplissima dona, e laicorum liberali manu delabentia. Quasi monitus ab Hugone Guillelmus, Montis Sorelli dominus, hoc anno scilicet 1140, Roberto tradidit suarum moletrinarum et suorum furnorum decimam. Extant insuper Hugonis, Insulæ domini, hoc anno datæ litteræ, quibus iterum Roberto confirmantur quæcumque jam Turpiniacensibus tradiderant Insulæ Burchardi toparchæ. Occurrit tandem, anno 1141, ab Aimerico *de Gais* accipiens novem solidos annui reditus.

II. Guillelmus I, filius Aimerici, domini *de Langeais*, anno 1142, monasterii possessiones ab Innocentio II stabilitas obtinuit. Ea quidem fuit Guillelmi vicinis in castellis fama, ut ad ejus exemplar protinus semet componere satagerent plures ex ordine militari; quos inter Motesius, Roccæ Novæ dominus, et ipse monachum induens, prædia Turpiniaco contulit sua. Recensenda summatim data Guillelmo bona a Guillelmo de Monte Sorelli, Aimerico *Segnoret*, Richolde, uxore Geoffridi Pratarii, Bernardo *de Sauzay* et Geoffrido Toarcensi vice-comite. Eidem, anno 1146, Fulqueius *Faimau*, sive Faciens Malum, quidquid habebat Turpiniaci largitus est. Eodem anno, pratum ab Archembaldo de Nemore satis amplum accepit. Ad eum scribens, XIV cal. Januarii 1147, Eugenius papa monasterium Turpiniacense sub suam protectionem recepit; quo etiam anno,

Guillelmus impetravit a Babino de Marrenaio pascua silvæque partem. Anno 1159, Petrus de Poceio Robertusque de Bloio molendinum Castris situm et plura in Campegniaceno prædio eidem Guillelmo concesserunt. Occurrit idem a Bartholomæo *de Columbers* accipiens, per manum Bartholomæi episcopi, post annum scilicet 1174, decimam cujusdam piscariæ, et, anno 1176, a Guillelmo de Monte Sorelli parvam insulam dictam *Sardaz*. Eodem anno sepelivit Guillelmus in Turpiniacensi basilica Guillelmum de Monte Sorelli, cognomine Pium, fato sublatum cum in eo esset ut monachus fieret. Memoratur et anno 1178 in Aimerici charta, Toarcii domini. Illi dederat, anno 1142, Guillelmus de Riveria decimam moletrinæ cujusdam in flumine Vosda: neglectam post mortem Guillelmi de Riveria moletrinam desertamque, et nullos præbentem fructus, reparavit tandem Gaudinus *de Baignos*, loci dominus, decimam vero jam diu condonatam negavit; de qua re litigavit, anno 1183, Guillelmus abbas, Gaudinumque ad paciscendum adegit. Eodem anno, Guillelmus ante senescallum Turoniæ compellebat Mauricium Radulfi, debita recusantem, et in causa vincebat. Eidem dedit, anno 1184, Aimericus Rafeti decimam panis sui. Occurrit Guillelmus in chartis usque ad annum 1188, quo largitus est ei vice-comes Aimericus frumentarium, talleium, et alia quæcumque jura possidebat in domo Novæ Rupis; e chartis quas collegit *de Gaignières*, sub num. 640.

Occurrit quidem Rainerius abbas, anno 1161, in chartis quas *de Gaignières* contractas servavit. Erravisse tamen videtur eclogarii manus, præsertim cum, tertio die post Nativitatem B. Mariæ 1162, Guillelmus abbas memoretur accipiens a Roberto de Monte Cantorio terram dictam Podiensem, alias Ponmediensem.

III. Lucas, antea prior, ut videtur, S. Florentii Salmuriensis, electus est Turpiniacensis abbas anno 1197. Præfecturam adhuc tenebat anno 1207, e Guillelmi Roserii litteris, Nucariis, coram Odone, Nucariarum abbate, exaratis. Idem Lucas Alnetum emit a Geoffrido Babini.

IV. Durandus legitur, anno 1212, mense Julio, singularem prorsus edens de vendita decima chartam. Turpiniacensibus tradiderat Bartholomæus de Columberiis decimam totius piscariæ suæ, in Caro fluvio. Quod ægre tulerunt Majoretani, cum Bartholomæus hanc ab ipsis piscariam teneret, et omnimode Durandum abbatem lacesserunt, rogantes, quin imo jubentes ut datam dimitteret aut venderet decimam. Durandus tandem, juris peritorum vocato concilio, quasi coactus, ut ait ipse, cum Majoretanos metueret sibi suisque pertinaciter infensos et pessima machinantes jurgia, summopere desideratam vendidit decimam pretio viginti librarum Turonensium.

V. Guillelmus III, anno 1224, accepit a Gualterio, Montis Sorelli domino, domum Agnetis, quam duxerat uxorem defunctus Radulfus Faber. Occurrit anno 1229, paciscens cum Petro de S. Paulo.

VI. Herbertus, anno 1240, composuit cum abbate Misericordiæ Dei, de Stephano quodam condonato, sive oblato suo, et de triginta libris quas idem Stephanus abbati Misericordiæ tradiderat.

VII. Ægidius I de Vitriaco, eodem anno 1240.

VIII. Petrus I, in tabulis annorum 1253 et 1256, e schedis domni *Housseau*.

IX. Philippus, annis 1263 et 1270, ex eodem.

X. Joannes I, anno 1284, dona quædam accepit ab Olivario de Castanearia.

XI. Petrus II Savonerius pactus est de quadam decima coram officiali Turonensi cum Belli Montis abbatissa. Proventus aliquot comparavit anno 1333. In sacello S. Nemoisii postea tumulatur, ut notavit Joannes *Hardouineau*.

XII. Nicolaus, Petro moriente, promovetur litteris Innocentii papæ VI, VI idus Julii 1359; ut legimus in Suaresii schedis. Anno 1370, penultima die Februarii, pactus est cum abbate Burguliensi de quibusdam a defuncto Petro *Bouguereau* traditis.

XIII. Matthæus complures census assignavit, anno 1374.

XIV. Guillelmus IV anno 1397 notatur in tabulis.

XV. Joannes II, electus anno 1402, occurrit 3 Augusti 1405. Quo defuncto, abbas Absiæ Turpiniacensium libertatem impugnavit, et ipse successurum Joanni designavit abbatem. Ab illis vero sequens electus est.

XVI. Ægidius II, anno 1407, jura suorum tueri conatus est, quibus non segniter quidem insidiati sunt Absiæ monachi. Ejectus fuit forsitan sententia judicum, ut non canonice promotus: eum enim mox exceperat

XVII. Petrus III, qui sedens memoratur die Jovis post festum S. Catharinæ 1408; e schedis domni *Housseau*, t. XIII.

XVIII. Joannes III, anno 1411, bona tradit sub census annui conditione.

XIX. Radulfus *de Tournevache* multas et ipse perpessus est ærumnas. Postquam enim eum elegerant monachi Turpiniacenses, quemcumque luberet nominandi jus sibi vindicavit abbas Absiæ, et Radulfum carceri mancipavit, anno 1433. Unde clam elapsus litem movit adversus Absienses, quibus Turonensis baillivi decreto vetitum ne deinceps in Radulfum ejusque monachos inquirerent.

XX. Guillelmus V de Caviniaco, nobili prope Cainonem genere exortus, abbatiam quiete rexit anno 1437 et ob Persilleriæ no-

hile prædium anno 1441 regi fidem juravit.

XXI. Carolus *d'Artaigne*, anno 1445 communi fratrum suffragio salutatus abbas, Absiensem abbatem inimicum expertus est, quia patratæ electionis particeps non ille fuerat. Dies ergo litigantibus assignata. Priusquam vero senatus Parisiensis sententiam ea de re tulisset, munus abdicavit Carolus, translatus a domino papa in Glannafoliensem abbatiam.

XXII. Joannes IV de Parteniaco, delectus a summo Pontifice, non tranquillam sortitus est præfecturam. Ei nempe tam Turpiniacenses monachi quam Absiensis abbas æque insidiati sunt, pari studio Romanam detrectantes auctoritatem, et, obtentis a senatu Parisiensi litteris, Joannem removerunt pontificium abbatem, usque donec is novo stabilitus fuit senatus-consulto. Laudatur Joannes domesticæ rei sedulus restaurator, qui subsellia chori reparavit, conflavit signa, claustri tecta refecit fatiscentia, renovavitque dormitorium. Cessit, anno 1481, retenta sibi ducentorum ducatorum annua pensione, in gratiam Francisci *de Maillé*. At vero seu Francisci morte, seu monachorum contumacia, nulla, vel abrogata fuit Joannis cessio, qui ad usque annum 1490 in munere permansit. Tunc vero sequentem sibi suffici curavit.

XXIII. Franciscus Rivarellus, sive Bertrellus, admodum ætate juvenis, regimen vixdum adeptus abbatiæ, hanc, anno 1492, transtulit in manus Andreæ *d'Espinay*, Lugdunensis cardinalis, ut constat ex actis hujus anni. Is vero non sibi traditam adire valuit, et Rivarellus abbas denuo memoratur annis 1497, 1505, 1507, cum adhuc esset Andegavensis Academiæ candidatus. Vixit ad annum 1529. Hæc legimus in historia Turpiniaci inter codices San-Germanenses servata. Sub id vero tempus series Turpiniacensium abbatum non parum intricata. Anno sedenim 1504 occurrit Robertus Mauricius abbas Turpiniaci, qui postmodum S. Nicolai Andegavensis regimen suscepit, et, anno 1508, Renatus Puteanus, idem et abbas Cormaricensis. Opinamur, assentiente domno *Hardouineau*, Franciscum, post Andreæ peractam cessionem, iterum præfuisse Turpiniacensibus, abbas quidem nomine, sed alterius revera procurator abbatis, nam partem fructuum tradebat, anno 1514, Roberto Mauricio supra dicto.

XXIV. Joannes V de Selva, filius Joannis de Selva, primi in Rotomagensi senatu præsidis et Ceciliæ *de Buxis*, utriusque juris doctor, primus Turpiniaci commendatarius abbas, et vicarius generalis Georgii *d'Armagnac*, archiepiscopi Turonensis. Cujus personam gerens, 24 Augusti 1550, Andegavi conventum habuit provincialem, in Andegavensis episcopi palatio, subsidiumque deposcit regi numerandum. Idem, anno 1551,

A 4 Maii, Stephani Poncheri procurator, in litteris de possessione cathedræ Turonensis ineunda. Idem denique occurrit vicarius generalis in spiritualibus et in temporalibus Alexandri, cardinalis de Farnesio, Renato Alexandro conferens administrationem hospitii S. Sepulchri Cenomanensis : Insinuat. Eccles. Cenoman. diœc., sub ann. 1554.

XXV. Thomas *de Guadagne*, patria Florentinus, anno 1559.

XXVI. Joannes-Baptista I *de Guadagne*, antecedentis nepos, Margaritæ reginæ eleemosynis præfectus, vicarium elegit Joannem de B Strata, loci monachum, qui partim monastica bona consummavit, partim tradidit in emphytheosin, in his Montem Sorelli et Turdas. Obiit Guadanius anno 1594. Anno jam 1591, eo etiam tunc præfecturam tenente, Ludovicus *de Beauveau*, Alnetorum dominus, abbatiam obtinuerat litteris Henrici IV, quibus fiduciarium quemdam eligendi jus concessum. Hac utens licentia Ludovicus, Guadanio defuncto, regi sequentem exhibuit.

XXVII. Ludovicus Durandus, presbyter Pictaviensis, acceptus a rege die 10 Julii 1595. Secessit anno 1597.

C XXVIII. Michael *Moreau*, pari modo fiduciarius, sive, ut aiebant, *custodi nos* toparcharum *de Beauveau*, provisiones accepit pontificias idibus Augusti 1597, et possessionem iniit 29 Julii 1599. Et ipse Michael vicarium generalem instituit, nomen abbatis non multo post translaturus ad domini sui filium. Memorantur regis litteræ, quibus Michaelis resignationem accepit 26 Novembris 1605. Res vero moras dudum patiebatur : jam enim 17 Septembris 1601 Michael procuratorem instituerat, qui resignaret abbatiam in manibus domini papæ.

D XXIX. Gabriel *de Beauveau de Rivarennes* litteras accepit pontificias die 25 Aprilis 1609, ætatis anno duodecimo, Nannetensis mox futurus episcopus. Hic dicitur penitus a rebus sacris alienus, unice vero nummorum comparandorum curiosus, quibus pessime utebatur. Vixit Gabriel ad annum 1668. Insanienti, ut perhibent, operam præstitit nepos Franciscus, marchio *de Beauveau*, qui monachos accivit secundum normam S. Mauri reformatos. Primus post reformationem claustri prior fuit domnus Ivo *Jardin*, qui restaurando curam impendens cœnobio, æs con- E traxit alienum, quandoquidem ratos marchio *de Beauveau* non traderet nummos.

XXX. Petrus IV Franciscus *de Beauveau du Rivau* ei successit, die 30 Junii 1668, et in reparandis abbatiæ ruderibus insudavit. Hoc regente monachi, quos opprimebat æris onus alieni, res suas, anno 1680, a mensa discreverunt abbatiali, et, anno sequente, redemerunt traditas Montis Sorelli vineas, nec non pinguem parvi Turpiniaci villam. Priore claustrali aliquantisper usus est Ivone *Gai-*

gneron, qui eximiam compilavit historiam Cormariceni monasterii. Petrus Franciscus electus est episcopus Sarlatensis anno 1688.

XXXI. Petrus V *de Morey*, doctor Parisiensis, canonicus Augustodunensis, Buxeriam in Burgundia adeptus est 24 Decembris 1709.

XXXII. Petrus VI Carolus Augustinus *de Boulène du Vignau*, ab anno 1709 ad annum 1733.

XXXIII. Joannes-Baptista II Carolus *Pineau de Lucé de Viennay* ab anno 1733. Præfecturam tenebat anno 1789.

S. PETRUS DE PRULLIACO.

Prulliacum civitas est ad Clayæ ripas sita. Anno circiter 1001, Aefredus, loci dominus, ibi cellam suscepit erigendam, in qua, decurrentibus annis, sepultus est, cum epitaphio fundationis non immemori, quod exhibet Quercetanus in Castaneorum stemmate genealogico. Addicta surgens ædes monachis regulam S. Benedicti profitentibus. Dein perfectam ecclesiam consecravisse dicitur, anno 1008, Archambaldus, Turonensis archipræsul, sub invocatione duodecim Apostolorum et præcipue S. Petri; quo in ipso consecrationis die, Beatrix Exodunensis, uxor Aefredi, monachis concessit proprium prædium quod Montem Fenderii nuncupabant. Hæc autem annum ante 1008 certe peracta sunt, namque jam Archambaldi vices exceperat Hugo Castrodunensis anno 1007. Emptor Prulliaci legitur Gausbertus II, qui monachos S. Juliani rexit ab anno 1007 ad annum 1025: addunt locum sub San-Julianeæ abbatiæ tutela jugoque postea constitutum, usque ad archipræsulis Arnulfi tempora, qui, emptoribus amotis, Prulliacenses integra libertate donavit. De qua re consule Brevem Hist. S. Juliani, in Collectaneis domini Andreæ *Salmon*, p. 230, et Annal. Mabillonii, t. IV, p. 194. Dubium vero linquere placet id quod nullæ chartæ testantur. Robertus rex, Aefredi tempore, ab eo data confirmavit. Hujusce confirmationis documentum, quod domnus edidit Buquetius, t. X, p. 600, annum Roberti præbet unum et vicesimum, Christi scilicet 1017. Auctum non multo post Prulliacum pluribus ecclesiis. Inter eas quas Girardus, Paludelli dominus, contulit, memorare decet S. Martinum de Olchis, S. Nazarium, et S. Bonitum. Quædam postea dedere Gosbertus de Prulliaco, Arsendis matrona, Garinus miles, et alii : quæ confirmavit Urbanus papa II, anno 1099. His in litteris recensentur singulæ spectantes ad Prulliacenses monachos ecclesiæ, et dives jam sub id tempus noscitur abbatia. Confirmationes alias ediderunt, anno 1155, Engebaldus, et, anno 1184, Bartholomæus, Turonenses archiepiscopi. Nonnullas fratres passi sunt injurias a Prulliacensis castri dominis. Quos inter acer-
A bissimum semet gerens memoratur Petrus Frotterius, anno 1432, quandoquidem hic nec prædiis, nec sylvis, nec etiam aquis monachorum pepercerit, donec monasterium invadens abbatem et ædituum ejecerit exules. Ea de re lis mota fuit regiam ante curiam, cujus instrumenta, non integra tamen, edidit nuper Turonensis archivi studiosissimus explorator dominus Carolus *Grandmaison*. Prulliacum ingressi sunt, 2 Maii 1562, Calvinistarum turmæ, et abbatiam vastaverunt. Ad extremam, labentibus annis, inopiam monachi devenere.

B Abbatum seriem non negleximus, quam inter Comment. Societatis archeol. Turon. nuper edidit dominus P. X. *Carré de Busserolle*. Profuerunt et domni *Housseau* schedæ, qui non paucos summatim notavit abbates, t. XVIII. Multi tamen, vel post nostram investigationem, ignoti relinquentur abbates, fragmenta sedenim e Prulliacensium tabularum naufragio tantummodo superfuere, nec lacunas explere licuit.

SYLLABUS ABBATUM.

C I. Amblardus, quem Malleaco quidam, alii Masciaco memorant deductum, primus Prulliacensis cœnobii dicitur abbas. Hierosolymitanum iter aggressurus Amblardus a Gosberto, Prulliaci toparcha, Aefredi nuper defuncti filio, quingentos solidos Pictavienses impetravit in viæ sumptus abituros, et illi dedit in vadimonium silvam cui S. Michaelis nomen adscriptum. Ne credas autem, ad quorumdam fidem, hæc anno gesta 1009, cum e charta Roberti regis desumatur Aefredus anno 1017 inter vivos superstes. Iter fecit Amblardus annum circa 1019.

D II. Ramnaldus innotescit, anno 1039, ex Odonis militis charta servum quemdam suum monachis condonantis; e schedis *Housseau*, t. II.

III. Gothofredus, anno 1050.

IV. Constantius occurrit anno 1066 in Aimonis, Bituricum archiepiscopi, præcepto, quo S. Petro Prulliacensi confirmantur S. Martinus de Olchis, S. Nazarius et S. Bonitus; apud *Housseau*, t. III. Eidem forsitan, anno 1092, Girardus dabat ecclesiam S. Petri, nec non S. Julittæ, in vico Luigniaco. Reperitur præterea Constantius in Arsendis ma-
E tronæ charta de prædiis juxta Varennas, et in instrumento Geoffridi de Prulliaco, cognomento Jordanis, de S. Lupo Ruiliacensi Majoretanis tradito.

V. Otho eligitur anno 1095. Tredecim tunc Prulliacum incolebant fratres, quorum nomina supersunt. Electum probavit Radulfus, Turonensis archiepiscopus. Othoni concessit Garinus mediam *Barraus* ecclesiam, et Gosbertus ecclesiam S. Martini de Bociaco. Præsens nominatur, anno 1096, dedicationi

Briat. Rer. Gall. Script. t. XIV. p. 100. Majoris Monasterii ab Urbano papa II peractæ. Ad eum scripsit, VI nonas Maii 1099, Urbanus papa II, apostolica confirmans auctoritate jura possessionesque Prulliacensis cœnobii; apud *Housseau,* t. III.

VI. Araldus, antea claustralis prior, eligitur abbas anno 1100, ut comperimus ex actis quæ Martenius edidit, Thes. Anecd., t. I, col. 284.

VII. Isambardus innotescit e tabulis Longi Fontis; in Probationibus vitæ B. Roberti de Arbrisello, auctore Pavillon. Abdicasse dicitur anno circiter 1117, obsequium ipsi postquam debitum monachi negassent, et ad Petrum secessisse, fratrem suum, Fontis Gumbaldi abbatem. Inde postea migravit ad vallem quamdam Pictaviensem, Fontem Calcis nomine, in qua condidit abbatiam B. M. de Stella, ut legitur supra, t. II, col. 1352.

VIII. Fulcherius, annum circa 1120, in charta qua monialibus Longi Fontis Bruillias tradidit Airaudus, abbas Fontis Gumbaldi; supra, t. II, col. 168.

IX. Garinus sedebat XIII cal. Augusti 1155, quando singula quæque Prulliaco data sancivit Engebaldus, Turonensis archiepiscopus. Eidem, anno 1178, largitus est Odo de Busenciaco liberum per suam terram transitum. Sub hujus regimine Prulliacensis res iterum a Bartholomæo archiepiscopo confirmata, anno 1184.

Duos nonnulli sub id tempus ponunt Garinos, priorem anno 1155, posteriorem ab anno 1178 ad annum 1184. Quos inter quemdam Goscelinum anno 1172 sedere jubent. Goscelinus hic non videtur alius ab utroque, sive eodem Garino.

X. Stephanus I anno 1194, ex Alba S. Martini Pancarta; in schedis *Housseau,* t. XIII.

XI. Hugo, anno 1212, e D. *Carré de Busserole.*

XII. Stephanus II, annis 1217, 1227, 1229, 1230, 1232, e tabulis Misericordiæ Dei, necnon ex aliis chartulis quas *Housseau* contraxit, t. XII.

Guibertus post Stephanum legitur, sed perperam. Abbas enim ille Prulliaci Cisterciensis, in ecclesia Senonensi, de quo tom. XII, col. 216.

XIII. Aimericus, dictus de Vernia, mense Augusto 1233 societatem fecit cum Raerio, abbate Nobiliacensi. Decessisse legitur anno 1241, in schedis domni *Housseau.*

XIV. Guillelmus I, ab anno 1241, die feria S. Scolasticæ. Occurrit Januario mense 1244, in Eschivardi charta, Prulliacensis domini, confirmantis sive data, sive pretio tradita quædam monachis Misericordiæ Dei; inter chartas quas *Housseau* collegit, t. VII. Abbas ille postmodum fuit Misericordiæ Dei; cui jam anno 1262 successerat Anselmus, sicut supra dictum est, t. II, col. 1357.

XV. Geoffridus, anno 1264, domum A Grevensem sub lege census tradidit Nicolao, S. Cypriani Pictaviensis abbati; ut supra, t. II, col. 1235. Testatus est, mense Decembri 1267, Anselmum, abbatem Misericordiæ Dei, plateam priori Rochæ Pozaii concessisse. Occurrit ad annum 1273.

XVI. Matthæus mense Februario 1280, e tabulis Misericordiæ Dei. Hujus *Housseau* meminit, t. XII.

XVII. Robertus, 25 Januarii 1295.

XVIII. Philippus, die 13 Decembris 1301, paciscitur de quibusdam juribus cum Prulliacensis ecclesiæ clericis; ex indice chartarum B a domno *Fonteneau* delibatarum.

XIX. Matthæus II, 16 Martii 1310, vel, secundum hodiernum usum, 1311, occurrit in chartis quas idem colligebat Domnus *Fonteneau.*

XX. Isoredus *de Plumartin*, annis 1421, 1426, e D. *Carré de Busserole.*

XXI. Petrus I annis 1430, 1433, 1450, 1473, e schedis domni *Housseau.*

XXII. Guillelmus II *Poyade* abdicavit anno 1491.

XXIII. Petrus II *Morlon,* anno 1491.

XXIV. Anselmus *de Chauveron* consecraC tus est in claustro Majoris Monasterii, anno 1494, adstantibus Joanne Thessalonicensi episcopo, Guidone abbate Majoris Monasterii et Joanne S. Juliani; apud Martenium, in Hist. Major. Monast., t. I, p. 865.

XXV. Georgius I Ancelinus, gallice *Ancellon,* prior antea Guierchiæ, occurrit 31 Octobris 1495. Legitur dein in tabulis annorum 1502 et 1503.

XXVI. Georgius II *de Chauveron,* Lemovix, ab anno 1503, in tabulis Villælupensibus quas Michael *de Marolles* in compendium digessit. Idem annis 1507, 1513. Filius erat D Ludovici, domini *de la Motte* et Joannæ *de Lentilhac.*

XXVII. Andreas *Solari,* protonotarius apostolicus, e stirpe nobili dominorum de *Moretta,* apud Pedemontanos, anno 1527; e Gallia Sacra.

XXVIII. Jacobus I *Olivier,* supremus Cenomanensis ecclesiæ vicarius, anno 1529.

XXIX. Joannes Amatus *Solari de Moretta,* e D. *Carré de Busserolle.* Non alius hic forsitan ab Andrea antecedente.

XXX. Antonius Isoredus *d'Hervaut de Plumartin*, abbas idem S. Cypriani PictavienE sis Locharumque prior, deductus e Joanne *d'Hervaut* et e Philippa *de Menou de Boussay,* præfecturam tenuit annis 1586, 1589.

XXXI. Ludovicus I *Chasteigner de la Roche-Posay* decessit anno 1637. Abbas idem erat Granatariæ, Belli Portus et Misericordiæ Dei.

XXXII. Carolus I *Chasteigner de la Roche-Posay,* anno 1638.

XXXIII. Jacobus II *de Crevant d'Humières*, ab anno 1644. Abbas jam S. Maxentii,

in ecclesia Pictaviensi et eques Melitensis, navibus præfuit regiis. Obiisse dicitur 2 Septembris 1661, t. II, col. 1263, in abbatibus S. Maxentii. Quem alii lethifero tactum plombo memorant anno 1675, in prælio ad Messanam. Hujus etiam vitam Gallia Sacra ducit ad Septembrem mensem 1689, in abbatibus S. Maxentii. Auctor autem Galliæ Sacræ Balthazarum sequentem ignoravit.

XXXIV. Balthasarus *de Crevant d'Humières*, antecedentis germanus, eques militiæ Melitensis, abbas idem S. Maxentii, in possessionem S. Petri de Prulliaco invectus est 21 Augusti 1663. Obiit 20 Sept. 1684.

XXXV. Simon Franciscus *Mouret*, Parisinus, filius Simonis, regii famuli, canonicus jam S. Quintini, Prulliacum rexit a 1 Novembris 1684 ad annum 1691, quo, permutatione peracta cum sequente, decaniam obtinuit Rotomagensem.

XXXVI. Harduinus *Rouxel de Medavy de Grancey*, doctor theologiæ, eleemosynarius Philippi, ducis Aurelianensis, et quasi innumeris dives abbatiis, inter quas Balgenciacum et Floriacum recensent, occurrit abbas Prulliacensis Augusto mense 1691. Decessit 8 Septembris 1706, vulneratus in obsidione Augustæ Taurinorum, cum ducis Aurelianensis lateri adhæreret. Patrem habuit Jacobum, Franciæ marescallum, matrem Carolam *de Mornay de Villarceaux*.

XXXVII. Elias Franciscus *de Voyer de Paulmy d'Argenson*, episcopus Dolensis, Prulliaco donatus est 1 Novembris 1706. Idem, mense Januario 1713, Ebredunensis dictus archiepiscopus. In Burdegalensi cathedra, quam tenebat ab anno 1720, decessit 25 Octobris 1728, ætatis 75.

XXXVIII. Edmundus *de Menou de Boussay* ab anno 1728. Decessit 20 Octobris 1758.

XXXIX. Ludovicus II *Thomas*, supremus eleemosynarius ecclesiæ Metensis, ab anno 1758 ad annum 1765, quo Metis decessit, 10 Martii, ætatis anno 71; e Diariis.

XL. Prosper *de Morard de Galles*, vicarius generalis ecclesiæ Turonensis, ab anno 1765 ad annum 1784.

XLI. Carolus II Magdalena *de la Myre-Mory*, ab anno 1784. Is fuit ultimus.

BOSCUS ALBERICI.

Boscus Alberici, sive Lucezeium, aut Luciense monasterium, non procul a Turonorum Pictavorumque finibus surgebat. Hoc in loco fuerat olim cella S. Michaeli dicata, quæ, ineunte undecimo sæculo, monachos Tironenses excepit. Præcipuus inter eos Robertus quidam eremita, locum abbatiæ reputans aptum condendæ, ad hoc consilium vertit Briccium de Chillo, militem, agri dominum, qui Guillelmum adiens, Tironis abbatem, ei tantum obtulit terræ nemorisque quantum ad exci-
A piendos alendosque sat multos fratres requirebatur. Annuit Guillelmus Briccii votis, et susceptam probavit fundationem, anno 1138, Hugo, Turonensis archiepiscopus, sicut in hujus mandato legitur quod Sammarthani fratres edidere. Electos Lucezeii abbates ordinavit abbas Tironis. Eo de confirmandi jure cum jam diu quæstio moveretur inter monachos Tironenses et Bartholomæum, Turonensem archiepiscopum, dimisit tandem materiam litis Bartholomæus, IV cal. Julii 1206, e schedis domni *Housseau*, t. VI. Inter minores Turonensis agri abbatias re-
B censetur Boscus Alberici. Ibi tantum duo, anno 1790, monachi reperti sunt.

Abbatum seriem, non tamen integram, condidimus e variis instrumentis.

Abbates.

I. Clemens societatem iniit cum Ægilio, abbate Nucariensi, post annum videlicet 1149; e schedis Stephani *Housseau*, t. XII.

II. Boso, forsitan post Clementem, testis Aimerici de Faia quædam Turpiniaco condonantis; e collectan. D. *de Gaignières*, sub
C num. 240, p. 298.

III. Joannes, anno 1189, in charta Burchardi junioris, confirmantis a patre data Turpiniacensi monasterio; apud *Housseau*, t. V.

IV. Guillelmus, anno 1195, partus est cum Reginaldo, presbytero, super altari *Bruer*, in parochia Nulleii constructo; ex eodem, t. V, et t. XII.

V. M... nominatur, annum circa 1216, una cum Aimerico Nucariarum abbate, in Alba Pancarta S. Martini; *Housseau*, t. XIII, n. 8680.

D VI. Reginaldus I, anno 1229, quædam tradidit sub census conditione; *Housseau*, t. VI.

VII. B..., Augusto mense 1269, in charta Guillelmi de S. Maura super prædio juxta prioratum Montegauguerii; ex eodem, t. XII.

Hic interrupta series abbatum quos nobis hactenus servatæ chartæ suppeditant, et ut non unius sæculi spatium impleremus tota opera enixi, in inquisitione nostra defecimus. Nosce tamen quemdam Lucezeiensem abbatem anno 1329 obiisse, e litteris capituli ad abbatem Tironensem quas præbet San-
E germanensis codex lat. 1069, p. 84.

VIII. Andreas, 18 Aprilis 1437, occurrit cuidam monacho licentiam tradens ad claustrum S. Vincentii Cenomanensis transeundi; e Sangerman. codice 1069, p. 236.

IX. Philibertus, anno 1460, fidelitatem juravit Tironensi abbati. Anno 1461, excepit Leonetum, Tironensium abbatem; ex eod. codice, p. 86. Sedebat in capitulo generali, anno 1463.

X. Aimetus *de Lestrac*, ab anno 1464, quo

præsens in capitulo generali memoratur. A Is, anno 1466, prædictum Leonetum audivit querentem de profligata disciplina. Decem vel duodecim tunc abbatiam fratres incolebant. Idem Annetus, 13 Junii 1480, se professus est subjectum abbati Tironensi; ex eod. codice. Sedebat, eodem anno, in capitulo Tironensium generali.

XI Ludovicus *de la Pause*, electus jam, sed electione cassa, anno 1476, abbas Ferrariarum, occurrit Bosco Alberici præfectus in capitulo anni 1485. Quo anno prioratum Bacquevillæ volens cum abbatia retinere, a Leoneto prohibitus est: dispensationem vero B summi Pontificis exhibuit. Adfuit generali Tironis capitulo, anno 1486. Decessit anno 1502. Quo moriente, Tironensis sodalitas Lucezeiensi præfecit abbatiæ Philibertum *Hason;* dominus vero papa Antonium sequentem.

XII. Antonius I *de Crevant*, senior, doctor in decretis, resignavit anno 1514. Abbas idem Ferrariarum et S. Carilefi.

XIII. Antonius II *de Crevant*, junior, quem antecessores nostri non immerito fratrem dixere Antonii antecedentis et Ludovici II, Tironensium abbatis, t. VIII, col. 1267, litteris promotus est apostolicis XIV C cal. Septembris 1514, anno ætatis 17. Idem reperitur anno 1517 a Leone papa prioratum Oleronis obtinens. Ad hunc præterea scribens Adrianus papa VI, IV cal. Novembris 1522, eum jussit insimul Boscum Alberici et S. Trinitatem Vindocinensem regere. Abbas idem S. Georgii de Ambasia. Abdicavit Boscum Alberici anno 1531.

XIV. Reginaldus II de S. Juliano, monachus Vindocinensis, abbas creatur, Antonio resignante, anno 1531. Juravit fidem Ludovico, Tironensium abbati, anno 1544.

XV. Jacobus *Bienassis*, licentiatus in de- D cretis, abbas commendatarius Lucezeii memoratur 7 Maii 1566; e schedis Stephani *Housseau*, t. XIII.

XVI. Petrus *de la Baume*, ex illicita copula filius Claudii de Balma; de quo jam dictum est inter episcopos S. Flori, t. II, col. 432. Decessit anno 1592.

XVII. Blasius *Berthault*, decessit anno 1677.

XVIII. Michael *de Bancalis de Pruines*, patria Ruthenus, baccalaureus in theologia, abbatiam rexit a die 17 Januarii 1678. Quam vero permutans cum Thoma sequenti, Sil- E vanectensis ecclesiæ fit decanus, rege consentiente, 25 Decembris 1699.

XIX. Thomas *de Bragelongne*, doctor Sorbonnicus, decanus antea Silvanectensis, supra memoratæ permutationis beneficio Bosco Alberici potitus est.

XX. N. *Lallier* ab anno 1722, abbas, præter morem, regularis.

XXI. N. *Bonnissant*, anno 1786, consiliarius clericus in Parlamento Rotomagensi.

SULLEIUM.

Guillelmus de Monte Sorelli suo sub jure tenebat, Insulam juxta Burchardi, ecclesiam S. Petri de Sulleio, tunc vulgo dictam *Sullies;* quam, anno 1092, monachis tradidit Vallium S. Stephani, in Santonensi pago. Incolas inde Sulleium excepit, S. Benedicti normam sub prioris vigili custodia sectantes. Guillelmi vero primogenitus filius, Gualterius de Monte Sorelli, aliquanto post prioratum in abbatiam commutari peroptavit, adiensque Reginaldum, abbatem S. Stephani, ea de commutatione cum eo pactus est. Concessit Reginaldus quod poscebatur, ea tamen sub conditione ut Sulliacenses monachis Vallium viginti solidos quotannis persolverent. Primum Sulleio dedit abbatem Reginaldus abbas S. Stephani. Annum vero circa 1150, nimio libertatis adipiscendæ studio laborantes, vectigal annuum Sulliacenses detrectare cœperunt. Seguinus igitur, abbas Vallium, in eos exarsit; nec tamen coercere valens obsequium acerrime recusantes, semet ad Malleacensem abbatem recepit, exorans ut una Sulleium pergerent et *cervices improborum* consortibus ferirent flagellis. Ita res cessit. Sulleium devenere Seguinus Vallium et Gaudinus Malleaci abbates, fractaque rebellantium contumacia, jus suum Seguinus ad Gaudinum transtulit, eo pacto ut ab eo viginti solidos annuatim acciperet. Inde Sulleium Malleaci patronatum agnovit, Engebaldo vel ipso probante, Turonensium archiepiscopo. Quæ prolixe narrantur in charta nostris ab antecessoribus edita, inter Instrumenta t. II, col. 381. Mensam Sulleii conventualem univit collegio Cainonis Ludovicus *de Chapt de Rastignac*, 14 Septembris 1736.

Invidia temporis et injuria bellorum abbatum nomina plerorumque excidere.

ABBATUM SYLLABUS.

I. Petrus I occurrit, X cal. Octobris 1114, donis et laudibus prosequens Robertum Arbrisellensem et ejus alumnos. Fontebraldensem abbatiam vocaverant in jus Sulleienses ascetæ, qui nemus *Bort* sibi vindicabant: Petrus autem ad Girardum legatum scribit se materiam litis sponte dimittere; e Clypeo Fontebr. Ordinis, t. I, p. 155.

II. Radulfus I, anno 1122, ex eodem Clypeo Fontebr. Ordinis, t. I, p. 45.

III. Guillelmus I innotescit, anno 1134, e charta Maingoti calumniam dimittentis quam contra Majoretanos moverat; e schedis domni *Housseau*, t. XII. Guillelmus is fuerat Majoris Monasterii monachus.

IV. Andreas, anno 1176, testis in charta Guillelmi de Monte Sorelli insulam *Sardaz* Turpiniacensibus tradentis.

V. Aimericus I fraternam societatem inivit

cum Henrico, Nucariarum abbate, e Thesauro Nucariarum Abbreviato.

VI. Hugo I, anno 1200, testis in Alelmi charta pacem facientis inter Gaufridum *de Maruel* et abbatem Oratorii; e chartis quas *Housseau* collegit, t. VI. Idem, mense Julio 1212, subscripsit chartæ Durandi Turpiniacensis, decimam, numerata pecunia, transferentis ad monachos Majoris Monasterii.

VII. G., forsitan Guillelmus, abbas Sulleii, nominatur, anno 1255, post Bernardi decessum, abbas Tornutii. Hæc autem irrita fuit nominatio. Vide t. IV, col. 971.

VIII. Hugo II, die lunæ ante Natale Domini 1259, Guillelmo de Mermandia quasdam tradidit terras, dimittente Guillelmo censum quem ei quotannis monachi persolvebant.

IX. Stephanus, e Sammarthanis.

X. Robertus, ex eisdem.

XI. Aimericus II, anno 1321, die Dominica post festum B. Nicolai æstivale, tres missas constituit qualibet hebdomade celebrandas, fratribus integram tradens capellaniam, abbatibus Sulleii a Philippa, domina Codraii, concessam.

XII. Thomas, annum ante 1354, cujus apostolicæ meminerunt litteræ.

XIII. Petrus II *Simon* e conventus eleemosynario dictus est abbas litteris Innocentii papæ VI, datis II nonas Aprilis 1354; e Suaresio.

XIV. Eustachius *de Maillé*, ortus e nobili stirpe apud Turonos, permutavit, mense Maio 1426, cum sequente.

XV. Radulfus II *Berruyer*, abbas antea Burgulii, Burguliensem abdicavit præfecturam ut in minores secederet ædes. Nec Sulleii tamen diu commoratus est. Factus postmodum S. Florentii Salmuriensis cellarius, postea rediit Burgulium eleemosynarii munus agens, ubi vitam exuit 23 Aprilis 1440. Consanguineus erat Philippi, Bituricensis archiepiscopi, et Martini, Cenomanensis antistitis.

XVI. Guillelmus II occurrit abbas anno 1440.

XVII. Joannes I *de Bourbon*, protonotarius apostolicus, filius naturalis Ludovici de Borbonio, proregis Neustriæ, abbas commendatarius occurrit anno 1486. Is, anno ætatis 23, mense Maio 1488, a rege Carolo VIII condonatæ noxæ diploma obtinebat.

XVIII. Leodegarius *de Veilhan*, anno 1514; ex archivo Turonensi.

XIX. Joannes II *d'Availloles*, 1580; e Sammarthanis.

XX. Franciscus I *de la Grange*, obeunte Joanne, frater Francisci, domini *de Montigny*, Franciæ marescalli, primicerius idem ecclesiæ Metensis et abbas Fontis Morigniaci.

XXI. Franciscus II *de la Grange*, antecedentis nepos, filius Caroli Stephani, domini *de Villedonné* et Isabellæ *de la Chasque*, abbas idem Fontis Morigniaci nec non Sulleii.

XXII. Joachim *de Villedonné*, antecedentis frater, qui Fonti Morigniaco simul præfuit.

XXIII. Henricus *Piètre* abbatia donatur anno 1638.

XXIV. N. *Cousinot* decessit anno 1688.

XXV. Franciscus III *de Converset*, presbyter Augustodunensis, parochiæ S. Germani in Laia præfectus sacerdos, abbas a 15 Augusti 1688.

XXVI. N. *de Busson*, canonicus Aurelianensis, clericus in capella regia, abdicavit anno 1707; e Gallia Sacra.

XXVII. N. *Amadieu*, patria Cadurcensis, gubernando præfectus seminario Vici Julii, et postea major vicarius Ludovici Gastonis *Fleuriau*, Aurelianensis episcopi, Sulleium obtinuit 23 Aprilis 1707.

XXVIII. N. *du Van*, major vicarius Turonensis archiepiscopi, a 23 Junii 1711.

XXIX. N. *de Walon* ab anno 1713 ad annum 1738.

XXX. N. *Hocquart* ab anno 1738 ad annum 1760, quo decessit Cenomani, 12 Novembris, ætatis 60; e Diariis.

XXXI. N. *de Molen* ab anno 1760 ad annum 1786.

XXXII. N. *de Bourdeilles* ab anno 1786 ad ann. 1790.

BELLUS MONS.

Monialium quoddam cœnobium in suburbio Turonum, in atrio scilicet S. Martini, exeunte sæculo sexto condidit Ingeltrudis, matrona nobilis, quam nonnulli opinati sunt filiam Clotarii regis, quam autem Valesius Ingundis et Aregundis, Clotario senescenti simul conjugii lege copulatarum, sororem asseruit. Narrat Gregorius, Hist. lib. IX, c. 33, Ingeltrudem, amisso viro, ad S. Martini basilicam secessisse, et, ibi condito monasterio, virginum quem aggregaverat cœtui præfuisse; mox Bertegundi filiæ suæ suasisse ut ipsa, virum valere suum jubens, Deum amplecteretur, et, veste mutata, cœnobium habitaret. Quod cum ea maternis obsequens consiliis peregisset, Gregorius adfuit auctor narratorque rei, qui matrem filiamque episcopali pro jure disjungens, Bertegundem viro natisque dolentibus restituit. Hæc vero postea ad suum rediit propositum et connubiale jugum rursus deseruit, rursus, post aliquod temporis intervallum, monachicam vestem deposita. Lites inter matrem et filiam fuerunt acerrimæ, quas e Gregorio Mabillonius referre studuit; Ann. Bened., t. I, p. 197. Mox autem eo plurimæ devenerunt nobiles puellæ, semet Deo servas offerre gestientes, et loci famæ vel e longinquis regionibus accitæ. Hujus ergo cœnobii res summopere florebant,

cum in occiduas Galliæ partes desæviit Danorum A et Normannorum furor. Qui Turonensem civitatem aggressi, monialium ædibus non pepercerunt. Nec tamen, post eam cladem vestigium omne celebris olim parthenonis evanuit, cum desertæ monasterii parietinæ monialibus quibusdam hospitalariis addictæ sint, quæ canonicis S. Martini deservientes morientium corpora abluebant et humo credebant. Earum sedes S. Maria ad Scrinolium nominabatur, ut legimus, anno 920, in præcepto Caroli Simplicis pro monasterio S. Martini. Eadem, anno 927, abbatiola S. Benedicti infra castrum nuncupata, si fides reper- B torio cuidam Martiniano quod Franciscus *Lesueur* compilavit. Anno vero 1002, Hervæus, S. Martini thesaurarius, in prædiis quæ permutatione quadam comparaverat extructa cella sub invocatione S. Mariæ Virginis, in hanc transtulit prædictas moniales, quibus dein non defuerunt sociæ. Ea fuere Bellimontani cœnobii non obscura quidem initia. Fundationem probavit domumque privilegiis et reditibus auxit Robertus rex, v cal. Octobris 1007. Alterum ab eodem datum eodem pro monasterio diploma, anno, ut videtur, 1022. Ecclesia quam, Hervæo vo- C cante, deseruerant moniales, in parochiam fuit conversa. Non semper prosperam Bellimontanæ virgines, delabentibus annis, fortunam expertæ sunt. Dum bella ferverent, anno 1417, Turones fugitivæ secesserunt, et ibi tunc temporis memorantur sacra celebrantes in capella S. Michaelis. Frequens inter Turonenses archiepiscopos et Martinienses canonicos contentio de suprema in Bellimontanum parthenonem jurisdictione. Ex antiquo sed enim more Turonensis archiepiscopus recens electis benedictionis munus impendebat abbatissis; easdem dein D Martinianum capitulum, quarum eligendarum licentiam concesserat, confirmabat per cantorem suum, et suscipiebat obedientiam jurantes. Unde non semel pars utraque venit ad dominum papam, plenam et integram sibi vindicans Bellimontani cœnobii possessionem. De qua re sententiam edidit primus Alexander papa III; mox ad Innocentium III eadem quæstio fuit delata. Ambiguam, ut videtur, ambigue solvit Innocentius, nam ulterius litigatum vel senatoribus coram Parisiensibus, qui, sæculari parti de more faventes, et veterum neutiquam curantes E usus et instituta, Bellimontanam abbatiam archiepiscopo Turonensi adscripsere, die 17 Martii 1603. In Rituali S. Martini antea legebatur : « S. Maria de Bello Monte habet præ« bendam in ecclesia nostra, in blado, in « vino et nummis, in octabis S. Andreæ. Ce« dente autem, vel decedente abbatissa, mo« niales cessionem, vel mortem, capitulo « nostro denuntiant et petunt licentiam eli« gendi. Qua data recedunt, et mittitur cum « illis aliqua persona ecclesiæ nostræ, quæ, « electione facta, incipit *Te Deum lauda« mus*, et mittit abbatissam in stallum suum. « Si autem discordant, ad capitulum nos« trum remittitur electio, et ibi pace, vel ju« dicio, terminatur. Abbatissa jurat, sicut « abbas Cormaricensis, in capitulo nostro, « et post a capitulo nostro investitur de cura « animarum... Omnem jurisdictionem spi« ritualem et temporalem habet ecclesia « B. Martini super abbatiam et abbatissam « et moniales et clericos et servientes earum. « Interdictum nostrum tenent, et in procura« tionibus papæ, vel cardinalium, vel legato« rum nobiscum mittunt. » Hunc ordinem decretum Parisiensis senatus mutavit.

Ch. xxxix, col. 59.

Ch. xliii, col. 63.

Mabill. Ann. t. iv, p. 708.

Reformationem exoptarunt moniales anno 1564, et, Caroli regis edicto, quod diem Maii decimum præbet, incœpta statutorum librorumque emendatio. Bellum Montem tunc devenerunt Ægidius *Marchand*, abbas Casalis Benedicti et Joannes *Caiget*, cellarius, qui, 26 Augusti 1564, reformatos edidere canones.

Indices abbatissarum Bellimontanarum plures hactenus conditi sunt; nimis autem mendosos commendare non licet.

SYLLABUS ABBATISSARUM.

I. Ingeltrudis prima quidem rexit moniales ad eam undique decurrentes. Cum vero cœpit ægrotare vicinamque mortem sensit, e suis neptibus unam eis præfecit, e Gregorio. Hujusce nomen nos fugit; ea vero non diu monialium regimen tenuit, nam Berteguudis, vix cognito matris decessu, Turones tetendit, et, monasterium ingredi prohibita, Childebertum oravit ut sibi traderetur. Cujus annuit rex precibus. Tanti finem jurgii sic Mabillonius e Gregorio retulit : « His « freta litteris Bertegundis monasterii res « omnes diripuit, et abbatissam, nullo pro« pinquitatis respectu, fictis criminibus one« rat, tantisque onusta spoliis ad propria re« versa est. » Mabill. Ann. Ben., t. I, p. 198.

Aliarum, si quæ fuerunt, series abbatissarum penitus ignota relinquitur usque ad tempus Hervæi, quem sui loci conditorem, nec immerito, Bellimontanæ moniales agnoscunt.

II. Hersendis a rege Roberto, nec non ab Hervæo thesaurario multis donatur bonis. Quam benedixerat Hugo de Castroduno, Turonensis archipræsul. Hersendis loco Theophania innotescit e libro de Miraculis S. Martini. Cui vero parva fides farragini debetur. Hæc Triphonia perverse dicitur a Sammarthanis.

III. Odelina, anno 1070, Bartholomæo, Majoris Monasterii abbati, sub census annui ratione tradit aream molendini juxta Fraxinum.

IV. Hadvisa nominatur, anno 1080, in charta Fulconis comitis, sancientis datos S. Florentio Salmuriensi omnes fructus S. Florentii Veteris.

V. Hildeburgis dicitur obedientiam promisisse Radulfo, Turonensi archiepiscopo. Memoratur in charta Petri, Pictaviensis episcopi, anno quo Ludovicus VI regnum auspicatus est, Christi scilicet 1108; e codice Sangermanensi, sub num. 1066.

VI. Fenicia confirmata est ab Hugone archiepiscopo, annos scilicet inter 1133 et 1148.

VII. Aanordis eidem Hugoni se subjectam professa est. Anno 1155, confirmationem rerum ad abbatiam spectantium obtinuit ab Eugenio papa III, testibus Sammarthanis. Qua præfecturam tenente, anno 1155, Hugo, filius Ebraldi, filiam suam Agnetem Deo tradidit in monasterio Belli Montis.

VIII. Maria I Joscio archipræsuli sacramentum præstitit.

IX. Hermeniardis, sive Hermengardis, dicta *de Monloe*, ab eodem Joscio confirmata, bullam Alexandri papæ III accepit, anno 1169, qua bona privilegiaque monasterii rursus confirmata. Eadem, eodem anno, firmatis augebatur oblationibus et decimis a Joanne, Pictaviensi episcopo; e Sangermanensi codice supra laudato. Nonnullas quoque res emit, anno 1184, a Baia, uxore defuncti Robini de Montenaio; quo eodem anno Guillelmus de Rocha, miles, sex solidos censuales ei perpetuam in eleemosynam dimisit. Sub idem tempus memoratur in indice chartarum quas collegit domnus *Fonteneau*. Occurrit ad annum 1195. Resignavit sub Bartholomæo archipræsule.

X. Erm., sive Ermengardis altera, Hugonis de Mota, militis, filia, consecratur, anno 1198, a Bartholomæo archipræsule. Cui pater, eodem anno, donationes quasdam confirmavit.

XI. Haremburgis *de Marnes*, a Bartholomæo Vindocinensi consecrata, dimisit censum a Majoretanis annuatim persolvendum, et ab eis accepit vineas quæ fuerant Donaldi; e chartulario Majoris Monasterii. Obiit IV nonas Augusti, e Roncereii martyrologio.

XII. Mabilia, a Joanne de Faia anno 1208, ut videtur, consecrata, accepit a Prasa, mense Aprili 1209, mediam partem terræ Noziliaci sitæ. Litigabat, anno 1230, cum priorissa Monesti.

Galli Christ. t. II, col. 214.

XIII. Joanna I, anno 1234, eo tempore nondum consecrata, sororum vero suffragiis tantum adlecta, composuit super capella S. Laurentii de Nemore. Mense Martio 1235, decimam tradidit Hugoni de Martiniaco. Occurrit præterea in chartis annorum 1242 et 1243.

XIV. Mathildis *Savary*, soror Petri Savarici, domini *de Montbazon*, memoratur pasciscens X cal. Julii 1235, dicta tunc temporis venerabilis Belli Montis abbatissa, cum Philippo *de Orgepau*, canonico B. Martini, super terra quæ Quarta nuncupabatur. Hujusce vero pacti mendosus patet annus. Mathildis mentio fit usque ad annum 1266.

XV. Sezilla, mense Januario 1267 fœdus inivit cum Harduino, Malliaci domino.

XVI. Joanna II *de Brehamont* occurrit anno 1291. Resignavit anno 1295.

XVII. Agnes I de Insula eligitur anno 1295, die lunæ post annum novum, ut constat e litteris monialium ad Martinianum capitulum, et libere munus resignat anno 1299. Cui moniales, habito concilio, curam demandant ipsi quæ succedat abbatissam designandi. Ab Agnete sequens per hujusce compromissi viam adlecta.

XVIII. Margarita *de la Rajace*, die lunæ in festo Conversionis S. Pauli 1299, e monialium grege ad abbatiale munus obeundum fuit accersita, ut patet e litteris ad capitulum S. Martini directis. Moritur die 1 Maii 1306; ex eisdem regestis S. Martini.

XIX. Agnes II *Vielle*, alias *Viole*, decessit e vivis anno 1313.

XX. Matthæa de Andigniaco, antea priorissa *Travers*, Aurelianensis diœcesis, eligitur die lunæ post festum B. Mariæ Magdalenæ 1313.

XXI. Alix nondum obierat anno 1346, e Sammarthanis.

XXII. Philippa *de Rillé* decessit die 16 Septembris 1371.

XXIII. Joanna III *de Maillé*, e priorissa Liesiæ, Turonensis diœcesis, eligitur abbatissa die 22 Septembris 1371. Quam benedixit Joannes, episcopus Aurelianensis, in collegio S. Lieffardi, 22 Februarii 1372, secundum hodiernum usum. Decessit anno 1390.

XXIV. Maria II *de Lonnay* obiit 25 Julii 1415, e Sammarthanis.

XXV. Joanna IV *de Lonnay* eligitur die 20 Augusti 1415, e Monastico Benedictino.

XXVI. Lubina *d'Alionard* occurrit in regestis capituli S. Martini, ante canonicos citata, die Sabbati post festum Purificationis B. Mariæ 1417, rationem habitura de inhonestate monialium et de dilapidatione bonorum monasterii. Moritur 29 Decembris 1456.

XXVII. Isabella *de Ville-Blanche*, electa die 27 Januarii 1457, secundum neotericum usum, confirmationem sortita est die 15 Februarii sequentis. Decessit 25 Octobris 1469. Cui moniales suffecerunt, 4 Novembris, Margaritam *Sauglière*, priorissam claustralem; dominus vero papa, 10 Martii sequentis, Catharinam *de Commiers*, priorissam Montis Cœlestis. Inter se litigarunt Margarita et Catharina senatum ante Parisiensem. Tandem, audita causa,

XXVIII. Catharina *de Commiers* accepta

est in capitulo S. Martini die 28 Maii 1470, et ejecta Margarita in prioratum suum Leodiensem, Turonensis diœcesis, abiit. E vivis decessit Catharina Decembri mense 1490, in prioratu Montis Cœlestis.

XXIX. Joanna V *de Viau* eligitur die 2 Januarii sequentis, ætatis anno quinquagesimo, vel circiter. Cujus die 11 ejusdem mensis electio confirmata. Confirmatam denique consecravit, 7 Maii 1491, Guillelmus, episcopus Dariensis, absente Turonorum archiepiscopo. Moritur Joanna, Octobri, seu, ut alias legitur, Novembri mense 1501.

XXX. Jacquelina *de Rothais* confirmatur a capitulo S. Martini die 2 Decembris 1501. Cessit, Septembri mense 1519, in gratiam sequentis.

XXXI. Francisca *de Maraffin*, antecedentis neptis. Laudatur disciplinæ fatiscentis reparatrix, anno 1525. Totum fere monasterium opere novo construxit. Decessit die 1 Aprilis 1554.

XXXII. Carola *de la Tremouille*, filia Francisci, vice-comitis Thoarcensis et Annæ *de Laval*, Fontebraldensis sanctimonialis, dein decana Bellimontana dicta, juramentum præstitit coram Martiniensibus canonicis die 22 Septembris 1554. Anno 1564, pactum inivit ad monialium reformationem peragendam. Præfuit usque ad annum 1572, quo decessit 10 Julii.

XXXIII. Magdalena *Babou de la Bourdaisière*, a capitulo S. Martini promota die 13 Junii 1574. Decessit 18 Septembris 1577.

XXXIV. Anna I *Babou de la Bourdaisière*, antecedentis soror, in capitulo S. Martini confirmatur die 21 Januarii 1578. Benedictionem accepit a Redonensi episcopo, 8 Maii 1583. Supplex scripsit, 9 Aprilis 1584, uti muneretur donum, seu vectigal, quod ab ea cleri cœtus Gallicani in regii levamen ærarii posecbat. Carnem exuit humanam 8 Novembris 1613.

XXXV. Maria III *de Beauvilliers*, antecedentis neptis, jam abbatissa Montis Martyrum juxta Lutetiam, electa est amitæ coadjutrix. Qua defuncta, abbatissæ Bellimontanæ titulo fuit insignita, Aprili mense 1614. Mox vero ad Montem Martyrum abiit, resignans in gratiam sequentis, die 25 Octobris.

XXXVI. Anna II *Babou de la Bourdaisière*, antecedentis consobrina, 21 Junii 1615 abbatissa renuntiatur. Obiit 13 Januarii 1647.

XXXVII. Maria IV Anna *de Cochefilet*, nata ex Andrea *de Vaucelas* et Elisabetha *de l'Aubespine*, jam abbatissa S. Lupi prope Aureliam, possessionem abbatiæ Belli Montis adiit die 1 Julii 1647. Aggerem ea confecit, per quem a porta S. Eligii via patuit ad pontem S. Salvatoris. Bellum Montem rexit usque ad annum 1669, quo transiit ad Corentinensem abbatiam.

XXXVIII. Anna III Bertha *de Béthune*, filia Hippolyti *de Béthune*, et Annæ Mariæ *de Beauvilliers*, Bellum Montem obtinuit permutatione peracta cum antecedenti, cui cessit S. Corentinum in ecclesia Carnotensi. Obiit anno 1689.

XXXIX. Gabrielis *de Rochechouard de Montemart*, filia ducis *de Vivonne*, a rege creatur 24 Septembris 1689.

XL. Henrica Gabrielis *de Bourbon-Condé de Vermandois*, ab anno 1733 ad annum 1772.

XLI. N. *de la Guiche*, ab anno 1772 ad annum 1786.

XLII. Maria V Agnes *de Virieu*, ab anno 1786 ad annum 1790.

GASTINETA.

Gastinas eremitæ primi coluerunt. Silvis vepribusque tunc horrebat locus. Anno tandem 1138, Hugonem adeuntes archipræsulem, ut ipsis licentia daretur regularem vitam vivendi poposcere (1). Annuit Hugo præceptumque votis eremitarum consonans edidit, eo tamen pacto ut electus ab eis abbas priorve capitulo Turonensi præsentaretur. Exinde Carnuto deducti sunt canonici regulares, qui normam Augustinianam eremitas docuere. Incendio sublata memoratur Gastinensis ecclesia ad finem duodecimi sæculi, et reædificata curis Theobaldi, Blesensis agri comitis. Quam consecravit Geoffridus archipræsul, 29 Aprilis 1207. In imperfecto Gastinensis cœnobii Chronico legitur ad annum 1226 : « Vastata fuit domus ista miserrimo « incendio, domno Joanne abbate sexto hujus « cœnobii administrationem possidente. » Pauca de Gastinensibus canonicis præterea memorantur. Horum domus Congregationi canonicorum Regularium unita est 30 Decembris 1668.

Integram abbatum seriem condere non valuimus.

Abbates.

I. Alanus, VIII cal. Augusti 1146, subscripsit chartæ Guillelmi, Cenomanensis episcopi, Castellorum erectionem confirmantis; ex archivo Cenomanensi. Subscripsit idem sententiæ Joscii archiepiscopi, pacem facientis inter monachos Fontanarum et presbyterum Austrechiæ; et, anno 1163, ejusdem

(1) Monasterii B. Mariæ de Gastinis meminit Albus Liber capituli Cenomanensis, huic datam monasterio memorans a Roberto præsule Fontium ecclesiam juxta castellum Ledi. Quod vero donum adscribit Thomas Calvinus (Geogr. antiq. Cenom., p. 322) Roberto circa medium nonum sæculum episcopanti; Calvinumque secutus domnus Piolinus, in Hist. Cenoman. Eccles., t. II, p. 447, de canonicis agit Gastinensibus ad annum circiter 878. Uterque forsitan erravit. Aut enim alteri et multo recentiori Roberto tribuatur concessio Fontium, aut emendetur Albi Libri locus de *monasterio* Gastinensi. Exordium enim hoc sumpsit monasterium, ut palam est, duodecimo currente sæculo.

Joscii schedulæ firmantis data Fontanarum monachis a Reginaldo de Genesta. Obiit anno 1173; e Gastinensi Chronico.

II. Geoffridus Alano successit; ex eodem Chronico. In martyrologio quidem Gastinensi Guillelmus quidam dicitur Gastinæ secundus abbas, quo præfecturam tenente Geoffridus archipræsul, anno 1207, canonicorum ecclesiam consecravit. Hunc autem martyrologii plura produnt errorem. Testis primus sit Peregrinus, coævus, qui scilicet, in sua Fontanarum historia, Geoffridum abbatem memorat ad Aliciam uxorem Theobaldi junioris, comitis Blesensis, partui proximam venisse, tempore quo Fontanis Robertus præerat. Robertus autem anno 1188 decessit, cujus Peregrinus vices excepit. Unde palam est Guillelmo, si quidem fuit, Geoffridum priorem fuisse. Occurrit præterea noster Geoffridus in Bartholomæi archiepiscopi charta de dono Joannis Maleti crucem assumentis, tempore Guillelmi Turpiniacensium abbatis. Guillelmus autem is Turpiniacensis annum post 1188 non legitur, et annum ante 1197 certe occubuerat. Martyrologium igitur Gastinense a pluribus testibus refellitur. De Geoffrido dicendum superest, quod hujus extant in Albo Libro Cenoman. capituli litteræ ad Hamelinum, Cenomanensem episcopum, quibus prædictum admonet Hamelinum de missa quadam a canonicis Gastinensibus ejus pro salute perpetuo celebranda.

III. Guillelmus I forsitan anno 1207, quo consecrata perhibetur ecclesia.

IV. S..., sub initium tertii decimi sæculi, agnoscit patronatum ecclesiæ Fontium spectare ad abbatem S. Carilefi; ex Albo Libro Cenomanensis capituli.

V. Joannes I dicitur sextus abbas, anno 1226, in Chronico. Anno 1229, de decimis Vitreii pacem inivit cum monachis S. Melanii; ex Albor. Mantell. codice 41, p. 96. Idem occurrit, anno 1242, in Alba S. Martini Pancarta, ad fidem domni *Housseau*, t. XIII.

VI. Gervasius cedebat anno 1365.

VII. Guillelmus II, prior Montis Sorelli, collatam ab Urbano papa V abbatiam accepit XI cal. Maii 1365 : e regestis Urbani Suaresius. Idem, 3 Februarii 1376, prædium tradidit Michaeli *Robin*, e chartulario Majoris Monasterii. Occurrit annis 1377, 1379, 1381, in apochis ad clerum spectantibus quas servat Max. Paris. Biblioth.; *Cab. des Titres.*

VIII. Clemens *Ferrent*, mortuus anno 1403, e Sammarthanis.

IX. Olivarius I submotus est 4 Novembris 1406 ab Amelio archipræsule; e Joanne *Maan*, p. 158.

X. Stephanus ab eodem Amelio Olivario sufficitur.

XI. Reginaldus *de Rothais*, anno 1418; e Sammarthanis.

XII. Hubertus confirmatur anno 1419 a

A Jacobo *Gelu* archiepiscopo; apud Joannem *Maan*, p. 162.

XIII. Joannes II a Martino Papa V, annos inter 1471 et 1431, facultatem impetravit superiorem gestandi vestem panno nigro confectam; nec ea tamen usus est, ut in litteris Sixti IV reperitur.

XIV. Hardius *Marruilleau* occurrit anno 1452, inter notas quas e schedis Michaelis *de Marolles* excerpsit D. *de Gaignières*, sub num. 678, p. 403.

XV. Joannes III Huberti, alias *Imbert*, aderat, Augusto mense 1455, consecrationi B Mathurini *Frémin*, Fontanarum abbatis, ut meminit Stephanus *Housseau* seriem digerens abbatum qui Fontanis præfuerunt. Decessit idibus Maii 1462; e martyrologio. Martium pro Maio forsitan lege, nam

XVI. Olivarius II Ferrandus electus memoratur die 6 Aprilis 1462, apud Joannem *Maan*, p. 177. Obiit Olivarius, e martyrologio, anno 1473.

XVII. Potho *de Coué*, commendatarius abbas, legitur anno 1474 in litteris Sixti papæ IV de canonicorum B. Mariæ superiori veste; e chart. Mellinensi, inter codices S. C Genovefæ Parisiensis. Anno 1490 decessit.

XVIII. Posthumus *de Cours*, e Sammarthanis, non alius forsitan a Pothone.

XIX. Alexander *Goury* occurrit 22 Junii 1528, sedens in Turonensi concilio. Fatis fungebatur anno 1535, postquam per tres annos et triginta præfuisset, e martyrologio.

XX. Guillelmus III *Goury*, antecedentis nepos.

XXI. Joannes IV *de Troyes*, missus in Hispaniam a Catharina regis matre, devenit inter eundum in manus quorumdam Condæi sub vexillis militantium, qui Aureliam cap- D tivum duxerunt et securi percusserunt, anno 1562, nuper truncatis hostiam hanc voventes Calvinistis.

XXII. Ludovicus *Cartier*, e camerario S. Juliani Turonensis, ab anno 1582.

XXIII. Philippus *Colineau*, monachus Vadatiensis, apud Cenomanos. Sedebat abbas Gastinensis anno 1603.

XXIV. Claudius *de Bossut*, regi ab eleemosynis, futurus abbas S. Crispini in Cavea, Suessionensis diœcesis. Permutavit anno 1625 cum sequente.

XXV. Andreas *Courtin*, canonicus S. Ca- E pellæ Parisiensis, ex abbate S. Crispini in Cavea Gastinensis abbas evasit anno 1625, permutatione facta cum antecedente. Qui resignavit in gratiam sequentis.

XXVI. Ambrosius *Courtin*, antecedentis nepos.

XXVII. Seraphinus *de Mauroy*, abbas idem Landesii, qui, sequenti favens, abdicavit.

XXVIII. Michael I *de la Hellière*, ab anno 1651. Occurrit et anno 1668. Eo regente, 30 Decembris 1668, unita Gastinensis abbatia con-

gregationi canonicorum Regularium.

XXIX. N. *d'Artigny*.

XXX. Michael II *du Guast* abdicavit anno 1678.

XXXI. Achilles Ludovicus Thomas *du Guast*, antecedentis consanguineus, creatur 8 Aprilis 1678 e Montis Sorelli priore.

XXXII. N. *Taschereau de Linière* ab anno 1725 usque ad annum 1765, e Calendario Regio.

XXXIII. N. *de Beine*, ab anno 1765 usque ad annum 1772, ex eodem.

XXXIV. N. *Pourteiron*, creatus anno 1773, sedebat anno 1790.

AQUAVIVA.

Sita hæc abbatia in parochia pagi Turonici gallice dicta *Faverolle*, Monte Richardi una vix leuca distante. Narrat Peregrinus, in Historia Fontanarum, quosdam eremitas Fontanis primo degentes, Aquam Vivam secessisse, ne Cistercienses fierent, cum sociorum mentes liberioris vitæ tædium subiit. Inde forsitan duxit exordium ascetarum hic cœtus, quem anno 1147 reperimus in ecclesia B. Mariæ Bellævallensis constitutum, et a Garleto de Monte Richardi accipientem Aquam Vivam, silvam adjacentem, vineas plures, nec non decimas, adstante et probante Engebaldo archiepiscopo. Bellævallensis quidem cellæ erectionem probatam aiunt Sammarthani ab Hugone I, Turonensi archipræsule, annum videlicet ante 1023, quo decessit. Securius diceres hujus confirmationis auctorem Hugonem II, ab anno 1134 sedentem. Lucii sedenim papæ rescriptum de sepultura fidelium Aquæ Vivæ degentium, quod Sammarthani nobis exhibent Hugonis confirmationem referens, nec priorem nec posteriorem designat. A Joanne *Maan* omnia permiscente Hugo I proponitur fundata gaudens abbatia anno 1034 : allucinantem vero ne cures, aut potius typographum mendosum reprehendas; nam ita corrigere licet Turonensis præcentoris verba, ut Hugoni I sufficiatur Hugo II et anno 1034 annus 1134. Quæcumque fuerunt Bellævallensium initia, ut eos Garletus Aqua Viva donavit, novis ædibus ædificandis se protinus addixerunt, et, humili cella in monasterium mutata, surrexit ecclesia S. Ægidio dicata. Antiquitus occurrunt legem canonicis impositam amplexi. Garleti supra memoratam chartam edidere Sammarthani. Cui protinus attexuere diploma Sulpitii Ambasiensis, eadem confirmantis anno 1215. Inter cæteros Aquæ Vivæ benefactores recensere juvat Geoffridum de Donziaco, et Joannem de Ambasia. Possessiones canonicorum Lucius papa III auctoritate sancivit apostolica. Quam et ipsi docti fratres confirmationem protulere. Sequentes

A tantum abbates variis e chartis eruere licuit.

Quidam Abbates.

I. Fulgerus occurrit, anno 1157, in donatione Geoffridi de Donziaco.

II. Aimarus, vel Ademarus, legitur, anno 1159, locum Laudam dictum monachis Fontanarum concedens. Idem, anno 1168, in diplomate Joscii archiepiscopi cujus Sammarthani meminere. Anno tandem 1191 hunc exhibent chartæ ad prioratum Corneliacensem spectantes, in cod. Sangerman. 1068. B

III. Joannes, anno 1205, accepit a Geoffrido de Paludello tertiam partem ecclesiæ B. Mariæ de Aqua Viva.

IV. Joannes, ut videtur II, anno 1250 paciscitur cum abbate Cormaricensium.

V. Joannes III *des Prez*, anno 1335, testis in charta Ingelgerii, Ambasiæ domini, pro Villælupensibus.

VI. Matthæus adest Villælupæ anno 1438, quo die Simon possessionem adiit.

VII. Joannes IV *d'Espinay*, scolasticus Redonensis, postea episcopus Valentinensis.

C VIII. Victor *Le Bouthillier* jam Aquam Vivam regebat, cum, anno 1626, vocatus fuit ad Boloniensem episcopatum; supra, t. X, col. 1574. Idem postea fuit archiepiscopus Turonensis.

IX. Petrus *Bernin* anno incerto abdicavit.

X. Thomas *Corneille* legitur a rege creatus abbas 20 Aprilis 1680. Filius erat is Petri franciscos inter vates celebratissimi.

XI. N. *Tuffet*, ab anno 1699 usque ad annum 1745.

XII. N. *Junot* creatur anno 1745.

XIII. N. *Noguier*, ab anno 1760. Superstes D permansit usque ad annum 1790.

FONTANÆ ALBÆ.

Locus ab antiquis Allodia dictus, sive Fontanæ, propter fontium copiam eo undique decurrentium, et a recentioribus Fontanæ Albæ ob cristallinam aquarum albedinem. Incolas primos accepit quosdam eremitas qui Geoffridum nacti ducem, Monte Leonis oriundum, eo devenerunt annum circa 1127. Casas primum exstruxerunt suas, asperam E sectantes vitam, juxta Pontem Runæ, in terra lapidosa ; unde postea, habito consilio, semet contulerunt in locum magis idoneum, ubi lignea eremitarum tuguria cultiores monachorum ædes excepere. Unus ex eis Guillelmus, professione clericus, anno 1130, Hierosolymam tendebat et dein fiebat, ut aiunt, patriarcha Hierosolymitanus. Hic pluribus reliquiis fratres donavit. Gregis pastor tunc erat Geoffridus; sed cum is senio morboque laboraret, et quotidie cresceret

fratrum numerus, hi sermones inter se et coram patre non semel habuerunt de assumenda quadam regula, et de transferendo loco sive ad monachos nigros Bonæ Vallis, sive ad Cistercienses ascetas Saviniacensis abbatiæ. Restitit primum eorum votis Geoffridus, adhæsit tandem; tunc adeuntes abbatem Saviniacensem eremitæ, illum exorarunt uti Fontanas veniret, et eremiticam professionem exuentibus habitum et regulam Cisterciensis ordinis imponeret. Quorum preces audiens Saviniacensis abbas Fontanas sine mora tetendit, assumpto socio viæ Odone monacho. In eumdem locum accitus Turonensis archipræsul Hildebertus abbatiam instituit, teste Peregrino, qui Fontanarum historiam digessit, III idus Novembris 1134. Errasse vero jam diximus Peregrinum, qui vitam Hildeberti justo longius produxit. Conditam Fontanarum abbatiam ait Suaresius die 20 Novembris 1132. Quas refellere notas non valemus. Cisterciensem regulam quia Fontanas intulerat Saviniacensis abbas, patronatum loci retinuit. Dein transeuntibus ad S. Bernardi reformationem Saviniacensibus, eis et ipsi Fontanenses semet comites addixerunt. Hos privilegiis donavere Alexander III, anno 1162, et Alexander IV, XI cal. Januarii 1257, ut legimus in litteris quas Roma detulit transcriptas dominus *La Porte du Theil*. Præcipui benefactores memorantur Theobaldus comes Blesensis, Rainaldus de Castello Rainaldi, Robertus de Gratalupo et Philippus Lancelini. Censu tenuis domus semper fuit.

Seriem abbatum condentibus auxilium suppeditabat Historia monasterii quam scripsit Peregrinus abbas, et recenter edidit dominus Andreas *Salmon* in Collectaneis Chronicorum Turonensium. Nonnullos desumpsimus abbates e schedis Michaelis *de Marolles*, quas contraxit D. *de Gaignières* servavitque sub num. 678. Abbatum præterea compendium ipse digessit Stephanus *Housseau*, quod hujus tomus XVIII præbet.

Series abbatum.

I. Odo, Saviniacensis monachus, quem secum Geoffridus adduxerat. Decessisse legitur anno 1145.

II. Gilbertus, et ipse Saviniacensis monachus, Odoni successit. Pauperem acceperat abbatiam; pauperem deseruit anno 1148, et Savigniacum secessit, ibi reliquam ducturus vitam. Occurrit in Gosleni, Carnotensis episcopi, charta, locum Laudam dictum monachis Fontanarum tradentis. *And. Salmon, Collect. Chron., p. 287.*

III. Theobaldus, genere nobilis, patria Perticensis, dum esset S. Dionysii monachus et infirmarius, audiverat S. Bernardum, et eum, fratribus S. Dionysii valedicens, secutus erat in Claram Vallem, severioris vitæ

A studio. Nec multo post Saviniacensis sodalitas libertatem abdicavit suam et semet Claræ Valli subjecit. Datus tunc Savigniaco prior Theobaldus ab ipso Bernardo. Unde transiit Fontanas baculo donatus abbatiali. « Corde « mitis erat, ait Peregrinus, et hilari vultu, « jucundus aspectu, eloquio facundus, joco- « sus in sermone. » Hunc inter et Paganum, Austrechiæ presbyterum, pacem fecit Joscius archiepiscopus. Ei litteras misit Alexander papa III, XI cal. Novembris 1162, indict. XI, quibus exiguas abbatiæ possessiones sua sub protectione constituit. Confirmatum accepit B idem a Roberto, Carnutum episcopo, locum Laudam nuncupatum. Secundus et vicesimus annus decurrebat a quo regendas ingressus erat Fontanas, cum fessus et æger diuturni finem optavit exilii, et Claram Vallem secessit. Inde Castellionem missus est, in diœcesi Virdunensi. Asperos autem Lotharingorum mores paulo post perosus, repetiit Claram Vallem, et inde Fontanas, ex abbate monachus. Decessit Castri Duni, quo vocaverat eum Alicia, filia Ludovici regis et uxor Theobaldi Blesensis, ad pariendum vicina nec Lucinæ secura patiendæ.

C IV. Herbertus, oriundus Vovreio, juxta Castrum Ledi, Claro Monte prioris munus exequebatur cum Fontanarum abbas renuntiatus est. Litteris ornatum eum dicit Peregrinus, nimis vero stomachosum. Nec ultra duos annos Fontanis commoratus est. Cum enim eum aversatus esset Theobaldus, Blesensis comes, utpote suis hostibus clam faventem, Turonicum deseruit tractum et Clarum Montem se recepit, apud Cenomanos, hujus mox futurus abbas monasterii. De quo plura sive inter Clari Montis abbates, sive Redonenses inter episcopos.

D V. Alexander, Saviniacensis olim monachus, Fontanarum nuper portarius, a fratribus abbas electus est, Herberto abeunte. In Robertum, domus priorem, suffragia primo convenerant; quoniam vero Simon, abbas S. Andreæ, a Saviniacensibus missus qui peragendæ præesset electioni, Robertum non probaret, Alexandrum exoptavere. De quo Peregrinus : « Erat Anglicus natione, sed ve- « nerandus matura conversatione; linguam « namque refrænans temperabat, ne litem « insonaret; visum fovendo contegebat, ne « vanitates exhauriret. Erat autem vir iste E « debilis corpore, cum multa macie; nec tam « erat litteratus ut in capitulo lectionem re- « gulæ auderet explicare. » Mox igitur obeundo muneri semet agnovit imparem, et, accersito Guillelmo, Saviniacensium abbate, impositum abjecit onus. Tunc iterum electus est et a Guillelmo promotus

VI. Robertus I, anno circiter 1175. Adversantes sibi quosdam fratres expertus erat, quia moverat insidias in Herbertum. Diu tamen conquisitum munus pro dignitate sus-

timuit Robertus, strenue fratres in angustos regulæ compedes cogens, nec abbatiæ temporalia bona desidiose curans. Occurrit, anno 1186, Guischardo vineam tradens sub lege census. Decessit anno 1188.

VII. Peregrinus e claustri priore abbas electus est die 29 Junii 1188. Patria Vindocinensis erat, ut constat e Burchardi Vindocinensis chartula, qua colonis unum e suis, Herbertum nomine, abbatis Peregrini fratrem, Fontanarum dat monachis, anno 1197. Quod confirmat Bartholomæi archipræsulis diploma testantis, anno 1193, Lancelinum de Vindocino, militem, consanguineo suo Peregrino duos denarios censuales tradidisse; e collectaneis domni *Housseau*, t. V. Occurrit Peregrinus, anno 1192, testibus Sammarthanis, coram Bartholomæo archiepiscopo cum abbate Bonæ Vallis paciscens. Sedit idem, anno 1197, judex litis inter capitulum S. Florentini Ambasiacensis presbyterumque S. Dionysii. Abbatiæ scripsit historiam anno 1200, quæ nec vacuum litteris prodit auctorem, nec incuriosum rei conventualis abbatem. Anno 1202, Peregrino abbati Joannes de Montorio dat octo jugera terræ occidentalem prope Montorii portam, pluresque censuales reditus, colonumque unum Montorii degentem. Eidem, anno 1206, Matthæus de Podio contulit quidquid juris habebat Curbeti. Decessit anno 1211.

VIII. Ebernus, anno 1211; superstes anno 1215; e schedis domni *Housseau*.

IX. Nicolaus I, genere Vindocinensis; ex eodem.

X. Lucas decessit aut resignavit anno 1227.

XI. P., anno 1228.

XII. Simon, mense Julio 1245, vendidit monachis Claritatis Dei terras arabiles in parochia *Breche* sitas.

XIII. Guillelmus I innotescit e tabulis Montis Cælestis anno 1250, teste *Housseau*.

XIV. Theodoricus, annis 1254 et 1256; ex eodem.

XV. Robertus II, anno 1263.

XVI. N. adest feralibus exsequiis Guidonis de Castellione, anno 1280.

XVII. Michael, anno 1287.

XVIII. Guillelmus II moritur anno 1308.

XIX. Thomas occurrit annis 1313, 1326, 1337.

XX. Guillelmus III *Biart*, 1340, 1345.

XXI. Richardus, dictus *Helie*, obit anno 1354.

XXII. Thomas II *de Cortmolan* decessit anno 1360.

XXIII. Joannes I Thomæ sufficitur litteris Innocentii papæ VI, datis Avenione, XVIII cal. Februarii 1360, ut meminit Suaresius e reg. Innocentii.

XXIV. Guillelmus IV *Le Lait*, cellarius antea Fontanarum, abbas occurrit anno 1371 Plures hujus servat apochas Max. Paris. Biblioth., annis 1378, 1379, 1380, 1381, 1389: in instrumentis ad clerum spectantibus; *Cab. des Titr.* Decessit 10 Julii.

XXV. Joannes II *Coquau*, Ambasia oriundus, occurrit in apochis supra memoratis, anno 1414. Abiit e vivis 25 Novembris 1421.

XXVI. Joannes III *Thorodes*, Aurelia deductus, cœnobii cellarius, electus abbas Januario mense 1422, defunctus 20 Junii 1427.

XXVII. Joannes IV *Chaillon* electus Augusto mense 1427 et consecratus Turonibus die 25 Novembris ejusdem anni. Obiit 10 Julii 1455.

XXVIII. Mathurinus *Freminet*, alias *Frémin*, electus 19 Julii 1455 et Augusto mense Turonibus consecratus. Legitur 4 Martii 1467 in tabulis Montis Cœlestis. Restaurari curavit ecclesiam, dormitorium et claustra abbatiæ, anno 1470. Abdicavit anno 1478.

XXIX. Thomas III ab anno 1478 ad annum 1504, quo decessit VII idus Februarii, e Sammarthanis.

XXX. Joannes V *Clocques* electus 8 Februarii 1505, et consecratus 24 Octobris. Occurrit 25 Septembris 1506 in tabulis Montis Cœlestis, ut meminit D. *de Gaignières*. Adversus eum litigavit Ægidius quidam *Beton*, Saviniacensis monachus, semet jactitans Fontanarum abbatem; et ante baillivum Turonensem, dein Parisiensem ante senatum, acriter ex utraque parte decertatum. Vicit tandem causa Joannis, anno 1507. Obiit 8 Decembris 1517.

XXXI. Jacobus *Poeslon*, electus 29, aut 30 Decembris 1517, pontificiis ornamentis, annuente Leone papa, primus usus est. Adfuit anno 1518 electioni Joannæ *Guenand*, priorissæ Montis Cœlestis. Decessit Januario mense 1535.

XXXII. Nicolaus II *Chauvin*, protonotarius apostolicus, prior B. Mariæ de Argentolio, nec non B. Mariæ de Duobus Amantibus, commendæ titulo Fontanas idem rexit. Eum quidam decessisse ferunt anno 1549: hunc tamen legerunt antecessores nostri Argentolii superstitem anno 1551, vel etiam 1552. Vide t. VII, col. 514.

XXXIII. Carolus *Tiercelin*, regis eleemosynarius, natus ex Adriano, Brociæ domino, nec non Pontivi senescallo, et e Joanna *de Courlay*, creatur Fontanarum abbas anno 1550. Reperitur, 6 Februarii 1554, in apocha quam exhibent schedæ D. *de Gaignières*. Vita fruebatur etiam anno 1583. Prior hujus tempore claustralis conventusque procurator N. *Godebert;* ex Archivo cleri Gallicani.

XXXIV. Antonius I *Tiercelin*, antecedentis nepos, abbatiam, abdicante Carolo, sortitus est; e Gallia Sacra. Prior idem fuit Argentolii. Obiit circa 1590.

XXXV. N. *de Roquelaure*, e Sammar-

thanis. Hunc non alium opinamur ac Antonium *de Roquelaure,* qui, laicus licet et militiæ sæculari deditus, abbatiam S. Ebrulfi, in ecclesia Lexoviensi, possedit, œconomi titulo, ab anno 1588 ad annum 1595. Vide t. XI, col. 829.

XXXVI. Antonius II *de Bruyères de Chalabres,* annum circa 1591, abbas idem Villælupæ.

XXXVII. N. *d'Avrilly*, e schedis *de Gaignières.*

XXXVIII. Claudius I *Belot*, canonicus Parisiensis, consiliarius et eleemosynarius regis, abbas jam Britulii, in Bellovacensi diœcesi. Cessit, anno 1612, in gratiam sequentis.

XXXIX. Claudius II *Hutel-Belot,* antecedentis nepos, idem consiliarius et eleemosynarius regis, nec non e grege canonicorum Parisiensium, decessit anno 1620.

XL. Joannes VI, alias Nicolaus *Collon*, e senatoribus clericis supremæ Parisiensis curiæ, abdicavit anno 1626.

XLI. Guillelmus V *de Croisilles,* natione Normannus, ab anno 1626 ad annum 1632, quo resignavit.

XLII. Nicolaus III *de Croisilles,* cedentis germanus, consiliarius et eleemosynarius regis, obiit anno 1647 ad finem vergente.

XLIII. Balthasarus *Rousselet de Château-Regnaud*, quem Franciscus, marchio *de Château-Regnaud*, e Ludovica *de Compans* habuerat, creatus est abbas anno 1648, et possessionem adiit 11 Julii, bullas postquam accepisset 26 Februarii. Decessit 27 Aprilis 1712. Abbas idem Pornidii et Landevenechi. Fratres inter ejus recensentur Albertus, abbas Pornidii, et Franciscus-Ludovicus, marescallus Franciæ, nec non Britanniæ gubernandæ præfectus.

XLIV. Joannes VII *Taschereau de Baudri,* abbas Fontanarum creatus 14 Maii 1712, admissus in possessionem 13 Septembris. Obiit Parisiis, 10 Octobris 1752, ætatis anno 74. Idem S. Martini thesaurariam obtinuerat anno 1731, et decaniam ejusdem ecclesiæ anno 1750.

XLV. Ludovicus-Antonius-Franciscus *de Durfort,* natus anno 1727, fit abbas Fontanarum 29 Januarii 1753. Huic bullæ 9 Martii datæ. In possessionem inducitur per procuratorem 2 Aprilis. Decessit Parisiis 14 Octobris 1765. Idem fuit vicarius generalis Ebroicensis ecclesiæ; e Diariis.

XLVI. N. *Caulet* ab anno 1765 ad annum 1770.

XLVII. Renatus *de Caulaincourt* ab Octobri mense 1770 ad annum 1772. Bullas quibus fuit institutus servat chartacea capsa, sub num. 1814, in Max. Paris. Biblioth.

XLVIII. N. *du Chastel* ab anno 1772. Superstes perhibetur anno 1789.

CLARITAS DEI.

Humilis Abbatia B. Mariæ de Claritate Dei, Cisterciensium addicta regulæ, surgebat in parochia S. Paterni, quæ sex leucis a metropolitana civitate distat. Huic condendæ præbuit occasionem Petrus, Wintoniensis episcopus, ad Guillelmum scilicet, Cisterciensium abbatem, quamdam pecuniæ summam mittens e qua novam Cistercium filiam consequeretur. Guillelmus, acceptis nummis, rem demandavit Joanni, Pietatis Dei, juxta Cenomanum, abbati, qui pretio sexaginta librarum Turonensium annuatim persolvendarum, a Guillelmo de Bello Monte locum comparavit et protinus operi manum admovit. Quod quidem consummatum erat opus anno 1240, et eo anno, die 22 Julii, duodecim monachi, cum tribus conversis, Cistercio deducti, novæ tecta subibant abbatiæ. Exstant litteræ Cisterciensis abbatis, datæ mense Januario 1243, quibus ad omnium notitiam defertur ex ea nihil ad conditores abbatiæ, monachos scilicet Pietatis Dei, pertinere. Fundationem probavit Ludovicus rex mense Junio 1248. Memorantur aliæ confirmationes tam a Juhello quam a Joanne archiepiscopis datæ. Plura cœnobium patitur damna annum circa 1410, bellorum æstuante tumultu, ut legitur in litteris Caroli, Aurelianensis ducis. (Ch. LXX, col. 91.)

Series abbatum.

I. Raginaldus, de quo legerunt Sammarthani in veteri chartulario : « Anno 1240, die « dominica in festo B. Mariæ Magdalenæ, « Gregorio IX Pont. existente, regnante il- « lustrissimo Ludovico rege Francorum, re- « verendo patre Juhello archiepiscopo Turo- « nensi, intravit conventus de Cistercio ve- « niens abbatiam Claritatis Dei, Cisterciensis « ordinis, Turonensis diœcesis, et hæc sunt « nomina personarum. Primus venerabilis « pater noster Raginaldus abbas, et monachi « Stephanus de Villaco, Radulfus de Insula, « Henricus de Anglia, Ægidius de Montemi- « rabili, Joannes de Jaennia, Jacobus Divio- « nensis, Nicolaus de Bellojoco, Banninus « de Bisontio, Thomas de Bitilares, Andreas « de Monte Basonis, Stephanus de Nillo, Ja- « cobus de Rumiliaco. » Meminerunt et docti fratres pontificalium litterarum, quibus, x cal. Novembris 1246, sedente scilicet Raginaldo, Innocentius IV abbatiam Claritatis Dei protegendam excepit.

II. Joannes I cujus nomen tantum superest.

III. Hilarius.

IV. Joannes II obiit III idus Aprilis.

V. Hugo, anno 1289, Parisios devenit et adfuit, in ædibus S. Germani de Pratis, comitiis habitis super decima quatuor an-

norum regi condonanda; apud Rer. Gallic. Scrip., t. XXI, p. 531. Occurrit idem in tabulis annorum 1296 et 1297, apud *Housseau*, t. VII. Obiit nonis Januarii.

VI. Odo, mense Julio 1319.

VII. Guillelmus, e Sammarthanis.

VIII. Henricus I memoratur 31 Augusti 1352 et 10 Maii 1358.

IX. Petrus I, annis 1378, 1380, 1390, in apochis ad clerum spectantibus, apud Max. Paris. Biblioth.; *Cabinet des Titr.*

X. Georgius I occurrit 1 Julii 1399 et 3 Aprilis 1416, inter ea quæ summatim *Housseau* desumpsit e tabulis Claritatis Dei. Idem anno 1418, in apochis supra memoratis.

XI. Matthæus, 1432.

XII. Guillelmus II is est forsitan qui cognomine dicitur *Michelet*, 29 Martii 1441, in apochis quas servat Max. Paris. Biblioth.

XIII. Henricus II, annis 1442 et 1443.

XIV. Thomas *Le Potier* occurrit a 19 Maii 1450 ad ann. 1464. Obiit IV non. Januarii.

XV. Andreas *Lagogué*, cujus epitaphium sic transcripsit Stephanus *Housseau*: *Cy-gist Révérend père en Dieu, frère André Lagogué, abbé XIIe de céans, et régna 42 ans, puis fut évesque de Croye, et décéda le dernier jour de juin, l'an* 1525. Errantem vero deprehendimus hujusce conditorem epitaphii, cum a monasterio condito plures quam undecim ante Andream abbates occurrant. Nec ultimus fuit Andreæ abbatialem baculum gerentis annus is qui viventis oculos clausit; in tabulis enim reperitur ab anno 1464. Nec tandem per duos tantum annos et quadraginta rexit abbatiam, nam subscripsit apochæ, 7 Januarii 1515, in instrumentis ad clerum spectantibus quæ præbet Max. Paris. Biblioth.; *Cab. des Titr.* Abbatiam fortassis deseruit cum factus est episcopus Croyæ, in partibus Turcarum, anno, ut videtur, 1515.

XVI. Joannes III *Texier* eligitur 25 Januarii 1515, secundum veterem usum, præsidente Joanne *Leconte* abbate Bellæ Branchæ.

XVII. Joannes IV *de Vaux*. Epitaphium hujus sic legitur: *Cy-gist R. P. en Dieu frère Jean de Vaux, abbé XIIIe de céans, et régna 33 ans, et fut évesque de Croye, et décéda le... janvier, en l'année* 1551. Hoc et in epitaphio plures mendæ. Non enim Andreæ successit is Joannes, nisi in Joanne *de Vaux* et in Joanne *Texier* unum et eumdem videre liceat abbatem, diversis nominibus nuncupatum. Nec ab anno 1515, vel 1516, quo Joannes *Texier* fuit electus, ad annum 1541, quo Stephanus occurrit sequens, anni tres et triginta transiere. Occurrit Joannes *de Vaux* in chartis annorum 1527, 1529, 1530. Legitur anno 1529, in chartulario Burguliensi, vicarius generalis Francisci, Parisiensis Episcopi. Joannes præterea, non adhibito gentis nomine, legitur in apochis annorum 1517, 1529, 1530, 1531, apud Max. Paris. Biblioth.; *Cab. des Titr.* Abdicans abbatiam Joannes *de Vaux* sibi reservavit portum S. Cirici et prioratum Tauxigneii, ut constat e locationis instrumento annum 1544 præbente, quod Stephanus *Housseau* legit.

XVIII. Stephanus I *Poncher*, idem et Baionensis episcopus, in tabulis anni 1541, 22 Junii. Primus hic monachorum Claritatis commendatarius abbas dicitur. Cessit anno 1551, ad Turonensis ecclesiæ metropolitanam cathedram evectus.

XIX. Georgius II, cardinalis *d'Armagnac*, ab anno 1551, abdicato Turonensis ecclesiæ archipræsulatu.

XX. Carolus I *de Bourbon*, cardinalis Vindocinensis, qui mox abdicavit.

XXI. Nicolaus I *de Tiercelin d'Apelvoisin*, alias *de Brosses*, occurrit anno 1572. Idem fuit abbas Belli Loci Turonensis. Decessit 9 Aprilis 1584; e necrologio Belli Loci. Huic tamen testimonio non suffragatur Gallia Sacra, ut legere licet in abbatibus Belli Loci.

XXII. Petrus II *Ménard* sedit per tres annos.

XXIII. Franciscus *Legouz du Plessis-Lyonnet* obiit anno 1618.

XXVII. Carolus II *Bault de Beaumont*, professus ab anno 1616, defunctus Septembri mense 1633.

XXV. Stephanus II, alias Dionysius *de Remefort de la Grelière*, regis a consiliis, filius Joannis et Elisabethæ *de Machecou*, ab anno 1634. Abdicavit anno 1656, decessurus 19 Maii 1662.

XXVI. Joannes V *de Sazilly* possessionem iniit 13 Novembris 1656, et decessit 18 Augusti 1694.

XXVII. Valentinus *Hémard de Paron* creatus abbas a rege Natali die 1694, in possessionem inductus est mense Maio 1695.

XXVIII. Henricus III *de Betz de la Harteloyre* litteris instituitur regiis 27 Novembris 1723.

XXXI. Odetus Josephus *de Vaux de Giry de S. Cyr*, supremus archiepiscopi Turonensis vicarius, a Decembri mense 1732. Possessionem adiit 27 Aprilis 1733, et abdicavit mense Maio 1749. Memoratur idem abbas S. Martini Pontisarensis, Vallis Benedictæ juxta Lugdunum, nec non Troarni, Baiocensis diœcesis, et inter quadraginta sodales Academiæ numeratus. Decessit Versaliis, 13 Januarii 1761.

XXX. Nicolaus II *Navare*, Lugdunensis ecclesiæ vicarius generalis, episcopus Cydonensis, ab anno 1749 ad ann. 1753.

XXXI. Cæsar-Laurentius *de la Coste*, doctor Sorbonnicus, nec non canonicus Turonensis ecclesiæ, creatus abbas 7 Novembris 1753, possessionem adiit 1 Martii 1754. Sedit usque ad annum 1785.

XXXII. N. *Sève* ab anno 1785 ad annum 1790.

BAUGESEIUM.

Baugeseium, sive Baugeriacum, gallice *Baugerais,* surgebat in frigida valle, umbrosum spectans nemus ad orientem, et ad septentrionem stagnum piscibus dives. Hunc locum canonicus, monachus, vel eremita quidam, Serlo nomine, optavit sibi tradi ad cellam exstruendam, adiensque præcipuos circumjacentis agri possessores, ab eis arabiles terras, pascua, stagna, vineas silvasque obtinuit. Has solemni præcepto donationes sancivit, anno 1153, Turonensium archipræsul Engebaldus. Henricus postea, rex Anglorum, subscribente Hugone, Landesii abbate, easdem res concessit, ea lege ut fratres Serloni comites jam addicti susciperent « ordinem et imitationem de ecclesia S. Bar-« baræ in Normannia. » S. Barbaræ prioratus, in Algia, canonicis regularibus, S. Augustini regulam profitentibus, subjiciebatur. Unde novimus institutam primo fuisse Baugeseii canonicorum disciplinam. Perperam tamen autumavit Joannes *Maan* Serlonem e Normannia migrantem, jam S. Barbaram, sub abbatis nomine, rexisse. Prioratus enim S. Barbaræ nullos unquam cognovit abbates, et nullus Serloni locus inter hujusce loci priores. Non diu vero Baugeseii floruit S. Augustini regula. Quam mox Henricus ipse rex sustulit, ædes Baugeseii surgentis tradens Cisterciensibus Oratorii monachis, « ad con-« struendam ibi Cisterciensis ordinis abba-« tiam. » Henrici litteræ notis carent chronicis : cum his vero subscripserit Geoffridus, Locharum prior, Thomæ Paccio suffectus ab anno 1168, post hunc annum confectæ comprobantur. Extat præterea charta Bartholomæi archiepiscopi, Baugeseii translationem ad Cistercienses tempore Joscii peractam memorantis. Decessit vero Joscius anno 1173. Cisterciensis igitur disciplina annos inter 1168 et 1173 Baugeseio imposita. Fundationem hujusce loci sancivit, annum circa 1179, Alexander papa III, recentis abbatiæ patrocinium suscipiens. Ejusdem quasi tenoris litteræ Lucii papæ III annum 1181 præ se ferunt. Ecclesiam abbatiæ consecravit anno 1184, die 13 Junii, Bartholomæus archiepiscopus, in honorem SS. Martini, Benedicti, Hieronymi, Pauli, primi eremitæ, et omnium confessorum, ac reliquias sanctorum nonnullas thecis commendavit. Plura jam damna monachos Baugeseii degentes afflixerant, cum, anno 1204, Innocentius papa III litteris anathema minantibus mandavit archiepiscopo Turonensi ne deprædatoribus diutius parceret. Ruinam vero res eorum dein prorsus fecit, debacchantibus bellorum pro-

Ch. LXVI, col. 85.

Gall. Christ., t. XI, col. 858.

A cellis. Fratrum ædes dirutæ jacebant, anno 1376, et in ecclesia ministris orbata nullus erat Dei cultus, cum Ludovicus, Andegaviæ dux, egenis succurrit. Nec tamen ad pristinum redierant statum anno 1396, ut testantur litteræ quibus vel necessaria desiderantes monachi, nec annuum summo Pontifici vectigal numerantes, debito soluti dimittuntur. Profertur Caroli regis diploma statuens, anno 1438, die 23 Augusti, muris, foveis, variisque propugnaculis Baugeseium muniri. Benefactores præcipuos habuit abbatia, præter eos quorum charta fundationis meminit, plures B *Argy* ex stirpe milites, Robertum de Busenciaco, Josbertum Guierchiæ dominum, Gotofredum de Paludello, Sulpicium Ambasiæ dominum, Heliam *de Grislemont,* Droconem de Melloto, Gualcherum de Castellione, etc., etc. Electos Baugeseii abbates confirmabat abbas Oratorii.

Hanc ad abbatiam spectantes chartas servavit, et insuper seriem abbatum digessit Michael *de Marolles,* cujus autographum codicem reperies in Maxima Parisiorum Bibliotheca, inter Chartularia separatim ordinata, sub num. 12.

C

SYLLABUS ABBATUM.

I. Joannes I occurrit, anno 1173, terram *Dioinces* nuncupatam emens a Bertrando, S. Genulfi Bituricensis abbate; e supra laudato chartulario. Quam, eodem anno, confirmavit emptionem Joscius archiepiscopus; ibid. Nominatur Joannes in charta Bartholomæi archiepiscopi de quadam nemoris parte a Reginaldo de Senapariis vendita, et in altera charta de prædio quod monachis dederat Ascelina, domina *de Montrésor.* Ei-D dem, anno 1178, Geoffridus de Donjonio prata dimisit de quibus quæstio nuper intercesserat. Joannis et nomen exhibet bulla Lucii papæ III possessiones et jura monasterii confirmantis, anno 1181; e chartul. Transegit tandem prædictus abbas, anno 1193, cum Milone, S. Martini eleemosynario, de vineis Belli Loci sitis; ibid.

II. Lisiardus, dictus secundus abbas in antiquo Baugeseii necrologio, occurrit anno 1200, testis adlectus a Girardo, Villælupæ abbate; apud *Housseau,* t. VI. Moritur III idus Septembris, anno incerto.

E III. Robertus, anno 1208, commutat exiguos quosdam reditus cum Villælupensi abbate; *Housseau,* t. VI. Idem, eodem anno, sententiam fulgurat excommunicationis in Guillelmum de Fretaio, hujusce loci decimas deprædantem; e tabulis Villælupensibus ab A. Quercetano compilatis. Quod anno 1207 peregit, e schedis domini *de Marolles.* Anno 1200, Petrus *Nazarene* semet uxoremque suam monachis tradidit, et quidquid juris habebat in variis locis; cui novem libras et uxori

viginti solidos Robertus largitus est. Paciscebatur idem, anno 1212, coram Drogone de Melloto, cum Petro quodam *Ardre*, sibi jura nonnulla in stanno Plateæ vindicante. Decimam Roberto condonavit, anno 1221, R. *de Pereine*, et ab illo licentiam impetravit in abbatiæ basilica capellam ædificandi. Nec de eodem silet sequens chartularii pagina, cum, anno 1222, nemora terrasque memoretur accipiens a Guillelmo *d'Argy*. Legit Michael *de Marolles* in Baugeseii necrologio tertium et quartum Baugeseii abbates eodem nomine dictos, nec discernere valuit quænam ad priorem posterioremve pertinerent. In eodem hæremus dubio, et ne pro certo quidem tenemus duos extitisse Robertos.

IV. Michael I innotescit, anno 1223, e charta Joannis, Turonensis archiepiscopi, qua testatur Aglentinam quamdam confirmasse bona Villælupensibus monachis vendita; e schedis domni *Housseau*. Idem, anno 1229, notum fecit Gaufredum *Doré* domum concessisse canonicis Castellionensibus; e tabulis Castellionensis ecclesiæ. Decessit Michael, teste necrologio, die 14 Junii.

V. Arnulfus, anno 1231, sub conditione census Stephano Furnario domum Lochis sitam tradidit. Obiit die 24 Januarii.

VI. Philippus I, anno 1243, decimas accepit a Gualchero de Castellione. Occurrit idem anno 1255, quo sub certis conditionibus terram Girardo Puteano mancipavit. Memoratur decedens 29 Martii.

VII. G. anno 1265, in tabulis Baugeseii a Michaele *de Marolles* compilatis.

VIII. Hamelinus, mense Martio 1268, paciscitur de decimis cum Guidone et Joanne *Guenant*, coram baillivo Turonensi.

IX. Radulfus, anno 1294, transegit cum Philippo *Loyau*, Locharum canonico. Novem tunc degebant Baugeseii monachi. Nominatur præterea Radulfus in tabulis anni 1297. Decessit x cal. Martii.

X. Dionysius litigavit, anno 1309, cum Matthæo, Belli Loci abbate, de rebus a Joanne *Beauribant* traditis. Occurrit etiam in tabulis anni 1322. Obiit die 20 Decembris.

XI. Bonifacius *de Rey*, doctor sacræ theologiæ, sponte cessit anno 1351, translatusque est Trisagium, Lucionensis diœcesis, ut constat e litteris Philippi de quibus infra. Hujus igitur addito nomine, emenda lacunosam abbatum Trisagii seriem.

Gall. Christ. t. II, col. 1444.

XII. Matthæus de Lochis, professus Baugeseii, electus est abbas abeunte Bonifacio, et confirmatus litteris Philippi, abbatis Oratorii, 11 Februarii 1351, secundum veterem usum.

XIII. Joannes II innotescit e litteris anno 1367, teste Michaele *de Marolles*. Prædia accepit, anno 1374, a Matthæo *de Lanneau*. Anno 1380, senex et infirmus, domum incolebat suam Belli Loci sitam, nec ad ecclesiam parochialem ire valens ad celebranda sacra, audiendæ domi missæ licentiam impetrabat. Nec decesserat anno 1390, ut constat ex ejus apocha.

XIV. Georgius ex acceptæ pecuniæ syngraphis, quas dedit die 18 Septembris 1391, et lunæ die post Circumcisionem, anno 1392, secundum hodiernum usum.

XV. Raolinus *Appert*, alias Robinus, occurrit annis 1405, 1408, 1410.

XVI. Joannes III *de Sorbiers*, anno 1422; e tabulis. Quo præfecturam tenente, Joannes *de Prie*, Caroli regis cubicularius, monasterii temporale regimen impetravit.

XVII. Jacobus *Chauvet* testis, anno 1438, Simonis Villælupæ possessionem induentis. Idem in apocha quæ præ se fert diem 12 Novembris 1439. Decessit 6 Junii 1455.

XVIII. Joannes IV *de Mainfaim*, sive *de Myfain*, abbatiæ æditituus, electus abbas die 14 Junii 1455, adstante Petro *Chabot*, Oratorii suppriore, Joanne *Bergier* Barzellæ, et Simone Villælupæ abbatibus. Occurrit præterea in tabulis annorum 1457 et 1463, et laudatur a Michaele *de Marolles*, « vir ad sæ« cularium et regularium rerum magisteria « tractanda ingenio satis acutus. »

XIX. Franciscus *des Ausbus*, sive *de Saubus*, primus abbas Baugeseii commendatarius, in tabulis annorum 1473, 1478, 1481.

XX. Joannes V *de Quédillac*, abbas idem S. Juliani Turonensis, in tabulis Baugeseii occurrit ab anno 1483. Præfuit circiter tribus annis.

XXI. Petrus *Chabot*, Oratorii quondam supprior, ut supra dicitur, abbatiam Baugeseii regebat anno 1486, quo prædia sub lege census tradebat. Hujus insuper mentio fit in tabulis annorum 1490 et 1494. Ex abbatiæ necrologio decessit anno 1500.

XXI. Guillelmus *Sauvage*, monachus Cormaricensis priorque Toxigneii, nec non Sculliaci, quædam emebat, dictus abbas Baugeseii, anno 1503.

XXIII. Joannes VI *Gigault*, Lochis oriundus, advocatus in Parisiorum suprema curia, mox in eadem senator, abbatiam Baugeseii titulo commendæ regebat anno 1513, ut e plurimis chartis compertum habuit Michael *de Marolles*. Ignotum vero qua sub lege Guillelmo Joannes hic successerit, qui decessit, jam non Baugeseii præfecturam tenens, anno 1524, ex ejus epitaphio.

XXIV. Guillelmus *Sauvage* iterum, ab anno 1517, et in tabulis annorum 1528 et 1530. Condebat Tauxigneii, die 2 Junii 1533, capellam B. M. Lauretanæ. Nominatur etiam in charta anni 1537. De quo Michael *de Marolles*, in abbatum sylloge : « Ecclesiam in« trinsecus fere totam suis impensis renovari « fecit, et domum abbatialem omnino diru« tam et prostratam reparavit. »

XXV. Renatus *Sauvage*, antecedentis nepos, ab anno 1545. Obiit anno 1552. Cui successit

XXVI. Claudius *de La Rue*, licentiatus in legibus, et in scholis Aurelianensibus eo tempore studens. Abbatiæ rem primo temporalem sortitus est, dum spiritualis Joanni, Cisterciensium abbati, committeretur. Vicarium autem Joannes is suum Baugeseii, rege probante, constituerat Petrum *Noraye*, Baugeseianum professum. Mox, anno scilicet 1552 nundum transacto, bullas Claudius obtinuit pontificias et integram iniit abbatiæ possessionem, ætatis suæ anno primo et vicesimo. Occurrit deinde annis 1553 et 1560. Circa idem tempus in hæresim lapsus Claudius abbatiam abdicavit, cujus curam suscepit

XXVII. Ægidius *Quinault*, abbas nomine, non re, qui fructus abbatiæ tradidit nobili viro Joanni *Guenant*, domino S. Sigiranni. Quo milite defuncto, abbatiæ præfectus est

XXVIII. Martinus *Ferret*, canonicus Cathalaunensis, alterius et ipse fiduciarius, Claudii scilicet *de Beauvilliers*, qui comes erat S. Aniani, in Biturico pago. Filius fuit is Claudius Annæ *de Clermont*, relictæ Joannis *Guenant*.

XXIX. Philippus II *du Bec*, Nannetensis episcopus, fiduciariam Baugeseii tutelam post Martinum suscepit. Cui successit, Baugeseium rediens,

XXX. Ægidius *Quinault*, qui rursus bona transfudit temporalia ad S. Aniani comites. Ægidius ille, jam præpositus libellis supplicibus reginæ matris, eleemosynarius erat insuper S. Juliani Turonensis, decanus ecclesiæ Bituricensis, prior Castellionis super Ingerim et aliorum locorum, nec non abbas S. Genulfi. Decessit Turonibus 25 Aprilis 1592, sepultusque fuit Castellione. Quo defuncto, fructus abbatiæ percepit ad annum 1610 Georgius *de Sorbiers*, dominus *des Pruneaux*, Henrico IV concedente.

XXXI. Michael II *de Marolles*, natus mense Julio 1600, e Claudio *de Marolles* et Agatha *de Chastillon*, abbatia Baugeseii donatus est a Paulo papa V, VI nonas Julii 1610, ætatis anno decimo. Possessionem iniit die 28 Novembris ejusdem anni. Sex tunc temporis Baugeseium incolebant monachi. Post regimen annorum octoginta, decessit Parisiis Michael, quo nullus inter abbates regni totius antiquior, die 6 Martii 1681. Litterarum amantissimus plurima scripsit, sed quasi currente calamo, et quæ nimis arte carent. Edita sunt plura; ex ineditis deperdita quædam. Cum autem, ut aiunt, tempus non parcat iis quibus nihil contulit peragendis, quis hodie versat innumera Michaelis volumina? Artium quoque non ignarus, eximia collegit quæ ad varias artes spectant monumenta.

XXXII. Josephus *Brunet*, e familia sena-

A toria, doctor Sorbonnicus, Michaeli successit. In Burgundia degens bonorum abbatiæ partem sibimet addixit, et reliquam fratribus dimisit, 8 Octobris 1682. Abbas idem Bosqueti creatus 15 Augusti 1692. Baugeseii præfectura se abdicavit die 29 Maii, sive Junii 1700, ut fieret abbas S. Crispini Suessionensis. Eum præterea reperies inter superiores sacerdotum in monte Valeriani, juxta Parisios, degentium; supra, t. XII, col. 1010.

XXXIII. N. *de la Chasteigneraye*, creatus a rege die 14 Augusti 1700. Resignavit anno 1724, in gratiam sequentis.

B XXXIV. N. *Frizon de Belleval*, canonicus Remensis, ab anno 1724 ad annum 1773.

XXXV. N. *Fremyn de Fontenille* ab anno 1773 ad annum 1790.

MONS COELESTIS.

Mons Cœlestis, sive Monceium, duobus leucis Ambasia distans, ad Cissæ ripas, moniales regulam Cisterciensem profitentes excepit ineunte decimo tertio sæculo. Hujus cœ-
C nobii fundationem his narrat verbis auctor Turonensis Chronici quod Magnum vocant : « Anno Domini MCCXII et Othonis imperatoris XI et Philippi regis XXIV, in Turonensi diœcesi, prope castrum Ambasiæ, in loco qui Mons Cœlestis dicitur, moniales quatuor pervenerunt, spiritu Dei inflammatæ, ab illo monte ad illum cœlestem montem ascendere cupientes. Quarum duæ, scilicet Hermengardis de Plesseio et Petronilla Aimera, egressæ sunt de congregatione monialium Belli Montis, et aliæ duæ, scilicet Agnes de Legnere et Peregrina,
D « de congregatione S. Aviti, diœcesis Carnotensis. Hæ omnes, uno eodemque spiritu agitatæ, sub ordinis Cisterciensis regula, ibi primo parvum tugurium ligneum intraverunt, et sic in illo loco fere per tres annos vitam eremiticam deduxerunt. Sed cœlestis sponsus ecclesiæ, cupiens sponsæ suæ fimbrias dilatare, cordi cujusdam civis Turonici, Pagani Hermenardi nomine, misericorditer inspiravit ut illi novellæ plantulæ subveniret. Qui domum lapideam cum pluribus officinis, nec non et ecclesiam ibi miro opere fabricavit, ibique viginti monia-
E « les et Hermengardim priorissam instituit, eique victum et vestitum in perpetuum acquisivit. Quam domum lapideam dictæ moniales anno Dom. MCCXVI, VI cal. Januarii, solemniter intraverunt, et postea ecclesiam, VII idus Junii, a Mauricio, Cenomanorum episcopo, dedicari fecerunt. » Hactenus Turonensis chronographus; cui debetur fides, si, quemadmodum opinantur, sub id tempus vixit. Non singula tamen quæcumque spectant ad hujus cœnobii fundationem vera-

citer descripsit. Annum sedenim ante memoratum Sulpicius, Ambasiæ dominus, scilicet XVIII cal. Maii 1209, consentientibus Isabella uxore, Mathilda filia, Joanne et Guillelmo fratribus, etc., etc., Montem Cœlestem omni consuetudine liberum tradebat monialibus jam in eo loco commanentibus; quo eodem anno, consecrationis suæ primo, Joannes de Faya, Turonensis archiepiscopus, prædicti litteras Sulpicii confirmabat. Profertur insuper aliud Sulpicii diploma, quo rursus, anno 1212, a se jam data in perpetuum condonat. Is igitur Sulpicius præcipuus inter Monceii conditores jure dicitur. Fundationem sancivit Innocentius papa IV, anno 1244. Petrus, Turonensis archiepiscopus, mense Februario 1253, Monceii moniales commendavit, quæ, moribus asperrimis addictæ, nec linteo quocumque utebantur, nec carnem edebant, et foribus nunquam hiantibus interclusæ tenebantur. Sub priorissarum regimine diu Mons Cœlestis floruit, quas sorores eligebant. Anno tandem 1652, regis ad precem, Innocentius papa VIII prioratum in abbatiam mutavit.

Aliquot Priorissæ.

I. Hermengardis, anno 1212.

II. Margarita *de Vernaut* decessit anno 1284.

III. Joanna I de Fracta Valle memoratur terrenum exuens involucrum III idus Aprilis 1309.

IV. Florida *de Pontlevoy* decessit calendis Februarii 1319 et sepulta fuit in claustro.

V. Perrenella I occurrit anno 1377, in apochis ad clerum spectantibus quas servat Max.Paris. Biblioth.; *Cab. des Titr.* Eadem, anno 1415, e schedis *de Gaignières*.

VI. Joanna II *Charpine*, sive *Harpine*, annis 1453, 1457, in apochis supra memoratis. Eadem, 15 Aprilis 1461 et 20 Augusti 1467, in schedis *de Gaignières*. Obiit, e martyrologio Monceii, IV non. Februarii.

VII. Catharina I *de Commiers*, eadem et abbatissa Belli Montis, legitur annis 1469, 1472, 1481, 1483, 1485. Decessit anno 1490, XVII cal. Januarii.

VIII. Catharina II *d'Aspremont*, 1491.

IX. Oliva *La Gaye* occurrit annis 1513, 1517. Obiit pridie cal. Aprilis 1518.

X. Joanna II *Guenant*, cujus electionem confirmavit 1 Maii 1518 Ludovicus *d'Estouteville*, abbas Saviniacensis. Patrem habuerat Joanna Ludovicum *Guenant*, scutiferum, S. Sigiranni dominum, et antequam eligeretur suppriorissæ munus implebat. Nomina-
A tur in tabulis annis 1528, 1532, 1534, 1538. Obiit, e martyrologio, XIII cal. Junii.

XI. Francisca *de Lavardin*, annis 1550, 1556, 1561. Defuncta memoratur VII idus Februarii.

XII. Perrenella II *de Grosbois*, 1563.

XIII. Martha *Larcher*, 1570, 1573, 1576, 1581. Obiit VIII idus Septembris 1592.

XIV. Anna *Larcher*, antecedentis neptis, filia Claudii *Larcher*, senatoris Parisiensis, et Mariæ *Courtin*, litteras accepit pontificias IX cal. Februarii 1593. Æmulam habuerat Franciscam *Alegrain*, quam domini papæ
B decretum amovit. Professionem fecerat Anna Monceii, anno 1588. Occurrit priorissa annis 1601, 1605, 1613.

Abbatissæ.

I. Maria I Martha *d'Epinoy*, alias *d'Estinoy*, ab anno 1652.

II. Maria II Elisabetha *de Bouillé*, filia Renati et Jacobæ *de la Guiche*, abbatiam accepit regendam ineunte ann. 1680; e Diariis. Quam anno 1683 abdicavit, retenta non exigua redituum parte.

C III. Magdalena *Dorat* a rege nominatur 14 Januarii 1684. Occurrit apochæ subscribens anno 1694, in chartacea capsa, quam servat Maxima Parisiorum Bibliotheca, sub num. 1475.

IV. Carola *Jobert de la Bastide de Châteaumorand*, filia Anneti, comitis *de Chateaumorand*, et Franciscæ *Costantin de Tourville*, Monceii suscepit regimen, 15 Augusti 1706, e moniali Pontemontis. Vocatur mense Junio 1709 ad præfecturam B. Mariæ Regalis, juxta Parisios.

V. N. *de Montgommery*, et ipsa Ponte-
D montis monialis, abbatissa Monceii creata Julio mense 1709, fit abbatissa Villaris Caniveti 1 Novembris 1712.

VI. Maria III Magdalena *de Bousens des Espinets*, nominata a rege mense Novembri 1712. Occurrit annis 1721 et 1729 in archivo Turonensi.

VII. Cunegunda *de Maillé de Carman*, anno 1731; ex eodem archivo.

VIII. Renata-Elisabetha *de La Rue*, anno 1741; ex eodem.

IX. Elisabetha *de Villette*, annis 1747 et 1754; ex eodem.

E X. N. *Le Marié d'Aubigné*, ab anno 1755 ad annum 1775.

XI. N. *de Caugey* ab anno 1775 ad annum 1786.

XII. Maria III *de Roucy*, ab anno 1786 ad annum 1790.

ECCLESIA CENOMANENSIS.

Clara gens antiquitus fuerunt inter Gallos Aulerci Cenomani. Eos Livius annumerat strenuis Bellovesi et Elitovii commilitonibus, qui, nivibus superatis Alpinis, circa primos annos Urbis conditæ, Italiam occidentalem occupaverunt, et ibi complures magni nominis civitates, Brixiam videlicet, Veronam, Cremonam, Mantuamque condiderunt. Eorumdem post Livium meminit Cæsar, de Bello Gallico, lib. VII, c. 75. Certis quidem limitibus agrum Cenomanensem vel a Cæsaris temporibus non facile describeres : hujus tamen urbs præcipua, ad sinistram Sartæ ripam undas Idoneæ germanas excipientis, Vindinum, Suindinum, Subdinum, denique Cenomanum nuncupatur, nec laude caret in veterum scriptis. Provinciarum Romanarum notitia, Honorio imperante digesta, Cenomanum tertiæ Lugdunensi attribuit. Non fabulis hic locus est : ea vero si forte cupidus sis discendi quæ de Cenomanorum origine gestisque fabulosa circumferuntur, Renati potissime Flacæi non illepida carmina consule, quæ *Belleforest* in sua Cosmographia publici juris fecit. Non parva, ut eximie notavit Curtius, « componentium vetusta rerum monumenta vel securitas, vel, par huic vitium, credulitas fuit. »

Nullus ante S. Julianum in agro Cenomanensi verbi divini præco memoratur. Quam is incerto sub consule condidit ecclesiam antiquitas ipsa secundam ab Augusta Turonum in Lugdunensi tertia agnovit. Episcopus igitur Cenomanensis primas inter Turonensis archipræsulis suffraganeos tenuit, qui, vacante sede metropolitana, pro jure suo provincialem synodum cogeret, et S. Gatiani cathedram occuparet, donec suffragia palam renuntiarentur. De quo jure consulendus Joannes *Maan*, Eccles. Turon., p. 108. Decus addebat ecclesiæ Cenomanensi terrarum quas complectebatur amplitudo. Nonnulli quidem putant Diablenticum vicum in agro Meduanensi, non procul ab Arocnæ ripis, episcopalem olim sedem fuisse : quæ tamen conjectura non nihil dubitationis habet. Atque etiam si Diablenticus is episcopatus Cenomanensi finitimus recte describatur, at certo non diu floruit. Quum igitur longius latiusque patentes campos, et incolis, ut videtur, frequentes pastor unus non facile regeret, quosdam olim adjutores in obeundo munere Cenomanensis præsul habuit, qui videlicet chorepiscopi, id est τοῦ χώρου ἐπίσκοποι, ruris episcopi, fuerunt nuncupati. De cæteris ecclesiæ Cenomanensis ministris, penes quos parochialium altarium regimen curaque divini cultus diversis temporibus fuere, nunc summatim dicendum est. Cenomanensem diœcesim duo minimum archipresbyteratus octavo sæculo, tres undecimo, octo tertio decimo ineunte, partiti sunt. Anno 1230, Mauricius præsul archipresbyteros sustulit, et eorum vices archidiaconos implere jussit : ab eo tamen singulos Cenomanensis ecclesiæ archidiaconos recensente septem tantummodo numerantur. Archidiaconos infra positi decani, qui postquam tertio decimo sæculo sex et viginti numero fuerant, deinceps vero duodetriginta extitere. A S. Juliano fundata mater ecclesia in honorem B. Mariæ Virginis et S. Petri, apostolorum principis. Quam rursus quum sæculo sexto consecraret S. Innocens, SS. Gervasium Protasiumque supra memoratis patronis adjunxit. Post Normannicum tumultum Robertus præsul occurrit ædificii ruinam instaurans, et tertiam consecrationem rite peragens. Quot vero clades, quot excidia, grassantibus annis, vetus hoc Cenomanicæ pietatis monumentum afflixerint subsequens sermo declarabit. Mainardi præsulis testamento nullum est antiquius diploma quod S. Juliani nomen inter ecclesiæ matris patronos exhibeat. Vixit autem Mainardus emensa majore decimi sæculi parte. Quod tamen Gervasii Protasiique et ipsius Petri vulgus immemor unius Juliani meminerit, non admirandum est. Petrum sane, inclyta Romanæ qui fundamenta posuit ecclesiæ, christianæ totius gentis mens grata merito veneratur: Julianum vero, Cenomanensis ecclesiæ conditorem, peculiari plebs Cenomanensis observantia colit.

Inter cathedralis ecclesiæ canonicos princeps erat decanus. Post quem sederunt usque ad exitum ultimi sæculi cantor, scholasticus, major archidiaconus et archidiaconi quinque minores. Dignitates quasdam alias ætas recentior abrogaverat, e quibus præpositum, cancellarium et custodem. Decaniam nemo nisi canonicorum suffragiis adlectus adipiscebatur. Ea quidem et egregie descripsit D. Thomas Calvinus, cui nemo e Cenomanensibus nostris (si nosmet Cenomanensi familiæ per adoptionis modum adscribere liceat) majores meritis gratias persolvet. Hujus imprimis consule Geographiam Cenomanensis diœcesis antiquam, in quam scilicet compendiose congessit quidquid plurima per ejusdem volumina de quibuscumque Cenomanensis ecclesiæ rebus passim quæsieris.

Veterum annales et nondum solo tenus æquatæ parietinæ testantur quam multas domos et quam multis nominibus distinctas Cenomanica gens Deo quondam dicaverit. De singulis vel jam pridem eversis, vel sub finem proximi abhinc sæculi superstitibus abbatiis, separatim disserere propositum. Nec in episcopali civitate conventus fratrum Prædicatorum, Capu-

cinorum, Minimorum, Lazaristarum, et virginum diversis addictarum regulis defuere. Inter collegiatas ecclesias, quas progrediens ætas surgentes vidit et deinceps in ruinam sublapsas, recensere præsertim decet Capitulum S. Michaelis de Claustro, regale S. Petri Collegium, decimo sæculo conditum, Capitulum Vadi de Malo Nido, quod Joannes papa XXII ab episcopali jurisdictione liberum esse decrevit, et insuper Capitula S. Thugalli et S. Michaelis Lavalle, Trium Mariarum Monte Securo, B. Mariæ Silviacensis, S. Petri Carilefensis, S. Martini Troiani, S. Juliani Proiliacensis, S. Barbaræ et S. Dionysii, aliaque nonnulla, quæ, ut quam paucissimis absolvamus verbis, prætermittimus.

Cenomanensium episcoporum gesta posteris jam plures mandavere. Quorum dum vestigia relegimus, eos laboris nostri duces palam profiteri placet. Præ cæteris commendentur auctores qualescunque fuerunt libri hujus Pontificalis, quem sæculo nono, ut opinantur, inchoatum Mabillonius in Analectis suis edidit (1). Non huic quidem libro cœca fides adhibenda, cum non sit commentitiis vacuus, imo adulterinis scateat instrumentis, ad augendam episcopi Cenomanensis auctoritatem ab improba manu conflatis. Falsa tamen si veris, prout res postulat, discernas, non parvus exinde tibi quæstus erit. Legimus insuper Historiam Cenomanensium Episcoporum a Corvæserio prælo datam, et luculentas in eamdem, etsi mordaces nimium, Bondonneti annotationes: nec operam perdidimus, quoties rei intricatæ nodum solvere studiosi, recentiores pontificatus Cenomanensis annales qui domno Columbo tribuuntur, et præsertim manuscriptum volumen domni *Briant*, quod *Cenomania* inscribitur, attente consuluimus. Coævi nostri D. Augustus *Voisin* et domnus Paulus *Piolin*, eximius Benedictinæ congregationis alumnus(2), quorum scripta norunt omnes, si quando ipsi alienæ sæpius opis egentes adivimus, nobis magno adjumento fuerunt. Nonnulla denique suppeditavit Index Cenomanensis archivi, quem hactenus imperfectum studiosissimus rei Cenomanicæ vir D. Ed. Bilardus publici juris fecit.

(1) Librum hunc frequentissime laudantes, Episcoporum Gesta, sive Gesta, brevitatis consectatione, nuncupabimus.
(2) Nuperrime prodiit tertium volumen operis eximii cui titulus: Historia Cenomanensis Ecclesiæ. Quartum legere utinam datum fuisset!

EPISCOPI CENOMANENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Julianus.

Julianus Cenomanorum primus, nullo adversante, dicitur episcopus; qui, genere Latinus, in Galliam boni nuntii lator venit, et et ad occiduos hujusce regionis tractus, duce et auspice Christo, iter agens, jam notissimo constitit in apice ubi præcelsa Cenomani mœnia surgebant. Cenomanos igitur non adeo, ut quidam aiunt, agrestes ferosve, christianæ tamen legis ea tenus propemodum ignaros, edocuit Julianus, datis ipsi sociis ad pium opus peragendum Thuribio presbytero, nec non Pavatio diacono. Idem vero, nisi majus, dubium de temporibus S. Juliani ac S. Gatiani. Nonnulli sedenim, vel inter hesternos Cenomanicæ rei scriptores, Julianum Gatiano coævum asserunt, et utrumque S. Clementi papæ, quem Romanum nuncupant. Hanc vero, ut diximus, Gallicanarum ecclesiarum originem, re sæpius investigata, tandem ipsa rejecit doctissima S. Mauri schola, non istud quidem nimis aspernata decus, quod humanis vetustas addit institutis, perplacentem vero opinionem argumentorum vi deserere coacta. De qua re pro suo Marte disserens noster Thomas Calvinus, circa mediam quarti sæculi partem Julianum Cenomanum semet recepisse putat. Hæc fuerat sententia Launoii. Quæ mera licet conjectura fulciatur, non prorsus contemnenda videtur. In dubia re, dubius hæreas. Pauca de S. Ju-

A liano supersunt, nisi quæ leguntur in Gestis et in viri sanctissimi vita, quam, decimo desinente sæculo, digessit Lethaldus, Cenomanensis patria, professione monachus Miciacensis. Sedisse legitur Julianus per annos septem et quadraginta, menses tres, dies decem, et, ovilis abdicata cura, in hunc secessisse locum, ubi nunc surgit ecclesia S. Marcello dicata. Hic obiit v cal. Februarii. Cujus in urbem devectæ sunt protinus reliquiæ, et in capella conditæ quam ultra Sartam fluvium in honorem SS. Apostolorum ipse extruxe-
B rat. In ecclesiam matrem ab Aldrico postea translatæ sunt, earum parte quadam in ecclesia S. Juliani de Prato relicta. Solemniorem corporis S. Juliani in capsam novam translationem peregit Geoffridus de Losduno, anno 1254. Nec desunt qui Julianum sacræ paginæ peritissimum asserant, eique nonnulla scripta tribuant deperdita. Horum vero, sicut egregie notat Columbus, sublesta fides.

ANNI CHRISTI

II. S. Thuribius.

S. Thuribium diximus e Gestis sub Christi
C vexillis Juliani commilitonem; in quem secedens Julianus ecclesiam suam detulit regendam. Vitam S. Thuribii scripsit Charus, filius Severi, et Bollandus edidit 16 Aprilis. In qua multa reperies non prorsus, ut solet, certa. Brevior et quasi jejunior Gestorum sermo, quæ tamen Thuribium numero martyrum adscribunt, et ei tradunt episcopatus

ANNI CHRISTI

annos quinque, sex menses, diesque sexdecim.

Hic advertendum quod Gesta, omnia quæque nullo sine temporum respectu confuse miscentia, eumdem Thuribium memorent ordinatum a B. Clemente, et defunctum anno secundo post consulatum Viatoris, anno scilicet, ut videtur, Christi 495. Unde nonnulli duos inter Cenomanenses episcopos posuerunt Thuribios, alterum B. Clementis coævum, alterum Viatoris consulis. Hujus autem Thuribii II nulla occurrit mentio sive in Gestis, sive in veteribus catalogis, nec admittendus secure videtur, præsertim cum nullo modo Gestorum fidem admissus salvet.

III. S. Pavatius.

S. Thuribio S. Pavatium succedere Gesta jubent, eumdemque in Domino obdormivisse referunt postquam per annos tres et quadraginta sedisset. Vitam hujus prolixiorem require, si vacat, inter Acta Sanctorum quæ Bollandistæ prælo dedere, sub diem 24 Julii.

Gundanisolum et Valerinum post S. Pavatium e tabulis quidam Paderbornensis ecclesiæ nuncupant, auctoribus Gestorum prorsus ignotos, necnon veteribus quibuscumque nomenclatoribus. Quos autem post Columbum rejecit D. Piolinus, in sua Cenoman. Ecclesiæ Historia, t. I, proœm., p. 126, nec eosdem ipsi, indubia siquidem solum consectantes, rursus in scenam inducemus.

IV. S. Liborius.

« Liborius, natione Gallus, successorque « B. Pavatii, Cenomanicæ urbis pontificis, qui « et post ejus obitum electus a populo et sa- « cratus est episcopus. » Hactenus auctor Gestorum, qui paulo post addit : « Hic in « pace obiit v idus Junii, et sepultus est a « beato et sancto Martino, Turonensis eccle- « siæ archiepiscopo. » Unde patet quam incertus ille sit temporum computator. A sancto sedenim Juliano, quem ipse B. Clementis æqualem asserit, ad initium S. Liborii quinque solum et nonaginta numerat annos, et eumdem S. Liborium sepultum a S. Martino perhibet, dum, infitiante nullo, Martinus sub quartum vixerit seculum. Hujus præterea de ferali die non consentiunt cum Gestis Breviaria Cenomanensis ecclesiæ, ubi Liborius reperitur defunctus 23 Julii. Cleri Cenomanensis usum secuti sunt Bollandistæ, qui tres Liborii vitas ediderunt. Sedisse legitur per annos undequinquaginta. Eumdem quidam dicunt Leporium, Leporinum et Liberium.

V. S. Victurius I.

Liborio defuncto Victurium ipse B. Martinus, Gestorum ad fidem, sufficit. Sanctissimus nempe Turonorum præsul, admonente Deo Cenomanum, ut aiunt, tendebat, qui justa persolveret Liborio in extremis agenti, cum, super asello viam agens, occurrit cuidam clerico, eidem ac subdiacono, vineam suam colenti. Hunc adiit, episcopum elegit, obnitentemque secum traxit in urbem. Victurius is, sive, ut quosdam juvat, Victor, uxorem duxerat, nomine Mauram, et ex ea filium unum susceperat, quem et ipsum Victurium dixerant. Maura, viro ad apicem ecclesiæ Cenomanensis elato, semet Deo dedit conjugem, et eorum natum, quem ipse sacra respersit aqua, Martinus adoptavit seumque Turones adduxit litteris informandum. Sedisse dicitur Victurius I per annos quatuor et viginti, septem menses, diesque tredecim. De quo Bollandistas consule, ad diem 25 Augusti.

Malefidum hactenus fecimus iter. Nunc certioribus descriptam temporum notis viam ingredimur.

VI. S. Victurius II.

Victurius, antecedentis filius, votis cleri plebisque dein adlectus est. Doctrinam hujus testatur auctoritas qua valuit tum apud Romanum Pontificem, tum apud ipsi pares episcopos, in ecclesiæ Gallicanæ comitiis. Magnam ejusdem celebravit et acceptissimam Deo virtutem Gregorius, in libro de Gloria Confessorum, cap. 56, hunc memorans elevata manu civitati suæ minantes flammas submovisse. Primus est Victurius II inter Cenomanensis ecclesiæ præsules de quo certa quoad tempus publicis ex actis eruuntur. Non indubium quidem est eum in quadam synodo sedisse cujus locus ignoratur et canones desunt, quamque tamen Bondonnetus, e meris Sirmondi conjecturis, anno 444 coactam fuisse firmiter, secundum morem, asserit. Occurrit tamen Victurius anno 451, 451
cum Eustochio Turonensi, plurimisque Galliæ australis episcopis ad Leonem papam litteras de rebus Eutychianis dirigens, quas, inter alios, domnus *Labat* edidit, in Concil. Galliæ, col. 535. Idem, annum circa 453, 453
scripsit, cum Eustochio Turonensi et Leone Bituricensi, ad episcopos Sarmationem, Chariatonem et Desiderium, ne reges et imperatores spiritualibus sese negotiis immiscerent. Adfuit quoque provinciali synodo Andegavi habitæ, eodem anno, IV nonas Octobris. Subscripsit, anno 461, actis concilii Turo- 461
nensis primi. Cui demandavit, ut aiunt, anno 465, Hilarius papa, solvendam litem inter Ingenuum Ebredunensem metropolitam et Auxanium episcopum. (*D. Labat Collect. Conc. Gall., col. 615.*) Huic rei forsitan vacabat, cum habita fuit Venetiæ synodus ea provincialis, cujus acta ad ipsum et ad Talasium, absentem utrumque, delata sunt confirmanda. Anno tamen circiter 462 Veneticam

ANNI CHRISTI

synodum adscribit ultimus Brequinianorum Diplomatum editor. Senio fractus optimisque dives meritis Victurius occubuit, e Gestis, calendis Septembris, Fausto juniore et Longino bis consulibus, anno scilicet Christi 490, postquam per annos unum et quadraginta, sex menses diesque decem Cenomanensem cathedram occupasset. Has vero consulares notas censoria Mabillonius læsit virgula, cum non B. Martini discipulus adeo longævam ad id temporis vitam traduxisse videatur. Victurium II Cenomanensis gens antiquitus coluit, ut Innocentis, Domnoli, Bertichramni, Hadoini, et aliorum in eadem sede qui proximi fuerunt ab illo, gesta declarant.

Annal. t. III, p. 393

In Actis S. Melanii quæ Bollandus edidit, coævi dicuntur S. Melanius Redonensis episcopus, S. Albinus Andegavensis et S. Victurius Cenomanensis. Indoctus hanc scriptor fabulam confixit, aut interpolator quidam corrupit. Victurius occurrit præterea, Cenomanensis episcopus, S. Germano favens ecclesiam in suburbio Parisiorum condere satagenti, in Vita S. Droctovæi a Gislemaro monacho; apud Rer. Gall. Script., t. III, p. 437. Hæc autem cum memoret narrator anno 559 peracta, ejus errorem congrue notavit Mabillonius, Act. SS. ord. S. Ben. sec. I, pag. 252. Cum tanta fuerit Victurii II fama, non mirum si plura referantur ad eum quæ ad ejus successores aut ignotos, aut dubios, spectant.

VII. S. Principius.

Cenomanensium episcoporum series post S. Victurium II omnino confusa. Eclogarius is priscus qui prædictorum Gesta Pontificum in unum coegit post S. Victurium II Principium posuit, post Principium Innocentem. In ipsa vero Innocentis vita, S. Severianus quidam, non aliunde notus, S. Victurio II succedere videtur, prætermisso Principio. Unde nomenclatores inter duodecimi sæculi quidam Principium admisere, Severianum removentes; alii Severianum, sive Severium, Victurio II morienti sufficientes, Principii vel nomen sustulere. Quam componere discordiam plures e recentiorum grege tentaverunt, sed, adulteratis licet veterum annalium verbis, dubiam tantum lucem in spississimas tenebras emittere valuerunt. Asperam hanc aggredientes viam, animadvertimus peculiarem in Gestis non esse de S. Severiano sermonem, et insuper nullum eidem locum, vel angustissimum, tradi ab argumentorum auctore quæ præ singulis capitibus posita fuere. Unde patet quod nec vetus Gestorum conditor, nec ille (nisi fortassis idem) qui capitibus argumenta præfixit Severianum hunc adnotarunt, ex ipsius Innocentis vita depromtum. Non aliter quidem se res haberetur, si cæcutiens amanuensis in hoc ipso loco *Severiani* nomen pro *S. Victurii* nomine scripsisset. In nulla tamen conjectura stare tutum. Ecce igitur S. Severiani nomen, nudum vero, prout legitur, quod, pace nostra, vel ante vel post S. Principium pones, et sermo tandem fiat de S. Principio.

Perperam ab auctore Gestorum Principius noster dicitur S. Remigii, Remensis episcopi, frater. Fratrem enim habuit Remigius Principium alterum, qui Suessionensem cathedram tenuit. Nihil tunc temporis securum in agro Cenomanensi, evaginato Clodovæi regis in Cenomanenses mucrone. Unde S. Principius procellosum sortitus dicitur episcopatum. Plura tamen ecclesiæ suæ contulit. Adfuit, anno 511, Aurelianensi concilio primo, e Conciliis domni *Labat*, col. 843. 511
Decessisse legitur XVI cal. Octobris, postquam sedisset per annos novem et viginti, mensem unum, nec non unum et viginti dies. Addit auctor Gestorum : « Cessavit prædictum episcopium post ejus obitum aliquo « tempore, propter prædictam perturbationem et ingentem quæ tunc grassabatur seditionem. »

VIII. Innocens.

A S. Victurio II nutritus et edoctus Innocens, ei, *licet non statim*, ut ait auctor Gestorum, siquidem post S. Principium, suffectus est. Adfuit, 23 Junii 533, concilio 533
Aurelianensi secundo, et, anno 541, Aure- 541
lianensi concilio quarto. Ecclesiam matrem refecit fatiscentem et nonnullis auxit operibus. Ecclesiam quoque Apostolorum, ultra Sartam, abside decoravit. Laudatur insuper monachicæ rei quam maxime studiosus, cujus sub auspiciis plurima tunc in ecclesia Cenomanensi monasteria non tantum instaurata fuerunt, sed prospera mox habuerunt incrementa. Annus quo vitam exuit terrestrem incertus relinquitur; hunc tamen auctor Gestorum ait sedisse per annos quinque et quadraginta, menses decem, dies sex et viginti, et obiisse XIII cal. Julii. Subscribens reperitur, anno secundo Childeberti regis, Haregarii cujusdam chartæ, ecclesiæ SS. Gervasii et Protasii quam plurima dona conferentis. Anni quidem Childeberti numerantur sive ab anno 511, quo Chlodoveus decessit, sive a morte Clodomiri, anno 524, sive a partitione regni quod Clodomirus erat sortitus, anno 526. Aptissimis vero comprobatum est argumentis chartam illam Haregarii esse parva quidem arte confectam, cum septem plane ignotorum episcoporum subscriptiones exhibeat, quæ leguntur eædem et eodem ordine, cum clericorum, abbatum et laicorum sexdecim aliis, in altera ejusdem officinæ charta, quæ nomen S. Carilefi et annum 538 præ se fert. Nullus præterea qui credat quatuor et viginti testes, qui anno

ANNI CHRISTI

543, 526, aut 528, Haregarii testamento subscripserant, eosdem, spatio tot annorum elapso, omnes ad unum superstites, anno 538 chartæ S. Carilefi subscripsisse in monasterio Anisolæ datæ. Nec alia apud nos sententia de subscribente Innocente chartulæ S. Tenestinæ, et alteri S. Carilefi testamento, quæ Mabillonius edidit e Gestis Cenomanensium Episcoporum. Nequaquam his signum apposuit instrumentis Innocens, quæ confecerunt nono sæculo canonici Cenomanenses, episcopalis nimium juris studiosi.

IX. Scienfredus.

Scienfredus recensetur a quibusdam post Innocentem inter Cenomanensis ecclesiæ præsules; quem nonnulli prætermisere, alii vero pseudo-episcopum dixere. Scienfredus ille stirpe Francus, Innocenti datus muneris et quasi dignitatis consors, cathedram, eo moriente, solus, ut videtur, occupavit, nec collectis rite suffragiis, nec ordinatione suscepta. Unde clerum apud Cenomanensem tyranni famam consecutus est. Nec mireris igitur si liber Gestorum, nullam hujusce Scienfredi servans memoriam, sedem aliquandiu post Innocentem vacavisse referat. Consulendi præcipue de Scienfredo Faustus, in Vita S. Mauri, Papebrochius ad diem 16 Maii, in Bollandianis collectaneis, Bondonnetus in Observ. ad vitam S. Innocentis, et, inter recentiores, domnus Paulus Piolinus, eximius intricatæ rei enodator, in prooemio Hist. Cenoman. Ecclesiæ, p. 132.

X. S. Domnolus.

De hujus ad episcopatum promotione Gregorius Turonensis audiendus, Hist. Franc. lib. VI, num. 9 : « Tempore Clotharii regis, « inquit, apud Parisios ad basilicam S. Laurentii gregi monasteriali præfuerat; sed « quoniam, Childeberto seniore vivente, « semper Clothario regi fidelis extitit, et « nuntios illius ad speculandum missos crebrius occulebat, præstolabatur rex locum « in quo pontificatus honorem acciperet. Mi« grante autem Avenniensis civitatis ponti« fice, istum illuc deliberaverat. Sed B. Dom« nolus, hæc audiens, ad basilicam S. Mar« tini antistitis, quo tunc Clotharius rex ad « orationem venerat, accessit, et nocte tota « in vigiliis excubans, per priores qui ade« rant regi suggestionem intulit, ut non, « quasi captivus, ab ejus elongaretur aspectu, « nec permitteret simplicitatem illius inter « senatores sophisticos ac judices philoso« phicos fatigari, adserens hunc locum hu« militatis sibi esse potius quam honoris. Ad « hæc rex annuens, migrante Innocentio, « Cenomanorum episcopo, ipsum ecclesiæ « illi antistitem destinavit. » Hæc ad annum

A 559 vel 560 referenda, cum Gregorius dicat Domnolum vita decessisse, postquam per duos annos et viginti sedisset, anno septimo Childeberti regis, qui scilicet erat Chilperici et Gunthramni vicesimus primus. Sic enim Gregorius expresse diem obitus adscribit fastis anni 581. Hunc autem Gregorii locum rejecere, ab imperito quasi corruptum interpolatore, Cointius, ad annum 545, et Papebrochius, agens in Bollandianis collectaneis de S. Domnolo : quibus distinguendus videtur Domnolus, Cenomanensis præsul, ab altero, si quis fuit, Domnolo, S. Laurentii B Parisiensis abbate. Utrumque vero dispunctorem congruenter redarguit Domnus *Bouquet*, in notis ad Gregorium; Rer. Gallic. Script. t. II, p. 271. Antecessores præterea nostros assentientes domno *Bouquet* consule, t. I, col. 797. Roma redibat Domnolus, e Gestis, cum a plebe cleroque Cenomani salutatus est episcopus. Episcopantis hujus nomen primum occurrit anno, ut videtur, 566, in spuria Galli, abbatis Anisolensis, charta, et, eodem anno, in privilegio quod a S. Germano abbatiæ S. Crucis, juxta Parisios, concessum quidam tradunt, quidam C reputant æque fictitium. Numeratur, anno 567, inter præsules qui subscripserunt canonibus secundi Turonensis concilii. Quo forsitan anno, ut supra diximus, cum Euphronio metropolita litteras dirigebat ad Radegundem reginam, et provincialem plebem monebat de nuptiis removendis, imminente quadam publica peste. Legitur eum, anno septimo Theodeberti regis, confirmationem accepisse fundati nuper oratorii S. Martini. Annus vero Theodeberti septimus concordat cum anno Christi 541 : unde palam est aut spurium esse diploma, aut regis D nomen mendose librarium scripsisse. Adde quod Theodebertus, Austrasiæ rex, Cenomanensibus nunquam præfuit. Quod animadvertens D. *Bouquet*, t. IV, p. 620, pro Theodeberto Childebertum legit. Cum autem Childebertus Cenomanensis agri principatum, Clodomiro defuncto, anno jam 524 adeptus esset, inde major exoritur annorum discordantia. Quamobrem D. *de Bréquigny*. removendum hoc præceptum æstimavit. Neutiquam vero huic adhærentes sententiæ, in Theodeberti locum Charibertum, sive Cherebertum, non multo discrepantem, suffi- E ciendum arbitramur, sicque diploma nullum aliud præ se ferens falsitatis indicium anno 567 collocamus. Hoc pro vero quidem accepit quicumque falsarius tantam confecit farraginem chartarum ad ecclesiæ matris jura spectantium. Ex eo sedenim sumpsit totius operis sui subtemen, integram subscriptionis formulam, notas chronicas, et nomen notarii locique, ut Childeberti conficeret diploma ab Haregario data confirmantis. Anno 568, ut videtur, adfuit Domnolus consecra-

Marginal notes (right): ANNI CHRISTI 559 — 567 — Cl. III, p. 101. — 568

ANNI CHRISTI

tioni Nannetensis ecclesiæ. Quod sic Fortunatus memorat :

Domnolus hic fulget meritis.

Mox ad suos redux monasterium SS. Vincentio et Laurentio sacratum ædificare curavit, (Ch. v, col. 103.) et postquam ad dedicationem basilicæ Germanum, Parisiensem episcopum, vocavisset, testem eum habuit donorum quæ consecrato ipse monasterio largitus est, pridie nonas
572 Martii 572. Exstat et ejusdem charta, anno
581 581 data, qua villam Canon monachis S. Vincentii tradit. Eodem anno decessit Domnolus, calendis Decembris, et sepultus est in basilica S. Vincentii. Nec multo postquam decesserat, numero sanctorum fuit adscriptus, (Ch. vi, col. 119.) nempe *sancti* Domnoli expresse Bertichramnus in testamento suo meminit. Hujus corpus levavit Hildebertus pontifex, anno 1124. Quædam vero pars reliquiarum S. Domnoli usque ad ultimi sæculi finem servata memoratur in abbatia quadam Briensi (1). De Domnolo consule Histor. Franciæ Litterariam, t. III, p. 328, et Dan. Papebrochium in Bollandianis collectaneis, 3 Maii.

XI. Badegisilus.

Mortem sentiens proximam Domnolus, Theodulfum quemdam abbatem regi commendavit Cenomanensi præficiendum ecclesiæ. Hujus rex votis annuit : mox vero, sententia mutata, Badegisilum, sive Badechisilum, Theodulfo rex potiorem habuit, quem Domnolo succedere jussit. Is autem erat Badegisilus regiæ major domus, nec jam ecclesiasticæ nomen dederat militiæ. Cum quadragesimus curreret dies a quo tonsuram erat adeptus, Domnolo demortuo suffectus est. Hæc Gregorius, Hist. Franc. lib. VI, n. 9.
585 Occurrit Badegisilus, anno 585, in concilio Matisconensi secundo; apud Concilia Galliæ quæ domnus *Labat* collegit, col. 1306. Cujus
586 de morte sic Gregorius, ad annum 586, Hist. lib. VIII, n. 39 : « Eo anno multi episcoporum obierunt. Badegisilus vero, Cenomanorum episcopus, vir valde sævus in populo, « auferens, sive diripiens injuste res diversorum. Ad cujus animum acerbum atque immitem conjux accesserat sævior, quæ illum « in committendis sceleribus nequissimi consilii stimulis perurgebat. Nec præteribat « dies, aut momentum ullum, in quo non in « spoliis civium, aut in diversis altercationibus grassaretur. Quotidie autem cum judi-
A « cibus causas discutere, militias sæculares « exercere, sævire in alios, alios cædibus agere « non cessabat... Quinto autem anno episcopatus sui expleto, cum, jam sextum ingrediens, epulum civibus cum immensa « lætitia præparasset, a febre correptus annum quem cœperat protinus morte imminente finivit. » Meminit præterea Gregorius Nectarii, magnifici viri, quem Badegisili fratrem nuncupat; lib. VII, n. 15. Uxorem et dixit Badegisili Magnatrudem, e qua filiam susceperat; lib X, n. 5. Cenomanensium episcoporum Gesta Badegisili meminere tan-
B tum in vita Bertramni, ubi legitur tyrannica potestate sedem adeptus, et contra canonum auctoritatem. Hunc tamen non prætermisit vetus nomenclator, apud Mabillonium, Analect. t. III, p. 47.

XII. S. Bertramnus.

Bertramnus, sive Bertichramnus, natus in Aquitania, genere tamen Francus et ex illustri stirpe oriundus, patrem habuit Sigelenum, fratres Berthulfum, militem, et Hermenulfum, præceptorem S. Germanum,
C Parisiorum episcopum. In domo S. Martini Turonensis comam deposuit. Archidiaconi postea munere donatus est in ecclesia Parisiensi. Baudegisilo succedere jussus in jurgium mox venit cum Magnatrude, Baudegisili vidua, quæ res ecclesiæ quasi suas invaserat; apud Gregorium Turon., lib. VIII, num. 39. Aliquanto post, a Gunthramno rege missus est ad Britonum principes, qui Nannetenses fines erant deprædati; ex eodem, sub annum 587, Hist. lib. IX, n. 18. 587
Subscripsit, annum circa 589, rescripto Pictaviensis synodi de dissidiis quæ in mo-
D nasterio S. Crucis erant exorta. Anno 593, 593
Gunthramno rege mortuo, adhæsit Clothario II Bertramnus, hunc reputans et firmiter asserens legitimum pagi Cenomanensis hæredem. Unde quum plurima in eum mala confluxerunt. Clotharius enim infeliciter de parte regni sibi debita contendens, Martem habuit adversum, accedensque Theodoricus, in prælio victor, a Bertramno debitum petiit obsequium. Is autem victo licet Clothario fidem servavit, et ob id memoratur expulsus e sede, bonis spoliatus, et non semel carceri mandatus. De quibus ipse Ber-
E tramnus in testamento suo non semel loquitur. (Ch. vi, p. 107, 109.) Interea Cenomanensis tractus maximis æstuavit discordiis, per quas matris ecclesiæ bona, sedulum desiderantis pastorem, prædones undique sibi vindicaverunt, probante, vel non prohibente Theodorico rege. Inter eos Berthegiselus quidam occurrit clericus, de cujus insidiis plura refert Bertramni testamentum. Testamentum hoc, perquam insigne charitatis pignus, et quo nullum forsitan pretiosius inter antiquariæ supellecti-

(1) Legitur in Diario Burgensis Parisiensis, nuper curis D. L. *Lalanne* edito : « *Audit an* 1530, *le seizième de Mai, se manifesta fort un glorieux corps saint M. saint Dosme, qui fut évêque du Mans, duquel le corps est en une châsse en l'abbaye de Chaulmes, près Brie-Comte-Robert, en Brie : lequel seigneur est canonisé. Si advint que ce dit jour, l'abbé de ladite abbaye de Chaulmes, accompagné de ses religieux et plusieurs autres personnes, alla en dévotion visiter la châsse dudit saint et l'ouvrit, où plusieurs malades y reçurent santé et guérison de plusieurs maladies.* »

ANNI CHRISTI

lis documenta, condidit Bertramnus anno 615. Decessit anno, ut videtur, 623, die 30 Junii. Ejus tamen memoriam colit ecclesia Cenomanensis 3 Julii. Cœnobiticæ vitæ studiosus optime de monasteriis antea extructis meritus est, et nova in altum eduxit de quibus mox mentio fiet. Nec prætereundum quod, licet gente Barbarus, Romanas novit artes et plura scripsit metrice quæ temporis invidia sustulit. Quod testatur Venantius Fortunatus, Operum part. prim., lib. III, c. 23. De S. Bertramno legendus Rivetius, Hist. Franciæ Litteraria, t. III, p. 527.

XIII. S. Haduindus.

625 • Haduindus, sive Caduindus, Chadænus, Harduinus, aut etiam Clodænus, natione, ut quidam opinantur, Erigena, concilio Remensi adfuit anno 625. Pluribus in schedulis reperitur quibus neganda fides. Silent quidem omnes ævi recentioris chronographi de chartis Haduindi ad Anisolense monasterium spectantibus; quas mere fictitias solemne judicium declaravit. Rejiciendæ præterea videntur, ab eodem veluti calamo confectæ, quæque S. Lonegisili una et S. Haduindi nomina præbent, ut eximie notavit D. *de Bréquigny*. Sincerum igitur nullum hujusce temporis diploma, nisi sæpe laudatum prædicti pontificis testamentum; quod scilicet Cadulpho notario dictavit, VIII idus Februarii 642. Haduindi mentio fit in actis synodi Cabillonensis, anno 644 congregatæ. Ipse non in ea sedit, sed Chagnoaldus abbas ejus locum tenuit. Annos Haduindi pontificantis computantes diversi diversa sentiunt: potior videtur eorum sententia qui illum referunt hinc migrasse annum circa 652. Plura jam supra notatis monasteriis contulit, et Ebronium condidit. Hujus obitum ecclesia Cenomanensis honorabat 20 Augusti.

(Ch. VII, col. 121.)

642

XIV. S. Berarius.

Berarius, idem qui Beracharius et Berecarius dicitur, ex Aquitania oriundus, nobiles habuit tum e Gallorum, tum e Francorum gente parentes. Ideo plurimum valens in aula principum: acceptus præterea plebi cleroque, ut qui res sibi demandatas egregie curabat. Nulla tunc temporis libertas, aut nimia; pro jure publico, dynastæ semet regem jactitantis arbitrium, humilibus durum, molle potentibus. Natalitio sidere numero potentium adscriptus Berarius Clotharium adiit, poscens uti nullus Cenomanico pago dux comesve præficeretur, nisi quem episcopi, abbatum populique suffragia vocassent. Quæ concedentem expertus Clotharium, eumdem Berarius dein audivit repetentem villas quasdam Cenomanorum præsuli contra jus, ut videtur, traditas. Monasterio S. Dionysii

A Parisiensis, cognita causa, prædictæ villæ fuerunt restitutæ. Hanc sententiam, anno circiter 658 datam, reperies inter diplomata quæ rursus edidit D. *Pardessus*. Subscripsit Berarius, anno 659, Emmonis, Senonensis episcopi, præcepto de rebus abbatiæ S. Columbæ, et ejusdem chartæ de privilegiis S. Petri. Ei concessit, calendis Martii 667, Childericus rex quidquid habebat in Arduno villa, apud Pictavos, ut testatur charta, quam, uti spectantem ad Cenomanensem ecclesiam, dixit protinus suspectam, mox falsam, D. *de Bréquigny*. Falsitatis nulla apparent signa; quædam B vero corruptionis. Non compendiose quidem narravit Gestorum auctor quo studio Berarius parthenonem S. Scolasticæ, juxta muros urbis, instauraverit. Quadam nocte, dum pervigil oraret, vocem audivit jubentem ut ad montem Cassinum devotissimos Deo servos mitteret, S. Scolasticæ, quam sororem Benedictus habuerat, corpus saxorum acervis obrutum delaturos. Missi protinus legati, qui ut primum Cenomanicis e tractibus recessere, ad Floriacense monasterium devenerunt, et, ibi comitibus viæ quibusdam susceptis, oras Italiæ remotissimas petiverunt, C Deo duce confisi. Prodigiis iter insignitum quam plurimis. Non tantum vero S. Scolasticæ, sed etiam S. Benedicti fratris corpus secum asportantes peregrini, Floriacum, mox Cenomanum redierunt. Berarius advenientibus obviam pergens sacrum onus solemniter excepit, innumera utriusque sexus comitante turba, sanctamque Scolasticam, urbis Cenomanicæ futuram patronam, in basilica nuper consecrata condi curavit. Audiendi, si libet, hac de translatione Cassinenses monachi, nec non plerique rerum Italicarum scriptores. Nostros quidem asserunt fabulam hanc cónfinxisse, et intactum huc usque benedictinæ D sectæ patriarcham in Cassinensi tumulo jacere. Berarius præterea Loppam, Eirigni viduam, adjuvit condentem Tuffiacense, juxta littus Idoneæ, monasterium. Vetus qui S. Serenedi vitam et mores depinxit hagiographus Berarii meminit sanctum virum ad se vocantis. Obiisse legitur Berarius XVI calendas Novembris, in villa dicta *Baneth*, juxta Burdigalam, cum ad patrias remeasset oras. Annus vero decedentis incertus relinquitur. Floruit, ut memorat Gestorum eclogarius, « tempore ultimo Clodovæi, filii Dagoberti, et tempore Clotharii atque Theodo- E « rici, filiorum ejus. » Ut huic fides habeatur chronologiæ, advertendum est quod, anno 668, Theodoricum Ebroinus in locum Clotharii morientis sufficit. Ille vero per aliquot tantum menses regium administravit munus; mox inclusus in monasterio S. Dionysii, ex eo non exivit ante annum 673, Childerico II fratre defuncto. Berarium ergo usque ad annum circiter 669 sedisse conjicimus, e nomenclatoribus et chartis melioris notæ. Nec fugit

ANNI CHRISTI

(Diplom. Chartæ, edit. nov., t. II, p. 108.)

ANNI CHRISTI quidem nos in Mabillonii Analectis reperiri
testamentum Hunaldi et uxoris ejus Deodatæ,
donantium Berario episcopo quidquid possidebant in villa Gaviriaco, prope Burdigalam, anno Theodorici quarto, Christi nati
676. Hæc vero Hunaldi charta, quæ nusquam apparet nisi in Gestis Cenomanensium
episcoporum, chronicas certe præbet notas
sublestæ fidei. Jam enim hoc anno 676 Berarius abierat e vivis, et alium exceperat cathedra Cenomanensis episcopum.

XV. Aiglibertus.

Berario, forsitan consanguineo, successit
Aiglibertus, genere et ipse Aquitanus, vir litteris imbutus. Hunc Angilbertum quidam
dicunt, vel Gilbertum, sed perperam, ut
constat ex instrumentis optimæ fidei. Occur-
671 rit, anno 671, in diplomate Childerici II, reditus fiscales villæ Arduni ecclesiæ Cenomanensi confirmantis. Unde perquam cautus
Dipl. Ch., ed. nov., t. II, p. 156. vir *de Bréquigny* falsum id diploma reputat,
cum ei infulas adeptus videatur Aiglibertus
Childerico jam a septem annis defuncto. Cui
non tamen suffragamur, Cointium licet et
Bondonnetum testes exhibeat. Legimus enim
in Gestis Aiglibertum vixisse temporibus
Childerici secundi et Theodorici, filiorum
Clodovæi secundi : quo freti testimonio,
et ultimis Cenomanensium episcoporum nomenclatoribus adhærentes, annum circa 670
Aiglibertum pedo pastorali donatum accipimus. Si vero, ad fidem Bondonneti et cæterorum, Aiglibertum per annos quinque et triginta sedisse diceremus, cum ei jam suffectus
Herlemundus occurrat anno 698, ad annum
663 Aigliberti removenda esset adlectio : quod
nullo modo cum ipsius Bondonneti chronologia concordaret. Theodoricum Aiglibertus
675 regem adiit anno 675, ecclesiæ Cenomanensi
firmius adscribendum rogitans Tuffiacense
monasterium, cujus Aidila abbatissa se in libertatem vindicare tentabat. Petenti rex aurem
accommodans, ecclesiæ Cenomanensis in Tuffiacenses puellas jura diplomate roboravit.
Gratissimus erat Aiglibertus Theodorico,
ab eoque accitus in aulam, apocrisiarii munus gessit, res cleri gallicani suscipiens, ut
mos erat, administrandas. Nec ideo mirum si
Theodoricus indulserit illi quæcumque poposcit. Petens igitur Aiglibertus a rege ut
monasterium B. Mariæ, inter Sartam et civitatis muros, non secus ac recenter Tuffiacense,
sub matris ecclesiæ dominatione confirmaretur, ab eo præceptum obtinuit, anno 676,
votis plane congruens. Cui monasterio propinquam suam Adam, seu Alrechildem,
vulgo S. Adnetam, postquam præfecisset Aiglibertus, immunitates ei concessit amplas,
anno undecimo Theoderici regis, sicut memoravit in Annalibus Mabillonius, t. I, p. 560;
684 anno scilicet 684, neutiquam anno 700, prout

A opinatus est *de Bréquigny*, nesciens quidem ANNI CHRISTI
Aiglibertum ante finem septimi sæculi terrenis solutum fuisse curis. Duas enim ha- Diplom. Chart., edit. nov. t. II, p. 253.
bemus Aigliberti chartas, et ejusdem fere
tenoris, de concessis monasterio B. Mariæ
privilegiis : chronicas vero notas altera præbet falsas, altera subscriptiones sublestæ fidei,
proculdubio corruptas. Ex ea quam potiorem
æstimavisse videtur Mabillonius chronicas
sumimus notas, subscriptiones vero rejicimus, utpote quas suo Marte protulit scriptor
quidam sudoris nostri nimium securus, et
orationis ornandæ causa falso verum æque
B miscens. Fictitium ergo nobis est concilium
istud Cenomani anno 684 celebratum, cui
tot episcopi memorantur interfuisse, quorum ignoti plerique, fatente Mabillonio, quidam cogniti, sed non tunc vitam agentes.
Quod apte notavit *de Bréquigny*. Theodorici Ch. VIII, col. 123
diploma, anno datum 685, Aigliberto jus tribuit cudendæ monetæ. In hoc diplomate,
quod primus suspectum habuit dominus Li- Singularités historiques et littér., t. I, p. 145
ronius, ultimus *de Bréquigny*, sed perperam, ut videtur, legitur Aiglibertus Cenomaniæ urbis archiepiscopus, non, ut quidam
autumant, amanuensis errore, sed honoris
C causa, cum Theodorico perquam familiaris
Aiglibertus, et princeps dictus episcoporum,
pallium ipse gesserit. Tradidit Aiglibertus,
anno 692, decimas quasdam parthenoni 692
Beatæ Mariæ Cenomanensis. Subscripsit, sexta
Martii die 696, vel 697, Agerardi privilegio, 696
Carnotensis episcopi, monasterio cuidam
B. Mariæ supra Ligerim concesso. Degens
apud regem Aiglibertus adjutorem habuit
episcopalis muneris Petrum quemdam, cujus
meminerunt Gesta Cenomanensium episcoporum, in villa natum quæ dicitur Campiniacus super Idoneam fluvium. Is non segniter
D laicis obstitit ecclesiasticam rem invadentibus : sed vicario defuit auctoritas in obeundo
munere quod præsul dimiserat.

Post Aiglibertum Berarium quemdam, nomine secundum, memorant recentiores ecclesiæ Cenomanensis historiographi. Asserunt
quidem Berarium hunc secundum spuria de
juribus ecclesiæ matris in Anisolense monasterium instrumenta, et testamentum sub ejusdem nomine vulgatum. Hoc vero testamentum incertas præbet temporis notas, et tot
mendosis aut saltem inter se pugnantibus
conditum est, ut inter ea quæ refert nullam
E agere valeamus concordiam. De subdititiis
quæ spectant ad Anisolenses chartis satis
dictum. Adverte præterea quod nulla sit Berarii secundi mentio sive in Gestis Cenomanensium episcoporum, sive in eorumdem veteri nomenclatura a Mabillonio edita, Anal.,
t. III, p. 46, sive in altera forsitan recentiori
quam servat codex Regius 4955. Si vero non
tibi jam constat supposititium hunc esse Berarium, nota quod inter Cenomanenses episcopos admitti non possit, nisi falsitatis notam

ANNI CHRISTI

incurrant Herlemundi quæque nomen exhi-
bent chartæ. Episcopalium Gestorum plus-
quam decet pervicax dispunctor D. *de Bréqui-
gny,* Herlemundi simul et Berarii secundi
diplomata spernit et inter fraudulentas annu-
merat tabulas, nimium ipse confidens Bon-
donneti chronologiæ. Saxis quidem et vepri-
bus horret via quam nunc aggredimur. Pru-
denter ibimus, ciscumspicientes omnia, et
incerta certis, pro viribus, discernentes.

XVI. Herlemundus I.

Vixit Herlemundus, ut Gesta memorant,
« ultimo tempore Childeberti, filii Theoderici
« regis, et primo tempore Dagoberti, filii ejus-
« dem Childeberti. » Childebertus is, quem
Morellus vocat secundum, et recentiores anna-
listæ tertium, ab anno 695 sedit ad annum
711; cui successit Dagobertus secundus, alias
tertius, ab anno 711 ad annum 715. Inter
quos annos, si pauca excipias, edita sunt
documenta quæ nobis nomen Herlemundi
præbent episcopi. Erat Herlemundus genere
Francus, nobili satus prosapia. Cujus ad
698 precem Childebertus III, anno 698, regni
sui quarto, villam Ardunum ecclesiæ Ceno-
manensi confirmavit. Confirmationem hanc
spuriam asserit D. *de Bréquigny,* quando-
quidem, ut ait, secundum Bondonnetum et
Cointium, Herlemundus infulas non obti-
nuerit ante annum 716. Hanc vero chrono-
logiam, nullis aut male intellectis innixam
testimoniis, rejiciendam arbitramur. Erro-
neum annum exhibet, et a Cointio non infe-
liciter emendatum, Childeberti quoddam
diploma Herlemundo rursus concedentis ne
quis dux, vel comes, apud Cenomanenses
constitueretur, nisi prius a plebe cleroque
delectus. Fuit forsitan Childeberti quartus,
qui male transcriptus legitur quadragesi-
mus annus. Somniat vero Corvæserius,
nullos tunc temporis Cenomanensibus duces
comitesve præfuisse contendens. Herlemundi
fuerunt enim coævi Rotgarius comes, et filius
Rotgarii Charivius. Cœnobiticæ disciplinæ
valde faventem se præbuit Herlemundus.
Cellulam quamdam juxta muros civitatis in
honorem S. Audoeni extruxit, ibique duode-
cim constituit monachos, sub Seufredo ab-
bate. Quibus vicum Artinum, villam necnon
Proliacum, de rebus ecclesiæ matris largi-
tus est. Dagobertum III habemus huic dona-
713 tioni subscribentem, anno 713. Herlemundi
obsequens petenti, eodem anno, secunda
die Martii, Dagobertus confirmavit cunctas
immunitates a prædecessoribus suis ecclesiæ
Cenomanensi traditas. Cujus confirmationis
diploma, tum in chartulario Anisolensi, ut
testatur Labbæus, tum in Gestis Cenoma-
nensium episcoporum servatum, inter sin-
cera ponimus instrumenta, ab eo resecantes
quidquid eidem quoad rem Anisolensem im-
proba manus fraudulentum appinxit. Ejus-
dem mensis decima die, Dagobertus rex
villam Ardunum territorio Cenomanensis
ecclesiæ firmius adstrinxit omni consuetu-
dine liberam. Census Herlemundo solvendos
episcopo recognoverunt, anno 721, juniores 721
quidam in Arduno pago degentes. Eodem
infulas etiam tunc gerente, anno vero regni
sui secundo, 5 Martii 722, Theodoricus IV 722
Ardunum hunc pagum confirmavit inter pos-
sessiones SS. Gervasii et Protasii. Legitur
insuper in Gestis episcoporum Cenomanen-
sium Herlemundus monasteriolum quoddam
Talidi, vulgo *le Teil,* extruens iterum ve-
tustate collapsum, ibique monachos ordinis
Benedictini normam profitentes collocans,
quorum tunc temporis abbas Quirinus no-
minatur. Decessit, ut aiunt, Herlemundus
IX calendas Novembris 724 et apud Vincen-
tianos sepultus est. Archidiacono usus est
Chirmiro, qui non absentis modo, sed etiam
præsentis vices gessit, vir doctrinæ et pru-
dentiæ laude clarus. Recensendus is Chir-
mirus inter S. Vincentii Cenomanensis ab-
bates. Herlemundum quidam numero sanc-
torum adscribunt; nullo tamen indicio ad
eum preces latas novimus.

XVII. Gauziolenus.

Herlemundo defuncto, per aliquot annos
Cenomanensis sedes vacavit. Ecclesiæ res
invaserat Rotgarius comes: qui tamen, cum
pastorem clerus posceret, Gauziolenum,
sive Goscelinum, filium suum, in cathedra,
non adhibitis suffragiis, violenter posuit.
Hunc Turonensis metropolita consecrandum
respuit, Rotomagensis autem, mediante, ut
aiunt, pecunia, suscepit. Hæc tradit auctor
Gestorum, a quo tamen incertum relinqui-
tur qui tunc sive Turonibus, sive Rotomagi,
sederent metropolitæ. Quamobrem primum
nescimus annum Gauzioleni tyrannicum in-
choantis episcopatum. Huic confirmavit
Childericus III, anno 743, Arduni possessio-
nem; Diplom., Chart., t. II, p. 383. Adverte 743
quod in hoc regio diplomate Berarius, Aigli-
bertus, Herlemundus et Gauziolenus epis-
copi ordinatim nuncupentur, nulla Berarii II
habita ratione. Nec multo post, ut videtur,
expulsus est Gauziolenus a Pippino.

XVIII. Herlemundus II.

His auctor Gestorum verbis sermonem in-
choat de Herlemundo secundo: « Transactis
« quibusdam annis, mortuisque Dagoberto
« et Theodorico, intellexit Pippinus quod
« antedicti tyranni Rotgarius et Charivius
« (Rotgarii filius) absque sua jussione vel
« suo consensu, et non canonice, sed tyran-
« nice episcopum instituerint: præcepit in
« Colonia, metropoli civitate, quemdam cle-

ANNI CHRISTI

« rieum et sacerdotem suum, Herlemundum « nomine, nobilem vero genere moribusque « bonis ornatum, episcopum ad civitatem « Cenomanicam titulari et ordinari. » Missum a Pippino pontificem Rotgarius, ut aiunt, benigne suscepit, et Gauziolenum ablegavit. Postea autem Gauziolenus, structis insidiis, cum ad lautas epulas accitum obcæcavit. Infelix tunc Herlemundus abiit, latebras quærens lugentibus hospitales, secessitque in monasterium Duorum Gemellorum, cui frater ejus præerat, in ecclesia Baiocensi. Eum per annos novem sedisse Gesta memorant.

XIX. Gauziolenus.

Abeunte Herlemundo, Gauziolenus iterum cathedra potitus est. Audiens autem Pippinus patratum scelus, Gauziolenum Parisios venire jussit, et ipsum postquam pari mulctavisset supplicio, geminis luminibus orbatum a resumendis infulis non tamen prohibuit. Ille igitur Cenomanum rediit, et episcopus nomine, non re, chorepiscopos vicissim habuit Senfredum, Desideratum, Berthodum et
756 Merolum. Occurrit Gauziolenus, anno 756, C
precariam accipiens ab Adalberto et Haganone, quibus in beneficium plura tradiderat; ex Analect. t. III, p. 237. Subscripsisse creditur, anno 762, chartæ fundationis Prumiensis abbatiæ. Hoc revera documentum *Gauloni* nomen exhibet episcopi : Gauziolenum vero lege, interprete Mabillonio; Anal. t. II, p. 202. Adfuit postea Gauziolenus,
765 anno 765, Attiniacensi placito; in conciliis Domin. *Mansi*, t. XIII, col. 675. Silviaci decessit, anno, ut opinantur, 771. Unde mortales ejus exuviæ Cenomanum allatæ sunt, et in basilica SS. Petri et Pauli conditæ.

XX. Hodingus.

Hodingus, quem alii vocant Odigum, sive Audingum, palatii sacerdos regii, a Carolo Magno Cenomanensi præfectus est ecclesiæ. Ut in episcopalem civitatem devenit, permixtas res componere studuit : elapso autem biennio, operam dolens perdidisse, ad Carolum rediit et acerbe de bonorum ecclesiæ deprædatoribus questus est. Eum postea Carolus in cathedram induxit Bellovacensem. De quo supra t. IX, col. 696.

XXI. Merolus.

Tunc vero, consilia sequens Angilramni, qui primas inter palatinos clericos tenebat, Carolus Magnus Merolo, sive Meroldo, Cenomanensem ecclesiam demandavit. Is erat Merolus qui sub Gauzioleno, necnon sub Hodingo, chorepiscopi munus adimpleverat. Commutationem occurrit peragens cum Ra-
A ligando, abbate S. Carilefi; qua sub lege tradidit monachis villam Sabonarias et ab eis accepit Curtem Bosanam. Hæc confirmavit
Carolus Magnus xi cal. Martii 774, Papiæ 774
tunc degens; Rer. Gall. Script., t. V, p. 723. Annum circa 776, Cenomani Merolus Carolum Magnum excipiebat. Enumerant Gesta quas villas, quæ monasteria restitui jusserit ecclesiæ S. Gervasii hospes ille præpotens, cujus asperum nemo non supercilium for-
midabat. Testatus est, Aprili mense 780, 780
Wilibertus miles a Merolo se plurima sub conditione census accepisse : precarias Wi-
B liberti lege litteras, in Baluzii Miscellan., t. III, p. 161 et seq. Idem Merolus a Carolo Magno præceptum obtinuit de jure cudendæ monetæ. Decessit xv cal. Aprilis, in villa quam Sanctam Spinam vocabant. Erronea computatione tradit auctor Gestorum hunc per annos triginta sedem Cenomanensem tenuisse. Annos enim Hodingi duos si ducas a primo Caroli regnantis, pontificantis Meroli tricesimus annus erit incarnati Christi octingentesimus. Josephus autem et ipse Franco, ut infra leges, annum ante 800 cathedram Cenomanensem conscenderant.

XXII. Josephus.

Archidiaconi sub Merolo munere fungebatur Josephus, patria Cenomanensis, Carcere, ut aiunt, natus. Quem postea vox cleri plebisque, vel potius, ut domnus *Briant* opinatur, summum Caroli Magni arbitrium Cenomanensi præfecit ecclesiæ. Criminibus mox impetitus, jubente Carolo ante conventum synodalem ductus est. Unde veste mutata, succincto nempe gladio et accipitre in læva posito, fugam tentavit. Comprehensus
D autem et damnatus ad archipræsulem Turonensem missus est, qui eum perpetuæ mandavit custodiæ, in cellula quadam Condedæ sita. Ibi Josephus decessit. Sedem Cenomanensem per novem annos tenuerat.

XXIII. Franco I.

Franco, gente Francus, natus erat Asbaniæ, apud Westphalos. Ut quem insignium series avorum commendabat Carolus Magnus Franconem in gregem Aquensium aulicorum acciverat : unde Cenomanum pergere jussit
E et vacantem subire cathedram, anno 794, ut ex ejus epitaphio desumitur. Die 17 Decem-
bris 796, occurrit Franco redux Aquas et a 796
Carolo Magno præceptum impetrans satis amplum de rebus quibuslibet ecclesiæ Cenomanensis. Jam tum movebantur inter monachos S. Carilefi Cenomanensemque præsulem acerrima illa dissidia quæ plurimis dein in conciliis obstrepuere. Archambaldum, regis cancellarium, luserunt falsæ, quas exhibuit
Franco, tabulæ, et anno, ut videtur, 802, 802

ANNI CHRISTI

Carolus Magnus, ad precem prædicti Francois, monachos, libertate genuina orbatos,
invisa sub tutela Cenomanensis præsulis
constituit. Eodem anno, quosdam S. Gervasii canonicos misit ad imperatorem Aquis degentem, qui decimas et nonas ecclesiæ suæ
debitas solvi flagitarent. Horum votis annuens Carolus, fidelibus suis mandavit ut sine
mora debitos census numerarent; Rer. Gallic.
814 Script., t. V, p. 767. Anno tandem 814,
xiii cal. Septembris, Franco præceptum a
Ludovico Pio obtinuit, quo sancita Cenomanensis ecclesiæ privilegia; ibid., t. VI, p. 459.
816 Obiit iii cal. Februarii 816, in villa quæ *Baliau* tunc temporis dicebatur, non procul ab
Anisola. Unde corpus ejus deduxerunt et in
basilica S. Vincentii sepelierunt, humati tumulum his carminibus exornantes :

Hoc busto tegitur tumulatus Franco sacerdos :
Fessus jam senio hac requiescit humo,
Urbem hanc qui rexit felix moderamine justo,
Algida corda fovens dogmate nempe sacro.
Decursis annis bis denis atque duobus,
Ad cœlum vehitur regna beata petens.
Dic, quicumque legis hæc verba precantia, quæso :
« Perpetuam requiem donet ei Dominus. »

XXIV. Franco II.

Antecedentis nepos Franco junior et in
eadem terra natus, e diacono regiæ capellæ episcopus Cenomanensis evasit, Ludovici
Pii beneficio. Landrannus eum archipræsul consecravit. Obtinuit, 31 Maii 825, regium præceptum, quo jura monachorum
S. Carilefi, jam, ut diximus, controversa,
Ludovicus ad ipsius episcopi precem confir-
Mansi, Concil., t. xiv, col. 605. mavit. Adfuit, anno 829, Parisiensi sexto concilio. Decessit tandem viii idus Novembris
832, postquam per annos sexdecim, menses
quinque et quinque dies sedem tenuisset.
Hæc tradit auctor Gestorum. Franco II, in
basilica S. Vincentii sepultus, hoc honestatus est epitaphio :

Qui fuerat largus, nulli bonitate secundus,
Francia quem genuit, mors inimica tulit.
Et doctor populi, pius, ac miserator egentum,
Franconisque nepos, præditus eloquio.
Jamque decem et septem fere volventibus annis,
Abstractus carne fertur ad astra poli.
Hos quicumque legis versus, dic, lector opime :
« Æternam requiem det ei celsitonans ».

XXV. S. Aldricus.

Natus in Saxonia, vel in Westphalia, patrem Aldricus habuit nomine Sionem, matrem Gerildim. Ortus e regia stirpe dicitur.
Educandum eum aula teneris ab annis suscepit : Metas deinde secedens, ibi litteras tam
profanas quam sacras accuratius excoluit.
Diaconus postea factus est, sacerdos, cantor,

A scholasticus et primicerius in ecclesia Metensi.
Unde in capellam vocatus regiam et summa
gratia florens, Ludovici imperatoris non in
aula tantum sed etiam in castris assiduus comes permansit Devenerant ambo Turones,
Novembri mense 832, quum Cenomanenses 832
eos missi adierunt, pastorem novum flagitantes. Aldricum Ludovicus illico vel renitentem præbuit. Qui Cenomanum dein mandato
regis se recipiens, a Landranno metropolita
consecratus est, 22 Decembris. Paucos post
dies Cenomanum ipse pergebat Ludovicus,
et, die 29 Decembris, S. Albinum, S. Vincen-
B tium et S. Audoenum, quas sibi cellas fiscus
vindicaverat regius, sub episcopali jure stabilibat; Rer. Gallic. Script., t. VI, p. 584;
postea, 31 ejusdem mensis, ad preces Aldrici, singulas quasque Cenomanensis eccle- Ch. viii, col. 123
siæ possessiones solemni præcepto confirmabat; dein *Bes* villæ commoratus, 8 Januarii
833, illinc litteras ad Aldricum dirigebat, qui- 833
bus villa Brogilum et Nova Villa, ad fiscum
antea regium redactæ, ecclesiæ Cenomanensi
restituebantur; ibid., pag. 584, 587. Subscripsit Aldricus eodem anno, alterius Aldrici,
Senonensis episcopi, chartæ, de translatis
C Vallilias monachis S. Remigii; supra, inter
Instr. tom. XII, col. 5. Omnia mox miscuerunt Cæsareæ domus dissidia. Ludovico adhærens Aldricus, eum vel in extremas angustias compulsum fidus cliens sectatus est; ex
Annalibus Bertinianis, sub ann. 833. Sedem
ergo tunc suam deseruit, dumque prævalerent
ii qui desciverant a Ludovico imperatore
et nemini eorum qui contra stabant parcerent,
scripsit Aldricus ad Gregorium papam IV,
ejus opem implorans. Omnibus Franciæ et
Germaniæ præsulibus mandavit Gregorius,
ut si quis Aldricum accusaret, causa Roma-
D nam ante curiam dirimeretur; Analect.,
t. III, p. 277 (1). Motamne sedavit procellam
vox Romani Pontificis? E Gestis Aldrici comperimus eum ad suos reducem restaurandæ
S. Gervasii basilicæ vigilem curam impendisse, et perfectum opus consecravisse, 21 No-
vembris 834. Adfuit, anno 835, concilio Theo- 834 835
donis Villæ celebrato. Quo eodem anno, Helisacharum a Ludovico rege ad se missum excepit, et hujus opera plura jam diu ablata
bona recuperavit; Rer. Gallic. Script., t. VI,
p. 347. In Austrasiam postea rursus tendebat, sedebatque, 6 Februarii 836, in concilio 836
E Aquisgranensi : unde a congregatis patribus
mittebatur ad Pippinum, Aquitaniæ regem,
litterarum lator quibus monebatur Pippinus
ut afflictas res ecclesiæ suæ sublevaret; Rer.
Gallic. Script., t. VI, p. 354. Aldrico delegavit Ludovicus imperator, xvi cal. Aprilis, mo-

(1) Pontificias has litteras diversi diversis annis adscribunt. Nec desunt qui eas pro mere fictitiis habeant. Perpensa re, domnum Piolinum sequimur, qui sincerum hoc documentum ad annum 833 referendum aptissimis comprobat argumentis; Hist. Eccl. Cenom., t. II, p. 146.

ANNI CHRISTI

nasteriolum S. Mariæ; quod præterea, xi cal.
ejusdem mensis, si notas præbet sinceras re-
gium diploma, agnovit se non dare, sed re-
stituere ecclesiæ Cenomanensi antea per vim
ablatum; Rer. Gallic. Script., t. VI, col. 607,
608. Eadem die, Ludovicus imperator Al-
drico confirmavit pristinum jus propriam cu-
dendi monetam; ibid., p. 609. Sequente tan-
dem die, Ludovicus amplis S. Mariæ monas-
terium auxit immunitatibus; ibid., p. 610.
Cenomanum accedebant, 27 Aprilis, Pader-
bornensis ecclesiæ legati, et Aldricum invi-
sebant, ab eo poscentes, perpetuæ societatis
pignus, reliquias quasdam e sacrario Ceno-
manensi desumptas. Quibus tradidit Aldri-
cus partem corporis S. Liborii. Piæ hujus
legationis historiam plures conscripsere;
quos lege, si lubet, in Bollandianis collect.,
23 Julii. Monasterio S. Salvatoris de Brogilo,
quod ecclesiæ Cenomanensi nuper Ludovi-
cus rex restituerat, amplissima concessit Al-
837 dricus prædia, 1 Aprilis 837, villas nempe
Salnarias, Apiacum, Luciacum, etc., etc.;
apud Thom. Calvinum, instr. Geogr. Ce-
nom., p. 59. Eadem die, præclarum edidit
testamentum, cui plures subscripserunt epis-
Ch. x, col. 127. copi, tunc temporis, ut opinantur, Cenomani
congregati. Quo et anno, xvii cal. Julii, Lu-
dovicus rex, ad preces Aldrici, fundationem
S. Salvatoris confirmavit; Rer. Gall. Script.,
t. VI, p. 612. Eodem, xiv cal. ejusdem men-
sis, traditam ab Aldrico canonicis S. Gervasii
villam Buxarias sancivit; ibid., p. 614. Lug-
dunum villam, in Cenomanico pago, Banzleg-
bus comes sub beneficiario jure tenebat.
Quam cum ipse tradere studeret ecclesiæ Ce-
nomanensi, ejus desiderium explevit Ludo-
838 vicus imperator, xi cal. Aprilis 838, Aldricum
jubens in integram memoratæ villæ possessio-
nem venire; ibid., p. 617. Pariter, ad pre-
ces Adalberti comitis, villam Bonallam idem
Aldrico restituit, xv cal. Maii (1); villam præ-
terea Tridentem, ix cal. ejusdem mensis;
ibid., p. 618, 619. E dictis jam satis super-
que compertum habes quam fuerit Aldri-
cus Ludovico gratiosus. Regiæ benevolentiæ
Cenomanensis præsul experimentum majus
cepit, iteratam deposcens et impetrans in li-
bertatem Anisolensium sententiam. Hæc lata
fuit sententia Aquisgrani, pridie calendas
Maias, anno Ludovici vicesimo quinto, Al-
drici ordinati sexto, Christi 838; ibid. p. 301.
Quam insuper confirmavit Ludovicus rex, vii
idus Septembris, in Carisiaco concilio, altero
diplomate creditum episcopali tutelæ monas-
terium privilegiis etiam augens amplissimis;
839 ibid., p. 621, 622. Eadem die, prædictus im-
perator Aldrici testamentum firmavit; ibid.,
p. 620. Anno 839, xvi cal. Decembris, Ag-
berti comitis orationem exaudiens, Ludovicus
Aldrico restituebat villam Calisamen; ibid.,
A p. 627. Plurimis igitur ditescebat bonis ec-
clesia Cenomanensis, Aldrico novum aliquid
quasi quotidie recuperante. Hic tamen in
aula commorans Aquensi, imperatori cliens
assiduus ministrabat. Anno 840, xv cal. Mar- 840
tii, concessit ei Ludovicus ut ad suam quando
et quamdiu vellet remearet ecclesiam, et
insuper, dum abesset, adjutore aliquo, vel
œconomo, uteretur; ibid., p. 629. Calendis
præterea Martii, ne quod Aldrici sui votum
cassum fieret, Pictavii degens Ludovicus præ-
ceptum edebat de quibuslibet Cenomanensis
ecclesiæ privilegiis; ibid., p. 630. At Ludo-
B vico Pio 20 Junii decedente, immutata re-
rum facies. Partes Caroli Calvi cum amplexus
esset Aldricus, in eum Lotharii clientes
multa moliri. A quibus in exilium ejectus est.
Unde rediit, post aliquot menses, Carolo for-
tuna favente. Contrariis autem Anisolenses
monachi partibus adhæserant. Divertens igi-
tur Carolus Bonam, sive, ut alii conjiciunt,
Bonam Vallem, juxta Lædim, ineunte anno
841, litem de monachorum libertate rursus 841
adiit, et ut lidem Aldrici gratia persolveret,
ejus in manus abbatiam transtulit. Ad precem
Aldrici Carolus Calvus villam Ad Illum Bro-
C gilum Fossatensi monasterio confirmavit,
10 Octobris 845, ut supra legitur, t. VII, 845
Instr., col. 11. Aderat Aldricus, xvi cal.
Martii 846, concilio Parisiensi, cujus post 846
Labbæum Dom. *Mansi* acta retulit, t. XIV,
col. 847. Subscripsit, anno 849, epistolæ 849
Landranni metropolitæ ad Nomenoium, Bri-
tonum ducem, de Armoricanorum præsulum
ejectione; ibid., col. 923. Pergere cum non
valeret, anno 853, ad Suessionense conci-
lium, congregatos patres litteris infirma de
valetudine monuit. Quocirca legitur in actis
hujus concilii, apud *Mansi*, t. XIV, col. 980:
D « Cenomannicæ urbis Aldricus episcopus,
« paralysi dissolutus, epistolam direxit, cau-
« sam suæ absentiæ insinuans, petensque ut
« maxime sibi adhuc viventi, et quandocum-
« que defuncto, sacris precibus opitularentur.
« Quod exuberantes caritate se facturos om-
« nes promiserunt, et metropolitano illius,
« Turonicæ urbis venerabili episcopo Amal-
« rico, ut ad eamdem urbem accederet in-
« junxerunt, et quæcumque essent eidem
« ecclesiæ proficua ut strenue exequeretur
« unanimiter præceperunt. » Ad eum tamen
missi sunt concilii canones, quos legit et
E quibus subscripsit; ibid., col. 990. Supre-
mum diem explevit 7 Januarii 856, et in ba-
silica S. Vincentii fuit sepultus. Ad hunc
Florus opus suum adversus Amalarium, sa-
cerdotem Metensem, direxit, apud Marte-
nium, Ampliss. Coll., t. IX, col. 641. Scripsit
auctor coævus Aldrici Gesta, et edidit Balu-
zius, Miscellan., t. III. Plura præterea lege
anonymi non incompta nimis carmina de
S. Aldrico, apud domnum Piolinum, Hist.
Eccles. Cenom., t. II, p. 536 et seq.

(1) Præceptum de Bonalla Cointius adscribit anno 840
Hunc tamen redarguit domnus *Bouquet*, quem sequimur.

ANNI CHRISTI

XXVI. Robertus I.

Robertum Cenomanensis ecclesiæ regimen anno 856, vel 857, opinantur suscepisse.
859 Certius constat illum, anno 859, inter præsules sedisse Saponariis congregatos, ad quos
Mansi, Concilia, t. XV, col. 529. delata fuit causa Wenilonis, Senonensis archiepiscopi, proditionis rei. Ad Wenilonem, qui vadimonium deseruerat, missus Herardus Turonensis : is vero, morbo quodam impeditus, inter suffraganeos gradu primum, non ultimum prudentia, Robertum delegavit, qui metropolitæ personam gereret. Quod testatur Herardi ad Wenilonem commonitorium, in Conciliis Labbæi, t. VIII, col. 694. Senones igitur deveniens Robertus sua flexit industria pervicacem Wenilonis animum, eumque in clientelam Caroli regis reduxit. Ingens tunc temporis in tota fere Gallia bellorum strepitus : ipse Britonibus data præda Cenomanensis ager. Hinc ambitio procerum, illinc regum ira vindex omnia miscere. Nec minus pastores inter ecclesiæ et ordinis utriusque clericos certatur. Inde Robertus iterum contendere de libertate S. Carilefi. Jurgium hoc cognoverunt patres Pistis, juxta
862 Rotomagum, congregati, anno 862. Episcopalem Robertus ibi causam animose postquam orasset, mox abiit Cenomanum, ab armamentario quasi suo tela nova delaturus : cum vero fixum sub diem non rediret, absentem
Ibid. col. 637. unanimi voce judices damnarunt, litterisque monueruntuti leniores in jura Benedictini gregis animos indueret. Sed non is erat Robertus qui jubente rege, et ipso concilio monente, cestus deponeret : at contra, majora movens, Romam petiit, et Hincmaro, Remensi archiepiscopo, quem sententiæ latæ dixit auctorem, nullatenus verbis pepercit. Illinc Nicolai papæ I epistolæ ad Hincmarum, ad regem, ad monachos S. Carilefi, in quibus, intactam veluti rem, judicio tandem stabili solvere jubet quodcumque de privilegiis S. Carilefi dissidium. Has Nicolai papæ *Mansi* prælo dedit epistolas, in tomo XV Conciliorum, col. 344, 345, 376, 377. Rex, domino papæ
863 morem gerens, concilium, anno 863, Vermeriæ, palatio regio, coegit. Ad quod Robertus tetendit, suamque vel dolis, ut aiunt, causidicum potius quam episcopum semet præbens, rem tueri conatus est. In causa tamen cecidit, sententiamque patrum ipse Nicolaus papa paulo post confirmavit. Anno
864 864 ineunte, Romam Robertus iterum petiit, Rothado comes datus, Suessionensi episcopo, qui supremum appellaverat judi-
866 cem. Unde redux adfuit anno 866, Augusto
Ibid. col. 731. mense, concilio Suessionensi tertio, et subscripsit litteris ab eodem concilio ad Nicolaum papam missis. Suffragatus est insuper hoc anno, III cal. Octobris, ordinationi Electranni, Redonensis episcopi, quam Turonibus Herardus archipræsul canonice peregit;

A apud Rer. Gallic. Script., t. VII, p. 713. In quo forsitan die, morum asperitatem consectans Herardus, Robertum inani cultu superbientem aversatus est, dixitque : « *Turpe* « *est calamistratum et fragrantem episco-* « *pum hic adesse, cum melius esset illi in-* « *censum altaris et bonæ vitæ odorem spi-* « *rare.* » His usum verbis Robertus non submisso, sicut decebat, fronte tulit, cumque non multo post Cenomanensem ecclesiam adiret Herardus, visitationem exsequens metropolitanam, eum et sua domo et ecclesia cathedrali Robertus prohibuit. Unde
B novi materia dissidii. Siemundum quemdam, Cenomanensem tunc temporis episcopum, sedisse memorant, anno 870, Vermeriensi concilio hujus acta concilii, quæ post cæteros *Mansi* prælo dedit, tom. XVI, col. 568. Veteris errorem scriptoris notare satis est. Incertum tamen an Siemundo Robertum substituere mendosæ censor tabellæ jure possit. Robertum habemus, anno 870, Clidas, 870
sive Selliacum villam, Frandano, Corbionensi monacho, concedentem. Idem, anno 873, non valuit ire comes Carolo regi Ande- 873
gavum a Normannis occupatum obsidere mo-
C lienti. Morbo sedenim gravi laborans et vitæ terminum suæ reputans adpropinquantem, ad episcopos scripsit in regiis commorantes castris : « Nunc ultimum vocationis meæ diem « ingemiscens expavesco, quia quæ male « carni consentiens perpetravi digna ultione « puniri pertimesco, et nisi Dei clementia to- « lerarer, merito me jam pro meis sceleribus « ultrix vindicta ulcisceretur. Idcirco, fessis « artubus dissolutisque corporis basibus, « omni viscerum meorum valentia amissa, « pietatis vestræ misericordiam singultu in- « terposito implorare non cesso, quatenus
D « potestate cœlitus vobis collata vincula meo- « rum piaculorum enodetis, et precum ves- « trarum studiis commissa mea pietis, ut cum « reprobis non ducar in Tartara, quin potius « vestro interventu cœlestia merear subli- « mari ad gaudia. » Hæc decerpimus e Sirmundo antiqua Galliæ concilia colligente, t. III, p. 405, ubi leguntur episcoporum ad Robertum litteræ. Qui tamen vicinam formidaverat mortem præsul convaluit. Carolo regi post obsidionem Andegavi Cenomanum petenti, occurrit Robertus, eodem anno 873, in hujusce regis præcepto de villis
E monasterio S. Vincentii confirmatis. Quod circa tempus Richildis regina Cenomanum sese receperat, reliquias S. Scholasticæ quærens, in tutiorem, ut aiebat, locum deferendas. Gozlinum, abbatem S. Germani Pratensis, Geoffridumque comitem Cenomaniæ, germanos, sub quorum tutela Cenomanensis erat civitas, primum adiit, pignus tantopere exoptatum sollicitans, nec tamen impetrare valens. His tamen contra paganos, id est contra Britones Normannosve, aliquantisper

ANNI CHRISTI

euntibus, ea tenus obnitentem Robertum A episcopum precibus regina vicit, et acceptum ab eo pretiosum onus secum ferens, ivit in pagum Vabrensem, ubi Juviniacensem condidit parthenonem, sanctæque dicavit Scholasticæ; supra, t. XIII, col. 615, et Instr., col. 311. Occurrit tandem Robertus anno
878 878, litteras accipiens a Joanne, papa VIII, quibus monetur ut ablatas S. Mauricio Turonensi possessiones curet restituendas; apud *Mansi*, t. XVII, col. 98. Quem sedisse Gesta memorant per annos sex et viginti. Quamobrem hujus vitam ducit domnus *Briant* ad annum 883; quin etiam domnus *Colomb* B eamdem ad annum 885 protrahit. In hac autem temporum computatione peccatur; nam anno jam 880 Robertus rebus excesserat humanis, ut demonstrabitur infra. Obiit, e martyrologio Cenomanico, XII cal. Junii. Nec minus incertum est an facilem et tempestivum, aut maturatum et acerbiorem vivendi finem sortitus sit. Dicitur enim in Gestis secure, imo feliciter moriens, sepultusque in ecclesia SS. Vincentii et Laurentii. In Narratione vero de Rigranno monacho canonicum induente, reperies Robertum in Normannorum manus delapsum et, « sic eorum C « pœnis attritum, » (ipsa narratoris verba usurpamus), ut his in angustiis interierit; apud *Mansi*, Concil., t. XVIII, p. 977.

XXVII. LAMBERTUS.

De Lamberto nihil aliud in Gestis, nisi quod sedit per sex annos. Odonis nempe lamentabile regnum tot insimul et undique ingruentia mala pessumdedere, ut in rei publicæ stragem solum intenti, privatam hujusce præsulis vitam coævi scriptores omnino D neglexerint. Idcirco recentiores inter chronographos vel ipse Petrus *Lebret*, patria Cenomanensis, Lamberti nomen prætermisit. Bondonnetum sequens domnus Paulus Piolinus dies Lamberti numerat ab anno 885 ad annum 892. Quos, ut videtur, prodit errantes hujus ad Hildebrandum episcopum Sagiensem epistola, a Baluzio edita in appendice librorum Reginonis de Disciplina Ecclesiastica (1). Hildebrandus enim ab anno sedens 853, annum post 880 non reperitur, Adalhelmo tunc Sagiensem cathedram conscendente. Vide supra t. XI, col. 678. Lamberti E meminit necrologium Cenomanensis ecclesiæ, II id. Decembris.

(1) Baluzium dispungit domnus Rivetius, Hist. Litt. Franciæ, t. V, p. 698, epistolam hanc quod Lamberto tribuerit, Roberto adscribendam. Nimia vero fuit dispunctoris inconsiderantia. Epistolam ad Hildebrandum nobis tulit codex olim Regius, sub numero 4637, quem nono vel decimo sæculo perita manus exaravit; in quo sic incipit : « Sacris semper meritis venerando Hildebrando pontifici magnifico Lambertus, nullis meritis episcopus, in Domino felicitatem. »

XXVIII. GUNTHERUS I.

ANNI CHRISTI

Guntherus episcopatu donatus est nondum composita procella quæ tantis Lambertum ærumnis afflixerat. Deveniens Cenomannum Rotgarius quidam miles, omnia diripuit, episcopalia præcipue prædia. Fugit plura et pejora minantem Guntherus. Depulso postea Rotgario, rediit episcopus, carceri mox mancipandus, postquam, populari facta rebellione, civitatem iterum occupavit factio Rotgario favens. Longum esset varias hujus dissidii vices enarrare. Exul tandem Guntherus ipse de suis calamitatibus questus est, singula memorans quæ tam a Rotgario quam ab ejus sequacibus passus erat. An ovili suo pastor postea fuerit redditus incertum relinquitur. Epistolam, sive querimoniam Guntheri lege, desumptam e Gestis Cenomanensium episcoporum, in Analect. tomo III. Hujusce præsulis tempora noscimus ex altera ejusdem epistola ad Radulfum I, ecclesiæ Laudunensis episcopum, quam et ipse Mabillonius, imperfectam licet, e Colbertino codice prælo dedit ad calcem tomi III Analectorum. Radulfus autem sedit ab anno 894 ad annum 921, uti supra legitur, t. IX, col. 520 : parum igitur a vero declinant, si tamen dubia pro certis ponunt, qui Guntheri numerant dies ab anno 892 ad annum 908, aut ad annum 913.

Occurrit anno, ut videtur, 912, Mainoldus, Cenomanensis præsul, in concilio Turonibus celebrato de reditu, sive, ut aiunt, reversione S. Martini; apud *Mansi*, t. XVIII, col. 315. Pro Mainoldo lege forsitan Mainardum. Nullius autem est momenti istud de Turonensi concilio testimonium, ex Odonis, vel alterius cujusdam, mendaci farragine desumptum.

XXIX. HUBERTUS.

Hubertus post Guntherum in Gestis memoratur, tradens ecclesiæ matri vineam juxta muros civitatis, in loco qui dicitur Mons S. Joannis. De quo nihil aliud comperimus. Hunc tamen aiunt sedisse per annos unum et triginta, menses decem, duodecim dies. Ejus meminit necrologium Cenomanensis ecclesiæ, idibus Septembris.

XXX. MAINARDUS.

De hujus initiis sic Gestorum auctor : « Domnus Mainardus episcopus, Cenomanica generositate exortus, germanus cujus- « dam vice-comitis Cenomanicæ civitatis « fuit. Hic primum sæcularibus deditus re- « bus, filios et filias multas habuit; et tam « idiota ab omnibus æstimabatur, ut non cle- « ricus, sed laicus putaretur. Sed cum diu

ANNI CHRISTI

« Cenomanica civitas sine pontifice permansisset, et multi per pecuniam episcopatum habere vellent, nonnulli vero per litterarum astuciam dignos episcopatu se esse proferrent, Dominus, qui infirma mundi elegit ut fortia quæque confunderet, et, secundum quod Scriptura narrat, quia melior est simplex rusticitas quam superba prudentia, elegit virum scienter inscium et sapienter indoctum, domnum videlicet Mainardum, in episcopum, consentiente clero simul et rege illius temporis atque populo. » Subscripsit

950 Mainardus, annum circa 950, litteris Ragenfridi, Carnotensis episcopi, de ecclesia S. Petri; supra t. VIII, Instr., col. 291. Ecclesiæ Cenomanensi testamento notabili tradidit quascumque ab antiquis parentibus suis (ipsius hæc sunt verba) res acceperat : inter quas nobis videntur imprimis memoriæ tradenda magni nominis ista prædia, Curtis Genardi, villa S. Joannis, Curtis Ansigi, Maiderola, Curtis Fundana, Taciacus, Rigomarcius et Savinaria; apud Th. Calvinum, Geogr. Cenom., instr., p. 65. Sedisse legitur per annos viginti, menses quinque diesque tres. Illius insuper decessum adscribunt 8 Junii, tam e Gestis, quam e necrologiis S. Juliani et Vincentiani monasterii. Plane vero ignoramus annum. Facilior via sequentibus Bondonnetum, qui Gestorum ad fidem præsulis cujusque computans annos, Mainardum, remota qualibet cunctatione, Huberto succedere jubet anno 940, et anno 960 feralem obire diem. Hanc vero chronologiam infirmat diploma, quo, Lotharii regnantis anno quinto decimo,

968 Christi scilicet 968, Mainardus canonicis S. Mariæ moletrinas duas supra Sartam fluvium concessit; ex Albo Libro capituli Cenomanensis.

XXXI. Segenfridus.

DE BELLÊME.

Segenfridus, Sigenfredus, vel Seinfredus vacantem cathedram ipse, idque haud initis, ut videtur, suffragiis, protinus occupavit. E nobilissima stirpe deductus, fratrem habuit Ivonem Bellismensis castri toparcham (1). Sede, ut aiunt, vix potitus, ditissimam episcopalis dominii villam, Colonias, et Disiacum insuper supra Ledum, Fulconi, Andegavorum comiti, dedit, ut is assensum regis postulanti patrocinaretur. Hæc si non falsissime narrantur, non tamen verissime. Occurrit enim Segenfridus in tabulis usque ad annum 994. Quod si vero sedit per annos tres et triginta, undecim menses, diesque sexdecim, ut Gesta referunt, non ante annum 960 cathedram conscendit Cenomanensem. Ergo non tempora cognovit Fulconis, Andium consulis,

A qui obiit 11 Novembris 958. At vero Segenfridus aut annum pontificans excessit 994, aut non certe quatuor et triginta pontificatus annos implevit; nam supra diximus Mainardum usque ad annum 968 vixisse. Vero igitur propior videtur domni *Briant* sententia, qui decem annos e Segenfridi episcopatu, Gestorum auctorem castigans, eximit, illumque sedisse memorat ab anno circiter 971 ad annum 994.

Reperitur enim primum Segenfridus pluribus subscribens diplomatibus Hugonis I, Davidis filii, pro monasterio S. Petri de Cultura,

B quæ D. Ed. Bilardus ex archivo Cenomanensi contraxit, et non infeliciter, ut censemus, anno 970 adscripsit. Annum certe 971 præbet Segenfridi semet episcopum ferentis edictum, quo Vallem Boanam, in pago Cenomanico, super Dimidiam rivulum, tradit monachis S. Juliani Turonensis; e codice olim Regio 5443. Quod post tempus, erronea nisi nos fallit conjectura, multa minans Hugoni, Cenomano secessit et abiit ad Burgardum, sive Burchardum, Vindocinensem comitem, ut in Gestis legitur. Unde redux, postquam diu foris commoratus esset, mulierem acce- 971

C pit (1) Hildeburgem, episcopus licet et senex; ex qua genuit filias filiumque, nomine Albericum. Hæc Gesta quidem memorant, consentientibus chartis. Herbertum enim reperimus filium Alberici, *filii Seinfredi episcopi Cenomanensis,* subscribentem chartæ cuidam Hugonis Burgundionis pro Majore Monasterio, inter schedas Stephani *Housseau,* t. II, num. 674. Memoratur præterea Segenfridus, anno 994, in charta comitis Hugonis privilegia nonnulla monachis Ebroniensibus condonantis. Deinde post Octobrem mensem 996, regnante scilicet, ut notarius ait, Roberto rege, *D. Gerault, Notit. Ebron., Instr., n. 6.*

D subscripsit Ivonis cujusdam schedulæ pro monasterio S. Michaelis. Segenfridum tandem exhibet, apud D. Th. Calvinum, instr., p. 67, Hugonis comitis charta plures ecclesias Culturensibus tradentis. Ejus de fine silemus indecora, quam prolixe quidem auctor Gestorum enarravit. Sepultus est in basilica S. Petri Culturensis, postea quam Benedictinum cucullum exoptasset. Hujus meminerunt martyrologia ecclesiæ Cenomanensis et S. Petri Culturensis, XIV cal. Martii.

XXXII. Avesgaudus.

E Avesgaudus, sive, ut quibusdam placet, Avisgaldus, Segenfridi nepos, avunculo suo successit anno incerto. Patrem ipse suum dixit Ivonem Bellismensem, matrem Godehildem, pro quorum salute dedit S. Juliano domum illam quæ postea vocata fuit domus Ardentium; ex Albo Libro capituli Cenoman. DE BELLÊME.

(1) Ivonem Benedictini dicunt Fulcoini et Rothaidis filium. Consule *Art de Vérifier les dates*, t. II, p. 876. Nonnullis tamen Bellismensis hæc gentis genealogia in pluribus peccare videtur. Huic igitur confiderenoli.

(1) Corvæserium, Bondonnetum Colombumque consule disserentes de justis aut injustis nuptiis Hildeburgis *episcopissæ*.

ANNI CHRISTI

Idem legitur in notitia rerum Majori Monasterio traditarum ab Abolino Cenomanensi. Fratrem igitur habuit Guillelmum, Bellismensis castelli toparcham, ut Gesta memorant. Avesgando patricius ortus, patricia indoles, et, quanquam de castitate laudetur, vivendi genus indoli congruens. Feras agens in silvis ex equo cecidit, et inde nasum vulneris nota depravatum semper habuit. Non mirum igitur ei si minor episcopalis officii quam civilium bellorum cura. Huic tamen, dum tenuit principatum Hugo II, filius Hugonis (1), omnia prospera lætaque. Quem, annum circa 1000, S. Vincentii basilicam consecrasse memorant. Anno certe 1004, monachis S. Juliani Turonensis B. Mariam de Valle Boana et S. Petrum de Bello Monte largitus est, bas ecclesias censu synodali quolibet eximens. Cujus donationis chartam exhibet codex olim Regius, sub num. 5443.
1007 Occurrit et anno 1007, subscribens litteris Roberti regis de recens extructo parthenone Belli Montis juxta Turones. Capitulum Cenomanense pluribus auxit, necnon S. Vincentium et S. Petrum de Cultura. Subscripsit
1010 circa 1010, chartæ qua Geoffridus de Sablolio vicum Solemnensem Culturensibus dedit, et, anno 1014, litteris Hugonis comitis S. Michaeli Vodebrim condonantis. Reperitur tandem, annum circa 1015, ecclesiam Tuffiacensem consecrans ab Hugone de Monte Dublello monachis quibusdam Benedictinis traditam. Sub id vero temporis Hugo II Cenomanorum comes novissimam vitæ tetigit metam, et ei successit in principatu ferox animi Herbertus, dictus Evigilans Canem, quem inter et Avesgaudum præsulem acerrima mox exarsere dissidia. Cum autem castellum, cui nomen Dunellum, Idoneæ juxta ripas, refugii causa firmasset Avesgaudus, nocte quadam adfuit Herbertus, qui, valida stipatus equitum caterva, castellum cepit et solo protinus æquavit. Quocirca sibi metuens Avesgaudus ecclesiam deseruit suam et ad Guillelmum fratrem confugit, non latebras tamen sed auxilium quærens ad bellum ex integro restaurandum. Plura de Cenomanicis istis tumultibus Gesta referunt, Avesgaudum scilicet adverso Marte pugnantem, et, inita pace, diu derelictæ tandem redditum ecclesiæ. Hoc circa tempus episcopales domos, quæ antea

A ligneæ erant, opere novo fieri jussit lapideas. Bello tamen iterum iterumque incalescente, secessit Avesgaudus ad castellum Idoneæ vicinum, nomine Firmitatem, quod, prædiis episcopalibus jam vastatis, Herbertus comes aggressus est. Tum Cenomanorum, imo et Britonum, quos pugnæ socios Herbertus acciverat, coadunatis viribus impar Avesgaudus, Carnutum se recepit ad Fulbertum episcopum. Venit Fulbertus Cenomanum, nec abiit priusquam tanti causam submovisset dissidii. Rursus igitur agro Cenomanensi induciæ concessæ. Subscripsit Aves-
B gaudus, anno, ut opinantur, 1026, chartæ Guillelmi germani qua condita Longiledensis abbatia. Anno 1028, Culturensibus nonnulla 1028
contulit, eo scilicet pacto ut quotannis in festis diebus B. Juliani, necnon SS. Martyrum Gervasii et Protasii, matrem ecclesiam adirent, processionem solemnem agentes; apud T. Calvinum, instr., p. 71 (1). Anno 1036 antecessores nostri censuerunt adscribendam Suavis cujusdam militis chartam de collata Miciacensibus, Avesgando probante, ecclesia S. Joannis Baptistæ juxta Motam. Hoc autem anno novimus Avesgaudum, iterum et jam
C aliquot forsitan ab annis profugum, Hierosolymitanis ab oris rediisse, non tamen usque ad urbem episcopalem pedem tulisse, decessisse vero Virduni VI cal. Novembris. Quæ leguntur tum in Gestis, tum in Gervasii sequentis insigni testamento. Emendandus igitur et annus Henrici regis vel octavus, vel tertius decimus, in ea schedula qua, Avesgaudo subscribente, Reginaldus, Drogonis filius, monachis S. Michaelis de Monte Tumba monasterium S. Victorii juxta Cenomanum tradidit; supra, t. XIII, Instr., col. 107. Nedum enim ad Henrici decimum tertium vixerit
D annum, nequidem octavum cognovit Avesgaudus.

XXXIII. Gervasius.

Natus est Gervasius curiæ Haimonis, non longe a Castro Ledi, secunda Februarii die 1007, vel, secundum hodiernum computum, 1008. De cujus patre dubia nonnulla hactenus movebantur, cum illum quidam Hamelinum, cæteri vero dicerent Haimonem. Haimonis enim nomen occurrit in insigni Gervasii testamento, quod Mabillonius edidit
E inter Analecta; Hamelinus vero innotescit e charta de traditis S. Albini monachis, a Gervasio præsule, ecclesiis Comburniaci et Artisiaci. Materiam autem hujus dissidii removentes, notabimus Haimonem non aliud esse nomen ac Hamelinum, nisi contractione sæpius usitata. Matrem illius sive Hildebur-

(1) Apud veteres quoscumque chronographos et apud ipsum Thomam Calvinum, unus tantum id circa temporis occurrit Hugo, Cenomanorum comes. Duos fuisse censuit D. *de Pétigny*, in Vindoc. agri Histor. Archæol., non unum eumdemque ferens Hugonem ab anno 955 ad annum 1015 principem se tulisse. Cui suffragatus est domnus Paulus *Piolin* in Cenomanensis Ecclesiæ Hist., t. II, p. 517. Duos exhibent Hugones chartæ plures ad cœnobium S. Petri de Cultura spectantes, quarum meminit D. Ed. Bilardus in Indic. Cenoman. Archivi, pr. part., num. 20, 21, 22; in quibus una leguntur Hugo Davidis filius, et Hugo filius Hugonis. Erravisse tamen videtur domnus Piolinus, Hugoni II qui tribuit chartam anno 955 prolatam (pag. 530), cum Hugo I, ut Culturensibus patet e chartis, comitatum etiam tunc Cenomanensem episcopante Mainardo regeret.

(1) Anno 1009 chartam hanc collocat domnus Piolinus, sed infeliciter. Huic enim subscripsit Guillelmus decanus, Hugoni qui succedens noscitur post annum 1014. Tutior Thomæ Calvini conjectura, quam sequimur.

ANNI CHRISTI

gem, sive Hildegardam, filiam referunt Ivonis I, Bellismensis comitis. Avesgaudum certe præsulem habuit avunculum, cujus cura numero scholarium ecclesiæ cathedralis puer fuit adscriptus. Addamus quod sororem Gervasii Rotrudam in matrimonium duxit Guido II, Vallis dominus. Hunc clero plebique non solum vetustas nominis, sed etiam spectabilior Avesgaudi propinquitas eligendum commendavere.

1036 Funeribus notabilis annus 1036 in Cenomanensibus chronicis. Eodem enim decesserunt anno Herbertus I, pagi comes, qui dicitur Evigilans Canem, et diœcesis rector Avesgaudus. Herberto I successit Hugo, filius ejus, qui tenerrimus ætate tutelam avunculi sui, Herberti Bacconis, passus est; Avesgaudo nepos Gervasius, XIV calendis Januarii. Inter Gervasium et Herbertum Bacconem, e familiis ortos sibi invicem jam diu pessimas molientibus inimicitias, protinus exarsit discordia acerrimi nuntia belli. Prohibuit primum Herbertus Bacco ne Gervasius episcopalem domum intraret : quod, si Gestis fides, per duos annos duravit exilium. Cenomanum tamen
1038 redierat Gervasius nonis Novembris 1038, cum hanc diem præ se ferat charta Cenomani data, qua monasterio S. Trinitatis condonavit capellam a Geoffrido comite constructam in silva quæ dicebatur Wastina ; apud Marten., Thes. Anecd., t. I, p. 158. Eum insuper habemus, VII cal. Julii 1038, tradentem eidem Vindocinensi monasterio ripam cujusdam torrentis juxta Villam Dei (1). Plurimum valebat apud Guidonem de Valle, ei qui Hierosolymam proficiscens, circa annum 1039, plura dedit. Alienæ rei non semper, ut videtur, abstinens fuit. Ad Fulconem enim comitem scripsit Hersinda, filia Tednini, prædiorum Gervasium suorum invasorem denuntians; apud *Housseau,* t. II. Graviores mox inter eum et Herbertum Bacconem discordiæ. Armatos secum trahebat Herbertus comes : inermis hunc præsul insidiis aggressus est, scribens ad Henricum regem ut comitatum Cenomanensem Andegavensi Geoffrido traderet administrandum, et aliorsum movens diœcesanos milites ad deturbandum Herbertum, et sufficiendum ejecto filium ejus Hugonem primogenitum. Nec spem rebellionis fefellit eventus. Cenomano sedenim depulsus Herbertus, in monasterium secessit, et, veste mutata, factus est monachus. Tunc votorum compos Gervasius, qui sua sub lege ecclesiasticam simul et civilem provinciam tenuit, dum ipsi, cliens obsequiosus, Hugo morem in omnibus gereret. Intererat, anno
1040 1040, episcoporum cœtui Vindocini congregatorum de consecranda S. Trinitatis basilica. Quod circa tempus, ut videtur, testa-

A mentum condidit suum, in synodo sedens Cluniacensis abbatis Odilonis. Hoc lege, si lubet, in Analectis Mabillonii. Sed is erat Gervasius, vanæ quem aura gloriæ facile moveret. Andegavensem Geoffridum, nuper amicum, mox egit in iras, Bertham, Alani Britonis relictam, uxorem dans Hugoni suo. Ruit ergo præceps Geoffridus ad Castrum Ledi, flammisque circumjacentes villas et ecclesias vastavit : nec sat actum reputans, dum Cenomani quiete viveret viduæ novus Berthæ collocator, eum ad se vocavit, simulans pacem ineundam, vinctumque conjecit in
B carcerem. Septem per annos his vixit in vinculis Gervasius : de cujus miserrima sorte vehementer conquestum est Remense concilium, anno 1049, excommunicandum repu- 1049
tans Geoffridum, ni pastorem captivum ecclesiæ suæ redderet. Non vero Geoffridus concilio paruit minanti, nec Leoni papæ IX excommunicationis sententiam, anno sequente,
fulminanti. Decessit Hugo comes anno 1051, 1051
et, tunc Cenomano Geoffridum excipiente, Castrum Ledi tradidit ipse Gervasius; quapropter missus fuit in libertatem, postquam tamen fidem dedisset se nunquam, Geof-
C frido vivente, ad Cenomanensis agri fines venturum. Nec prætereundum est quod per captivitatis dies nomen et quasi munus pastoris sibi constanter vindicavit. Sic anno, ut videtur, 1048, Emmam Cenomanensem vicecomitissam sepelivit in monasterio S. Sergii. Memoratur insuper, anno 1051, assentiens Hugonis chartæ qua confirmantur emptiones quædam Cenomani peractæ a Richerio, S. Juliani Turonensis abbate. (1) Ivit e carcere liber Gervasius ad Guillelmum Normanniæ ducem, cui, ut ait Odericus Vitalis, valde familiaris erat. Audiens Guillelmus quas
D injurias passus esset vir adeo propositi tenax, quem non sævior fregerat inimicus, at vero suorum ultima defectio, exuli et egeno multa contulit; tum amplissimam nummorum copiam, tum villas optime munitas. Apud Normannos degebat Gervasius, quando abiit e vivis Guido de Castellione, Remensis ecclesiæ archiepiscopus. Consilio protinus Henrici Francorum regis, Guillelmique ducis Normannorum, necnon cleri populique suffragio, ad hanc metropolitanam sedem adlectus est Gervasius, devenitque
Remos quinta decima Octobris die 1055. Hunc 1055
E quidem non pauci celebraverunt strenuissimum Christi confessorem, quasi palmam martyrii his in terris adeptum : alii vero, quos inter Guillelmus, abbas Metensis, tyrannum dixerunt, ut Mabillonius refert in Analectis. Nec miremur tam varias et discrepantes opiniones circa episcopum militis animum gerentem. Sæculares ipse mores testatus est,

(1) Annum 1038 charta præbet, indict. VI, plane concordantibus notis. Perperam igitur hanc nonnulli anno 1040 adscripsere.

(1) Anno etiam 1044, 7 Maii, reperitur Aureliæ testis Henrici regis jura S. Cruci tradentis : e chartular. S. Crucis Aurelian.

ante fores archiepiscopalis palatii poni jubens cervum æreum, cum his versibus :

> Dum Cenomanorum saltus lustrare solebat
> Gervasius, cervos tum sufficienter habebat :
> Hunc, memor ut patriæ sit semper, condidit ære.

Artificis qui statuam hanc expolivit nomen proferre licet. Osmundum hunc vocatum fuisse comperimus verbis infra scriptis quæ A. Quercetanus ad nos transtulit : *Osmundus me fecit*. E Quercetanis schedis, in Maxima Paris. Biblioth., t. LXXV.

XXXIV. Wulgrinus.

Enarranda mox initia Wulgrini, quem S. Sergii conventus habuit abbatem priusquam ad Cenomanensem cathedram, abeunte Gervasio, vocaretur. Hanc ascendisse dicitur anno tantum 1057, e veteri S. Albini Andegavensis chartulario, ut legimus in cod. *de Gaignières*, num. 188, p. 388. Mendosus tamen forsitan is annus, namque Cenomanensem episcopatum post Gervasium vacavisse non perhibetur. Pauca peregit episcopus. Non prætereundum tamen, ad Gestorum fidem, eum, ordinationis anno quinto, fundamenta matris ecclesiæ ampliora quam fuerant inchoasse. Memoratur auctoritate non mediocri pollens in curia Romana, quem, anno 1059, dominus papa componere jussit tanta Vindocinenses inter et Albinianos de S. Clemente Credonensi dissidia; e litteris Hugonis Trecensis et aliorum ad Bartholomæum Turonensem. Occurrit dein Wulgrinus, pridie
1062 non. Aprilis 1062, Andegavi suam ministrans
operam Hugoni, Vesuntionis archiepiscopo, in monasterio S. Salvatoris consecrando. E Gestis sedem tenuit per annos novem, menses octo, necnon dies undecim. Unde videtur annum circa 1065 de medio sublatus. Gestorum testimonium confirmat obituarium S. Sergii, Wulgrinum memorans depositum VI id. Maii 1065. De quo sic necrologium ecclesiæ Cenomanensis : « *Vidus Maii, ob. Ce-* « *nomanis Wulgrinus præsul*,

> « Cujus in uranica lætetur spiritus aula »

Hujus ergo dies perperam Mabillonius, in Annalibus, duxit ad annum 1067.

XXXV. Arnaldus.

Natus in Abrincensi pago, e sacerdote conjugato, Hernandus, vel Arnaldus, avunculum sortitus erat Rotbertum scolasticum, qui, summo cum cleri plebisque favore, Cenomani docebat. Aptum ad artes scientiasque ocius emicuit ingenium, in adolescente quem susceperat informandum tanta magister præpotens doctrina. Unde, Roberto e vivis cedente, insignis Arnaldus inter Ce-
A nomanenses scolasticos evasit. Gervasium habuit et Wulgrinum patronos; Wulgrinoque defuncto ei successor datus est. Non omnium tamen in eum vota consensere. Legitur enim in libro de Gestis Cenomanensium episcoporum : « Cujus electionem contradixere non- « nulli, nullam omnino causam aliam præ- « tendentes, nisi quia filius fuerat sacerdotis. « Unde Cenomanenses clerici ad papam « Alexandrum legationem miserunt super « præfati viri electione. » Hanc autem papa probavit. De hac Alexandri papæ II sententia consule *Maan*, in Bartholomæo Turonensi,
B et *Travers*, in Conciliis Provinciæ Turonens., ad annum 1065. Aliquane, dum hæc moverentur, episcopalis officii cessatio fuit? Ordericus Vitalis, Hist. lib. III., c. 7, narrat Guillelmum ducem anno 1064 Cenomanos invisisse, rebelles antea, tum ultro se dedentes, et ab Arnaldo præsule clericisque et monachis crucem ferentibus fuisse solemniter exceptum. Quæ referens in aliquo certe defecit Ordericus, quippe cathedram Cenomanensem Arnaldus anno 1064 certe non erat ingressus. Testatur cæterum Bondonnetus, id forsitan e Roberti *Wace* carmini-
C bus desumens, Arnaldum Guillelmo duci, expeditionem in Angliam adornanti, triginta naves suppeditasse. Hæc ad annum 1066 referenda. Dubium autem est Arnaldum, de cujus electione decertabatur, jam ab anno 1066 in Cenomanensi cathedra sedisse. In authenticis Arnaldus chartis anno primum
1067 occurrit, Gervasio de Castro Ledi sua- 1067
dens ut S. Guingaloeum Majoretanis traderet. Quod si chronicas charta non præbet notas, constat eam hoc tempore datam ex
Alexandri papæ privilegio. Anno deinde 1068, 1068
Arnaldus præsul omnes Majoretanorum in sua
D diœcesi confirmavit ecclesias; e Miscell. Baluzii, t. VII, p. 199. Tunc vero Cenomanensis ager novæ strepitu procellæ totus fervebat. Dum enim Guillelmus, profligatis jam Haroldi copiis, in id maxime incumbebat ut Normannicæ gentis imperium reluctantibus Saxonum capitibus imponeret, Cenomanici tractus proceres, ad rebellionem versi, quemdam Athonem, patria Ligurem, ex Italia vocarunt sibi præficiendum, eique totam regionem tradiderunt. Cujus defectionis ne particeps haberetur Arnaldus, e Normannica stirpe satus, mare transiit, et
E ad Guillelmum tetendit. Abeuntis ergo prædia domosque rebelles invasere; cumque itinere peracto rediisset, prohibuerunt ne relictam repeteret sedem. In suburbio commoratus est paulisper Arnaldus, monachorum hospes Vincentianorum. Quem ut cives aliquanto post excepere, Atho sibi metuens Italiam rursus petiit. Tunc Geoffridus de Meduana civitatem occupavit. In ipsum vero motis animis, novo et inaudito rerum conflictu, plebs quoscumque dejecit principes, et, *com-*

ANNI CHRISTI

munionis nomine, imperium populare condidit. An fuerit Arnaldus facti dux non liquet : certe civium adhæsit parti, non principum; qui mox, turmis popularibus libens aut nolens præesse jussus, Silliacum castrum obsidione cinxit, et, pugnæ fortunam expertus adversam, comprehensus est a Geoffridi Meduanensis militibus et custodiæ mancipatus. Nec multo post libertatem adeptus, Ro-
1071 mam pergebat anno 1071, orationis causa. Hujus itineris de tempore documentum exhibere licet indubiæ fidei, e S. Vincentii chartulario desumptum. Urbem enim is episcopalem deserens, constitit trans pontem Leugæ, in media via qua itur S. Carilefum, et S. Vincentio confirmavit a Gervasio prædecessore data, pridie nonas Martii, epact. XVII, concurr. V, indict. IX; quæ chronicæ notæ cum anno 1071 plane quadrant. Incertum autem est an Arnaldus hanc perfecerit
1073 viam anno 1071 susceptam. Anno certe 1073, Radulfus, Turonensis archipræsul, ipse Romam ire cogitans, Arnaldum accivit itineris comitem. Quamobrem Arnaldum Turones venientem Majus Monasterium excepit. Eo tempore sedens in capitulo monachorum, eorum omnes in Cenomanensi pago possessiones rursus confirmavit, locum scilicet S. Guingaloei, Vivonium, Vallem Guidonis et S. Macutum de Sablolio. Persolutis summo Pontifici, sicut mos erat, obsequiis, Arnaldus Galliam tendebat, cum, per terras Athonis transiens, ab eo captus est, et in carcerem per septem menses conjectus. E quo liber sub-
1074 scripsit, calendis Aprilis 1074, præcepto regis Anglorum Guillelmi, roborantis chartam Geoffridi de Sablolio de Solemnis vico Monachis S. Petri tradito; in codice *de Gaignières*, num. 199, p. 88. Reddita pax tunc Cenomanis, cum sibi neminem e clericis aut e militibus reluctantem Guillelmus pateretur. Interfuit Turonibus Arnaldus, anno
1076 1076, consecrationi Silvestris, Redonensis episcopi; apud domnum Piolinum, Hist. Cenom. eccles., t. III, p. 316. Eodem anno, una cum Geoffrido Carnotensi ecclesiam S. Dionysii Novigenti consecravit. Præ-
1077 sens memoratur, X cal. Novembris 1077, dedicationi Beccensis ecclesiæ, ut supra legitur, t. XIII, col. 220, e Beccensi chronographo. Non tamen, valida licet Guillelmi dextera fultus, Arnaldus ad extremos vitæ dies ovili quiete suo præfuit. Anno namque 1079 depositus fuit ab apostolico legato. Cujus depositionis causam hanc opinatus est Baluzius, quod vocatus ad concilium quoddam in Armoricis, non paruisset. Alia vero est domni *Brial* opinio. Hic sacris interdictum fuisse dicit Arnaldum, ob id quod ordinasset Juhellum abbatem S. Petri, Reginaldo contra jus ejecto; Rer. Gall. Script. t. XIV, p. 549. Posterioris opinio, ut videtur, verior. Reginaldus, abbas S. Petri de Cultura, in monachorum simul et Guillelmi regis inimicitias venerat, et ab eis e sede sua fuerat expulsus. Quibus adeo non obstiterat Arnaldus, ut contra Juhellum ordinasset a fratribus Reginaldo suffectum. Perrexit, anno 1078, Reginaldus ad Radulfum, Turonensem archiepiscopum, querens de monachis, de rege, necnon de Cenomanensi præsule. Quocirca scripsit Radulfus ad Arnaldum, causam exulis suscipiens et præsuli suadens ut summi Pontificis sententiam anteverteret, qui sane non probaturus erat depositionem abbatis a tumultuantibus fratribus et non sine regiæ factionis consortio patratam. Arnaldus vero, regis amicus, metropolitam non audiit monentem; ivit ergo Romam Reginaldus, a Gregorio papa VII negatam sibi ab episcopo justitiam requirens. Inter cæteros abbati favebat Gebuinus, Lugdunensis primas, qui,
cognita summi Pontificis sententia, scripsit, *Rer. Gallic. Script. t. XIV, p. 667.*
anno 1079, ad Radulfum Turonensem, Eusebium Andegavensem et plurimos abbates Turonensis provinciæ, mandavitque ut Reginaldum Culturensibus redderent et simul Arnaldum, ordinatorem Juhelli, deponerent. Hæc sunt Gebuini verba : *Ordinatorem vero E., Cenomanicæ urbis episcopum, qui eum consecravit, quin potius maledictionibus*
replevit, si talia gessisse (quod est contra justitiam) sentitis, ab episcopali officio sine dilatione suspendite. » Altos gerebat animos *Ibid. p. 671.*
Gebuinus et acerbiori quam decebat voce minabatur. Ei forsitan non extemplo paruit
Turonensis archiepiscopus; nam suspensionem Arnaldi se doluisse professus est. Mox *Ibid. p. 672.*
autem obsequens precibus Guillelmi regis, Arnaldo qui non segniter favebat, Gregorius
ei papa VII, 24 Aprilis 1080, officium episcopale reddidit. Plura legere licet de Reginaldo *Ibid. p. 648, 649*
inter abbates S. Vincentii. Anno sequente, cal. Decembris, Arnaldus decessit.

XXXVI. Hoellus.

Sedem, Arnaldo defuncto, per quatuor annos vacuam fuisse quidam memorant. Quorum conjecturæ suffragari videtur chartula quædam, e tabulario S. Vincentii desumpta, qua ducens uxorem Herbertus ejus dotem constituit, anno Philippi regis vicesimo septimo, et *primo quo Hoellus Cenomanensium episcopus factus fuerat*. Addit præterea notarius quod eodem tempore fecit pacem Hubertus de S. Suzanna cum Guillelmo rege. Nullam vero inter Arnaldum morientem et Hoellum succedentem moram fuisse aperte declarat charta Normanni Ribollæ, in archivo Cenomanensi servata, qua traditur Richardo, pannetario, sub ratione census annui, prædium dictum Mons Grifferi. Hanc enim leges datam in præsentia « Guillelmi Anglorum re« gis, tempore Hoelli episcopi, anno quo « mortuus est vir venerabilis Arnaldus epis-

ANNI CHRISTI

« copus; » apud D. Bilardum, in Indice Cenom. archivi, part. I, n. 26. Adde quod post Arnaldi mortem neutiquam Gesta sedem vacasse referant; at contra protinus omnium votis Hoellum adlectum fuisse. Hoellus quidem anno tantum 1085 fuit consecratus, et sic annus Hoelli primus in Vincentiana chartula congrue forsitan diceretur ab ejus ordinatione, non autem ab electione. De hac scilicet electione plura tulit ad nos Ordericus Vitalis, summatim ex eo decerpenda; Hist. Eccles. lib. IV, c. 2. Guillelmus enim rex consilium habuerat ut Arnaldo Samsonem Bajocensem, capellanum suum, sufficeret, sibi fidissimum exoptans pastorem in civitate quæ Normannorum dominationem adeo constanter detrectaverat. Oblatum vero Samson abnuens munus, Hoellum ipse Guillelmo commendavit, Britonem genere, ætate juvenem et humilem regiæ capellæ ministrum. Rex Samsonis clienti, aliquantisper tamen cunctatus, favit, et eumdem regis ad nutum clerus Cenomanensis elegit. Hactenus Ordericus, a vero, ut videtur, orationis ornandæ causa, declinans. Gestorum ad fidem Hoellus, Arnaldo sanguine propinquus, pueritiæ imo et juventutis annos Cenomani integros exegerat; et si regis addictus erat capellæ cum transiit ad alteram Arnaldus patriam, antea præcipuus fuerat inter canonicos Cenomanenses, qui officium decani sustinuerat annis 1070 et 1071. Rotomagi conse-
1085 cratus refertur, XI cal. Maii 1085, a Guillelmo, Rotomagensi archipræsule. Perquam familiarem habuit Radulfum I, Turonensem archiepiscopum; cui favens adfuit Augustodunensi cuidam concilio, in quo Radulfus et Majoretani mutuis semet objurgationibus impetivere. Hujus quidem concilii non legitur annus: domnus vero *Brial,* non contemnendis fretus argumentis, hoc opinatus est sub annum 1085 aut 1086 fuisse coactum; apud Rer. Gall. Script. t. XIV, p. 95. Occurrit dein Hoellus, post mortem scilicet prædicti Radulfi, Turones pergens et ecclesiam regens pastore orbatam. Pro Guillelmo rege semper stetit Hoellus. Quo decedente, Cenomanensis juventus, alienigenis infesta, libertatem vel armis appetere, et, Helia duce, in Normannorum præsidia ruere. Memoratur Normannis fidum servans obsequium Hoellus,
1088 anno 1088, in Odonis oratione Guillelmi filium alloquentis; apud Ordericum Vitalem, Hist. eccles. lib. VIII, c. 5. Inde plura in eum
1089 Helias movere cœpit. Anno 1089, Hoellus ejecit e fidelium grege Guillelmum de Braitello, qui monachos S. Serenici deprædatus erat: quem tamen adivit idem Guillelmus sub
1090 Paschæ diem 1090, et semet spondidit ablata monachis redditurum. Hoc in anno pessime res Hoelli cessere. Helias enim eum aggressus, Normannorum partes tuentem detrusit in carcerem. Ordericum Vitalem ea narran-

A tem lege; Hist. Eccles. lib. VIII, c. 11. Eadem ipse tradidit Gestorum auctor. Mox autem facti pœnitens Helias, veniam deposcebat et summopere desideratum mœsto pastorem ovili restituebat. Idem circa tempus Cenomanum deveniente Hugone, gente Ligure, qui Cenomanensem principatum hæreditatem quasi maternam sibi vindicabat, ad regem Anglorum exul ivit Hoellus. Unde cum post quatuor circiter menses rediisset, in vicum Solemnas divertit, dum arma non tantum civilia Cenomanum, sed etiam ecclesiasticæ factiones disturbarent. Compositis tandem
B rebus, episcopalem civitatem ingressus est, Hugonis vel ipsius ad preces, et paucos post dies urbicolis invisus Hugo comitatum deseruit. Legitur Hoellus, anno 1092, subscri- 1092
bens chartæ qua monachis S. Aviti dedit Agnes, uxor Hugonis, ecclesiam S. Victoris de Jauna; apud Thom. Calvinum, Geogr. Cenom. Antiq., instr., p. 75. Ecclesiam matrem Hoellus egregie resarcivit, cujus chorum, alas, turresque perfecit. Ejusdem curis, VI cal. Novembris 1092, in eamdem basilicam sanctissimum B. Juliani corpus translatum est. Nec fugit nos quod auctor Gestorum hanc transla-
C tionem anno 1093 peractam memoret; in ea vero temporis nota certe peccavit, ut jam antecessores nostri dixere, t. VIII, col. 1128. Turones postea tendebat Hoellus, et ibi, VI nonas Julii 1093, testis erat initæ concordiæ 1093
monachos inter S. Nicolai et S. Florentii de Cantosciacensi ecclesia. Eodem anno, 17 Octobris, illius votis obsequens, Helias comes canonicis S. Juliani nonnulla jura condonavit; ex Albo Libro capituli Cenomanensis. Eodem, Vivianum *Ragot,* qui S. Sergii possessiones erat aggressus, et ob id ab ecclesia fidelium fuerat segregatus, pœnitentem Hoel-
D lus 6 Septembris excepit. Sedit, 24 Junii 1094, 1094
in capitulo S. Florentii, inter præsules qui Fulconem comitem absolverunt. Eo etiam anno Brivatensis concilii pars fuit, et in eo causam Radulfi metropolitæ contra Majoretanos, infeliciter quidem, oravit. In Augustodunensi Dolensique synodis idem sub tempus reperitur. Romam postea tetendit, et Februario mense 1095 interfuit Placentino concilio; mox, Urbano papa II Galliam invisente, concilio Claromontano; e Gestis sæpe laudatis. Inde, vestigia domini papæ premens, adfuit, II idus Februarii 1096, dedica- 1096
E tioni S. Nicolai, et, crastina die, subscripsit ejusdem litteris in gratiam B. Mariæ de Rota. Cenomani postea prædictum papam excipiebat. Dein Turones, imo Pictavium cum eodem deveniens, in hujus litteris occurrit de Martiniensium in Cormaricenses potestate. Eodem anno, episcopale trahebat ad forum, Urbani papæ mandato, Hugonem de S. Albino Robertumque Paganum, Hugonis prædicti fratrem, qui villam Loconacum S. Albini monachis abripuerant. Divitem hanc

ANNI CHRISTI prædam isti, excommunicationis flagello cæsi, postea dimisere; e schedis domni *Housseau*, t. III. Hoc anno Cenomanenses canonicos et monachos S. Juliani Turonensis, jam dudum de Valle Boana litigantes, ad pacem compulit, 25 Julii. Tunc temporis jacebat semianimis, extremo jam unctus oleo; ex Albo Libro capituli Cenomanensis. Nec multo post decessit, nempe die 28 ejusdem mensis, e Vincentiano necrologio, ætatis anno circiter 50, et sepultus est in ædibus S. Vincentii. Non fugit nos hujus mortem ad annum 1097 in Gestis duci. In eo tamen auctor Gestorum erravit, qui ipse verius narraverat Hoellum XI cal. Maii 1085 consecratum fuisse, et, IV cal. Augusti, in ordinationis anno duodecimo, decessisse. Plura igitur jam diem obeuntis Hoelli concorditer declarant : eamdem confirmabunt concordiam instrumenta quæ spectant ad Hildebertum sequentem. Hoelli laudes cecinit Baldricus Burguliensis.

XXXVII. Hildebertus.

Natus annum circa 1055 Hildebertus, in castro Lavarzinensi, juxta Montem Aureum, Berengarianæ scholæ fuit alumnus, teste Guillelmo Malmesburiensi; de Gestis Reg. Angl., lib. III, p. 113. Cui non tamen suffragatur Historia Galliæ Litteraria, t. XI, p. 251. Nec verisimile videtur eum, sicut opinantur nonnulli, monachum apud Cluniacenses induisse. Occurrit primum Hildebertus certis ex documentis Cenomanensem scholam regens annum ante 1092, quo fuit archidiaconus, ut videtur, nominatus. Archidiaconi nempe munus semet quinque per annos exegisse testatur, in epistola ad Guillelmum, abbatem S. Vincentii. Inquirendus annus quo Cenomanensibus donatus est infulis. Bondonneti vestigia sectantes Hildebertum plerique referunt Hoello decedenti suffectum Augusto mense 1097. Errantes plurimis redarguere licet argumentis. Indubia tantum quædam prodeant. Anno 1097 incipiente, secundum hodiernum calculum, nempe VI nonas Martii, sedebat jam pontificem semet ferens Hildebertus in Santonensi concilio. Præsulis item munus agens, XII cal. Julii 1097, S. Nicolai monachis confirmabat quascumque possidebant ecclesias in Cenomanensi diœcesi; ex hujus abbatiæ Historia, p. 33. Ipsum et diem quo consecratus est Hildebertus chartularium S. Vincentii notavit. In eo sed enim legimus : « Posteritatis memoriæ « nobis monachis S. Vincentii placuit tradere « quod Hugo de Malicornia, domnum Radulfum Turonensem archiepiscopum et « nostrum episcopum domnum Hildebertum, in eadem die qua idem Hildebertus a « prædicto archipræsule in sede sua positus « est, qui scilicet Natalis Domini erat, humili « supplicatione deprecatus est, etc., etc. »

Electus ergo fuit Hildebertus post Julium mensem 1096, et consecratus, eodem anno, Natali die. Nec prætereundum quod non pauci, quos inter Ivo, Carnotensis episcopus, et Helias, Cenomanorum comes, obstiterint eligendo, mores ejus inculpantes. Hic vero apud humiliorem clerum populumque doctrinæ jam fama valens, plurima suffragia sortitus est. Mox inter eum Heliamque comitem inita pax. Anno 1098 ineunte, Heliam comitem, ex insidiis, ut ait Ordericus, captum, Rotomagensis carcer excepit, et Fulco Richinus, Andegavorum comes, Cenomanum ingressus est, nullo civium obstante. Quibus auditis Guillelmus, Angliæ rex, multo cum milite Cenomanensem agrum protinus occupavit, et, Fulcone depulso, urbe potitus est. Hunc Hildebertus muros Cenomani subeuntem suscepit et in ecclesiam matrem duxit; apud Ordericum Vitalem, Hist. Eccl. lib. X, c. 7. Quo eodem anno, nempe 6 Novembris, Hildebertus adfuit Andegavi, in curia Geoffridi comitis, auditurus abbates S. Nicolai et S. Albini acerrima inter se jurgia exercentes de parte quadam silvæ Catiarum; eodem insuper, subscripsit chartæ Fulconis comitis villam Randinaium abbatiæ Saviniacensi confirmantis; apud *Housseau*, t. II. Anno 1099, judex sedit in prædicti Geoffridi curia, inter monachos S. Albini et S. Nicolai nemus quoddam juxta Prunarias certatim sibi vindicantes. Nec multo post, novus Cenomanensibus in agris armorum strepitus. Helias enim liber e carcere, Cenomanum petiit, quem cives summopere desideratum lætanter recepere. Mox Guillelmus rex muros obsidione cingit, et, urbe iterum capta, sævas Hildeberto minas intentat, Cenomanicæ, ut aiebat, proditionis consorti. Ea de re lege litteras Ivonis Carnotensis ad Hildebertum, apud Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 103. E turribus enim ecclesiæ matris in Anglos ferreus imber defluxerat. Quocirca, postquam in Angliam transfretasset, ad Hildebertum litteras misit Guillelmus, obsecrans ut turres suis nuper infestas everteret. Nec tamen ejus ad nutum semet episcopus accommodavit; unde, quasi rebellionis reus, jussus est in Angliam ire. Quæ, ad legatos domini papæ scribens, Hildebertus dolenter enarravit; apud Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 314. Postquam vero navem conscendisset ad regem pergens, procellosum expertus est mare. Hanc carmine periculosam cecinit trajectionem, ut legere poteris inter Opera Hildeberti, quæ *Beaugendre* edidit, col. 1344. Cenomanum redux Hildebertus, mox comperibat Guillelmum regem interiisse. Ejusdem nuntii latorem cum audivisset Helias comes, ipse venit et urbem cepit. Nominantur insimul Hildebertus et Helias, Novembri mense 1100, in chartulis ad prioratum Avesiacensem spectantibus, quas gallice contraxit

ANNI CHRISTI 1096 · 1098 · 1099 · 1100

ANNI CHRISTI

D. Bilardus; Ind. Cenom. arch., part. pr.,
n. 231, 232. Anno 1101, accitus Andegavum
Hildebertus a metropolita qui Rainaldum
erat consecraturus, jussum iter non fecit,
et Rainaldo suffragari recusavit, qui vulgi
mentes criminosis captaverat artibus. Id testatur
Geoffridus Vindocinensis, ad Rainaldum
scribens; Rer. Gallic. Script., t. XV,
p. 278. Ibidem reperies epistolam Hildeberti
ad Radulfum Turonensem de electione Rainaldi;
p. 315. Rebus in urbe pacatis, Hildebertus
Romam tetendit. A Paschali papa II
benigniter receptus, Apuliam dein invisit,
Siciliamque, et quam plurimis auctus donis
1104 rediit (1). Andegavi subscripsit, anno 1104,
litteris quibus memorantur paciscentes iterum
de Catiis monachi S. Nicolai et S. Albini.
1105 Anno 1105, Nannetibus reperitur testis Benedicti,
Nannetensis episcopi, canonicos in
ecclesia S. Medardi instituentis. Confirmavit,
1106 anno 1106, Vincentianorum possessiones
1107 in sua diœcesi. Mense Martio 1107, Turonibus
aderat, una cum Paschali papa, et
ibi testis erat judicii contra Nucarienses lati
de Crusillana ecclesia. Sequente Maio, Trecis
cum eodem papa commorabatur, ubi
legitur inter congregatos patres qui cellam
S. Dionysii de Nongento Cluniacensibus monachis
adscripsere; ex epist. Paschalis ad
Hugonem Cluniac., apud Rer. Gallic. Script.,
t. XV, p. 38. Sedens, anno 1109, in Laudunensi
concilio, probavit initam pacem inter
Camiliacenses canonicos et monachos Majoris
Monasterii de capella S. Stephani Camiliacensis.
Eodem anno, consecravit ecclesiam
B. Mariæ in Charneia. Eodem, ivit ad
Waldinum de Malicorna, et eum compulit
ad exuenda jura quæ in monachos S. Guingaloei
Majoretanos sibi vindicabat. Floriaci
1110 reperitur Hildebertus ineunte anno 1110,
cum Richardo legato, abbatiarum plurium
jura sanciens. Eodem anno, Julio mense, Cenomanum
reversus Heliam comitem in ecclesia
S. Petri de Cultura sepelivit; ex Orderico
Vitali, Hist. eccl., lib. X, c. 17. Occurrit,
1111 anno 1111, confirmans quæcumque S. Albini
monachi possidebant in diœcesi Cenomanensi;
ex archivo Cenoman. D. Bilardus,
part. pr., n. 268. Eisdem, anno sequenti, tres
ecclesias a Radulfo vice-comite restitui curavit;
apud *Housseau*, t. IV. Ad eum, hoc
anno, et ad Radulfum Turonensem scripsit
Paschalis papa, jubens ut solverent litem inter
episcopum Andegavensem et Paganum
Alericum, abbatem S. Albini; apud Rer. Gallic.
Script., t. XV, p. 48. Legitur sub id tempus,
in chartulario Culturensi, monachis
plures condonans villas, quas e dominio ma-

Rer. Gallic. Script. t. XIV, p. 147.

(1) Hoc iter suscepit Hildebertus anno 1101, teste *Pagi*; anno 1107, teste Baronio. Quidam peractum idem memorant anno 1117. Annis vero 1117 et 1107 Hildebertus certe non Alpes transiit, ut narrandarum ordo rerum manifeste demonstrabit.

A tris ecclesiæ vi distractas eisdem jam quidam
tribuerant laici. Eo tandem anno, ut
videtur, Rotrodo Perticensi, qui captivus
tenebatur in turre Cenomanensi, operam
dans petitam et Novigentum deveniens, ipse
carceri mancipatus est. Ipsum habemus hujusce
rei narratorem, dum, fractis nondum
vinculis, ad omnes Galliæ episcopos rem
deferret. Quot per menses annosve in hoc carcere
permanserit non liquet Anno tamen
1114, Majoris Monasterii capitulum devenit 1114
et monachis S. Martini tradidit ecclesiam
quæ vulgo *Vilerx* Caroli Magni dicebatur.
B Hildebertum dein accivit, anno 1116, Rainaldus, 1116
Andegavensis præsul, hujus indigens
consiliis et ope in causa Salomonis, qui patratæ
cædis veniam poscebat. Hac de causa
plura leges in Rainaldo. Omnes tunc Hildebertum,
doctrinæ necnon prudentiæ fama
pollentem, consulebant. Tutelæ apud Lemovices
reperitur 17 Februarii 1117, pacem 1117
laudans factam inter Ermengaudum abbatem
Clusensem et abbatem Tutelensem, super
ecclesia S. Nicolai de Auriolo. Anno
subscripsit eodem chartæ Fulconis comitis,
qua Fons S. Martini ecclesiæ Monasterii
C Novi traditus; in schedis D. *de Gaignières*,
sub num. 180. Anno 1118, in capitulo S. Mariæ 1118
Ebroniensis, Guillelmo, Majoris Monasterii
abbati, Lupiniacensem ecclesiam concedit;
inter ejus Opera, append., col. 6. Eodem,
in Engolismensi concilio, subscribit decreto
quo Tucionensis locus Fontebraldensi monasterio
adjudicatur, et interest initæ concordiæ
inter Lemovicensem abbatem et Petrum abbatem
Vallium S. Stephani; supra, t. II,
col. 665, 1114. Dicitur insuper Gilbertum,
Turonensem archiepiscopum, in prædicto
concilio consecrasse. Tunc denique judicio
D interfuit quo Moritoniensis eleemosyna Saviniacensi
restituta est abbati; supra, t. XI,
Instr., col. III. Anno 1119, frequens Remis 1119
episcoporum conventus, cujus Ordericus Vitalis
meminit, Hist. Eccles. lib. XII, c. 21.
Hos inter sedens Hildebertus recensetur. In
octava Paschæ 1120, ecclesiam matrem consecravit. 1120
Quod in Gestis prolixe traditum
habemus: unde colligimus Ordericum Vitalem
errasse, qui refert eamdem ab eodem
consecratam ecclesiam post annum 1125,
E tempore scilicet Guidonis quem Stampensem
vocavit; Hist. Eccles. lib. X, c. 7. Confirmavit
Hildebertus, eodem anno, possessiones
Majoretanorum in sua diœcesi; e chart. Majoris
Monast. Eodem, III id. Januarii, sive,
secundum hodiernum calculum, 1121, sedens 1121
in capitulo B. Mariæ Josaphati, in Carnotensi
diœcesi, litteris Geoffridi præsulis, ecclesiam
S. Mauricii fundantis, subscripsit;
supra, t. VIII, Instr., col. 320. Interfuit,
anno 1123, Lateranensi concilio; anno 1124, 1123
Carnotensi, de quo *Brial* disseruit in Comment.
Acad. Inscript., ser. 2, t. IV. Anno tan-

Rer. Gall. Script. t. XV, p. 317.

ANNI CHRISTI
1125 dem 1125 ineunte, pontificatus vicesimo nono, sancivit jura quæquæ monachorum Ebroniensium; apud D. *Gérault*, instr., n. 8. Hoc eodem anno Gilberto sufficitur, Turonensium archipræsuli. Plura de eo inter archiepiscopos Turonenses.

XXXVIII. Guido I.

Hist. Eccl. lib. XII, c. 42. Guido, sive Guinmarus, ut ait Ordericus Vitalis, quem præterea Stampensem dicunt, nobili gente natus erat apud Anglos. Guidonis cujusdam meminit Lanfrancus, in Epist. 22, quem Beccum ire et Anselmum audire jussit. Alterum ab altero Guidone distinguat alius, si cui licet : certe comperimus e Gestis Cenoman. Episcop. nostrum hunc Guidonem Anselmo docenti discipulum adhæsisse (1). Sub cujus disciplina postea quam non mediocrem quæstum fecisset, ipse doctor evasit, et tum in Gallia, tum in Anglia, principatum in arte legendi tenuit, Anselmo silente. Inde, præcellentem adeptus doctrinæ laudem, scholasticus Sarisberiensis factus est, mox Lincolniensis canonicus, dein Rotomagensis archidiaconus, et tandem, in ecclesia Cenomanensi, archipresbyter, scholæ rector et præcentor. Hildeberto præsuli perquam familiaris, ab eo laudatus est ad Rotgerium Sarisberiensem episcopum scribente. Ille vero cum ad metropolitanam Turonensium ecclesiam fuisset vocatus, in Guidonem protinus plebis clerique minoris vota convenere. Electio vero novi pastoris fuit dilata, nam Andegavorum consul Fulco manum in episcopalia prædia rapacem injecerat, et non pauci clericos inter majores innectebant moras, verbaque per vulgus ominosa, ambitionis artificio tegendæ, spargebant. Electus tamen Guido ab Hildeberto metropolita consecratur. Anno
1126 1126, Romæ degens aliquantisper memoratur et in sancto senatu sedens, cum ad dominum papam pervenit Conani, Britonum ducis, epistola de Rotonensis ecclesiæ libertate. *Rer. Gall. Script., t. XV, p. 259.* Unde redux Guillelmum de Buris excepit, qui, Hierosolymitanas emensus oras, Cenomanum rursus invisebat, reliquias secum ferens eximias, litterasque Balduini regis ad Fulconem comitem. Chartam edidit Guido,
1128 VII cal. Augusti 1128, de restituta monachis S. Michaelis in Normannia ecclesia B. Berthevini; apud Thom. Calvinum, in instrumentis Geogr. Antiq., p. 78. Eo ipso anno, Andegavum deveniens, adfuit translationi corporis S. Albini. Dirimebat, VI idus Au-
1129 gusti 1129, litem inter Vincentianos Gemmeticensesque monachos super ecclesiis Sagonæ Curtisque Gazeni; apud Marten., Ampliss. Collect., t. I, col. 695. Anno 1132, episcopatus sui sexto, confirmavit datam

A monialibus B. Mariæ Andegavensis decimam S. Christophori de Marolio; inter schedas domni *Housseau*, t. IV. Anno 1133, Cenomanum deveniebat Hugo, Guillelmi de Firmitate germanus, consecrationis munus deposcens, utpote cui pedum metropolitanum sententia gregis adscriptum. Hujus partes amplexus Guido, canonice velut electum agnovit et benedixit. Eodem anno, a Gervasio de Domnofronte ecclesiam S. Lupi accepit; Analect., t. III, p. 342. Sub hoc tempus totam quasi Cenomanorum civitatem incendium, III nonas Septembris, devastavit : de qua clade
B plurimus in Gestis sermo. Præteritis tanti luctus diebus, VII id. Decembris, monachis S. Gualburgis ecclesiam S. Sulpicii de Melereio Guido rursus dedit; ex Hist. Abb. S. Dionysii, p. 491. Idem circa tempus, e chartario Culturensi, Hugo, Turonensis antistes, Guidoni dimissam a quibusdam laicis confirmavit ecclesiam S. Medardi de Brueria, et ipse Guido palam denuntiavit clausam litem inter Fulconem B. Petri de Cultura et Hugonem S. Maximi Aurelianensis abbates, de capella in parœcia Parinniacensi ædificanda. *Ed. Bilardus, Index Cenoman. Archivi, p. pr., n° 77.* Eodem certius anno, adstantibus enim in-
C simul Guillelmo Culturensium abbati, et Hugone Turonensium archipræsule, chartam edidit insignem de communibus rebus tam S. Petri canonicis quam S. Petri monachis. Subscripsit, VIII idus Novembris 1134, 1134
chartæ Geoffridi comitis Vindocinensis, quæ monasterio Vindocinensi rapuerat restituentis; apud *Housseau*, t. IV. De Guidonis morte sic auctor Gestorum : « Is ducentis lustris « cum XXVII ab Incarnatione Domini evolutis, « demptis tamen inde tribus mensibus, cum « diebus quindecim, septimo idus Februarii, « polo animam, terris cadaver exanime com-
D « mendavit. » Subrepsit tamen non levis error in eo annorum dierumque calculo : annos enim Domini vel a Pascha, vel ab Epiphania, vel a die Natali si computes, qua methodo, demptis tribus mensibus quindecimque diebus, ad septimum ante idus Februarii diem devenies? Adde quod idem chronologus Guidonem ab anno 1126 per novem annos et quinque menses sedisse memoret; unde Guidonis episcopatus ad annum 1135 medium duceretur, dum, si demas tres menses quindecimque dies a lustris 227, circa medium Decembrem 1134 humanis ille
E curis solutus fuisset. Attamen VII id. Februario defunctus videtur, ut nos cæterum docent obituaria S. Vincentii et S. Juliani Cenomanensis. Idem fere præbet necrologium S. Martini Sagiensis, in codice Sangermanensi 1067; in quo quidem obitus Guidonis 5 Februarii adscribitur. Vitam tandem hujus protrahit Ordericus Vitalis ad annum 1136; Hist. Eccles. lib. XIII, c. 28 (1). Ma-

(1) Anselmum hunc non Beccensem, sed Laudunensem opinatur domnus *Briant*, ab omnium opinione deflectens. Cur non Beccensis, qui docuit ab anno 1078 ad annum 1092, auditor Guido fuisset?

(1) E dictis vero dicendisque in Hugone sequente com-

ANNI CHRISTI ximopere de canonicis ecclesiæ suæ meritum laudant. Libros etiam recensere curaverunt quos eisdem largitus est.

XXXIX. Hugo.

PATEN. Ex archidiacono decanus, e decano, consentientibus cleri populique suffragiis, salutatus est episcopus Hugo, cognomine Paganus, quem æque corporis eximia species, doctrina, morum honestas, consilii prudentia et impavidi vis animi commendabant. Natus erat in castro S. Carilefi, ex utroque sanguine nobilis. Guidoni suffectus 20 Septem-
1135 bris 1135, Geoffridum comitem, cujus se clientem fateri noluerat, infensum mox expertus est; a quo missus est in exilium. Unde Cenomanensi magna clades ecclesiæ, dum Andegavensis comes, spretum clamitans civilis gladii jus, jura quæcumque exulantis invaderet episcopi. Elapsis vero novem mensibus inter eosdem pax inita, ovilique suo pastor redditus. Submotis cineribus, jam redivivæ surgebat novum opus ecclesiæ, cum
1137 anno 1137, XVI cal. Novembris, adstantibus Hugone archipræsule, necnon Ulgerio Andegavensi, Hamelino Redonensi et Donoaldo Aletensi, comprovincialibus episcopis, corpus S. Juliani, in lignea jacens basilica, solemniter ab Hugone in resarcitas ædes translatum est. Sub idem forsitan tempus, cum iisdem scilicet supra memoratis præsulibus, adfuit consecrationi B. Mariæ de Rota. Hujusce domus canonicis, anno tamen incerto, ecclesiam Avesseii tradidit. De quibus lege B. Mariæ chartularium, in archivo Andegavensi. Certius est tempus quo monachis S. Vincentii condonavit partem ecclesiæ Conedriacensis, cum huic chartæ subscripserit Harduinus decanus: decanatum nempe post annum 1140 hic
1143 sortitus est. Obiit Hugo 5 Februarii 1143, secundum hodiernum computum. Legitur enim in libro Gestorum: « Prædictus bonæ memo« riæ pontifex sedit annos septem, menses « quatuor, septem et decem dies. » Post eum, ex iisdem Gestis, cessavit episcopatus per undecim menses.

XL. Guillelmus I.

DE PASSAVANT. Patria Santo, Guillelmus parentes habuit nobiles Guillelmum de Passavanto, militem, et Luciam de Martiniaco. Avunculum dixit ipse suum Guillelmum Santonensem. Rainaldus Martiniacus, qui primo tenuit Andium episcopalem, mox Remorum metropolitanam sedem, Guillelmi nostri fuit consobrinus, et eum in Remensem ipse cathedram evectus archidiaconum elegit suæ ecclesiæ.

pertum habeas antecessores nostros Guidonis litteras pro monasterio Vindocinensi perperam anno circiter 1137 collocavisse; v. supra t. VIII, Instr., col. 422.

A Unde compertum habes quo præceptore sit usus, nec miraberis, hoc tironinio peracto, doctrinæ simul ac prudentiæ fama celebrem Guillelmum, a clero populoque Cenomanensis ecclesiæ Hugoni defuncto subrogatum. Vixdum electus Turones ivit. Percelebre tunc temporis Turonibus concilium, in quo Guillelmus subscripsit chartæ Drogonis Malæ Muscæ, paciscentis cum Culturensibus super ecclesia S. Medardi de Brueria. Dein testis legitur, anno 1145, ad calcem chartæ qua 1145
condita fuit abbatia Cisterciensis in silva Per- Ch. XIII,
sennia. Exsurgente mox prioratu Castello- col. 135.
B rum in Eremo, hujus fundationem Guillelmus confirmavit, VIII calendas Augusti 1146; 1146
ex Indice Cenom. archivi. Eodem anno, e chartulario Majoris Monasterii, ecclesiam S. Aniani de Monte Abbonis monachis Castri Ledi tradit. Ad eum venit, anno 1150, sup- 1150
plex et veniam rogitans episcopalem, Guillelmus de Cosmis, ecclesiam Uncinarum qui suam diutius, apostolici decreti spretor, asseruerat. Sibi tandem traditam accepit Guillelmus episcopus, et eam protinus concessit Cenomanensi capitulo; ex Albo Libro capituli. Plura hoc anno in episcopali curia com-
C posita fuere, quandoquidem semet Guillelmus impigrum ecclesiasticæ rei, sæpius a militibus impetitæ, defensorem præberet. Sub tutela Majoretanorum erat S. Martinus de Valle. Quorum jus, avis et numerosa potens clientela, Guido de Valle violenter aggressus est. Delicti reum, ut mos erat, admonuit primo Guillelmus, dein pertinacem e societate christiana dejecit. Quocirca mox Majoretanos adiit Guido, petens pacem, et, sancita pace, Guillelmum exoravit uti populum de composita re moneret. Edictum hoc in chartulario Majoris Monasterii leges, sub
D annum 1150. Celebravit Guillelmus, anno 1151, exsequias Geoffridi, Normannorum ducis et Andegavorum consulis, quem Castrum Ledi extremum exhalantem spiritum exceperat. Defuncti postea corpus in cathedralem ecclesiam translatum est, et solemni cum apparatu sepultum. Quamobrem filius Geoffridi Henricus quadraginta libras annuatim largitus est canonicis S. Juliani, addicendas sumptibus altaris ante ducis tumulum exstructi. Eodem anno, sexta die post sacros Cineres, decrevit Guillelmus ut capella quædam
E in oppido Bruslone jam antiquitus fundata, in quam scilicet convenire solebat oppidana plebs, funditus deleretur, quod ecclesiam matrem S. Petrum de Cultura reditibus et honore debito privaverat; in cod. *de Gaignières*, sub num. 199. Ea noscatur sententia Guillelmus suum cuique firmiter tribuens. Ob id sane fuit a quodam clericorum nimiæ culpatus inclementiæ coram Eugenio papa III. Illum enim tunc memorat Bernardus Claræ-vallensis Romam profectum, qui supremam adiret curiam, et amicissimum sibi com-

ANNI CHRISTI

mendat Hugoni, Ostiensi episcopo, Henrico
cardinali, necnon Eugenio papæ. Hæc ad Eu-
genium verba non prætereunda : *Adest epis-
copus Cenomanensis. Ipse est, si nescitis, de
cujus veritate et honestate nullus dubitat nisi
qui bene non novit hominem. Mihi quidem
ab ineunte juventute sua notus et dilectus est,
tam pro memoratis virtutibus quam pro aliis
moribus suis. Si quid aliud paternitati ves-
træ de illo insusurratum est, aut ego fallor,
aut ille mentitus est in caput suum. Audite
eum et cum plenitudine gratiæ vestræ remit-
tite*. Hactenus Bernardus. Non autem per- (Rer. Gall. Script. t. XV, p. 619.)
venit ad nos quæ fuerit materia, quis fuerit
litis exitus. Confirmavit Guillelmus, anno
1152 1152, possessiones monachorum S. Vincen-
tii, e codice Sangerm. 580, et eosdem aliis
opibus extulit, anno 1153. Memoratur Guil-
1157 lelmus, anno 1157, in Henrici, regis Anglo-
rum, comitatu, et ejus litteris subscribens
de decimis Illiadæ monasterio concessis; su-
pra, t. VIII, col. 1226. Adiit Guillelmus,
1158 anno 1158, monasterium S. Michaelis in pe-
riculo maris. Unde redux in Meduana civi-
tate reperitur. Civis tunc Meduanensis ultra
modum incendebat animos nobilium virorum
frequentia crucem alacriter petentium. His
crucem dedit Guillelmus, audivitque eos se
suosque homines per biennium Deo addi-
centes, ad defensionem fidei christianæ et
redemptionem fidelium a paganis oppresso-
rum. Eminebat inter omnes Geoffridus, filius
Juhelli, Meduanæ domini. Juravit Juhellus
se peregrinorum uxores, filios et filias, servos
et ancillas, omniaque bona habiturum sub
vigili tutela. Guillelmus deinceps peregri-
num unumquemque signo crucis signavit in
fronte, dicens : *Remittuntur tibi omnia pec-
cata tua, si facis quæ promittis*. Eodem
anno, XI calendas Octobris, Guillelmo præ-
suli per Guillelmum, S. Albini abbatem,
licebat instruere cœmeterium in parœcia
Chanflor. Sub idem tempus Guillelmus pa-
cem fecit inter monachos S. Jovini Pictavien-
ses necnon canonicos B. Mariæ de Rota, liti-
gantes de Plessiaco Milesindis. Cenomani
tunc congregatum videtur, die lunæ proxima
post *Quasimodo*, non infrequens episcopo-
rum concilium. Aderunt enim Samson Re-
mensis archiepiscopus, Herbertus Abrincen-
sis et alii, qui iterum consecrandæ B. Juliani
basilicæ concordem operam dederunt. Quæ
quidem *Travers* gesta refert annum circa
1162, sed erronea delusus chronologia; Sam-
son enim Remensis et Herbertus Abrincensis
naturæ debitum ambo persolvebant Septem-
bri mense 1161, ut legere est in archiepis-
copis Remensibus, t. IX, col. 88, et in epis-
copis Abrincensibus, t. XI, col. 480. Nec ta-
men ante annum 1157 desinentem ea facta
est consecratio, cum rei narrator is qui
Gesta Cenomanensium episcoporum digessit
sedentem tunc in Turonensi cathedra Jos-

A cium et Romam profectum memoret. Adde
quod Guido de Valle, res S. Petri Cultu-
rensis augens anno 1158, eodem anno dedica-
tam ecclesiam S. Juliani denuntiet. Ideo
domnus *Briant*, in Cenomania, et antecesso-
res nostri, t. XI, col. 776, hoc Cenomanense
concilium anno 1158 adscripserunt. Quos se-
qui tutius. Aderat Salmurii Guillelmus, VI
nonas Martii 1159, qua die solemniter in 1159
capsam novam corpus S. Florentii traduce-
batur. Ad Guillelmum, 27 Februarii, scrip-
serat Adrianus papa IV, terminandam ei
committens controversiam quæ jam diu mo-
B vebatur inter Cluniacenses monachos et Pe-
trocoricenses canonicos, super ecclesia Rochæ
Boviscurti. Contendentes ad se vocavit Ceno-
manensis præsul, remque priori Rochæ su-
pra dictæ, die 19 Octobris, adjudicavit. Le-
gantur ea de re domini papæ, ac Guillelmi
litteræ, quas e collectaneis Stephani Baluzii
primus *Brial* edidit; Rer. Gallic. Script.,
t. XV, p. 691, 692. Eodem anno decurrente,
Guillelmus Cenomani excipiebat Henricum
regem, qui Natalem ibi celebravit Christi
diem, et interea decanum Cenomanensem
Harduinum ecclesiæ Burdigalensi præfecit.
C Probavit, mense Novembri 1160, pactum de 1160
Fulgeroliis inter Lonleii et Savigneii mona-
chos. Vincentianis ascetis dedit, VI calend.
Junii 1161, ecclesiam S. Gervasii de Thoreio; 1161
e chartul. S. Vincentii. Concordiam firmavit,
anno 1164, inter monachos S. Petri de Cul- 1164
tura et Brientium presbyterum ecclesiæ S. Al-
bini de Deserto, de oblationibus et decimis
hujus ecclesiæ; ex arch. Cenoman. Quo et
anno, Alexandri papæ III mandato, senten-
tiam edidit de jurgiis inter Fremaudum,
S. Martini canonicum, et Nicolaum, Tu-
ronensem civem, exortis. Ea de re litteras
D Alexandri ad Ludovicum regem edidit Lab-
bæus; in Conciliis, t. X, col. 1356. Nec minor
tunc temporis lis erat inter Hugonem *de Mar-
son*, clericum, et Olivarium quemdam, nepo-
tem Guillelmi, filii Hamonis: quam, ad domini
papæ nutum, Guillelmus sopivit, ut ejus
nec non Hugonis testantur ad Ludovicum
regem epistolæ; Rer. Gallic. Script., t. XVI,
p. 97 et seq. Anno 1166, delectus occurrit
arbiter dissidii quod exortum erat inter ec-
clesias S. Juliani et S. Petri de Curia, de pa-
tronatu capellarum Curiæ Genardi et Corma-
rum; ex Albo Libro capituli. Anno 1167, æs- 1167
E tuantes monachorum S. Petri de Cultura se-
davit animos, cum hi traherent ad episcopale
tribunal Paganum de Cadurcis, reum occisi
Bruslone monachi, Paganumque jussit prædia
satis ampla monachis tradere; in codice *de
Gaignières*, sub num. 199. Annuebat, anno
1168, præcepto regis Henrici, quo fratres
Grandimontensis ordinis Burseii constituti;
ex Albo Libro Cenom. episc., fol. 31. Memo-
ratur, 24 Augusti 1169, Dumnumfrontem
casu deveniens ad Henricum regem, tunc

ANNI CHRISTI plurima de negotio Thomæ, Cantuariensis A
archiepiscopi, colloquia moventem; Rer.
Gallic. Script., t. XVI, p. 370. Quem, eodem
anno, rex Henricus, scribens ad Alexandrum papam, inter episcopos suæ ditionis
annumerat qui de ineunda pace cum prædicto Thoma consilium dedere; ibid., p. 375.
Guillelmum scilicet amicum regis cognoverat Thomas, magis autem æquitatis amicum, et eum tertium elegerat inter Gallicanos præsules quorum ad arbitrium causam
componi suam peroptaverat; e litteris Joannis Sarisberiensis, ibid., p. 595. Ad pacem
1170 adduxit, anno 1170, canonicos S. Juliani et B
monachos B. Petri de Cultura, litigantes de de-
1173 cimis Avesiæ; anno 1173, Albinianos monachos et Lucheii sacerdotem, hujusmodi cau-
1175 sam agentes; anno 1175, Simonem presbyterum et fratres B. Petri de Cultura sibimet
invicem Loiacensis ecclesiæ patronatum vindicantes. Vehementer tunc temporis fervebant ista jurgia, et peritissimum exposcebant
in episcopo decretorum interpretem. Nec
tanto labori Guillelmus imparem se præstitit.
Apud Angliæ regem Henricum ideo habebatur cautus in suadendo, in agendo promptus;
Rer. Gall. Script. t. XVI, p. 164. cumque Pontifex summus Alexander III Fran- C
cos et Anglos acriter ad pacem pangendam
impelleret, Guillelmum Henricus annumeravit præsulibus quos ad pacificum misit conventum. Hi cum Ludovici Junioris legatis fœdus fecerunt, circa finem Septembris 1177.
1180 Guillelmus accepit, anno 1180, satis ampla
dona ab Eustachio, archidiacono, præbendam
constituente in ecclesia S. Juliani: quo tempore monachis favens Majoretanis, nonnulla
rebus eorum addidit tam Cenomani, quam
extra muros urbis; e chartulario Majoris Monasterii. Confirmavit, annum circa eumdem,
quæcumque possidebant Andegavenses S. Al- D
bini fratres in diœcesi Cenomanensi. Nec
prætereunda quæ Benedictus Petroburgensis
1182 narrat ad annum 1182. Henricus, Henrici
regis filius, in villa quæ dicitur *Martel,*
III idus Junii, decesserat. Cum autem defuncti corpus Cenomanum transportasset
familiarium afflicta cohors, illud Guillelmus
excepit et in ecclesia B. Juliani solemniter
sepelivit. « Sed postmodum, ait chronographus, archiepiscopus Rotomagensis et cæteri Normannigenæ, tam clerus quam populus, dedecus illud non debentes, nec
« volentes sustinere, minas minis addiderunt, E
« affirmantes se civitatem Cenomanensem
« destructuros nisi corpus regis eis celerius
« redderetur; » apud Rer. Gallic. Script.,
t. XVII, p. 456. Quam sopivit discordiam
Henricus rex, nati corpus Rotomagum transferri jubens. Firmavit Guillelmus, anno 1183,
datam ab Hugone de Castroduno ecclesiam
S. Cyrici de Sergeio monachis S. Dionysii
Parisiensis. Legitur tandem, anno circiter
1186, ecclesias quasdam decimasque S. Ju-
liano tradens; ex Albo Libro capituli. Decessit Ivreii, febre lenta jam diu laborans, die ANNI CHRISTI
26 Januarii 1187, secundum recentem usum, 1187
e tabulis Cenomanensis ecclesiæ, postquam
fuerat inunctus oleo sacro a Petro, Belliloeensi
abbate. Belli Loci vero et Montis S. Michaelis
necrologia ejus sub diem 27 Januarii meminere, obituarium S. Vincentii sub diem 29
ejusdem mensis, et martyrologium S. Juliani Turonensis sub diem 10 Februarii.
Guillelmi exuvias exceperunt Vincentiani fratres. Laudatur in Gestis pontificum Cenomanensium sui prodigus, qui non solum pauperibus plurima contulit, sed quam maximis
impensis cathedralem ecclesiam adornavit,
thesaurumque episcopalem quatuor annulis
aureis, vasibus, candelabris, lagunculis,
pedis pastoralibus, picturis, locupletavit, necnon codicibus pretiosissimis, inter quos splendida veste refulgentes numerantur Biblia
Sacra et Decretum Gratiani. Mores ejusdem
laudibus et optimam indolem non nulli laudibus prosecuti sunt, quem congredi cuique
licebat, quique neminem unquam absentem
præsentemve contumelioso sermone læsit.
Quocirca nullus tanti pastoris desiderio
modus fuit.

XLI. Reginaldus.

Reginaldum memoraverunt Sammarthani
ex archidiacono, mox decano, electum antistitem. Corvæserii vestigiis proxime siquidem instantes, in hunc delapsi sunt errorem,
ut quem necrologium Cenomanensis ecclesiæ
revera cantorem et archipresbyterum dixerat, archidiaconum et decanum, nemine, nisi
Corvæserio, testante, dicerent. Hanc tamen
mendam Bondonnetus notaverat, et nullus
Reginaldo revera locus, ut infra patebit, in
Cenomanensium decanorum serie. Quo fuerit
anno promotus ad ecclesiam Cenomanensem
non plane liquet. E necrologio decessit IV nonas Augusti, postquam in episcopatu minus
quam tres annos implevisset. Cum autem
Guillelmus antecessor extremum efflaverit
spiritum Januario mense 1186, vel, secundum recentem calculum, 1187, et sedes, ex
omnium consensu, per aliquot menses, Guillelmo defuncto, vacaverit, Reginaldum opinamur ad apicem episcopalis ecclesiæ sublatum circa Septembrem mensem 1187. Quo
anno memoratur, in Albo Libro capit., testis
Burchardi de Lavarzino præbendam concedentis abbatiæ S. Georgii. Anno 1188, e Lab- 1188
bæo, sedit in percelebri conventu quem Cenomani coegit Henricus, Angliæ rex, iter
Hierosolymitanum aggressurus. Eodem anno,
Hugonem de Juliaco, e societate dejectum
christiana ob tenaciter illatam injuriam monachis S. Vincentii, excepit pœnitentem, et
eis patronatum Juliacensis ecclesiæ dimit-

ANNI CHRISTI

tentem; ex archivo Cenom. Eodem, Cenomanum aliquandiu deseruit; nam tunc Petrus, cantor S. Juliani, et Fulgerius, decanus S. Petri de Curia, absentis vices agebant, ut legitur in charta Vincentiana de nemore *Blandiaz*. Redux tamen IV calendas Decem-
Ch. XIV, col. 135. bris, testis erat Fulconis *Ribole* condentis abbatiam B. Mariæ de Campania. Obiit Reginaldus die 2 Augusti, anno 1190. Ejusdem sub hanc eamdem diem meminit necrologium S. Juliani : IV *non. Aug., obiit dulcissimæ recordationis Reginaldus, hujus sedis antistes, qui huic sanctæ ecclesiæ, ut creditur, plus prodesse voluit quam præesse. In cujus sinu nutritus a puero bonæ indolis puerum et adolescentem egit. In cantoris dignitate et archipresbyteratus officio diu laudabiliter ministravit. Tandem electus, in episcopatu minus quam tres annos implevit.*

XLII. Hamelinus.

Hamelinum, visis ejus insignibus, Anglum opinatus est Corvæserius, et eum insuper asseruit confessorem et archicapellanum fuisse Henrici II, Anglorum regis. In quo non leviter Corvæserius, ut in multis, errasse videtur. De genere suo loquentem Hamelinum habemus his verbis : « Noveritis universi « quod nos sæpius et diligentius recolentes « quæ et quanta nos et multi ex parentibus « nostris de ecclesia B. Martini Turonensis « percepimus, ea devotione qua ipsam ec- « clesiam singulariter diligimus, utpote in « ea a puerili ætate nutriti, duo anniversaria « statuimus in eadem ecclesia perpetuo an- « nuatim celebranda... » Quibus addere quædam operæ pretium est. Odo nempe, Hamelini patruus, decanus S. Martini fuerat, qui teneris ab annis Hamelinum et Philippum, germanos fratres, secum nutriri curaverat, Deoque mox addixerat canonicorum habitu vestiendos. Unde Philippus ipse Martiniensium decanus evaserat, et regendis scholis Hamelinus fuerat præfectus. Quo munere fungebatur etiam anno 1186, quo deprehendimus eum subscribentem pacto cuidam inter canonicos S. Venantii et monachos S. Jacobi de Ulmo Roberti; quod Monsnerius edidit, in Hist. S. Mart. Tur., p. 96 (1). Hamelinus ipse patruus erat alterius Odonis, decani S. Petri de Curia. In vacantem evectus
1190 Cenomanorum sedem anno 1190, I die Decembris, Hamelinus Romam proficiscitur et a Cœlestino papa III consecratur sub initium anni consequentis. Hamelinus enim ipse chartam edens, 5 Aprilis 1192, hunc annum jam vocat ordinationis secundum. Occurrit,
1191 anno 1191, in pluribus schedulis sive archivi

(1) Corvæserium abundantius si refellere te juvat, inter decanos S. Martini quære Philippum, Hamelini germanum, et compertum habebis quod ejus patrimonium non in Anglia, sed in pago Turonico situm erat.

A Cenomanensis, sive Fontis Danielis, notum scilicet faciens Gervasium de Toigneio se suaque dedisse monachis B. Mariæ de Persenia, et excipiens Marculfum de Martigneio dimittentem monachis Clari Montis decimas quas indebitas petierat. Eodem anno, e chartulario Majoris Monasterii, inter Majoretanos et Marsilium *de Fail* litem sopivit. Capituli Cenomanensis res primum suscepit instaurandas, eximii mox famam habiturus administratoris, qui omnia circumspiciens omnibusque providens, nullo modo se dignitatem annuli pontificalis minuere reputaret, si re-
B mota aut infima curis delegaret alienis. Die 6 Aprilis 1192, sancivit ut plecteretur amis- 1192 sione fere totius præbendæ canonicus qui vago vellet vacare decursui, aut aliam quamvis ob causam residentiam octo mensium debitam non exigeret; ex Albo Libro capituli. Aliquot dein post annos, consilio domini *Guale*, cardinalis, tunc apostolicæ sedis legati, concessit Hamelinus ut canonici Romam euntes, sive in scholis manentes, Parisiis, Aureliæ, Bononiæ, Salerni, aut Monte Pessulano, etsi non juratam complevissent residentiam, ampliorem nihilominus præ-
C bendæ suæ partem perciperent, his tantummodo destituti quæ ad canonicorum sodalitatem pertinebant. Vincentianorum possessiones confirmavit Hamelinus, anno 1197. Anno 1198, Vindocinensibus monachis tradi- 1198 dit patronatum Trahetensis ecclesiæ; e Vindocin. chartulis, in codice Sangerman. 1069. Eodem anno, VI cal. Maii, vicit, coram judicibus a domino papa delegatis, Matthæum, Ch. XVI, militem, ecclesiam S. Georgii super Arvam col. 136. qui violenter occupaverat. Ultra modum laudare non licet præclarissimum pontificis Ha-
D melini decretum, quo capitulo concessit Cenomanensi licentiam exercendi canonicam justitiam per totam diœcesim, juxta normam Carnotensis ecclesiæ. Hujus concessionis chartam, annum 1198 præ se ferentem, exhibuit, anno 1245, Robertus decanus in causa contra Culturenses monachos. Probaverunt eam quidem Octavianus primo legatus, Innocentius postea III, Alexander IV, Joannes XX, Bonifacius VIII, et scribens ad decanum Cenomanensem Carnotensis decanus Geoffridus, his usus est verbis : « Illa debita « inter vos gratia congaudentibus et honore, « longe fortius incumbit vobis quatenus re-
E « verendum patrem ac dominum Hameli- « num, divina Providentia episcopum ves- « trum, qui vos et ecclesiam vestram tam « inæstimabili dicitur libertate donasse, præ « omnibus benefactoribus vestris, post pri- « mum ecclesiæ fundatorem, si tamen illum « duxeritis præferendum, honorare in omni- « bus humiliter et devote, ac ferventissima « semper devotione diligere studeatis. » Nec mirum si tam sapienti plures obstiterint decreto : justitiam emendare semper arduum,

ANNI CHRISTI cum sese adversariam intendat adulta pejorum consuetudinum corruptela. Ordo tamen novus prævaluit, arctiusque contenta evaserunt disciplinæ vincula. Gravissimis tunc implicatus fuit Hamelinus negotiis et ipsi infaustissime cedentibus. Etenim Richardo Anglorum rege mortuo, Joannes ejus terras omnes invasit, jurium securus Arturi, Britanniæ ducis, quem designaverat Richardus proximum hæredem. Inde Constantia, mater Arturi, filium ad Franciæ regem Philippum traxit, imberbem hujus tutelæ commissurus. Comparavit exercitum Philippus, et Andegavum, dein Cenomanum deveniens, Joannis fautores armis evaginatis terruit. Francorum illa quidem ingressio pax fuit, sed non tranquilla: quapropter novos, non sine causa, tumultus in urbe pontifex ominatus, corpus S. Juliani, canonicorum consilio, Castellodunum transtulit. Philippo sedenim Cenomano vixdum egresso, Joannes adfuit, Anglorum validas ducens turmas, qui turres urbis et mœnia dejecit, æquavitque solo domos civium sibi infensorum. Rediit Philippus acrior, cumque mox audivisset Arturum avunculi perfidia necatum, Cenomanicam civitatem suæ fecit potestatis, fidelitatisque sacramentum ab Hamelino præsule petiit. Hamelinus vero sacramentum negavit, utpote patronis favens Angliæ regibus, ideoque Philippus episcopi temporales reditus pigneratus est. Pro sua parte Hamelinus, excessus sæcularis potestatis frænare satagens, urbem Cenomanicam ecclesiastico subjecit interdicto. Hæc fuit plurimorum origo malorum, cum militantes inter Anglum et Francum non pauci penderent ancipites, et contraria vexilla secuti sibi invicem insidias molirentur. Culturenses, inter alios, notantur monachi, qui decretum perfringentes episcopale, campanis pulsatis et januis apertis divina celebraverunt officia. De qua re coram papa litigatum. Hamelinus interea non segnius tumultuantis ecclesiæ negotiis
1202 providit. Habemus eum, anno 1202, fructus omnes præbendarum forinsecarum statuentem dividendos inter quoscumque S. Juliani
1203 canonicos; anno 1203, quædam S. Martini Turonensis rebus addentem ad anniversaria Odonis patrui Philippique fratris celebranda, consentiente altero quodam Odone, archidiacono Cenomanensi, necnon ipsius Hamelini nepote; eodem anno, abbatiam Fontis Gyardi Majori Monasterio unientem;
1204 componentem, anno 1204, jurgium quod movebatur inter Odonem, S. Petri de Curia decanum, et canonicos S. Juliani, super integritate præbendæ quam prædictus Odo ab eis exigebat, et eodem anno, mandato domini papæ, statuta condentem, cum Adamo Perseniensi, pro reformatione Majoris Monasterii prope Turones. Eumdem denique præbet annum Hamelini charta Majoretanis septem solidos conferentis, Ebriaci percipiendos; e chartulario Majoris Monasterii. Mox, anno 1205, Hervæo, Tironensium abbati, 1205
subdit abbatiam Pelliciæ; compellit insuper ad pacem cum capitulo ineundam Radulfum, comitem Belli Montis, de villa quæ Burgus Regis nuncupabatur, et amplissima charta confirmat, XIV calendas Junii, recenter fundatam Fontis Danielis Cisterciensem abbatiam. Exstat hoc anno scripta, XVIII calendas Septembris, ecclesiæ Paderbornensis epistola, qua, memor dati corporis S. Liborii, prædicta gaudet ecclesia renovare fœdus initum temporibus Aldrici. Hamelinus hospitatus est, mense Augusto 1206, apud monachos 1206
S. Dionysii in Francia, et nullam sibi deberi procurationem agnovit in æde S. Gauburgis; apud *Housseau,* t. VI. Eodem anno, Vincentianis condonavit fructus Reneii; e chartul. S. Vincentii. Anno 1207, postquam ei dominus papa solvendam demandasset contentionem quæ surrexerat inter canonicos SS. Cosmæ et Damiani Garinumque *Conele,* militem, super decimis Fontis Cari, materiam litis inter litigantes æque partitus est; e schedis *Housseau,* t. VI. Confirmavit, anno 1208, 1208
Hamelinus quæcumque Juhellus de Meduana dederat B. Mariæ de Persenia, et, comprovinciales inter episcopos primus, Joannem de Faia consecravit archiepiscopum Turonensem. Eodem anno non semel occurrit in chartulario B. Mariæ de Trappa, monachorum commodis inserviens. Anno 1209, Geof- 1209
fridum, abbatem B. Petri de Cultura, et Hubertum de Claro Monte ad concordiam tandem recepit, litigantes super terra in qua Robertus, Huberti pater, vicum fecerat. Eodem anno, die 27 Januarii, statuit ut annuale decedentium vel secedentium canonicorum ab ecclesia perciperetur, non autem a canonicis succedentibus. Sub hunc annum Bondonnetus refert venientem apud Cenomanos Franciscanorum insignem catervam, quam Geoffridus de Lavalle, canonicus, mox episcopus, regum epistolis ducebat commendatam. Excepit eos quidem Hamelinus in episcopali domo. Litem diremit, anno 1210, inter 1210
Petrum, abbatem Ebronii, et Savaricum de Altanosia, contendentes super juribus in silva Langiaca. Eodem anno, ecclesias Parigneii et *Oissel* absolvit ab omnimoda procuratione; ex Albo Libro capituli. Quo et anno Stellensium, in ecclesia Blesensi, bona confirmavit, supra, t. VIII, Instr., col. 457, necnon possessiones Savigneii in Cenomanensi diœcesi; e Savigneii chartulario, in Max. Gallorum Archivo. Accepit, anno 1211, et ec- 1211
clesiæ matris decano tradidit ampla dona quæ, ad debellandos vadens Albigenses, Poolinus *Boters* Hostilleii sita concesserat. Anno 1212, ratas habuit res Adamo Perse- 1212
niensi datas a Roberto capellano; accepit, mense Maio, a Fulcone, filio Garini *de Chae-*

ANNI CHRISTI *lun*, totam decimam Martigneii, quam trans- A
tulit ad hujusce parochiæ presbyterum. Diœcesim visitans Tironelli paulisper commorabatur calendis Novembris, ubi chartam edidit de terra data monachis a Girardo *de Courboulain*. Abbatiam Fontis Danielis sub pro-
1213 tectione B. Juliani posuit anno 1213, ut in hujus abbatiæ chartulario legitur, et acerrime contendens cum Willelmo de Jalla super exercenda justitia cæterisque consuetudinibus in terra Hostilleii, litem habuit compositam a Philippo rege; ex Albo Libro capituli. Episcopantis Hamelini dies producit Corvæserius ad annum 1218, infidus, more suo, B
temporum annotator. Legimus enim in Albo Libro capituli Cenomanensis Robertum *de Corceon*, cardinalem et sedis apostolicæ legatum, Cenomanum devenisse sub v calendas Januarii 1214, et tunc temporis, Hamelino jam non in Cenomanensi cathedra superstite, confirmasse constitutionem Geoffridi, quondam Turonensis archiepiscopi, vetantem ne duobus presbyter unus præficeretur ecclesiis. Insuper alius prodeat testis. Extat Philippi regis diploma, datum mense Junio 1214, quo mandat Willelmo de Rupibus, Andegavensi senescallo, ut electo nuper Ceno- C
manensi episcopo regalia donentur, si testimonio confirmetur certo Hamelinum, quondam episcopum, se nunquam Angliæ regibus sacramento fidelitatis obligavisse. Unde palam est Hamelinum mense Junio 1214 episcopum jam fuisse (1). Non vero jam decesserat, sed, senectute prægravatus, abdicaverat infulas, non multo post mediam Quadragesimam anni 1214, ut compertum habemus ex annalista quem Bondonnetus laudavit, Corvæserium opportune reprehendens. Obiit quidem Hamelinus, fere centenarius, anno
1218 1218, in vigilia Omnium Sanctorum, e necro- D
logio Cenomanensis ecclesiæ, sepultusque fuit in choro ecclesiæ Grandis Montis, cui reditus addixerat pro anniversario suo celebrando. Hujus tamen sub iv cal. Novembris meminere necrologia Belli Loci et S. Vincentii.

XLIII. Nicolaus.

Hamelino abdicante, ei mox suffectus est
1214 Nicolaus, S. Juliani decanus, die 27 Maii 1214.
Laudavit, hoc anno, chartam Hamelini Vincentianos tertia parte Lovigneianæ decimæ E
donantis; e chartul. S. Vincentii. Eodem, monitum edidit de commutatione peracta inter monachos Campanienses et hæredes Gervasii *Tabarié*; ex archivo Cenom. D. Bilardus, part. 1, num. 377. Cormarum decimas,
Augusto mense 1215, capitulo Cenomanensi 1215
confirmavit; ex Albo Libro capituli : mox, xii cal. Decembris, Ebriaci commorans, litem diremit de Lovigneiana decima monachos inter S. Vincentii et Joannem Patricii; e Vincent. chartul. Decessit ineunte anno 1216, secundum recentiorem computum. Ejus anniversarium in ecclesia cathedrali 27 Februarii celebravere; 28 ejusdem mensis, in S. Vincentii basilica.

XLIV. Mauricius.

Educatus, dum puer esset, sanctimonialium *Analect. t. III, p. 49.*
eleemosynis, archidiaconus postea Trecensis, tandem adlectus suffragiis cleri Cenomanensis episcopus, in vigilia Ascensionis B. Mariæ, Mauricius consecratur a Joanne de Faia, Turonensi archiepiscopo, anno
1216, Dominica infra octavas Ascensionis. 1216
Quos ignoravere dies, inter cæteros, certos licet et multis comprobatos testimoniis, Corvæserius et Sammarthani. Post quos antecessores nostri in eadem re non leviter peccavere; supra, t. VIII, col. 1392. Horum vero errorem jam narratarum series rerum refellit.
Consecravit Mauricius, vii idus Junii 1217, 1217
ecclesiam Montis Cœlestis, apud Turones; e chronico Turonensi. Occurrit dein in pluribus chartis, annis 1218, 1219, 1220, 1221, 1222, 1223, 1224, varias denuntians donationes, concordias aut emptiones, quas singulatim referre non operæ pretium est. Hujusce tenoris non pauca reperies documenta etiam nunc in archivo Cenomanensi. Majoris autem est momenti quod legitur in Honorii papæ III epistola, ad Mauricium episcopum missa die 20 Aprilis 1218, qua monet eum ut in Petrum, Britanniæ comitem, Nannetensi infestum ecclesiæ, censuræ minas detorqueat; Rer. Gall. Script. t. XIX, p. 657. Ad eumdem præterea prædictus papa, 5 Julii, scribit, excommunicari Petrum jubens; ibid., p. 662. Plures Honorii III epistolæ non eatenus prælo demandatæ, spectant ad ecclesiam Cenomanensem. Quas reperies inter apographa quæ D. *La Porte du Theil* Roma retulit. In prima, quæ scripta fuit 9 Decembris 1218, deprehendimus judices Cenomanensis tractus sæculares, in res cleri et ipsos clericos desævientes, nullo jurium agnito discrimine : quamobrem summus episcopo Cenomanensi mandat Pontifex ut eos ab alieno foro firmiter arceat. Eidem obsequens, Honorius die 26 Decembris, chartam, qua parochialem ecclesiam Largi Campi diviserat in duas, apostolica confirmavit auctoritate. Lis fuit Romanam ante curiam, hoc anno 1218, inter Mauricium et quemdam archidiaconum, fructus duorum beneficiorum insimul percipere satagentem :

(1) Unde castiganda doctissimi viri Josephi *Naudet* annotatio ad epistolam Gervasii, Præmonstratensis abbatis, editam inter Rer. Gallic. Script., t. XIX, p. 618. Anno sed enim 1216, vel 1217, Cenomanensem episcopum Honorio papæ III commendans Gervasius de Hamelino perperam dicitur locutus. Eximius quidem annotator et naviter in re qualibet officio suo fungens, sed a Cenomanensis ecclesiæ chronographo delusus.

ANNI CHRISTI adversus eumdem querelam movit episcopum
abbas S. Georgii de Nemore, qui, suspensus
ex abbatiæ regimine, judices novos flagita-
vit. Hæc et alia novimus e prælibatis collec-
taneis D. *La Porte du Theil.* Cum autem
tanta gravaretur litium frequentia Cenoma-
nensis episcopus, a summo Pontifice statu-
tum est, die 13 Julii 1219, contra priscam
ecclesiæ consuetudinem, ut tres canonicos
e capitulo quasi segregatos assidue secum ha-
beret. Quam ob causam suspensus et ipse
mox fuerit Mauricius episcopus ab archiepis-
copo Turonensi nos omnino fugit; rem vero
non dubiam narramus, cum reperiantur, sub
annum 1221, Honorii litteræ ad capitulum
clerumque Cenomanensis ecclesiæ, quarum
hæc verba sunt : « Noveritis quod ad caute-
« lam relaxamus suspensionis sententiam,
« quam in venerabilem fratrem nostrum
« episcopum Cenomanensem tulerat vene-
« rabilis frater noster archiepiscopus Turo-
« nensis; ideoque universitati vestræ per
« apostolica scripta mandamus, quatenus
« eadem tanquam episcopo vestro intenda-
« tis, et obediatis humiliter et devote. Da-
« tum Laterani, secundo calendas Maii, pon-
« tificatus nostri anno quinto. » Plura jam
monstravere testimonia quanto favore sum-
mus eum Pontifex exceperit; nullus ergo
mirabitur quod ejus hac in re partes ipsum
contra metropolitam amplexus sit : at vero
mirum prorsus est quod æstuantes Turo-
nensis animos non publicus domini Papæ
favor sedaverit. A Mauricio non destitit Ho-
norius; nam, anno 1221 desinente, vel 1222
incipiente, secundum Romanam computa-
tionem, undecima scilicet die Martii, sus-
pensum licet a metropolita Cenomanen-
sem episcopum jussit S. Sergium petere,
et quæstionem habere de famosis abbatis
moribus. Aderat, anno 1222, Mauricius fe-
ralibus exsequiis Willelmi de Rupibus, An-
degaviæ senescalli. Idem Ludovico VIII,
Francorum regi, semet obligavit sacramentio,
1223 mense Novembri 1223, ut constat ex hujusce
regis litteris; in Albo Libro capituli Cenoma-
nensis. Eidem, VI nonas antecedentis mensis,
mandaverat summus Pontifex ut Rotonensem
abbatiam reformaret effrænata conturbatam
licentia. Ad eum dein scripsit Honorius, die
11 Aprilis ejusdem anni, ut cum episcopis
Carnotensi necnon Aurelianensi, inquisitio-
nem institueret de nefandis Burgensis abbatis
interfectoribus. Contulit, Februario mense
1224 1224, monachis B. Mariæ de Ebronio deci-
mam quam ipsi concesserat Garinus *de Vi-
lers,* confirmavitque, eodem anno, funda-
tum ab Hervisia, filia Mauricii de Credone,
prioratum S. Catharinæ. Nondum die 2 Maii
1225 1225 in concordiam venerat cum archiepis-
copo Turonensi, nam Honorius eo die scrip-
sit ad abbatem S. Juliani et subdecanum
S. Martini Turonensis, eis dans provinciam

A ut discordantes præsules ad sedem apostoli- ANNI CHRISTI
cam ire cogerent, ni fœdus amicitiæ sanxis-
sent ante duorum annorum terminum. Oc-
currit Mauricius, die 22 Novembris ejusdem
anni, ratum faciens pactum inter Joannem
de Fay militem et capitulum Cenomanense,
de decima quam is miles Mansigneii pos-
sidebat, ex Albo Libro capituli, et, mense
Martio, ampliorem dividens in duas partes
parœciam Montenaii. Immo eodem anno,
statuit, consentiente Romanæ sedis legato,
ut canonicis ætate minoribus, cum ad vi-
cesimum ætatis annum pervenissent, lice-
B ret, dato pro more fidei sacramento, capi-
tuli deliberationibus interesse, non tamen
ad superiora chori stalla usque ascendere; ex
eodem codice. Litem diremit, anno 1226,
exortam inter Ebronienses monachos et
Willelmum de Curia Cæsaris, nec non al-
teram litem inter Radulfum Bellimontis co-
mitem et Vivonii monachos. Confirmavit,
eodem anno, Octobri mense, quæcumque
sub suo jure tenebant prædicti Ebronienses
in diœcesi Cenomanensi, et de jure pranso-
rio cum Majoretanis pactus est, ut in eorum
chartulario legitur. Anno sequente, inter
C Ebronienses et Hamelinum Francum, mili-
tem, pacem fecit. Hæc desumpsit D. de *Gai-
gnieres* ex Ebroniensi chartulario. Idem in
chartulario Fontis Danielis legit Mauricium,
mense Julio 1227, episcopali auctoritate 1227
confirmasse pactum inter Robertum de *Gor-
ran* et Gervasiam uxorem Nicolai de S. Lupo.
Culturenses, Januario mense 1228, secundum
recentem calculum, compulit ad pactionem
ineundam cum vidua Guidonis de Sablolio,
ea negante monachis a viro legata. Grego-
rium papam IX benignum æque patronum
expertus est Mauricius ac defunctum Hono-
D rium. Is enim erat cui prudentiæ doctrinæ-
que laudem adepto res difficillimas Romana
sedes erat continuo demandatura. Cum igitur
Romam nuntius ivisset, referens monachos
Porreti Novi dissolutam ducere vitam et ido-
neo indigere morum correptore, misit Mau-
ricium Gregorius, datis litteris III nonas
Martii 1228; e collectaneis D. *La Porte* 1228
du Theil. Eidem Gregorius, IV cal. Junii,
scripsit ut proterviorem ducem Britanniæ
interdictionis virga plecteret, nisi intra
quatuor menses pœnitentem semet exhibuis-
set; Prob. Hist. Brit. t. I, col. 861. Anno
E 1229, mense Augusto, fœdus iniit cum cano- 1229
nicis S. Petri de Curia, de juribus quæ Ce-
nomanensibus episcopis competebant in
prædictos canonicos; apud D. Bilardum, Ind.
Cenom. archivi, part. I, num. 47. Hi quidem
semet confessi sunt illis arctissimo adhæ-
rere vinculo : ex altera parte, Mauricius,
terminis non omnino expertem ambiens do-
minationem, certis se passus est adstringi
regulis, sive in visitatione ecclesiæ S. Petri
de Curia, sive in administratione episcopalis

ANNI CHRISTI

justitiæ, cum nihil ex antiquis canonicorum privilegiis detraherestuderet. Hanc chartam confirmavit Gregorius, VIII idus Februarii, pontificatus anno tertio. Mauricio nuper idem Pontifex, et Silvanectensi episcopo, non minimi sudoris provinciam dederat : de componenda scilicet seditione agebatur, cum magistri scholaresque Parisienses a rege descivissent, et tumultuaria trepidatione, si non regno, scholæ saltem Parisiensi minarentur exitium; e collectan. D. *La Porte du Theil*. Gregorianæ ea de re litteræ datæ sunt VII cal. Decembris 1229. Mauricius, anno
1230 1230, favit Cisterciensibus monachis monasterium Pietatis Dei condentibus. Notum igitur fecit, hoc anno, Berengarianam reginam ab Hugone *Hoanne*, ad alendos hospites hujusce monasterii, emisse duas partes decimæ S. Joannis de Scalis; ex archivo Cenoman. Confirmavit insuper iisdem auctoratam a Roberto de Brolio Maceriarum decimam, et a decano Cenomanensis ecclesiæ villam Berneucium super Idonæam; ex eod. archivo. Denique chartam edidit de rebus quas eisdem tradiderat Richardus *de Noers*. Vergebat mensis Octobris ad finem, quando Mauricius, compositis, anno superiore, cum capitulo S. Petri de Curia rebus jamdudum ambiguis, leges capitulo S. Juliani novas dedit, neutiquam absonum, ut aiebat, reputans secundum vicissitudinem temporum humana statuta immutari. Archipresbyteratus scilicet amovit et diœcesim inter septem partitus est archidiaconatus, quorum fines sedulo determinavit. Præterea sancivit qua ratione visitationes fierent; quos et quot visitans archidiaconus haberet comites, et quibus impendiis exciperetur. Ea statuta Gregorius papa IX confirmavit, die tertia Februarii 1232; quæ probaverunt ipsi decanus, necnon magistri Parisienses, eodem anno, mense Novembri. Excommunicatum a capitulo Cenomanensi Guillelmum *de Colenz*, militem, episcopali flagello et ipse Mauricius mulctavit, in vigilia Paschæ 1230. Hoc eodem anno Mauricium habemus diœcesim suam peragrantem, et charta quadam testantem se paulisper Molendini commoratum, super Arva fluvio. Molendinum erat Ebroniensis prioratus nuper extructus. Repe-
1231 ritur Mauricius, Martio mense 1231, ineunte scilicet anno, in charta Philippi *S. Cher* monachis Pietatis Dei vendentis quidquid juris habebat in decimam Bellifagii. Mauricium legimus, hoc anno, ecclesiam Tyronelli dedicavisse, una cum Hugone, Sagiensi episcopo. Quamobrem nostri Bondonnetus episcopatum Mauricii ducit ad medium annum 1231. Cui libenter suffragamur, cum in authenticis nobis occurrat chartis Mauricius, undecima die Junii, qua celebratur anniversarium S. Barnabæ apostoli, pacem faciens inter priorem Torceii et presbyteros plures,

A de quibusdam decimis apud B. Mariam de Vario, Novigentum Bernardi et Malum Stabulum, ex archivo Cenoman., et, eodem mense Junio, contentionem dirimens inter Fulconem *Ribole* et Olivarium Vivonii priorem; e chartulario Majoris Monasterii. Nec multos post dies, cum Rotomagensis metropolitana sedes vacaret, defuncto Thebaldo, hujus in locum adlectus est Mauricius, gestorum fama ultra Cenomanorum fines notissimus. Laudatur suæ rei in pauperes prodigus, qui scilicet majorem annui redditus partem cæteris erogabat, sibi vix ad moderatissimam vitam
B necessaria reponens.

XLV. Geoffridus I.

Geoffridus primo decanus Cenomanensis DE LAVAL.
creatus fuerat, graduque eo jam via ad episcopatum facta, episcopus cooptatus est 12
Augusti 1231, ut legimus in Analect. Ma- 1231
billonii, t. III, p. 49 : qui, eodem anno, postulavit a rege ut injectio manus in episcopatus bona solveretur; e Thes. Chartar. indice. Hunc opinantur Guidonis, Lavallensis toparchæ, filium, et Emmæ Andegavensis. Oc-
C currit hoc anno 1231, confirmans datam monachis Vivonii partem cujusdam nemoris ab Huberto *Dagomeis*. Octobri mense, decimas partitus est inter S. Vincentii monachos et sacerdotem B. Mariæ Piaceiensis; in arch. Cenom. Ad eumdem forsitan et ad abbatem Pietatis Dei directæ, XIII cal. Novembris, Gregorii IX litteræ, de G. de Lezignaco christianam extra familiam ejecto; in collect. D. *La Porte du Theil*. Memoratur consecrans,
anno 1232, Franciscanorum ecclesiam in 1232
civitate Cenomanensi. Quo anno pacem fecit inter Ebronienses et Geoffridum *de Bornai*
D de juribus contendentes. Suscepit, anno 1233, 1233
Robertum decanum et Lisiardum *de Poillé* paciscentes de Asneriis; e codice D. *de Gai-*
gnières 2737. Anno dein 1234, divisit paro- 1234
chiam B. Mariæ de Cultura, cui subjectæ fuerant ea tenus ecclesiæ S. Nicolai et S. Jacobi de Novo Foro; e chartul. Culturæ. Eodem anno, fructus forinsecarum præbendarum canonicis S. Juliani confirmavit; ex Albo Libro capituli. Hoc etiam anno decessit, IV idus Augusti, e necrologio Cenomanensis ecclesiæ, et sepultus est in Franciscanorum ecclesia. Nota vero quod non plane cum ne-
E crologio consentiat chartula quam D. Bilardus exhibet, cujus ad fidem Geoffridus superstes fuisset ultra quindecimum Augusti diem anni 1234.

Nonnulli post Mauricium Geoffridum Laudunensem posuere, et, post Laudunensem hunc Geoffridum, Geoffridum Lavallensem. Quorum errorem plane demonstrant, vel ipsis enarrantibus, cujusque gesta Geoffridi.

ANNI CHRISTI

XLVI. Geoffridus II.

DE LOUDON Electus est Geoffridus II, e libro Gestorum,
1234 xvi cal. Novembris 1234. Patrem habuerat
Geoffridum de Losduno, matrem Beatricem,
fratres Fulconem et Aimericum, sororem
Margaritam, Montis Sorelli dominam. Unde
clarus avis atavisque noscitur. Ipse, post suo-
rum fratrum obitum, Treviarum, in agro
Andegavensi, dominus evasit. Litteris excul-
tus tenerrimis ab annis, a Mauricio præsule
cantoria Cenomanensi postea donatus est.
Quem ut concanonici vacantem in cathedram
evexere, regi fidem dedit hoc anno 1234.
Occurrit primum, die Sabbati ante *Reminis-
cere* 1234, secundum veterem usum, Siliacum
Guillelmi deveniens, vetansque ne Cenoma-
niæ sæculares judices forum ante suum mo-
nachos Saviniacenses trahant; e Max. Gal-
lor. Arch., L, 1146. Martis die ante festum
1235 B. Magdalenæ 1235, curiones nonnullos com-
pulit ad persolvendas Campaniæ monachis
quas detrectabant decimas; ex archivo Ce-
nom. D. Bilardus, part. 1, num. 411. De ju-
risdictione mox cum metropolita Turonensi
litigavit: a quo suspensus Romam tetendit,
moxque rediit, a Gregorio papa ad cautelam,
ut aiebant, relaxatus. Legantur ea de re
Gregorii IX litteræ, quas Roma detulit D. *La*
1237 *Porte du Theil*, datas viii cal. Junii 1237.
Eadem iisdem fere verbis narrat auctor Ges-
torum. Jura quibus capitulum Mauricius
auxerat eodem anno Geoffridus confirmavit.
Statutum edidit, anno 1239, de Domo Dei de
Canda Forti; ex Albo Libro episcopi. Sep-
1241 tembri mense 1241, transegit cum Majore-
tanis de decima Mansigneii; ex archiv. Ce-
nom. Parci Carthusianas ædes dedicavit, anno
1244 1244. Confirmavit, die lunæ post Resurrect.
1245 Domini 1245, decretum Hamelini de capituli
1246 jurisdictione. Anno 1246, in die Pentecostes,
sancivit ne plus quam per unum diem quo-
tannis Ebroniensis abbatia Cenomanensem
episcopum excipere et alere hospitem tene-
retur. Veneris die post octavam Pentecostes
1250 1250, pacem fecit inter monachos Rotæ et
Bellæ Branchæ, litigantes de possidendo corde
nuper defuncti Mauricii de Credone; apud
D. Bilardum, part. 1, num. 360 (*bis*). Eodem
Ch. xx, col. 139 anno, transegit cum Hervæo de Chaorciis, de
lapidibus e lapicidinis Bernaii excidendis, ad
consummandum opus Cenomanensis eccle-
1251 siæ. Augusto mense 1251, abbatissam Esti-
vali Joannemque presbyterum de reditibus
Cergeii contendentes conciliavit. Occur-
1252 rit, anno 1252, suadens Ernaudo, Ebronien-
sium abbati, ut religiosis Parci viris Orcum
tradat; apud D. *de Gaignières*, num. 205.
Eodem anno, mandato domini papæ, Joan-
nem, Britonum ducem, excommunicationis
pœna mulctari jubet ob illata ecclesiæ
Nannetensi damna; Prob. Hist. Brit. t. I,
col. 951. Amplissimis enarratur verbis ab

A auctore Gestorum, sub annum 1254, quo ANNI CHRISTI
studio Cenomannica tota gens S. Juliani reli-
quias ecclesiæ de navi transtulerit in chorum 1254
recens absolutum: dux operis Geoffridus
legitur, et velut alter Symeon sacrum pignus
inter ulnas suscipiens, adstantibus archi-
episcopo Turonensi, necnon episcopis Abrin-
censi, Andegavensi et Redonensi. Anno
1255, litigans Geoffridus cum Carolo, Ce- 1255
nomaniæ comite, de juribus ad ecclesiam
suam spectantibus, Anagniam ad Alexan-
drum papam profectus est. Ibi vero decessit,
3 Augusti, tam e necrologio Cenomanensis
B ecclesiæ, quam ex obituario Parci. Harum
tabularum fidem tuetur epistola Alexandri
papæ IV, qui, scribens ad decanum Cenoma-
nensem, vii idus Augusti 1255, Geoffridi
meminit jam defuncti; inter apographa quæ
Roma detulit D. *La Porte du Theil*.

XLVII. Guillelmus II.

Ut Cenomannum venit nuntius referens ROLLAND.
Geoffridum fato sublatum, Robertus ad Lu-
dovicum regem scripsit decanus, die 8 Sep-
tembris 1255, et postulavit ut liceret suf-
C fragia colligere. Electus fuit Guillelmus
Rollandi, cantor ecclesiæ Cenomanensis,
filius Hectoris, quem comes Cenomanensis
fiscalem advocatum dixerat suum. Ignota
dies qua vota clerus plebsque tulerint: sede-
bat tamen Guillelmus anno 1256 ineunte, 1256
cum, mense Martio, Cergeiensem ecclesiam
uniret S. Juliano; ex Albo capit. Libro. In
sua quasi domo nutritum Cenomanensis co-
mes in quibuscumque sibi morigerum fore
sperabat; a qua spe mox dejectus est, nam
soli se regi Guillelmus fidum mense Julio
juravit. Reperitur, mense eodem, probans
D nonnulla Cenomanensi capitulo data a Joanne
de Ferraria, canonico. Dein eodem anno,
chartam edebat de sopita lite inter moniales
Estivali presbyterumque Liveti, stagni cu-
jusdam pisces æqua lance partientes; ex ar-
chivo Cenomanensi. Ipse, anno 1257, die 1257
Jovis in crastino B. Martini hiemalis, transe-
git cum Geoffrido, Majoretanorum abbate,
de decimis silvæ Meduanæ. Decembri mense,
Fulconem, S. Vincentii abbatem, Julianum-
que de Corulo, canonicum, audiebat pacem
post longa dissidia pangentes; ex eodem ar-
chivo. De quo necrologium Cenomanensis
E ecclesiæ: « Qui quasi flos egrediens, velut
« umbra fugiens pertransivit: nam idem in-
« stitutus pastor super gregem evigilans, pro
« defensione ecclesiæ tanquam fortis athleta
« decertans, tribus annis nondum adhuc im-
« pletis rebus est exemptus humanis... Cum
« inter principem et clerum Cenomanensem
« gravis esset exorta querela, idem graviora
« perpessus pro Ecclesia, sed adhuc paratus
« perpeti graviora, tandem gravi necessitate
« compulsus Romam expetiit, ad summi Pon-

ANNI CHRISTI
« tilicis consilium fugiens et juvamen....;
« adeptoque quod petierat, cum ad propria
« regredi properaret, ingrediens Januam civi-
« tatem, paucis diebus intermediis ingressus
« est januam universæ carni patentem... »
Decedentis Guillelmi dies, ad necrologii Ce-
nomanensis necnon Bellilocensis martyro-
logii fidem, dicitur Augusti quartus; Cor-
væserius autem ejus vitam ad annum ducit
1261, cum Bondonnetus et Sammarthani in
anno 1260 hæreant. Nec huic nec illi sub-
scribere fas est chronologiæ. Electione Guil-
lelmi sedenim anno 1255 peracta (non multo
post diem Septembris octavum), moritur
1258 ille 4 Augusti 1258, e necrologio supra lau-
dato, tribus annis nondum impletis. Idem
testantur ex obituario Parci decerptæ notulæ,
in Albor. Mantell. codice 45, et Chronicon
Guillelmi de Nangiaco; Rer. Gallic. Script.,
t. XX, p. 410. Idem præterea demonstrant
officialis Cenomanensis litteræ de pacto quod
fecerunt, anno 1258, in postridie B. Gervasii
hiemalis, Guillelmus *de Cortimont* et cura-
tores testamenti quod condiderat Guillelmus
quondam episcopus; apud *de Gaignières*,
num. 2737, fol. 17. Easdem denique tempo-
ris notas præbet pergamenum, quod ecclesia
Campaniæ vitro inclusum diu servavit, quod-
que domnus *Briant* semet legisse profitetur.
Ex eo præterea novimus Geoffridum Januæ
propera morte ereptum. Multis Guillelmus
S. Juliani thesaurum auxerat donis. Demor-
tui ferales exsequias excepit ecclesia B. Ma-
riæ de Campania, et hi versus in ejus tumulo
incisi fuere :

Mores magnorum superans et dicta virorum,
Tutor cunctorum, cleri, plebis, monachorum,
Lux prædictorum debellatorque malorum,
Justus, devotus, castus, sapiens, moderatus,
Præsul Guillelmus Rolland *jacet hic tumulatus.*
Hujus erat testis parcus cibus, aspera vestis,
Copia multarum quas fundebat lachrymarum,
Dum flens missarum tractaret sancta sacrarum.
Isti cœlorum det gaudia rex superorum
Christus, servorum meritis precibusque suorum.

XLVIII. Geoffridus III.

FRESLON. Vacans legitur sedes die Martis post As-
sumptionem B. Mariæ 1258, in chartula,
cujus *Briant* meminit, de motis jurgiis inter
monachos Culturenses et Bernardum de Fe-
ritate. Eodem anno, Geoffridus electus est,
secundum Guillelmum de Nangiaco, et con-
firmatus a Vincentio archiepiscopo; e Sam-
marthanis, t. I, p. 775. Certe, mense Mar-
tio sequente, monachos S. Petri Bernardum-
que supra memoratum præsul novus ad
pacem reducebat. Hunc Nangiacensis anna-
lista Transligeranum dicit archidiaconum in
ecclesia Turonensi antea fuisse, et idem
Maan testatur. Anno certe 1256 legitur ca-
nonicus Cenomanensis in litteris de vendi-
A tione quinque solidorum Songeii percipien-
dorum; in cod. *de Gaignières*, num. 2737,
fol. 43. Ejusdem quoad patriam, domnus
Briant eum in agro Vindocinenci natum opi-
natur, inter Montem Aureum et Rochas Epis-
copi. Januario mense 1260, secundum re- 1260
centiorem usum, occurrit in charta Jacobi,
Culturensis abbatis; apud D. Bilardum,
part. 1, num. 110; Martio mox deveniente,
testis est initæ pacis inter abbatem Belli
Loci et Bellomontanum senescallum; ex in-
dice Bellilocensis tabularii. Unam procura-
tionem poscens a Majoretanorum abbate, in
B vigilia suæ consecrationis persolvendam,
cum eo pepigit mense Maio 1262; e chartu- 1262
lario Major. Monast. Eodem anno, sententiam
edidit de causa quæ movebatur inter abba-
tem Villælupæ et Joannem de Berria. Non
semel reperitur, anno 1263, in Culturensibus 1263
chartulis; apud D. Bilardum, part. 1, num.
117, 118, 119. Plura composuit, ex eodem,
annis 1266, 1267. Nec prætereamus quod,
die Jovis ante festum B. Petri ad Vincula
1267, controversiam diremit exortam de jus- 1267
titia Bello Monte exercenda inter monachos
Villælupenses et Geoffridum de Paludello.
C Decessit XVIII cal. Decembris, e martyrologio
Cenomanensi et ex obituario S. Juliani Tu-
ronensis : XVII autem cal. ejusdem mensis e
necrologio Vindocinensi, et XVI e calendario
S. Juliani Pratensis. Incertior autem est an-
nus. Nonnulli quidem Geoffridum decessisse
ferunt anno 1272. Quin imo Colombus, in-
credibili quadam hallucinatione, ejusdem
dies ad annum 1274 producit. Sed pluribus
refelluntur testimoniis. Ne singula exhibea-
mus, memorentur solum, e Probat. libertatum
Eccles. Gallic., t. II, p. 77, litteræ decani Ce-
nomanensis ad regem Geoffridi mortem nun-
D tiantes, Novembri mense 1269. Sedit igitur 1269
per undecim circiter annos. Quod etiam ma-
nifestius erit e sequentibus. Geoffridum hunc
tertium summis exornant laudibus. A Cle-
mente papa IV ad Tyrensis ecclesiæ regimen
vocatus, tantum detrectavit munus, ne suas
pastor vagus oves desereret.

XLIX. Geoffridus IV.

Filius Hugonis *d'Assé* et Ægidiæ *de Se-* D'ASSÉ
grie, in parochia S. Martialis natus erat Geof-
fridus, qui primo scholasticus, dein major
E archidiaconus, postea cantor, denique præsul
extitit. A nonnullis dicitur anno 1272 electus.
Quibus assentiri non licet. Obiit enim, e
martyrologio Cenomanensis ecclesiæ, nonis
Julii 1277, et eumdem omnes per annos sep-
tem, quinque menses, et tres hebdomadas se-
disse referunt. Unde comprobatur electus
ineunte anno 1270. Idem testatur summe
decretorium argumentum. Habemus enim
litteras, quas recens electus ad regem misit,
poscens ut episcopatus fructibus sibi frui li-

ANNI CHRISTI ceret; quæ datæ leguntur die Mercurii post festum B. Juliani 1269, desinente scilicet, secundum recentem usum, Januario mense 1270. (Ch. xxi, col. 140.) Is est ergo qui, Octobri mense 1270, data religiosis viris Burceii a Geoffrido *Quintel* recensebat, et confirmabat, die lunæ ante festum B. Catharinæ 1271, possessiones Vincentianorum in Cenomanensi diœcesi. (1271) Idem, mense Maio 1272, centum solidos Turonenses addidit ad celebrandum anniversarium Geoffridi præsulis, Treviarum domini; ex Albo Libro capituli. (1272) Confirmavit, die lunæ ante Ascensionem Domini 1276, capellaniam Guierchiensem, recens fundatam a domina Juliana de Guierchia. (1276) In martyrologio supra laudato legitur : *Anno Domini* 1277, *nonis Julii, obiit recolendæ memoriæ Gaufridus de Aceyo, hujus Cenomanensis ecclesiæ præsul, non tantum generis nobilitate, sed etiam morum honestate præclarus, ad pontificatus apicem non saltu, sed ordine debito per diversitatem graduum plurium dignitatum, scilicet scolastriæ, majoris archidiaconatus et cantoriæ hujus ecclesiæ gradatim ascendens, in eis laudabiliter militando.* (1277)

L. Joannes I.

DE CHANLAI. Justis Geoffrido persolutis, partium ambitu Cenomanensis ecclesia conturbatur. A quibusdam enim Guillelmus *Roil*, decanus, in vacantem cathedram vocatur; ab aliis Geoffridus de S. Brixio, decanus ipse Bituricensis ecclesiæ. Jus uterque suum ergo persequi, uterque dominum papam rei judicem appellare, donec, ut finem litigandi facerent, tot impendiis quæsitam rem ambo dimiserint. Elegit Nicolaus papa Joannem, v nonas Octobris 1279. (1279) De patria quæ Joannem hunc genuit, ejusdem de gentilitio nomine, deque officiis quibus ante episcopatum fungebatur diversa diversi conjecere. Varias quorumcumque exposuit sententias prudentissimus vir D. *Lajard*, Inscriptionum Academiæ socius; quem consule, si lubet, Hist. litt. Franc., t. XX. Litteræ vero Nicolai papæ, quas tunc primum prælo mandamus, in liberioris conjecturæ vicem certissima proferunt. Ex his enim comperimus præclarum genere virum Joannem de Chanleio, neutiquam de Challeio, aut de Tanlaio, ut quidam opinantur, ex archidiacono Sigaloniæ, in ecclesia Aurelianensi, ad Cenomanensem cathedram translatum; (Ch. xxii, col. 140.) non igitur, ut aiunt, e cantoria Cenomanensi. In eisdem insuper legitur Joannes jam antea ad Autissiodorensem sedem, non paucis, imparibus tamen, suffragiis accersitus. Si plura tandem quoad ejusdem initia desideres, inter collectanea D. *La Porte du Theil* Urbani papæ IV epistolam reperies, quæ Joannem hunc nostrum Autissiodorensem canonicum denuntiat, anno, ut videtur, 1263. Adeo solemni testimonio fictitia quæcumque plane refel-

A luntur. Netamen, quia præter consuetudinem Joannis electionem ad exitum anni 1279 ducimus, Geoffridi antecedentis decessum post Julium mensem 1277 promovendum opineris. Vacavit enim sedes plusquam per duos annos, ut demonstrare licet, pace Claudii Roberti, Corvæserii et Bondonneti, e pluribus officialis Cenomanensis epistolis quas exhibent tam codex D. *de Gaignières*, sub num. 205, fol. 35, quam Index Cenomanensis archivi a D. Bilardo digestus, part. 1, n. 566. Idem præterea comprobatur e solemniori documento. Habemus enim ipsius Joannis litteras, B ad regem missas die Sabbati ante festum B. Dionysii 1279, quibus fructus suscepti recens muneris deposcit. (Ch. xxiii, col. 142.) Tunc apud dominum papam Joannes degebat. Idem sub tempus dixit Joannes semet Cenomanensis ecclesiæ statuta penitus ignorare, petiitque a Nicolao papa ut ea non strictissime observare cogeretur. Ignotis, ut aiebat, hunc legibus papa solvit, iv id. Novembris 1279; ex apographis D. *La Porte du Theil.* Jurgia autem adversus eum vel maxima capitulum S. Juliani contemtas ob leges movit, ut legitur in Cenomanensi martyrologio, gesta Guillelmi de C Polleio, Sahloliensis archidiaconi, referente. Sibi quoque infensos plures Cenomanensis agri milites Joannes expertus est. Eum decessisse memorant anno 1294 nonnulli, quidam anno 1291. Neutra forsitan admittenda conjectura.

LI. Petrus I.

Troia oriundus, ad Ledi ripas, Petrus Joannem patrem habuit, sigillo Vindocinensis romitis custodiendo præpositum. (LE ROYER.) Canonicus primum occurrit Cenomanensis, dein archi- D diaconus Castri Ledi, pluribus in schedulis quarum Corvæsærius meminit. Illum vero quindecim a morte Joannis diebus Cenomanense capitulum infulis donavit. Legitur in Gestis Guillelmi Majoris Andegavensem adiens synodum 26 Januarii 1293, dictus 1293 tunc temporis electus Cenomanensis et auctoritate metropolitana confirmatus : nondum igitur pontificias litteras acceperat. Usum ecclesiasticorum redituum a rege postulans reperitur anno tantum 1294, e Thesauri Char- 1294 tar. indice. Diœcesim perlustrans obiit S. Ceciliæ supra Ledim, anno, ut videtur, 1295. E Petri memoriam commendat necrologium Cenomanensis ecclesiæ, ix cal. Januarii.

LII. Dionysius.

Falesia oriundus, in Normannia, archidiaconus, ut aiunt, Parisiensis, et novissime præcentor, non vero decanus, sicut plures asserunt, (BENAISTON.) Dionysius administrationem ecclesiæ Cenomanensis ab ipso rege, non petitis cleri suffragiis, suscepit 21 Januarii 1296. Hæc 1296

ANNI CHRISTI narrantes addunt Dionysium a Bonifacio papa postea fuisse confirmatum. Acerrime litigavit cum Andegavensi præsule, de justitia Sablolii et in circum jacentibus vicis exercenda. Qui et hospitium Erinæi, anno 1297 conditum, probavit. Decessit 3 Martii 1298: lege, secundum recentem usum, 1299; e necrolog. Cenomanensis ecclesiæ. Dionysii dies ab ejus ordinatione forsitan recensuit auctor necrologii, qui eum per duos annos mensesque decem sedisse memorat.

LIII. Robertus II.

DE CLINCHAMP. Robertus e decano Cenomanensi episcopus a canonicis salutatus est, Aprili, ut videtur,
1298 mense 1298, quem patria Cenomanum et ex illustribus avis atavisque deductum instrumenta plura probant. Litigavit, anno 1300, cum capitulo S. Martini Turonensis de Magittensis ecclesiæ patronatu. Die Jovis post
1303 *Reminiscere* 1303, secundum recentem usum, litteras a Philippo rege obtinuit, quibus sancita Cenomanensis episcopatus jurisdictio. Parisiis tunc forsitan Robertus commorabatur; nempe festo die Dominicæ Passionis, eodem anno, sedens occurrit inter præsules quos Philippus coegerat audiendos de jurgiis a Bonifacio papa nuper motis; e Gestis Guillelmi Majoris. Memoratur variis in chartulis annorum 1304, 1308. Illum inter et Tironis abbatem cum contentio intercederet de jure quod ad utrumque competebat in eligendis abbatibus Pelliciæ, pacti sunt 4 Fe-
1309 bruarii 1309, ante Guillelmum, Andegavensem episcopum; ex Albo Libro capituli Cenomanensis. Eo decessit anno, 9 Septembris, tam apud Corvæserium quam apud Sammarthanos: in qua diei mentione non leviter peccaverunt; hoc enim ipso die quo morientem eum memorant, Robertus decretum edidit de novalibus Blavoti nemoris, quod legere est in Geog. Ant. Thomæ Calvini, instr., p. 31. Verius in ejus epitaphio perveteri:

> Annis millenis ter C nonis Cenomannis
> Præsul decessit Robertus, cui requies sit
> Perpes in cœlis, festo sancti Michaelis.

Festum S. Michaelis 29 Septembris celebratur. Easdem notas præbet Pratense necrologium; easdem fere Cenomanensis ecclesiæ martyrologium, Robertum memorans IV cal. Octobris decessisse. Ejus post obitum sedes aliquantisper orba pastore fuit; vacans enim legitur die Dominica ante festum B. Martini 1311, in instrumento capitulari de electione Hugonis *Gaudin*, Culturensis abbatis; e schedis *de Gaignières*, num. 199.

LIV. Petrus II.

Petrus, quem nonnulli ex illustri gente dominorum *de Longueil* narrant eductum,

A quem vero rectius antecessores nostri *Gougueil*, et quidam alii *Gougueil*, aut *Gougeul* nuncupaverunt, e decania Cenomanensi, aditis suffragiis, sedem episcopalem conscendere jussus est. Decani munus implens reperitur etiam anno 1312, et aliunde novi- 1312
mus eumdem hoc anno nondum exacto pastorale munus adivisse. Quo scilicet anno Turones posteaquam venisset, professionis faciendægratia, nemo fuit, Reginaldo archipræsule nuper defuncto, qui procurationem episcopo Cenomanensi præstaret; ex episc. Cenomanen. Libro Rubro. Decesserat autem
B Reginaldus 23 Augusti 1312. Non vero Petrus sub id tempus consecratus fuit. Fiduciariam enim possessionis concessionem a Clemente papa tantum obtinuit, et nos Suaresius monet ejus usque ad annum 1319 dilatam fuisse consecrationem; e litteris Joannis papæ XXII, datis XVI cal. Aprilis, anno tertio. Occurrit Petrus, die Dominica in octavis S. Trinitatis 1313, componens cum ca- 1313
nonicis S. Juliani de peculiaribus episcopi capitulique juribus. Anno 1314, jam diu con- 1314
tendens cum Cisterciensium abbatiarum in Cenomanensi diœcesi rectoribus, formulam
C proponit epistolarum quibus semet ad eorum monasteria declinaturum deinceps prænuntiabit; e Rubro Libro Cenomanensis episcopi. Circa idem tempus adstitit dedicationi ecclesiæ B. Mariæ de Escoyaco, in Rotomagensi diœcesi, ut litteræ Clementis papæ testantur; supra, t. XI, Instr., col 39. Eodem anno, Parisiis præsens memoratur exsequiis Philippi regis. Quam in urbem iterum accitus, anno 1317, ad regem excusatorias misit 1317
litteras, quas servat Max. Gall. Archivum, J, 443. Anno 1323, Turonibus interest trans- 1323
lationi capitis B. Martini; apud *Housseau*,
D t. VIII. Die Veneris post Circumcisionem 1324, capicerio Troiani capituli dat paro- 1324
chialem ecclesiam S. Quintini de Varenna. Plura de Petro narrat Corvæserius, sed parum fide digna. Cave præsertim eo ne teste Petrum credas in Cenomanensi cathedra defunctum III non. Aprilis 1327; nam, Martio mense 1326, ad Aniciensem sedem voca- 1326
tus fuit litteris Joannis papæ XXII, quarum Suaresius meminit.

LV. Guido II.

E Initia Guidonis infra enarranda sunt. E DE LAVAL. Corisopitensi cathedra in Cenomanensem translatus est litteris Joannis papæ XXII, III idus Martii 1326, ut in schedis Suaresii legitur. Eodem memoratur anno, parochiali S. Carilefi ecclesiæ adnectens valetudinarium in quo lepris laborantes degebant. Anno 1329, privilegia, quibus sodales S. Juliani de Proliaco fruebantur, confirmat. Ei per Joannem papam, anno 1330, plura episcopali mensæ altaria unire licuit. Novembri mense

ANNI CHRISTI

1335, a Joanne, primogenito regis filio, patronali jure in ecclesia S. Medardi super Egranam donatus est. Obiit 7 Aprilis, e necrologio Cenomanensis ecclesiæ, 4 ejusdem mensis e martyrologio S. Juliani Pratensis, et 5 ex obituario S. Mauricii Andegavensis, anno videlicet 1338.

LVI. Geoffridus VI.

Ex officiali Cenomanensi Geoffridus epis-
1338 copus exoptatus est, 16 Maii 1338, ut in necrologio legitur. Geoffridum de Capella vocant. Ex hoc tamen cognomine nosce Geoffridi natale solum, non genus; ex humili sed enim stirpe deductum tam Morellus quam Corvæserius asserunt. Quibus assentimur, quanquam alii plures Geoffridum, nobilem virum, e Capellæ S. Sixtii toparcha genitum dicant: nam secundum tabulas Cenomanensis ecclesiæ, eum vicus quem Capellam S. Albini nuncupant luci dedit. Sententiam curiæ
1342 Parisiensis obtinuit, 2 Aprilis 1342, de justitia Tironelli exercenda. Missam unam hebdomade quaque celebrandam condidit, 22 Junii 1347, in Ebroniensi ecclesia. Eodem decessit anno, XIII cal. Augusti ut in martyrologio S. Juliani Pratensis legitur, aut III cal. ejusdem mensis, ut necrologium Cenomanensis ecclesiæ tradidit, his cum laudibus ornans: « Hic obiit bonæ memoriæ pater et pastor « Gaufridus de Capella, quondam hujus ecclesiæ pontifex, de capella S. Albini oriundus, qui in suis temporibus vir magni consilii, videlicet utriusque juris peritus, in « Cenomanensi curia advocatus solempnis « primitus existens, et demum hujus ecclesiæ canonicus et in dicta curia officialis, et « in ipso officio circumspectus, eamdem Cenomanensem curiam laudabiliter ordinavit, « et ad ultimum, sede vacante per mortem piæ « recommendationis Guidonis de Lavalle, « quondam hujus ecclesiæ episcopi, ad pontificatus apicem ex consensu omnium canonicorum in electione assistentium extitit « sublimatus... Inter cæteros sui temporis « amator pauperum, circa afflictos pia semper gestans viscera et se exercens in operibus pietatis. Unde tempore cujusdam « magnæ famis in suis diebus ingruente, omnia blada sua in magna copia pauperibus « erogavit et vinum.... In timore Domini « super emenso XII annorum spatio, ab hac « luce migravit et in hujusmodi ecclesia requiescit, in capella pro ipso fundata ad altare SS. Mauri et Fiacri, quam nobiliter et « fructuose ædificari et construi fecit vir magnæ scientiæ Petrus de Foresta, nepos et hæres suus in solidum, quondam cancellarius « Franciæ et demum in Romana curia basilicæ XII Apostolorum cardinalis. » Geoffridi nepos fuit et hæres Petrus de Foresta, Secusæ natus, qui e canonico Cenomanensi Parisiensis episcopus, archiepiscopus Rotomagensis, cardinalis et Franciæ cancellarius evasit.

LVII. Joannes II.

DE CRAON.

Clarus atavis Joannes thesaurarius primo fuerat S. Martini Turonensis, dein Parisiensis canonicus. Nominatur die 27 Septembris
1348, secundum Sammarthanos, in actis 1348
Vaticani consistorialibus. Die Martis post
festum S. Luciæ 1349, apud Vivonii mona- 1349
chos cœnans una cum Margarita Pictaviensi, Belli Montis vice-comitissa, prioratus immunitates juraque sancivit. Hunc insuper referunt capellanos S. Juliani in S. Michaelis ecclesiam transtulisse. Nec plura supersunt præsulem agentis indicia. Evehit eum in metropolitanam Remorum sedem Innocen-
tius papa VI, Julio mense 1355, post Hum- 1355
berti decessum, qui 22 Maii rebus terrenis æternum vale dixit.

LVIII. Michael.

DE BRECHE.

Michael, quem alii *de Breche*, alii *de Bracque* nuncupant, e majore Franciæ eleemosynario et archidiacono Dunensi, in Carnotensi ecclesia, episcopus Cenomanensis creatus est litteris Innocentii papæ VIII, cal.
Augusti 1355; e Suaresio. Episcopalem ur- 1355
bem mense Decembri desinente ingressus
est. Anno 1361, exsequias Petri de Foresta, 1361
cardinalis, celebravit. Michaelem plures anno 1363 defunctum memorant, sed ex
adulteratis schedulis, nam 12 Martii 1366, 1366
secundum recentem calculum, sedebat in Andegavensi concilio, ubi cum eo contendit Redonensis antistes, primas post metropolitam sibi vindicans; ut notavit Joannes *Maan*, Simonis gesta describens. Vitam autem ejus perperam Bondonnetus Columbusque protrahunt ad annum 1368. Quoad obitus diem certa fides necrologii Cenomanensis, qui ejus IV idus Junii meminit: quoad annum certiores etiam Urbani papæ V litteræ, qui in vacuam Cenomanorum sedem Geoffridum, Laudunensem episcopum, vocavit anno 1366; ut supra legitur, t. IX, col. 549. Geoffridus autem non suæ translationi adquievit.

LIX. Guntherus II.

DE BAIGNEUX.

Demandatum sibi munus Geoffrido detrectante, Cenomanensis sedes aliquantisper vacavit. In eam tandem evehit Urbanus V Guntherum de Balneolis, consiliarium regis, necnon Briæ archidiaconum in ecclesia Mel-
densi, VIII cal. Novembris 1367; e Suaresio. 1367
Qui fidem, eodem anno, regi dedit, 3 Decembris, ut litteræ regiæ testantur, quas legere est in Puteanorum fratrum codicibus, sub num. 676. Occurrit Guntherus, 22 Sep-
tembris 1368, componens de diversis articu- 1368

ANNI CHRISTI lis cum capitulo Cenomanensi; ex Albor.
Mantell. codice 4, fol. 23. Eidem, mense
Martio 1369, lege, secundum hodiernum cal-
1370 culum, 1370, Carolus rex duas annuatim
nundinas et singulis hebdomadibus merca-
tum ante castrum Toleviense concessit; e
supra laudato codice. Eodem anno, 7 Maii,
Ludovicus, Andegaviæ dux, Guntherum,
cujus consiliis utebatur, secum in Viennen-
sem provinciam perduxit; e cod. *de Gaigniè-
res*, num 156. Cum capitulo S. Juliani liti-
gans Guntherus occurrit anno 1372. Anno
1377 1377, 9 Septembris, ipse Cenomanensisque
decanus prorogant in decennium quædam
inter ipsos jurgia, quæ duobus canonicis
componenda committunt. Senonensem ar-
1385 chiepiscopatum, anno 1385 ineunte, Urbanus
papa VI Gunthero contulit. Cujus possessio-
nem adiit 14 Maii; ut supra, t. XII, col. 79.

LX. Petrus III.

DE SAVOISY. Philippi, domini *de Seignelay*, et Mariæ
de Duisy filius, thesaurariam Petrus tenebat
S. Martini Turonensis, quando Cenomanen-
sis salutatus est episcopus, anno 1385. Re-
cens electus immunitates capitulo concessas
impugnavit; nec tamen res quem sperave-
rat habuit exitum, canonicorum privile-
giis postmodum a curia Avenionensi confir-
matis, III cal. Martii 1387. Litigavit insuper
1389 Petrus, anno 1389, cum Ludovico, Andium
atque Cenomanorum comite, de juribus ad
judices ordinarios spectantibus, et ex hac
causa victus iterum cessit. Longum esset tot
quot movit lites particulatim persequi: Cor-
væserius, si plura desideres, consulendus.
Probavit, 15 Junii 1391, conditam a Fulcone
Ribole capellaniam, in Aciaceno castello.
Interfuit, anno 1394, Parisino conventui; e
San-Dionysiano monacho, t. II, p. 220. Eo-
dem anno statuit ut una præbenda, ob rari-
tatem canonicorum in presbyteratus gradu
constitutorum, in duas semi-præbendas,
post mortem aut abdicationem possidentis,
divideretur. Eodem, de canonicis rebellan-
tibus causam in Parisiensi curia obtinuit.
1396 Occurrit, anno 1396, fratres Minores Valle
Guidonis excipiens, et, anno sequenti, fun-
datam Monte Securo ad Andrea Lavallensi
probans ecclesiam. Denique, VII cal. Februarii
1398 1398, in Bellovacensem cathedram transfer-
tur. De quo supra, t. IX, col. 756.

LXI. Adamus.

CHASTELAIN. Adamus, patria Laudunensis e Corvæse-
rio, Petro suffectus est anno 1398. Qui, anno
sequenti, de cujusdam ecclesiæ patronatu
reperitur litigans cum Alençonii duce. Ca-
pellam S. Michaelis sodalibus S. Juliani
firmius adscripsit, 24 Aprilis 1404. Anno
1405 1405, occurrit litem movens adversus Majo-

A retanos, quibus Ahuilleyum Hamelinus de- ANNI CHRISTI
derat. Dicta causa, Hamelini donatio non
valuit. Abbates Vadi Alneti, Peliciæ, Belli
Loci, S. Petri de Cultura, necnon canonicos
S. Petri et S. Juliani in causam dein vocavit,
ita ut non unum quasi diem sine altercatione
vixerit. Anno 1408, 5 Februarii, officio suc- 1408
centoris præbendam univit. Procuratorem
misit, anno 1409, ad concilium Pisanum; e 1409
Conciliis Labbæi. Pactus est, anno 1410, cum
S. Juliani capitulo de domo Ardentium; ex
Albo Libro Cenomanensis episcopi. Ratam
habuit Adamus, anno 1421, cœmeterii Laval- 1421
B lensis fundationem. Anno 1424, cum S. Ju- 1424
liani canonicis de jurisdictione composuit;
ex Albo Libro jam laudato. Penultima die
Martii 1426, post diuturnam litem, capella- 1426
nos Mali Nidi prorsus ab episcopali jurisdic-
tione liberos esse tandem denuntiavit. Re-
cens constitutos Monte Aureo Augustinianos
probavit, anno 1427. Occurrit 8 Januarii
1431, procuratores destinans ad Basileense 1431
concilium Martinum *Berruyer*, canonicum
Cenomanensem, et Guillelmum, Fontis Da-
nielis abbatem. Quo etiam anno Fontis Da-
nielis chorum extructum consecravit. Deces-
C sit Adamus, ut aiunt, anno 1438.

LXII. Joannes III.

Joannes *d'Hierray*, sive *d'Hierrain*, ne D'HIERRAY
plura eidem quæ imponuntur cognomina
referamus, ex officiali fit episcopus anno
circiter 1439, Anglis Cenomanum occupan-
tibus. Rursus consecravit, anno 1440, eccle-
siam S. Martini Ebroniensis. Pepigit, 7 Junii
1443, cum abbate S. Carilefi de justitia in
pluribus ecclesiis exercenda. Dein sedit,
anno 1448, in Andegavensi concilio, deces-
D surus exeunte autumno 1451, si Bondonneti
fides supputationibus. Eum tamen vetus,
ut videtur, domnus *Briant* anno 1449 de-
cessisse memorat.

LXIII. Martinus.

E Cenomanensi canonico Turonensis de- BERRUYER
canus, e Turonensi decano Cenomanensis
Martinus præsul evasit anno 1452 ineunte,
secundum Bondonnetum. Huic autem, cui
E plures quidem favent, chronologiæ quædam
adversantur. Minime nempe certum est,
ut diximus, Joannem antecedentem usque
ad annum 1451 vixisse. Martinum insuper
Maan consecratum fuisse refert mense Maio
1449, et Martinus idem occurrit, ut aiunt,
20 Decembris 1449 in pacto de prandiis an- *Maan, Eccl. Tur. mn., p. 173.*
nuatim ab episcopo capitulo debitis. Du-
biam rem linquere cogimur, præsertim cum
Joannis *Maan* fidem impugnet antecessorum
nostrorum auctoritas, qui Martinum IV non.
Aprilis 1464, sero quidem, consecratum
fuisse memorant a Joanne de Malliaco, No-

ANNI CHRISTI

viomensi episcopo; t. IX, col. 1021. Pro certo tantum habemus Martinum, 10 Martii 1452, secundum recentem calculum, a Joanne, Bellæ Branchæ abbate, obsequii pro-
1455 fessionem suscepisse. Aprili mense 1455, decretum edidit de junctis duabus parochiis, Lucheio scilicet et Mancigneio; apud Calvinum, instr., p. 94. Venetiæ præsens memoratur, 4 Aprilis 1456, actis circa corpus Vincentii Ferrarii. Paciscitur 9 Julii 1460, cum Joanne *Gavestin* de justitia Fretaii exercenda; ex Albo Libro Cenoman. episcopi. Terrenis tandem eximitur curis Martinus 24 Aprilis 1465.

LXIV. Theobaldus.

DE LUXEMBOURG.

Theobaldum e Margarita *de Baux* susceperat Petrus, præclarus S. Pauli comes. Uxorem duxit Theobaldus Philippam, Joannis Melodunensis filiam, e qua plures habuit ipse natos natasque. Philippam vero postquam acerba mors præripuisset, viduitatem Theobaldus suam religione voti Deo obstrinxit, abbasque Igniaci, necnon Ursi Campi primum fuit, dein autem Cenomanensis episcopus. In cathedra Cenomanensi
1465 reperitur sedens die 2 Novembris 1465, probansque Joannem *Eschart*, senescallum S. Martini Turonensis, qui S. Sulpicium de Arquenaio hospitio donaverat. Eodem anno, penultima Decembris die, litteras accepit quibus Culturenses rogabant ut ipsis abbatem novum eligendi liceret. Infrequens est Theobaldi nomen in Cenomanensis ecclesiæ tabulis: non assidue forsitan in sede præsens fuit. Cardinalis designatus a Sixto papa, ne Romam pergeret fato prohibitus est. Obit
1477 cal. Septembris 1477, et in ecclesia matre sepelitur.

LXV. Philippus.

DE LUXEMBOURG.

Legitimus antecedentis Theobaldi filius Philippus, episcopus jam Teruanensis, Cenomanensi cathedra, patre mortuo, donatus est. In Diario comitiorum Franciæ generalium, quod scilicet ad nos Joannes *Masselin* detulit, Philippus occurrit hic noster Turones anno
1483 1483 veniens, et nuper congregatos, deque componendis articulis etiamnum deliberantes collegas admonens, uti consiliarios regi dent probos et æris publici parcos. Turones iterum pergens Philippus memoratur anno 1495; qui scilicet, 2 Januarii 1496, Carolum *Orlant,* Caroli VIII filium, in ecclesia B. Martini sepelivit. Eodem anno, 3 Februarii, Morinensis episcopus eligitur; nec Cenomanensem cathedram deserens, Morinensem, etiam papa non consentiente, sibi vindicat. Purpuratis patribus Januario mense 1498 annumeratur. Eodem anno, funeri Caroli regis interest. Anno 1500, exsequias
A Guidonis Lavallensis Lavalle celebrat (1). Contra Morinensem electum Antonius *de Crequi,* eamdem ambiens sedem, litem moverat. Qua tandem sopita, Morinorum civitatem ingressus est Philippus, die penultima
Maii 1502. Die 23 Junii 1505, Franciscus *de* 1505
Rohan, Lugdunensis archiepiscopus, ad ecclesiam Cenomanensem accedit, et in capella B. Mariæ pallium e manibus Philippi cardinalis excipit. Quot possederit abbatias Philippus recensere operæ pretium non est. Pluribus et muneribus donatus, hæc et illa non valuit exsequi. Quocirca forsitan Romam
B proficiscens, anno 1506 desinente, Cenomanensem episcopatum, resignatione peracta, sequenti tradidit.

LXVI. Franciscus.

Jacobi *de Fiennes* et Mariæ *de Barlemont* DE LUXEMBOURG.
filius Franciscus, antecedentis Philippi nepos e fratre, supra memoratæ resignationis beneficio Cenomanenses infulas obtinuit,
27 Januarii 1507. Fidem regi juravit 19 Fe- 1507
bruarii. Idem ab anno 1502 S. Pontii Tomeriarum erat episcopus. Vixdum autem Ceno-
C manensi donatus ecclesia, avunculum suum Philippum trans Alpes pergentem secutus est, et Romam adveniens occubuit, 9 Septembris 1509.

LXVII. Philippus.

Philippus, iterum Cenomanensis præsul, DE LUXEMBOURG.
exsangue nepotis corpus Cenomanum revehit, et in ecclesia cathedrali curat humandum. Idem antequam Roma secederet, pontificiarum bullarum venia, vacantes S. Pontii necnon Cenomani sedes obtinuerat. S. Pon-
D tium dimisit anno 1511. Atrebatensi vero non multo post donatur, anno scilicet 1512. Quo et anno, dum Cenomanensem ecclesiam visitaret, Valle Guidonis cœmeterium S. Venerandi consecravit (2). Annæ reginæ justa

(1) Hujus funeris meminit Guillelmus *Ledoyen* his versibus, ad annum 1500:

Premier estoit le cardinal
De Lucembourg, doulx et féal,
Evesque du Mans et pastour;
L'évesque de Rennes en tour,
Abbez et prieurs et chanoines,
Curez et vicaires et moynes,
Conduisans honorablement
Le corps à son enterrement.

E Chronicon Guillelmi *Ledoyen* servat Max. Paris. Biblioth., in Suppl. Franc., sub num. 1081.

(2) Sic Guillelmus *Ledoyen*, ad annum 1512:

Puys, la Penthecouste venue,
Nous eusmes joyeuse venue
De nostre évesque et féal,
Le bon Philippe cardinal,
Qui a voulu revisiter
Son évesché, et inciter
Son peuple à confirmation;
Et en toute devotion
Tenu de son peuple sainct homme,
Car luy lors retourne de Romme
Où a esté par longue espace,

ANNI CHRISTI

persolvit, anno 1513. Atrebatensem eccle-
siam dein Philippus tradidit, anno 1515, Pe-
tro de Accoltiis, et ipse Albanensis ac Tuscu-
lanus præsul evasit. Legatus a latere fuit
Romanæ sedis, anno 1516 (1). Anno se-
quente, 29 Januarii, Lutetiam solemniter
ingressus est, cleri necnon plebis magna sti-
pante corona. Jussu sedenim summi Pon-
tificis eo tetenderat, ut reformandæ Prag-
maticæ Sanctioni curam impenderet; e Dia-
rio Burg. Parisiensis, p. 49. Quo et anno
Claudiam reginam corona cinxit. Prolixe re-
fert ab eo gesta Corvæserius. Hæc summatim
describere satagentes, non prætereamus ta-
men eum ædificiis diœcesanis plura de suo
contulisse. Quod præsertim ex ejus testa-
mento compertum habemus. Ab eo conditum
est Parisiis, præclarum Cenomanense gym-
nasium. Obiit 2 Junii 1519, et in ecclesia
matre cum hoc epitaphio sepultus est : *Hic
jacet corpus illustrissimi Philippi a Luxem-
burgo, S. R. E. presbyteri cardinalis, legati
a latere in Gallia, episcopi Cenomanensis, qui
obiit quarto nonas Junii ann. MDXIX* (2).
Sub eumdem diem illius meminit obituarium
S. Vincentii.

LXVIII. Ludovicus.

DE BOURBON.

Philippo cardinali defuncto, Ludovicus,
e regia Francorum ortus progenie, Cenoma-
nensem episcopatum, jam Laudunensis epis-
copus et purpura auctus, accepit, 8 Augusti
1519 1519. Fidem juravit regi 21 ejusdem mensis.
Lucionensi postea donatus est ecclesia anno
1525; quam dimisit, anno 1527, retenta
1531 pensione. Anno 1531, Eleonoram reginam

A diademate cinxit. Interfuit, anno 1534, elec-
tioni Pauli papæ III. Insequenti, 13 Augusti,
Senonensis archiepiscopus a summo Ponti- 1534
fice confirmatus est. De quo plura in episcopis
Lucionensibus et Laudunensibus, necnon in
Senonensibus archiepiscopis, t. XII, col. 91.

LXIX. Renatus.

DU BELLAY.

Ludovici *de Langey du Bellay* et Margaritæ
de la Tour Landry filius, frater Guillelmi,
Joannis, Martinique, quorum laudes a plu-
ribus decantatæ supersunt, Renatus abbas
B primo fuit Vadi Alneti, dein episcopus Gras-
sensis : hanc posteaquam sedem abdicavis-
set, Parisiensem ecclesiam, absente Joanne,
germano, procuravit. Creatus deinde Ceno-
manensis episcopus, regi fidem dedit 27 Sep-
tembris 1535, et urbem episcopalem anno 1535
1536 ingressus est. Hortensis rei præcipue
sciens memoratur; namque Tollevii condidit
hortos, quorum coævi scriptores sæpius me-
minere. Secessit denique Parisios, et ibi
obiit Augusto mense 1546. Eo jubente con- 1546
fectum et prælo datum, anno 1541, *Missale
novum ad usum ecclesiæ Cenomanensis.*

C

LXX. Joannes.

DU BELLAY.

Antecedentis germanus Joannes, de quo
jam dictum inter episcopos Baionnenses,
Lemovicenses, Parisienses, etc., etc., vir ge-
nere illustris, animi vero prudentia meritis-
que in patriam collatis illustrior, Renato
fratri suffectus est anno 1546. Quam adiit
cathedram, plures alias etiam retinens. Mox
autem, Francisco regi postquam justa persol-
visset, Romam petiit, ubi decessit 16 Februa-
rii 1560. Cenomanensem cathedram jam
D anno 1556 abdicaverat. Hujus quidem quasi 1556
nullam habuit curam, dum Romæ degeret :
paucioribus igitur verbis hic de præstantis-
simo illo viro mentio fiet. Si plura vero desi-
deres, consulere licet Historiam Cenomaniæ
Litter., t. III, p. 117.

LXXI. Carolus I.

D'ANGENNES.

Natus Carolus pridie cal. Novembris 1530,
parentes habuerat Jacobum *d'Angennes de
Rambouillet* et Isabellam *Cottereau de Main-
tenon*. Cenomanensi donatus cathedra anno
E 1556, Lutetiæ consecratus perhibetur. Deinde
munus adiit, 22 Octobris 1559. Anno 1562,
Calvini sub vexillis militantes turmæ Ceno-
manum occupaverunt. Quibus ingruentibus
Carolus aufugerat: ut vero recesserunt, in ur-
bem episcopalem iterum se recepit, et quas
vastarant ædes reficere studuit. Sedit in con-
cilio Tridentino anno 1563, nec multo post a
rege ad Pium papam legatus missus est. Pur-
pura donatur VI cal. Junii 1570. Corneti de-
gens, Pontificiis in agris, ad Tuscorum fines,

Et luy en Laval de sa grace
A voulu les ordres tenir,
Et aux prebtres leur subvenir,
Au couvent des frères Prescheurs,
Où avoit révérends docteurs.
Après le lundi, sans mentir,
Septiesme de juing son partir
De Laval à soy retourner,
Mais luy party sans séjourner
Vint entrez en sainct Vénérand,
Au bien matin, sans bruit, ne vent,
Accompaigné de noble conte
De Laval, pour faire mon compte,
Dédia le beau cymetière
Qui est situé ou derrière
De l'église Sainct-Vénérand,
Qui est ung lieu bien révérend....

(1) Idem Guillelmus *Ledoyen* ad ann. 1516 :
Cestuy an, sans faire muance,
Avons eu ung legat en France,
Qui est monsieur le cardinal
Nostre évesque et pastoral.

(2) Idem Guillelmus *Ledoyen*, ad ann. 1519, his carmi-
nibus narrat :
Et le second du moys de Juing,
Atropos par son art maling
Osta la vie au bon pasteur
Du Mans, évesque et protecteur,
Cardinal et legat en France,
Lequel vivoit sans arrogance,
Ame de tout son populaire,
Saige, discret, de bon affaire;
C'est Philippe de Luxembourg..

ANNI CHRISTI

et hujus urbis præfecturam tenens, obiit, non sine veneni suspicione, 23 Martii 1587. Huic dicavit Henricus Spondanus libellum gallicum de Cœmeteriis sacris.

LXXII. Claudius.

D'ANGENNES.

Caroli germanus natus erat Claudius 26 Augusti 1538. Ejus initia jam inter episcopos Noviomenses enarrata, t. X, col. 1026. Post Caroli decessum e Noviomensi cathedra ad Cenomanensem vocatus Claudius, bullas
1588 obtinet anno 1588 ineunte, et urbem ingreditur 3 Aprilis. Eodem anno, debacchantibus Cenomani Fœderatis, palatium episcopale deserit, nec multo post Blesim tendit percelebrium comitiorum pars futurus. Ibi Guisianorum fuso cruore, Claudium Romam rex mittit, qui rem Galliæ duram describeret et cædis patratæ necessitatem argueret. Hæc autem legatio non bonum habuit exitum: qua perfunctus in Galliam Claudius, anno 1583 nondum elapso, jam semet receperat. Cenomanum Henricus IV occupavit 30 Novembris 1589, et in sua sede Claudium reposuit. Romam rursus adiit Claudius anno
1594 1594, verba pro rege laturus. Decedens me-
1601 moratur 15 Maii 1601. Laudatur ecclesiasticæ rei sedulus curator, qui, inter cætera, collegium Cenomanense condidit.

LXXIII. Carolus II.

DE BEAUMANOIR DE LAVARDIN.

Carolum Joannes, Franciæ marescallus, e Catharina *de Carmaing* susceperat. Natus ille anno 1586, abbatia Bellilocensi donatur, apud Cenomanos, anno 1592, ætatis dum
1601 septimum annum exigeret. Mox, anno 1601, post Claudii decessum, rex eum infulis anget Cenomanensibus. Munus tamen non adiit
1610 ante Novembrem mensem 1610. Urbem deinde ingressus 2 Januarii 1611, in ea Ludovicum regem Mariamque Medicæam excepit, anno 1614. Eodem anno, 4 Augusti, plebis clerique lectis suffragiis, Lutetiam missus est, ut sederet in generalibus Franciæ comitiis. Quo præsulem agente tres et viginti domus in agro Cenomanico surrexerunt, variis fratrum ordinibus addictæ: Cenomanum, Vallem Guidonis, Meduanamque Capucini devenerunt; Feritatem Bernardi et Castrum Lædi Recollecti fratres; Cenomanum et Silviacum Minimi S. Francisci; Domnumfrontem Charitatis religiosi. Ejusdem sub auspiciis Cenomani patres Oratorii sedem posuere. Puellis etiam, quas diversæ vestes distinguebant, ædes quam plurimæ sub idem tempus adscriptæ fuerunt. Cœtui cleri Gallicani Carolus interfuit, anno 1625. Anno deinde 1635, Romam idem profectus est una cum Alphonso Ludovico, cardinali Lugdunensi. Quo itinere peracto, Ebriacum, episcopalem vicum, se recepit et ibi decessit 17 Novembris 1637.

LXXIV. Emericus-Marcus.

DE LA FERTE.

Emericus-Marcus, patria Rotomagensis, ex eleemosynario regio et Rotomagensi canonico nominatur Cenomanensis episcopus mense Novembri 1637. Bullis postea donatus Aprili mense 1639, consecratur Lutetiæ calendis Maii, et episcopalem adit urbem 12 Augusti. Non otiosam quidem dignitatem consectatus erat; sedulam igitur obeundo muneri curam impendit. Anno 1647 hospitium generale constituit, et decessit 30 Aprilis 1648.

LXXV. Philibertus-Emmanuel.

DE BEAUMANOIR DE LAVARDIN.

Caroli de quo supra nepos e fratre Philibertus-Emmanuel patrem habuit Henricum *de Beaumanoir*, matrem Margaritam *de la Beaume*. Natus anno 1617 ex abbate Belli Loci et S. Leodegarii creatur episcopus regia schedula, 13 Novembris 1648; dein ab Inno- 1648
centio papa X institutus 20 Februarii 1649, consecratur Parisiis 25 Aprilis, in æde Fuliensium. Procuratorio nomine postea, 10 Maii, sedis possessionem adeptus, missam ipse in ecclesia S. Juliani celebravit 3 Junii. Cenomani tamen fuit infrequens, ut aulicorum moribus nimis addictus. Qui postquam Parisiis, 27 Julii 1671, veneno hausto, ut aiunt, necatus, decessisset, de fide prodita, aut saltem in jocum traducta, a quibusdam appellatus est.

LXXVI. Ludovicus.

DE LA VERGNE DE MONTENARD DE TRESSAN.

Ex episcopo Vabrensi Ludovicus Cenomanensis fit mense Novembri 1671. Laudatur ecclesiasticæ rei sedulus curator; per quem inter cætera episcopalis pedi jus violare non licuit; ut canonici Cenomanenses experti 1671
sunt, quos asperis admonuit verbis, 20 Martii 1683, ne præsule inconsulto monachos 1683
clericosve coram populo sermonem habere juberent. Contra capitulum suum de jurisdictione litem movens, e causa victor prodiit 27 Junii 1686. Statuta diœcesana prælo dedit 27 Septembris 1697. Mandatum præterea non parum acerbitatis habens edidit, 21 Novembris 1698, adversus moniales S. Ursulæ Lavallensis liberrimam vitam viventes. Decessit Ludovicus 27 Januarii 1712, apud proceres 1712
Cenomanensis agri acceptissimus, sed cum clero parum consentiens.

LXXVII. Petrus IV.

ROGIER DE CREVY.

Genere Brito Petrus archidiaconus primo fuit Redonensis ecclesiæ, deinde collegiatæ Nannetensis decanus. Ut vero Cenomanensem

ANNI CHRISTI cathedram litteris munitus regiis subiit, in eum Janseniana desæviit procella. Regi quidem et domino papæ obsequentem his in negotiis semet præsul exhibuit; capitulum vero Cenomanense futurum concilium appellavit. Vita functus est Petrus Ebriaci, 2 Au-
1723 gusti 1723.

LXXVIII. Carolus-Ludovicus.

DE FROULLAY. Caroli Philippi, in agro Cenomanico regii præfecti, et Mariæ Annæ *de Mégaudais* filius, natus erat Carolus-Ludovicus anno 1686. S. Joannis canonicus primum fuit, dein Lugdunensis comes, eleemosynarius regis, ecclesiæ Tolosanæ supremus vicarius, et, 8 Januarii 1721, abbas S. Mauri. Episcopatum Cenomanensem a rege postquam accepisset 17 Octobris 1723, consecratus est Parisiis 25 Februarii 1724. Idem fuit ab anno 1728 abbas S. Petri de Cultura. Ut homo litigiosus vituperatur : cum capellanis enim S. Michaelis anno 1730, cum canonicis S. Juliani annis 1748 et 1749 litigavit. Novum, ex altera parte, Breviarium, ejus sub auspiciis editum, Carolo-Ludovico exprobratur. Is est tamen qui Jansenianos tumultus in Cenomanensi diœcesi industria sua compescuit. Decessit 31 Januarii 1767, et quibus impigre succurrerat egeni lacrymis eum prosecuti sunt.

LXXIX. Ludovicus-Andreas.

DE GRIMALDI. Ludovicus-Andreas, e principibus viris Herculis qui Monæci portum sua sub lege tenebant, natus anno 1736, postquam supremus vicarius Rotomagensis ecclesiæ fuisset, Cenomanensem episcopatum adeptus est 19 Aprilis 1767. Consecratus erat eodem anno, 5 ejusdem mensis. Plura in eum tum canonicorum, tum oppidanorum jurgia. Qui nimis, ut aiunt, principem gessit, et libidine sua pro legibus usus est. In Noviomensem cathedram anno 1777 translatus est.

LXXX. Franciscus Gaspardus.

DE JOUFFROY-GONSSANS. Ex episcopo Vapincensi Cenomanensis Franciscus Gaspardus creatus est. Missus, anno 1789, Lutetiam, ut personam cleri Cenomanensis in generalibus Franciæ comitiis ageret, sacramentum, anno 1791, petitum detrectavit et in Angliam secessit.

DECANI CENOMANENSES.

Nulla, nisi presbyterorum diaconorumque, inter clericos Cenomanenses olim distinctio. Quod comprobatur e S. Domnoli diplomatibus. Archidiaconi primo dignitatem in testamento S. Bertichramni reperire est. Disciplina tamen ecclesiæ Gallicanæ sub auspiciis Caroli Magni reformata, tunc episcopis clerici adstantes omnia in commune referre, et in claustris, monachorum more, vitam agere cœperunt. Exinde eis unus, ipsorum e grege deductus, post episcopum præfuit, quem decanum dixerunt. Hæc enarrat domnus *Briant,* eximius quorumlibet quoad rem Cenomanicam arcanorum interpres.

Seriem decanorum Cenomanensium ille insuper condidit, quam non sine fructu consuluimus. Adjutorem habuimus et Th. Calvinum. Pleraque tamen nomina decanorum desumpsimus ex Albo capituli Libro, qui per studiosissimum et in omnes officiosissimum virum D. *Lottin,* ecclesiæ Cenomanensis canonicum, mox publici juris fiet.

DECANORUM SERIES.

I. Jacob memoratur *sacerdos senior* Josephi episcopantis temporibus. Sacerdotem hunc seniorem Th. Calvinus domnusque Piolinus non immerito, ut videtur, munus quod deinde penes decanum fuit asserunt implevisse.

II. Austeus reperitur, anno 837, in Aldrici testamento.

Ab Austeo ad Hugonem sequentem decanorum series interrupta apparet.

III. Hugo I vixit Sigenfrido et Avesgando episcopalem sedem tenentibus. Anno 1014, nuncupatur ad calcem litterarum quibus Hugo comes cœnobio S. Michaelis in periculo maris Vodebrim tradidit.

IV. Guillelmus I testis occurrit, anno 1015, in charta de nuper instaurato Tuffiaci monasterio. Idem, anno 1028, in Avesgaudi litteris pro Culturensibus, apud T. Calvinum, instr., p. 71, et, anno 1038, in charta Gervasii episcopi, tradentis monasterio S. Trinitatis Vindocinensis altare situm in silva Wastina; apud Marten. Thes. Anecd., t. I, p. 158. Insuper habemus illum adscribentem capitulo S. Juliani quidquid præfectionis nomine Curiæ Genardi tenebat.

V. Girardus Gervasii, Cenomanensis episcopi, chartæ subscripsit notum facientis Herbrannum ecclesiam Monceii B. Juliano concessisse. Idem testis in instrumento quod spectat ad emptam a Gervasio S. Cornelii ec-

clesiam, datamque monachis S. Vincentii; e chart. Vincent.

VI. Robertus, filius Huberti de Ria, decanatum tenebat episcopantibus Wulgrino et Arnaldo. Tempore Wulgrini, Radulfum et Gaufridum, germanos, vidit et audivit B. Juliano condonantes quidquid Aciaci possidebant. Ei Wulgrinus dederat altare Vivoniensis ecclesiæ : quod postea Robertus transtulit, eodem annuente, ad conventum Majoris Monasterii; et inde fœdus mutuæ caritatis initum inter S. Martini monachos canonicosque B. Juliani. Subscripsit Robertus, una cum Wulgrino, Abolini chartæ domos plures tradentis, Cenomani sitas, monachis iisdem Majoris Monasterii. Insolitam prorsus fortunam sortita erat Asneriarum ecclesia, cujus navis in manus laici, Salomonis nomine, devenerat, altari sub jure Cenomanensis episcopi permanente. Pretio recuperavit Robertus amissam navim, Arnaldi tempore. Ejusdem sub episcopatu, testis occurrit in charta Gaufridi, filii Burchardi de Bruslone, dantis capitulo Cenomanensi vicariam Aciaci, et in charta Regiualdi de Secusa dimittentis ecclesiam Sauviniacensem a dominio matris ecclesiæ dudum ablatam. Decessit XII cal. Martii, e martyrologio Belliloci. Hunc e decania Cenomanensi cathedram Carnotensem adiisse memorant Thomas Calvinus et domnus *Piolin*, Hist. eccl. Cenom., t. III, p. 282. In qua conjectura certe peccavere. E dictis enim satis patet Robertum decanum Arnaldo coævum fuisse. Robertus autem alter jam Carnotensis præsul factus erat antequam Arnaldus Cenomanenses infulas adeptus esset. Vide supra, t. VIII, col. 1121.

VII. Hoellus, anno circiter 1070, Arnaldi episcopi temporibus et Reginaldi, S. Vincentii abbatis, testatur cellam Tuffiacensem dari monachis S. Vincentii, et, anno 1071, tradi eisdem *Monssor* nemus. Idem reperitur in charta qua Reginaldo supra memorato concessum omne jus Nulliaci, et in instrumento quo Reginaldus emit dimidiam ecclesiam Curtis Cismondi; e chartul. Vinc. Hugonis tandem, Vincentianorum abbatis, tempora cognovit, ut comperitur e chartula de jurgiis monachorum cum Mainardo Tuffiacensi. Ejusdem meminit chartularium Roncereii. Ch. XII, col. 132.

VIII. Witbertus decanus occurrit, cum Wandelberto Witernoque concanonicis, testis Umberti confirmantis ab uxore data S. Vincentio, Arnaldo coram episcopo; e chartul. S. Vincentii. In eodem legitur subscribens, coram Arnaldo præsule, chartæ de Buxo prædio, quod Tuffiacensibus monachis confirmat Gausbertus, Gausberti filius. Witbertum domnus *Briant* recensuit, Thomas vero Calvinus ignoravit.

IX. Witernus, anno 1076, in Hugonis de Feritate charta confirmantis monasterium Tuffiacense monachis S. Vincentii. Idem occurrit 2 Martii, epacta XXVIII, Arnaldo præsulante et Ramnulfo Vincentianos regente, in schedula qua dimittit Albericus de Miletia jus omne quod sibi Sarceii vindicaverat. Epacta XXVIII non convenit Witerni Ramnulfique temporibus : legatur vero XXVI, et Alberici charta collocabitur anno 1080. Domno *Briant* Witernus transiit ignotus.

X. Fulco, sub Arnaldo episcopo, mittitur ab eo Sablolium, ad consecrandum altare quod Majoris Monasterii fratres ædificandum curabant. Quas ea de re scripsit Arnaldus litteras D. *Brial* adscribit anno 1079. Annum 1080 desinentem melius poneres, cum Witernus anno 1080 ineunte superstes videatur. Rer. Gallic. Script. t. XIV, p. 669.

XI. Hugo II, quem noster Calvinus cæterique hactenus Cenomanensium annalium investigatores ignorarunt, occurrit, anno 1082, indict. V, subscribens, una cum Lanfranco, Cantuariensi archiepiscopo, chartæ Guillelmi Conquestoris S. Carilefo tradentis terras quasdam in Anglia sitas, prope villam *Chovenham*. Inter ejusdem donationis testes reperitur Mauricius, Guillelmi regis cancellarius, necnon Cenomanensis ecclesiæ archidiaconus. E Monastico Anglicano, quod digessit *Dugdale*, t. VI, p. 993.

XII. Guicherius subscripsit, annum circa 1090, chartæ Gualterii *Chesnel* fundantis prioratum Cetonis; anno 1092, testamento Roberti Bellismensis ecclesiam S. Leonardi monachis Majoris Monasterii tradentis, necnon Agnetis schedulæ prioratum S. Victoris de Janua instituentis. Cucullum dein suscepisse legitur, et, eo recedente, magnam inter canonicos et episcopum discordiam exarsisse. Satis amplam seditionis hujusce narrationem reperies in Gestis, quam Bondonnetus fictitiam dixit. Hoellum episcopum iniquo forsitan dente momordit narrator, tumultuariis mimium favens canonicis; non eum vero meram confinxisse fabulam opinamur. Duos ergo simul Guicherio suffectos agnoscimus decanos, unum ab Hoello, alterum, Gervasii episcopi nepotem, a canonicis. Nec plura ea de seditione, cum omnia mox in æquum ordinem redacta fuerint.

XIII. Geoffridus, Brito genere, frater Judicaelis, Aletensis episcopi, jam decanus fortassis erat ab anno 1093, ut testari videtur inita concordia inter Salmurienses et S. Nicolai monachos de Cantosiacensi ecclesia, cui subscripsit, post Hoellum, Geoffridus quidam incertæ sedis decanus. Occurrit, anno 1096, quo tempore Cenomanum venit Urbanus papa II, in charta Normanni, armigeri, jura dimittentis quæcumque ipsi tradiderant atavi in possessiones S. Petri de Curia; ex arch. Cenom. Pactus est, eodem anno, pro capitulo Cenomanensi, cum monachis S. Juliani, de Valle Boana. Inter judices, eodem anno, sedit, qui S. Vincentii de Laboratorio ecclesiam

monachis S. Vincentii firmiter possidendam adscripsere. Insuper, Hoelli præsulis temporibus, anno tamen incerto, subscripsit Heliæ comitis instrumento quo Culturensibus confirmatum altare S. Cornelii de Taneia, necnon pacto Guillelmum inter Rotarium et Ramnulfum, S. Vincentii abbatem, de Coloniarum virgultis inito. Geoffridum, anno 1096, post Hoelli decessum, episcopum designaverat Cenomanensis comes. Hildebertum vero cleri conventus elegit; apud Ordericum Vitalem, Hist. Eccl., lib. X, c. 7. Cleri tamen votis annuens ipse Geoffridus Hildebertum Turones secutus est consecrandum. Cum eo memoratur præsens, Natali die 1096, in capitulo S. Juliani Turonensis, ut domnus *Briant* ad fidem chartularii Pruliacensis enarravit. Occurrit dein Geoffridus, XII cal. Julii 1097, in episcopali diplomate, quo S. Nicolai Andegavensis possessiones in agro Cenomanensi stabiliuntur. Aderat insuper, pridie id. Martii 1099, Andegavi coactæ concioni de silva Prunariis, quam certatim suam S. Nicolaus et S. Albinus asserebant. Transegit tandem Geoffridus, annum circa 1100, cum monachis S. Vincentii; apud Martenium, Ampliss. Collect., t. 1, col. 579. Dein promotus est ad archiepiscopatum Rotomagensem, anno 1111, ex eodem Orderico, lib. XI, c. 41, supremum diem obiturus VII calendas Decembris 1128. Plura de eo lege inter archiepiscopos Rotomagenses, t. XI, col. 41 (1).

XIV. Hugo III, cognomine Paganus, S. Carilefi natus, ex archidiacono decanus, concessit, anno 1111, monachis S. Albini ecclesiam SS. Gervasii et Prothasii, et insuper confirmavit iisdem quæcumque possidebant in Cenomanensi diœcesi; ex Albo Libro capituli Cenom. p. 61. Testis idem, anno 1112, in charta de villis B. Petro de Cultura traditis; apud Calvinum, instr. Geogr. Antiq., p. 78. Episcopo socius addicitur, eodem circiter anno, in Novigenti carcere, si fides auctori Gestorum. Testis, anno 1120, in charta præsulis Hildeberti, probantis datas monachis Majoris Monasterii capellas Meduanæ et Laceii; anno 1128, VII calendas Augusti, in charta Guidonis episcopi de ecclesia S. Bertevini a Guillelmo de Gorram abbatiæ S. Michaelis restituta, et, eodem anno, in ejusdem charta notum facientis Fulconem Ribolium ecclesiam S. Paduini de Campis Ebroniensibus monachis concessisse; VI idus Novembris 1129, in instrumento compositæ litis inter

(1) Dispungendus hic error domni *Brial*, qui postquam viderat Geoffridum diplomati regis Henrici pro Savigneii monasterio subscribentem anno 1112, *pontificatus tertio*, conjecit eum ante annum 1111 Rotomagensi præfectum ecclesiæ (*Rer. Gallic. Script.*, t. XV, p. 165). Henrici regis diploma datum legitur anno 1112, indict. V, VI nonas Martii, etc., etc. (*Gall. Christ.* t. XI, Instr., col. III) : rationem ergo temporum supputare si velis secundum hodiernum usum, invenies hanc editam chartam die 2 Martii 1113 et Geoffridum idcirco Rotomagensibus præpositum inter Januarium Martiumque menses 1111.

A Vincentianos et Gemeticenses monachos super ecclesiis Sagonæ et Curtis Gazeni. Subscripsit etiam ejusdem Guidonis instrumento de S. Nicolai Andegavensis possessionibus in Cenomanensi diœcesi. Testem illum exhibent, anno 1132, Guidonis episcopi litteræ de decima S. Christophori de Marolio, monialibus B. Mariæ de Roncereio tradita a Fromundo Tangente Bovem, et, anno 1133, ejusdem Guidonis litteræ de recuperata ecclesia S. Lupi. Evectus est, anno 1135, ad Cenomanensem cathedram.

Adverte quod, mira quadam allucinatione, B domnus *Briant*, inter Hugonem, Paganum, et Hugonem de S. Carilefo personarum discrimen agens, tres decanos ex uno conficiat.

XV. Guillelmus II, die 15 Augusti 1140, in charta Geoffridi, comitis, qua dictus comes canonicis S. Juliani concedit fossas conductas a Monte Barbato ad S. Audoenum. Idem, Hugonis, Cenomanensis episcopi, tempore, testis initæ concordiæ inter Simonem de Carcere et Majoris Monasterii monachos, et subscribens ejusdem Hugonis litteris, quibus canonicis B. Mariæ de Rota ecclesia Avesseii dimissa.

C Guillelmum Th. Calvinus ignoravit, et post Hugonem Gaudinum posuit, quem chartæ Geoffridi supra memoratæ subscribere jussit anno 1140; sed perperam, ut diximus. Gaudini præterea meminit Calvinus anno 1152. Manifestum autem est Harduinum decaniam sub id tempus possedisse. Gaudinus tamen reperitur, in chartulario B. Mariæ de Rota, Giraldo abbatem agente, inter annos scilicet 1141 et 1149. Tot syrtes igitur occurrunt quot chartulæ Gaudini nomen præbentes. Hujusce Gaudini nomen domnus *Briant*, prætermisit. Quidni, Th. Calvini pace, Gau-D dinum et Harduinum sequentem unum eumdemque virum diceremus? Harduinus quidem et Gaudinus nomina sunt non parum discrepantia : pro quibus tamen sæpissime Audoinus et Gaudoinus, inter quæ major similitudo, usurpantur.

XVI. Harduinus cantor anno 1140, decanus occurrit annum ante 1142 desinentem, in charta Cenomanensis episcopi Hugonis, qua hic partem ecclesiæ Conidriacensis concessit monachis S. Vincentii. Subscripsit, anno 1146, chartæ Guillelmi episcopi fundatum confirmantis prioratum Castellorum, et, annis E 1150 et 1151, ejusdem episcopi litteris super Ancinnarum ecclesia S. Juliano tradita, necnon capella Bruslone delenda. Eumdem præbet, anno 1149, præceptum Geoffridi, Normannorum ducis, plateam juxta Montem Barbatum monachis S. Vincentii condonantis; in chartul. S. Vincentii. Aderat, anno 1158, Meduanæ, agmen ducens nobilium virorum, qui crucem flagitantes undique convenerant in ecclesiam B. Mariæ. Desumpta ex altari cruce, cecinit Harduinus psalmum

Benedictus Dominus Israel, et ad januas præceps ruens apertas, confusa cum populi clerique multitudine, ecclesiam circumivit. Sacramentum deinde juraverunt. Requirebat, eodem anno, a Wilhelmo, S. Albini abbate, licentiam componendi cœmeterium in parœcia *Chanflor*, et testis subscribebat chartæ comitis Henrici, Auciacensis prioratus bona confirmantis. Testis idem occurrit, XIV cal. Novembris 1159, in charta Guillelmi episcopi de Rocha Boviscurti; Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 693. Promovetur anno 1160 Harduinus ad archiepiscopatum Burdigalensem.

XVII. Hubertus testis nominatur in charta qua Guillelmus episcopus notum facit se Frogerium sacerdotem ecclesiæ Uncinarum præfecisse.

XVIII. Philippus, cognomento *Boamont*, legitur subscribens concordiæ initæ inter Tyronelli monachos et hæredes Thomæ *de Ponthouin*, ut constat ex originali instrumento quod servat archivum Cenomanense. Ad eum scripsit, die 23 Octobris 1162, Turonibus degens Alexander papa III, datam canonicis B. Juliani a Guillelmo episcopo ecclesiam Charneiensem confirmans. Testis, eodem anno, in charta qua Mansellus quidam, Archambaldo mortuo, Daulciarum major instituitur. Subscripsit idem, anno 1164, chartæ Guillelmi episcopi de oblationibus et decimis ecclesiæ S. Albini de Deserto; anno 1165, ejusdem Guillelmi chartæ, firmantis concordiam inter monachos Culturenses et Goherium, sacerdotem ecclesiæ S. Medardi. Nominatur, eodem anno, in charta Richardi, vice-comitis de Bello Monte, Sagiensibus canonicis dimittentis consuetudines quas eatenus ab ipsis exegerat. Testis adlectus, anno 1166, a Guillelmo episcopo litem dirimentis inter canonicos S. Juliani et S. Petri de Curia, super parochiali jure in ecclesiis Curiæ Genardi et Cormarum. Testis idem, die 13 Decembris 1167, in charta Guillelmi præsulis, qua concessus filiis Nihardi patronatus in ecclesia S. Martini de Logis, et, anno 1168, in ejusdem schedula de fratribus Grandimontensis ordinis Burceii constitutis. Eo teste pacti sunt, anno 1170, canonici S. Juliani et monachi B. Petri de Cultura de decimis Avesiæ; anno 1173, monachi S. Albini et rector Lucheii super Lucheii decimis. Memoratur tandem, anno 1180, in charta Guillelmi præsulis de præbenda ab Eustachio archidiacono constituta. Extremus autem hic fuit Philippi viventis annus : nam

XIX. Nicolaus I, jam Philippo suffectus anno 1180, subscripsit chartæ qua Guillelmus episcopus nonnulla Majoretanis Cenomani condonavit; e chartulario Majoris Monasterii. Eodem anno, reperitur testis ad calcem episcopalis moniti de terra monachis Savigneii a Juhello Porco tradita; e Savigneii

A chartario, in Maximo Gallorum Archivo. Ex eodem chartario novimus eumdem gentilitio cognomine *Burel* nuncupatum; e chartula videlicet Guillelmi præsulis Savigneio data a Guillelmo de Vileta testantis. Ipsi Nicolao postea Guillelmus arabile solum contulit et prata in territorio B. Mariæ de Nova Villa, quæ acceperat a Fulqueio clerico, ac partem decimæ S. Marcelli, a Guillelmo de S. Marcello capitulo B. Juliani concessam. Nicolaum præterea reperies decanum in Guillelmi episcopi charta, ecclesiæ suæ restituentis plures ecclesias de laicis manibus pre-
B tio elicitas. Testis, sub eodem, stabilitarum ab Henrico rege consuetudinum, quas Culturenses monachi possidebant in terris regiis. Nominatur et in charta Rotrodi, comitis Perticensis, confirmantis, die 17 Aprilis 1186, capitulo B. Juliani pigneratam quamdam villicariam a G. Capreolo. Parisiis vero memoratur tirocinium agens scholare, anno 1188, in charta Cenomanensis capituli de præbenda S. Genesii abbatiæ S. Georgii de Nemore a Burchardo de Lavarzino tradita. Parisiis aberat anno 1189, Turonesque devenerat quo plurimi confluebant undique
C tum clerici, tum milites, Hierosolymitanum inter auspicantes jam cruce signati. Subscripsit tunc temporis chartæ Bartholomæi archipræsulis, testantis initam pacem inter Burchardum, Insulæ toparcham, monachosque Cormaricenses. Nicolaus Richardum Angliæ regem secutus est, anno 1190, ad orientales tractus euntem, ipsius eleemosynis præfectus, cujus etiam celebravit nuptias cum Berengariana, Navarræi regis filia. Unde redux ad decanatum, non vero tunc primum factus decanus, ut Corvæserius Bondonnetusque, rarissime consentientes perperam opinati sunt,
D Hamelino morem gessit recens episcopo. Nec tamen ab eo tempore sedem Cenomani suam constituit : anno sedeuim 1192, Hamelini præcepto de residentia canonicorum subscripsit Guillelmus *de Marcé*, absentis decani procurator. Idem declarant hæ Cœlestini papæ III litteræ : « Ex parte vestra (ex parte « scilicet Cenomanensis episcopi) nostro « apostolatui fuit reseratum, quod licet dilec« tus filius N., Cenomanensis archidiaconus, « sit ecclesiæ vestræ decanus, tamen quod in « partibus gallicanis sibi potius habitationem « elegit, jam per annorum decem spatium
E « vestra ecclesia ipsius præsentiam habere « nequivit. Quia igitur nolumus ut eadem « ecclesia decani officio defraudetur, univer« sitati vestræ per apostolicam sedem man« damus, quatenus archidiacono memorato « scribatis ut ecclesiam vestram visitare dig« netur, et suum ibidem, ut decanus, offi« cium debeat exercere. Quod si forte voca« tus venire noluerit, eligendi decanum, qui « præesse vestræ ecclesiæ valeat et prodesse, « ex tunc concedimus liberam facultatem. »

Nicolaus tamen Cenomanum se receperat anno 1198. Cum enim Hamelinus præsul, hoc anno, capitulo condonasset canonicam in tota diœcesi justitiam, secundum normam Carnotensis ecclesiæ, ad Nicolaum amplissimam misit epistolam Geoffridus, decanus Carnotensis, singulariter describens quascumque ipse consuetudines, vel libertates exercebat; supra, t. VIII, Instr., col. 344. Subscripsit, anno 1199, chartæ ducis Arturi concedentis capitulo S. Juliani decem libras Andegavenses annui reditus, pro celebrandis patris avique anniversariis. Idem circa tempus dimissum habuit a Guidone de Lavalle prandium, quod prædicti loci toparchæ annuatim ab Asneriarum colonis requirebant. Occurrit, anno 1204, in charta qua decanus S. Petri de Curia fatetur ecclesiæ suæ decanos non simul esse canonicos Cenomanensis ecclesiæ integros. Pluries memoratur Nicolaus in instrumentis litigantium, anno 1245, canonicorum S. Petri et S. Juliani. Accepit, anno 1212, ab Hamelino episcopo, domum Poolini *Boters*, et, anno 1212, ab officiali Cenomanensi, quæcumque Petrus *de Chassillé* ecclesiæ matri concesserat. Eodem anno, mandato papæ, pactum sancivit inter Chalocheii monachos et Theobaldum de Blazone; ex arch. Andegav., inter chartas ad Chalocheium spectantes. Eodem denique pepigit de decima Grazaii percipienda; e cod. *de Gaignières*, num. 2737, fol. 38. Evectus est, anno 1214, die 27 Maii, ad episcopatum Cenomanensem.

Joannes legitur decanus ecclesiæ Cenomanensis, 3 Aprilis 1181, secundum recentem calculum, in chartulario Tironensi, agnoscens se nullum jus quoad visitationem habere in prioratu Montis Ullerii. Hujus forsitan diplomatis notæ corruptæ fuerunt, et adscribendum videtur anno incerto, quo per Innocentium papam alterum ad tempus decanum eligere licuit.

XX. Hugo VI de Feritate, electus a capitulo, occurrit, anno 1214, fidem præstans episcopo Nicolao. Idem, anno 1216, in Chalocheii chartulario, judex a domino papa designatus litis exortæ Guillelmum inter abbatem et Michaelem quemdam clericum. Anno 1217, coram Juhello de Meduana litigavit cum Pagano *de Roussum*, milite, super decima Osselli percipienda; e cod. *de Gaignières* 2737. Occurrit ad annum 1219, Januario mense, in charta de platea Roberto de Vallera, canonico, tradita.

XXI. Juhellus, sive Joellus *de Mathefelon*, primo scholasticus, postea decanus Cenomanensis ecclesiæ. Scholastici quidem munus dum gereret, jam trans Alpes notus et fama potens apud supremæ sedis Pontifices. Cum enim, ejecto Stephano, Nannetum præsule, orbatam pastore Petri, Britonum ducis, ministri ecclesiam deprædarentur, Juhello canonico provinciam dedit Honorius III, ut Alanum *Lifalconier* et Wiomarum de Servo cæterosque milites, earumdem reos infestationum, e communione christiana segregaret. Decanatum adeptus Juhellus, mense Augusto 1221, sigillo suo munivit litteras Cenomanensis episcopi Mauricii, componentis discordiam inter Robertum presbyterum et Geoffridum de Nuilleio. Mense Julio 1224, Huberto *de Alenzon*, plateam sub census conditione tradidit. Prohibuit, anno 1225, ne ante susceptum sacrum ordinem canonici juniores sedes superiores in choro et jus dicendæ sententiæ in capitulo sibi arrogarent. Probavit, eodem anno, chartam Mauricii episcopi ampliorem dividentis parœciam Monteneii. Decretum edidit, mense Junio 1226, de celebrando anniversario Petri *d'Espinoi*, capellani; e codice *de Gaignières*, 2737, fol. 24. Archiepiscopus tandem Turonensis electus est anno 1228.

XXII. Geoffridus II de Lavalle, Martio mense et 28 Aprilis 1228, memoratur in diversis chartulis. Idem, 3 Decembris ejusdem anni, notum fecit Willelmum de Rubeo Monte obligavisse capitulo Cenomanensi totam decimam S. Quintini. Eodem mense, laudavit pacem quam fecit Juhellus, archiepiscopus Turonensis, inter abbatem Ebroniensem et Hamelinum Francum, militem, decertantes de juribus in nemore Salicensi. Anno tandem 1230, decimas Changeii sub lege census Gauguengo *Crolois* et aliis tradidit; e cod. *de Gaignières*, sub num. 2737, fol. 33. Electus est, 12 Augusti 1231, Cenomanensis episcopus.

Post Geoffridum vacavit decanatus ad annum 1233, quo Juhellus, Turonensis archiepiscopus, ab ecclesiæ Cenomanensis capitulo rogatus ut eligeret ipse decanum, dummodo de ipsius ecclesiæ gremio sumeretur, Robertum designavit, inconcussum manere cæterum asserens jus canonicorum, charta Cenomani data, 30 Septembris.

XXIII. Robertus I de Domno Fronte, alias de Domno Frondo, gallice *de Domfront*, concordiam fecit, anno 1233, cum Lisiardo *de Poillé*, milite, super Asneriarum villicaria. Contulit eodem anno Guillelmo *de Baugence*, canonico, decimam quamdam Aveseii percipiendam. Anno 1234, mense Septembri, schedulam edidit de reditibus quos capitulo tradebat Hugo de Asneriis. Occurrit, anno 1239, Robertus in charta concordantium Marchi et Nicolai, canonicorum. Litem diremit, arbiter electus, anno 1241, exortam inter episcopum Cenomanensem et Majoris Monasterii monachos super decimis Mancigneii. Eodem anno transegit cum Herberto *Berengier* de justitia Aceii exercenda; in cod. *de Gaignières*, num. 2737, fol. 50. Anno 1245, ad pacem compulit rectorem Uncinarum et incolas Burgi Regis de loco mor-

tuis excipiendis idoneo decertantes. Ipse non quidem judex, sed testis et quasi reus, hoc anno, sermonem edidit in majori causa. Cum enim Culturenses monachi justitiam negarent canonicam a capitulo per totam diœcesim exercendam, Robertus, jam sexagenarius, firmiter stans pro collegio suo, susceptæ litis caput fuit. Concessit, die 27 Junii 1251, Bernardo, rectori Pruilleii, quamdam decimam. Nominatur, Novembri mense, in charta qua Geoffridus præsul altare Charneii ecclesiæ matri univit. Testatus est, mense Maio 1252, Philippum Romanum, canonicum, res quasdam tradidisse Philippo, dicto Clavigero, et, mense Januario ejusdem anni, ipse partem domus addixit Richardo Tegulario. Scripsit, die 8 Septembris 1255, ad Ludovicum regem, requirens ut per eum, Geoffrido mortuo, episcopum eligere liceret. Occurrit, anno 1256, in officialis Cenomanensis charta de decimis Fontium, et, die 3 Junii 1258, in litteris ejusdem de traditione cujusdam plateæ Cenomani sitæ. Mense tandem Junio 1259, reperitur in officialis Cenomanensis edicto de rebus a capitulo S. Juliani traditis Petro, Lavallensi decano. Obiit XI cal. Martii, e Cenomanensis ecclesiæ necrologio, ubi laudatur his verbis : Vir sane profundi « pectoris et scientiæ eminentis, qui ter in « vita sua bonis suis mobilibus se nudavit et « pauperes investivit. »

XXIII. P., Petrus I forsitan, aut Philippus, mense Maio 1260 dimissam habuit calumniam quam moverat Richardus *Piloisel*. Idem, eodem anno, die Mercurii post *Invocavit me*, ineunte scilicet 1262 secundum recentem usum, chartam edidit de traditis decimis, quas inter memoratur decima quam *defunctus Robertus, quondam decanus*, emerat ab Hugone Divite; e cod. *de Gaignières*, 2737, fol. 39. Idem, mense Aprili 1263, testis in Geoffridi præsulis charta de decima presbytero Campaniaci tradita, et, mense Maio ejusdem anni, in officialis edicto de decima Geoffrido de Lato Nemore adscripta; in codice *de Gaignières* supra laudato, fol. 64.

XXIV. N..., forte Nicolaus II, occurrit 28 Januarii 1263, vel, secundum recentem usum, 1264, decimam S. Beati condonans hujus ecclesiæ sacerdoti. Reperitur idem in tabulis mense Novembri 1264 et 30 Junii 1265.

XXV. Azo defunctus erat die Veneris post *Invocavit me* 1272, quo Reginaldus *de Buaret* agnovit opulentam se decimam accepisse ejus pro anniversario celebrando; e codice *de Gaignières*, 2737. Præceperat moriens ut capellania conderetur in ecclesia Cenomanensi. Ob quam dotandam pactum iniverunt qui testamentum ejus curabant exsequendum et Guido de Gallandia, miles, 10 Julii 1275.

XXVI. Guillelmus III *Roil* anno 1272. Sedebat in capitulo, die Dominica ante festum Omnium Sanctor. 1276, qua pactus est

A cum canonicis Gervasius de Prulleio. De Guillelmo sic martyrologium Cenomanensis ecclesiæ : « III cal. Julii, obiit Guillelmus *Roil*, « hujus ecclesiæ decanus, vir profundi in- « genii, eloquii elegantis et scientiæ eminen- « tis, qui dum, post obitum Geoffridi de « Aceyo, Cenomanensis episcopi, fuisset a « majore parte capituli in Cenomanensem « episcopatum electus, postea ad sedem apos- « tolicam constitutus, in manibus Nicolai « papæ III cessit propria voluntate. » Decessit ni fallimur, mense Julio 1277; namque in Albo Libro capituli reperitur vacua decania

B a die 15 Octobris 1277 ad 1 Junii 1279. Sex ut minimum chartæ idem testantur. Die autem 22 Januarii 1279, lege, secundum recentem computum, 1280, novus decanus occurrit.

Pone post Guillelmum ignoti nominis decanum, qui memoratur in Albo Libro capituli sedens a 22 Januarii 1280. Idem, die Jovis post festum B. Juliani 1280, chartam edidit de rebus datis a Reginaldo *Dalibart;* e codice *de Gaignières* sæpe laudato, fol. 42. Vacabat rursus sedes 27 Aprilis 1282, 4 Maii, 26 Junii et 16 Decembris 1284. Non autem vacabat 11 Decembris 1285.

XXVII. Nicolaus III occurrit anno 1286,

C e Cenomania.

XXVIII. Robertus II *de Clinchamp*, e cantore decanus, preest capitulo quo episcopus eligitur Petrus *Leroyer,* apud Corvæserium. Ipse postea transvectus est in cathedram Cenomanensem, anno 1298. In necrologio Cenomanensis ecclesiæ legimus : « Tempore « quo prædictum regebat decanatum, fame « invalescente in Cenomanensi diœcesi, per « tres annos blada sua pauperibus erogavit, « et, bladis tandem deficientibus, omnia vasa « argentea et equos quos habebat pulcher- « rimos vendidit, ut inopiæ succurreret ege-

D « norum. »

XXIX. Petrus II *Gogeuil,* sive *Gougeul,* occurrit annis 1304, 1305, 1307, 1309, 1310, 1312, tam in Thesauro Chartarum, quam in indice tabularum Bellilocensium.

XXX. Henricus *de Thevalle* memoratur a Th. Calvino, anno 1313.

XXXI. Joannes I *de la Chambre,* annis 1314, 1317.

XXXII. Joannes *de Viane* episcopo Cenomanensi sacramentum præstat 27 Maii 1323.

XXXIII. Matthæus *Pezas,* e Thoma Cal-

E vino. Præfuit capitulo S. Juliani, Jovis die post festum S. Petri 1346.

XXXIV. Guillelmus IV *de Rochefort* reperitur anno 1350.

XXXV. Robertus III *Helie,* sub Gonthero de Balneolis notatur.

XXXVI. Laurentius *de Balanie* occurrit annis 1381, 1388.

XXXVII. Joannes III *Soulas,* decretorum doctor, episcopo Cenomanensi fidem profitetur 7 Decembris 1389. Reperitur etiam an-

nis 1408, 1410. De quo Corvæserius, p. 607. Eumdem hunc Th. Calvinus opinatur ac Joannem de Bosco, cujus meminit senatus Parisiensis sententia, 26 Martii 1393.

XXXVIII. Joannes IV *Belard* testis, 3 Julii 1417, Ludovici Andegavensis et Isabellæ Britannæ nuptialem pactionem facientium; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 950. Forojuliensis creatus episcopus Joannes, anno 1418 ineunte, decanatum Cenomanensem per aliquot annos retinuit. Hujus successorem elegerunt canonici, 1 Julii 1422.

XXXIX. Joannes V *de Bussi,* cum canonicis litigavit.

XL. Joannes VI *Bouju* capellam S. Trinitati sacram fundat anno 1451, et testamentum edit suum 5 Februarii 1460.

XLI. Ægidius *de Laval de Loué* electus est Sagiensis episcopus anno 1478, decania Cenomanensi retenta. Vide supra, t. XI, col. 700. Obiit anno 1502. Sed antea decaniam abdicaverat, nam

XLII. Licinius *Cheminart* decanus Cenomanensis legitur anno 1501 in litteris Alexandri papæ VI. Ad eumdem papam nuntius est Ludovici, Augustodunensis episcopi; supra, t. IV, col. 422. Idem adfuit, 23 Junii 1505, consecrationi Francisci *de Rohan*. Decessit anno 1517.

XLIII. Felix *de Brie de Serens*, protonotarius apostolicus et abbas S. Ebrulfi, decanus Cenomanensis electus est anno 1517, obiturus 23 aut 25 Septembris 1546.

XLIV. Aymarus *de Thevalle,* idem et protonotarius apostolicus, et Felicis antecedentis vicarius, decanus eligitur anno 1546. Occurrit 12 Augusti 1547 in Culturensi chartulario. Abdicavit 29 Augusti 1554.

XLV. Leonardus *Leroux des Aubiers,* vir græcæ et hebraicæ linguarum peritus, e scholastico decanus eligitur, moriturque 9 Martii 1555.

XLVI. Carolus I *de Guillard de l'Epichelière,* episcopus jam Carnotensis, decanus Cenomanensis a rege creatur mense Martio 1555. Dein cum sequente permutavit.

XLVII. Bernardinus *de S. François* decani munus adiit 31 Octobris 1559, quod mox dimisit ut summus archidiaconus fieret. Prior

A idem Bersaii, abbas Fontis Danielis et episcopus Baiocensis. De quo, inter ævi sui vates non inglorio, Cruceus Cenomanensis, in Biblioth. Francica, et Historia nostra Cenomaniæ Litteraria, t. IV, p. 197.

XLVIII. Renatus I *de S. François* e supremo archidiacono decanus fit 24 Januarii 1560.

XLIX. Carolus II *de Ronsard,* Petri frater, protonotarius apostolicus et abbas Tironis, creatur decanus 31 Decembris 1564. Nec multo post permutavit cum sequente.

L. Franciscus I *Duparc* nominatur 9 Januarii 1566 et abdicat anno 1581.

B LI. Margarinus *de la Bigne,* vel inter doctos summam laudem assecutus, antecedentis e matre nepos erat. Decanus Cenomanensis ab anno 1581, decessit anno 1597.

LII. Franciscus II *Lepelletier*, Parisiensis senator, decessit anno 1621.

LIII. Dominicus *Seguier* creatur decanus 1 Augusti 1621. Secessit, permutatione peracta, anno 1623. De quo fusius inter Meldenses episcopos.

LIV. Renatus II *des Chapelles* in possessionem invehitur 30 Martii 1623. Abdicata sede decessit 23 Junii 1668.

C LV. Joannes-Baptista *de Beaumanoir de Lavardin* creatur 8 Novembris 1666, e Cenomanensi decano facturus episcopus Redonensis anno 1677.

LVI. Michael *Levayer*, doctor Sorbonnicus, Annæ reginæ ab eleemosynis, S. Juliani decanus fit Augusto mense 1677. Decessit anno 1691.

LVII. Jacobus Augustus *Levayer* creatur anno 1692. Decessit 5 Februarii 1733.

LVIII. Ludovicus I Antonius *d'Yzarn de Villefort de Montjeu,* idem et abbas Deiloci, decanus a 7 Martii 1733. Obiit Parisiis 1 Oc-
D tobris 1740.

LIX. Matthias *Poncet de la Rivière* a 21 Octobris 1740. Trecensis creatus episcopus decanatum abdicat 23 Junii 1742.

LX. Ludovicus II Gabriel *de Chauvelin*, doctor Sorbonnicus, abbas S. Jovini, decaniam Cenomanensem sortitus 19 Julii 1742 abdicat anno 1772.

LXI. Joannes VII Carolus *de la Briffe Ponsan* ab Octobri mense 1772 ad annum 1790.

VETERA CENOMANENSIS ECCLESIÆ MONASTERIA.

Cenomanica gens monachis fuit olim, ut videtur, admodum hospita. Plurima nempe nuncupantur vetustissimis in tabulis cœnobia, quæ venientes in agrum Cenomanensem ignotis addicti regulis ascetæ condiderunt, quæque postea, opimam utpote prædam præbentia, Normannicus furor invasit. Horum summatim historiam scripsit Th. Calvinus,

E in Geogr. Ant. Cenom., p. 173 et seq., non tantum e Gestis pontificum Cenomanensium, sed etiam e peculiaribus Aldrici fastis. Cujus ad ductum nosmet applicavimus, et acceptam opem ab eo nisi profiteremur, animi vitium ingrati merito nobis exprobraretur. Monasteria quædam adjunximus indici quem Th. Calvinus digessit : quædam alia neglexi-

mus, quorum nomina solummodo, sæpius etiam corrupta, ex antiquis chartulis exhibet.

I. S. Joannes et S. Trechius in Buxido. Hujus abbatiolæ meminit auctor Gestorum, eam referens a Turibio præsule, supra Meduanam fluvium, quinto decurrente sæculo conditam. Eamdem Carolus Magnus, anno 802, et Ludovicus Pius, anno 832, inter Cenomanica monasteria recensuere. (Ch. IX, col. 125.)

II. Diablinticum Monasterium. In vico Diablintico, vulgo *Jublains*, exstructum, temporibus, ut opinantur, Turibii episcopi, non diu cœnobium hoc floruit. Ei præfectus erat, Hadoino episcopo, Agobertus, Ebronienses qui monachos docuit et rexit. Quæque ad Diablinticum monasterium spectare videntur incertissima sunt. Hoc quidam non aliud conjiciunt ac S. Martinum Celciaci, in Diablintica. Consule domnum *Piolin*, Hist. Eccl. Cenom., t. II, p. 342.

III. Monasterium Hebronense, sive Gabronense. Monasterium hoc condidisse dicuntur S. Constantianus et S. Frambaldus, tempore Childeberti regis et Innocentis episcopi. Sic auctor Vitæ Constantiani, quam A. Quercetanus edidit, t. I Script. Franc., p. 544 : « Dedit S. Innocens S. Constantiano vicum Hebron, de cujus videlicet sedis ecclesiæ jure erat... Cum vicum accepisset S. Constantianus a sæpe dicto episcopo, quo aliquam cellulam ad animas Deo lucrandas construeret, atque in ea quosdam monachico ordine edoctos congregaret, nutu Dei, antedicti episcopi fretus auxilio, facere meruit. » Hebron quidam, inter quos Th. Calvinus, Gauronum opinantur, in Diablintico pago, cujus loci S. Julianus ipse consecraverat ecclesiam, ut in Gestis legitur. S. Constantiani cella mox concidit, quandoquidem hujus nec Carolus Magnus nec Ludovicus Pius, in suis de re Cenomanensi præceptis, meminerint. In prioratum desinit, sub jure S. Juliani Turonensis positum. Consule D. *Piolin*, t. I, p. 225. S. Constantiani corpus delatum memoratur Bretolium, in diœcesi Bellovacensi.

IV. Sancta Maria. Sanctæ Mariæ parthenon inter Sartam et civitatis muros ab Innocente fundatus est, qui monialibus ibi degentibus S. Trenestinam, ab Haregario et Truda natam, præfecit. Charta profertur ad hanc fundationem spectans, sed quam non immerito mere fictitiam critici recentiores dixere.

S. Trenestinæ proxima, longo sed intervallo, videtur Ada, vel Alrechildis, quam e Suessionensi B. Mariæ monasterio deductam tradit auctor Translationis S. Juliani, ut Cenomanense regeret; Analecta, t. III, p. 61. Illa videlicet Ada propinqua fuit Berario præsuli, ut in Gestis legitur, et Berario qui successit Aigliberto. Ejus ad preces Aiglibertus multa B. Mariæ parthenoni bona contulit. Harum donationum geminæ chartæ proferuntur, quarum una annum exhibet 692; altera vero, subscriptionibus diversis, annum 684, vel 700. De ea notarum chronologicarum varietate legendus doctissimus vir *de Bréquigny*; Diplom. Chartæ, edit. nov., t. II, p. 253. Annum 700 rejiciendum in Aigliberto jam demonstravimus.

Anno 778, Caroli Magni decimo, monasterio S. Mariæ præerat Arvina quædam abbatissa, cui, præcipiente rege, Merolus præsul plura concessit.

Prædicti monasterii præterea meminere Carolus Magnus anno 802, et Ludovicus Pius annis 832, 836, in præceptis sæpe laudatis. (Ch. IX, col. 125.) Consule Rerum Gallic. Script., t. XI, p. 584, 607, 608, 610. Sublapsas monialium ædes (Ch. X, col. 127.) refecerat Aldricus et consecraverat, ad id vocatis, præter Landrannum archipræsulem, pluribus vicini tractus episcopis. Nec prætereundum quod reparatam tradiderat abbatiam virginibus S. Benedicti normam professis, quas Intramnis acciverat. Prorsus igitur res S. Mariæ ante Aldrici tempora corruerat. Idem noscitur e litteris Ludovici imperatoris, quæ locum memorant jam diu ab episcopali ditione ad fiscum regium translatum. Hæc a domno *Piolin* fusius enarrata, t. I, p. 174, et t. II, p. 201, 202, 203, 210.

Ævo decurrente, cladem alteram abbatia S. Mariæ passa est, et super hujus ecclesiæ parietinis postea surrexit Gurzenensis, sive Gordanensis basilica. Consule domnum *Briant* Innocentis gesta summatim describentem et D. Th. Calvinum, Geogr. Ant. Cenom., p. 343.

V. S. Almirus. Greji, juxta Feritatem Bernardi, monasterium hoc in honorem S. Mariæ condidit S. Almirus, patria Arvenus, professione monachus Miciacensis; ex ejus Vita, apud Bollandum, 11 Septembris. Coævus erat S. Almirus S. Domnoli, episcopi. Conditoris nomen dein locus accepit, ut legimus in Gestis Meroli, Anal., t. III, p. 248, et, anno 796, in Caroli Magni decreto de rebus Cenomanensis ecclesiæ; ibid., p. 259. Greges (Ch. X, col. 129.) suos, qui Greii alebantur, eidem monasterio dedit Aldricus, anno 837. Dein fit parochialis ecclesia quam, anno 1145, Guillelmus præsul e laica manu receptam ecclesiæ matri restituit; ibid., p. 373.

VI. S. Martinus Celsiaci. Hæc fuse tradit anonymus auctor vitæ S. Ernæi : « Fuit S. Ernæus vir vitæ venerabilis, et Aquitanicæ provinciæ nobili ex progenie ortus, et ab infantia sacris litteris eruditus, ac regularibus disciplinis pleniter imbutus... Audiens famam S. Innocentis, Cenomanicæ urbis episcopi, una cum sociis suis venit ad eum. Qui, comperta ejus sanctitate, diu cum secum retinens, ordinavit eum primo diaconum, et non multo post presbyterum illum consecravit. Hoc peracto,

« dedit illi vicum suum nomine Celsiacum « ut fratres, qui vitam communem ibidem « ab Apostolis traditam sancte ducebant, re- « gulariter doceret... Qui susceptam obe- « dientiam pro viribus adimplere curavit, « atque juxta prædictum vicum, adjuvante et « ordinante præfato episcopo, ecclesiam in « honorem S. Martini construxit, una cum « claustro regulariter sub eis composito, qui « monachos non minus quam triginta con- « gregare curavit, et sub sancta regula vivere « perdocuit. » Hactenus auctor vitæ S. Ernæi, quem beato viro supparem opinantur; Rer. Gallican. Script., t. III, p. 455. In eo loco jam S. Julianus ecclesiam extruxerat. In Gestis præterea Franconis legitur : « Ipse fe- « cit ecclesiam a fundamentis in villa sui epis- « copii et in vico canonico qui vocatur Cel- « siacus, quam et in honore S. Petri conse- « cravit et in eam corpus B. Erinei confessoris « collocavit. » Conditum ab Ernæo monasterium non aliud est forsitan a S. Martino in Diablintico, cujus meminere Carolus Magnus anno 802 et Ludovicus Pius anno 832. Ch. ix, col. 125. S. Martinum in Diablintico quidam opinati sunt Meduanæ situm. Rei nodum solvere non licuit.

VII. S. Baomadus. Hæc abbatiola condita est juxta fontem Brigiæ a S. Baomiro, Arverno, Miciacensi monacho, temporibus Innocentis præsulis; apud Labbæum, Biblioth. Manuscript. t. II, p. 508. Cellulam S. Baomadi Carolus Magnus tradidit, anno 796, ecclesiæ Cenomanensi; Anal. t. III, p. 259. Ejusdem meminit Ludovicus Pius, anno 840, in præcepto quod exhibent Aldrici Gesta; Rer. Gall. Script., t. VI, p. 630. Ædes a Baomiro constructas Normannorum furor, ut aiunt, evertit, et terrestres S. Baomiri reliquiæ in ecclesiam S. Frambaldi Silvanectensis translatæ sunt.

VIII. S. Ulfacius. Cellula S. Ulfacii occurrit in Gestis Meroli, et in præcepto sæpe laudato Caroli Magni quod annum 796 præbet; Anal. p. 259. S. Ulfacius et ipse monachus erat Miciacensis, qui in locum dictum Apiacum, ad Bregiæ littus, deveniens, ibi cellam posuit, et monachis eo accitis aliquantisper præfuit. Consule Bollandum, 9 Septembris. Ibi decessit S. Ulfacius, et non semel Aldrici Gesta meminerunt Apiaci villæ in qua sanctus vir jacebat; apud Th. Calvinum, verbo *Appiacus*. Irruentibus Normannis, S. Ulfacii exuviæ Tutelam transvectæ sunt. Hac de cellula paucis disseruit D. Piolinus, t. I, p. 206.

IX. Cellula S. Rigomeri. Hujus mentio fit tam in Gestis Meroli quam in præcepto Caroli Magni, anno 796. Jam quidem agitur de S. Rigomeri basilica in testamento S. Bertichramni, et Rigomerus ipse S. Innocentis coævus comprobatur. Erravit Mabillonius, in Analectorum indice, cellulam S. Rigomeri pro cellula S. Richmiri, ultra fluvium Sartam, accipiens. Incertus tamen relinquitur locus ubi surrexerit olim hæc a S. Rigomero condita cella. Siliniaco vicinam hanc asserit domnus *Briant*, cujus conjecturæ Th. Calvinus et domnus *Piolin* adhærent. Legenda S. Rigomeri vita, apud Bollandum, 24 Augusti.

Vandopera. Dumis saxisque horrens locus erat Vandopera, nunc S. Leonardus in Nemore, in quem secessit, Innocentis tempore, S. Leonardus, Leodiensis, ut opinantur, monachus, de quo plura apud Bollandum, 15 Octobris. Decessit Domnolo Cenomanensem ecclesiam regente. Abbatiola quam eduxerat prioratus postea fuit sub Vincentianorum monachorum lege posita. X.

S. Victurius. S. Victurius sepultus fuerat in ecclesia SS. Apostolorum ultra Sartam. XI. Quæ dein ecclesia quosdam ascetas excepit. Locum S. Innocens, ad Gestorum fidem, ædificiis auxit amplioribus, et eo majores numero monachos accivit; Anal. t. III, p. 76. Memoratur postea Domnolus ab Innocente susceptum opus perficiens, et ferme quinquaginta monachos his in ædibus constituens; ibid., p. 96. Earum meminit Bertichramnus in suo testamento. Ch. vi, col. 119. In eisdem sibi jussit sepulturam parari S. Hadoinus præsul. Ch. vii, col. 122. Monasterium hoc S. Victurii nuncupaverunt inter ecclesiæ Cenomanensis possessiones Carolus Magnus anno 802, et Ludovicus Pius anno 832. Ch. ix, col. 126. In laicas manus postea venit, et legitur, undecimo sæculo, Reginaldus miles, S. Victurii monasterium, in suburbio Cenomani situm, abbati tradens S. Michaelis de Monte Tumba; supra, t. XI, Instr., col. 106. Vacuus tunc erat monachis locus, ut Reginaldi charta testari videtur.

Præter S. Victurii monasterium ultra Sartam, S. Victurii cellula reperitur infra civitatem sita, cujus et ipsi meminerunt Carolus Magnus et Ludovicus Pius, in prælibatis diplomatibus. Ch. ix, col. 125. Illam Berarii II testamentum, in Anal., t. III, p. 213, Caladunensi parthenoni subdit. Unde D. *Piolin* monachos insimul et moniales cellulam hanc S. Victurii incoluisse conjecit. Fictitium vero aut certe in plerisque spurium diximus diploma quod Berario II quidam adscribunt. Nec alia mentio occurrit de monialibus istis S. Victurii.

S. Paduinus. Monasterium hoc, inter Sartam et Balgetum montem situm, condidit Domnolus episcopus, et in eo B. Mariæ dicato quatuordecim monachos constituit, eos abbati parere jubens Paduino, qui nuper S. Vincentii monachus erat. XII. Hoc sub nomine recensetur, anno 802, in Caroli Magni præcepto : « Synodochium S. Mariæ, in quo dom- « nus Paduinus corpore requiescit. » Non aliter ejusdem Ludovicus Pius meminit. Ch. ix, col. 125. Prioratus fit Ebroniensis, annum circa 1126, a Fulcone *Ribole*, cujus in manus venerat, traditus. Inclyta diu permansit hujus monasterii

schola. Ignoratur tamen abbatum series post Paduinum. Hujus vitam e veteribus schedis eruit Mabillonius, Acta Sanct., sæc. I; quam tamen si consulere lubeat, admonitus sis a domno *Briant* istius scripti auctoritatem modicam esse.

XIII. S. Crux. Extructa illa domus in suburbio Cenomani, nec longe a basilica SS. Petri et Pauli, ad excipiendos non tantum monachos, sed etiam peregrinos, opera Bertichramni episcopi. Hujus ipse Bertichramnus in testamento non semel meminit. Nec multo post, ut videtur, exciderat, cum non recenseatur inter monasteria ad ecclesiam Cenomanensem spectantia, annis 802 et 832. Parochialis postremo fuit ecclesia, sub jure Culturensis abbatiæ posita. (Ch. VI, col. 106, 129.)

XIV. S. Germanus ultra Sartam. Erectum hoc a se monasteriolum ipse S. Bertichramnus profitetur; cui plures in dotem villas dedit. Ejusdem monasterioli non mentio deest in præceptis regiis annorum 802 et 832. Hoc etiam floruisse quidam opinati sunt ultra mediam duodecimi sæculi partem. Consule Biblioth. Scholæ Chart., ser. 1, t. IV, p. 171. Eorum vero conjecturæ adhærere non licet. In eodem loco, ut jam apte notavit Mabillonius, ecclesia superest parochialis, sub S. Germani patronatu. Eam sub exitum postremi sæculi possidebat ecclesiam S. Julianus de Prato, uti domnus *Briant* memorat. (Ch. IX, col. 125.)

XV. S. Martinus. Oratoriolum S. Martini instituerunt Eoladius presbyter et Baudomalla, Deo devota, multisque auxerunt bonis. Quæ confirmavit Charibertus, ut videtur, anno 567. Fusius rem, S. Domnoli gesta describentes, enarravimus. Hoc intra civitatem monasteriolum D. Th. Calvinus et post eum domnus *Piolin* posuere : in quo rectam, præter morem, viam deseruisse videntur. In diplomate sedenim regio *infra muralia Cenomanis* situm dicitur; similiter, in præcepto Ludovici Pii, *infra murum civitatis* memoratur : cumque prope, sed infra murale Cenomani munimentum, non alius olim S. Martino sacer locus fuerit præter S. Martinum Ponteleuvensem, oratorium ab Eoladio Baudomallaque fundatum non distinguendum opinamur a xenodochio S. Martini, quod Bertramnus Ponteleuvæ, sicut Gesta referunt, *fecit vel restauravit,* et in quo sexdecim constituit *viros pauperes, cæcos et debiles,* ut diebus singulis eis monachi victum et necessaria quæque ministrarent. Ipse etiam Bertichramnus argumento satis notabili conjecturam hanc nostram stabilivit. In testamento nempe suo semet emisse memorat, ab Eolade abbate, terras sinistrorsum adjacentes viæ qua Cenomano devenientes Pontemleuvam tendebant. Quis autem abbas is Eolades terrarum venditor Ponteleuvensium, nisi Eoladius, dictus anno 567 presbyter, et postmodum, ut videtur, ab ipso conditi cœnobii rector? Memoratur Bertichramnus præterea Ponteleuvensem domum in jus Culturensis abbatis transfudisse. Emptam videlicet transfudit, et ab Eoladio, sive Eolade, libere dimissam. Id igitur sub tempus abbatia S. Martini, quæ proprium rectorem aliquantisper habuerat, nempe Eoladem, in prioratum Culturensem mutata est. Recensetur in diplomatibus regiis annorum 802 et 832, inter monasteriola Cenomanensis agri. (Ch. III, col. 101.) (Ch. VIII, col. 126.) (Ch. VI, col. III.) (Ibid., col. 109.) (Ch. VIII, col. 125.)

XVI. S. Petrus in Buxido. Ad hoc monasterium autumant spectare chartas duas cujusdam Lonegisili, quas e pontificum Cenomanensium Gestis primus edidit Mabillonius, ultimus *de Bréquigny;* Dipl. Chart., t. I, p. 222, 224, novæ edit. Harum e testimonio Lonegisilus, annum circa 625, monasterium S. Petri condidisset, et Cenomanensi subjecisset ecclesiæ. Pro spuriis autem, imo pro mere fictitiis habendæ sunt, teste doctissimo Academiæ Inscriptionum socio. Nec sinceras facile probares, cum in eis non unum sit corruptionis indicium. Monasterium tamen S. Petri de Buxido veterum fides a prædicto conditum tradit Lonegisilo. Nec diu permansit integrum. Cum enim, episcopante Ganzioleno, regendæ præsulis domui præfectus Abraham hoc monasteriolum sub beneficiario jure teneret, ille monachis insidias molitus eos foras ejecit : ex Anal. Mabillonii, t. III, p. 286, 289. Inter possessiones ecclesiæ Cenomanensis nuncupatur, in præceptis regiis annorum 802 et 832. Nec multo post Ludovicus Pius monachorum domum, jam nomine minorem, cum cellula tunc temporis diceretur, Corbionensibus tradidit ascetis. Quam donationem Carolus Calvus confirmavit anno 840, et, anno 842, Corbionensibus idem alia condonans, ipse regio Buxidum, sive Buxiacum, adscripsit fisco. Devenerat locus, anno 1076, in manus cujusdam Berladii, eum qui restauratum monachis S. Vincentii contulit. Consule D. Th. Calvinum, Geogr. Antiq. Cenom. diœc., sub verbis *Busiacus* et *Buxidus.* (Ch. VIII, col. 125.)

XVII. S. Scholastica. Fuit soror S. Benedicti Scholastica, cujus corpus Cenomanum excepit, Berario præsulante, ut prolixe narravit auctor Gestorum. Addit Berarium sanctissimas has exuvias in ecclesia quam S. Petro recens dicaverat collocavisse, et non ab ea procul ecclesia, inter murum civitatis et Sartam, monasterium puellis idoneum hospitandis sub invocatione S. Scholasticæ condidisse. Frequens illa domus tunc fuisset, narratori si tuta fides; quinquaginta nempe supra centum puellas ibi a Berario aggregatas memorat. Ejusdem mentio fit annis 802 et 832, in præceptis Caroli et Ludovici imperatorum. Eam vero Normanni flammis tradidere; Rer. Gallic. Script. t. VIII, p. 300. (Ch. IX, col. 125.)

XVIII. Monasterium Tuffiacense. B. Mariæ antiquitus consecratum, moniales ab origine accepit hospites. Legitur in Gestis pontificum

Cenomanen. matronam quamdam, Lopam nomine, tempore S. Berarii, hanc cellam in villa sua prope Tuffiacum extruxisse. Quod referunt ad annum fere 659. Hujus fundationis instrumentum ostendit, anno 675, Aiglibertus præsul Theodorico regi, qui jura firmavit Cenomanensis ecclesiæ in Tuffiacensem parthenonem. Quid, suadente doctissimo viro de *Bréquigny*, ea de re prolatum Theodorici diploma suspectum haberemus? Nullam enim falsitatis notam præbet. Pro certo tenemus, Aigliberti tempore, Aidilam, seu Adilanam, Tuffiacensibus præfuisse monialibus; quæ ab omni Cenomanensis episcopi jurisdictione se suasque liberare moliens, in judicio cecidit, cum optimates ipsi faventes, Ulfaldus scilicet et Ingobertus, minoris apud regem valuissent quam præsul et apocrisiarius Aiglibertus. Adibelganem sororem dedit Tuffiacensibus abbatissam Aiglibertus ad Gestorum fidem. Si personarum quoddam discrimen Adilanam inter et Adibelganem admiseris, conjicies, post exitum litis supra memoratæ, Adibelganem Adilanæ victæ et secedenti suffectam. Duplex, ut videtur, tunc temporis congregatio: altera monialium interior, exterior monachorum; utraque regulæ Benedictinæ adstricta. Ut ut se res habuit, non diu stetit intactum opus Aigliberti. Recensetur a Ludo-
Ch. IX, col. 125. vico Pio, anno 832, inter Cenomanensis ec-
Ch. XI, col. 130. clesiæ possessiones. Legimus vero, annum circa 1015, Avesgaudum, Cenomanensem episcopum, ecclesiam Tuffiacensem iterum consecravisse, ab Hugone, domino Montis Dublelli, monachis in integrum Benedictinis addictam. Eadem de restauratione proferuntur litteræ Odonis, Carnotensis comitis, quo res ab Hugone datæ confirmantur. Innovatæ primus abbas abbatiæ Hermentæus, quem e monasterio S. Petri de Cultura reputant assumptum. Adfuit ille, anno 1040, dedicationi ecclesiæ S. Trinitatis Vindocinensis. Post Hermentæum monasterii regimen suscepit Sevinus, cui donum contulit aliquod Gausbertus, civis Cenomanensis, Henrico regnante, annum circiter 1050; e chart. S. Vincentii. Sevino Goscelinus successit, episcopante Arnaldo, annum scilicet post 1066: cui confirmavit Gausbertus, Gausberti filius, a patre data; ex eodem chartul. Mox autem eversa loci dignitas, nam, annum circa 1070, Hamelinus de Langiaco Tuffiacensem abbatiam Reginaldo, S. Vincentii Cenomanensis
Ch. XII, col. 131. abbati, sub humiliori cellæ nomine dedit possidendam (1). Occurrunt quidam cellæ Tuf-
A fiacensis priores: Albertus, anno 1100; Petrus *de Moyre*, annum circa 1209, subscribens initæ concordiæ inter Patricium, S. Vincentii abbatem, et Montis Dublelli toparcham; Robertus *de Julle*, terram tradens Guillelmo *le Baudayer*, anno 1284, et, anno 1296, quædam emens ab And. *Augier*. Diu neglectum hunc prioratum ad meliorem provexerunt statum, annum circa 1502, Vincentiani monachi, e congregatione Casalis Benedicti. Quibus suffecti sunt, anno 1646, die 10 Februarii, fratres e sodalitate S. Mauri. Extructum est anno 1666 columbarium; stratum,
B anno 1681, sanctuarii pavimentum: anno denique 1685, ædificiis auctum quam plurimis, dormitorio, claustro, hospicio, etc., etc., monasterium Tuffiacense legimus. Servabantur veneratissimæ in ecclesia reliquiæ S. Domnoli Cenomanensis et S. Gaudi Ebroicensis. Benefactores locus habuerat præcipuos, (jam recensitis Loppa, Berario, Aigliberto et Hugone de Monte Dublello) Hugonem de Loreio, Simonem de Chetone, Hugonem de Insula et Hugonem *Timun*. Optimis etiam antiquitus gaudebat privilegiis, ut baroniæ titulo. At vero Tuffiacensium ultima jura abro-
C gavit annus 1769, quo mensæ Vincentianæ addicti sunt suppressæ domus annui reditus.

S. Albinus. Aigliberti tempore conduntur ædes, a virginibus habitandæ sub regula S. Benedicti viventibus. Quibus rectorem Aiglibertus ipse præficit S. Richmirum, ut Mabillonius ait. Erravit autem Mabillonius, Ann. Bened., t. I, p. 579, primam hujus cellæ ponens abbatissam Adibelganem, sororem Aigliberti præsulis, Tuffiaco deductam. Tuffiacum enim, ad Gestorum fidem, rexit Abidelganis, non S. Albinum. Surgebat sacra- XIX.
D tum S. Albino monasterium, ex auctore vitæ S. Richmiri, « ad portam civitatis: » item in Gestis Aigliberti memoratur ædificatum « tam « infra civitatem quam extra. » Quorum falsi verborum interpretes quidam conjecere duo monialibus hospitandis addicta cœnobia sub

(1) Hujusce donationis incertissimus annus. Eam charta dicit peractam anno quo Robertus, filius Guillelmi regis, Cenomanum recuperavit. Nil vero magis ambiguum. Opinatus est doctissimus vir *de Bréquigny*, Martenio duce, hæc ad annum 1070 referri (Diplomat. Indic., t. I, p. 117). Fluctuavit Calvinus noster inter annos 1070 et 1072, utraque, forsitan inscius, vicissim utens chronologia. Robertus quidem, filius Guillelmi, non comes Cenomanensis vulgo dictus est antequam pater ejus extremam diem obierit, anno 1087. Tuffiacus ne Vincentianis datus hoc anno? Obstat primo Reginaldi nomen abbatis quod in charta legitur, cum nullus tunc Reginaldus S. Vincentio præfuerit. Aliam præbent insuper S. Vincentii tabulæ chartam, Rogerii scilicet et Ivonis, Sagiensis episcopi, de Segonia et Curia Laboriosa, quæ data legitur *indictione XIV et Roberto, Willelmi regis Anglorum filio, Cenomanicam urbem gubernante*. Annum autem
E inter 1087, quo Guillelmus moritur, et annum 1090, quo vadit extra Cenomaniam Robertus, annus nullus occurrit indictionis cujuscumque quartus decimus. Adde quod in charta de Tuffiaco nominetur Arnaldus episcopus, annum ante 1087 jam diu defunctus, et quod Guillelmus ipse rex Hamelini donum firmaverit. Sæpius sub Guillelmo rege, dum Anglicanis in partibus degeret, Cenomani in rebellionem venere. Quos et ipse non semel, ut conjicere licet, invisit Robertus, regis filius. Recuperatio igitur et gubernatio, quarum Vincentianæ chartæ meminere Roberti nomen exhibentes, ante Guillelmi decessum contigere. Huic conjecturæ favet aperte *de Bréquigny*. Chartam igitur de Tuffiaco apte, sicut videtur, anno 1070 adscribit, et chartam de Segonia, annos indictionis congrue numerans, anno 1076.

ejusdem Albini nomine, et ab eodem Aigliberto, unum intra, alterum extra civitatem. Integer rursus prodeat Gestorum locus, qui nullam, ut videtur, ansam præbet errori : « Ipse etiam domnus Aigliberths *monasteriolum tam infra civitatem quam extra,* in « honorem S. Albini et S. Mariæ suo opere « a fundamento ædificavit, et *illud* ex rebus « S. Mariæ et S. Gervasii ditavit, et sanctimoniales monachas sub regula degentes « perpetualiter sub jure et dominatione suæ « sedis ecclesiæ atque successoribus, sive ca- « nonicis, esse constituit. » *Intra* quidam inconsulte legit ubi scriptum est *infra*, et inde traxit originem alterum illud monasteriolum sub Andegavensis episcopi vocabulo muros intra civitatis constructum. Quod autem extra surgebat et infra, nempe fluminis ultra ripas, multo notius est, ut apte notavit D. *Piolin*. Ibi nunc parochia vulgo dicta *la Chapelle S. Aubin*. Hujus meminit Carolus Magnus, anno 796, in solemni præcepto de rebus ecclesiæ Cenomanensis. Quibusdam videtur, Thomæ præsertim Calvino, S. Albinum ultra Sartam nuncupatum etiam fuisse S. Richmirum. De S. Richmiro mentio quidem fit, anno 802, in præcepto Caroli Magni de possessionibus matris ecclesiæ, ubi legitur is locus pendens e monasterio S. Mariæ; et non aliter Ludovicus Pius, anno 832, monasteriolum designat S. Mariæ « cum monasteriolo S. Richmiri ultra fluvium Sarthæ, ad eum per-
Ch. IX, col. 125. « tinente. »

XX. S. Richmirus ad Gundridum. Hujus de cellulæ perantiqua fundatione plura leges apud Mabillonium, Acta SS. Ord. S. Bened., part. 1, sæc. 3, p. 228, in S. Richmiri vita ab anonymo scripta. Ab Aigliberto scilicet vocatus Richmirus in Cenomanensem agrum venit, et juxta Ledi ripas, in loco quem Turrim, vel melius Curiam Dominicam dicebant, gallice *Courdemanche*, primo cellulas extruxit ad monachos excipiendos regulam S. Benedicti profitentes. Mox « Dei nutu in- « venit alium locum, non tamen longe ab « eodem loco, super fluviolum qui vocatur « Gundridus, » et eo sedem transtulit suam, erecta ecclesia in honorem SS. Apostolorum, quam Aigliberths ipse consecravit. Addit auctor vitæ S. Richmiri quadraginta monachos ibi sub pio beati viri imperio vitam egisse. In eo nunc agro surgit parochialis ecclesia vulgo dicta *S. Rimé*, cujus nomen in actis non semel occurrit. Thomam consule Calvinum, Geogr. Antiq. Cenom. diœc., p. 477.

XXI. S. Petrus de Busogilo, sive de Buxiolo. Occurrit primum in testamento S. Berario II adscripto, quod mere fictitium opinamur. Anno 854, cella dicitur S. Petri, a S. Tregotio fundata, in diplomate Caroli Calvi, quo traditur Britannis monachis Deas fugientibus. His postea in Trenorchiense

A monasterium secedentibus, Busogiliensis, sive Buxiolensis ecclesia sub jure Trenorchiensis abbatiæ ponitur, annis 915, 924, 939. Consule Th. Calvinum, verbo *Busogilum*. Hanc abbatiolam Calvinus autumat in agro Diablintico sitam fuisse.

Caladunnum. Caladunum, Caladon, sive Chalonium, in Diablintico, monialium domus fuit, cujus primam dicunt abbatissam Caglibertam, secundam Chrodildam, filiam Crodegarii ducis. Cum autem hæc tradantur e testamento quod Berario II tribuunt, minime certa sunt. Monasterium tamen Ca- XXII.
B ladon recensuit Ludovicus Pius, anno 832, inter possessiones ecclesiæ Cenomanensis. Locus idem, anno 988, nuncupatur Ebroniensis cœnobii sub lege positus. Ch. IX, col. 125.

S. Audoenus. Locum Herlemundus juxta civitatem condidit, ibique monachos duodecim constituit; Anal., t. III, p. 211. Hanc fundationem pro suo jure ratam habuit Dagobertus anno 713, et in ejus præcepto reperitur Seufredus monachis S. Audoenum incolentibus rector datus; ibid. p. 218. Cellam S. Audoeni restituit ecclesiæ Cenomanensi Carolus Magnus; e Gestis Meroli, XXIII.
C ibid., p. 248. Eadem memoratur in variis præceptis annorum 796, 832, 840. Quæ cum post cladem Normannicam in militis cujusdam manus esset delapsa, Fulcoius de Mortariola, sive de Morteriis, anno circiter 1096, monachum induens in cœnobio S. Albini, hæreditariam hanc possessionem ad monachos Andegavenses transtulit, et eam translationem Hildebertus præsul probavit anno 1098. Consule præsertim Th. Calvinum, verbo *Audoenus* (*S.*).

Tillidus, sive S. Symphorianus de Tillido. Vetus hoc cœnobium, quod in vico ru- XXIV.
D stico dicto *le Teil* conditum fuisse autumant, Herlemundus resarcivit, et monachis ibi legem Benedictinam profitentibus Quirinum præfecit abbatem; e Gestis Herlemundi, Anal. t. III, p. 212. Post Quirinum nuncupatur Seufredus abbas idem et chorepiscopus, Gauzioleni tempore. Tillidi mentio fit annis 802, 832, in præceptis regiis de rebus Cenomanensis ecclesiæ.

Intramnæ. Florebat hoc monasterium temporibus Aldrici, qui moniales inde plures accivit in cœnobio S. Mariæ constituendas. Non semel in Gestis Aldrici sæpe laudatis de monialibus Intramnensibus sermo habe- XXV.
E tur. Earum ipse meminit, in postremo suo testamento. Anno 863, Carolus rex Intramnas semel recepit, et ad eum in conventu monialium hospitantem perrexit Salomon, Britonum rex, Francorum regi fidem daturus. Desinit fortassis hæc abbatia in prioratum Ebroniensem. Hildebertus enim, anno 1125, Intramnas memorat inter ecclesias quas Ebronii sub tutela firmat. Ch. X, col. 128.

S. Salvator de Brogilo. Brogilus, dictus XXVI.

quoque Nova Villa, in sinistra Sartæ ripa, prope Cenomanum, sedes erat meretricibus et latronibus, ut aiunt, addicta, cum in eo loco S. Aldricus amplissimas ædes a monachis Benedictinis incolendas posuit. De ea fundatione crebra mentio tam in Gestis Aldrici, quam in ejusdem terrestrem vitam
Ch. x. col. 127. exuentis novissimo testamento. Brogilum denique jussit Aldricus ad jus Fossatensium transire, anno 845; Rer. Gallic. Script., t. VIII, p. 476. In eodem loco nunc surgit S. Pavacio dicata basilica.

XXVII Beata Maria de Aleis. Alias de Dahales, de Halesia, Dahilensis, Alensis. Hæc annum circa 1140 extructa abbatia, ad Moiræ ripas, cujus primum consecravit abbatem Hugo, præsul Cenomanensis; ex Analect., t. III, p. 354.

Incertum est an Dahilenses ille primus inter abbates alius sit a Radulfo qui sæpius in chartis occurrit, episcopante Guillelmo. Sic, anno 1151, Radulfus subscripsit chartæ Joannis, S. Martini Sagiensis archimandritæ, pacem cum Perseniensibus facientis. Idem, anno 1154, testis in ejusdem Joannis charta, qua Perseniensibus tradita terra juxta Clarum Fontem. Subscripsit insuper præcepto Joannis, Alençonii toparchæ, data Perseniæ monachis a Guillelmo patre sancientis. Hæc in chartulario Perseniæ legere est. Radulfus dein memoratur, anno 1166, cum monachis S. Albini Andegavensis de quibusdam decimis paciscens; in Indice arch. Cenom. a D. Bilardo, p. pr., n. 235.

Guillelmus, Radulfo suffectus, concordiam inivit, anno 1170, cum monachis B. Petri de Cultura; apud Th. Calvinum, verbo *Dahales*.

Ea cessit abbatia in prioratum, sub patronatu monachorum S. Dionysii in Francia.

XXVIII Fons Gyardi. Incerta hujus abbatiæ exordia. Anno 1203, monachi Fontem Gyardi colentes abbati nuper defuncto neminem succedere jusserant, et, liberiorem quam decebat vitam agentes, non semel ab Hamelino præsule de castigandis moribus fuerant admoniti. Tunc Hamelino probante, nec ipsis, ut videtur, obstantibus monachis, Juhellus de Meduana cœnobium acephalum Majori Monasterio tradidit. Consule Instrumenta Turonensis ecclesiæ, col. 87.

XXIX. Bella Branca. Abbatiam hanc erexit Robertus II de Sablolio, in parochia S. Brictii, 26 Julii 1152, et optimis eam ditavit prædiis. Quibus addiderunt Guido VI de Lavalle amplissima jura, Guillelmus de Silliaco reditus annuos ad vestitum monachorum, nec non domos et mancipia, et Alardus de Castro Guntherii terras plures et decimas non minimas. Fundationem probavit Alexander papa III, anno 1165; eamdem comprobaverunt Clemens IV et Bonifacius VIII. Ecclesiam dicavit, anno 1200, Radulfus, Andegavensis

A episcopus. Carolus rex, 4 Aprilis 1364, damna compensare studuit quæ bello æstuante Bellæ Branchæ monachi passi erant. Horum ecclesiam postremo vastaverunt, anno 1440, Anglicæ turmæ, dirueruntque feralia dominorum Sablolii et Castri Guntherii monumenta. Reædificatam custodivit, Sanctæ Unionis tempore, Robertus *Vachereau*, dominus *des Chesnais*, quem Querceum vocat Thuanus, tunc Sablolii præfectus. Infestissimus vero catholici nominis inimicus mox accedebat Renatus *de la Rouvraye*, dominus *de Bressaut*, qui, Calvinistarum cohortem du-
B cens, abbatiam invasit, monachosque deturbavit, nonnullis, ut aiunt, patibulo affixis. Unita fuit abbatialis mensa, anno 1607, collegio Flexiensi, ab Henrico rege. Postea et ipsa mensa conventualis Patribus societatis Jesu collata.

Abbatum nomina nusquam reperiuntur ordine digesta. Seriem hanc nostram imperfectam condidimus e chartis hinc et inde coactis.

Robertus occurrit anno 1162, testis Raginaldi de Castro Guntherii nonnulla monachis S. Nicolai condonantis; in chartis quas
C collegit *Housseau*, t. V. Idem, anno 1165, e chartulario Majoris Monasterii, pactus est cum Majoretanis de terra Grandini, juxta Boeriam.

Philippus innotescit e charta Guillelmi præsulis pro Bello Loco; apud Th. Calvinum, Geogr. ant. Cenom., p. 210.

Geoffridus, annum circa 1184, testis datorum a Guidone VI Lavallensi; ex archivo Cenomanensi (1).

Her., forsitan Hervæus, reperitur cum Mauricio, episcopo Nannetensi, et Gualterio, abbate Stellæ, in charta de sopita querela inter
D Mellineii priorem et Robertum de Sablolio; e Mellinensi chartulario. Unde cognoscitur Gualterius Stellæ regimen auspicatus ante Mauricii decessum, annum videlicet ante 1198.

Garinus subscripsit chartæ Hamelini episcopi, testantis Stephanum de Cursu vineam Pocei monachis tradidisse.

M..., quem Matthæum opinantur, emit, anno 1214, a Fulcone *de Convenant* quidquid is possidebat apud *le Tremblai, la Hangotière, Ingrande;* ex archivo. Cenom.

Joannes de S. Sulpitio, anno 1236, in char-
E tulario Parci. Anno 1237, in charta Guillelmi decani; ex eodem archivo.

Lucas, anno 1248; e chartul. Parci, in cod. *de Gaignières* 180.

Stephanus, anno 1329, Guillelmo *Bouglier* licentiam dat eundi in cœnobium B. Petri de

(1) In Indice Cenoman. archivi, quem digessit D. Ed. Bilardus, part. 1, num. 336, Guidonis Lavallensis chartula præbet annum 1176. Apparet vero notarii lapsus, ex eo quod huic diplomati subscripsit Mauricius, *Nannetensis electus*. Electus enim fuit Mauricius anno 1184.

Cultura et ibi vitam agendi relicta Cisterciensi regula.

Joannes, anno 1342, prædii cujusdam partem a Majoretanis accipit; e chartul. Maj. Monast.

N. *Saincton,* 26 Aprilis 1379, curator legitur testamenti quod condiderat Amalricus de Credone.

Guillelmus, 4 Januarii 1407, secundum recentem computum 1408, pacem fecit, mandato Joannis, Cisterciensis abbatis, inter Pontis Octranni et Chalocheii conventus de decimis litigantes; e Chalocheii chartulario, quod *de Gaignières* compilavit.

Stephanus occurrit, anno 1417, in chartulario S. Petri de Cultura. Idem, 20 Februarii 1426, in tabulis S. Sergii quas domnus *Housseau* contraxit, accepit a Petro, S. Sergii abbate, quadringena auri scuta.

Joannes *Rocher,* sive *Rocheru,* ordinandus abbas subjectionem promittit Martino præsuli 10 Martii 1452, secundum recentiorem calculum.

Joannes *Leconte* adfuit 25 Januarii 1515 electioni Joannis *Texier,* abbatis Claritatis Dei. Idem, 5 Julii 1521, fratribus Chalocheii facultatem dedit abbatem eligendi; e Chalocheii chartulario. Abbas idem fuit Clari Montis; e chartul. Fontis Danielis.

Ludovicus *de Lorraine,* cardinalis, commendatarius abbas, occurrit anno 1556.

A Julius *Alnarot,* et ipse commendatarius, moritur anno 1565.

Joannes-Baptista *Bencivenny,* consiliarius et eleemosynarius reginæ matris, occurrit abbas Bellæ Branchæ, annis 1566, 1567 et 1580, in apochis. Idem, die 16 Decembris 1583, in archivo cleri Gallicani; Alien. diœc. Cenom. Idem, variis in schedis, anno 1589.

Franciscus *de Donadieu* abbatia donatur a rege, 12 Februarii 1598. De quo plura inter episcopos Autissiodorenses; supra, t. XII, col. 342.

S. Catharina, prope Vallem Guidonis. XXX.

B Oratorium hoc in parochia *Grenoux* extruxit Hervisia de Credone S. Catharinæ sacrum, idque, anno 1224, abbatiæ B. Mariæ Regalis tradidit. Ibi, quinto decimo sæculo, conventus Augustinianus forsitan fuit; occurrit enim in chartulario Majoris Monasterii, 29 Junii 1496, *Franciscus, abbas monasterii B. Catharinæ prope Lavallem,* pacem faciens inter Majoretanos et Lupiniaci priorem. Anno insuper 1515, 4 Maii, idem abbas Franciscus, gentilitio nomine dictus *Lesné,* testis est initi pacti inter Jacobum *de la Roche* et Hildemarum *Ouffre,* Origneii prio-
C rem; ex eodem chartulario. Ad pristinum statum locus non multo post rediit, et canonicos reformatos Gallicanæ congregationis excepit, quorum claustralis prior erat, anno 1790, Petrus Arnulfus *Bartoleyns.*

ABBATIÆ SUPERSTITES (1).

Sunt illæ numero duo et viginti.

Ordinis S. Benedicti.

Virorum.

S. Carilefus, *S. Calais.*
S. Vincentius, *S. Vincent.*
Cultura, *la Couture.*
Aurionum, *Évron.*
Longiledus, *Lonlai.*
Vadum Alneti, *Gué de Launai.*
Pelicia, *La Pelice.*

Feminarum.

B. Julianus de Prato, *le Pré.*
Estivallum, *Étival.*
Mons Sorus, *Monsor.*

Ordinis S. Augustini.

Virorum.

S. Georgius, *S. Georges du Bois.*
Vadatium, *Vaas.*
Bellus Locus, *Beaulieu.*

Feminarum.

Petrina, *la Perrigne.*

(1) Usque ad annum 1790.

Ordinis Cisterciensis.

Virorum.

Persenia, *Perseigne.*
Tyronellus, *Tyronneau.*
Clarus Mons, *Clermont.*
Campania, *Champagne.*
Fons Danielis, *Fontaine-Daniel.*
D Spallum, *l'Epau.*

Feminarum.

Bonus Locus, *Bonlieu.*
Virginitas, *la Virginité.*

S. CARILEFUS.

Anisolæ juxta ripas extructum hoc monasterium Anisolense nuncupatur in veterum scriptis : deinde, sicut pia plebis memoria
E decrevit, ei conditoris nomen inditum. Sublesta quidem eorum fides qui fundatam domum opinantur Chlodovæo regnante : merum autem et immane confinxit mendacium, is qui, dum episcoporum Cenomanensium Gesta scriberet, horum utilitati nimium inserviens, Anisolensis abbatiæ S. Turibium auctorem dixit. Certius est Childebertum, Chlodovæi filium, anno regni sui quarto,

Christi 528, Carilefo cuidam peregrino monacho, ex Arverniæ partibus venienti, dedisse de prædio suo Madvallo locum quem veteres Casam Cajani dicebant, ubi cellam is ædificaret ab ipso et eremiticæ vitæ sociis incolendam. Innocens præsul Anisolæ dedicavit ecclesiam, pridie cal. Aprilis 530. Anno 576, Chilpericus Merovæum, in monasterium Anisolense detrusum, sacerdotalis officii vinculis capitis minorem adstringi jubet; ex Aimoino, Rer. Gallic. Script., t. III, p. 73. Idem legitur in vita S. Desiderii, ab anonymo scripta fere coævo; ibid., p. 484. S. Benedicti legem sequentes reperiuntur antiquiores Anisolensis cœnobii hospites. Nono sæculo ineunte, pro sua libertate, quam Cenomanenses episcopi dolis impetebant, decertaverunt. Hos primus Franco I lacescivit, antiquum jus prætendens, plusculasque chartulas exhibens ex archivo cathedralis ecclesiæ, ut aiebat, desumptas, quibus auctoritatem supremam in monachorum rem ad se spectare contendit. Vicit Franconis causa; post quem Aldricus eadem movit jurgia et sententiam in monachos novam obtinuit. Tunc autem dignitate sua dejecti, libertatem vero abdicare nescii, alio monachi abiere. Iterum, sub Aldrici successore Roberto, de eadem re tam Pistis, quam Vermeriæ litigatum. In his vero conciliis, postquam tanti dissidii copiosa attentius instrumenta congregati patres pertentassent, adulterinas dixere et improba manu exaratas quascumque Cenomanensis episcopus chartulas libertatem monachorum impugnans exhibuerat. Attamen, quasi judicum insimulatrix, Cenomanensis ecclesia falsarum hanc chartarum farraginem sedulo retinuit, quæ scilicet in Gestis Cenoman. Episcop. reperiuntur. Abbatiam S. Carilefi Normanni nono sæculo vastavere: eamdem Angli, anno 1424, et, anno 1562, Calvinistæ incendio dederunt. Intromissi, 4 Novembris 1659, monachi strictiorem S. Mauri normam observantes. Egregiis abbas S. Carilefi privilegiis gaudebat. Utpote decanus et archidiaconus in urbe S. Carilefi nomine nuncupata, ad forum suum omnes causas ante judicem ecclesiasticum solvendas trahebat. Præbenda præterea donatus in capitulo S. Juliani Cenomanensis, diœcesanæ synodi, episcopo absente, præses erat.

Ch. I, col. 99.

Carilefensis abbatiæ historiam, quam Sammarthani neglexerant, compendiose quidem scripsit domnus Alexander *Duval*, in Monastico Benedictino, t. VII. Plura vero de eadem domni *Briant* Cenomania suppeditat; unde Th. Calvinus abbatum seriem, quam publici juris fecit, paucis mutatis integram desumpsit.

Series abbatum.

I. S. Carilefus Anisolæ cœnobio primus præfuit. Ejus vitam plures scripsere, quos inter S. Siviardus. Consule Bollandum, 1 Julii, et Mabillonium, Act. SS. ord. S. Bened., sæc. I. S. Carilefum decessisse nonnulli memorant anno 540, quidam anno 542, aut etiam anno 545. Hæ vero diversæ temporum notæ ex eodem fonte, mera scilicet conjectura, hauriuntur, et eas æque refellere videtur præceptum Childeberti Daumero concessum.

II. Daumerus, vel germanus, vel, ut quidam opinantur, sodalis tantum S. Carilefi, anno Childeberti duodecimo, IV cal. Maii, a præfato rege præceptum obtinuit, quo Anisolensis monasterii jura sancita sunt. Annos Childeberti si computes a Clodomiri decessu, diploma supra laudatum annum 536 præbet. Quoniam autem obitum S. Carilefi Mabillonius anno 540 adscripserat, domnus *Bouquet* regii diplomatis notas emendavit et pro duodecimo Childeberti regnantis anno secundum et vicesimum reposuit. Quam sane correctionem admitteremus, si quid de ferali Carilefi die certum esset: hanc vero rejicimus nulla auctoritate fultam.

Ch. II, col. 101.

III. Gallus, socius et ipse S. Carilefi, post Daumerum reperitur. Huic anno 562, vel, ut quidam conjiciunt, 570, Chilpericus litteras misit quibus rata cœnobii jura. Ejusdem Galli diploma quoddam præbent Gesta Cenomanensium episcoporum, quod ab improba manu conditum non unius judicis sententia suppressit.

Ch. II, col. 102.

Post Gallum nonnulli desiderantur abbates.

IV. S. Sigiramnus, Addæ matrimonio junctus. Hunc quidam opinantur eumdem ac Sichrannum, cujus in testamento suo Bertichramnus meminit. Fictitiam insuper Sigiramni precariam ad Hadoinum præsulem Gesta præbent.

V. S. Siviardus, Sigiramni filius, apud Diablintes natus, a Theodorico rege, anno 673, edictum obtinuit quo cœnobii bona confirmata; Diplom., Chartæ, edit. nov., t. II, p. 161. Obiit, ut quidam aiunt, anno 681. Hunc autem Bollandistæ et domnus Rivetius usque ad annum 687 vixisse contendunt. Quos quidem arguere falsi non valemus. Mabillonium vero et Columbum certe deprehendimus cæcutientes, in eo quod ejus interitum anno 728 adscribere non dubitent. Manifestius id erit ex actis Ibboleni. S. Siviardum vetus laudavit scriptor, apud Surium Bollandumque, 1 Martii. Adverte quod ipse postremus dies Siviardi certitudine careat. Illius enim meminit 16 Junii, teste domno *Briant*, S. Carilefi martyrologium. Siviardo tribuitur Vita S. Carilefi, quam ediderunt, post Mabillonium, Bollandistæ, 1 Julii.

VI. Ibbolenus post Sigiramnum ponitur a domno Columbo, sed perperam. Siviardo sedenim non Sigiramno succedens, a Clodovæo III litteras accepit, cal. Septembris

692, quibus rata cœnobii bona; Diplom., Chartæ, edit. nov., t. II, p. 226. Similem a Dagoberto III confirmationem dein obtinuit, anno, ut videtur, 712; ibid., p. 290. Idem, anno 713, occurrit chartam edens qua S. Carilefi cœnobium, certo sub censu Cenomanensi præsuli persolvendo, tenere semet profitetur; ibid., p. 296. Hæc autem fictitia chartula comprobatur, et ejusdem falsarii manu confictum est Dagoberti III diploma Ibboleni chartam sanciens; ibid., p. 297.

Didonus abbas S. Carilefi legitur in Childerici III diplomate, ratas habentis immunitates ab avis suis cœnobio S. Carilefi jam antea concessas; ibid., p. 385. Spurium autem hoc diploma in fidem datum videtur alterius æque spurii, quod Ibboleno Dagobertus per ejusdem falsarii calamum tradiderat. Quocirca D. *de Bréquigny* Ibboleni nomen pro Didoni nomine legendum esse conjecit. Cui suffragamur. Nulla Didoni mentio in veteribus Anisolensium abbatum nomenclaturis.

VII. Sigobaldus a Pippino rege, 25 Aprilis 752, litteris donatur quibus observandus mos in abbatum electione describitur; apud Martenium, Ampliss. Collect., t. I, col. 26. Legitur et in Analectis fictitia Sigobaldi precaria.

VIII. Nectarius, 10 Junii 760, in præcepto Pippini regis; apud Martenium, Ampliss. Collect., t. I, col. 27.

IX. Rabigaudus innotescit, 19 Februarii 774, e Caroli Magni præcepto de commutatione locorum inter ipsum Rabigaudum et Meroldum, Cenomanensem præsulem; Ampliss. Collect., t. I, col. 35.

X. Ebroinus cœnobii jura strenue tuens memoratur anno 800, quo decessit.

XI. Franco, Cenomanensis præsul, auctoritate regia S. Carilefi beneficiarius abbas legitur a 17 Martii 801 ad annum 810. Præ cæteris consule domnum *Piolin*, Hist. Eccl. Cenom., t. II, p. 86.

XII. Adalgisus, Franconi seniori, Cenomanorum præsuli, cognationis fœdere junctus, Ludovicum recens imperatorem adivit, VIII cal. Septembris 814, et ab eo præceptum obtinuit quo sancitæ abbatiæ immunitates; Rer. Gallic. Script., t. VI, p. 460.

XIII. Alboinus, vel Albanus, pridie cal. Junii 825, ad Ludovicum imperatorem accedens, præcepto donatus est regio quo rata monachorum libertas; apud Rer. Gall. Script., t. VI, p. 545. Laudatur conventualis basilicæ restaurator.

XIV. Ragnemundus, anno 833, Aldrici, Senonensis archiepiscopi, chartæ subscripsit, qua monachi S. Remigii translati Vallilias: inter Instrum. tom. XII, col. 5.

XV. Sigemundus, vel Sigismundus, innotescit e Gestis S. Aldrici. Aldricus sedenim abbatiam S. Carilefi sibi vindicans, a Sigemundo repulsam passus est. Re vero ad imperatorem delata, prædictus abbas, Aquisgranum venire jussus, vadimonium deseruit. Ista movebantur Aprili mense 838. Mox, 7 Septembris, in eumdem Sigemundum, quem uti Lotharii partibus adhærentem Ludovicus aversabatur, Carisiaci congregatum concilium alteram sententiam edidit. Quamobrem ejectus ex abbatiali sede Sigemundus in exilium abiit. Cujus vestigiis monachorum major pars adhæsit. Incompertum habemus quomodo quandove Anisolam ille redierit et abbatiæ rursus præfecturam susceperit. Occurrit tamen anno 841, post Ludovici imperatoris decessum, veniens Bonam, juxta Ledum, et iterum coram Carolo rege, non vero felicius, pro libertate suorum verba ferens. Paulo post tamen, sententia regis mutata, recuperatis Sigemundus privilegiis gaudebat. Hæc Gesta fuse memorant.

XVI. Rainaldus, aut Reginaldus I, sedit XVI cal. Martii 846, vel 847, in concilio Parisiensi; *Mansi*, Concilia, t. XIV, col. 847. Idem institutionis suæ confirmationem a Carolo Calvo obtinuit, IX cal. Junii 850; Rer. Gall. Script., t. VIII, p. 510. Sedit, anno 855, in concilio Bonogilensi, ut testatur epistola congregatorum patrum synodalis; *Mansi*, t. XV, col. 26. Quod post concilium immunitates S. Carilefi, Rainaldo postulante, Carolus rex sancivit. Monachorum regimen dein Rainaldus abdicavit; post annum vero 856, nam Robertus præsul et Frodoinus, Curbionensis abbas, abbatis qui Rainaldo successit electioni, jussu regio, interfuerunt; Rer. Gallic. Script., t, VII, p. 297.

XVII. Ingelgarius, alias Engelarius, in concilio Pistensi causam obtinuit adversus Robertum præsulem, anno 862; *Mansi*, Concilia, t. XV, col. 634. Eumdem, anno 863, vicit in concilio Vermeriensi; Rer. Gallic. Script., t. VII, p. 297.

Nec multo post Normanni deveniunt et S. Carilefo sacras ædes deprædantur. Ab eo tempore obscura valde cœnobii historia. Post Ingelgarium domnus *Briant* conjectura ponit abbates tredecim, ætatis, ut ait, incertæ, quorum S. Carilefi necrologium meminit. Hi sunt: Ingelbaldus, Petrus, Lambertus, Constantinus, Garnerius, Gaudoinus, Hildebertus, Matthæus, Fredericus, Geoffridus, Auscherius, Martinus, Clemens. At domni *Briant* ea conjectura non satis valet; duorum enim abbatum quorum ætatem ignoravit, Petri scilicet et Auscherii, alias Alcherii, in nostra serie subter mentio fiet, et ex undecim reliquis plerosque, ni cœnobii tabulas Angli quinto decimo sæculo flammis dedissent, sub Petri et Auscherii tempora collocare fortassis licuisset. De Clemente adnotandum quod monachus Ebroniensis dicatur in Ebroniensi necrologio, III id. Junii.

XVIII. Genesius occurrit anno circiter 1015 in charta de Tuffiacensi cœnobio monachis Benedictinis adscripto. Ch. XI, col. 131.

XIX. Adelhelmus abbas S. Carilefi legitur in vita Gauzlini, Floriacensis abbatis, quam D. L. *Delisle* nuper edidit. Hæc sunt narratoris verba de Gauzlino : « Ipsum quoque ecclesiæ (Floriacensis) meridianum introitum « condolens latericium, post ignis incendium « reliquit marmoreum, reverendi abbatis « Adaelelmi monasterii S. Carilefi industria « compactum. » Latericiumne vel marmoreum Adelhelmus introitum compegit? Quid senserit scriptor dubitamus. Si vero post incendium Floriaci resarciendo claustro exornandoque manus admovit Adelhelmus, abbas erat S. Carilefi anno 1027, et plane distinguendus est ab altero ejusdem olim nominis S. Carilefi monacho, qui Sagiensem cathedram conscendit anno 876.

XX. Fulco, ecclesiæ qui turrim condidit, anno 1037 a domno *Briant* collocatur. Hujus anniversarium Carilefenses celebrabant VII cal. Decembris; e cod. *de Gaignières* 247. Alter etiam Fulco, cujus tempus ignoratur, in Carilefensi necrologio reperitur XVI cal. Januarii; e cod. *de Gaignières* 246.

XXI. Ebrardus I adfuit, anno 1040, dedicationi Vindocinensis ecclesiæ.

XXII. Petrus I, anno 1047, subscripsit litteris quibus Hucbertus de Villa Tetboldi semet uxoremque suam, ac bona sua monachis Vindocinensibus tradidit. Hucbertum hunc, velut excussi servitii reum, sibi mox vindicans Odo Dublellus, cum monachis tamen pepigit, et initæ pacis Petrus ipse testis fuit; e chartul. Vindocinensi.

XXIII. Herbertus subscripsit, anno 1050, chartæ Widonis Alversum S. Petro tradentis. Reperitur IV cal. Novembris, in martyrologio Culturensi.

Avesgaudus sub idem tempus tam a domno *Briant* quam a Th. Calvino ponitur, sed mendose; erat enim is Avesgaudus abbas S. Vincentii. Memoratur et tunc temporis Guillelmus, ex abbate S. Carilefi factus episcopus Dunelmensis in Anglia; de quo Guillelmus Malmesbur., de Gest. Pont. Angl., lib. 3. Is autem Guillelmus abbas Vincentianos quoque rexit, non Carilefenses.

XXIV. Goscelinus interest, anno 1080, dedicationi basilicæ S. Dionysii de Novigento.

XXV. Hugo I, temporibus Hoelli præsulis et Natalis, S. Nicolai abbatis, annos scilicet inter 1085 et 1096, subscripsit Hoelli prædicti litteris pro monachis S. Nicolai; ex Epitome fundat. S. Nicol., p. 82.

XXVI. Ebrardus II a Guiberto de Novigento vocatur « vir inter primores Franciæ undecumque famosus. » Eumdem asserit fuisse comitem Bretoliensem, et vice-comitem Carnotensem. Vitam primo sectatus delicatissimam, ad asperrimam dein confugit. Postquam enim gentilitium exuisset decus, et bona quæcumque sua tum inter fratres, tum inter Deo sacras ædes partitus esset, in nemus

A quoddam secessit, ubi, lignis totam impendens operam in fornacem mittendis, carbonarius sponte factus est. Inde Majus Monasterium se contulit, claustrum appetens : quem Bartholomæus abbas excepit. Ebrardi sub hoc tempus Majoris Monasterii tabulæ meminere. Hunc postea S. Carilefi monachi sibi præficiendum acciverunt. Nec tamen ejus electioni consenserunt omnes; quam inter cæteros Yvo, Carnotensis episcopus, cassam efficere studuit, leviorem indole dicens Ebraldum et in propositis stare nescientem. Yvonis epistolam ad Geoffridum, Cenomanensem
B decanum, consule. Sedit Ebraldus, anno 1096, in curia Hoelli episcopi, ubi testis fuit sedatæ litis inter canonicos S. Juliani sanctique Vincentii monachos super ecclesia Laboratorii. Eodem anno, Natali die, Turonibus præsens memoratur Hildeberti consecrationi, ut e chartulario Pruliacensi domnus *Briant* tradidit. Idem, pridie idus Martii 1099, secundum recentem computum, adfuit Andegavi judicio quo diremptum dissidium inter S. Albini et S. Nicolai monachos de silva juxta Prunarias. Ebrardi vitam descripsit Guibertus de Novigento, quam inter ejus
C Opera reperies a Luca *d'Achery* edita.

XXVII. Gosbertus abbas innotescit, anno circiter 1106, e charta qua Guillelmus, Vincentianus abbas, pactus est cum Hugone de Lupi Saltu super jure quodam in ecclesia Soldiacensi. Obiit V id. Julii, e martyrologio S. Petri de Cultura.

XXVIII. R..., forsitan Robertus, occurrit annos inter 1142 et 1144, in charta Drogonis Malæ Muscæ paciscentis cum Culturensibus super ecclesia S. Medardi de Brueria.

XXIX. Gualterius legitur anno 1148 in chartula Claromontana, teste domno *Briant*.

D XXX. Hugo II transigit, anno 1158, cum Hildearde, S. Aviti Castrodunensis abbatissa; supra, t. VIII, col. 1293.

XXXI. Alcherius, nonis Aprilis 1186, testis est, Exaquii, Guillelmi, Constantiensis episcopi, Savigneio ecclesiam Montis Martini confirmantis; e Max. Gallorum Archivo, L, 1146[e]. Subscripsit idem, anno 1194, Hamelini præsulis chartulæ, qua Perseniæ monachis firmius adscripta terra eisdem a Roberto tradita; e Perseniæ chartulario.

XXXII. Reginaldus II occurrit, VII cal. Martii 1203, secundum recentiorem calcu-
E lum, in charta qua Geoffridus, Castrodunensis comes, possessiones Curtis Mennonis confirmat; e Vindocinensibus tabulis, in cod. Sangerm. 1069, fol. 312. Idem, anno 1208, in sententia Guillelmi de Rupibus, senescalli, de quodam jurgio inter monachos S. Vincentii et Philippum de Dulceola; e chartul. S. Vincentii. Ex eodem, anno tamen incerto, litem denuntiat sopitam inter Vincentianos et Guillelmum *Labbé*. Anno 1218, societatem precum contrahit cum Guillelmo, S. Vin-

centii abbate. Anno tandem 1226, Baluzio teste (1), reperitur in ecclesiæ Carnotensis chartulario.

XXXIII. Guillelmus perperam a domno *Briant* anno 1219 ponitur. Annum forsitan lege 1229.

Hic plures desunt abbates, quorum memoriam deleverunt Angli, abbatiæ chartulas in ignem mittentes.

XXXIV. Philippus I *du Bois* reperitur anno 1340. Obiit pridie Assumptionis B. Mariæ 1354; ex obituario S. Carilefi.

XXXV. Philippus II de Putronio, gallice, ut aiunt, *de Pontron*, occurrit anno 1365.

XXXVI. Michael I, anno 1370. Decessit anno 1372.

XXXVII. Nicolaus I, e priore Mellereii, in diœcesi Carnotensi, bullis a Gregorio papa XI donatur, post Michaelis obitum, II id. Januarii 1373; e Suaresio.

XXXVIII. Joannes I *Tibergeau* munus adit anno 1390. Reditus abbatiæ scripto mandari curavit. Obiit anno 1415.

XXXIX. Petrus II *Thomin*, anno 1442; e domno *Briant*.

XL. Joannes II *Gareau*, Vindocini præsens memoratur, anno circiter 1442, cum aperta fuit capsa in qua S. Eutropii ossa jacebant. Occurrit idem, 3 Junii 1449, fidei quamdam professionem accipiens.

XLI. Joannes III *de Cormeray*, annis 1451, 1460, 1463.

XLII. Christophorus *de Cormeray*, annis 1466, 1469. Fidei professionem accepit 29 Octobris 1470.

XLIII. Joannes IV *Millotte*, alias *Millette*, aut *Milesse*, 1472. Obiit 1480. Anno 1473, ante senatum Parisiensem litigabat cum abbate Vindocinensi, et in ea causa vincebat.

XLIV. Joannes V *de Ronsard*, idem et prior Tuffiaci commendatarius, sedulus laudatur abbatiæ restaurator. Subscripsit, anno 1508, consuetudinibus Cenomanensis agri reformatis. Obiit 25 Augusti, sive, ut quidam aiunt, 25 Septembris 1515. Hujus mendose vitam *Briant* ducit usque ad annum 1517.

XLV. Antonius *de Crevant*, abbas idem Ferrariarum et Bosci Alberici, S. Carilefo monachorum votis præfectus est 8 Octobris 1515. Quo petiit anno, coram senatu Parisiensi, suam ut Philippus cardinalis electionem vicariis non suspectis investigandam traderet.

XLVI. Hugo III *de Chandieu*, alias *de Champdiou*, reperitur anno 1518. Is postquam munus adierat, fratres sibi præfecerunt Catharinum *de Chahanay*, Perseniæ abbatem. Suprema vero curia Hugo confirmatus est.

(1) Consule notas ipsius Baluzii manu exaratas super exemplar Galliæ Christianæ veteris, in Max. Paris. Biblioth., L., 16.

A XLVII. Marinus *de Broc* præerat anno 1530. Ultimus fuit regularium.

XLVIII. Nicolaus II *Raince*, abbatiam obtinuit anno 1533. Abdicavit in gratiam sequentis, et ipse mox Romam abiit, legatione civili fungens.

XLIX. Nicolaus III *Thibault*, alterius Nicolai filius, supremi regiarum causarum cognitoris, se fidum regi profitetur 13 Februarii 1549. Procuratorem suum constituit, 11 Martii 1554 Petrum *Soulas*, rectorem S. Petri de Oratorio; ex Insinuat. Cenom. eccl. regestis, reg. 2. Idem, ex eisdem, 19 Decembris 1554,
B capellam S. Yvonis confert. Obiit 8 Februarii 1568, ætatis 43, et sepultus est Parisiis in ecclesia S. Benedicti.

L. Julianus *Grassin* possessionem adit anno 1568. Occurrit idem anno 1580.

LI. Franciscus *Rabeau* munere potitur anno 1588. Sub Juliano et sub Francisco, nomine, non re, abbatibus, abbatiæ fructus excepit Æmilius *de Caurienne*, Novæ Villæ apud Aurelianos toparcha, cujus filio rex S. Carilefum destinaverat.

LII. Samuel *de Caurienne* ex abbatiæ professo creatur abbas anno 1599. Abbatialem
C domum ecclesiamque refecit et adornavit. Obiit anno 1614.

LIII. Ægidius *de Souvré*, filius alterius Ægidii, marescalli Franciæ, thesaurarius S. Capellæ Parisiensis, S. Florentii jam abbas, S. Carilefo præfuit a Junio mense 1615. Episcopus idem fuit Convenensis et postea Autissiodorensis. Obiit 19 Septembris 1631.

LIV. Carolus I *de Souvré*, anno 1632.

LV. Honoratus *Barentin*, anno 1646. Mox abdicavit, creatus in supremo regis consilio primus præses.

LVI. Michael II *Amelot de Gournay*, regi
D a consiliis, ab anno 1648. Intromisit in abbatiam Michael monachos secundum normam S. Mauri reformatos. Anno vero 1671, Vaurensis creatus episcopus, S. Carilefi præfecturam abdicavit. Abbas idem Vadi Alneti et Ebronii. Archiepiscopus postmodum fuit Turonensis.

LVII. Carolus II *de Lionne de Lesseins*, ab anno 1671. Obiit 16 Septembris 1701.

LVIII. Carolus III Franciscus *des Montiers de Mérinville* creatur abbas 1 Novembris 1701. Qui postquam anno 1709 Carnotensem cathedram, et idem sub tempus Igniacensem
E abbatiam obtinuisset, commendam S. Carilefi restituit. De eodem plura, t. VIII, col. 1196.

LIX. Joannes-Baptista *Clément*, regii chirurgi filius, morte damnatur anno 1723, utpote qui, dum expediendis Indicæ consociationis rationibus manum adhiberet, prævaricationem patraverat.

LX. Nicolaus IV *de Vichy de Chamron*, supremus Rotomagensis ecclesiæ vicarius, nominatur anno 1723.

LXI. Ludovicus Joachimus Gratianus *Millet d'Arvillars*, Gratianopolitanus clericus, nominatur 10 Augusti 1783. Is fuit abbatum ultimus.

S. VINCENTIUS.

Civitati Cenomanicæ supereminens S. Vincentii cœnobium, ad occidentem Sartam fluvium despicit montis ima lambentem, ad orientem pingues ombrososque saltus. Extra vetustiores muros locus est, jam multis ab annis urbi continuus. Hocce Domnolus, dicatum SS. Vincentio Laurentioque monasterium, constitui curavit, auctor ipse operis, multos vero nactus pii laboris adjutores inter præcipuos pagi viros. Absolutum ædificium consecrantis Domnoli socius fuit, inter Parisienses episcopos clarissimus, Germanus, Cenomanensi perquam familiaris. Hæc anno 572 peracta, calendis Novembris. Jam Domnolus, eodem anno, Chilperici quinto, pridie nonas Martii, villas satis amplas et mancipia nonnulla exsurgenti monasterio tradiderat. Cujus ordinis ascetæ tunc ibi constituti fuerint non plane notum. Ab annis jam triginta Maurus occiduos in Galliæ tractus venerat, S. Benedicti regulam secum ferens, discipulusque beati patris discipulos sibi protinus conciliaverat quam plurimos. Vetustiorem ergo S. Vincentii legem, suffragante Mabillonio, si non S. Benedicti præceptis omnibus, plerisque tamen concordem opinamur. Aliis præterea suum et præ cæteris dilectum cœnobium prædiis auxit Domnolus, anno 581, testibus Audovæo et Theodulfo episcopis. Anno 607 adscribamus insignem chartam Bethtæ cujusdam, Deo sacratæ, de divisione honorum quæ S. Vincentio dederat. Legimus enim in hujusce chartæ subscriptione, quod data fuit undecimo Theodorici regnantis anno, Octobris duodecima die. Cum vero Patuinus præpositus S. Vincentii ibidem nominetur, hunc autumantes Paduinum, S. Vincentii revera monachum, quem Domnolus xenodochio B. Mariæ præfecit, Mabillonius et nuperrime *de Bréquigny* Bethtæ sæpius laudatas litteras ad annum 572, Childeberti undecimum, retroduxerunt. Pace vero doctissimorum virorum dicemus in his agi de basilica S. Vincentii jam diu fundata, bonisque jam plurimis ditata; illam vero, anno 572, mense Octobri, nondum a S. Domnolo fuisse consecratam. Reputetur ergo Bethtæ charta, prout se fert in gestis Aldrici, undecimo Theodorici regnantis anno, alterius Patuini, sive Paduini, tempore data. Inter primos S. Vincentii benefactores præterea recensendus Hadoinus episcopus, Pratellum villam, anno 642, largiens. Expulsos inde monachos referunt episcoporum Gesta Cenomanensium a Rotgario comite, Chariviоque filio, annum circa 730.

Ch. VII, col. 122.

Nec multo post cœnobii restauratio quædam fuit inchoata: anno sedenim 796 recensetur cellula S. Vincentii in præcepto Caroli Magni de rebus ecclesiæ Cenomanensis. Anno 832, Ludovicus imperator sibi cœnobium S. Vincentii vindicare primum aggressus, restituit, audita causa, indebite petitum. Iterum subversa tunc bellorum turbine civilium res Vincentianæ familiæ, prædia neglecta, domus ipsa, nullo resarcinante, fatiscens, rarique errantes per minantia delubra monachi. Aldricus ædes a novo quasi construxit, basilicæ ipsius collabentis tegmen reparavit, et aliunde monachorum catervam adduxit, ut in ejus Gestis legimus. Mox, irruentibus Normannis, altera clades. Vastatæ Robertus pro viribus succurrit abbatiæ, et a Carolo rege, anno 873, præceptum obtinuit quo plura S. Vincentio tradita rursus altaria. Ex hujusce confirmationis instrumento, in quo de clericis, sive de canonicis, habetur sermo, non de monachis, conjecit domnus *Briant* canonicos a Roberto in ædibus S. Vincentii positos. Cui subscribendum conjecturæ, nisi tamen hic agatur de canonicis ecclesiæ matris, ad quos, exulantibus monachis, locus forsitan devenerat. Sigenfredus, elapso plusquam uno sæculo, episcopus nomine, re prædo, Vincentianas ædes invadens, solo tenus æquavit claustralem domum, basilicamque ad id redegit ut, deperditis bonis, ab uno coleretur sacerdote. Quam, anno 1000, opere novo resurgentem consecrat Avesgaudus. Reduces proinde monachos immunitatibus prædiisque Gervasius ditat. Anno 1075, suburbium Vincentianum incendio nocturno concrematum, facinoris duce Geoffrido de Meduana, monasteriumque iisdem flammis exhaustum. Possessiones S. Vincentii recensebant et confirmabant Eugenius papa III, IV id. Aprilis 1153, et Innocentius III, anno 1202. Anno circiter 1478, postquam abbatiæ commendam suscepisset Philippus *de Luxembourg*, eam tot auxit beneficiis ut de novo condidisse dicatur. Erga commendatarios parci laudum monachi, quos monasticæ rei sæpius infidos quam sedulos curatores experti sunt: Philippum vero vel qui maxime laudavit non ei meritis majores gratias retulit. Ejus industria, anno 1502, in abbatiam inducta congregatio reformata Casalis Benedicti, abbatesque dati triennales, electione frequenter iterata triennium in alterum confirmati. Denique monasterium congregationi S. Mauri aggregatum est die 7 Julii 1636. Rediit tandem abbatia in commendatariorum manus, 17 Decembris 1763.

Vincentianorum abbatum seriem jam, præter Thomam Calvinum, plures condidere. Exstat hujusce monasterii historia, a domno Colombo, gallice conscripta, quæ in armario amicissimi viri Radulfi *de Montesson*

asservatur. Compendiosam præterea consuluimus ejusdem monasterii historiam in Sangerman. cod. 583². Plura vero suppeditavit S. Vincentii chartularium, inter codices olim Regios, sub num. 5445. Nec spernenda eorumdem abbatum series, quam domni Anselmi *Lemichel* schedæ præbent, in cod. Sangerm. 1069.

SERIES ABBATUM.

I. Leusius, sive Leusus, primus abbas innotescit, anno 581, in testamento S. Domnoli villam *Canon* S. Vincentio largientis. S. Bertichramnus eumdem, anno 615, fratrem suum vocat, ab eo memorans se Brugilum
Ch. vi, col. 109. oppidum emisse.

II. Firminus, e veteribus nomenclatoribus, obiit anno 632.

III. Richardus, ex iisdem, obiit ann. 658.

IV. Goscelinus, anno 689.

V. Rollandus, anno 711.

VI. Reginaldus I, anno 715.

VII. Chirmirus dicitur in Gestis Herlemundi episcopi non tantum abbas S. Vincentii, sed etiam prædicti præsulis archidiaconus, et ab eo *vice-dominus* per totum episcopatum constitutus; in Anal., t. III, p. 212.

Hic desinit prima series abbatum S. Vincentii. Ab uno jam sæculo deprædationem ante Normannicam exciderat cœnobii decus. Quos autem habuerit abbates post Aldrici restaurationem ad Normannorum tempora, nos fugit. Ut tamen lapsas ædes novo saxo stabilivit Avesgaudus, Cenomanensis episcopus, occurrit recentiorum primus abbatum.

VIII. Fredericus, qui emisse legitur censum in parochia S. Martialis, probante Gervasio episcopo. E Cenomanensis ecclesiæ necrologio : « VIII idus Septembris, obiit « Fredericus, abbas S. Vincentii. »

IX. Avesgaudus, monachus antea Culturensis, restauratæ primus præfuit abbatiæ. Hunc e Bellismensi gente deductum quidam opinantur : eumdem autem suum dicit consanguineum Gervasius, Remensis archiepiscopus, memorans quæ S. Vincentio bona contulerat, dum Cenomanensem ipse cathedram teneret. Chartularium S. Vincentii consule, p. 35. Gualterius abbas S. Albini, cum, anno 1037, Rainaldo traderet quartam partem villæ Basilicæ, nostrum testem habuit Avesgaudum; e schedis Baluz., arm. 2, fasc. 1, n° 1, t. 2. Gervasio episcopo probante, emit Avesgaudus Malveriam terram, Fontanamque. Eidem præterea Gervasius contulit ecclesias Sarciaci, necnon Colongiaci, præbendam unam in ecclesia S. Juliani, decimasque plurimas. Annuit tandem Gervasius Gauscelino Normanno, qui terram juxta Colonias novis hospitibus S. Vincentii largitus est. Sedebat Avesgaudus, ante an-

A num 1055, cum Andegavensi præsule Eusebio, et Wulgrino, S. Sergii abbate, judex litis inter Vindocinenses et Albinianos monachos de S. Clemente Credonensi; Rer. Gallic. Script. t. XIV, p. 83. Plura reperies, si lubet, in chartulario S. Vincentii, quæ firmavit Yvo, Sagiensis episcopus, a diversis Avesgaudo condonata; nempe S. Langisum a Rotroco, comite Mauritaniæ, terram Waltherii Magnipedis ab Hervæo de Braviardo, et Fossas juxta Curiam Laboris a Berlaio : ipse dedit Yvo Curiæ Laboris ecclesiam, annum circa 1050, si Martenium sequaris, in
B Ampliss. Collect., t. I, col. 420; Avesgaudo tandem annuit ecclesias ementi Sagonenses a Geoffrido, filio Goscelini. Interfuit Avesgaudus, anno 1059, coronationi Philippi regis, in Conciliis Dom. *Mansi*, t. XIX, col. 924, et, anno 1064, exsequiis Wulgrini præsulis. Hujus exstat non levioris epistola momenti ad Anselmum, Beccensem tunc temporis monachum, quam Baluzius edidit, Miscell., t. IV, p. 477. Ejusdem meminit obituarium S. Vincentii, V cal. Aprilis.

X. Ascelinus, Arnaldi episcopantis tempore, noscitur e charta qua Guillelmus,
C cognomine dictus Osoenus, Hierosolymam proficiscens, terram tradit quamdam S. Vincentio, ecclesiæ S. Pavacii contiguam; e chartulario, p. 15. Quem conjicere licet non alium ab Ascelino abbate, cujus meminit martyrologium Cultur., IV nonas Februarii.

XI. Hoellus, ejusdem Arnaldi tempore, vel ante vel post Ascelinum, legitur plura accipiens a Roberto clerico societatem orationum deposcente; e chartul., p. 19. Thomam Calvinum Ascelinus et Hoellus fugere : hos vero jam e veteribus eruerat monumentis domnus *Poirier*, et in Vincentianorum quo-
D rumdam abbatum serie posuerat, quam servant hujusce doctissimi viri insignes schedæ apud Maximam Parisiorum Bibliothecam. Hoelli, vel Joelli, S. Vincentii abbatis, meminit necrologium S. Petri de Cultura, VI idus Octobris.

XII. Reginaldus II primum occurrit, anno, ut videtur, 1070, ab Hamelino de Langiaco Tuffiacense monasterium accipiens in cel- Ch. vii, col. 131.
lam conversum. Ei præterea, pridie nonas Martii 1071, Romam proficiscens Arnaldus episcopus Vincentianis a Gervasio antecessore data confirmavit; e S. Vincentii char-
E tul. Annis incertis, Arnaldo tamen episcopante, ab eo, quem amicissimum ut videtur, habuit, accepit prædium Widonis *Ecorche-Villain;* ab Hugone, prædicti præsulis camerario, et eo suadente, domum vineamque; a Geoffrido de Meduana, S. Vincentium de Laboratorio; a Roberto de Sordone, mediante pecunia, partem ecclesiæ Curtis Cismundi. Arnaldum insuper adiit querens de Arinburga, filia Garingodi, quæ vineam a patre datam sibi vindicabat, et, ex ejus

sententia, causam obtinuit. Occurrit insuper Reginaldus, anno forte 1076, indictionis sedenim quatuordecimo, ab Hugone de Feritate Bernardi confirmationem impetrans cellæ Tuffiacensis; e Marten. Ampliss. Coll., t. I, col 491. Abdicavisse videtur : hoc est enim procemium schedulæ, qua, filius Gradulfi de Baladone, Waltherius dimisit terram Duorum Amantium : « Eo anno quo « Reginaldus abbas abbatiam S. Vincen« tii, multis existentibus causis, dereli« quit, etc., etc. »; e chartul. S. Vincentii.

XIII. Hugo memoratur in instrumento, quo datam monachis a Gervasio præsule ecclesiam S. Cornelii confirmat Herbertus de Wirchia. Hujusce confirmationis chartam, erronea delusus conjectura, Martenius anno circiter 1055 adscripsit; quem sequentia plane refellunt. Mainardus enim Tuffiacensis Arnaldum episcopum et Reginaldum, Vincentianorum abbatem, postquam plurimis impetiisset molestiis, ablata bona tandem restituit et prave gestorum veniam obtinuit. *Longo* vero *tempore postea*, sicut ait chartæ scriptor, ad suam calumniam redeunte Mainardo, hunc Hugo compulit ad forum episcopantis Arnaldi, et, orata rursus causa, vicit; e chart. S. Vincentii, p. 87. Unde colligitur Hugonem Reginaldo suffectum fuisse, non Hugoni Reginaldum. Tempus Hugonis præterea satis aperte declarat Arnaldi nomen litem dirimentis. Adde quod inter testes occurrat Hoellus, decanus S. Juliani, annum qui circa 1070 decaniam assecutus est. Hugonis nomen exhibet alter chartularii locus. Decima quadam Pusolii Vincentiani fruebantur. Quam cum sibi famulus, cognomine Pertusus, asseruisset, in curiam Rogerii de Monte Gulmerico ventum est, jussumque, sicut aiebant, portari judicium. Vadimonium vero Pertusus deseruit, Hugonique adscripta est decima.

XIV. Guillelmus I, patria Baiocensis, monachus S. Carilefi, ex hujus abbatiæ priore S. Vincentii fit abbas anno incerto. Is cum Arnaldo episcopo terras Coloniis sitas partitus legitur; e S. Vincentii chartulario sæpe laudato. Dunelmensi sede 9 Novembris 1080 vacante, in eam Guillelmus rex abbatem S. Vincentii transtulit. Nonnulli Guillelmum ante Reginaldum Hugonemve catalogi ponunt, sed infelici conjectura. Guillelmus præterea Malmesburiensis eumdem S. Carilefi nuncupavit abbatem. Hujus autem error satis patet ex ipso S. Vincentii chartulario.

XV. Ramnulfus, sive Ranuulfus, Arnaldi episcopi tempore Albericum audiit, Miletiæ toparcham, jura dimittentem quæ sibi Sarceii asseruerat; e chartul. Adfuit, anno 1080, exsequiis Arnaldi. Laudatur, in eodem chartulario, strenue litigans adversus Hamelinum de Altanosia, ecclesiam *Basogers* Vin-

A centianis adimere conantem. Jurgium hoc coram Hoello sopitum; qui decem libras ex ærario S. Vincentii tradidit Hamelino, et ejus uxori varium equum, decem librarum pretio comparatum. Causam insuper Ramnulfus oravit adversus Guillelmum Rotarium, virgultum Coloniarum sibi vindicantem : quam litem diluit Hoellus in *novo choro* S. Juliani; e chartul. Vincent. Eodem Hoello præsulante, Grafarderiam terram, jamdudum a nullo vomere sulcatam, accepit. Memoratur sub idem tempus paciscens cum Roberto Burgundione, de S. Germani Noviomensis ecB clesia. Cenomanum cum devenisset Hugo Longobardus, sibique obstantem Hoellum egisset in exilium, easdem Ramnulfus passus est ærumnas, Hoello datus exilii comes. Quod testatur charta de sedata lite inter Ramnulfum reducem et Herbertum de Wirchia. Annum 1091 exhibet, discordante vero tum epactarum tum concurrentium mentione, charta Witerni de Juliaco ecclesiam S. Paduini et cœmeterium Aciaci Ramnulfo largientis; in chartul. sæpe laudato. Anno 1095, indict. III, epact. XII, concurr. VII, Radulfus vice-comes, eodem anno quo sororem acceC perat Widonis de Valle, Ramnulfo confirmavit quæ pater ejus S. Vincentio dederat. Occurrit 25 Julii 1096, subscribens pacto inter canonicos S. Juliani Cenomanensis et monachos S. Juliani Turonensis de Valle Boana; ex Albo Libro capit. Cenoman. Nullus forsitan inter abbates S. Vincentii plura quam Ramnulfus accepit. Quædam jam retulimus; multa vero, brevitatem insectantes, prætermisimus. Non autem silendum de Willelmi Braitellensis munificentia. Filius is Geoffridi vice-comitis, anno 1086, villam Domnolium integram Ramnulfo tradidit; D Ampliss. Collect., t. I, col. 561. Eidem, sub idem tempus, condonavit Wido de Sarceio quidquid Sarceii tenebat. Prolixius memoremus ecclesiæ Pilimiliensis donum. Hugo de Malicornia Sangali de Tilo fratrem interfecerat. Quamobrem, Natali die 1096, Radulfum archipræsulem, Hildebertumque Cenomanensi hoc in ipso die præfectum ecclesiæ, suppliciter adiit, veniam deposcens fusique cruoris oblivionem. Inter Sangalum Hugonemque inita pax, ea sub conditione, ut Pilimiliensem ecclesiam Hugo S. Vincentio daret. Mox uxor Hugonis jacuit morti proxima : E ad quam pergens Ramnulfus, ut extremum exhalanti spiritum christianæ religionis obsequium exhiberet, Hugo, præter supra memoratam ecclesiam, quidquid Pilimilii possidebat S. Vincentio contulit; apud Martenium, Ampliss. Collect., t. I, col. 566, ad annum 1097, sed erronea conjectura, ut in Cenomanensibus episcopis demonstravimus. Confirmatam obtinuit Ramnulfus, anno 1097, ecclesiam S. Mariæ de Villena. Deinde coram Hildeberto partem quamdam nemoris, Alian-

driæ vicini, emit a Normanno Ribola. Testis A fuit Hildebertus ejusdem Ramnulfi paciscentis cum canonicis S. Juliani de decima Montis Rainaldi, de vineis Rainaldi cantoris, necnon de pluribus aliis locis. Annum 1100 præbet charta qua Ramnulfo condonat Avesgandus, Fulcaudi filius, primitias, decimas et alia plura in ecclesia B. Mariæ de Conedriaco : eumdem Odonis schedula Malicornensis, quem Asinarium dicebant, filium suum Widonem, in cunabulis adhuc jacentem, Deo tradentis et S. Vincentio; cujus doni testis Ramnulfus reperitur in chartul. S. Vincentii. Admonente præterea Hilde- B berto, Parvus de Rupibus Ramnulfo restituit ab ipso occupatam ecclesiam B. Mariæ de Villena. Obiit vi nonas Maii, e martyrologio S. Michaelis, inter Quercetanas schedas, t. XXII.

XVI. Guillelmus II, e Majoretano monacho Vincentianus abbas, Hildeberti tempore, anno, secundum Martenium 1106, non segniter insecutus est Hugonem de Lupi Saltu qui jura monachorum in ecclesia Soldiacensi læserat. Excommunicatione tandem perculsus Hugo dimisit ablata; ex Ampliss. Collect. t. I, col. 611. Idem legitur cum Hildeberto C iter agens, et cum eo Wiscelinum de Vallibus senescentem adiens, qui S. Vincentio, pristinæ memor donationis, ecclesiam tradidit S. Mariæ de Curte Dominica; e chart. S. Vincent. Pergebat, anno 1109, cum Hildeberto episcopo, ad Waldinum de Malicorna, et eum compellebat ad dimittendam consuetudinem quam sibi vindicaverat ad monachos Majoris Monasterii spectantem; e chartul. Maj. Monast. Eodem anno, coram Hildeberto vineam accepit ab Engelbaudo, canonico S. Juliani; e chartul. S. Vincentii. Occurrit tandem, anno 1112, in charta Ra- D dulfi vice-comitis, tres ecclesias juxta Fraterniacum restituentis S. Albino; e schedis *Housseau*, t. IV.

Radulfus abbas ann. circa 1109 a Th. Calvino ponitur, sed perperam, sicut apparet. Istius Radulfi nulla mentio sive in codice Regio 5445, sive in Sangerm. 1069.

XVII. Guillelmus III de Boeria, antea prior S. Vincentii, ut compertum habemus e charta qua memoratur absolutus Hugo de Lupi Saltu, salutatus est abbas anno incerto. Ab Hildeberto dicitur « vir consummatæ religionis. » Vixit Guillelmus etiam Guidone epi- E scopo. Ejus enim per manus jam electi, nundum vero confirmati, Guillelmo tradidit Guarinus de S. Floscello pratum Gellardi; e Vincent. chart. Sententiam ab eodem Guidone latam præterea confirmans, Girardus Engolismensis, Romanæ sedis legatus, Guillelmum monialesque Charneiacenses conciliavit litigantes de decimis Juliaci et Piaciaci; ex archiv. Cenom. Stetit Guillelmus, vi idus Novembris 1129, coram episcopo Guidone, litigans cum Gemmeticensibus monachis super ecclesiis Sagonæ ac Curtis Gazeni; Ampliss. Coll., t. I, col. 695. Ad eumdem Hildebertus, Turonensis archipræsul, ea de re præclaram scripsit epistolam, Vincentianorum parti favens; inter ejus Opera, col. 185.

XVIII. Girardus, anno circiter 1130. Obiit circa 1136. Eo abbate, 3 Septembris 1134, igne cœlitus, ut opinantur, immisso, urbs Cenomanensis tota incendio vastatur. Monasterio tamen S. Vincentii vastatrices flammæ pepercerunt, in quo ad 28 Octobris reliquiæ S. Juliani depositæ jacuerunt.

XIX. Odo, cui dedit, idibus Maii 1140, Guillelmus Patricius locum juxta Landam ecclesiæ congruum ædificandæ, molendinorum decimam suorum, necnon alia jura; e chartul. Vincentiano. Testis dein occurrit, ann. circiter 1141, in Hugonis episcopi charta de parte ecclesiæ Conedriacensis monachis S. Vincentii tradita; ex Albo Libro capit. Guillelmo deinde episcopante, Turonibus subscripsit chartæ Drogonis Malæ Muscæ paciscentis cum Culturensibus super ecclesia S. Medardi de Brueria. Ejusdem Guillelmi temporibus Lauciaci decimam accepit.

XX. G..., quem Columbus Guidonem nuncupat, subscripsit, anno 1145, chartæ Guil- Ch. VIII, lelmi comitis condentis abbatiam B. Mariæ col. 135. de Persenia.

XXI. Robertus I, dictus *de Guirremé*, alias *de Guerveine*, melius forte *de Guerreine*, prior antea Vincentianus, occurrit abbas nuperrime salutatus, nonis Aprilis 1148, in sententia Guillelmi Joannisque, cardinalium, quibus dirempta lis inter Vincentianos et Gemmeticenses monachos super S. Petro de Curte Gazeni et S. Hilario de Sagona. Idem, anno 1151, in sententia Guillelmi præsulis super ecclesia Bruslonis, et, anno 1153, in Eugenii papæ III litteris quibus confirmata abbatiæ bona. Ad eum contulit, eodem anno, Guillelmus episcopus totam decimam silvæ *Tyron*. Memoratur, anno 1160, contendens super ecclesia S. Petri de Gasto cum monachis B. Mariæ de Aleis; ut meminit Anselmus *Lemichel*, e tabulis S. Martini Sagiensis, in Sangerm. cod., 1067. Roberto dein Guillelmus tradidit, vi. cal. Junii 1161, ecclesiam S. Gervasii de Thoreio : e chartul. S. Vincentii. Occurrit idem, anno 1163, vel 1164, in instrumento de libertatibus ecclesiæ B. Mariæ de Monte Dublello concessis. Hujus et meminit chartularium Culturense subscribentis, anno 1167, chartæ Pagani de Cadurcis. Anno 1176, accepit Robertus ab Hugone Castrodunensi decimas furni Choæ siti. Ejusdem præterea nomen exhibent plures chartæ notis chronicis carentes. Non omittendum quod litigavit cum Herardo, Persenniæ abbate, de decimis Contilleii percipiendis. Decessit ante Guillelmum episcopum, anno, ut opinantur, 1178; hunc enim Guillelmus abba-

tem terrenis solutum curis declarat, chartam edens de jure patronatus in ecclesia Pilimilensi; ex archivo Cenoman. D. Ed. Bilardus, p. pr., n. 159.

XXII. Joannes I Guillelmum cognovit episcopum, ante quem de variis pactus est cum Patricio *Forsene*, et contendit cum Hugone de patronatu Julleiensis ecclesiæ; ex arch. Cenom. D. Ed. Bilardus, pr. p. n. 158.

XXIII. Gervasius I, anno 1188, coram Reginaldo præsule litigavit de jure patronatus in eadem ecclesia; ex Indice Cenom. arch., a D. Ed. Bilardo. Testis fuit, anno 1191, datorum monachis B. Mariæ de Persenia a Roberto de Pontivo; ibidem. Tunc quoque Robertus Vincentianis quædam jura concedebat, ea sub conditione, ut quotannis anniversarium Joannis, patris sui, celebrarent; e Monastico Benedictino. Gervasius, anno 1194, pluribus Hamelini præsulis chartis subscripsit, quas reperies in chartulariis Perseniæ et B. Petri de Cultura.

XXIV. Guillelmus IV, dictus Patricius, occurrit, anno 1200, societatem precum iniens cum Henrico, S. Martini Sagiensis abbate. Advertendum quod Guillelmus hic noster Vincentius perperam dicatur, supra t. XI, col. 721. Anno 1202, coram Hamelino episcopo litigavit cum Geoffrido *Ribole* de ponte fossisque extructis juxta S. Vincentium de Oratorio. De pluribus, eodem anno, pactus est, quorum mentio fit in tabulis. Eidem, v idus Januarii, Eugenius papa confirmaverat abbatiæ bona. Cum Philippa de Longa Villa in causam vocasset S. Nicolai monachos de jure patronatus in ecclesia S. Petri de Santineio, res ad summum Pontificem fuit delata, qui judices dixit Guillelmum S. Vincentii Petrumque, Belli Loci abbates. Hi Philippam ad se venire jubentes, eam audierunt jus indebite vindicatum deserentem, v cal. Decembris 1205; e schedis D. *Housseau*, t. VI. Accepit ab Hamelino præsule Guillelmus, anno 1206, ecclesiam S. Petri de Reneio. Eligebatur a domino papa, anno 1207, judex contentionis nuper exortæ inter S. Cosmæ canonicos Garinumque *Gonele*, militem, super decimis Fontis Cari; apud *Housseau*, t. VI. Ipse Guillelmus, eodem anno, coram Geoffrido, Turonensium archiepiscopo, causam oravit suam adversus Rotrodum de Monte Forti, qui pluribus Vincentianos oneribus gravare conabatur. Memoratur et annis 1208, 1210, 1212, 1214, 1215, in chartulario Vincentiano. Occurrit, anno 1210, in Chalocheii tabulario, judex a domino papa datus cuidam Lyseio de Angleia, quem, postquam se suaque monachis Chalocheii tradidisset, monachi propter perversos mores, retentis vero prædiis, ejecerant. Testatur, anno 1216, se non nihil accepisse de bonis defuncti Nicolai præsulis; ex Albo Libro capituli. Eodem anno, litem dirimebat inter A Guillelmum, Chalocheii abbatem, et Michaelem clericum; e chartulario supra laudato. Societatem precum contraxit, anno 1218, cum Reginaldo, S. Carilefi abbate. Tandem pridie cal. Martii 1220, vel 1221, secundum hodiernum computum, Guillelmo tradidit Odo de Plano Fago nemus Noento vicinum.

XXV. Geoffridus, anno 1221, confirmavit ab antecessore Guillelmo fratribus S. Vincentii datam capellam S. Domnoli. Eidem Juhellus, Turonensis archiepiscopus, rursus pro suo jure tradidit prædictam S. Domnoli capellam. Geoffridum hunc nonnulli Guillel- B mum nuncuparunt, ejusdem nominis quintum, cujus regimen ad annum 1235 duxerunt, postquam Guillelmi IV decessum adscripsissent anno 1220.

XXVI. Gervasius II, usque ad annum circiter 1249. Hic obscura valde series Vincentianorum abbatum. Cum enim sola pluribus in chartis littera G. sedentem designet abbatem, alii Gervasium, alii Guillelmum, cæteri Girardum eclogarii de suo Marte scripsere. Discordantes conciliare non valuimus.

XXVII. Fulco, filius Radulfi et Agnetis, quorum meminit necrologium Vincentianum C vii id. Decembris, occurrit anno 1249 paciscens cum Nicolao *de Allandres* et ejus uxore, se suaque S. Vincentio tradentibus. De illo plura quære Vincentianis in tabulis, annis 1250, 1251, 1253, 1254, 1255. Pactum fecit, mense Decembri 1257, cum Juliano de Corulo, canonico, de missa pro defunctis celebranda; ex Albo Libro capituli Cenomanensis. Decessit 31 Julii, ex obituariis S. Vincentii et S. Martini Sagiensis.

XXVIII. Reginaldus III reperitur die Martis post nativitatem B. Mariæ 1262, in chartulario, emens plura a Joanne Hermeniarde.

D XXIX. Joannes II, anno 1265, locat prædium *Vernelles*. Mense Julio 1266, fœdus spirituale percutit cum Guillelmo, S. Petri Burguliensis abbate. Occurrit præterea, anno 1267, molendinum *Fossart* sub censu tradens; e chart. S. Vincent.

XXX. Guillelmus V, anno 1272, decimas Connerreii plures accepit a Geoffrido episcopo; e chartul. Vincentiano. Idem, 10 Augusti 1279, pactus est cum canonicis S. Juliani de decima S. Martialis; ex Albo Libro capituli Cenomanensis.

XXXI. Robertus II, anno 1282, ecclesiæ E B. Mariæ de Majerolis locum *Godefrei* concedit; e Monast. Benedictino.

XXXII. Andreas, anno 1291, campum juxta S. Lonegesilum sub annuo censu tradit. Anno 1294, societatem precum init cum Guillelmo, abbate S. Georgii de Nemore. Usque ad annum 1298 occurrit, quo fratribus res a se noviter emptas Sarceii largitus est. Hæc decerpsimus e Sangerm. codice 1069.

XXXIII. Ranulfus; e domno Columbo. Abbas autem hic nobis admodum dubius.

XXXIV. Joannes III *de Villette* occurrit ab anno 1311. Anno 1312, sub censu tradebat prædium dictum *la Retaudière*. Decessit anno 1316, apud Suaresium pontificias tabulas contrahentem. De quo sic obituarium vetus : « II idus Septembris, obiit Joannes « de Villeta, an. 1316, et dedit 300 libr. pro « emendis tunicis monachis claustralibus. »

XXXV. Joannes IV *le Bienvenu*, Garestelli prior, in diœcesi Carnotensi, electus abbas anno 1316. Hujus autem electionem impugnarunt coram Cenomanensi præsule Fulco Jullicus, prior Landæ Patricii, et Hamelinus de Rupella, prior Sarceii. Arbitrum elegit episcopus Vindocinensem abbatem. Joannes confirmatur a Joanne papa XXII, XIII cal. Aprilis 1317, utpote quem sanior elegerat pars capituli; e regestis Avenion. Suaresius. Ille, eodem anno, die Veneris post Translationem S. Benedicti, plurima sedens in capitulo obsequia suscepit. Litigavit cum vicariis episcopi generalibus, asserens ad suum jus spectare, ut, præsule Cenomanensi in remotis agente, diœcesanæ synodo præesset. In hac causa vicit, anno 1328. Anno 1332, procuratore utebatur Joanne Rotario. Decessit die Martis post Assumptionem B. Mariæ 1354, ut legitur in litteris Petri, prioris claustralis, ad episcopum Cenomanensem; ex Alb. Mautell. codice 4, fol. 35.

XXXVI. Joannes V Rotarius, sive *le Royer*, licentiatus in decretis, cœnobii sacrista, Joanni demortuo suffectus est litteris Innocentii papæ VI, anno 1354, VI idus Octobris; apud Suaresium. Occurrit anno 1355, clientelaris officii professionem a nonnullis accipiens. Decessit IV id. Septembris.

XXXVII. Simon *de Bordigné* pluribus in fidei datæ schedulis occurrit, ab anno 1362 ad annum 1379. Obiit hoc anno, die Jovis ante festum Omnium Sanctorum; e vetere obituario. Consule cod. Sangerm. 1060. Cui plures, sed infeliciter, ut videtur, inficias eunt chronographi, post Simonem Joannem Rotarium ponentes ab anno 1376 ad annum 1385.

XXXVIII. Stephanus I, Thoma Calvino, 1379, 1385. Hujus si forte chartularium meminit, non animadversum prætermisimus.

XXXIX. Eustorgius, alias Astorgius, aut etiam Antonius, anno 1385 pactus est de procuratione episcopo cuicumque novo debita. Anno 1386, hanc a Clemente papa provinciam accepit, ut juridice procederet contra Petronillam de Bellomonte, Fontis Ebraldi monialem, quæ religionis habitum abjecerat. Obiit anno 1390; e codice olim Regio 1445.

XL. Joannes VI sedit per duos annos, e Thoma Calvino, ab anno 1388 ad annum 1390. Nullus autem ei locus, Eustorgius si comprobetur anno 1390 defunctus. De hoc Joanne chartularium silet.

XLI. Gervasius III occurrit annis 1391,
A 1392, 1394, 1396, 1397, et 1399 die lunæ post Exaltationem sanctæ Crucis.

XLII. Joannes VII *Frein*, antea prior Tuffiaci, abbas ab anno 1399, e clientelaribus professionibus et ex aliis chartulis, mensibus Octobri et Januario. Occurrit insuper, anno 1401, a domino papa commissus ad investigandas ædes quas Cenomanensis episcopus destrui intendebat. Mense Martio 1409, per procuratorem adibat concilium Pisanum. Pluribus in schedulis memoratur annorum 1409, 1413, 1415, 1416, 1421, 1423, ut meminere Sangermanensis codex 1069, et Re-
B gius 5445. Decessit anno 1424.

XLIII. Stephanus obiit anno 1426; e cod. Regio 5445.

XLIV. Robertus III procuratores instituit, anno 1426, ad recuperandum Anglicanum quemdam prioratum. Appellabat, anno 1427, ad Romanam curiam, suum fraudari jus querens, in eo quod Cenomanensis officialis unum e S. Vincentii monachis ab apparitoribus suis comprehendi jusserat.

XLV. Joannes VIII, anno 1430; e syngrapho numeratæ pecuniæ, in Sangerm. codice 1069, p. 239. Decessisse legitur anno 1439.

C XLVI. Robertus IV *de Monthoudoul*, perperam dictus *de Monthodon*, professus Vincentianus a 19 Septembris 1409, legitur abbas in plurimis schedulis ab anno 1446. Obiit anno 1466. Post quem ablatum monachis jus eligendi, et instituti commendatarii abbates.

XLVII. Theobaldus *de Luxembourg*, episcopus Cenomanensis, abbas S. Vincentii commendatarius, occurrit in schedis annorum 1474, 1475.

XLVIII. Philippus I *de Luxembourg*, antecedentis nepos et ipse Cenomanensis præsul.
D Ante senatum Parisiensem litigavit, anno 1501, adversus monachos correctionem abbatis commendatarii detrectantes, et in ea causa vicit, 12 Martii. Gemmeticensis monasterii simul abbas et S. Martini Sagiensis, necnon S. Vincentii Cenomanensis, eas tradidit abbatias congregationi Casalis Benedicti. Idcirco, reformationis intromittendæ causa, munus, reservata quidem pensione, deponens, Yvonem sequentem reformatis fratribus commendavit. Plurimorum in Yvonem vota concurrerunt : quidam autem Tuffiacum secedentes, eodem anno Alexandrum
E *Langlée*, antiquato pro more collectis suffragiis, elegerunt, et vicariis episcopi Cenomanensis præsentaverunt. Valuit autem Yvonis nominatio.

XLIX. Yvo *Morisson*, a 26 Julii 1502. Occurrit in professionibus annorum 1503, 1507.

L. Joannes IX *Durand*, ab anno 1508. Baculum reposuit anno 1514. Hunc quære inter abbates Gemmeticenses, t. VI, col. 200.

LI. Yvo *Morisson*, rursus, ab anno 1514. Casalinus fuit abbas anno 1517.

LII. Joannes IX *Durand* ut Vincentianus A abbas adiit, 10 Septembris 1517, generale capitulum Claromonte, in ædibus S. Illidii, celebratum.

LIII. Guillelmus VI *Rapailly* occurrit in professionibus anni 1520. Anno 1521, sæculari cuidam prioratum Belini tradebat.

LIV. Joannes X *des Bans*, e monacho S. Vincentii abbas in triennium S. Martini Sagiensis : derelictis, anno 1518, Sagiensibus, fit, anno 1522, Vincentianus abbas. Occurrit in monachorum professionibus anno 1523. Quo anno coactum est, in ædibus S. Vincentii, Casalinæ congregationis capitulum. B Joanni, a congregatione prædicta licet electo, obedientiam aliquantisper monachi negarunt; quibus favebat officialis Cenomanensis. Eidem, anno 1525, Joannem de Monte Majore, licet absentem, suffecit capitulum generale in monasterio S. Sulpicii Bituricensis congregatum; ex Albo Libro Cenomanensis episcopi.

LV. Joannes XI *de Montmajour*, prædictæ congregationis professus, abbas creatur Sagiensium anno 1519, Vincentianorum 10 Maii 1525. Innotescit annis 1527, 1528, ex aliquot monachorum professionibus. Sedit C Vincentianus abbas, 3 Maii 1528, in capitulo apud San-Sulpicianos congregato. Decessit, ad obituarii fidem, VII cal. Maii 1547.

LVI. Yvo *Morisson* eligitur, 20 Aprilis 1532, præses capituli generalis in ædibus S. Sulpicii congregati. Dein, 25 Aprilis 1534, apud Vincentianos congregatum capitulum eumdem visitatorem totius ordinis nominat. Eadem honestatus dignitate sedit, 18 Aprilis 1535, in capitulo apud San-Sulpicianos coacto. Decessit, ex obituario, III id. Aprilis 1542.

LVII. Benedictus *Boulanger*, 1535, 1536, D 1539. Anno 1540, jussu Joannis, episcopi Meldensis, S. Faram visitavit; supra, t. VIII. col. 1647.

LVIII. Joannes X *des Bans*, iterum, anno 1541. Post quem magna dissidia.

Joannes enim Bellaius, cardinalis, creatur abbas a rege commendatarius, et Joannes *du Busson* a camera apostolica promovetur, dum capitulum Ægidium *Lemarchand* eligeret. Unde lis acerrima, donec, anno 1554, cardinalis, mediante pecunia, commendam dimiserit, et sponte cassum Joannes *du Busson* titulum abdicaverit. Procuratoribus man- E dabat suis Bellaius ut cessionem hanc peragerent, 17 Novembris 1554; e regest. Insinuat. Cenomanensium. Quibus remotis,

LIX. Ægidius I *Marchand*, aut *Lemarchand*, occurrit die 15 Februarii 1555, secundum hodiernum computum, qua Stephanus *du Crozet*, abbas S. Sulpicii Bituricensis, et Andreas *Lemoulnier*, monachus, visitatores congregationis Casalis Benedicti, ei denuntiant initam inter ipsos concordiam et Joannem *Moreau*, cantorem Parisiensem, necnon Joannis Bellaii procuratorem, eique regimen S. Vincentii demandant. Exstant litteræ regiæ quibus supra memoratum pactum sancitur, 18 Februarii. Ægidius tandem munere potitus est 22 Februarii, et ultima hujus mensis die procuratores instituit. Quæ leguntur in Insinuat. Cenoman. regestis, t. II.

LX. Nicolaus *Pivert* possessionem adiit 17 Maii 1560. Decessit, ex obituario, XIII cal. Maii 1561.

LXI. Guillelmus VII *Garnier* ab anno 1561. Decessit VI cal. Januarii 1475.

LXII. Ravandus *Gibon* ab anno 1564. Obiit idibus Julii 1572.

LXIII. Guillelmus VIII *Pellault*, ab anno 1570. Occurrit in tabulis anni 1571. Decessit VII cal. Augusti 1580.

LXIV. Julianus *Montote* reperitur anno 1576. Decessit III id. Martii 1596.

LXV. Ægidius II *Naudier*, 30 Decembris 1576, petebat ut irrogata Vincentianis taxatio minueretur. In claustro tunc septem et triginta monachi. Idem, 3 Octobris 1580, una cum Francisco *Georgeard*, Culturensium infirmario, querebatur de imperata bonorum ecclesiasticorum alienatione : ex arch. cleri Gallic.; Alienat., t. III. Franciscus *Georgeard* ille est qui Renatum *Flacé* metrice laudavit.

LXVI. Petrus I *Bellot*, ab anno 1579. Debitum vero naturæ persolvit XI cal. Octobris 1581.

LXVII. Renatus I *Lelarge*, ab anno 1581. Decessit VII idus Augusti 1596.

LXVIII. Ægidius II *Naudier* reperitur iterum, anno 1587. Qui, anno 1590, a congregatis fratribus in triennium denuo abbas S. Vincentii creatur.

LVIX. Innocentius *Gay*, ab anno 1593. Decessit V nonas Aprilis 1594.

LXX. Matthæus *Picquot*, sive *Picot*, ab anno 1594. Visitator congregationis fuit anno 1597.

LXXI. Jacobus I *Badocheau*, ab anno 1599. Decessit VII id. Junii 1608, sive 1609. Visitator idem fuit annis 1601, 1602.

LXXII. Jacobus II *Bretheau* ab anno 1603. Obiit III id. Aprilis 1613. Quo regente, monachum induit Joannes Bondonnetus, eximius fastorum Cenomanensium indagator. In calendario S. Vincentii legitur : « An. « 1610, 2 Nov., die S. Martini. Ego frater « Joh. *Bondonnet*, clericus parochiæ de Cul- « tura, diœc. Cenom., professus sum in hoc « monasterio S. Vincentii, sub defuncto « P. Jacobo *Bretheau*, cognato meo, abbate. « Primus postea hujus bibliothecæ bibliothe- « carius sub abbate P. *Richier*, anno 1614. » Visitator congregationis Jacobus reperitur anno 1608.

LXXIII. Matthæus *Picquot*, iterum, ab anno 1611. Decessit VI id. Novembris 1613.

LXXIV. Guillelmus IX *Richer*, S. Vin-

centii professus, abbas ab anno 1614. Eo anno, 4 Augusti, deputabatur ad generalia comitia cleri gallicani; ex arch. cleri Gall.; Alien., t. III. Visitator ordinis creatur anno 1617. Sedit usque ad annum 1619.

LXXV. Thomas *Bordeaux,* ab anno 1619. Decessit v id. Martii 1634.

LXXVI. Guillelmus IX *Richer,* iterum, ab anno 1625.

LXXVII. Jacobus III *Lemercier,* ab ann. 1628.

Ille, anno 1632, pactum iniit cum reformatis e congregatione S. Mauri monachis. Frustra vero, nam Casalini visitatores firmiter obstitere, et, ea nondum sopita lite, cardinalis Richelius decreto regio Casalinorum, anno 1634, generalis abbas electus est. Anno tandem 1636 inita reformatio ad morem congregationis S. Mauri, et primus inter novos sedit abbates

LXXVIII. Placidus I *de Sarcus,* antea visitator ejusdem congregationis in provincia Britanniæ, electus et institutus a Gregorio *Tarrisse,* superiore generali, anno 1636.

LXXIX. Ignatius *Philibert,* electus a capitulo generali Octobri mense 1636, mox sublapsam disciplinam reformat in Estivallensi parthenone.

LXXX. Beda *de Fiesque,* electus est anno 1639 in capitulo generali. Is congregationem S. Mauri in Ebroniense monasterium induxit. De quo his verbis Vincentianus quidam chronographus : « Hoc abbate, campanæ duodecim mire sonoræ et suaviter « concordes proflatæ, et in utroque campa- « nili appensæ sunt, simul ponderibus me- « talli selecti 25,515 libr. »

LXXXI. Ignatius *Philibert,* iterum, ab anno 1645. Idem in triennium confirmatur anno 1649.

LXXXII. Joannes-Baptista I *Godefroy* ab anno 1651. Hunc quidam e monachis, dum missam celebraret, cultro percussit, Novembri mense 1652 (1). Atro licet afflictus vulnere mox convaluit. Iterum electus est in capitulo anni 1654. Idem, mense Maio 1657, congregationem suam inducit in monasterium B. Petri de Cultura.

LXXXIII. Placidus II *Chassinat,* ab anno 1657. Iterum eligitur anno 1660. Sepelivit, anno 1661, Carolam *Miée de Guespray,* Prati abbatissam.

LXXXIV. Anselmus *des Rousseaux,* ab anno 1663. Elapsis tribus mensibus, ob infirmam valetudinem abbatiali munere absolutus est.

A LXXXV. Joannes-Baptista I *Godefroy,* iterum, ab eodem anno 1663. Quo regente decessit J. Bondonnetus, 16 Martii 1664.

LXXXVI. Franciscus I *Chevrier,* ab anno 1666, quo, die 14 Novembris, reliquias S. Domnoli necnon S. Gaudi in prioratum Tuffiacensem transtulit.

LXXXVII. Placidus II *Chassinat,* iterum, ab anno 1669. Confirmatur in triennium anno 1672.

LXXXVIII. Joachimus *Le Comtat* electus anno 1675. Iterum electus annis 1678, 1681, 1684.

B LXXXIX. Ludovicus *Trochon,* anno 1687.

XC. Joannes XII Maurus *Audren de Kerdrel,* anno. 1693. Cœnobii bibliothecam Joannes auxit. Ejusdem plures ad cardinalem *de Noailles* epistolas servat codex 20 Fratrum Prædicat. Honorat.

XCI. Henricus *Fermelis,* annis 1699, 1703.

XCII. Joannes XII Maurus *Audren de Kerdrel,* iterum, 1705.

XCIII. Carolus *d'Isart,* 1711.

XCIV. Franciscus II *Redon,* 1714.

XCV. Joannes XII Maurus *Audren de Kerdrel,* tertio, 1717. Decessit Majoris Monas-
C terii prior, 7 Aprilis 1720.

XCVI. Joannes-Baptista II *Guyon,* 1720.

XCVII. Franciscus III *Texier,* 1723. Anno 1725 ædificiis incumbit restaurandis. Occurrit insuper anno 1726 iterum electus.

XCVIII. Franciscus IV *Mureau,* 1729, 1733.

XCIX. Jacobus IV Nicolaus *Maumusseau* eligitur anno 1733; iterum, anno 1736. Claustri laudatur alter conditor.

XCX. Joannes XIII *Delaunay,* 1739.

CI. Jacobus V Nicolaus *Chrétien,* 1742.

CII. Hyacinthus *Briancourt,* 1745.

D CIII. Petrus II *Martin,* 1751. Obiit Decembri mense 1756.

CIV. Renatus II *Busson,* ex Ebronii priore claustrali, 1756.

CV. Philippus *Lebel,* 1757.

CVI. Renatus III Anna *Even,* 1760.

CVII. Renatus IV Joannes *Rouaux,* 1763. Desinit vero, anno 1763, abbatum triennalium regimen et commendatariorum incœpit.

CVIII. Ludovicus Sextius *de Jarente* instituitur 17 Decembris 1763 et obit 1 Maii 1788. Notanda mors domni Colombi, 30 Januarii 1774.

E CIX. Franciscus *de Gain de Montaignac,* Tarbensis episcopus, a 22 Junii 1788 ad annum 1790.

S. PETRUS DE CULTURA.

Abbatiam hanc Bertramnus, Cenomanensium præsul, anno 595, in episcopalis civitatis suburbio condidit, et sanctis Petro Pauloque dicavit. Chaimoaldus, prædicto præsuli

(1) Legatur Diarium Loretanum 23 Nov. 1652, quod rem narrans his orditur verbis :

Au Mans, l'abbé de S. Vincent,
Celébrant, en habit décent,
Un certain misérable moine,
Nommé, je crois, frère Antoine,
Le pensa tuer à l'autel;
Et l'on dit que le cas fut tel.

sanguinis vinculo junctus, primos, ut aiunt, A hujusce loci rexit incolas. Quibus autem eos Bertramnus extulerit opibus, ex ipsius testamento compertum habes. Abbatiam S. Petri Carolus Magnus, anno 802, et Ludovicus Pius, anno 832, inter Cenomanensis ecclesiæ possessiones recensuere. Illam vero diruerunt Normanni; et, si veterum dictis fides adhibetur, nullum anno 992 eversæ basilicæ vestigium supererat, quando Cenomanensis Hugo comes, florentis olim cœnobii memoriam colens, e jacentibus passim parietinis novam ecclesiam, nova claustra educere studuit. Quod ut ille consilium iniit, ad se vo- B cavit præclarum doctrina moribusque virum Gauzbertum, Malleaci, Burgulii, Majoris Monasterii, ac S. Juliani Turonensis restauratorem. Cucullatæ dux catervæ Cenomanum Gauzbertus se recepit, et simul ac operi manum admovit, ampla comes prædia renascenti contulit abbatiæ. Hujus dein ad exemplum nonnulli Cenomanensis agri proceres monachis ablatas res restituerunt. Sparsa mox per totam Galliam loci fama, eo frequentes undique monachi confluxere: quamvis vero quotidie Culturensis, ut aiebant, grex cresceret, frugum inopiam minime pas- C sus est, dum Cenomanensis agri patricia quæque gens in monachos tanti nominis divitiis augendos certatim incumberet. Comburuntur ædes monasterii III cal. Augusti 1184. Eas deinde refecerunt Richardus abbas, Richardique successor Guido: quibus faventes Juhellus et Geoffridus, Turonenses archiepiscopi, sponsis indulgentiis quibuscumque suaserunt ut aliquid ad susceptæ restaurationis opus conferrent. Restauratum flammæ cœnobium hauserunt, anno 1306. Nec minus perpessum est exidium ab Anglis, anno 1421, a quibus quasi funditus ever- D sum memoratur. Invaserunt denique vel maximis sumptibus nuper exornatum, anno 1562, Calvinistæ, in quibus cœnobiticæ cujusvis familiæ pernicies. S. Mauri reformationi non facilis fuit abbatiæ Culturensis aditus. Reformati postquam fratres intromissi fuere, tumultus exortus est pessimus, quem his verbis quidam scriptor coævus enarrat: « Antiquorum monachorum de Cultura prior « claustralis, homo turbulentus, aliquos « fratrum et domesticorum suorum primo, « deinde ingentem ac seditiosam plebis mul- « titudinem concitavit, ut monachos e con- E « gregatione S. Mauri vi expelleret; tunc « quidem frustra. Verum rem impiam infeli- « citer perfecit sequenti anno 1659, feria « quarta Rogationum, qua de more fratres, « in solemni Litaniarum supplicatione, pro- « cessionaliter cum sacris reliquiis ad S. Vin- « centium processerant. Armis invadunt mo- « nasterium, fores occludunt, aditus armatis « complent, qui redeuntes monachos in- « gressu arceant et longe propulsent. Expul- « sis unicum patuit refugium abbatia S. Vin- « centii. Hanc pius abbas (Placidus *Chassi-* « *nat*) fratribus aperuit. Verum quam gravi « periculo! cum diu noctuque S. Vincentio « direptionem et incendium intentaret sedi- « tiosa et armata multitudo. » Hæc e compendiosa S. Vincentii historia collegimus, quam servat Regius cod. 5445. Compositis tandem rebus, non minimum inter reformatas domos locum Cultura tenuit. Romanæ sedis gratia pontificalibus ornamentis Culturensis abbas utebatur, et eidem jusprimarii rectoris in ecclesiis tam urbis quam suburbiorum competebat. E Gregorii IX litteris, datis III non. Julii 1233, Culturensium jura agnoscuntur. Eadem Honorius III confirmavit. Inter Cenomanensis agri proceres, Hugonem, supra laudatum comitem, Heliam de Fixa, et Sablolii, Cadurcarum, Vallis, Montis Dublelli, Belli Montis, Bruslonisque toparchas præcipue beneficos experti sunt.

Ch. I, col. 104. — Ch. IX, col. 125.

Abbatum seriem exhibet Compendium Historiæ S. Petri de Cultura, inter Cenomanensis armarii codices, sub num. 91. De eisdem non sine fructu schedas D. *de Gaignières*, num. 199, collectaneaque Anselmi *Lemichel*, inter Sangerman. codices, num. 1066, et catalogos demum domni *Briant* et Thomæ Calvini evolvimus. A restauratione, quam Hugo comes suscepit, nostra hæc series exordium sumet.

ABBATUM SERIES.

I. Gauzbertus, qui et ipse abbas Burgulii, S. Juliani Turonensis, Majoris Monasterii et S. Petri Malleacensis, præficitur ab Hugone, Cenomanensi comite, monasterio SS. Petri et Pauli restaurando. Ei Radulphus de Bello Monte ecclesiam Gaudiacensem restituit. Obiit Gauzbertus, ut aiunt, V. cal. Octobris 1007.

Occurrit monachos inter Culturenses, tempore Gauzberti, Lethaldus, exul e monasterio S. Maximini Aurelianensis, qui plurima condidit opera metro prosaque, jam sæpius, sed non plus quam decet, laudata. Singularem ejus doctrinam perquam extollit Abbo Floriacensis: inter recentiores, domni Rivetius et Ceillierius æque celebraverunt in ejusdem scriptis exculti decus et vim ingenii, urbanique comitatem sermonis.

II. Ingelbaudus Gauzberto successisse legitur. Ei concessit, anno circiter 1010, Geoffridus de Sablolio ecclesiam Solemnensem et duos circumjacentes viculos; apud domnum Piolinum, Hist. Cen. Eccl., t. III, p. 639. Subscripsit, anno 1015, chartæ Hugonis comitis, qua Tuffiacum, monialibus vacuum, monachis traditum fuit. In martyrologio ponitur IV cal. Decembris. Ch. XI, col. 131.

III. Evrardus, apud Sammarthanos Enar-

dus. Decessit, e martyrologio, XIX cal. Februarii.

IV. Ascelinus proximus Evrardo, longo tamen intervallo, in tabellis occurrit subscribens, annum circiter 1050, chartæ de traditione monasterii quod Alversus dicebatur, in honorem Dei genitricis Mariæ sacratum. Idem Ascelinus, anno 1068, accepit a Geoffrido, filio Burchardi de Castello Bruslonis, quatuor præbendas in ecclesia S. Petri de Bruslone. Pepigit cum Hugone de Genida super Lavariaco villa, data monachis S. Petri a Patricio de Cadurcis.

Notandus error Mabillonii, Ann. Ord. S. Bened., t. IV, p. 591, qui B. Petri de Cultura regimen Avesgando creditum opinatur ab anno 1059, vel annis 1060, 1061, ad annum 1079. Ex jam dictis palam quidem est auctoritatis tantæ virum meris, contra morem, conjecturis nimium confidisse. Avesgandus autem ille, qui, *Cenomanensis* dictus abbas, interfuit, anno 1059, coronationi Philippi regis, monachus antea S. Petri, ut in litteris Anselmi Cantuariensis legitur, jam sub id tempus evaserat abbas S. Vincentii. Duos Avesgandos Historia Litteraria ponit, unum quidem S. Vincentio, alterum S. Petro præfectum ab anno 1061. Quod quidem nullo fulcitur fundamento.

V. Reginaldus I de terra quadam juxta Vallem Guidonis sita cum monachis Majoris Monasterii litigavit Ea de re concordia inita fuit ante annum 1072, cum hujus testis fuerit Odo, Baiocensis episcopus. Reperitur idem, anno 1074, in præcepto Guillelmi, regis Anglorum, datum monachis S. Petri de Cultura vicum Solemnensem cum viculis adjacentibus confirmantis. Mox autem Reginaldus in fratrum odium venit. Eum quidem novimus ab eis e sede sua depulsum, et ab Anglorum rege Guillelmo omni contumelia vexatum; nec a vero forsitan declinantes conjicimus, æstuantibus tunc inter Normannos Cenomanosque discordiis, Reginaldum Andegavensibus adhæsisse proceribus, et inde parcere nescientis iram Guillelmi regis in se concitasse.

VI. Johellus, sive Juhellus de Artinis, Rainaldo sufficitur, probantibus Guillelmo rege et Arnaldo episcopo. Is genere Danus, in Abrincensi diœcesi natus, *ea quæ sunt mundi*, quanquam clarus avis opibusque potens, deseruerat, et teneris ab annis apud Culturenses cucullatæ militiæ nomen dederat. Electus abbas sedit per annos quinque, vel sex; quibus elapsis, jubente Gregorio papa, et Gebuino primate mandante, abbatiali munere privatus est. De Reginaldo exulante sic Gebuinus ad Radulfum archipræsulem : *Misistis ad nos R., abbatem Cenomanensis cœnobii quod S. Petri de Cultura dicitur, a falsis fratribus accusatum, ab eisdem de sede propria expulsum, et a rege*

A *Anglorum quinquennio cruciatum, litterarum vestrarum etiam munimine fretum... Quid agerem? Itinere, Deo gratias, prospero mecum Romam duxi, domnoque Apostolico repræsentavi. Qui ubi satis super ejus injuriis et contumeliis, ut benignus pater, conquestus est, gratias vobis agens... quid de R. abbate, quid de his qui contra apostolica decreta insurgunt fieret, nobis utiliter consuluit.* Subinde jubet Gebuinus, domini papæ mandato, Reginaldum Culturensibus restitui. Idem de Johello ad eumdem scribebat his verbis : *Auctoritate apostolica*

Rer. Gallic. Script. t. XIV, p. 669.

B *et nostra præcipiendo mandamus, et mandando consulimus, ut J. monachum, imo diabolicum, qui illic se abbatem fecit, patris sui cubile ascendit et commaculavit sicut maledictus adulter, et omnes ei obedientes gladio anathematis (sic feriendus est) percutite.* Unde palam est auctores Historiæ Gall. Litter. erravisse, narrantes Johellum suspensionis pœna multatum, ob id quod non ivisset ad concilium ab Hugone Diensi congregatum.

VII. Reginaldus iterum, quem, sententia mutata, Gregorius papa VII deposuit. Hæc

C sunt verba Gregorii scribentis ad Arnaldum episcopum, VIII cal. Maii 1080 : « Abbatem « Johelem absolvimus; Rainaldum invaso« rem, quia per ambitionem perjuravit, de« ponimus. Quapropter volumus ut jam dic« tum Rainaldum cedere facias, et Johelem « in loco suo abbatem restituas. » De eadem re Gregorius scripsit ad Guillelmum, Angliæ regem. Utramque legere licet epistolam apud Rer. Gallic. Script., t. XIV, p. 648.

VIII. Johellus iterum occurrit in charta qua Waltherius et Radulphus de Artinis,

D fratres, dant monachis S. Petri de Cultura ecclesiam *Vezins*, in Abrincensi pago sitam : quod non multo post confirmavit donum Michael, Abrincensis episcopus, anno 1082. Eidem largitus est, Hoelli Cenomanensis episcopi tempore, Hubertus *Ribole* ecclesiam S. Cornelii de Tanneia : quam donationem mox Helias comes comprobavit. Heliæ comitis, Hoelli episcopi, nec non Johelli Culturensium abbatis nomina simul præbet schedula Guillelmi de Braitello, de rebus Curiæ Laboriosæ cum Vincentianis pactum agentis; in chartul. S. Vincentii, p. 227. Subscripsit

E ejusdem Hoelli chartæ pro monasterio S. Nicolai Andegavensis. Adfuit, anno 1086, judicio quo monachi Gemmeticenses Dommariæ prioratum confirmatum habuerunt; supra, t. XI, col. 718 et 959. Solemnem iniit pacem, anno 1094, cum Bernardo, Majoretanorum abbate, datis utrinque mutuæ caritatis pignoribus; e chartulario Cenomanensi Majoris Monasterii. Decessit 2 Junii, e Culturæ necrologio. Annus vero 1096 comperitur e carminibus Baldrici Burguliensis,

qui Johelli laudes canens hunc obiisse memorat paulo ante Hoellum præsulem.

Is est Johellus cui tribuitur a pluribus Historia miraculorum S. Nicolai, quam leges, si lubet, non tamen integram, in codice Sangermanensi 498. Idem asseruerunt auctores Hist. Litter., t. VIII, re scilicet levius quam decebat solebatque perpensa. Huic enim de miraculis S. Nicolai narratiunculæ præfigitur epistola Johelli sic incipiens : « Venerabili patri cœnobii S. Nicholai, glo« riosi confessoris Christi, domino videlicet « abbati Natali, sibique commissæ sanctis« simæ congregationi, frater Johelus, B. Petri « apostolorum principis qui dicitur ad Cul« turam, habitu monachus, vita peccator, « quod solum potest, humilis obsequii fide« lem devotionem. Quid causæ fuerit quia « ad me scripta vestra de mirabilibus beati « et gloriosi Nicholai transmisistis, quasi « gratia corrigendi ea, postpositis venerabi« libus totius scientiæ columnis quarum fir« missima soliditate subnixa gloriatur di« gnius urbs Andegava, quam gloria.... » Hic plurima desunt, et interrupta pendet oratio. Ex dictis tamen jam patet illam de qua res est Historiam a Natali, S. Nicolai Andegavensis abbate, conscriptam, et ab eo missam ad Johellum Culturensem. Sequens autem sermo auctorem apertius suum prodit. Postquam enim dixerat Nicolai reliquias Andegavensi cuidam comiti traditas ab Henrico, Romanorum imperatore, pergit his verbis : « Quas « comes cum gaudio maximo et honore com« plectens venerabili *istius loci* abbati, no« mine Arraldo, de eis partem dedit. » Arraldus abbas S. Nicolai, non S. Petri noscitur. Et infra, de reliquiis S. Nicolai : « At « ille (Arraldus), cum processione et vene« ratione non modica ab ipsa comitis aula « *ad hoc* usque delatas cœnobium, condigne « *in hoc loco* reposuit... Ex tunc hujusmodi « institutio *a nostris prædecessoribus*, ut « præfati sumus, translationis nomen acce« pit, quo, sicut supra diximus, S. Nicolai « *hic* sunt reliquiæ reconditæ.... » Nec ampliori sermone res indiget. Jam satis liquet Natali tribuendum esse illud de miraculis S. Nicolai opusculum, quod Johello sæpius adscriptum est.

IX. Odo de Buris accepit a Drogone de Villena altare Verneiæ, hujusce donationis chartæ subscribente Geoffrido, tunc decano Cenomanensi, qui anno 1111 archiepiscopalem Rotomagensis ecclesiæ sedem conscendit. Una cum eodem Geoffrido judex Odo sedit, in causa quæ inter moniales Roncereii et Garinum de S. Berthevino super Avenariis intercesserat. Odoni concessit, anno 1112, Hildebertus præsul plurimas villas, quas, e gremio matris ecclesiæ violenter abreptas, a quibusdam laicis monachi S. Petri, post diuturnas lites, in donum acceperant, Tanidam

A scilicet, Loceium, Baladonem, Salgiam, Paceium et Avesium. Ejus in Martyrologio Culturensi mentio reperitur II cal. Decembris.

X. Reginaldus II, anno 1121, ecclesiam Poliacensem emit.

XI. Guillelmus I pactum iniit, anno circiter 1133, cum canonicis S. Petri de Curia, de colendis agris ea tenus neglectis; ex instrumentis ad Geographiam Cenomanensem, quæ D. Calvinus edidit, p. 92. Guillelmi nomen in martyrologio non semel legitur.

XII. Fulco primum occurrit, eodem anno 1133, Andegavi sedens in capitulo S. Mauricii; e chartulario S. Trinitatis Vindocinensis, inter schedas domni *Housseau*, t. XIII. Quo insuper anno, vicum inchoat ædificandum, assentiente Geoffrido comite, in vinea quadam B. Petri de Cultura, ante viculum Guidonis, Hugonis filii. Pactum iniit, a Guidone, Cenomanensi præsule, probatum, cum monachis S Maximini Aurelianensis, de construenda capella Parinniaci. Eidem, temporibus Hugonis episcopi, Paganus de Avesia decimas et primitias Avesiæ concessit. Decessit XI calendas Augusti; e necrologiis Ebronii et B. Petri de Cultura.

XIII. Ursio, qui et Ursus dicitur, concordiam iniit, anno 1143, cum Pagano de Claris Vallibus, coram Geoffrido, Andegavorum comite. Idem pactus est, anno 1145, cum canonicis S. Magnobodi Andegavensis, de decimis Corzeiacensibus. Occurrit, ann. 1151, in charta Guillelmi episcopi funditus delendam decernentis ecclesiam Bruslonis, quæ S. Petro de Cultura debitum recusaverat honorem. Dimissam litem habuisse legitur, anno 1152, de quibusdam decimis Pilimilii et Osiaci. Hujus vero concordiæ forsitan emendandus dies, ut de Gaudino decano disserentes diximus. Ursioni, anno 1158, per Guidonem de Valle quatuor instituere fratres in ecclesia S. Trinitatis Lavallensis licuit. Subscripsit tandem Ursio chartæ Guillelmi, Cenomanensis episcopi, ecclesiam Ponvaleni, ab hæredibus Hugonis *de Semur* sibi denuo traditam, monasterio B. Petri condonantis.

XIV. Geoffridus I occurrit, anno 1164, in charta Guillelmi, Cenomanensis episcopi, de fructibus S. Albini de Deserto. Paganum de Cadurcis compulit, anno 1167, ad episcopale tribunal, suspectum occisi monachi in territorio Bruslonensi, eumque adegit, scelus quamvis negantem, ad veniam demisse postulandam. Quæ non fuit concessa, priusquam Paganus omnes monachorum possessiones in terra sua tradiderit omni jure solutas. Geoffridus forsitan non alius est ab eo Gino, sive Garino, quem Sammarthani e veteribus schedis deprompsere. Geoffridi nomen in martyrologio Culturensi bis legitur.

XV. Laurentius, abbas ex abbatis bajulo, concordiam fecit anno 1170, ante Guillel-

onum episcopum, cum canonicis beati Juliani, de quibusdam decimis Avesiæ percipiendis. Ei, eodem anno, Geoffridus, Andegavensis episcopus, Murorum ecclesiam contulit. De qua vero gravis mox exorta controversia inter monachos B. Petri et sacerdotem Rogerium : cumque res ad Joannem, Pictaviensem episcopum, esset delata, is, anno forsitan 1171, abbati Laurentio memoratæ patronatum ecclesiæ confirmavit.

XV. Andreas, anno 1175, compositionem fecit cum Simone, presbytero, de Loiaci patronatu. Decessit idibus Septembris, e S. Sergii martyrologio.

XVI. Richardus, e priore S. Petri de Cultura abbas assumptus, Hamelinum de Fegnia sibi jus in ecclesiam Ponvaleni vindicantem ante forum regium compulit causamque obtinuit. Anno 1184, pacem iniit cum Suigundo, priore S. Victurii. Eodem anno, IV nonas Januarii, in episcopi Abrincensis domo, Cenomani ante S. Julianum sita, audivit Robertum, sacerdotem B. Martini de Biardis, semet sub tutela positum B. Petri agnoscentem. Decessit Richardus XVIII cal. Februarii.

Post Richardum collocant Sammarthani Enardum II, Vinselinum et Avesgaudum. Pro Enardo lege Evrardum, et pro Vinselino Ascelinum, de quibus supra. Avesgaudus vero, Ascelini Culturensis tempore, S. Vincentio, sicut diximus, præerat.

XVII. Thomas de Campo Garelli ante Robertum a quibusdam ponitur. De quo silent tabulæ. Ejus vero martyrologium meminit II cal. Septembris.

XVIII. Robertus controversiam habuit cum Michaele de Sablolio super oblationibus et decimis Bruslonis; quam diluerunt Andegavi, anno 1195, judices a papa delegati. Ab eo Reginaldus, Montis dominus, anno 1196, terram et homines Lavariaci defendendos et protegendos suscepit. Reperitur anno 1201, in chartulario S. Albini, inter instrumenta ad Campiniacum spectantia. Cum Luca, Vindocinensi abbate, societatem iniit; supra, t. VIII, col. 1371. Ejectus dicitur anno 1205, postquam res S. Petri prodigus exhausisset. Anniversarium ejus in martyrologio memoratur II cal. Januarii.

XIX. Geoffridus II *Belvant*, annum circa 1206. Cum inter eum et Hamelinum *de la Faigne* contentio intercisset de prædio *Semur*, abbatem miles ferro sustulit. Patrati sceleris semet auctorem confitens Hamelinus, anno 1216, monachis decem solidos Cenomanenses annuatim assignavit

XX. Guarinus, IV calendas Decembris 1207, coram Hamelino, Cenomanensi episcopo, pactum ferit cum fratribus Domus Dei. Causam Innocentius papa III investigandam commiserat judicibus peculiariter electis, instrumentumque solutæ rei reperies in archivo

A Cenomanensi. Adfuit, anno 1208, judicio litis inter Vincentianos monachos et Philippum de Dulceola, super traditis rebus a Gualterio *le Boigne*. Illum inter et senescallum Andegavensem, Guillelmum de Rupibus, de justitia exercenda dissidium exarsit anno 1211. Ea de re Philippus rex ad Guillelmum scripsit, jus monachorum agnoscens. Guarinum inter et Rollandum Avenellum composita fuit, eodem anno, controversia de patronatu B. Mariæ de Biardis. Iniit, eodem anno, fœdus fraternæ societatis cum Hubando, abbate S. Maximini Aurelianensis. Ch. XVIII, col. 138.

B Emit, anno 1212, a Guillelmo Cressone, filio Cressonis Judæi, vineas apud S. Crucem. Quo et anno, mandato domini papæ, litem sopivit inter monachos Chalocheii et Herbertum *le Taillandier;* ex archiv. Andeg., in chartis ad Chalocheium spectantibus, vol. III. Eumdem memorant, anno 1213, a tumultuantibus monachis sublatum e sede. Habemus autem eum, hoc anno 1213, die lunæ post festum S. Martini æstivalis, a nepotibus Roberti de Chemireio accipientem terram quam Campos Guarini nuncupabant. Occurrit insuper, eodem anno, concordiam

C iniens cum Radulfo de Condeio super quadam procuratione. Præterea cum abbatia S. Petri, alienationes quam plurimas experta, numero quasi carentibus cæterum pensionibus gravaretur, sancivit Guarinus, anno 1213, ne postea ullum beneficium antequam vacaret conferretur, aliquave esset alienatio rerum sine communi consensu abbatis et capituli. Nulla in tabulis exulantis aut dejecti vestigium. Anno quippe 1216, concordiam pepigit cum Ada de Romillo, milite, procurationem dimittente, et, eodem anno, penultima Novembris die, ab Elynando

D de *Mondoriu* primitias prædii cujusdam accepit, ut e sententia officialis curiæ comperimus. Occurrit etiam, eodem anno, in charta Hamelini de Capella, tradentis S. Petro quasdam caligas de quibus vertebatur contentio, coram Wilhelmo Abrincensi episcopo. Excepit idem Hamelinum *de la Faigne*, de necato Geoffrido ad pactum venientem. Guarini nomen, Culturensis abbatis, occurrit in martyrologio III idus Septembris et XI cal. Octobris.

XXI. Joannes I, alias Johellus, compositio-

E nem pactus est, anno 1218, coram Mauricio episcopo, cum capellano B. Mariæ de Guerchia. Anno 1219, concessit res quasdam monialibus Clareti. Eodem anno, die S. Remigii, legitur procurationem aliquam ab *Elinan Daufin* accepisse. Eodem, tradidit presbytero B. Mariæ Culturensis census quos certis sub conditionibus percipere solebat in eadem ecclesia.

XXII. Petrus I *de Brissent*, annum circa 1220. Hujus martyrologium meminit anno 1223. De eodem plura memorantur in ins-

trumentis judicandæ litis, anno 1245, inter monachos S. Petri et capitulum S. Juliani Cenomanensis. Societatem iniit, anno 1224, cum abbate S. Sergii, et, anno 1225, cum Ebroniensi priore.

A Petro, nomine primo, Sammarthanorum series tot scatet mendis, ut singulas emendare operosum nimis esset.

XXIII. Hamelinus pactus est, anno 1229, cum Henrico de *Mosteroul*, milite. Eodem præfecturam S. Petri tenente, III nonas Julii 1233, Gregorius papa IX bona et privilegia abbatiæ S. Petri confirmavit, necnon liberæ jus electionis. Societatem fecit Hamelinus, anno 1243, mense Junio, cum Guichardo, abbate Veziliaci. Perquam gravis inter eum et canonicos Cenomanenses lis exorta est anno 1245, cum sibimet irrogatam per totam diœcesim justitiam canonici assererent et Culturenses negarent. Amplissima rei judicandæ servantur instrumenta in schedis domini *de Gaignières*, sub numero 199. Obiit Hamelinus cal. Maii.

XXIV. Jacobus I, annuente Geoffrido episcopo, valetudinario S. Petri quindecim libras Turonenses annuatim solvendas tradidit, Veneris die post Circumcisionem 1260, secundum recentem usum; ex archivo Cenoman. Idem, anno 1261, in indice Thesauri Chartarum, erga regem semet obligavit de numerandis centum libris Turonensibus. Auctoravit, anno 1265, sub annui reditus ratione, monachis Majoris Monasterii Turonensis, decimas quas catenus Culturenses Aceii perceperant. Hujus chartæ nomen præbent usque ad ann. 1267, quo procurationem edidit; apud *Housseau*, t. VII. In martyrologio legitur : VIII *cal. Nov., Jacob abbas hujus cœnobii.*

XXV. Robertus II post Jacobum reperitur, anno 1270, Culturensibus præfectus, in variis Sangermanensium schedis. Videas præsertim Compendium historiæ prioratus Solemnensis, sub numero 583[a]. Idem post Gervasium a quibusdam ponitur.

XXVI. Jacobus II pactus est, die Jovis post festum S. Bartholomæi 1282, cum canonicis B. Juliani, de plurium ecclesiarum patronatu; e codice *de Gaignières* 2737. Idem, anno 1292, licentiam dedit priori Alversi Hamonis compromissum faciendi cum Fulrone quem Infantem dicebant.

XXVII. Gervasius jam sedebat anno 1296. Testamentum condidit suum anno 1303; e domno *Briant*.

XXVIII. Hugo *Gaudin*, prior Alversi, eligitur, anno 1311, die Sabbati post festum Omnium Sanctorum. Anno 1317, mense Martio, commutat quasdam res cum Dionysio, abbate B. Mariæ de Campania. Obiit anno 1324, die Mercurii, in festo Assumptionis, et, die Veneris sequenti, in capitulo sepultus est.

A XXIX. Joannes II *du Coudray*, prior Loeii, suffragiis fratrum adlectus est 27 Augusti 1324. Decessit IV idus Octobris; e martyrologio.

XXX. Geoffridus III *de Coetmoisan*, abbatiam ingressus est et juramentum præstitit 24 Augusti 1343. Culturenses deseruit, in Corisopitensis ecclesiæ fastigium evectus. Unde translatus est ad Dolensem episcopatum.

XXXI. Joannes III memoratur anno 1351; supra, t. X, col. 1429. Non reperitur in chartulario post annum 1359.

XXXII. Matthæus I, sive Mathurinus *de* B *Juillé*, dictus prior antea *Colmieri*, forsitan Conleii, donatur abbatia Culturensi litteris Urbani papæ V, anno 1362, XIV cal. Januarii; e Suaresio.

XXXIII. Pascalis *Huguenot*, patria Lemovix, juris utriusque doctor, ex abbate Louleii, occurrit, anno 1386, chartam edens de rebus quas olim monasterio S. Petri Helias, comes Cenomanensis, tradiderat. Ecclesiam variis ditavit ornamentis. Consiliarius idem regis Franciæ et altius ferens animos, pontificalis muneris insignia infulas induit. Decessit anno 1399, tertia die Octobris, sepultusque C fuit in medio choro; e martyrologio.

XXXIV. Guillelmus II *Patri*, Cenomanensis, prior Solemnensis ab anno 1362, confirmatur abbas S. Petri ab Adamo episcopo, undecima die Octobris 1399. Guillelmum decessisse quidam memorant 20 Martii 1408, postquam fratribus largitus erat mille scuta auri et baculum ex argento deauratum. Alias legitur defunctus die 25 Septembris 1409. Cui libentius assentimus chronologiæ, cum in actis concilii Pisani, 25 Martii 1409, Guillelmus utens procuratore memoretur. Eodem insuper anno, 11 Maii, occurrit Guillelmus D coram senatu Parisiensi litigans cum episcopo Cenomanensi de jurisdictione intra muros claustrales exercenda; ex Albor. Mantell. codice 4, fol. 34.

XXXV. Guido *de Baïf* Guillelmo successit. Quo abbatiam gubernante, Joannes papa XXIII, tertia die calendas Octobris 1411, confirmavit possessiones juraque monachorum B. Petri. Albinianis præfectus est anno 1412.

XXXVI. Joannes IV *Chevalier*, baccalaureus in decretis, natus Tribus Mariis, in Venetensi diœcesi, decessit vicesima, sive E decima Septembris die 1417.

XXXVII. Alanus *Ledoyen* memoratur Solemnis tirocinium posuisse. Occurrit dein procurator abbatiæ matris anno 1385, Charrei prior anno 1400, eleemosynarius postea S. Petri et tandem abbas anno 1420. Hunc, anno 1435, supremus Pontifex Nulleyum S. Vincentio unire jussit. Obiit, ut aiunt, V id. Februarii 1439. Cujus his verbis meminit Bellilocense necrologium : « V non. Maii, missam de S. Spiritu celebrare debemus pro

« fratre Alano Decani, olim eleemosynario, A
« nunc abbate monasterii de Cultura. »

XXXVIII. Gerardus *de Lorière* eligitur anno 1439. Pactus est, anno 1441, cum Ludovico *Chourret*, ecclesiæ parochialis S. Crucis rectore. Anno 1448, sententiam officialis Cenomanensis obtinet contra rectorem ecclesiæ S. Medardi *de Locquenay*, debita solvere recusantem. Occurrit, anno 1454, in Perseniæ chartulario. Decessit 19 Junii 1461.

XXXIV. Guillelmus II Multoris, gallice *Le Monnier*, aut *Le Meulnier*, e priore Vaslonii, Gerardi vices excepit : cujus electionem a Martino Cenomanensi episcopo jam B
confirmatam iterum confirmavit Joannes, Turonensis archiepiscopus, 13 Octobris 1461. Decessit anno 1465 ad finem vergente. Post quem Joannes *de Tucé*, prior Genarum, 20 Januarii 1465, unanimi fratrum suffragio delectus et a capitulo Turonensi confirmatus, 16 Maii 1466.

XL. Guillelmus III *de Malestroit*, Thessalonicensis jam archiepiscopus, audita Romæ Guillelmi Multoris morte, abbas B. Petri commendatarius creatus fuerat, a domino papa, VI calendas Februarii 1465. Qui, pergens ad abbatiam sibi delegatam, semet jussit C
pro more solemniter suscipi. Electum inviti fratres deseruerunt abbatem, moremque gesserunt commendatario usque ad annum 1469, quo cessit abbatiale pedum præfato Joanni, sub annui reditus conditione. Ejus forsitan mentio fit his verbis in Culturensi martyrologio : « XIV cal. Octobris, anniversarium Guillelmi, abbatis Culturæ, « qui pro senio se dimisit. »

XLI. Joannes V *de Tucé* ab anno 1469 ad annum 1485. Testabatur, anno 1472, a cive quodam Vindocinensi datum altari S. Ivonis prædium *la Hégoudière;* e Vindocinensibus D
chartis, in Sangerm. codice 1069, fol. 312. Aderat, anno 1480, solemni translationi corporis S. Florentii, apud Salmurienses. Anniversarium ejus Culturenses celebrabant VI cal. Maii.

XLII. Matthæus II *de la Mothe*, prior nuper Solemnensis, abbas eligitur S. Petri anno 1486. Non paucos tamen nactus erat adversarios, qui morem ei detrectantes, adierunt regem, et ut constitueretur quæstio rogitaverunt. Exstant litteræ regiæ, 17 Aprilis 1486, quibus jubetur ut Cenomanensis episcopus duos deputet vicarios ad confirman- E
dam vel infirmandam prædicti Matthæi electionem. A quibus probatum confirmavit Philippus præsul, sexta et vicesima die Aprilis. Dein vero Matthæus hostilem adversantium ægre sustinens impetum, cessit anno 1492 in gratiam sequentis. Obiit XIV cal. Julii, et sepultus est in capella S. Michaelis, cum hoc epitaphio :

Tristia Matthæum de Mota carmina plangunt,
  Exstinctum structus quem tenet iste lapis.
Pervigili cura miseris succurrit egenis,
  Dispensator item nempe fidelis erat.
Res egit cautus subita veniente ruina;
  Nunquam mendicis callida verba tulit.
Sic prius egregium nomen produxit in ævum,
  Qui diræ mortis horrida tela subit.

XLIII. Guillelmus IV *Herbelin*, professus anno 1463, prior claustralis anno 1483, nuperrime vicarius domnorum Joannis et Matthæi, abbatiam anno 1492 suscepit administrandam. Occurrit in tabulis anno 1495. Naturæ debitum persolvit 1 Junii 1496.

XLIV. Michael I *Bureau*, natus Campi Genestosi, professionem iniit in monasterio S. Petri prima die Decembris 1480. Parisios mox adiit doctorque evasit. Redux ad suos prior electus est, et vicarius domni Guillelmi, anno 1496. Guillelmo dein decedente, Alexander papa VI dedit abbatiam S. Petri Joanni, cardinali S. Sabinæ, qui jam præerat ecclesiæ Lombariensi et monasterio S. Dionysii juxta Parisios. Sed quia Michaelem latis rite suffragiis delegerant monachi, liberæ jus electionis jam non ipsis abreptum tueri conati sunt ante dominum papam; qui, non ultra supplicibus votis obsistens, suffragia confirmavit. Occurrit Michael in chartis annorum 1498 et 1499. Adfuit, anno 1508, conventui Cenomanensi, quo promulgatæ fuerunt provinciæ consuetudines. Multos, eo præfecturam tenente, perpessa est angores S. Petri familia, cum certatim sævirent fames et pestis, annis 1500 et 1515. Exules abierunt monachi in varios prioratus. Episcopus Hieropolitanus dicitur Michael, anno 1517. Viam universæ carnis dein ingressus 6 Junii 1518, sepultus fuit juxta dexteram fenestram sacrario contiguam, non longe a scalarum gradibus quæ ducebant ad dormitorium. Ejus laudes metrice cecinit anonymus :

Plus ejus cunctos quam verbera verba monebant :
  Grata fuit facies sermoque grâtus erat;
Aspectu lætus, ridens, vultuque decorus,
  Incessuque gravis, subtilis ingenio;
Consilio prudens, cunctis in rebus agendis
  Providus, aut deses nec piger arguitur.
Impavidus, constans, humilis, fortisque, benignus,
  Concors, pacificus, dulcis et eloquio,
Nullum lædebat, cunctis prodesse volebat,
  Pauperibusque fuit semper aperta manus...

De scriptis illius notatu dignis non pauca leguntur in Historia Litter. Cenomanensis provinciæ, t. I, p. 248; de gestis, in Compendio Historiæ Reg. abbatiæ S. Petri de Cultura, quod servatur inter manuscriptos Cenomanensis armarii codices, sub num. 91. Ultimus fuit abbas regularis S. Petri.

Post Michaelis *Bureau* decessum, Joannes *Bougler* communi fratrum voto renunciatur abbas. Erat hic Cenomanensis patria, honestiore loco natus, Culturensis professione, qui Lutetiam Parisiorum juvenis missus, lau-

ream adeptus erat doctoralem. Mox rediens ad sodales, Colineriensem, Pratensem in Pallo, Tenganensem prope Castrum S. Susannæ, cellas successive regendas acceperat. Deinde Solemnensi gregi præfectus, famam non mediocrem probitatis et doctrinæ sibi comparaverat, emendans sodalium mores, juvenes monachos litteras docens sacras. Rex vero, cum nullo modo libertatem curaret monasticam, Culturensibus ipse dedit abbatem Silvanectensem episcopum. Jus suum asserens Joannes Bouglerus contumelias et carcerem passus est. Tandem Solemnas reversus, decessit anno 1556, ætatis 75, tertio nonas Aprilis.

XLV. Joannes VI *Callunut*, sive *Calueau*, episcopus Silvanectensis, commendam obtinuit Michaele defuncto. Accepit, anno 1520, juramentum rectoris Domus Dei. Abbatialis mensæ proventus in utilitatem ipsius monasterii impendit, exstruxit utramque alam ecclesiæ necnon cancellos, fulsitque edificium quatuor columnis chorum inter et altare positis. Anniversarium hujus inscribitur IV cal. Julii, in martyrologio Culturensi. Joannem inter Silvanectenses episcopos quære, supra, t. X, col. 1439.

XLVI. Martinus *de Beaune Fournier*, Turonensis archiepiscopus, decessit anno 1527. Vicarium is quidem habuit Renatum *des Escotais,* priorem claustralem, quo præsente professionem iniit, die 12 Januarii 1525, Samson *Bedouyn,* facetorum auctor carminum, de quo Cruceus Cenomanensis, in Bibliotheca.

XLVII. Adamus *Fumée,* e notabili quondam apud Turonos familia, filius Martini *Fumée,* libellorum supplicum magistri, Martino successit terrenum amictum rejicienti. Bellilocensis erat monachus. Postea vero, anno 1544, religionem amplexus est secundum institutionem Calvini reformatam, et, abbatis munus abdicans, ivit ad Helvetios. Sub eo claustralis prior Alanus *de Flotté* officium gessit vicarii generalis.

XLVIII. Nicolaus *Fumée de la Tousche,* antecedentis germanus, legum doctor, necnon canonicus Parisiensis. Hujus Culturenses tabulæ meminerunt annis 1546, 1555, 1558. Occurrit in archivo cleri Gallicani, anno 1563, ad generalem conventum missus a Cenomanensi ecclesia. Abbatiam abdicavit anno 1575, creatus Bellovacensis episcopus. Abbas idem Belli Loci juxta Lochas. Prædictum Alanum *de Flotté* et Nicolaum *Duchemyn,* archidiaconum de Sablolio, vicarios habuit. Episcoporum seriem Bellovacensium de Nicolao consule, t. IX, col. 765.

XLIX. Carolus I, titulo S. Chrysogoni cardinalis de Borbonio, episcopus antea Bellovacensis, abbas S. Petri cessione Nicolai *Fumée*, confirmatus est a Gregorio papa XIII, tertio nonas Maii 1575. Vicarium sibi dedit Renatum *Loriot,* priorem claustralem, et cessit anno 1580 in gratiam sequentis. Ejus meminit martyrologium, VII cal. Maii.

L. Carolus II de Borbonio, dictus cardinalis Vindocinensis, antecedentis nepos, factus abbas per cessionem Romæ probatam, calendis Maii 1580, dat procurationem ad possessionem suscipiendam 24 Octobris, admittiturque 22 Decembris ejusdem anni. Decessit anno 1594. Anniversarium ejus in martyrologio Culturensi notatur III cal. Augusti. De quo fusius inter archiepiscopos Rotomagenses, t. XI, col. 97.

LI. Michael II *Dionneau,* presbyter Cenomanensis, ab anno 1594 ad annum 1602, quo sponte deposuit pedum.

LII. Joannes VII, alias Michael *Legay,* clericus Parisiensis, regi a consiliis, necnon libellorum supplicum magister, nominatur a Clemente papa in locum Michaelis abeuntis, pridie calendas Novembris 1602. Eidem, eodem die, traditum monasterium S. Germani Pratensis. Præstat juramentum in claustro S. Petri de Cultura 16 Junii 1603. Præfecturam etiam tenebat anno 1604, principe *de Conti* reditus abbatiæ percipiente.

LIII. Balthazarus *Poitevin,* instituendo præfectus Ludovico de Borbonio, Suessionensi comiti, ab anno 1620 ad annum 1632 abbas Culturensis, nomine vero, non re, cum fiduciarius esset Ludovici principis. Eadem sub lege tenuerunt abbatiam Joannes-Baptista Guillelmusque proxime sequentes, ad annum 1640, quo Ludovicus, die 6 Julii, decessit.

LIV. Joannes-Baptista *de Croisilles,* ab interioribus christianissimo regi consiliis, accepit, anno 1635, juramentum rectoris Domus Dei. Fuit idem abbas Gemmetici, S. Audoeni Rotomagensis et S. Michaelis in Eremo. De quo t. XI, col. 979.

LV. Guillelmus V *de Montague,* ab anno 1638 ad annum 1640.

LVI. Henricus Ludovicus *Chasteignier de la Roche-Posay,* episcopus Pictonum, decessit anno 1650. Idem abbas fuit S. Cypriani Pictaviensis, S. Sigiranni in Brena et Nantolii in Valle. De eo plura lege inter Pictavienses episcopos, t. II, col. 1206.

LVII. Eugenius Mauricius de Sabaudia, filius Thomæ Cariniani principis, clericus Gratianopolitanæ diœcesis, nominatur ab Innocentio papa, VIII calendas Novembris 1650. Uxorem duxit, anno 1657, Olympiam *Mancini,* cardinalis Mazarini neptim.

LVIII. Ludovicus I Henricus de Borbonio, dictus eques Suessionensis, nothus in ingenuum adoptatus, abbatiam dimittit, anno 1693, sibi matrimonio jungens Angelicam Cunegundam, ducis Luciliburgensis filiam. Monasterium congregationi S. Mauri adjungendum curavit, anno 1657.

LIX. Ludovicus II *Bouton de Chamilly* a

mense Decembri 1694 ad annum 1705, quo decessit.

LX. Franciscus *Caillebot de la Salle*, episcopus Tornacensis, episcopatum deserit et abbatiam S. Petri adipiscitur regendam anno 1705. Obiit Resbaci, Decembri mense 1736.

LXI. Carolus III Ludovicus *de Froullay*, Cenomanensis episcopus, abbatiam S. Petri suscipit, abbatia S. Mauri derelicta, anno 1728. Obiit anno 1767.

LXII. Bernardinus Franciscus *Fouquet*, archiepiscopus Eberodunensis, archiepiscopatum abdicat abbas S. Petri evasurus, anno 1767.

LXIII. N. *de la Châtre*, 1787-1790.

EBRONIUM.

Locus est in Diablintico pago, quem veteres dixerunt Aurionum, recentiores Ebronium, vestigiis insignis Romanæ commorationis. Eo scilicet deveniens, ut aiunt, S. Thuribius, inter episcopos Cenomanenses secundus, capellam condidit. Priscorum narratio est hanc juxta capellam, annum circa 630, quemdam sedisse peregrinum, gestantem in vitrea lagnucula lacteas aliquot guttas, quas e sinu suo sanctissima Virgo Dei genitrix protulerat, cumque laguncnlam ad ramos arboris ille suspendisset, ramos protinus exsurgentes creditum onus denegasse : vocatum igitur Hadoinum episcopum, qui tunc temporis vicinas peragrabat ecclesias, viso obstupuisse miraculo, et in honorem B. Mariæ ædificavisse monasterium in quo laguneulam poneret pretiosissimam. Salva quæ majorum fidei debetur reverentia, notabimus eamdem historiunculam, vel nullis, vel paucis dissimilem verbis, narrari de fundatione plurimorum monasteriorum. Occurrit ea quidem in Analectis Mabillonii, tom. II, de monasterio S. Michaelis, in Virdunensi pago. Ut ut hæc sunt, Ebroniense cœnobium ædificatum fuisse constat ab Hadoino pontifice, Deo et Virgini Deiparæ sacratum, præfectumque monachis quos primos excepit hospites Agobertum, Diablentium abbatem. [Ch. vii, col. 122.] Eorum res auxit, anno 642, testamentum edens supremum Hadoinus. Inde Merolus anno 765 deductus. Sed florentem dein diruerunt domum Britones, aut Normanni, quorum infesta manus tot ruinarum acervos congessit. Vacuus incolis locus, decimo sæculo ad finem vergente, devenerat ad Robertum, Blesensis pagi dictum, ab interpolatore forsitan, vice-comitem. Robertum hunc habemus, annum circa 988, monasterii rursus condendi opus aggredientem, quem adjuvant monachi quidam Benedictini, e monasterio S. Petri Carnotensis acciti. Mox a Roberto quæcumque data confirmavit Hugo, rex Francorum, anno 989. Prædiis ditaverunt idem monasterium Hugo, A Cenomanorum comes, Robertus de Sablolio, Juhellus de Meduana, Guillelmus, Juhelli filius, Radulfus, vice-comes Belli Montis, Fulco Ribolius, Joannes de Capella, Savaricus de Altanosia, necnon, inter recentiores, Guido de Lavalle. Consecrata est iterum ecclesia, anno 1252, intemeratæ Virginis sub nomine et omine. Secesserunt e monasterio fratres, anno 1563, irruentibus undique Calvinistarum turmis. Quocirca, simul ac primus cessit pavor, abbatialem ecclesiam altis circumvallarunt fossis, in qua refugium et ipsi mox habuerunt oppidani. Reformationem B primum Ebronienses anno 1616 optavere, summopere appetentes sibi dari rectioris vitæ institutores monachos e congregatione S. Vitoni. Ad eos ea de re scripsit domnus Anselmus *Rolle*, præfatæ congregationis visitator; sed fratres nullos misit. Invalescente mox congregatione S. Mauri, Petrus *Mortier*, nepotis sui Achillis *Le Petit* locum tenens, procuratoris titulo, pactum iniit cum novis pristinæ disciplinæ restitutoribus, et, tertia die Februarii 1640, domni Joannes-Baptista *Mouly* et Sergius *Bougourd* Ebroniensem ingressi sunt abbatiam, choro, capitulo, dormi- C torio, cæterisque locis præpositi. Subjacebant Ebronio sexdecim prioratus, quadraginta ecclesiæ tredecimque capellæ. Huic monasterio plurimum consuluit Romana sedes, uti nobis testantur litteræ Joannis XVI, Benedicti VIII, Gregorii IX, Lucii II et Alexandri IV. Hæc erat series beneficiorum regularium : prior claustralis, supprior, infirmarius, cellarius, camerarius, præpositus, sacrista, armarius.

Abbatum seriem confecimus, studentes plurimis chartis, necnon schedis domni *Briant*, e congregatione S. Mauri, quas exhibet anonymus codex Sangermanensis, sub D numero 583²; tabellis insuper domini *de Gaignières*, signatis numero 205, et Historiæ Abbatiæ Ebronii, quam Sangermanenses monachi, ab Ignatio *Chevalier* gallice scriptam, ad nos detulerunt. Non parvam insuper opem tulimus e prolixiori ejusdem abbatiæ Historia, quam nuper D. *Gérault* prælo dedit.

Abbatum Series.

I. Tetbertus restaurationis opus aggrediens, anno 988, accipit a Roberto data, et ab Odone, Blesensi comite, necnon ab Hugone E rege confirmata. Eidem concessit, anno 994, Hugo, Cenomanensis comes, facultatem habendi mercatum hebdomade singula, et nundinas annuas, vi idus Septembris. Opinatur perperam doctissimus vir Mabillonius Theodertum quemdam, libertatis testem [Mabill. Ann. t. iv, p. 254.] Fructuariensibus monachis traditæ, Ebroniensem fuisse Tetbertum nostrum. Decesserat enim Tetbertus ante annum 1017, quo condita Fructuariæ libertas.

II. Durandus subscripsit, anno 1015, [Ch. xi, col. 131.]

chartæ Cenomanensis comitis monachos Benedictinos Tuffiaci instituentis. Obiit xvii cal. Decembris, ex Ebronii necrologio.

III. Guillelmus I subscripsit, anno 1066, chartæ qua fundatum monasterium Sanctæ Trinitatis Cadomensis; supra, t. XI, Instr., col. 61. Occurrit dein in S. Vincentii chartulario, adiens Gervasium, Castri Ledi dominum, et querens de molestiis quas Fulcherius, prædicti domini forestarius, Vincentianis intulerat. B. Mariæ regimen tunc temporis abdicaverat et in Vincentianas ædes secesserat, ex abbate monachus. Legitur enim in eodem chartulario, ad calcem chartæ quoad pastionem in Burceio nemore a Cleopha Malranni concessam: « Guillelmus, abbas quondam Ebroniensis. » Cum autem præbeat eadem charta nomen Hugonis Vincentianos sub idem tempus regentis, palam est Guillelmum ante annum 1076 Ebronium deseruisse.

IV. Radulfus testis, anno circiter 1100, initæ concordiæ inter Cenomanenses canonicos et monachos S. Vincentii. Abbates hujus nominis duo reperiuntur in necrologio Ebroniensi, quorum alter decessit ix calendas Februarii, alter iv id. Augusti. Quidam Danielem Guillelmo successisse referunt, nescientes quo tempore Radulfus vixerit. Asserunt tamen circa finem undecimi sæculi quasi penitus eversam monasterii disciplinam, socordia, vel improbitate ignoti cujusdam abbatis, de quo valde conqueritur Hildebertus, Cenomanensis episcopus, in pluribus epistolis. Abbatem hunc Ebroniensem, cujus nomen oblivioni subjacebat, Radulfum opinamur, incerti temporis hactenus abbatem.

V. Daniel, dictus Calvus, Majoris Monasterii monachus, occurrit, anno 1123, subscribens chartæ Rainaldi episcopi, de rebus S. Albino datis ab Adelardo, Castri Guntherii domino. Ad eum scripsit, anno 1125, Hildebertus, Cenomanensis episcopus, confirmans possessiones necnon privilegia monachorum Ebroniensium. Nominatur, post annum 1126, in charta Guidonis, Cenomanensis episcopi, notum facientis Fulconem Ribolium Ebronio ecclesiam S. Paduini dedisse. Huic chartæ, quam Wulgrino perperam nonnulli tribuunt, subscripsit Hugo Paganus, jam tunc ecclesiæ Cenomanensis decanus, post Guidonem episcopus. Præterea notandum quod, exoriente mox quadam contentione inter canonicos Bellilocenses Ebroniensesque monachos de decimis S. Paduini, Guido rem detulit ad Hildebertum metropolitam, qui, rursus scribens ad Danielem, jus Ebroniensium agnovit. Cenomani testis Daniel, vi id. Novembris 1129, sententiæ contra monachos Gemmeticenses latæ, super ecclesiis Sagonæ et Curtis Gazeni. Decessisse legitur v idus Julii 1143, datis abbatiæ legibus quæ diu permanserunt integræ. Ejus sub eamdem diem meminit Culturense martyrologium.

VI. Geoffridus I, prior antea claustralis, accipit, anno 1144, a Lucio papa II litteras quibus possessiones, jura, necnon privilegia B. Mariæ confirmantur. Memoratur in necrologio depositus iii nonas Decembris.

VII. Odo monachis Ebroniensibus jam præfuisse dicitur anno 1148, ex charta abbatiæ Clari Montis. Contendens is cum canonicis regularibus B. Mariæ Bellilocensis super ecclesia Chimireii, dimissam habuit hanc ecclesiam coram Guillelmo, Cenomanensi episcopo. Odone teste, confirmavit, anno 1164, Stephanus, Redonensis episcopus, quæcumque beneficia possidebant Ebronienses in sua diœcesi. Decessisse legitur ix calendas Junii.

VIII. Herbertus I depositus refertur xv cal. Decembris. Domnus *Briant* Herbertum post sequentem Geoffridum ponit. Legitur vero in codice Sangermanensi 1066: « Herbertus abbas immediate ante Gaufridum de Capella ponendus videtur, certe ante Petrum rexisse indubitatum est; et cum diu rexerit et inter Petrum et Gaufridum modicum appareat intervallum, certius erit ei ante Gaufridum sedem adscribere. »

IX. Geoffridus II de Capella, camerarius tempore Odonis abbatis, annum circa 1178. Illum ad se mandavit mox moriturus Hamelinus de Cadurcis, rogans ut ipsum cucullo donaret. Cujus precibus annuente Geoffrido, Hamelinus satis amplas res monachis Ebroniensibus concessit. Guillelmum mox episcopum Geoffridus adiit, conquerens sibi ab Hugone de Pontiaco negari jus præsentandi rectorem ecclesiæ S. Martini de Lunayo. Litem episcopus diremit, suum cuique tribuens. Accepit Geoffridus, anno 1190, a Roberto de Sablolio Hierosolymitanum iter auspicante, confirmationem jurium quæ spectabant ad Ebronienses monachos in Sabloliensi castello. Cum eodem composuit, anno 1199, Guido de Lavalle, super rebus plurimis. Dein accepit, anno 1202, a Fulcone de S. Joanne omnes decimas quas is possidebat in parochia B. Christophori, et primitias in parochia Braicena. Pactus est insuper, coram Bartholomæo Turonensi archiepiscopo, cum Pagano de Vegia, super quibusdam reditibus et gravaminibus. Obiit xi calendas Octobris.

X. Petrus I de Castello e monacho Ebroniensi abbas electus est. Occurrit, anno 1204, in Campaniæ chartulario. Pactus est, anno 1205, cum Hamelino de S. Georgio necnon Martino *Chalopin*, et, anno 1207, societatem iniit fraternam cum Tironensibus monachis. Litigans cum Savarico de Altanosia de juribus in quadam silva, cum eo transegit anno 1210, coram Hamelino episcopo. Habuit Petrus dimissum, anno 1212, a Radulfo, vice-comite Bellimontis, quoddam

feodale prandium, quod exigebat annuatim prædictus vice-comes in monachorum domo Torceiensi. Hoc anno 1212, terram, Platellum dictam, juxta Andegavum, a Martino *Chalopin* obtinuerat : de qua litem moverunt prædicti Martini consanguinei; sed in ea causa vicit Petrus, anno 1213. Accepit, anno 1219, a Pagano de Vegia quidquid is possidebat in terra S. Mariæ. Idem amicitiæ fœdus junxit, anno 1222, cum canonicis S. Petri de Curia. Legitur idibus Julii obiisse.

XI. Ægidius de Castelluno de rebus abbatiæ liberaliter subvenit, anno 1223, Amalrico de Credone, quem comes Britanniæ captivum nonnisi pretio dato dimisit. Immutatus, eo regente, anno 1225, cœmeterii locus, cum inter defunctorum lapides et tumulos animalia venderentur, et in medio surgerent stalla carnibus onusta venalibus. Appellavit papam accusator Foqueraudi de Thorigneio, qui jurgia moverat super S. Stephano de Thorigneio et S. Christophoro de Campania, causamque obtinuit a judicibus delegatis, anno 1227. Mense Januario 1228, unionem et fraternitatem contraxit cum ascetis S. Mevenni. Ad eum scripsit, anno 1231, Gregorius papa IX, uti personaliter accederet ad monasterium Tironense reformandum. Die Jovis in Cœna Domini 1232, commutationem quamdam pactus est cum Guillelmo de Vileriis. Idem, Novembri mense 1239, alteram iniit confederationem cum monachis S. Michaelis. Decessit 19 Februarii 1240.

XII. Arnaldus, vel Ernaudus, anno 1241 præsidebat. Adiit, anno 1245, Geoffridum episcopum de quibusdam componendis, ejusque ad precem, anno 1252, Carthusiensibus Parci liberaliter concessit in perpetuam emphyteosim prioratum S. Dionysii de Orquis. Eodem anno, Dominica die ante Nativitatem B. Mariæ, solemniter dedicata est abbatiæ basilica, congregatis undique prioribus ecclesiarum quæ stabant sub jure B. Mariæ de Ebronio. Sub conditione census Arnaldus, anno 1258, prædia Campi Genestosi sita concessit. Obiit, ex abbatiæ necrologio, x calendas Decembris 1259.

XIII. Joannes I ab anno 1260. Is quidem, anno 1267, fraternitatem iniit cum Thoma, abbate Perredii Novi. Obiit anno 1288, sepultusque fuit in capella SS. Cosmæ et Damiani, juxta sacrarium, cum hoc epitaphio :

Me modo terra tegit, teget et te ; te precor, hortus
Hic mihi sit requies, sic sit tibi mortis in hora.

XIV. Guillelmus II *de Portou* reperitur ab anno 1288 ad annum 1300. Exsequiæ ejus celebratæ xiii calendas Augusti.

XV. Gervasius Anglici, innotescit e chartis annorum 1313, 1314, 1318. Decessit anno 1319, ejusque in tumulo incisum fuit singulare prorsus epitaphium, quod apud Th. Calvinum reperies.

A XVI. Joannes II *de La Haie*, ab anno 1319. Occurrit, anno 1332, in donatione quarumdam vinearum juxta S. Susannam. Ejus depositio refertur ad quintumdecimum diem cal. Februarii.

XVII. Jacobus I *Martin* accepit, 22 Junii 1347, a Geoffrido de Capella, Cenomanensi episcopo, ducentas libras Turonenses pro missa qualibet hebdomade celebranda. Reperitur, anno 1349, paciscens cum Changeii priore, in tabulis S. Nicolai Andegavensis, et, anno 1355, in instrumentis causæ adversus Alanum de Plessiaro.

B XVIII. Herbertus II, aut Albertus, Jacobo sufficitur litteris Innocentii papæ VI, xvii cal. Junii 1356. Hunc eædem memorant litteræ abbatem antea Kemperlegii. Hujus meminit solus Suaresius. Ad Herbertum præterea scripsit Innocentius, ii cal. Aprilis 1357, licentiam ei concedens officium tabellionatus conferendi ; ex eodem Suaresio.

XIX. Guillelmus III, anno 1371, indict. ix, cum Guntherio, Cenomanorum episcopo, fœdus quoddam pangebat de correctione monachorum. Occurrit ad annum 1372. Depositus legitur viii cal. Novembris.

C XX. Alanus de Plessiaco, quem ortum credunt ex illustri domo *du Plessis-Chatillon*, Bernam, Ebroniensem prioratum, regebat anno 1355. Qui suspectus de morte famuli sui, ductus est homicidii reus ante Michaelem, Cenomanorum episcopum. Mox autem crimine solutus prodiit : famulus enim ille, quem vulgi vox necatum clamabat, Carnuti secure vitam agebat. Abbas deinde Ebronii Alanus celebravit, anno 1374, capitulum generale. Memoratur 20 Martii 1376, paciscens cum Gunthero, Cenomanorum episcopo, de correctione monachorum, præsuli solummodo actu

D visitationis concessa, abbati vero quoad quotidianum morem reservata. Anno 1387, reditus assignavit annuos priori claustrali cæterisque cœnobii ministris, eo pacto ut missas celebrarent. Obiit xiii calendas Julii 1399, et sepultus est in capella S. Catharinæ.

XXI. Fouquellus *des Vaux*, e priore Changeii, juxta Lavallem, ab anno 1399 in annum 1401.

XXII. Simon *de Boiscornu*, ab anno 1401. Occurrit in chartis annorum 1405, 1408, 1411. Procuratore utebatur, 25 Martii 1409, in concilio Pisano. Obiit anno 1416.

E XXIII. Joannes III *Brandeau*, seu *Braindel*, ab anno 1416. Litem habuit, anno 1424, cum Joanna, domina Lavallis, super molendino *Bellepoule*. Reperitur usque ad annum 1434, multa passus a suis quorum mores perversos culpaverat. Anniversarium ejus celebratum ix cal. Augusti.

XXIV. Stephanus I *de S. Berthevin* præsentavit, anno 1437, capellanum Goupillariæ. Ejus ad preces a Joanne episcopo consecrata est, anno 1440, ecclesia S. Martini, quæ pol-

luta censebatur. Crimen erat forsitan cantoris, de quo, adulterii reo et in carcerem immisso, exarsit, anno 1446, gravis querela inter Joannem episcopum Cenomanensem, abbatemque Ebronii sibi vindicantis jus integrum in fratres cujuslibet delicti conscios. Cessit Stephanus, anno 1453, in gratiam sequentis.

XXV. Joannes IV *de Favières*, antea prior Vegiæ et in decretis licentiatus, ultimus fuit regularium. Is benedictionis munus accepit a Joanne, Diospolitensi episcopo. Quapropter, ut aiunt, Martinus, Cenomanensis præsul, violata dolens suæ sedis privilegia, eumdem iterum consecravit. Exstat in Albo Libro Cenomanensis episcopi, fol. 32, exemplar professionis quam fecit prædictus Joannes, Andegavi, 8 Septembris 1453, in Omnium Sanctorum ecclesia, coram Martino præsule. Inter Stephanum, ut diximus, et Joannem, tunc Cenomanensem episcopum, lis fuerat de jure Cenomanensis capituli in monachos Ebronienses. Ut vero res tandem soluta fuit per arbitros, Joannes procuratores instituit, 24 Aprilis 1459, qui transigerent coram officiali Turonensi; ex Albo Libro Cenomanensis episcopi. Impetraverat ab Alano, cardinali, necnon apostolicæ sedis legato, ut ipse et successores pontificiis ornamentis uterentur: de qua re pactum est inter Joannem abbatem et Martinum episcopum, 6 Aprilis 1460. Cessit, anno 1482, in gratiam Francisci *de Chateaubriand*, Andegavensis decani, eumque capessendum abbatem monachorum capitulo præsentavit. Quam vero translationem nullam asseruit Franciscus *de Bavallon*, ferensque vindicias, possessionem adiit prima die Octobris 1482. Decessit Joannes *de Favières* anno 1484, sepultusque fuit in capella S. Magdalenæ.

XXXI. Franciscus I *de Bavallon*, lector in decretis, ut devoluntarius possessionem iniit, 1 Octobris 1482, mox decessurus e vivis, die 23 Junii 1485.

XXVII. Franciscus II *de Chateaubriand*, ratam habens tandem a rege et a domino papa confirmatam Joannis *de Favières* cessionem, adest administrandam requirens abbatiam. Sed ei morem detrectantes monachi, Henricum *de la Sauvagière* eligunt. De qua re litigatum est ante episcopum Cenomanensem et archiepiscopum Turonensem. Interea vero Franciscus, quem propalam clamaverat abbatem Gatianus Faber, capituli prior, monasterii præfecturam occupavit. Tandem suam Franciscus causam simul ad curiam Romanam et ad Parisiensem senatum detulit, anno 1491. Non quidem laudatur rerum ipsi creditarum sedulus administrator. Hunc enim, anno 1508, monachi ad Cenomanensem senescallum compulere, querentes de bonis suis in ruinam vergentibus et de reliquiis ejusdem culpa, ut aiebant, furto sublatis. Postquam diu et acriter decertatum fuisset, damnatus fuit abbas, anno 1511, ad reficienda quæ neglexerat. Ivit Romam Franciscus anno 1515, et ejus motus precibus, hoc anno, Leo papa X summas concessit indulgentias illis qui, diebus certis, ecclesiam B. M. de Ebronio orantes adirent. Tunc vero monasterii curam suscipiens, ad ornandam ecclesiæ basilicam plurima contulit Franciscus: thecam enim donavit sacris addictam reliquiis, æreas columnas erigi curavit ante majus altare, capitulique parietes tabulis vestiri. Cessit anno 1519, in gratiam nepotis sui.

XXVIII. Nicolaus I *de Chateaubriand*, protonotarius sanctæ sedis apostolicæ, obtinuit, mense Februario 1519, a Francisco I, rege Francorum, privilegium ad quinque nundinas quotannis instituendas. Sublatus est e vivis mala quadam fortuna Nicolaus, anno 1532, cum, erratico sue territus, corruerit equus quo per Andegavensis strata civitatis vehebatur. Eo regente, Franciscus *de Chateaubriand*, administratoris nomen, temporalis scilicet, sibi vindicans, abbatiam, fructuarium quasi fundum, revera quidem administrabat, ut patet e locationum quarumdam instrumentis, quibus subscripsit annis 1525 et 1529.

XXIX. Renatus *de Boursault*, 1532-1547, idem protonotarius Romanæ sedis et abbas S. Melanii Redonensis. Basilicæ laudatur restaurator. Eo decedente, anno 1547, curatores aliquandiu præfecti sunt administrandis abbatiæ bonis.

XXX. Jacobus II *de Vitry de Larrière*, ab anno 1547. Vicarium instituebat generalem, IV calendas Decembris 1551, Claudium *de Changi*, curionem Chenaii. Alios habuit vicarios Emardum *de Thevalle*, decanum Cenomanensem et Claudium de Glena, presbyterum. Eo præfecturam tenente, decrescens notatur monachorum numerus. Tres et quadraginta moderatus erat Franciscus *de Chateaubriand*: non jam superstites recensebantur plus quam octo et viginti.

XXXI. Jacobus III *d'Apchon de S. Germain*, nominatus a rege Henrico II die sexta Octobris 1555, bullas obtinuit pontificias IV nonas Maii 1556. Munus implebat anno 1562, cum, adventantibus hæreticæ communionis asseclis, inter se partiti sunt monachi aureas laminas quæ magnam ornabant imaginem Christi pendentis e cruce. Aurum pondus habebat duarum librarum et unciarum octo. Resignavit Jacobus in gratiam sequentis, anno 1563.

XXXII. Stephanus II *Heuste*, eductus e monasterio S. Vigoris de Ceriseyo, in Baiocensi diœcesi, creatus est abbas a rege die 10 Martii, et bullas consecutus est die 14 Maii 1564. Invasit abbatiam, anno 1577, Calvinistarum turma, quæ ævarium spoliavit ar-

chivumque deprædavit. Rupiacum monachi secesserunt. A

XXXII. Guido *Adelée*, alias *Adelaye*, fiduciarius, anno 1587. Cessit, decima die Decembris 1596, in gratiam sequentis.

XXXIII. Joannes V *de Balzac d'Entragues*, filius Henrici de *Clermont*, torquati equitis, bullas impetravit III nonas Martii 1597. Abbas idem S. Quintini Bellovacensis ab an. 1603, et designatus, anno 1607, Gratianopolitanus episcopus. Obiit dein 15 Maii 1608, et post eum Ebronii sedes aliquantisper vacavit; nam, 25 Octobris, Ebroniense capitulum prioratum *Trans* conferebat Petro B *Tanchon*, Ebronii professo.

XXXIV. Nicolaus II *de Balzac d'Entragues*, germano Joanni suffectus est, tum S. Quintini, tum Ebronii. Abbas et ipse fuit S. Martini Ruricurtensis et coadjutor Augustodunensis episcopi. Obiit 16 Januarii 1610. Cui ferunt tertium fratrem, nomine Martinum, successisse. Hic vero non possessionem adiit. Sedes legitur vacans 14 Septembris 1610.

XXXV. Claudius *Belot*, consiliarius et eleemosynarius regis. Henricus, Condæus princeps, Ebronium pro Claudio obtinuit, eo C tamen pacto ut is cederet ex abbatia B. Mariæ de Bretolio, cuidam ejusdem principis clienti tradenda. Diem dedit Claudius Nicolao *d'Entragues*, damna denuntians cœnobii rebus allata. Transegit vero Nicolaus et pecuniam numeravit. Nec ipse Claudius cautus atque bene providus administrator habitus est. Cum enim abbatialem domum extruxisset sumptis materiis ex infirmorum eversa capella, conquesti sunt fratres ad supremum Parisiorum senatum, Claudium clamitantes conventuali privatam rem prætulisse. Abdicavit Claudius anno 1616, e vivis excessurus 24 D Decembris 1619, ut constat ex ejus epitaphio, quod legit D. *de Gaignières* in ecclesia Soisiaci juxta Parisios, in qua sepultus est. Erat enim temporalis Soisiaci dominus. Abbas idem Fontanarum in Turonensi pago.

XXXVI. Petrus II *Mortier* abdicavit commendam, anno 1635, in gratiam nepotis sui *Achillis le Petit*, quem et scripsit hæredem, ea conditione ut ipsum ære alieno liberaret. Obiit anno 1648, mense Aprili.

XXXVII. Achilles *Le Petit de Gournay*, possessionem adiit, non sine magno, ut aiunt, apparatu, anno 1636. Sub ejus præfectura, E 27 Julii 1639, tractatum est cum congregatione S. Mauri. Inita reformatio 3 Februarii 1640. Aliquot post annos secedens Achilles, in vicem relictæ abbatiæ, quam permutavit cum Michaele *Amelot*, accepit prioratum S. Opportunæ juxta Parisios, canonicatum in ecclesia Carnotensi et annuam pensionem. Priores claustrales habuerat Joannem-Baptistam *Mousy*, Brunonem *Valles*, Philippum *Cadeau* et Joannem-Baptistam *Godefroid*.

XXXVIII. Michael *Amelot de Gournay*, idem abbas S. Carilefi et Vadi Alneti, ratam a rege permutationem impetravit 17 Novembris 1657, et in Romana curia confirmatam 28 Decembris ejusdem anni. Possessionem adiit 6 Novembris 1658, per Fr. Julianum *Fouqueré*, camerarium. Deinde nominatur a rege Vaurensis episcopus, anno 1671, et, anno 1673, Turonensis archiepiscopus. Obiit 17 Februarii 1687, postquam, anno 1681, Carolo nepoti Ebronium dimisisset.

XXXIX. Carolus I *Amelot de Gournay*, licentiam adeptus in theologia eleemosynisque regiis præfectus, nominatur a rege anno 1681. Obiit 10 Martii 1694.

XL. Joannes-Baptista I *d'Estrées*, doctor theologiæ, legatus christianissimi regis ad Lusitaniæ regem, Cameracensis archiepiscopus, plurimisque jam dives abbatiis, Ebroniensis abbas creatur 20 Aprilis 1694, possessionemque adit per procuratorem 20 Septembris ejusdem anni. Litigavit cum reformationis institutoribus de reditibus monasterii, et, sententiam a Parisiensi senatu latam ægre ferens, ipse fructus omnes abbati traditos constituto pretio monachis vendidit. Obiit die 3 Martii 1718.

Nec sane prætereundum quod, anno 1697, insignis vir doctrinæ domnus Martenius Ebronium exul incoluerit.

XLI. Carolus II Gabriel *de S. Pierre Castel de Crevecœur*, a rege creatus abbas anno 1719, ad possessionem ineundam accessit 1 Januarii 1722, postquam procuratorem elegisset Claudium *Patron*, claustri priorem. Ipse Carolus Gabriel Ebronium se recepit 12 Julii 1723. Anno 1726, incœptum opus restaurandi conventualis tecti, prioris Claudii cura. Decessit Carolus Gabriel 16 Decembris 1743, in villa quæ Rongeria dicitur, non longe a Castello Guntherii.

XLII. Josephus I *de Gordes de Simiane*, episcopus antea S. Pauli Tricastinensis, a rege creatus Ebroniensis abbas die 28 Januarii 1744, per procuratorem administrandam suscepit abbatiam 18 Junii sequentis. Abbas idem erat S. Petri super Divam, ubi diem obiit extremum, Februario mense 1768.

XLIII. Josephus Hyacinthus *Mauduit-Duplessis*, canonicus Venetensis, Ebroniensibus a rege præfectus, possessionem suscepit ipse 19 Julii 1768. Decessit anno 1771, in episcopali Venetorum palatio.

XLIV Joannes-Baptista II *Duplessis d'Argentré*, jam pluribus potitus abbatiis, Ebronium accepit die 29 Octobris 1771. Consecratus fuit, anno 1774, Tagascensis episcopus, mox, anno 1775, ad Sagiensem sedem transferendus. Multa tunc temporis ecclesiæ abbatiali non parvis sumptibus addita sunt a priore domno *Barbier*. Dimisit abbatiam Joannes-Baptista *Duplessis* mense Augusto 1782.

XLV. Eutropius Alexis *de Chardebœuf de Pradel*, doctor Sorbonnicus, Lemovicarum vicarius generalis, missus abbas ad Ebronienses 8 Septembris 1782. Laudatur collegii restaurator. Tunc propemodum incolis vacuæ ædes strepitum pristinum desiderabant. Errabant enim per loca sacra ministris destituta, per silentia cavædia, per hortos opum divites, duodecim tantum monachi. Septem supererant, cum, die 12 Februarii 1791, exulantium supellex præconi subjiceretur.

LONGILEDUS.

Longiledus, vel Lonleium, locus est in agro Diablintico situs, super Egreniam fluvium. Ibi cœnobium a Benedictinis ascetis incolendum exstruxit Guillelmus, Bellismensis dynasta, anno circiter 1020, præsentibus Avesgando Cenomanensi, et Sigenfrido Sagiensi episcopis. Fundationis chartam Sammarthani prælo dedere. Historia Longiledi prorsus obscura: in hac, ut videtur, parvi nominis abbatia nihil posteris tradendum apparuit. Reformatos S. Mauri sodales, anno 1657, Longiledenses excepere.

Primos cœnobii recensuit abbates Robertus de Monte S. Michaelis, in tractatu suo de Immutatione Ordinis Monachorum, quem, post Acherium, *Brial* edidit; Rer. Gallic. Script., t. XIV, p. 381. Alios e variis schedulis desumpsimus: quosdam e catalogo quem ad nos domnus *Briant* detulit.

ABBATUM SERIES.

I. Guillelmus I, Floriaci, non, ut Calvinus opinatur, S. Florentii monachus, cujus meminerunt Robertus de Monte et Andreas Floriacensis in vita Gauzleni, quam nuper edidit D. Leop. *Delisle*.

II. Hugo, Longiledi professus, sedit, anno 1040, in Vindocinensi conventu. Litigavit cum monachis Salmuriensibus super ecclesia SS. Gervasii et Prothasii, quam Guillelmus de Braiosa sub jure S. Florentii posuerat. Res ad curiam Guillelmi, regis Anglorum, fuit delata, qui Salmuriensibus locum confirmavit; e schedis domni *Housseau*, t. II. Subscripsit, anno 1066, chartæ qua fundata S. Trinitas Cadomensis, et sub idem tempus chartæ pacis inter Culturenses et Majoretanos de terra juxta Vallem Guidonis; e chartul. Cenoman. Majoris Monasterii. Memoratur præterea ab Orderico Vitali, Hist. Eccl. lib. V, c. 16.

III. Garinus, deductus Ebronio. In Ebroniensi necrologio notatur, III cal. Junii.

IV. Ranulfus, Cadomensis monachus, jam sedebat anno 1078; nam reperitur in chartis ad S. Martinum Sagiensem spectantibus, tempore quo Robertus Vincentianos regebat; e

A Sangerman. codice 1067, p. 202. Is litem rursus movit super ecclesia SS. Gervasii et Prothasii. Itum est igitur ad forum Roberti, Guillelmi regis filii, qui jus Salmuriensium iterum agnovit. Idem, Hoelli episcopi tempore, et Natalis, S. Nicolai abbatis, inter annos scilicet 1085 et 1096, subscribit Hoelli prædicti litteris, quibus monachorum S. Nicolai possessiones in Cenomanensi diœcesi confirmantur. Ejusdem nomen legitur, annum circa 1100, in charta quæ pacem testatur compositam inter canonicos S. Juliani et S. Vincentii monachos; apud Marten., Ampliss.
B Coll., t. I, col. 579. Testis est præterea Roberti Moritonii Majori Monasterio ecclesiam B. Mariæ condonantis; e chartulario Majoris Monasterii. Obiit Ranulfus XIV cal. Januarii, e martyrologio Montis S. Michaelis.

V. Lamfredus, et ipse Cadomensis monachus; e Roberto de Monte.

VI. Joannes I, ex eodem, monachus S. Launomari Blesensis.

VII. Bermundus, Majoris Monasterii monachus, dimisit, nonis Novembris 1160, omne jurgium de decimis quas Saviniacenses monachi in parochia S. Mariæ de Fulgeroliis
C possidebant; e chartario Savigneii, in Max. Gallorum Archivo.

VIII. Geoffridus, anno 1172, monachus, ut videtur, Ebronii, cujus Ebroniense necrologium pridie idus Julii meminit.

IX. Joannes II, anno 1204, testis est Reginaldi comitis, Savigneio data jam ab Anglorum regibus confirmantis; e Savigneii chartario, in Max. Gall. Archivo, L. 1146[4].

X. Guillelmus II ad ann. 1209, e domno *Briant*.

XI. A. occurrit anno 1211, in chartulario Campaniæ.

D XII. Nicolaus I, sub ann. 1219, e domno *Briant*.

XIII. Gervasius, Ebroniensis monachus, abbas Lonleii dicitur anno 1229, in Ebronii tabulis. Is, mense Martio 1235, secundum veterem computum, composuit cum Savigneii monachis de parte cujusdam decimæ Mantilleii colligendæ; e Max. Gall. Arch., L, 1446[6]. Idem anno 1236 memoratur.

XIV. Radulfus, anno 1241, e chartulario Perseniæ. Ejus ad annum 1247 auctor Cenomaniæ meminit. Obiit v idus Februarii; e Culturæ martyrologio.

E XV. Robertus I plures cum Savigneio permutavit reditus, mense Februario 1253, secundum recentiorem computum; e Max. Gall. Arch., L. 1149[9]. Sedisse dicitur usque ad annum 1271; sed perperam, nam

XVI. Philippus, anno 1262, societatem iniit cum Roberto Montis Morelli abbate; supra, t. XI, col. 537.

XVII. Robertus II, anno 1303, subscripsit sententiæ latæ contra Bonifacium VIII a Gallicano conventu.

XVIII. Petrus I de Moercyo, consanguineus Radulfi *de Baseilles*, in hujus testamento reperitur, die Mercurii post festum S. Juliani 1325.

XIX. Guillelmus III *du Tremblay*, anno 1328. Decessit annum circa 1360.

XX. Joannes III ex abbatiæ camerario fit abbas anno 1360, ut testantur litteræ quibus eum Innocentius papa VI instituit, x cal. Aprilis, apud Suaresium. Obiit ante 12 Septembris 1362, ut testantur Urbani bullæ in gratiam Petri sequentis.

XXI. Petrus II, antea camerarius cœnobii Columbensis, in diœcesi Carnotensi, Joanni sufficitur ab Urbano papa V, iv cal. Martii 1363, apud eumdem Suaresium.

XXII. Joannes IV de Bellonodo translatus est, anno 1369 desinente, in Molismensem abbatiam, ut ex Urbani papæ litteris comperimus.

XXIII. Pascalis *Huguenot* postea fuit abbas S. Petri de Cultura.

XXIV. Joannes V occurrit in apocha, 1 Martii 1399; e schedulis ad clerum spectantibus, in Max. Paris. Biblioth.; *Cab. des Titres*. Idem alteri subscripsit apochæ, 12 Maii 1401; e cod. *de Gaignières*, sub num. 265.

XXV. Nicolaus II adfuit Alenconii scaccario, annis 1402, 1406, secundum domnum *Briant*.

XXVI. Guido reperitur 10 Aprilis 1437, in acceptæ pecuniæ syngrapha quam servat chartacea capsa 1629, in Max. Paris. Bibl.

XXVII. Thomas interfuit scaccario Normanniæ anno 1474; e domno *Briant*. Ultimus hic fuit regularium.

XXVIII. Stephanus *Blosset de Carouges*, idem et Lexoviensis episcopus, Lonleium titulo commendæ rexit usque ad diem 13 Junii 1505, quo beneficia quæque sua resignavit in gratiam sequentis.

XXIX. Joannes VI *Le Veneur*, antecedentis e matre nepos, Lexoviensis insimul ecclesiæ et Becci, Grestani, Liræ, S. Michaelis de Monte, S. Fusciani, Pratellorum, Lonleiique præfecturas sortitus est anno 1505. Decessit Romæ, nonis Januarii 1543. De quo plura, t. XI, col. 801.

XXX. Ludovicus I *de Bailleul*, abbas idem Silleii et supremus Lexovii decanus, filius Fulconis, domini *du Renouart* et Margaritæ *de Carouges*. Decessit xv cal. Februarii 1583. Vide supra, t. XI, col. 760.

XXXI. Joannes VII *Surhomme*, sodalis S. Dominici, decessit anno 1620.

XXXII. Petrus III *Poule*, e domno *Briant*.

XXXIII Eustachius *Conflans d'Armentière*, anno 1628. Idem fuit abbas Vallis Christianæ, in ecclesia Suessionensi. Vide t. IX, col. 501.

XXXIV. Franciscus I *Cauchon*, filius Petri, e dominis *de Trelon*, et Annæ *Brulart de Sillery*. Præpositus idem Remensis et abbas Vallis Regiæ; e Gallia Sacra, codices inter Max. Paris. Biblioth., Suppl. Franc., sub num. 1377.

XXXV. Claudius *de Fiesque*, filius Francisci et Annæ *Le Veneur de Tillières*, anno 1655.

XXXVI. Julius *de Goth de Roillac d'Épernon*, satus e Ludovico, duce *d'Épernon* et Anna *Vialart*. Dimisit Longiledi præfecturam anno 1678, Tronchetum in commutationem accepturus, retinens tamen, sub pensionis nomine, meliorem partem redituum quos abbatialis Longiledi mensa percipiebat.

XXXVII. Ludovicus II *Berrier*, canonicus et archidiaconus Parisiensis, abbas Troncheti, permutatione peracta fit abbas Longiledi, litteris regiis, 13 Januarii 1679. Abdicavit anno 1690.

XXXVIII. Franciscus II *Baudin*, protonotarius Romanæ sedis, occurrit anno 1691. Qui et ipse abdicavit.

XXXIX. Joannes VIII Armandus *de Cotte* ab anno 1716 ad annum 1758.

XL. Ludovicus III Franciscus *de Cléry de Serant* ab anno 1758 ad annum 1790.

VADUM ALNETI.

Ad dexteram Brigiæ ripam, ab eo non procul vico cui suum fluvius nomen commodat, surgebat abbatia S. Laurentii de Vado Alneti. Locum, quem insulam Goscelini, vel alias Vadum Alneti dicebant, Tironensibus monachis, annum circa 1125, Guillelmus de Soriaco dedit, datumque confirmavit Rotrocus de Monte Forti; apud Th. Calvinum, Geogr. Cenom., instr., p. 76. Eumdem inter Tironensis abbatiæ possessiones recensuit Eugenius papa III, anno 1147. Opulentis Tironis filiam eadem sub tempora prædiis auxerunt Guillelmus de Fatinis, Bodardus de S. Michaele, Reginaldus de Danzeyo, et præcipue Montis Fortis toparchæ, ut compertum habes ex Ind. Cenoman. arch., part. 1, num. 140-149. Incertum quidem est an recens condita domus abbatis priorisve sub regimine fuerit posita : ut ei vero præfuit abbas, is quoad peragendas electiones mos invaluit, ut ad ipsum Tironense capitulum electio spectaret, et ad episcopum Cenomanensem approbatio, præsentantibus electum Vadi monachis. Infrequens semper fuit incolis ista domus : in ea tres tantum anno 1461 monachi memorantur, quinque anno 1483. Qui plura, invadentibus Calvinistis, damna perpessi sunt. Suppressa dein fuit mensa conventualis et abbatiali juncta. Ignoratur autem annus quo rerum ea mutatio facta sit.

Abbates Vadi Alneti nemo ea tenus recensuit, nec eorum quidem seriem integram

exhibemus, deperditis, ut videtur, abbatiæ chartulis, nisi quod pauculas servet archivum Cenomanense. Pleraque nobis nomina tabulæ Tironenses præbuere.

ABBATES.

I. Garinus occurrit temporibus Hamelini præsulis, qui præsentatum confirmat. Idem, ut conjicere licet, anno 1236, de decima cum canonicis S. Juliani transegit; ex Albo Libr. capit.

II. Petrus I, anno 1300, a Simone, Tironis abbate, Ferrariensem abbatem instituere jubetur.

III. Joannes I moritur circa finem anni 1374.

IV. Hugo, camerarius S. Trinitatis Tironensis, Joanni demortuo sufficitur a Gregorio papa XI, II id. Februarii 1375; e Suaresio.

V. Petrus II *de Châtillon* Adamo præsuli semet fidum jurat anno 1403. Idem, anno 1405, excusatorias ad episcopum misit litteras, quod a diœcesana synodo abfuerat. Per procuratorem concilium Pisanum adivit, 25 Martii 1409. Quem inter et Adamum, Cenomanensem præsulem, acerrima jurgia surrexere, dissolutam, ut aiunt, monachis vitam viventibus, et abbatiæ rem Petro in pravos usus effundente. His de dissidiis consule Corvæserium, p. 137.

VI. Joannes II *Laisné* post aliquot annos munus abdicavit. Anno sedenim 1458, sedens in capitulo Tironensium generali, dicitur dudum abbas Vadi Alneti.

VII. Mathurinus I adfuit capitulis Tironensium generalibus, annis 1458, 1459, 1460, 1463, 1464, 1465, 1466, 1472. Plura de eodem sub idem tempus in Tironensibus tabulis.

VIII. Petrus III *du Moustier* ab anno 1472. Sedebat in generalibus capitulis annorum 1476, 1477. Leonetum, Tironis abbatem, ut qui plurimis conviciis impetiverat, Petrus amotus fuisset anno 1474, nisi pœnitentiæ pignus dedisset.

IX Antonius *Chapuys* se fidum fore Tironis abbati profitetur anno 1479. Sedebat in capitulis generalibus annorum 1480, 1483, 1484, 1485, 1486. Occurrit insuper Antonius, 24 Februarii 1496, visitatus a Ludovico *de Crevant*.

X. Matthæus *Gouffier*, annis 1505, 1513.

XI. Guillelmus *Gouffier* ab anno 1516. Tironensem abbatem, anno 1517, excipere noluit. Idem reperitur anno 1518.

XII. Renatus *du Bellay* ab anno 1532 occurrit usque ad annum 1541. Episcopus idem Grassensis fuit et Cenomanensis.

XIII. N. *Cordier*, commendatarius abbas, anno 1544.

XIV. Carolus *Salmon* notatur die 11 Martii 1554, in Insinuat. Cenoman. volumine II, fol. 160.

A XV. Mathurinus II *de Montalays*, 12 Martii 1578 ad regem scripsit humillimam sibi traditam fuisse abbatiam, prædiis egentem et funditus a Calvinistis eversam, popositque decessionem aliquam tributi quod regius exigebat fiscus; ex Archivo Cleri Gallicani : Alienat. Cenom. diœc.

XVI. Michael *Amelot de Gournay*, abbas idem Ebronii et S. Carilefi. Episcopus creatus Vaurensis et postea Turonensis archiepiscopus, Vadum Alneti retinuisse videtur. Quo decedente, 17 Februarii 1687, nominatus est a rege

B XVII. Thomas *Daudin*, Cenomanensi ducissæ ab eleemosynis, creatus abbas 29 Martii 1687. Obtinuit præterea, anno 1701, Buxeriam in ecclesia Augustodunensi, decessitque mense Julio 1708. A quibusdam dicitur Michaeli *Amelot* Carolum nepotem proxime successisse, tum Ebronii, tum Vadi Alneti.

XVIII. Alexis *Dupré de Fontaine*, aut *Péan de Fontaines*, major eleemosynarius parvi equilis, jam renuntiatus abbas Benedictionis Dei, in ecclesia Convenensi, anno 1695, Vado Alneti donatus est a rege 1 Novembris 1708. Resignavit anno 1709.

C XIX. N. *Aunillon de la Barre* creatus abbas a rege 17 Augusti 1709. Sedit usque ad annum 1760.

XX. N. *de Chabannes*, major vicarius Nivernensis diœcesis, ab anno 1760 desinente ad annum 1790.

PELICIA.

Abbatia Peliciæ juxta Cherellium fundatur, anno incerto, a Bernardo, Feritatis domino : quam aliquanto post Clemens papa III protegendam suscipit. Benedictinis ab origine monachis adscriptam domum Hamelinus præsul, anno 1205, sub Tironensis abbatis tutela ponit. Decretum est tunc temporis ut, Pelliciæ rectore decedente, successurum abbatem episcopus Cenomanensis simul et Tironensis abbas eligerent. Anno postea 1309, cum inter prædicti Tironis abbatem et Robertum præsulem jurgia de peragenda electione exorta essent, litem, mandato domini papæ, Guillelmus, Andegavensis episcopus, diremit. De qua re consule Corvæserium, p. 550. Quinque monachi, anno 1697, Pelliciam incolebant. Mensam postea conventualem seminario S. Caroli Cenomanensis præsul inivit, anno 1731.

Nullus ad nos pervenit catalogus abbatum qui Peliciæ præfuerunt. E Tironensibus tabulis plerosque eruimus.

ABBATES.

I. Radulfus paciscitur cum Hildearde, Prati abbatissa, temporibus Guillelmi epis-

copi, ante scilicet 26 Januarii 1187. Quare in erroneam Th. Calvinus conjecturam delapsus est, qui conditam dixit Peliciam anno 1189.

II. Ignoti nominis abbas eligitur anno 1192, de quo scripsit Hamelinus ad Cœlestinum papam III.

III. A. pegigit, anno 1224, de quibusdam decimis cum Belismi priore; e chartular. Maj. Monast., t. II, p. 317.

IV. Electio novi abbatis fit, anno 1231, die Mercurii infra octavas SS. Petri et Pauli; e litteris Theobaldi, Tironensis abbatis, et Mauricii præsulis, in chartular. cap. Cenoman.

V. Guarinus, anno 1279, dat Stephano *Blanchart* eremum S. Joannis *de Basonel;* e chartular. Cenoman. capituli.

VI. Garnerius nominatur, 4 Februarii 1309, in instrumento de superioritate Peliciæ; ex Albo Libro Cenomanensis episcopi.

VII. Joannes I, die Sabbati post Pentecosten 1342, procuratorias edidit litteras, quemdam suum requirens monachum, in episcopalibus carceribus captivum; ex Albor. Mantell. codice 4, fol. 36.

VIII. Michael decessit circa finem anni 1369.

IX. Joannes II, S. Mariæ monachus, Michaeli suffectus est III idus Februarii 1370, litteris Urbani V quarum Suaresius meminit. Decessit anno 1401, ex epistola fratrum rectoris eligendi licentiam ab abbate Tironensi deposcentium. Consule Sangerm. codicem lat., num. 1069, p. 85 v. Abbas novus electus est 25 Augusti, uti docent nos litteræ prioris claustralis ad Cenomanensem episcopum; in Albor. Mantell. cod. 4, fol. 36.

X. Joannes III per procuratorem adivit concilium Pisanum, 25 Martii 1409.

Abbas cujus nomen deest, cui vero cognomen hoc gentilitium *Rouse* imponitur, occurrit apud Th. Calvinum moriens 3 Septembris 1429. Inter eum Joannemque forte nullum discrimen.

XI. Andreas *Gouloust* litteras accipit regias 9 Junii 1432, quibus monasterium S. Petri Carnotensis, abbas hujus loci dum abesset, gubernare jubetur; supra, t. VIII, Inst., col. 392. Obiit Andreas 12 Maii 1457, ex actis visitationis peractæ a Leoneto *Grimault*, Tironis abbate; in Sangerm. codice 1069, p. 85. Idem testantur litteræ prioris conventusque ad Martinum præsulem, de Andreæ successore eligendo; ex Albo Libro Cenomanensis episcopi.

XII. Annetus *de la Perche*, mense Maio 1458, præsens memoratur in capitulo Tironis generali; e cod. eod., p. 88.

XIII. Joannes IV *Couppel*, in capitulis generalibus annorum 1459, 1460, 1463, 1464, 1466, 1467, 1469, 1477, 1479, 1480, 1485, memoratur; ibid. Abbati Tironensium fidelitatem juravit, anno 1463. Anno 1464, visitantem excepit Leonetum supra memoratum. Ante eum flagellis percuti jussit Joannes priorem claustralem et sacristam cœnobii, qui rixas inter se, sicut legitur in actis, crebro exercebant; ex eod. cod. p. 86. Joannem præterea conveniebat Leonetus anno 1468, visitationem alteram peragens.

Post Joannem, anno 1486, abbas quidam creatus est a rege, qui dicitur intrusus, ulla sine nominis mentione.

XIV. Richardus *Pocaire* creatur abbas anno 1488. Hic, 3 Februarii 1493, obviam ibat Ludovico *de Crevant* abbatiam Peliciæ visitanti. Occurrit usque ad annum 1497; e sæpius laudato codice.

XV. Ignoti nominis abbas decedit anno 1532; ex eodem cod.

XVI. Christophus *Garault*, commendatarius abbas, fidelitatem Tironensi jurat abbati, anno 1534.

XVII. Henricus *Grollot*, regi a consiliis necnon prior B. Mariæ de Flotano ordinis S. Augustini, apud Senonenses, vicarium constituit in spiritualibus et temporalibus, die 24 Aprilis 1554, Joannem Bonnetum, canonicum regularem ordinis S. Augustini.

XVIII. Joannes V *Jouvenel des Ursins*, Trecorensis episcopus, interest, 23 Julii 1558, Novigenti conventui, in quo de reformandis consuetudinibus actum est.

XIX. Dionysius *Hurault*, abbas insuper Brolii, Panis Pontis et Trappæ. Episcopus fuit Aurelianensis ab anno 1584. Quære supra, t. VIII, col. 1489.

XX. Leonorius *d'Estampes de Vallançay*, episcopus Carnotensis, dein Remensis archiepiscopus, tot beneficiis jam dives, etiam inter abbates Peliciæ recensetur; supra, t. VIII, col. 1191. Qui cessit, anno 1648, in gratiam sequentis.

XXI. Nicolaus Franciscus *Brulart de Sillery*, antecedentis nepos e sorore, abbas idem Curiæ Dei, Jardi, S. Basoli, Pietatis Dei et S. Michaelis Tornodorensis.

XXII. Franciscus *Brulart de Sillery*, et ipse abbas S. Basoli, avunculo suo Nicolao successit. Filius ille quidem erat Ludovici et Mariæ Catharinæ *de la Rochefoucauld*, et fratrem habebat Fabium sequentem.

XXIII. Fabius *Brulart de Sillery*, antecedentis germanus, a 30 Septembris 1675; ex indice Turonensium beneficiorum. Idem reperitur anno 1692.

XXIV. Alexander *de Pontac*, filius infulati præsidis in curia Parlamenti Burdigalensis, doctor theologiæ, ab eleemosynis reginæ, abbatiam Combalongensem sortitus erat, anno 1708, in ecclesia Conseranensi. Peliciæ præfectus est anno 1715. Decessit Parisiis 13 Februarii, vel 1 Martii 1748, ætatis 83.

XXV. Petrus *Beaupoil de S. Aulaire*, episcopus Tarbensis, abbas ab anno 1748 ad annum 1769.

XXVI. Petrus Guillelmus *Lefranc des Fontaines*, vicarius generalis episcopi Trecorensis, ab anno 1769 ad annum 1790.

S. JULIANUS DE PRATO.

Ecclesiam juxta SS. Apostolorum, trans fluvium Sartam, in qua mortales jacebant exuviæ S. Juliani et proximorum ab eo Cenomanensis ecclesiæ pastorum, ædificatæ fuerant antiquitus cellæ, monachis, ut aiunt, jam Innocentis tempore frequentes. Hic, cœnobium ædibus augere studens, claustra non tantum refecit, sed etiam receptacula hospi- B tandis apta peregrinis construxit. Domnolus inceptum opus continuans legitur. E quorumdam conjectura monialibus primum addicta domus fuit. Quos apte refellit Mabillonius; Annal. t. I, p. 560. Memoratur, Ch. IX, col. 125. anno 832, in Ludovici Pii diplomate. Nono dein sæculo decurrente, ex ædibus S. Juliani desertis S. Aldricus sacras in matrem ecclesiam antecessorum suorum reliquias transtulit, et postea, Gervasio præsulante, circa mediam scilicet undecimi sæculi partem, pia matrona Lezelina, parietinis cœnobii restaurandis operam navans, eo virgines C S. Benedicti legem amplexas duxit. Inde sumpsit originem parthenon in Cenomanensis ecclesiæ fastis inclytus. Confirmavit Arturus dux, anno 1199, quidquid Cenomanensis agri comites jam Prati monialibus dederant. Mauricius eas anno 1227 visitavit, et quædam pro eisdem statuta condidit, jubens ut nulla in posterum virgo sacræ monialium catervæ adscriberetur, donec minuerentur numero, quandoquidem abbatiæ reditus non plus quam quinque et viginti sorores alere valerent: præcepit insuper, quoniam nonnullas delicatioris vitæ studium D subierat, ne proprium quid haberent. Gregorius papa, anno 1231, cœnobii privilegia bonaque recensuit. Anno 1414, eidem postquam plurima damna bellum Anglicanum attulerat, Adamus præsul delictorum veniam indulsit eis qui monialium rem reficere studerent. Quarum postea votis obsequens, Leo papa X vetuit ne quæ postea sanguine minores et ignobili loco oriundæ puellæ in tanti nominis domum admitterentur.

Abbatissarum series deest apud Sammarthanos. Vexillarium tamen conquirentibus *Briant* adest. Martyrologium S. Juliani Pra- E tensis servat Albor. Mantellorum codex 45. Ibidem quædam insuper reperies e libro professionum excerpta.

ABBATISSARUM SERIES.

I. Lucia I, prima S. Juliani abbatissa, obiit XVI cal. Maii; ex abbatiæ necrologio.

II. Obereda in eodem necrologio reperitur, VIII cal. Novembris.

A III. Guitburgis I, anno 1117, dat Savigneii monachis mediam ecclesiam S. Alvei; e chartulis ad Savigneium spectantibus, in Max. Gallorum Archivo. Obiit III cal. Maii.

IV. Guiborgis, vel Guitburgis II, obiit VI cal. Septembris.

V. Agnes I ob. XVI cal. Augusti.

VI. Isabella I, seu Elisabetha Lancelinæ, ob. cal. Aprilis.

VII. Basilia occurrit, VI id. Decembris 1143, in chartula quam domnus *Briant* ad nos detulit. Ejus martyrologium abbatiæ meminit XII cal. Maii.

VIII. Petronilla memoratur annos inter 1144 et 1147, a Girardo, Sagiensi episcopo, ecclesiam accipiens S. Chrodegangi. Eadem coram Guillelmo episcopo super ecclesia Breii pacta est cum Odone, Ebronii abbate. Obiit nonis Novembris.

IX. Hildeardis, eodem Guillelmo præsule, composuit cum Rad., abbate Pelliriæ; apud domnum *Briant*. Eadem concessit Majoretanis domum Cenomani sitam; cui donationi subscripsit Hugo, frater ejus: e chartular. Maj. Monast. Obiit XV cal. Septembris.

X. Hadvisa paciscitur cum Petro, Belli Loci abbate, coram Hamelino episcopo, anno 1200. Obiit XVII cal. Maii.

XI. Thomasia *de Corot* obiit VI cal. Septembris 1202; tam ex ejus epitaphio, apud domnum *Briant*, quam ex abbatiæ necrologio.

XII. Juliana reperitur anno 1203. Anno 1215, quoddam iter concedit monachis prioratum S. Martini Cenomanensis incolentibus; e chartulario Maj. Monast. Prædium emit, anno 1217. Abbatiam abdicavit ante annum 1220. Ejus quondam abbatissæ meminit Mauricius præsul, anno 1227; e Monastico Benedict., t. XX. Obiit VIII id. Julii.

XIII. Martina transegit, anno 1220, cum priore S. Victurii. Eadem abbatiam regente, Mauricius præsul monialibus statuta dedit, anno 1227. Obiit VIII cal. Junii.

XIV. Agnes II, Herberti *de Tussé* amita, reperitur anno 1231. Mense Maio 1233, canonicis S. Petri de Curia confert quidquid juris habebat Alneti, juxta Connedralium. Ejus mentio fit anno 1238 sedentis, in instrumento percelebris causæ de jurisdictione a capitulo Cenomanensi exercenda; e cod. *de Gaignières* 199, p. 309. Agnetem *Briant* memorat usque ad annum 1241. Decessit VII cal. Martii.

XV. Nicolaa I, annis 1247, 1252. Obiit pridie id. Decembris.

XVI. Agnes III reperitur anno 1271, monachis S. Vincentii quoddam jus condonans; e cod. Sangerm. 1069, p. 237. Ob. IV non. Julii.

XVII. Lucia II Mala Musca ob. cal. Junii.

XVIII. Lucia III *de Malemouëre,* sedit ab anno 1301; ex ejus epitaphio, quo memora-

tur decedens ultimo Aprilis die 1334, postquam per annos tres et triginta munus implevisset.

XIX. Nicolaa II *de Neuvillette* occurrit anno 1334. Obiit xv cal. Junii 1345.

XX. Aquisia, alias Avia *de Biarz*, abbatiæ priorissa, sororum conventum cogit, 24 Maii 1345, et suffragia colligit. Eo tamen die electio fieri nequivit. Electa postea fuit ipsa Aquisia, quæ reperitur anno 1352 præfecturam tenens. Ob. x cal. Julii.

XXI. Isabella II *de Courceriers* contendit, anno 1366, cum capitulo Cenomanensi. Adversus eam decano sententiam excommunicationis fulgurante, rem defert ad Clementem papam, qui rem tradit investigandam abbati S. Vincentii. Decessit vii id. Julii. 1389.

XXII. Margarita I *de Courceriers* eligitur die lunæ post festum S. Petri ad Vincula 1389. Ob. vi non. Octobris 1426.

XXIII. Isabella III *de Grislemont* eligitur 4 Octobris 1426. Decessit iv cal. Junii 1455.

XXIV. Isabella IX *d'Hauteville* occurrit annis 1455, 1469. Ob. 25 Augusti 1474; tam ex ejus epitaphio, quam ex abbatiæ necrologio.

XXV. Joanna I *de Brée* prima per litteras pontificias abbatiam obtinuit. Priorissæ munus antea tenuerat. Ordinatur xvii cal. Octobris 1474, et possessionem adit 20 Novembris. Occurrit, 1 Martii 1475, in chartulario Culturensi. Resignavit anno 1493.

XXVI. Ludovica I *Le Cornu* instituitur anno 1493, ab Alexandro papa. Reperitur usque ad annum 1499. Ob. vi cal. Julii.

XXVII. Joanna *de Crez* capsam ex argento deaurato fabricari curavit; in quam SS. Juliani, Thuribii, Pavacii reliquias transtulit, 4 Novembris 1505, Philippus cardinalis a Luciliburgo; apud Bondonettum, p. 563. Jusserat Joanna ut carnibus abstineretur a Septuagesima ad Quadragesimam. Super qua re moniales Julium papam II adierunt. Decretum Joannæ abrogatum fuit, 7 Octobris 1509. Decessit vi cal. Martii 1511.

XXXIII. Ludovica II *de Chahanay*, electa fuit 26, aut 27 Februarii 1511, præsente Philippo cardinali *de Luxembourg*, a quo confirmata fuit 3 Martii. Eamdem postea idem consecravit 21 Maii. Obiit xii cal. Februarii 1515; ex abbatiæ martyrologio.

XXIX. Catharina I *de Couesmes*, monialis Pratensis, electa 24 Januarii 1515. Qua præsidente ad strictiorem normam redacti sororum mores, anno 1518, a Philippo cardinali, Cenomanorum episcopo. Legitur Catharina, 20 Novembris 1550, abdicans abbatiam. Decessit vero, e martyrologio, vi id. Decembris.

Post Catharinæ abdicationem monacharum regimen ambierunt æmulæ Maria *de Broc*, nuper Belli Loci abbatissa, et Catharina *de Chaources*, dicta *de Malicorne*, Catharinæ antecedentis neptis. Composuere tandem ea sub conditione, ut Maria præfecturam teneret usquedum alia donaretur abbatia, et Catharinæ pensionem quingenarum librarum annuatim persolveret. Quæ conditio litteris regiis confirmata est, teste domno *Briant*, anno 1557. Jam vero ante hunc annum Maria munus, ut videtur, implebat; nam

XXX. Maria *de Broc* occurrit abbatissa S. Juliani de Prato, 27 Martii 1554, vicarium generalem instituens Leonardum *Desaubiers*, decanum Cenomanensis ecclesiæ; e regestis Insinuat. Ecclesiast., t. II, in archivo Cenomanensi. Obiit viii cal. Augusti.

XXXI. Catharina II *de Chaources*, post Mariam, pluribus in chartis reperitur annorum 1560, 1566, 1567, 1569, 1571, etc., etc. Die 3 Octobris 1580, cum Ægidio, S. Vincentii abbate, querebatur de rerum ecclesiasticarum abalienationibus, quas fieri jusserant litteræ domini papæ: ex Archivo cleri Gallic.; Alien. Cenom. diœcesis. Ejus nomen tabulæ Pratenses exhibebant usque ad diem 19 Septembris 1607. Decessit, aut 10 Septembris, aut iv id. Octobris 1607. Post eam abbatia amplius uno anno vacavit

XXXII. Francisca *Miée de Guespray*, Giffi abbatissa, litteris apostolicis S. Juliano donatur, teste domno *Briant*, vi cal. Februarii 1609. Coadjutricem accepit v Octobris 1613 Margaritam, sororem suam, Pissiaci monialem, et ipsa decessit 27 Septembris 1620.

XXXIII. Margarita II *Miée de Guespray* e sororis coadjutrice abbatissa constituitur 24 Septembris 1620. Per hanc licuit, die 7 Septembris 1637, Urbanæ *de Monteclair*, priorissæ claustrali, Pratense monasterium deserere et Ebronii S. Josephi conventum erigere. Moratur moribus sororum reformandis incumbens. Nec ipsas neglexit ædes, quæ dormitorium condidit et muris abbatiam cinxit. Decessit iv nonas Martii 1644, ætatis 70. Eam Aimericus, Cenomanensis præsul, publicis solemniter laudibus honestavit.

XXXIV. Carola *Miée de Guespray*, antecedentis neptis, professa 19 Maii 1624, eodem anno coadjutrix Margaritæ data est. Quod munus usque ad annum 1644 implevit. Margarita vero decedente, abbatiale pedum obtinuit. Obiit 29 Octobris 1661.

XXXV. Anna *de Montalais*, Petrinæ monacha, Carolæ coadjutrix ab anno 1644, abbatissa renuntiatur anno 1661, consecranda, 7 Novembris 1666, a Philiberto Emmanuele *de Beaumanoir*, episcopo Cenomanensi; e Gallia Sacra. Decessit 11 Maii 1672, ætatis septuagesimo secundo.

XXXVI. Elisabetha *d'Aubusson de la Feuillade*, filia Francisci et Isabellæ *Brachet*, dominæ *de Perusse*, Georgii soror, Ebredunensis episcopi, nec non Francisci, Franciæ marescalli, abbatissa fit S. Juliani de Prato anno 1672. Postea ad abbatiam Longi

Campi, prope Parisios, et, bullis nondum A obtentis, Regulam translata, 21 Aprilis 1679. Abbatissas Regulæ consule, t. II, col. 613.

XXXVII. Catharina III Maria *d'Aumont de Villequier,* quam Antonius, dux *d'Aumont,* Franciæ marescallus, susceperat e Catharina *Scarron de Vavres*. Cisterciensis illa monialis Bosci Nonnarum, Parisiis, B. Julianum accepit regendum anno 1678. Cenomani degentem eam declarat, 3 Martii 1682, apocha quam servat chartac. capsa 1428, in Max. Paris. Biblioth. Obiit 7 Junii 1708, ætatis 65.

XXXVIII. Anna Maria Magdalena Generosa Fara Benigna Theresa *de Beringhen*, filia Henrici comitis *de Beringhen* et Annæ *Dublé d'Uxelles,* S. Faræ professa, creatur S. Juliani abbatissa 26 Maii 1708, et possessionem suscipit 7 Augusti sequentis. Decessit anno 1730.

XXXIX. Maria Magdalena *de Rouvoi de S. Simon,* nominata anno 1730, monasterium regebat anno 1790; quæ tunc nonagesimum ætatis annum excesserat.

ESTIVALUM IN CHARNIA.

Sæcularis vitæ fugiens strepitus et mixta tædiis gaudia, secesserat Adelermus quidam, clara stirpe natus, in sylvam Charniam, sive Carnetam, et Thebaidem sibi constituerat prope S. Nicolaum, horridum vepribus locum et opacis arborum frondibus. Adiit eum die quadam Radulfus, vice-comes Belli Montis et S. Suzannæ dominus, delictorumque veniam suorum suppliciter rogavit. Quibus remissis, S. Nicolaum Radulfus Adelermo in perpetuam eleemosynam assignavit, et decimas molendini furnique S. Suzannæ, nec non quidquid ad ædificia construenda pecoraque alenda silva suppeditaret. Crevit mox viri Deo grati fama, et plures utriusque sexus undique confluxerunt Adelermo adhæsuri. Tunc locus jam angustior evasit. Quemdam alium ergo quærens Adelermus Estivalum devenit, et, annuente Radulfo, monasterium ibi construxit, rogavitque ut conventus monialium eidem aggregaretur. Quod cum Hildebertus præsul consecrasset, accivit Radulfus e monasterio Caritatis Godehildem, sororem suam, et eam sanctis, quas comites elegit, feminis præfecit. Hactenus charta fundationis, quæ præ se fert annum 1109. Infrequens est in chartulis mentio de viris S. Nicolaum incolentibus; celebris autem Estivali feminarum cœtus. Hoc cœnobium Radulfus novis auxit bonis anno 1120. Ejusdem Cælestinus papa, anno 1197, semet patronum professus est. Pluribus tunc abbatia dives erat censibus, quos singulatim Cœlestinus recenset; apud D. E. Bilardum, Ind. Cenom. arch., p. pr., n. 640. Estivali moniales ad pristinam disciplinæ severitatem, anno 1636, Ignatius *Philibert,* abbas S. Vincentii, revocavit.

Syllabus abbatissarum legitur inter codices D. *de Gaignières*, num. 205. Quem non sine fructu consuluimus.

ABBATISSARUM SERIES.

I. Godehildis de Bello Monte, conditoris soror, anno 1109 reperitur. Decessit VII id. Aprilis; e Roncereii martyrologio.

II. Heremburgis I, anno incerto.

B III. Basilia de Poilliaco, anno circiter 1180.

IV. Juliana litigavit, anno 1198, cum Garino Silvestri, presbytero, de pluribus decimis. Querelam hanc composuerunt judices a Cœlestino papa delegati, ut in originali legitur chirographo quod asservat archivum Cenomanense. Decessit IV id. Maii; e necrologio S. Juliani Pratensis.

V. Heremburgis II, 1221-1246.

VI. Beatrix I, Octobri mense 1248, sub census lege tradidit Aliciæ *de la Lucazière* decimas Montis S. Joannis, apud Silviacum;
C ex Ind. Cenom. archivi.

VII. Agnes Pagana, sive Paganella, 1273-1300. Obiit III non. Septembris; e martyrologio S. Juliani Pratensis.

VIII. Heloysa de Cambariaco, filia Roberti, abbatiæ professa, abbatissa reperitur anno 1302.

IX Catharina I de Lavalle, soror episcopi Cenomanensis, sub annum 1333.

Qua defuncta, vacavit sedes ad annum 1340, rexeruntque abbatiam Agnes priorissa et Pippina, æditua, vicarias semet asserentes tam in temporalibus quam in spiritua-
D libus.

X. Maria I de Bello Monte, filia Roberti de Bello Monte, Castri Gunterii domini, ab anno 1340 ad annum 1349.

XI. Nicolaa *de Rabaud* 1350, 1370.

XII. Stephana *de Chastenay* obit 11 Februarii 1373; e schedis D. *de Gaignières*.

XIII. Beatrix II *de Broussin*, filia domini *de Broussin* et *de Fay,* obiit 27 Martii 1404: lege, secundum recentem usum, 1405; e litteris priorissæ conventusque ad Adamum episcopum : in Alb. Mant. codice 4, fol. 34.

XIV. Beatrix III *de Sillé*, filia Guillelmi,
E devixit 29 Aprilis 1434.

XV. Catharina II *de Tucé*, 1434-1439.

XVI. Joanna I *de la Motte,* filia Guillelmi, Motæ domini, defuncta 20 Januarii 1461.

XVII. Margarita *de Bouillé,* filia Fulconis, domini *de Bouillé*, cessit, 6 Octobris 1477, in gratiam sequentis.

XVIII. Joanna II *de Laval*, filia Guidonis II de Lavalle, camerarii Caroli VII, regis, et Carolæ *de Ste Maure*, nec non soror

Ægidii de Lavalle, episcopi Sagiensis, possessionem adiit 5 Julii 1478, decessitque anno 1513.

XIX. Antonia *de Souvré*, antecedentis neptis, filia Matthæi *de Souvré* et Yolandæ *de Laval*, a 13 Augusti 1513 ad 26 Januarii 1533.

XX. Anna *du Bellay*, filia Renati, domini *de la Forest*, soror cardinalis, munus adiit 18 Junii 1534, decessitque anno 1556 desinente.

XXI. Renata *d'Aunay*, cardinalis Bellaii neptis, a rege nominatur 7 Januarii 1557.

XXII. Catharina III *de la Haye* reperitur anno 1582.

XXIII. Angelica *de Cossé*, notha Caroli *de Cossé Brissac* et Novidellæ cujusdam, Pedemontanæ matronæ, obiit anno 1623.

XXIV. Henrica *d'Epinay de S. Luc* munere semet abdicavit in gratiam sequentis, et primo secessit ad Fulientinas Parisienses, dein abbatissa S. Pauli futura; ut supra, t. IX, col. 473.

XXV. Clara *Nau*, monialis Pontis S. Mariæ, 1627-1660.

XXVI. Maria II Francisca Elizabetha *de Kerveno*, Abbatiæ Liberæ, juxta Parisios, monacha, neptis scilicet Mariæ *de Lannoy* supra memorati parthenonis abbatissæ, Estivalense regimen dimittit anno 1675.

XXVII. Carlotta *d'Estampes de Vallançay* occurrit, 1 Martii 1682, in acceptæ pecuniæ syngrapha.

XXVIII. N. *de Courtalvert de Pezé*, annis 1714, 1726.

XXIX. Maria III Anna-Carola *de Rabodange* munere semet abdicavit.

XXX. N. *Volserre des Adrets*, anno 1768.

XXXI. N. *Bernart de Courmesnil* superstes erat anno 1790.

MONS SORUS.

Locum a puellis Benedictinis incolendum exstruxit Genovefa de *Flotté*, Caroli *de Vanssai* vidua, ut ejus litteræ testantur, datæ 19 Martii 1636. Hanc fundationem, 4 Junii 1638, Cenomanensis præsul pro jure suo sancivit. Nondum consummatum parthenonem subierunt, 14 Februarii 1643, e diversis domibus accitæ virgines, quibus tunc temporis, sub priorissæ, vel superioris titulo, præfuit Renata *de Vanssai*, Genovefæ germana. Mox autem, cum ad perficiendas ædes nummi desiderarentur, inter priorissam et moniales orta jurgia. Tunc ejecta, ut aiunt, Renata, Maria *Langlois* regimen aggreditur. Post Mariam *Langlois* occurrit Maria *Dauvet*, vidua Jacobi *Lecomte*, marchionis *de Nonant*, quæ maximis impensis exstruendorum ædificiorum opus exegit, et anno 1655, vel 1659, obtinuit ut prioratus A in abbatiam mutaretur. Hæc e Th. Calvino, Geogr. Ant. Cenom., p. 199.

SERIES ABBATISSARUM.

I. Maria *Dauvet*, vidua Jacobi *Le Comte de Nonant*, decessit 5 Septembris 1676.

II. Gabrielis *Le Comte de Nonant*, antecedentis soror, nominatur 12 Octobris 1677, possessionem adit 2 Augusti 1679, et obit 12 Januarii 1694.

III. Ludovica I Francisca *de Rousselet de Château-Renault* bullis donatur 11 Junii B 1694 et munus suscipit 12 Julii. Transfertur Junio mense 1706 ad Portum Regium, apud Parisios.

IV. Theresa Henrica Petrina *de Rousselet de Château-Renault* nominatur 6 Octobris 1707, et regimen inchoat 12 Martii 1708. Obit 11 Novembris 1731.

V. Catharina I Francisca *Desmoulins*, a 12 Aprilis 1732. Obit 10 Julii 1767.

VI. Ludovica II Francisca *de Vieux Chastel de Mardilly*, domum ære postquam alieno gravasset, secessit anno 1774.

VII. Catharina II Francisca *Lepaulmier de* C *la Livardière* creatur 19 Septembris 1784. Superstes erat anno 1790.

S. GEORGIUS DE NEMORE.

S. Georgio sacrum cœnobium condidit S. Innocens, Cenomanorum præsul, faventibus Ultrogotha regina et Childeberto rege. Hæc e Gestis fuse narrat domnus *Piolin*, t. I, p. 233. Quanquam vero multa sint in agro Cenomanensi altaria quæ S. Georgii patronatu gaudeant, non inquirendus tamen est locus in quo monachica domus ab Innocente fun- D data surrexerit, quandoquidem a veteribus in condita Labrincensi posita memoretur. Labrincensis enim condita nomen suum ex urbe Labricino, vel Lavarzino, juxta sinistram Ledi ripam, desumpsit. Florentem postea, ut videtur, abbatiam Aiglibertus sedi suæ vindicavit, sexaginta monachis ibi constitutis, legem S. Benedicti observantibus; ex Annal. Mabillonii, t. I, p. 560. Nec prætermissum S. Georgii monasterium, annis 802 et 832, in præceptis Caroli Magni (Ch. II, col. 125.) et Ludovicii Pii de rebus Cenomanensis ecclesiæ. Idem a Normannis dein eversum re- E fecit Geoffridus Martellus, Andegavensis comes, anno 1045, qui restauratam ecclesiam canonicis addixit ad normam B. Augustini costitutis. Septem mox in Andegavensi diœcesi prioratus, quatuor in Carnotensi, S. Georgii canonici condiderunt. In abbatiam intromissa est, anno 1726, Reformatorum Præmonstratensium pia cohors.

Series abbatum hactenus incondita. Integram exhibere utinam licuisset! Ad id vero necessaria defuerunt subsidia.

ABBATES.

I. Petrus I occurrit, 1 Martii 1123, subscribens litteris Rainaldi Andium præsulis, pro monachis S Albini; apud Sammarthanos, t. II, p. 131.

II. Briccius, anno 1187, in charta qua Burchardus de Lavarzino, agri Vindocinensis comes, præbendam unam in ecclesia Lavarzinensi concessit monachis S. Georgii de Nemore; ex Albo Libro capit. Cenoman. Idem occurrit inter juratos testes qui, temporibus Urbani papæ III, auditi sunt in controversia de pallio Dolensi. Professus enim est, anno 1154, quo quidem tempore esset capellanus Engelbaldi, Turonensis archiepiscopi, semet vidisse Dolensis ecclesiæ clericos Hugonem Rufum, nuper electum, Turonensi metropolitæ præsentantes. De qua re Martenius, Anecd. t. III, p. 912.

III. Gaudricus reperitur in charta Burchardi de Lavarzino, abbatiæ S. Trinitatis Vindocinensis prædium tradentis; apud *Housseau*, t. XIII, num. 10,869. An vero Gaudricus ante vel post Briccium ponendus sit ignoramus.

IV. N..., suspensus fuerat ab episcopo Cenomanensi ut bonorum abbatiæ deprædator, statutorum contemptor oppressorque fratrum. Mandat Honorius III, 17 Martii 1218, abbati S. Florentii decanoque Cartonensi, ut de moribus ejus inquirant; ex apographis quæ Roma detulit D. *La Porte du Theil.*

V. Petrus II, Augusto mense 1243, querelam dirimit inter Girardum, Balgenciaci abbatem, et Lebertum, quondam Aurelianensem decanum.

VI. Guillelmus I, anno 1293, societatem init cum Joanne, abbate Villælupæ, et cum Stephano, Balgenciaci abbate; supra, t. VIII, col. 1580. Idem, anno 1294, semet Vincentianis fraternæ caritatis vinculo obligat.

VII. Joannes I, die Sabbati post Exaltationem S. Crucis 1341, occurrit requirens quemdam suum canonicum, carceribus episcopi contra jus, ut ait, mancipatum; ex Alb. Mantell. cod. 4, fol. 36. Abdicavit is præfecturam anno 1361, et canonicorum vestem rursus induit.

VIII. Guillelmus II, e priore Monsterolii creatur abbas litteris Innocentii papæ VI, VII cal. Februarii 1362; e Suaresio.

IX. Joannes II memoratur, 25 Martii 1409, per procuratorem adiens concilium Pisanum.

X. Matthæus 29 Augusti 1466 reperitur, in cod. *de Gaignières* 205, p. 37.

XI. Franciscus *du Bourg*, episcopus Rivensis, e regiis consiliis, abbas et ipse Exolduni et S. Evurtii, instituit, 10 Augusti 1554, vicarium generalem Guillelmum *Chenu*, licentiatum in decretis; Insinuation. ecclesiastic. Cenom. diœcesis, in archivo. Cenom.

XII. Geoffridus *Charlet*, regi a consiliis A et eleemosynis, creatus abbas anno 1565, ad regem verba ferebat, 1 Junii 1577, orans ut abbatia paupercula, et a militibus injurias damnaque perpessa, ære solvendo sublevaretur : ex Archivo cleri Gallicani; Alienat., t. III.

XIII. Radulfus *Favier* postea reperitur. Quo decedente, creatus est abbas

XIV. Jacobus I *Favier*. Is vero mox abdicavit in gratiam sequentis.

XV. Jacobus II *Le Bossu Charenton*, clericus Parisiensis, litteris donatur regiis 13 Martii 1645. Occurrit anno 1649, in cujus-
B dam litis instrumento.

XVI. Joannes III *Le Bossu* abbas creatur 9 Septembris 1670; ex indice beneficiorum Turonensis provinciæ.

XVII. Joannes-Baptista *Le Bossu* reperitur anno 1713; e Th. Calvino.

XVIII. Dominicus Franciscus *Hamon des Roches*, clericus Parisiensis, filius Joannis *Hamon* et Margaritæ *Hache*, prior Calvi Montis ad Ligerim, S. Georgii abbatiam sortitus est Januario mense 1721 in annum 1740, quo decessit, Blesis, 14 Martii, ætatis 78; e gentilitiis tabulis.

C XIX. N. *de Lannoy* a mense Maio 1740 ad annum 1743.

XX. N. *Lefebvre de Mesgrigny*, senator canonicusque Parisiensis, ab anno 1743. Decessit Parisiis 17 Octobris 1763, ætatis 42; e Diariis.

XXI. N. *de Pujols* ab anno 1763 ad ann. 1786.

XXII. N. *Juglart du Tillet* ab anno 1786. Sedebat anno 1790.

B. MARIA DE VADATIO.

D

Nonnulla de hujus abbatiæ fundatione commentitia circumferuntur. Narrant enim quidam hanc Caroli Magni, vel Caroli Calvi temporibus exstructam, in prædiis quæ sua sub lege Wenilo, proditorum famosissimus, tenuerat. Huic autem narratiunculæ parum debetur fidei. Nec certior est eorum sententia qui Vadatii conditores autumant monachos S. Juliani Turonensis Benedictinos. Nihil igitur quoad initia Vadatii nisi prorsus dubium veterum memoria tradidit, nec ante mediam duodecimi sæculi partem habitata
E domus noscitur. In ea tunc canonicos reperimus institutis addictos S. Augustini. Mense Novembri 1370, cæsi sunt Angli juxta Mayetum : qui vero e tanta strage superstites salutem fuga quæsivere, Vadatium se receperunt, et abbatiam, ut refertur, flammis dederunt. Quam restaurare non protinus licuit. In ea non amplius quam sex canonici anno 1697 numerantur. Eamdem intraverunt strictiori normæ subigendam, 10 Januarii 1726, reformati sodales Præmonstratensis ordinis.

De Vadatio fuse nuper disseruit D. F. *Legeay*, qui plures ex ignotis hactenus tabulis abbates eruit.

QUIDAM ABBATES.

I. Geoffridus reperitur anno 1161.

II. Thomas innotescit ex obituario S. Jacobi de Monte Forti. Obiit 22 Junii.

III. Joannes I memoratur decedens annum circa 1366, in litteris Urbani V.

IV. Joannes II de Feyaco, canonicus antea B. Mariæ de Vadatio, abbas instituitur litteris Urbani papæ V, x cal. Februarii 1366; e Suaresio.

V. Joannes III *Leproust* abbas memoratur decurrente quinto decimo sæculo.

VI. Philippus occurrit anno 1527.

VII. Franciscus I *Carreau de la Corlière*, episcopus idem Thessalonicensis.

VIII. Joannes IV *de l'Hôpital*.

IX. Michael *Guyton* munus adiit 30 Martii 1576.

X. N. *Landron* in possessionem invehitur 15 Maii 1585.

XI. Robertus *Leboursier* occurrit 14 Decembris 1601.

XII. Leonorius *d'Estampes de Vallançay*, Carnotensis episcopus, Vadatii commendatarius abbas reperitur decimo septimo sæculo ineunte.

XIII. Dominicus *Séguier*, decanus idem Parisiensis, abbas S. Joannis Ambianensis et episcopus Autissiodorensis, annis 1625, 1627, Vadatio præfectus legitur.

XIV. Carolus I *Boisineufs* munus adiit 26 Junii 1637.

XV. Victor *Le Boutheillier*, occurrit anno 1640. De eo plura inter archiepiscopos Turonenses.

XVI. Franciscus II *de Batefort de l'Ausbespin* a die 26 Augusti 1664. Abbas idem erat Buxeriæ commendatarius. Menatense monasterium, in ecclesia Claromontana, accepit 1 Novembris 1670.

XVII. N. *de Ste Colombe de l'Aubespin*, antecedentis nepos; e Gallia Sacra.

XVIII. Carolus II *Barentin*, filius senatoris Parisiensis, abbatiam obtinuit 24 Novembris 1679; ex indice Turonensium beneficiorum.

XIX. Renatus Carolus *Vesnier* litteris donatur pontificiis, VI id. Decembris 1723, et munus adit 12 Februarii 1724.

XX. Paulus *Chauchon*, Arelatensis clericus, theologiæ doctor, eleemosynis Aurelianensis ducis præfectus, creatur abbas Vadatii commendatarius mense Martio 1744. Conscripsit quædam, de quibus consulere licet Hist. Cenomaniæ Litter., t. IV, p. 254.

XXI. Josephus Maria Carolus *de Siochan*, Suessionensis ecclesiæ summus vicarius, creatur abbas a rege 4 Maii 1777. Superstes erat anno 1790.

BELLUS LOCUS.

Abbatia B. Mariæ de Bello Loco, duodecimo sæculo decurrente surgebat ex adverso Cenomani, septentrionem versus, occiduas juxta Sartæ ripas, qua lene fluens amnis pauciores undas colligere videtur cum jam in eo sit ut urbis mœnia præterfluat. Locum dederat, VII idus Octobris 1124, Berardus, sive Gerardus de Silliaco, consentientibus filiis, nulli subjectum et in perpetuam eleemosynam, eo pacto ut ibi conderetur abbatia in honorem B. Mariæ, canonicos sub regula S. Augustini viventes exceptura. Quam donationem confirmaverat Hildebertus præsul. Idem sub tempus Philippus, Cenomanensis archidiaconus, filius Geoffridi Gaudrici, condendæ manum admovere studens abbatiæ, amplam pecuniam accitis canonicis numeraverat, dederatque Saluariam, prædium, ut videtur, opulentum. Bello Loco varia deinde beneficia contulerunt Guillelmus præsul, Stephanus *Gondouin*, Radulfus *de Braseilles* et alii quorum nomina chartulæ servant. Æstuantibus bellis, ædes canonicorum dirutæ fuerunt, hostibus ne præberent latebras. Anno tamen 1375 restauratæ sunt, auxiliante Ludovico, regis filio. Eas occupaverunt anno 1642, reformati congregationis Gallicanæ sodales.

Præter imperfectas series quas Claudius *Perrochel* domnusque *Briant* digessere, consuluimus necrologium Belli Loci in armario Cenomanensi. Indicem tabularii Bellilocensis jam veterem, licet gallice scriptum, insuper nobis humanissime commodavit perquam studiosus patriæ rei indagator D. A. *Espaulart*.

ABBATUM SERIES.

I. Hatto, primus abbas; e necrologio Bellilocensi. Decessit VIII idus Januarii.

II. Petrus I; e serie quam domnus *Briant* digessit. Petri cujusdam necrologium meminit, II cal. Novembris.

III. Garinus, inter annos 1135 et 1142, testis allegitur ab Hugone, Cenomanorum episcopo, in charta qua notum is facit Cenomanense capitulum ecclesiam Avesseii tradidisse canonicis regularibus B. Mariæ de Rota. Obiit x cal. Novembris.

IV. Raginaldus occurrit in charta Guillelmi de Passavanto, monachis B. Mariæ de Ebronio Chimireium dimittens. Chartam hanc servavit *de Gaignières* inter excerpta quæ spectant ad Ebronium, n. 205, p. 172. Decessit Raginaldus XVIII cal. Septembris; e necrologio.

V. Drogo, quem legimus priorem Bellilocensem tempore Raginaldi, subscripsit, anno 1151, jam tunc abbas Bellilocensis,

chartæ Guillelmi episcopi de ecclesia Bruslonis evertenda. Obiit IX cal. Aprilis.

VI. Leonardus, e serie quam Sammarthani prælo dedere, antea Belliloci prior. Ejus meminit necrologium VI id. Septembris.

VII. Robertus I, ex eodem catalogo, et e necrologio, III idus Septembris.

VIII. Lambertus I memoratur ab eodem Guillelmo præsule plures accipiens ecclesias, S. Petrum scilicet de Alverso, Domnum Frontem in Campania et S. Mariam de Bosco. In ea legitur charta confirmatio jam ante datarum canonicis Belli Loci ecclesiarum. Dedit Lambertus, anno 1162, monachis Savigneii vineam juxta Siliacum; e chartario Savigneii, quod asservat Max. Gallor. Archiv., L., 1146². Anno 1180, Guillelmo tradidit episcopo domum ad Majoretanos illico transferendam; e chartul. Majoris Monasterii. Litigavit Lambertus cum Roberto, Vincentianorum abbate, super capella S. Dionysii de Verneia, ut litteræ testantur Guillelmi præsulis jurgium hoc dirimentis; e S. Vincentii chartulario.

IX. Petrus II Morellus occurrit in chartulario S. Petri de Cultura, transigens, anno 1186, cum Dangerosa, uxore Lovelli de Foresta, super Fontanellis. Eodem anno, pactus est cum Joanne quodam super eadem terra. Dein, 27 Januarii, dicitur Guillelmi episcopi morientis extremum excepisse spiritum. Subscripsit, coram Hamelino episcopo, chartæ Patricii et Pagani de Cadurcis ecclesiam Bellifagii monachis S. Vincentii tradentium. Anno 1190, mandato domini papæ, judex sedit in causa Vincentianos inter et Aimericum *Carrel* super decimis litigantes; e chartul. S. Vincentii. Hamelini præterea temporibus, testatus est Geoffridum Malum Canem abbatiæ Belli Loci capellaniam Garreleriæ conditam tradidisse. A Cœlestino papa arbiter electus, uti dissidium exortum inter abbatissam Charniæ Julianam et Garinum Silvestrem, Orci presbyterum, componeret, ea de contentione sopienda chartam edidit, quameomprobavit, anno 1198, Hamelinus episcopus. Testis reperitur in ejusdem Hamelini charta, anno 1202. Idem, anno 1205, v calendas Decembris, judex a domino papa designatur litis susceptæ inter monachos S. Nicolai et Philippam de Longa Villa, super jure patronatus in ecclesia B. Petri de Santineio. Obiit VIII idus Octobris.

X. Lambertus II, mense Martio 1212, secundum hodiernum computum, litigavit, coram Hamelino episcopo, cum Guillelmo S. Vincentii abbate: cujus materia litis decima vini Vovreii percipienda. Eodem anno, testis fuit initæ concordiæ inter canonicos Belli Loci et Gervasium de Curia Cæsaris super relictis bonis a Pagano *de la Corbière*. Idem pactus est cum Radulfo, abbate Campaniæ, de decimis in parœcia Villanæ Juhelli.

A Duorum Lambertorum meminit necrologium Bellilocense, quorum unus II idus Julii decessit, alter IX cal. Augusti.

XI. P. occurrit, anno 1224, litigans cum Albinianis; e chartul. S. Albini.

XII. Joannes I, alias Judacius, concordiam pepigit, anno 1235, cum Roberto de Lonreio, milite. Pariter, anno 1237, cum collegio canonicorum Cenomanensium, de mutua prædiorum libertate. Nonis Maii legitur in necrologio.

XIII. Robertus II de S. Paulo Gualterii. Obiit, e necrologio, IX cal. Septembris.

B XIV. Guillelmus I, dictus de Bello Loco, anno 1250 tradidit, sub reditus annui conditione, domum et cellarium juxta ecclesiam S. Paduini; ex archivo Cenoman. Idem pactus est, anno 1271, cum Guillelmo *Gere*, milite, super reditibus quos prædictus abbas eatenus perceperat in parochia Briciacena.

XV. Geoffridus I, anno 1285, capitulo Cenomanensi fidem dedit fratres Belli Loci processionaliter ituros quotannis ad ecclesiam B. Juliani, prima feria Rogationum.

XVI. Ægidius *Gaudin* ab anno 1302. Occurrit, anno 1307, Guillelmo *Cherruel* vi-
C neam tradens in perpetuum apud Montem Olani, et eidem, anno 1315, rusticanam domum in parochia S. Magdalenæ. Paciscebatur, anno 1316, cum Joanne *de Gouays*, canonico, super domo quadam Cenomani sita. Memoratur Ægidius præterea, in indiculo chartarum ad abbatiam Belli Loci spectantium, annis 1320, 1324. Ejus exsequiæ celebrabantur XVI cal. Aprilis.

XVII. Joannes II de Braetello legitur, anno 1325, in testamento Radulfi *de Braseilles*. Occurrit et annis 1327, 1329, in indice chartarum monasterii. Obiit VI cal. Martii.

D XVIII. Petrus III *Marchand* post Joannem, apud Sammarthanos. Hujus necrologium meminit nonis Octobris. Advertendum vero quod Petrus *Marchand* inter Geoffridum et Ægidium *Gaudin* a domno *Briant* ponatur.

XIX. Guillelmus II de Buxo, antea prior Villenæ, anno 1340 occurrit in chartulario capituli Cenomanensis. Anno 1344, pactus est cum Olivario, jam tunc Villenæ priore, de bonis quæ comparaverat ipse antequam electus fuisset abbas. Anniversarium Guillelmi de Buxo XII cal. Martii celebrabatur. Notandum vero quod alterum Guillelmum,
E de Villena dictum, exhibeat necrologium XVIII cal. Februarii. Indicem chartarum necrologiumque componere de Guillelmis non valuimus. Unius tantum Sammarthani, et unius Calvinus meminere. Duos asserunt tam necrologium quam index. De cognominum tantummodo attributione dubitamus.

XX. Thomas, quem desumpsit Suaresius e regestis Innocentii VI. Obiit, e necrologio, VI idus Martii.

XXI Matthæus *de Montihier* Thomæ suf-

ficiebatur litteris Innocentii papæ VI, xvii A cal. Novembris 1353; e Suaresio. Ille ab anno 1357 ad annum 1397 plurimas emptiones traditionesve sanxit, ut memoratur in variis chartis quas legit dominus *de Gaignières*, et in indice chartarum Belli Loci. Obiit xiv cal. Augusti.

XXII. Joannes III, die Veneris post festum Omnium Sanctorum 1400; ex indice chartarum Bellilocensium.

XXIII. Guillelmus III, cognomento Judæus, reperitur in Belli Loci necrologio, xviii cal. Decembris. Quem post Joannem conjectura ponimus. B

XXIV. Gervasius, dictus et ipse Judæus, 1408. Mense Martio 1409, per procuratorem adibat concilium Pisanum. Obiit viii idus Maii.

XXV. Felix *Saint*, juris canonici doctor, testis, anno 1410, Adami episcopi et capituli Cenomanensis transigentium de administratione domus Ardentium; ex Albo Libro Cenomanensis episcopi. Occurrit idem annis 1421, 1427. Composuit, 3 Julii 1427, cum Adamo episcopo, de jure piscatorio in Sarta, a petra *Picoulée* ad moletrinam dictam *Chestineau;* ex Albor. Mantell. codice 4, fol. C 34. Decessit xi cal. Martii.

XXVI. Joannes IV *Frétillart*, 1437. Obiit ii cal. Novembris.

XXVII. Jacobus *Hoyau*, 5 Novembris 1456, in Indice D. Bilardi, part. 2, num. 256. Memoratur in necrologio, xi cal. Februarii.

XXVIII. Guillelmus IV *Desecherez*, 1466, 1469, 1470, in Indice D. Bilardi, part. 2, num. 259, 261, 409. Obiit xv cal. Junii.

XXIX. Guido I *du Parc* occurrit annis 1471, 1478, 1485, in Indice supra laudato. Jussit, anno 1485, Silviaci dominum inter abbatiæ fundatores annumerari. Obiit idibus D Augusti.

XXX. Geoffridus II *Suet*, dictus Bonus Abbas, ecclesiæ providet fatiscenti, anno 1516.

XXXI Guido II Parcensis, alterius nepos, sexta et vicesima die Augusti 1535, uti vicarios habens tam in spiritualibus quam in temporalibus Thomam *Fournier*, priorem B. Mariæ de Bosco, et Julianum *de Mellay*, priorem S. Paduini. Reperitur usque ad annum 1570 in Archivo cleri Gallicani, litigans cum hujusce cleri procuratoribus : Arch. cleri Gall.; Alienat. diœc. Cenom., t. IV. E Obiit iv cal. Aprilis 1571.

XXXII. Carolus I de Borbonio, primus abbas commendatarius, 1572.

XXXIII. Carolus II *de Ronsard*, Petri frater, vatis eximii, 1575. Idem legitur prior perpetuus Bruslonis.

XXXIV. Laurentius *de Fises*, 1578.

XXXV. Seraphinus *du Tillet*, 1582.

XXXVI. Carolus III *de Beaumanoir*, 1592, mox Cenomanensis episcopus, ab anno scilicet 1601. Idem fuit abbas S. Leodegarii, apud Santones.

XXXVII. Philibertus Emmanuel *de Beaumanoir*, antecedentis nepos, creatur abbas 15 Decembris 1637. Excepit, anno 1642, canonicos regulares strictiori vivendi normæ adstrictos. Episcopus Cenomanensis salutatus est anno 1648, nec protinus tamen Bello Loco cessisse videtur; ut dictum est, t. II, col. 1126.

XXXVIII. Anthimius Dionysius *Cohon*, Nemausensis episcopus, postea Dolensis, Nemausensisque iterum anno 1655. Vide supra, t. VI, col. 461. Quo Bellum Locum ingressus sit anno et quo deseruerit non liquet. Anthimii mentio fit apud Sammarthanos anno 1650. Ejus autem non meminit indiculus Turonensium beneficiorum, inter Cangeianos codices, qui Philibertum ducit ad annum 1671 et ei sequentem succedere vult.

XXXIX. Nicolaus Leonorius *Bouton de Chamilly*, ab anno, ut videtur, 1671, ad annum 1706.

XL. Arnulfus *Boucher Dorsay* a Novembri mense 1706 ad annum 1737, quo decessit, 14 Octobris, ætatis 58, Castellione ad Ingerim; e Diariis.

XLI. Ludovicus Angelus *de Ghistelle de S. Floris*, regis eleemosynarius, ab anno 1738 ad annum 1747. Biterrensis creatus episcopus, sibi collatum munus detrectavit.

XLII. Josephus *de Fay de Maubourg*, comes Lugdunensis, ab anno 1747 ad annum 1786.

XLIII. Franciscus Xavierius Marcus Antonius *de Montesquiou-Fezenzac*, creatus abbas anno 1786, superstes erat anno 1790.

PETRINA.

Petrina, juxta S. Cornelium, quondam fuit virginum conventus quas priorissa regebat. Prioratum, anno 1303, amplis auxit reditibus et in abbatiam convertit Guillelmus de Usagiis, his tamen sub conditionibus, ut non in ea domo moniales plus quam triginta degerent, locusque S. Ludovico de Usagiis sacratus esset. Fundationem hanc Philippus rex confirmavit, mense Junio 1305. Exiguum nomen Petrina adepta est, et infrequens est in Cenomanensibus tabulis nomen abbatissarum huic quæ parthenoni præfuere. Quasdam tantum colligere licuit.

ALIQUOT ABBATISSÆ.

I. Joanna I, die lunæ post Inventionem S. Crucis 1304, clientelaris obsequii professionem facit coram Cenomanensi comite; e cod. Supp. Franc. 4062, in Max. Paris. Biblioth.

II. Colasia, 25 Junii 1405; e Th. Calvino.

III. Nicolaa, anno 1412, Jacobi, Pietatis Dei abbatis, semet clientem jurat.

IV. Isabella occurrit, anno 1465, in cod. *de Gaignières* 205, p. 13.

V. Rosa *de Sarcé*, anno 1476, ibidem. Eadem, 29 Octobris 1477, in chartulario Mellinensi. Occurrit etiam anno 1481.

VI. Maria anno 1496 reperitur.

VII. Guillelma *de la Goupillière* occurrit ab anno 1505 ad annum 1532.

VIII. Joanna II *de la Goupillière*, 1534.

IX. Joanna III *de Montalais* notatur, die 17 Martii 1554, regendam tradens capellam B. Mariæ *du Geolet*. Eadem annis 1556, 1573.

X. Catharina *de Bourbon Soissons*, Caroli Suessionum comitis notha ex Anna Maria *Bohier*, decessit anno circiter 1650.

XI. Magdalena *de Beaumanoir*, quam Claudius, vice-comes S. Joannis, e Catharina *de Carmain* susceperat, semet munere abdicavit in gratiam sequentis.

XII. Eleonora Francisca *Morel d'Aubigny* litteras accepit regias 24 Decembris 1712, et munus adiit 18 Septembris 1713.

XIII. N. *Girard de la Chaume*.

XIV. Maria Theresa *de Montagnac* ab anno 1779 in annum 1790.

PERSENIA.

Guillemus III, Belismæ, Vagoriti, Alençonii et Pontivi potens toparcha, quærens in matrimonium Aleyden, viduam Bertrandi Tolosani, filiamque Odonis Burgundi, devenit in Burgundiam, et hospes Odonis, mox soceri, aliquantisper fuit. Tum monachos invisit Cistercii degentes, quos jam eorum fama cognoverat. Postea redux ad suos adversamque perpessus fortunam Guillelmus, Belismam Henrico tradidit, Anglorum regi, mox et Alençonium, secessitque S. Remigium de Plano, cliens Geoffridi Andegavorum comitis. Ab eo tempore, terrenis spoliatus et studiosius cœlestia affectans, piis fundationibus præcipuam operam impendit. Pro certo tenemus Guillelmum, annum circa 1130, precibus suis accivisse Cistercienses Perseniæ collocandos. Misit quosdam e fratribus Stephanus Hardingus, tertius Cisterciensium abbas, quorum nomina referre possumus hactenus servata. E monachis fuerunt Airardus, Lambertus, Stephanus, Gilbertus, Fulco, Guillelmus, Aimericus, Garinus et Theobaldus; e novitiis, Guillelmus alter et Herbertus; e conversis numerantur insuper unus et viginti. Locum subeuntes ipsis datum, opus instaurandi cœnobii sine mora aggressi sunt. Ad ecclesiam rite consecrandam convenerunt, anno 1145, Guillelmus Cenomanensis episcopus et Girardus Sagiensis, et ipse præsens Guillelmus comes fundationem litteris publicis confirmavit. (Ch. XII, col. 135.) Altera mox Guillelmus charta largitus est monachis domum Alençonii et quodcumque jus, quæcumque privilegia jam eisdem condonaverat. Ejus ad exemplum Philippus *Hay*, Olivarius de Oseio et Radulfus Viarius, Normannici tractus magnates, quædam de suis rebus dederunt. Denuo fundatam probaverunt abbatiam Eugenius papa III anno 1150, et, anno 1163, Alexander III. (Ang. Manriquez, Ann. Cist., t. II, p. 172.) Joannis, qui filius fuit Guillelmi, tres exstant chartæ, confirmantes iterum a patre data. Quæ rex Anglorum Henricus, forsitan secundus, ipse rata fecit. Octo chartis, ab anno 1191 ad an. 1214, Robertus comes, filius Joannis, non solum patris et avi donationes sigillo suo munivit, sed etiam monachorum jura, quibus nonnulli insidiabantur, tutatus est. Nec minor fuit Richardi regis eorumdem cura. Cum enim fures in abbatiæ terris apprehensi fuissent ductique in monachorum quoddam prædium, senescallus S. Remigii de Plano eo venit, et cum magna armatorum copia fures abripuit, eos suæ dicens jurisdictioni debitos. Unde lis inter Persenienses et senescallum exorta, quam composuit Richardus, anno 1196, secundum monachos statuens. Ejusdem alia duo reperies testamenta, quibus confirmatæ sunt et auctæ monachorum possessiones. Arturus, mense Junio 1199, et Joannes, rex Angliæ, circa finem ejusdem anni, eadem jura comprobaverunt. Inter cæteros Perseniæ benefactores annumerantur Geoffridus, comes Perticensis, Odo de Alleriis, Guillelmus de Rupibus, senescallus Andegavensis, Juhellus de Meduana, Hamericus, comes Castri Heraudi, Ludovicus IX, rex Franciæ, Ludovicus, vice-comes Belli Montis, Roscelinus de Bello Monte, Joannes, vice-comes Castri Heraudi. Ferventibus dein bellis inter Anglos et Francos, sub infelicissimo Joannis I regno, Perseniam deseruerunt monachi, et in castellum S. Remigii secesserunt; unde, tutiorem quærentes locum, Alençonium petierunt. Tunc errabundi per campos milites villanique, sequentes ducem nomine *Lochet*, monasterium invadere, evertere clausulas, abripere ornamenta, vasa sacra, quidquid de supellectili monastica pretium vel minimum commendabat. Quibus auditis, fratribusque poscentibus ut sublapsa res restitueretur, Carolus comes, qui, partibus favens Anglorum regis, eo tempore Rotomagi degebat, Perseniam misit capitalem Normanniæ tribunum, monachos jubens in reparata claustra protinus reduci. Redeuntes memorantur anno 1357. Strictiorem Benedictinæ regulæ observantiam admiserunt Perseniæ monachi 3 Julii 1637.

Abbatum nomina e chartulario Perseniæ, quod servat Regius codex 5474, præcipue collegimus. Seriem quamdam exhibet index Perseniensium tabularum, in archivo Cenomanensi.

ABBATUM SERIES.

I. Herardus, Cisterciensis monachus, nominatur primus abbas Perseniæ in charta Guillelmi comitis altera, de juribus ad Perseniensem conventum spectantibus. Ei concessit, anno 1154, Joannes, abbas S. Martini Sagiensis, quæcumque Claro Fonte tenebat, in prædio Richardi Cotinelli, et inde rata fuit inter Sagienses et Persenienses fraterna societas, anno 1151 jam inita. Ad eumdem misit, anno 1163, Alexander papa III iteratæ bullam confirmationis. Memoratur in chartulario S. Vincentii litigans cum abbate Roberto, de decima terrarum Contilleii sitarum. Eum per annos quinque et triginta Perseniensibus præfuisse ferunt.

II. Adamus Herardo successit, doctrinæ fama clarior. Ut ipse scripsit ad Pontiguiacensem quemdam monachum, canonicus regularis fuerat antequam cucullum nigrum susciperet. Opinatur hunc Martenius regulæ Benedictinæ instituta apud Majoretanos didicisse, et eorum in claustro munus armarii implevisse. Hæc autem conjectura certo caret fundamento. Subscripsit abbas Perseniæ, IV idus Maii 1189, chartæ Joannis comitis, notum facientis Radulfum, filium Philippi, confirmasse quæcumque Philippus pater B. Mariæ de Persenia dederat. Ad illum ergo referre non dubites statutum hoc capituli generalis ordinis Cisterciensis, anno 1191 : « Abbas de Persenia, qui hospitibus « in sexta feria caseum et ova dedit, sexta « feria jejunet in pane et aqua, et de cætero « ipsi et alii caveant. » Hæc erat, illo tempore, Cisterciensis ordinis disciplina. Adamo tradidit, anno 1191, se suaque Gervasius de Toigneio. Testis adlectus est, eodem anno, a Roberto comite, filio Joannis, testamentum suum condente, cum in eo esset ut Hierosolymam tenderet. Adamum Robertus summopere coluit confessoremque suum in litteris publicis nuncupavit. Quocirca redux e transmarinis plagis, plures ei dedit reliquias. Reperitur Adamus, anno 1192, Hamelini præsulis chartæ subscribens pro B. Maria de Trappa. Idem occurrit, annum circa 1194, in charta Roberti monachos dimittentis oneribus liberos quæ conabantur in eos inclinare Philippus de Randonayo et Odo *Cottinel*, silvarum custodes circumjacentium. Accepit hoc anno prædium juxta Campum Rufum, a Roberto et Fulcone de Assis. Romam eumdem misit, annum circa 1195, S. Bernardus Clarævallensis, utpote jam consiliis valentem, auctoritate conspicuum, et quasi totum caput supra plerosque ejusdem ordinis abbates ferentem. Adamus Romæ in congressum venit Joachimi, quem, Floræ apud Calabros abbatem, celebrem effecere prophetica deliria et ea tenus inauditæ sacrorum librorum interpretationes. Colloquium habuerunt de tempore Antechristi, quod tulit ad nos sincerum aut fictitium Radulphus Coggeshala, scriptor coævus, in Chronico. Hujus pugnæ fortunam nescimus. Ad Persenienses redierat Adamus anno 1197, quo laborans in extremis Maria, Campaniæ comitissa, filia Ludovici Pii, Francorum regis, eum ad se vocavit, ut scilicet abeuntem animam Deo precibus commendaret. At vero cum ad Mariæ tecta pervenit Adamus, jam decesserat filia regum, et ejus ministri vasa aurea, vestes pretiosas, culcitrasque purpureas certatim distrahebant. Hæc narrantur in Apibus Thomæ Cantipratani. Confessiones audivit ipsius Richardi regis, ut testatur charta qua Richardus confirmavit et auxit, anno 1198, possessiones abbatiæ. Ad feriam secundam Paschæ 1199 referenda quæ leguntur in vita S. Hugonis Avallonensis : « Audiens S. Hugo « cœnobium *de Persein* non longe esse a via « urbis Sagiensis quo tendebat, ejusque « abbatem optimis esse studiis præditum « probisque moribus valde insignitum, cupiens viri Dei sibi notitiam comparare, « ejusque orationibus seipsum commendare, nec temporis inquietudine, nec « itineris longitudine retardatur. Per devios « suisque omnibus ignotos colles, cum « paucis servorum alacri devotione (transiens), pervenit ad monasterium, reliquis « servientibus et sociis recto itinere ad urbem præmissis. Sed cum abbas tunc esset « absens, celebrata missa discessit. » Accepit Adamus, anno 1200, sexaginta solidos Andegavenses annuos a Guillelmo de Rupibus, Andegavensi senescallo. Christianæ nobilitatis animos movente Fulcone de Nulliaco, crux suscipitur anno 1201, et cruciferis a domino papa præficitur Adamus. Ad quas iverit plagas ignotum. Quum vero captam inter se partirentur Constantinopolim Balduinus Flandrensis et Venetorum toparcha, jam redux in Galliam Adamus ad Remensem ecclesiam, quam maximis conturbatam discordiis, Innocentio III papa jubente, anno 1204, se receperat. Æstuabant ultra modum animi eorum qui de archiepiscopo instaurando jurgia inter se movebant. Quibus componendis Adamus irritam dedit operam. Eodem anno, cum Hamelino, Cenomanensi episcopo, Majus Monasterium reformavit. Dein silent de Adamo chartæ usque ad annum 1208, quo eum a Stephano Gondoini videmus accipientem res quasdam juxta Burceium, et a Richardo *Le Roille* campum jam antea Herardo datum a Gualterio, Richardi patre. Eodem anno, Innocentii papæ mandato, ivit Adamus ad Philippum Franciæ, et Joannem Angliæ reges, ut inter eos pacem faceret impellendos adversus Raymundum VI, Tolosæ comitem, Albigensis sectæ signiferum; Innoc. Epist.,

Martène, Thes. Anecd. t. IV, col. 1270.

Rer. Gallic. Script., t. XVIII, p. 76.

lib. xi, epist. 30. His in legationibus egregium Adamus se gessit commissarum sibi rerum procuratorem. Ideo nemini magis confidens Innocentius papa. Misit eum, anno 1210, ad cænobium S. Michaelis de Monte, cum Jordanus abbas diceretur a monachis thesauri fur abbatialis, bonorumque aliorum direptor. Anno 1211, Adamus occurrit in chartulario Majoris Monasterii, inter judices qui litem sopiverunt inter Robertum comitem et Belismensem priorem. Eodem anno, dedit abbati Silleii decimas S. Martini de Supervia, antea Perseniæ collatas a Rogerio de Cortembleio; e tabulario Silleiensi, in Max. Paris. Biblioth. Quem insuper judicem summus Pontifex dedit, anno 1212, episcopo Sagiensi, de multis et gravissimis criminibus impetito. Decessisse legitur Adamus anno 1221, Venerabilis nomen adeptus apud suos. Ejus de scriptis sodales domni Rivetii disseruere. Ejusdem eloquentiam, quorum monumenta pleraque nobis ætas invidit, luculentis verbis laudavit Jacobus de Vitriaco.

Bessin, Concil. Norman., part 2, p. 369.

Floruerunt Perseniæ, Adami temporibus, Thomas et Helinandus, de quorum operibus vel editis, vel ineditis, non pauca jam dicta, nec pauca sane dicenda supersunt.

III. Gualterius Adamo proximus successit. Gualterio nempe tradidit, anno 1222, Mauricius, Cenomanensis episcopus, decimas quas sibi diu vindicaverat Reginaldus *Ferrom*. Idem, anno 1225, testamento subscripsit Aimerici de Castro Heraudi, et pactus est cum Joanne de Oseio super prædio Gouderia dicto. Eodem anno, mense Decembri, plura W. *Goillart* et Reginaldo fratri tradidit. Mense Martio 1226, secundum recentem usum, pactus est cum fratribus S Joannis Andegavensis de quibusdam reditibus; apud *Housseau*, schedarum t. XIII. Gualterium in annum 1236 vixisse ferunt.

IV. Guillebertus, quem alii vocant Guillelmum I, abbati Silleii, anno 1246, decimam S. Martini de Supervia confirmavit; e Silleiensi tabulario. Idem ligitur Perseniæ Ludovicum IX regem excipiens, mense Maio 1248.

Post Guillebertum forsitan collocandus Matthæus abbas *de Persen*, cujus martyrologium Roncereii meminit v id. Octobris.

V. Lambertus occurrit anno 1262, mense Junio, et anno 1271, Mercurii die ante festum S. Matthiæ Apostoli.

VI. Gualdus per annos viginti Perseniæ præfuisse dicitur.

VII. Habertus jam sedebat anno 1303. Vineas Coloniæ a prædecessore elocatas confirmavit, anno 1312. Concordiam pepigit, anno 1313, cum Nicolao de S. Lupo super loco dicto *les Genestais*. Anno 1319, accepit ab Alençonii comite terras in Normannia sitas. Capitulo ordinis generali dum interesset, anno 1325, emit a Guillelmo, Cisterciensi A abbate, cellam quamdam in Cisterciensi monasterio, a se quidem et insuper a rectoribus Spalli Claritatisque habitandam.

VIII. Odo *Boissel*, præcedentis procurator, abbas occurrit anno 1347.

IX. Joannes I *Lamarre*, dictus a Suaresio Joannes Salomonis, monachus Perseniensis, Odoni sufficiebatur litteris Innocentii papæ VI, idibus Martii 1357. Qui præfecturam sortitus est infaustam. Ejus enim tempore, factionum concursus plusquam civilium, per oppida quæcumque acerrimi belli tumultus, villarum et cœnobiorum insolens et B impia deprædatio, cum nullus occurreret locus armatis vacuus, nec jam armatos inter et latrones quidpiam discriminis interesset. Obtinuit anno 1360, ferventibus discordiis, pro monachis nec non pro Perseniensibus incolis, hospitandorum militum immunitatem, confirmationemque privilegiorum abbatiæ. Sepultus est ante capellam S. Magdalenæ.

X. Petrus I, Perseniensis et ipse monachus, creatur abbas ab Innocentio papa VI, xiii cal. Augusti 1362: e Suaresio.

C XI. Joannes II *Taron*, oriundus Melo, quem reperimus die 29 Martii 1383. Recenseatur inter abbates quos, anno 1393, excommunicavit Cistercii capitulum generale, quia non ad aliquod ordinis gymnasium unum e monachis scholarem miserant. Decessit Joannes II die 29 Novembris 1399, sepultusque fuit juxta Joannem *Lamarre*.

XII. Simon *Guitton*, sub Joanne II procurator et prior claustri. Præfuisse legitur per annos quindecim. Capituli fatiscentem cameram reparavit, et sepultus est in capitulo, ad lævam partem.

XIII. Guillelmus I *Amiot* occurrit die 16 D Januarii 1415. Nominatur 29 Octobris 1417, in litteris salvi conductus quas dat Henricus V, Angliæ rex; e Majoribus Normanniæ Rotulis D. *Léchaudé d'Anisy*, p. 231. Anno quinto et trigesimo post susceptum munus, senio confectus cessit in gratiam sequentis.

XIV. Petrus II *de Montreuil*, baccalaureus in theologia, nuper prior Campaniæ, res abbatiæ temporales procuratoribus commisit, ut genio indulgeret ab iis rebus abhorrenti. Occurrit in schedis domini *de Gaignières* syngrapham dans acceptæ pecuniæ, die 12 E Januarii 1456. Habemus eumdem, anno 1462, die 27 Septembris, confirmantem quædam quæ pactus erat antecessor Guillelmus cum Geoffrido, milite. Illum multum dilexit Catharina, Lavallensis comitissa, necnon Sagonensis domina. Obiit anno 1474, et sepultus est ante altare S. Petri.

Decedente Petro maxima de successore eligendo dissidia. Plerique favebant monachi Petro *Bouillie*, Perseniensi professo et baccalaureo in theologia. Cæterorum vero suffra-

gia convenerant in Rolandum *Legouf*, Begari Trecoriensis monachum. Postquam superiores ordinis secundum Rollandum decrevissent, per tres annos litigavit Petrus *Bouillie*, donec S. Andreæ monasterio præficeretur.

XV. Rolandus *Legouf* accepit, anno 1484, a Renato duce confirmata jura privilegiaque monasterii. Delegatus reperitur a domino papa, anno 1496, ad componendam litem inter Robertum Julianum presbyterum, et Joannem *de Laistre*, Sagiensem canonicum. Ecclesiæ suæ ruinas resarcivit. Semet munere abdicavit anno 1507, quietem quæsiturus in capella S. Rochi de Bracia, ubi vixit per plures annos, reperto gaudens silentio. Obdormivit in Domino anno 1515.

XVI. Joannes III *du Tertre* litigavit cum curionibus S. Cosmæ, Monholdolis et Comariaci, decimarum studiosus recuperandarum. Confirmationem obtinuit rerum Perseniæ a Carolo duce et a Ludovico rege. Decessit anno 1517. Sepultum memorant non longe ab altari S. Joannis, in ala cujus cameram reficere curaverat.

XVII. Catharinus *de Chahanay*, regularium ultimus. Præfuit per annos sex et triginta, et non quietos sortitus est dies. Tunc enim omnia in præceps ruere, et maxima cœnobium tam in spiritualibus quam in temporalibus perpeti detrimenta. Sepultus est in ecclesia, ante cancellos, ad meridiem, cum hoc epitaphio : « Frater Katherinus *de Cha-* « *hanay*, hujus cœnobii et Brolioharbi abbas, « æternum clausit diem anno Domini 1551, « x calendas Julii :

Qui jacet hic vivit, nec mors dominabitur ultra :
Spiritus in cœlo est, marmor et ossa legit.
Ille fuit verus divinæ legis amator,
Exemplarque piæ relligionis erat.
Divitias sprevit, nudos vestivit, et omni
Quærenti panem potus et esca fuit.
Sobrietas nutrivit eum; nutritur ab illa ·
Virginitas in eo non violata fuit.
Oremus cuncti divinum numen, apertis.
Illius ut cœlis umbra quiescat. Amen.

Hunc, jam tum Perseniæ abbatem, sibi præficiendum exoptaverant S. Carilefi monachi. Sententia vero Parisiensis curiæ prohibitus est ne S. Carilefo potiretur.

XVIII. Petrus III *de Silly*, nepos Jacobi *de Silly*, Sagiensis episcopi, primus abbas Perseniæ commendatarius reperitur quindecima die Junii 1553 et quarta Julii 1554.

XIX. Carolus I, cardinalis de Borbonio, archiepiscopus Rotomagensis. Per decem annos rexit abbatiam. De quo plura, t. XI, col. 97.

XX. Franciscus I de Turnonio, cardinalis, obit anno 1566.

XXI. Antonius *Portail* occurrit annis 1574, 1577. Perseniam rexit per undecim annos.

XXI. Claudius I *Brosset*, quem memorant

A chartæ sub annos 1581, 1587 et die 29 Julii 1595. Præfuit duodecim fere annos.

XXIII. Joannes IV *Alix*, presbyter vicinæ cujusdam ecclesiæ, abbatiam suscepit administrandam post Claudii *Brosset* decessum. Is quidem Joannes abbas erat nomine, non re; eo etenim quasi quodam *custodi-nos*, ut aiebant, utebatur vir potens inter aulicos baro *de Hertré*, Alençonii præfectus, qui reditus abbatiæ quoscumque percipiebat et integros depascebatur. Pauci tunc temporis Perseniæ monachi; sex tantum nominantur.

XXIV. Franciscus II *de Rie*, archiepisco-
B pus Cæsariensis, magnus Vezuntionis decanus, reperitur abbas Perseniæ ab anno circiter 1603 ad annum 1637. Reginæ matri Ludovici XIII addictus, exulantis apud Flandrenses causam non deseruit; ideo dejectus est e quibuscumque fruebatur muneribus.

XXV. Rogerius *de Harlay Cesy*, abbas idem B. Mariæ de Eschaleio, S. Petri Antissiodorensis, et episcopus Lentevensis, ab anno 1657. De eo inter episcopos Lentevenses, t. VI, col. 577.

XXVI. Carolus II *Turpin*, canonicus Parisiensis, in annum 1673, natus e primo du-
C cis Aurelianensis chirurgo. Cui possessionem ambienti plures obstiterunt tam de monachis quam de laicis, cum multos reliquisset amicos Franciscus, vir utique bonus et conversationis honestissimæ.

XXVIII. Philippus Joannes *de Guestré de Préval*, canonicus Cenomanensis, abdicante Carolo *Turpin*, a 16 Februarii 1673. Obiit anno 1708.

XXVIII. Claudius II, alias Ludovicus *d'Usson de Bonnac*, Appamiensis clericus, filius Salomonis et Estheris *de Jassaud*, abbas creatus a rege 7 Aprilis 1708, ad annum se-
D dit 1729.

XXIX. Paulus *Dallebert de Commelles*, canonicus Noviodunensis, creatur abbas anno 1745. Reperitur usque ad annum 1782.

XXX. N. *Péricaud* 1782-1790.

TYRONELLUS.

Tyronellum a Cisterciensibus monachis incolendum, in agro Sagonensi, ubi Diva Olinaque miscent aquas, exstruxit, anno 1151, P. de Cadurcis, S. Aniani dominus.
E Fundationem hanc dein Guillelmus de Tallia, Thomas de Ponthoino, Hugo de Maurea, Robertus *des Coudreiz*, Girardus *de Corbollein* et alii quibusdam prædiis auxere. Obscuram Tyronelli degentes monachi vitam egerunt, et eorum mentio rarissime in Cenomanicis tabulis reperitur.

Seriem abbatum condidit domnus *Briant*, e cujus schedis non pauca nomina decerpere licuit.

ABBATUM SERIES.

I. Haraudus, ut aiunt, anno 1154.

II. Guillelmus I de Conoliis, ex abbatia S. Andreæ Goffernensis deductus, tempore Guillelmi episcopi terram a Garino *Cherruel* accepit; ex Indice Cenom. archivi, part. 1, num. 519. Subscripsit idem chartæ Joannis, Alençonii comitis, a patre data Perseniæ confirmantis; e Perseniæ chartulario. Reperitur tandem, anno 1183, ut nos D. *de Gaignières* schedæ monent. Tyronellum postea deserens abbatiam S. Andreæ rexit, ut legitur, e Tyronelli chartulis, in Indice Cenom., archivi, part. 1, num. 518. Indicis quidem supra laudati minime dubium testimonium confirmare videtur series abbatum Goffernensium, ab antecessoribus nostris digesta, in qua Guillelmus quidam abbas per conjecturam post annum 1177, ante annum 1190, inter Simonem et Robertum abbates collocatur. Huic autem conjecturæ non facile suffragatur Saviniacensis chartula, in Max. Gall. Arch., L, 1146[16], in qua, Lucio III pontificante, inter annos 1181 et 1185, Robertus, jam abbas S. Andreæ, et Guillelmus, tunc etiam abbas Tyronelli, testes una sedent litis inter Savigneii abbatem et priorem Plessiaci diremptæ, de Surdævallensis ecclesiæ patronatu. Inter Tyronelli et Savigneii laudata diplomata concordiam facere si velis, finge duos Robertos S. Andreæ circa idem tempus præfuisse, unum ante, alterum post Guillelmum de Conoliis.

III. Geoffridus Guillelmi de Conoliis successor legitur temporibus Guillelmi præsulis, ante nempè Februarium mensem 1187, in pacto cum Thoma de Ponthoino super terra Campi Rufi; ex Indice D. Bilardi, part. 1, num. 518.

IV. Guillelmus II, temporibus Reginaldi præsulis, annos inter 1187 et 1190, in ejusdem Reginaldi charta, quam contractam exhibet D. Bilardus in Indice supra laudato, part. 1, num. 520.

V. Garinus testis reperitur anno 1191 datarum Perseniæ rerum a Roberto, comite Pontivi; ex eodem Indice, part. 1, num. 496, 497. Idem, 10 Aprilis 1219, aut 1220, arabilem terram pratumque vendidit monachis S. Vincentii; e S. Vincentii chartulario.

VI. Hervæus, anno 1225; e chartulario capituli Cenomanensis.

VII. Robertus I, Februario mense 1244, secundum recentem usum, pratum emit a Radulfo de Sevilleio; ex Ind. Cenom. Arch., part. I, num. 530.

VIII. Joannes I *de Balou* ex abbate Tyronelli fit abbas Gofferni, anno 1250. Vide supra, t. XI, col. 745.

IX. Hugo, anno 1250; e domno *Briant*.

X. Robertus II pactus est cum decano Cenomanensi, 17 Aprilis 1277, de rebus datis

A a Juliana *La Saintière;* ex Albo Libro capituli.

XI. Radulfus I, anno 1300; e domno *Briant*.

XII. Simon, 1302; ex eodem.

XIII. Michael, 1326; ex eodem.

XIV. Joannes II sibi vindicans, contra Cenomanensem episcopum, quamlibet in abbatiæ dominio jurisdictionem, cecidit in hac causa coram senatu Paris., 11 Aprilis 1342.

XV. Robertus III, 1361; e domno *Briant*.

XVI. Joannes III *Brandours*, 1364; ex eodem.

B XVII. Joannes IV, 1406; ex eodem.

XVIII. Joannes V *Maillard*, 1413; ex eodem. Joannis hic non alius forsitan ac antecedens.

XIX. Nicolaus *Beaufils* nuper abbas dicitur anno 1458.

XX. Ægidius, cujus nomen tantum superest.

XXI. Thomas, e Perseniensi monacho, 1475.

XXII. Joannes VI Thomæ succedens memoratur.

XXIII. Radulfus II *Lebreton*, anno 1488.

C XXIV. Petrus I *Lebreton* Radulfi vices, ut aiunt, excepit.

XXV. Ludovicus *Lebreton*, 1511.

XXVI. Alexander *de Chahanay*, commendatariorum primus, 1518.

XXVII. Stephanus *Coulon*, regularis, anno 1540.

XXVIII. Franciscus *de Mauny*, commendatarius, abbas idem Nucariarum, episcopus Briocensis, dein Trecorensis, et tandem Burdigalensis archipræsul. Obiit anno 1558.

XXIX. Yvo *Le Cirier*, 1575.

XXX. Laurentius *de Fises*, 1577.

D XXXI. Antonius *Cardot de Subiet*, e Tarasconensi decano abbas Tyronelli, dein Monspeliensis episcopus. Obiit anno 1596. De eo plura, t. VI, col. 812.

XXXII. Matthæus *Durand*.

XXXIII. Petrus II *de Bouillé*, 1614.

XXXIV. Renatus *Massot*, 1634.

XXXV. Guillelmus III *Thiersault* post Renatum ponitur.

XXXVI. Augustinus *Thiersault*, post Guillelmum.

XXXVII. Stephanus *Texier de Hautefeuille*, Melitensis eques, major Aquitaniæ

E prior, abdicavit anno 1669; ex indiculo beneficiorum Turonensium quem *Cangé* servavit. Abbas idem S. Michaelis in periculo maris.

XXXVIII. Erardus Anna *Rugni de la Madeleine*, genere Burgundio, creatur abbas Septembri mense 1669. Decessit mense Decembri 1705; e Gallia Sacra.

XXXIX. Gabriel Florentius *de Choiseul-Beaupré*, e regiis eleemosynis, creatus abbas Tyronelli anno 1706, et anno 1714 S. Co-

lumbæ, in Senonensi diœcesi. Possessionem Tyronelli suscipiebat 13 Novembris 1707. Salutatus Mimatensis episcopus anno 1723, Tyronellum tamen retinuit in annum 1758.

XL. N. *de S. Simon* ab anno 1758 ad annum 1790.

CLARUS MONS.

Abbatia Cisterciensis Clari Montis, Oliveti sita, in archidiaconatu Lavallensi, sub invocatione B. Mariæ condita est anno, ut aiunt, 1151, a Guidone, Lavallensi dynasta. Perperam hanc fundationem Corvæserius et Bondonnetus anno 1230 adscribunt. Tunc enim, ut infra videbimus, jam quasi senescentis abbatiæ fama decrescebat, dum, duodecimo decurrente sæculo, plures Clari Montis abbates in Redonensem cathedram traducerentur. Abbatiæ reditus confirmaverunt et auxerunt Robertus, Alençonii comes, et Berengariana regina. Nullum ex armariis Clari Montis desumptum diploma D. E. Bilardus exhibet, in Ind. Cenom. archivi. Incertissima igitur quæcumque ad historiam humilis hujus abbatiæ spectant. Quosdam tamen abbates præbuit codex *de Gaignières* 247.

ALIQUOT ABBATES.

I. Philippus, e monacho Bonæ Vallis primus forsitan fuit abbas Clari Montis. Hanc certe regebat abbatiam ante annum 1162, cum testis occurrat cum Fastredo, Claræ Vallis abbate, in charta Guidonis Lavallensis Savigneii monachis integram libertatem ab omni vectigali condonantis; e Max. Gallor. Archivo, L, 1146[16]. Idem in pluribus instrumentis reperitur, quibus notæ desunt chronicæ. Sic testis legitur in charta Guillelmi, Cenomanensis episcopi, de pace inter priorem Erqueneii Guidonemque de Lavalle; e chartulario Maj. Monast. Eumdem Guihonoeus de Ancenisio, Hierosolymam tendens, testem esse jussit eorum que Mellereii monachis dedit; apud Moricium, Prob. Hist. Brit., t. I, col. 605. Anno 1168, Redonibus commoratur, in die festo S. Matthiæ apostoli, et subscribit inito pacto Redonensem inter episcopum et S. Melanii monachos; ibid., t. I, col. 659. Reperitur præterea Philippus litigans de metis cujusdam terræ cum Michaele, abbate B. Mariæ de Rota, ex hujusce abbatiæ chartulario, et in capitulo S. Vincentii testis sedens sopitæ cujusdam litis inter abbates Perseniæ Herardum Robertumque S. Vincentii. Anno 1179, Redonensis Philippus salutatur episcopus.

II. Herbertus ex abbate Fontanarum Clari Montis fit abbas post Philippum. Testis reperitur quorumdam Savigneio datorum; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 656. Ipse etiam, anno

A 1184, in cathedram Redonensem evehebatur.

III. Fulco, antea prior abbatiæ, sicut legitur in Andreæ de Vitreio litteris de Mesgaleri et de Campo Florido, Savigneio traditis. Ejusdem Andreæ, tunc temporis abbas, chartæ subscripsit eadem confirmantis; e Max. Gallor. Arch., L, 1146[15]. Anno 1183, testis fuit Garini de S. Berthevino, qui, crucem suscipiens, Savigneio plura dedit; ex eodem chartario. Ab eodem Garino et sub id tempus ipse Fulco juribus nonnullis donatus est. Annum eumdem denique præbet Horrici chartula erga Fulconem benefici, in Fontis

B Danielis chartulario. In eisdem tabulis reperitur, anno 1189, cum Fulcone de *Chaelon* paciscens. Memoratur tandem Tuscam accipiens a Guillelmo de Meduana; in cod. Regio 5475, p. 25.

IV. Balduinus sedisse legitur anno 1194.

V. Geoffridus I, anno 1197, pactus est coram Juhello de Meduana cum Odone *Bifox* super terra Montibus dicta; e Fontis Danielis Chartul. Memoratur, anno 1203, in litteris Huberti de S. Berthevino monachis plura condonantis; ibid. Anno dein 1205, testis fuit Hamelini episcopi, fundationem Fontis

C Danielis pro jure suo sancientis; ibid.

VI. Laurentius, anno 1207, pacem facit inter monachos S. Vincentii et R. de Pinn; e Vincent. chartul. Occurrit anno 1208, in chartis ad prioratum B. Mariæ de Vitreio spectantibus; in Albor. Mantellorum codice 36. Idem, pridie cal. Junii 1210, laudavit pactum quoddam inter Andream de Vitreio et Simonem *Chevé;* Prob. Hist. Brit. t. I, col. 818. Reperitur insuper Laurentius testis Hamelini præsulis sacramento semet erga Cenomanensem ecclesiam obligantis. Petrum et ipse, Redonensem episcopum, in claustro

D Clari Montis excepit, et ejus litteris pro monialibus S. Sulpicii subscripsit; in Albor. Mantell. cod. 41, f. 187.

VII. Simon, anno 1231; e cod. *de Gaignières*, num. 247.

Post Simonem perperam ponit *de Gaignières* Joannem Aycelini, abbatem et postea episcopum Claromontanum, apud Arvernos.

VIII. Joannes I, 1301; e Th. Calvino.

XI. Geoffridus II *Maillou* eligitur, secundum *de Gaignières*, anno 1342.

X. Jacobus annis 1367, 1379; e Th. Calvino.

E XI. Guillelmus *Messager,* mense Novembri 1376, cum Ahuilleii curione paciscitur; e capit. Cenom. chartulario.

XII. Joannes II, anno 1463, apud *de Gaignières.*

XIII. Petrus I, ex eodem, Joanni successit.

XIV. Ivo *Tronsson*, 5 Julii 1473, cum Aceii priore, de quodam censu paciscitur; ex archivo S. Nicolai, inter schedas domni *Hous-*

seau. Decessit 20 Julii 1506 (1), post diuturnum regimen.

XV. Franciscus *de Laval* post Ivonem ponitur.

XVI. Joannes III *Lhuillier,* anno incerto.

XVII. Joannes IV *Leconte,* annis 1538, 1558. Abbas idem fuit Bellæ Branchæ. Postremus regularium nuncupatur.

XVIII. Petrus II *Lescot de Cleigny,* commendatarius abbas, is est cui dedicavit, anno 1563, Nicolaus *Grenier* opus prælo datum sub hoc titulo : *Piæ hominis Christiani Deum timentis Meditationes.*

XIX. Leo *Lescot de Lissy,* 1605.

XX. Henricus *de Baradat,* de quo jam inter episcopos Noviomenses. Decessit 25 Augusti 1660.

XXI. Ludovicus I *de Baradat*, antecedentis nepos, cujus supra meminere antecessores nostri in episcopis Vabrensibus, Claro Monte donatus est anno 1661. Debitum naturæ persolvit 17 Martii 1710.

XXII. Ludovicus II *Courcillon de Dangeau,* honorarius domini papæ camerarius, consiliarius regis ejusque lector, et in Academia Francica cathedram sortitus, Claromontanam abbatiam suscepit administrandam 25 Julii 1710. Parentibus natus Calvini sectatoribus, in orthodoxæ religionis gremium redierat, duce et auspice Bossuetio. De eo mox inter abbates Fontis Danielis.

XXIII. Joannes V Alexander *Campan de S. Martin* ab anno 1721 ad annum 1730.

XXIV. N. *Lorenchet,* canonicus necnon senator Parisiensis, schedulas accepit pro Claromonte regias anno 1730, et sedem tenuit usque ad annum 1745.

XXV. N. *De Chalut* sedit ab anno 1745.

XXVI. Josephus de *Florence,* summus archidiaconus Tarbensis, ab anno 1775 ad annum 1790. Ejecti sunt ex abbatia monachi 21 Januarii 1791, quorum prior tunc erat Maria Ludovicus Augustinus *de Quesne*.

B. MARIA DE CAMPANIA.

Hujus abbatiæ auctor fuit Fulco *Ribole,* Aceii toparcha, qui Cistercienses Savignei monachos in terras suæ ditionis accire studens, eis primum, anno 1188, domum dictam Ramos concessit. (Ch. xiv, col. 135.) Filiolam autem adoptare Saviniacenses non poterant, nisi assentiente generali Cisterciensis ordinis capitulo. A quo protinus petitum ut Fulconis donum accipere liceret, et, data licentia, prolatum ejus-

A dem Fulconis diploma res nascentis abbatiæ certis limitibus circumscribentis, IV calend. Decembris, ejusdem, ut videtur, anni. Illam donationem firmavit Reginaldus, Cenomanensis episcopus. Abbatiam Campaniæ protegendam susceperunt, anno 1199, Innocentius III, et, anno 1239, Gregorius IX. Basilicam consecravit Geoffridus *Freslon,* anno 1230, IX cal. Novembris; aut anno 1239, cal. Novembris. Hæc enim temporis nota incerta relinquitur. Post conditorem Campaniæ rem auxerunt Gervasius de Curia Cæsaris, Juhellus de Meduana, Guillelmus *de*
B *Sougé,* Guillelmus *Dalidan*, Guillelmus de Rupibus, Andegaviæ senescallus, Fulco de Virgulto, Savaricus de Altanosia, Hamelinus de Cadurcis, aliique minoris nominis milites, quorum beneficas archivum Cenomanense litteras servat.

Campaniæ chartularium præbet codex *de Gaignières* 194. Nonnullos etiam reperire est abbates in Albor. Mantell. cod. 45. Consule insuper Savigneii chartarium.

SERIES ABBATUM.

C I. Matthæus anno 1188 ponitur. Decessit, ex abbatiæ necrologio, V cal. Junii.

II. Guillelmus I, anno 1190, subscripsit litteris Juhelli de Meduana possessiones monachorum Savigneii confirmantis; e chartario Savigneii, in Max. Gallorum Archivo. Idem testis occurrit, anno 1191, in Hamelini præsulis præcepto de vineis B. Mariæ de Trappa traditis a Geoffrido *Morin;* e chartul. B. Mariæ de Trappa, in Max. Paris. Bibl., fol. 98.

III. Nicolaus I litigavit adversus Joannem *Coisnon,* anno 1203. Obiit V id. Octobris.

IV. Guillelmus II *de la Chai* subscripsit
D chartæ Savarici de Altanosia confirmantis data monachis Ebroniensibus ab Hamelino de Cadurcis; inter cod. D. *de Gaignières*, num. 205. Testis idem in charta qua fundatur abbatia Fontis Danielis, anno 1205.

V. Radulfus I, eodem anno 1205, plura commutat cum Savigneii monachis; e chartario Savigneii, in Max. Gall. Archivo, L, 1146[4]. Idem pactus est de decimis cum Lamberto, abbate Belli Loci; ex archiv. Cenom. Anno 1228, mense Martio, accepit a Mauricio episcopo vineas et alia quædam Sablogerinis sita; ex Albo Libro capit. Cenom.

E VI. Robertus I, anno 1229, a Stephano, abbate Savigneii, bibliothecam obtinuit quam (Ch. xix, col. 139.) Saviniacenses jam antea Campaniensibus commodaverant.

VII. Joscelinus, anno 1232, mense Novembri, sitam Siliaci domum per viam commutationis obtinuit a Stephano supra dicto; e Savigneii chartario, in Max. Gall. Arch., L, 1146[3]. Idem, mense Decembri 1239, ab eodem Stephano plura semet accepisse profitetur; ibid.

(1) Sic ejus mortem narrat Guillelmus *Ledoien*, in manuscriptis Chronicis, ad ann. 1506 :

Et le vingtiesme de ce moys
De juillet, l'an que je disoys,
Yves Tronsson, son temps abbé
De Clermond, de mort fut galvé.
Au dit lieu rendit son alaine.
De mort d'abbé nopce de moynes.

VIII. Lucas, anno 1243, die Mercurii ante festum Mariæ Magdalenæ, Lusdii pars est conventus in quo Juhellus archiepiscopus litem sedat inter Droconem de Melloto et Savigneii monachos; in Max. Gallor. Archivo, L, 1146[7]. Idem occurrit annis 1245, 1247.

IX. Radulfus II reperitur anno 1253 una cum Stephano, Savigneii abbate; ex abbatiæ chartulario. Obiit XVII cal. Aprilis; e necrologio.

X. Guillelmus III de Maravilla, anno 1270. Præsens memoratur ecclesiæ consecrationi.

XI. Nicolaus II, anno 1286; e tabulis Montis Cœlestis, apud *Gaignières*, num. 678.

XII. Dionysius subscripsit, anno 1303, sententiæ contra Bonifacium VIII latæ. Idem, anno 1317, quædam commutabat cum Hugone, abbate S. Petri; e Culturensi chartul.

XIII. Robertus II a quibusdam post Dionysium, ab aliis ante eumdem ponitur. Obiit VIII id. Octobris.

XIV. Joannes I. anno 1349; ex abbatiæ catalogo. Obiit VIII cal. Maii.

XV. Richardus; ex eodem. Obiit V id. Decembris.

XVI. Laurentius, annis 1371, 1379.

XVII. Philippus annis 1382, 1393. Obiit nonis Januarii.

XVIII. Joannes, II, anno 1402.

XIX. Durandus *de la Chaise* occurrit 21 Aprilis 1406.

XX. Jacobus *Bouvet* reperitur Octobri mense 1407. Obiit VIII cal. Julii 1420.

XXI. Michael *Viel*, electus anno 1420, defunctus non. Septembris 1441.

XXII. Joannes III *de Mayenne* ab anno 1441. Post peractam, ut aiunt, anno 1460 resignationem, decessit 1 Januarii 1483. Occurrit anno 1453, in chartulis ad Mileciam spectantibus, quas summatim exhibet Index a D. Bilardo digestus, part. 2, num. 187. Advertendum quod Gerardus abbas occurrat in chartulario vel congruenter, vel mendose, 10 Novembris 1455.

XXIII. Joannes IV *Le Monnier* resignavit anno 1491 et decessit anno 1496. Occurrit annis 1461, 1462, 1470, 1487, 1490, in Indice D. Bilardi supra laudato, part. 2, sub num. 198, 199, 102, 221, 226.

XXIV. Lancelotus I *de Beaumanoir*, quem Guido *de Lavardin* habuerat a Joanna *d'Estouteville*, reperitur annis 1495, 1497, 1498, in chartulis a D. Bilardo contractis, part. 2, sub num. 229, 231, 234. Resignavit anno 1527 et obiit anno 1531.

XXV. Franciscus I *Lavocat* ab anno 1547. Decessit anno 1548, et ultimus fuit regularium.

XXVI. Lancelotus II *de Vassé*, filius Joannis, domini *de Vassé* et Jacobæ *d'Aligny*, protonotarius Romanæ sedis, archidiaconus Passeii et abbas Campaniæ commendatarius, vitam exuit terrestrem anno 1574.

A XXVII. Joannes V *de Vassé*, antecedentis germanus, abbas idem B. Mariæ de Cormeliis et S. Georgii supra Ligerim, Campaniam deseruit anno 1579, et mox in Lexoviensem cathedram evectus fuit. Plura de eo inter episcopos Lexovienses, t. XI, col. 803.

XXVIII. Nicolaus III *Quentin*, ab anno 1581 ad annum 1587.

XXIX. Claudius *Parisot*, anno 1596; e domno *Briant*.

XXX. Annas *de Pérusse d'Escars*, abbas S. Petri Pulteriarum, Molismi, S. Benigni Divionensis et Barberiæ, Lexoviensis episcopus ab anno 1585, Metensis ab anno 1607, B cardinalis dictus *de Givry*, decessit 9 Aprilis 1612.

XXXI. Petrus *de Gondi*, Parisiensis episcopus, multisque præterea ornatus abbatiis, inter quas Spallum apud Cenomanos. Decessit anno 1616.

XXXII. Henricus I *de Gondi*, antecedentis nepos, episcopus et ipse Parisiensis, occurrit abbas Campaniæ 3 Januarii 1617. Obiit 3 Augusti 1622.

XXXIII. Joannes VI Franciscus *de Gondi*, Henrici nepos, qui primus fuit inter Pari- C sienses archiepiscopos et magnam assecutus est famam in aulicis Galliæ tumultibus. De quo et inter abbates Pietatis Dei.

XXXIV. Leonorius *d'Estampes de Vallançay*, episcopus Carnotensis, postea Remensis archiepiscopus, decessit VIII id. Aprilis 1651. Quot possederit abbatias jam antecessores nostri recensuere.

XXXV. Henricus II *d'Estampes de Vallançay*, abbas et ipse Burgulii in Vallibus. Decessit anno 1678. Quo regente, anno 1663, incœpta Campaniæ reformatio.

XXXVI. Franciscus II *de Mornay de Mont-* D *chevreuil*, filius Henrici et Margaritæ *Boucher d'Orsay*, fraterque Renati, qui Cellæ, mox Ursi Campo præfuit. Campaniam Franciscus accepit anno 1678 et dimisit anno 1691, vocatus ad abbatiam S. Quintini Bellovacensis.

XXXVII. Josephus Antonius *de Fiennes*, decessit 30 Decembris 1727.

XXXVIII. N. *de Garanné*, major vicarius Lactorensis ecclesiæ, ab anno 1728 ad annum 1751, quo decessit, 6 Januarii, ætatis 88.

XXXIX. Franciscus III *Levoné*, reginæ ca- E pellanus et canonicus honorarius ecclesiæ colelgiatæ S. Honorati, ab anno 1751 ad annum 1754, quo vitam exuit terrestrem, 20 Februarii, ætatis 83; e Diariis.

XL. N. *Dumont* ab anno 1754 ad annum 1767.

XLI. N. *Ravel de Montmirail*, creatus anno 1767, sedem tenebat anno 1790.

FONS DANIELIS.

Fontem Danielis, Cisterciensem abbatiam, exstruxit, non procul ab urbe Meduanensi, in Saleto nemore, Juhellus, Meduanensis dynastes, anno 1204. Eamdem, ut videtur, abbatiam veteres diversis nominibus Clareium, Claretum, Herperiam et Harderiam appellavere. Fundationem Hamelinus episcopus anno 1205, Bartholomæus, Turonensis archipræsul et Philippus rex anno 1206, apud Sammarthanos, Innocentius II anno 1208, Joannes de Faia, Turonensis archiepiscopus, anno 1209 probavere. Dedicata memoratur abbatiæ basilica annis 1243 et 1431.

Chartularium Fontis Danielis exhibet Regius codex 5475. E quo plerosque collegimus abbates.

SERIES ABBATUM.

I. Laurentius, anno 1206, accepit a Juhello de Meduana patronatum ecclesiæ S. Albini de Fontaneto, in Baiocensi diœcesi; inter excerpta quæ ex archivo Cadomensi dedit in lucem doctus vir *Léchaudé d'Anisy*, t. I, p. 354. In qua legitur charta Laurentius primus abbas Fontis Danielis. Pactus est idem, anno incerto, cum priore Meduanensi super decimis Saleti et Poylleii; ex abbatiæ chartulario. Ejusdem porro meminere chartula Mauricii de Credone viginti solidos abbatiæ largientis, et litteræ Juhelli de Meduana de rebus a Petro de Vilereio traditis. Primus abbas Fontis Danielis item nuncupatur, in charta qua monachis Savigneii tradit quidquid Groleii, dono Juhelli Meduanensis, possidebat. (Ch. xiii, col. 138.) Idem reperitur tandem, anno circiter 1212, in Hamelini præsulis charta pro Tyronello; apud D. Bilardum, part. 1, num. 527.

II. R..., dicitur abbas, anno 1207, in serie quam ex indicibus domini *de Gaignières* digessit Thomas Calvinus; Geogr. Ant. Cenom. diœc. p. 205. R.... ille perperam ante Laurentium a prædictis ponitur; hos enim charta Cadomensis supra laudata in eo plane refellit: verumtamen occurrit anno 1212, in chartulario Fontis Danielis, pag. 46.

III. J., anno 1223; e serie quam condidit D. *de Gaignières*.

IV. Guillelmus I, anno 1228; e chartulario, p. 39.

V. Radulfus I, mense Februario 1242, secundum recentem computum, testis est Droconis de Melloto bona monachorum Saviniacensium confirmantis; e Maximo Gallor. Archivo, L, 1146[7].

VI. Joannes I *Mauhet* reperitur eodem anno 1242, in abbatiæ chartul. Accepit a Joanne *Goupil*, crucifero, id. Julii 1247, plures census Fossæ Lupinæ percipiendos. Occurrit

A deinde, anno 1250, in excerptis e chartulario S. Michaelis de Monte; mense Maio 1253, in chartulario Campaniæ, terram Campaniæ monachis vendens; die S. Andreæ 1254, in majoribus rotulis seaccarii Normanniæ, e D. *Léchaudé d'Anisy*, testis initæ pacis inter abbatem Savigneii et curionem ecclesiæ *Vilers Fossart* : anno tandem 1259, ex ipso Fontis Danielis chartulario, Guillelmum de Columbariis beneficum experitur.

VII. Radulfus II, anno 1271; e tabulario supra laudato, p. 84.

VIII. Joannes II, anno 1299; ex eodem, B p. 84.

IX. R..., anno 1314; ex eodem.

X. Stephanus, anno 1358, pacem facit, Andegavensis episcopi mandato, inter canonicos, necnon presbyteros B. Mariæ de Roncereio et fratres ordinis S. Augustini, de sepultura dictorum canonicorum litigantes; apud *Housseau*, t. VIII.

XI. Petrus I Moyses reperitur 27 Decembris 1370, et dein annis 1395, 1396, 1399, 1405.

XII. Guillelmus II, anno 1416, instituitur procurator ordinis in concilio Constantiensi; vide supra, t. IV, col. 820.

C XIII. Michael occurrit 28 Aprilis 1430.

XIV. Guillelmus III dictus de Virgulto, doctor theologiæ, unus fuit e procuratoribus et nuntiis specialibus quos misit Adam, Cenomanensis episcopus, ad curiam Romanam et ad concilium Basileense, die 8 Junii 1431; e chartul. Decessit XV calendas Novembris 1437.

XV. Matthæus I *Couaillier*, ex abbatiæ monacho et postea procuratore, legitur abbas 18 Octobris 1438.

XVI. Franciscus I *Cherot* abdicavit. Post ejus abdicationem capitulum Joannem *Goulu* elegit. D Abbatiam vero, titulo commendæ, sequens occupavit.

XVII. Joannes III *de Beauvau*, Andegavensis antistes. Obiit 23 Aprilis 1479.

XVIII. Joannes IV litteris apostolicis donatur, VI cal. Junii 1479. Reperitur annis 1490, 1497.

XIX. Matthæus II *Petiot*, ex abbate Spalli, annis 1501, 1504, 1511, 1518 et 1521.

XX. Petrus II *Cordier*, decretorum doctor, regi a consiliis, commendatarius abbas Fontis Danielis reperitur 1 Novembris 1525, 27 Maii 1527 et 26 Septembris 1529. Idem prior E S. Ægidii *lès Surgières* legitur, 3 Maii 1530, in apocha quam exhibet cod. *de Gaiguières* 262.

Michael *Lefebvre*, die 5 Novembris 1528, paciscitur cum Joanne *de Bardi*, argentario Turonensi, qui spondet tres intra menses semet ei bullas apostolicas traditurum. Ex ea schedula novimus Michaelis in gratiam Ambrosium *de Mondot* jus abdicavisse, quod sibi aliquantisper arrogaverat in Fontis Danielis abbatiam. Incertum autem relinquitur

an abbatia Michael ipse potitus sit. Abbas commendatarius, ut conjicimus, electum abbatem constanter ablegavit.

XXI. Franciscus *de Boislève* occurrit 6 Septembris 1547. Quondam abbas dicitur 5 Januarii 1552.

XXII. Joannes V *du Bellay*, Parisiensis et Cenomanensis episcopus, reperitur 13 Mai 1555.

XXIII. Joannes VI Antonius *Sorbellonio*, cardinalis, anno 1560.

XXIV. Bernardinus de S. Francisco, dignus ut inter vates sui temporis egregios laudaretur tum a Cruceo, tum a Jacobo *Tahureau*, coævis simul et popularibus. Parisiis primum adeptus consiliarii ecclesiastici munus, dein reperitur inter supplicum libellorum magistros. Occurrit abbas Fontis Danielis anno 1570. Idem annis 1568, 1569, supremus inter ecclesiæ Cenomanensis archidiaconos legitur, in variis ad regem aut a rege missis litteris: ex Archivo cleri Gallicani; Alien. diœc. Cenomanensis. Romæ degens Bernardinus nominatus est a rege Baiocensis episcopus, possessionemque adiit per procuratorem, die 25 Septembris 1573. Decessit in prioratu Bursaii, 14 Julii 1582.

XXV. Joannes VII *de Morderet*, 6 Septembris 1571 et 23 Aprilis 1573.

XXVI. Joannes VIII *Orry*, 27 Novembris 1573 et 29 Septembris 1579. Se munere abdicavit. Procuratore usus est Nicolao *Barrot*.

XXVII. Renatus *du Bellai*, cardinalis, bullis donatur pontificiis Septembri mense 1581. Munus adiit 6 Decembris 1583.

XXVIII. Antonius *du Pont*, dominus *du Préau*, occurrit 22 Septembris 1599 et 30 Aprilis 1608.

XXIX. Apollo *d'Albret*, regi a consiliis et protonotarius apostolicus, 14 Novembris 1621 et 28 Julii 1626.

XXX. Franciscus III *Le Veneur de Carrouge*, a consiliis et eleemosynis duci Aurelianensi, abbas idem plurium locorum, occurrit 16 Aprilis 1633 et 8 Novembris 1656.

XXXI. Joannes IX *de S. Denys*, 24 Martii 1661.

XXXII. Franciscus III Ignatius *de Montsaunin de Montal*, de quo supra in abbatibus Rigniaci, Autissiodorensis diœcesis, t. XII, col. 465, filius Caroli comitis *de Montal* et Gabrielidis de *Solanges-Fredault*. Abbas idem Castriciarum, in Catalaunensi diœcesi. Fontem Danielis resignavit anno 1680.

XXXIII. Ludovicus *de Courcillon de Dangeau*, abbatiam sortitus est 20 Februarii 1680; ex indice beneficiorum Turonensis provinciæ, quem manuscriptum *Caugé* servavit. Abbas idem Clari Montis et prior plurium locorum. Decessit 1 Januarii 1723.

XXXIV. Claudius *Bouhier*, frater illius Joannis qui præfuit quadraginta sodalibus Academiæ Francicæ, ab anno 1702 prior fuit Pontarli, in Lingonensi diœcesi. Anno postea 1723 creatus est abbas Fontis Danielis. Promotus, anno 1744, Claudius ad episcopalem Divionis sedem, abbatiam retinuit.

XXXV. N. *de Galiffet*, vicarius antea generalis Aquensis ecclesiæ, legitur Fontis Danielis abbas ab anno 1755 ad annum 1790.

PIETAS DEI, VEL SPALLUM.

Superstes Richardo, Anglorum regi, Berengariana regina apud Cenomanos secesserat. Cum de monasterio condendo cogitaret, ei concessit, anno 1228, Ludovicus rex, in prædio quod jam dicebatur *l'Espal*, nemoris quamdam partem, hortum et pratum. Locus erat dives, ad ripas Idoneæ circumfluentis, umbrosisque vallatus apicibus, quem sibi protinus vindicarunt fratres Domus Dei de Cauda Forti, datum hunc sibi dicentes ab Arturo, litterasque sublestæ fidei exhibentes. Minime vero desistens ab incœpto Berengariana, Cisterciensibus monachis supra dictum prædium addixit, plurimis etiam auctum rebus quas dato pretio comparaverat, novumque cœnobium Pietas Dei nuncupatum est. Hæc ad annum 1229 referenda. Tunc fratres Domus Dei de Cauda Forti, suadente Mauricio episcopo, ab ipsis motam litem sub annui reditus conditione dimiserunt, ut constat ex ipsorum charta, data mense Maio 1230. Confirmavit hoc anno Ludovicus rex donationem consanguineæ suæ Berengarianæ, et ad usum monachorum ipse nonnulla adjecit. Gregorius insimul papa IX, III cal. Februarii 1230, apostolico sigillo roboravit quæcumque regina cum fratribus Domus Dei pepigerat. Consecravit ecclesiam Geoffridus de Lavalle, Cenomanensis episcopus. Ad hanc forte spectat abbatiam non infaceta quidem narratiuncula, quam Baluzius desumpsit e codice quodam S. Martini Turonensis. Hæc sunt anonymi verba chronographi : « Regina Berengariana fundavit « abbatiam. Et cum ipsa haberet molendi- « num juxta, turbabantur monachi et con- « querebantur. Cumque super hoc turba- « retur, ait ei unus : — *Domina, docebo* « *vos qualiter non molestabuntur; detis eis,* « *et quotienscumque audient de cætero con-* « *gaudebunt*. Et sic fecit. » Inter eos qui præcipuis cœnobium exsurgens ornavere beneficiis memorantur, anno 1231, Isabella, uxor Hugonis, Feritatis Bernardi domina; anno 1241, Aalesia, vidua Joannis *Nobleit*, et Bernardus, dominus Feritatis, anno 1269. Monasterium diruerunt, anno 1371, Cenomanenses cives, metuentes ne præsidium fieret Anglis; idem Carolus rex rursus ædificari jussit.

Abbatum nomina nobis præcipue suppeditavit cod. *de Gaignières* num. 205.

ABBATUM SERIES.

I. Joannes I occurrit, anno 1233, in chartulario S. Petri de Cultura. Idem memoratur conditor abbatiæ Claritatis Dei, Turonensis diœcesis, in litteris anno 1243 datis.

II. N. de Bellomonte, anno 1244; e Thoma Calvino.

III. Hamo, litigans cum S. Juliani collegio de decimis Cergeii percipiendis, arbitrum elegit, mense Maio 1267, Cenomanensem episcopum.

IV. G..., 25 Julii 1303, assensum præbet sententiæ contra Bonifacium VIII latæ; e Max. Gall. Arch., J, 481.

V. Petrus I, anno 1305.

VI. Guillelmus I *de Bellomonte* testis adlectus, sexta et decima die Julii 1326, a Geoffrido de Avescio omnia sua bona monachis Pietatis Dei largiente. Decessit anno 1336.

VII. Nicolaus, anno 1361.

VIII. Guillelmus II transfertur, anno 1367, in abbatiam Oratorii, in Andegavensi diœcesi; e litteris Urbani V.

IX. Guillelmus III, dictus *Symi*, monachus Pietatis Dei, antecedenti Guillelmo sufficitur litteris Urbani papæ V, VI cal. Februarii 1367. Hujus meminit Suaresius.

X. Joannes II, 1378. Decessit anno 1395, septima et decima Julii.

XI. Petrus II *Baion*, ab anno 1396 ad annum 1400.

XII. Joannes III, 10 Decembris 1401. Idem, 29 Novembris 1403, in apochis ad clerum spectantibus, quas servat Max. Paris. Biblioth.; *Cab. des Titr.*

XIII. Jacobus *Guillemet* 4 Maii 1408 dicitur nuper electus. Occurrit, 20 Aprilis 1415, in chartis ad Guierchiam spectantibus; ex Indice Cenoman. archivi, part. 2, num. 56.

XIV. Joannes IV *Barbes* litigavit, anno 1440, cum episcopo Carnotensi.

XV. Guillelmus VI *de Bonneville* vastatam bello reparavit ecclesiam, decedensque, 10 Maii 1444, sepultus fuit ad dexteram chori partem.

XVI. Henricus legitur anno 1448, et 15 Novembris 1451.

XVII. Joannes V, 1462, 1476.

XVIII. Thomas *des Capitaines*, sacræ theologiæ doctor et alumnus S. Francisci, abbatiam commendatarius abbas tenuit ab anno 1480 usque ad annum 1483.

XIX. Joannes VI *Toffereau*, vel *Taffoureau*, sacræ paginæ doctor, mense Februario 1485, Thomam *des Capitaines* ante curiam Parisiensem compulit. Occurrit idem 1 Martii 1491, in Indice Cenomanensis archivi, part. 2, num. 92. Obiit 25 Junii 1493, sepultusque fuit in capitulo.

XX. Matthæus *Petiot*, aut *Petit*, nominatur in chartis ab anno 1497 ad annum 1501. Idem fuit abbas Fontis Danielis.

A XXI. Joannes VII *Aubinière*, 1503. Decessit anno 1527, 1 Septembris.

XXII. Joannes VII *Cheval* reperitur ab anno 1527 usque ad annum 1554.

XXIII. Franciscus I *Menaut* possessionem adiit 2 Maii 1561. Sedebat 10 Maii 1563.

XXIV. Petrus III *Lecaneux*, Lexoviensis, nominatur 26 Aprilis 1568.

XXV. Petrus IV *de Gondi*, episcopus Parisiensis. Abbas idem fuit Campaniæ.

XXVI. Joannes IX Franciscus *de Gondi*, cardinalis, primus Parisiorum archiepiscopus. Et ipse Campaniæ præfuit.

B XXVII. Leonorius I *d'Estampes de Vallançay*, archiepiscopus Remensis, abbas idem Campaniæ et Curiæ Dei, cessit in gratiam sequentis.

XXVIII. Franciscus II Nicolaus *Brulart de Sillery*, antecedentis nepos, permutavit cum sequente. Idem fuit abbas Curiæ Dei, Jardi, S. Bajoli, Pelliciæ et S. Michaelis Tornodorensis.

XXIX. Fabius *Brulart de Sillery*, clericus Parisiensis, S. Michaelem Tornodorensem dimisit anno 1675, et commutationis via Spallum accepit.

C XXX. Leonorius II *Brulart de Sillery* a 10 Martii 1684. Decedit anno 1699.

XXXI. Ludovicus *de la Vergne de Tressan*, idem episcopus Nannetensis et Rotomagensis archiepiscopus, hac donatur abbatia mense Decembri 1699. E vivis abiit 18 Aprilis 1733.

XXXII. N. *Duhardas d'Hauteville*, abbatia donatus anno 1733, decessit 26 Junii 1781.

XXXIII. Josephus Maria Anna *Gros de Belphas*, doctor Sorbonnicus, vicarius generalis episcopi Bisuntini, 31 Octobris 1781. D Obiit 18 Augusti 1783.

XXXIV. Herculinus Petrus Carolus *de Langan de Boisfèvrier*, patria Redonensis, vicarius generalis Corisopitensis episcopi, nominatur 7 Decembris 1783. Sedebat anno 1790.

BONUS LOCUS.

Mense Maio 1219, postridie Ascensionis, Guillelmus de Rupibus, Andegaviæ senescallus, Botigneii, quem suo sub jure locum E tenebat, monialium cellam Cisterciensium constituit, deditque sanctarum filiarum in usus prædia, vectigalia Botigneii percipienda, in Berceio nemore lignum, geminasque in Ledo flumine moletrinas, juxta Curiæ Hamonis pontem. Nuncupare præterea placeat inter eos qui præcipua Boni Loci monialibus bona contulere, Joannem, Vindocinensis agri comitem, Amalricum de Credone, Margaritam, Sablolii dominam, Elinandum de Nucariis, Savaricum de Altanosia, Theo-

baldum de Blazone, Guillelmum de Jallia, nec non Clementiam, Castriduni dominam.

Abbatissas Boni Loci recensuere domnus *Housseau*, collectaneorum t. XVIII, et Thomas Calvinus, Geog. vet. Cenoman. diœcesis.

ABBATISSARUM SYLLABUS.

I. Odelina, mense Januario 1260, paciscitur cum monachis Castri Ledi; e chartulario Majoris Monasterii.

II. Petronilla de Rupe, anno 1263. Hanc autumant sororem Huguelini de Rupe.

III. Juliana, anno 1277; e domno *Briant*.

IV. Agnes de Campo Caprarii, anno 1296. Creditur a domno *Briant* filia Simonis, Campi Caprarii toparchæ.

V. Isabella I, anno 1315; ex eodem.

VI. Philippa, annis 1344, 1356.

VII. Margarita, annis 1386, 1397, 1399, 1402, 1404.

VIII. Gervasia, Vindocinensis, quæ, senio gravata, cessit, anno 1461, in gratiam sequentis, pensionem retinens triginta scutorum auri.

IX. Isabella II *de Chemmes*, suppriorissa abbatiæ, præfecturam sortita est litteris Pii papæ II, Januario mense 1462. Die 14 Augusti 1466, litigabat de quibusdam decimis cum Brionii priore; e chartulario Brionii, in archivo Andegavensi. Eadem, 4 Julii 1480, in apochis ad clerum spectantibus, in Max. Paris., Biblioth.; *Cab. des Titres*.

X. Magdalena I *de Dureil*, ab anno 1504. Decessit ultima die Januarii 1518, vel 1519. Qua defuncta, hæsere dubia monialium suffragia inter Annam *de Gennes* et Mariam *de Broc*. Inde lis exorta. Anna tamen, ad ætatem canonicam nondum provecta, submota fuit; confirmata vero, Parisiensis senatus sententia,

XI. Maria I *de Broc*, die 19 Decembris 1522. Eadem electa fuit abbatissa Prati a plerisque monialibus : ei vero cætera pars obsequium detrectavit. Ecclesiam Boni Loci refecit. In Pratensi monasterio decessit x cal. Augusti.

XII. Guidona *de Martigné* bullas accepit III nonas Novembris 1552, missaque fuit in possessionem per Renatum *Collas*, archipresbyterum Fixensem, die 21 Martii 1554. Die 26 ejusdem mensis, procuratores generales instituit.

XIII. Ludovica *de Bueil* munus adiit die 17 Octobris 1563. Privilegia abbatiæ confirmata ab Henrico rege obtinuit.

XIV. Magdalena II *de Bueil* obiit 6 Januarii 1623, postquam abbatiam rexisset per decem annos, sex menses decemque dies; ex ejus epitaphio.

XV. Catharina *Leroy de Rissay*, Virginitatis nuper abbatissa, Boni Loci rem administrans occurrit 1 Septembris 1625, in Mellinensi chartulario.

XVI. Claudia *de Vanssay* usque ad annum 1632, quo secessit in prioratum Pontis Genæ, abdicans in gratiam Jacobæ sequentis. Abbatissam sub id tempus Boni Loci rex creat Angelicam de *Vièvres de Launai*, monialem Faræ monasterii; supra, t. IV, col. 506; non autem ea, ut videtur, Bono Loco potita est.

XVII. Jacoba *d'Illiers*, ex abbatissa S. Aviti Castridunensis, bullas obtinuit Junio mense 1633, ætatis 38. Quam consecravit Joannes de Nivella, Cisterciensis abbas. Occurrit II Junii 1652 in chartul. Mellinensi.

XVIII. Clara *d'Illiers d'Entragues*, antecedentis neptis, litteris apostolicis instituitur 4 Novembris 1662.

XIX. Elisabetha *d'Illiers*, antecedentis soror, bullas obtinuit 9 Augusti 1696 et possessionem adiit 21 Novembris. Decessit 15 Januarii 1704.

XX. Angelica Francisca *de la Grange d'Espoisses*, filia Achillis *de la Grange* et Ludovicæ *d'Ancienville*, professa S. Antonii de Campis apud Parisios, creata Boni Loci abbatissa litteris regiis anno 1704, et instituta bullis Clementis papæ II XIV calend. Maii, postea abdicavit. Moriens perhibetur 8 Augusti 1728.

XXI. Maria II *Jugelard des Forgerais* decessit 31 Decembris 1729.

XXII. Theresa *de Felix du Muy*, filia Joannis-Baptistæ, comitis *du Muy*, et Margaritæ *de Mizon*, per annos quinque Bono Loco præfuit.

XXIII. Carola Renata *de Poilvilain de Crenays*, e Georgio nata *de Poilvilain*, multo locorum toparcha. Abbatissa creata 27 Novembris 1735, in possessionem inducta est 29 Octobris 1737, et obiit 19 Januarii 1746.

XXIV. Maria III Margarita *Giroy de Neufvy* a rege creatur 20 Martii 1746.

XXV. Henrica *de Murat*, creata 4 Junii 1781, possessionem adiit 31 Augusti sequentis. Superstes erat anno 1790.

VIRGINITAS.

Fundatur hæc abbatia, quæ moniales Cistercienses exciperet, annum circa 1220, a Joanne, Vindocinensi comite; e D. Thoma Calvino. Domnus autem *Briant* conditam hanc opinatur anno circiter 1247, a Petro, Joannis filio. Rupiacum veteres chartulæ, Rupes Episcopi recentiores nuncupant locum, Monti Aureo vicinum, in quo domus hæc, tertio decimo sæculo decurrente, surrexit. Ecclesiam abbatiæ consecravit, x cal. Octobris 1283, Joannes, Turonensis archiepiscopus.

Seriem abbatissarum, non tamen integram, condentes, utebamur præcipue schedis domni *Briant*.

SERIES ABBATISSARUM.

I. Odelina.

II. Philippa *d'Azé*, anno 1274.

III. Alicia de Vindocinis obiit anno 1310.

IV. Aiglantina, et ipsa, ut opinantur, e Vindocinensi domo, anno 1329.

V. Emma reperitur anno 1373.

VI. Maria I de Vindocinis, 1381.

VII. Isabella de Vindocinis superstes erat anno 1470.

VIII. Joanna *de Chambray*, filia domini *de la Roche-Turpin*, occurrit 1 Novembris 1477 procuratores abbatiæ generales instituens. Eadem, anno 1479, de decimis componit cum Ludovico, S. Launomari Blesensis abbate; e S. Launomari chartulis, in cod. Sangerm. 1067, p. 92. Superstes memoratur anno 1506.

IX. Girarda *de Villarceaux* innotescit, anno 1531, e chartulario Majoris Monasterii. In gratiam neptis suæ resignavit.

X. Maria II *de Beauvilliers*, ann. 1545.

XI. Florentia *de Crémainville*, ann. 1573.

XII. Urbana *de la Chapelle* ob. 16 Junii 1600.

XIII. Francisca I *de Vanssay* ob. ann. 1614.

XIV. Claudia *de Vanssay*, antecedentis neptis, permutavit cum sequente, et ipsa tum abbatissa Boni Loci facta est in annum 1632.

XV. Catharina *Leroy de Rissay* ex abbatissa Boni Loci Virginitate potitur post annum 1625 Dein vero abbatiale munus abdicavit, fundatrix futura prioratus Cisterciensis, Argentolii, prope Parisios.

XVI. Francisca II *de la Barre* obiit anno 1654.

XVII. Elisabetha Margarita *de Harlay de Chanvallon*, soror primogenita archiepiscopi Parisiensis, abbatissa creatur Virginitatis anno 1655, et post regimen annorum triginta ad abbatiam Portus Regii Parisiensis provehitur, 21 Martii 1685.

XVIII. Maria III Angelica *Le Maistre de Grandchamp* possessionem adit 10 Maii 1695.

XIX. Anna *Des Préaux* munere potitur 9 Decembris 1712.

XX. N. *Guérin de Bruslart* abbatissa creatur anno 1741.

XXI. Julia Joanna *de La Madeleine*, anno 1765.

XXII. Maria IV *de Murat*, 7 Maii 1775, quæ possessionem adit 17 Julii. Superstes erat anno 1790.

ECCLESIA ANDEGAVENSIS.

Andes Cæsar, Andecavos Tacitus, nobilem inter Gallos gentem, novere. Apud eos Cæsar stationem posuit, Armoricam inde speculaturus libertatis studio constanter frementem. Ipsi tamen Andes adeo non Romanorum obsequiosi clientes, ut contra, Dumnaco Duce, non semel belli fortunam experti sint, donec, fractis viribus, depellendæ servitutis spem distulerint. Ante Cæsaris adventum Gallis Celticis annumerabantur. Andegavia deinde pars fuit Galliæ Comatæ. Romanos postquam Barbarorum ingruens moles contrivit, Andegavensem tractum inter se Gothi Saxonesque partiti sunt. Depulsis tandem Saxonibus, ejusdem imperium Franci tenuere.

Præcipuam Andium civitatem Juliomagum Ptolomæus, recentioris autem ævi scriptores, inter quos Gregorius, Andegaviam, Andegavim, vel Andegavum nuncupant. Ejus antiquitatem plura intus et circum jacentia rudera testantur. Incumbens colli, cujus imum subluit Meduana, Lædo et Sartæ jam permixtus et in Ligerim mox influxurus, exsurgit e cæruleis effecta lapidibus, quorum obscurus color, vel sub ipso irradiantis Phœbi fulgure collucere nescius, cum diffusorum infra pratorum viriditate mirum in modum pugnat. In editiori collis vertice arx eminet, gigantea veluti brachia decem et octo turres protendens, regium opus, quod Ludovicus IX condidit. In hac urbe, priusquam Francorum dominio regum addiceretur, principes imperavere, comites consulesve dicti, quos continua rei militaris cura ad id potentiæ provexit, ut eis semet Anglorum reges per affinitatem innecti exoptaverint. Andegavensium ducum primus Ingelgerius, Carolo Calvo regnante : cui successerunt duo Fulcones, indole quidem, non autem ambitione dissimiles; Geoffridus Grisa Gonella, qui Germanorum vim pugnæ sciens strenue propulit; Fulco Nerra, Conani, Britonum ducis, occisor, multorumque castellorum urbiumve obsessor; Geoffridus cognomine Martellus, idem qui Turonorum, Blesensium, Pictonum et Credonensium dynastas, Martem nunquam expertus adversum, æque fregit. Quod si tandem ad Geoffridum Pulchrum, prætermissis quibusdam, transeamus, occurrit is Mathildi, Henrici regis filiæ, matrimonio junctus, et ipse filio suo Henrico Angliæ regnum hæreditario jure possidendum tradens. Sed quanto majorem Andegaviæ comites fortunam erant assecuti, tanto magis in lubrico stetere. Eos Philippus, Francorum rex, aggressus, comitatum Andegavensem, debellatis Anglorum copiis, occupavit. Andagavensis domus historiam plures posteris mandavere. Ne singulos commemoremus, consule, si lubet, Collectanea DD. P. *Marchegay* et Andr. *Salmon*, quorum tomus primus nuper prodiit sub hoc titulo : *Chroniques d'Anjou*.

Incertissimum est quonam tempore prima christianæ fidei semina per Andegavenses vicos sparsa fuerint. Non improbanda quidem videtur eorum sententia qui circa B. Martini tempora id contigisse memorant : cum vero res aditum postulantibus facilem non præbeat, dubia pro certis tradere displicet. Primariam Andium ecclesiam, incerto sub præsule conditam, S. Petro sacram nonnulli, quos inter Burdinæus Menardusque, referunt. Hoc tamen quasi conjectura dixere, eisque Rogerus non assentit. Recentioris basilicæ, S. Mauricio dicatæ, meminit Theodulfus, Aurelianensis præsul, in sacro carmine cui titulus : *Gloria, Laus*. Ædes est insignis abruptum ex alto prospiciens collem, cujus clivum occupant tecta gradatim ordinata. Undecimo rursus ædificata sæculo, consecrata fuit, anno 1030, ab Huberto præsule. Navis fornicem dein exstruxit, anno 1150, Normannus de Doado. Operibus tandem novis, sexto decimo sæculo decurrente, eadem aucta fuit. Ad templi frontem, principem supra portam, ingentia bis quatuor signa e loculamentis prodeunt, octo viros galeatos ferroque succinctos exhibentia. Quorum secure torvas respice facies : hi sunt enim ex illustrioribus quidam Andegaviæ comitibus, quos S. Mauricio commilitones artificis ingeniosa manus dedit, ut sacræ domus fores etiam mortui custodirent, eidem postquam, dum inter vivos numerarentur, erant assidue patrocinati. Plures doctrina et animi constantia claros antistites Andegavensis ecclesia nacta est, qui potentes consilio non tantum in popularium dynastarum curia, sed etiam in aula regum exstitere. Capitulum Andegavense a jurisdictione episcopali liberum dixit Stephanus, Turonensis archipræsul, 28 Novembris 1334. Eidem Paulus papa II, anno 1468, similes litteras pro apostolico jure concessit. De illa vero immunitate sæpe litigatum, eamque per abusionem admissam non unum senatus Parisiensis consultum denuntiavit. Primam in capitulo sedem tenebat decanus : subter sedebant summus archidiaconus, cantor, thesaurarius, archidiaconus Transligeranus, archidiaconus Transmeduanensis, scholasticus et pœnitentiarius. Post quos triginta numero canonici præbenda simplici donati recensentur. Decanum eligebat capitulum, Turonensis archipræsul confirmabat; cæterarum vero præbendarum collatio ad Andegavensem episcopum spectabat,

nisi tamen quatuor, quarum prima abbatem S. Sergii, secunda abbatem Omnium Sanctorum, tertia pueros choro addictos, quarta tandem erat ipsum capitulum penes. Summum archidiaconatum quatuor archipresbyteratus dividebant; Transligeranus archidiaconus unum archipresbyterum decanosque duos rusticanis negotiis præpositos sub se tenebat; in archidiaconatu Transmeduanensi, rusticani tres decani.

In tota diœcesi, præter cathedralem ecclesiam, septem et viginti ecclesiæ collegiatæ: quarum septem in urbe præcipua numerabantur; scilicet S. Julianus, S. Laudus, S. Magnobodus, S. Martinus, S. Maurilius, S. Petrus et sanctissima Trinitas. S. Julianus, S. Magnobaudus, S. Maurilius et S. Petrus olim abbatiæ fuerant, de quibus infra mentio fiet. Ecclesiam S. Laudi Geoffridus Martellus I exstruxit, intra muros civitatis et *ante comitalis fores*, ubi antea surgebat capella S. Genovefæ dicata. Quibus hæc fundatio narratur litteras Sammarthani prælo dedere, et Geoffrido *Plantegenest* adscripsere. Mendosam vero doctorum fratrum conjecturam plura refellunt. Præter Chronica de Gestis Consulum, quæ Martellum I S. Laudi institutorem pronuntiant, Collectanea Chronicorum Andegav., t, I, p. 132, idem testatur S. Laudi historia, ut eam continua chartarum series exhibet. Canonicis quos eo accivit Andegavensis comes opulenta prædia largitus est. Reliquiis eosdem pretiosissimis, post Castri Ledi obsidionem, Fulco Richinus donavit (1). Postea, Septembri mense 1234, Ludovicus rex, canonicorum commodis inserviens, eos in ecclesiam S. Germani transtulit; ex insigni chartula, quam servat Max. Gallor. Archiv. Agnovit Michael episcopus, anno 1240, ecclesiam S. Laudi ab episcopali jurisdictione liberam esse (2). Antiquior S. Martini fundatio: hanc nempe plerique scriptores Hildegardæ, Ludovici, Aquitanorum regis, uxori, adjudicant. Canonicorum, ut videtur, sub lege locus semper fuit, quorum temporibus Ludovici Pii Theodulfus Aurelianensis meminit. Fulconis consulis profertur diploma, anno datum 1020, ædis in quo restauratio narratur. Regalem ad hanc domum pertinentia beneficia rex Gallorum conferebat, unum si tamen excipias, cujus collatio penes Andegavensem episcopum erat (3).

In Andegavensi diœcesi numerabantur insuper abbatiæ 18 et prioratus 186, quorum 10 conventuales. Abbatiarum is Benedictinarum ordo fuit, e decreto Juhelli, Turonensis archiepiscopi: « Abbas S. Albini, qui multis gaudet prærogativis, sedebit primus a dextris « juxta episcopum; abbas etiam S. Florentii, qui pariter gaudet multis prærogativis, sedebit « primus a sinistris juxta episcopum; abbas S. Sergii juxta abbatem S. Albini; abbas de « Burgolio juxta abbatem S. Florentii; abbas S. Nicolai juxta abbatem S. Sergii; abbas « S. Mauri juxta abbatem de Burgolio. » Inter diversas moribus et habitu congregationes quæ sedem Andegavi posuerant præcipue recenseamus Fratres Prædicatores, Minores S. Francisci, Augustinianos, Capucinos, Recollectos, sodalesque B. Mariæde monte Carmelo. Nec Oratorianos silere decet. Quis utique Andegavinæ civitatis laudes canens, claram Universitatem, a Ludovico II, Andium duce, anno 1398 conditam, prætermisit?

Andegavensium episcoporum historiam neutiquam imperite confecerunt Arthaudus, canonicus, et Claudius Menardus, quos Sammarthani in plerisque duces secuti sunt. Burdinæus, Hiretus, et, inter recentiores, *Roger, Bodin* et D. *Godard-Faultier* plura de iisdem in annalibus suis tradidere. Consulendus præ cæteris domnus *Housseau*, in schedarum suarum tomo XVI.

(1) Exstat inter A. Quercetani schedas, t. LXXV, cujusdam chartulæ fragmentum ea quæ dona memorat. Ibi legitur:

« Fulco, Dei gratia Andegavensis comes, dilecto fratri suo Lamberto, Dei gratia decano ecclesiæ B. Laudi. Dominus noster Jesus Christus contra Cenomanos palmam victoriæ mihi dedit. Nam cum castrum Ledi, die Veneris in festo B. Laudi obsedissem, ipsa hora qua Christus passus fuit castrum fuit, captum, quamvis thesaurarius ille Cenomanensis in castro cum multis existeret. Cum omnes suos quarellos munitos projecissent arbalestarii contra gentem meam, quosdam quarellos, qui remanserant immuniti, fecit dictus thesaurarius muniri membranis suæ Bibliæ. Nihilominus tum cum per Dei gratiam intrans obviam dicto thesaurario, qui quosdam coffrellos cum magno tremore a quibusdam capellanis extra castrum faciebat portare, ego dictos coffrellos cœpi ab eis ipsis multum lacrymantibus, dicente thesaurario quod quæ habebat mihi daret, dum tamen ei redderem coffrellos; et incontinenti petii claves, sed noluit mihi dare, consilio Rotholdi Montefortis, fratris sui; et incontinenti fregi sarraturas, et ibi inveni pretiosissimum thesaurum, videlicet mentum B. Juliani, Cenomanni episcopi, una cum ossibus B. Vingaloii, quæ vobis mitto ut in mea ecclesia in perpetuum honorabiliter requiescant. Sed prætermittendum non est illud signum quod in dicto facto nostro mihi ostendit. Nam quando tenui pretiosissimum mentum, et osculatus essem illud cum magno gaudio, mentum meum avertit se de suo loco in partem sinistram, et maximum dolorem habui. Omnes vero mei rogabant me ut redderem dictum thesaurum et transiret a me dolor, et confisus in Deo incontinenti vovi, prout fari potui, quod neque pro morte neque pro vita dictum thesaurum de cætero redderem, sed in ecclesia mea honorabiliter custodirem; et, hoc facto, per Dei gratiam transiit dolor ille, sed mentum meum in pristinum statum non rediit. »

Periit chartularium S. Laudi. Plures ad hanc ecclesiam spectantes chartas reperies inter schedas Baluzii, arm. incert., fasc. 7, num. 7.

(2) Inter veteres S. Laudi decanos recensendi, Lambertus circa 1070, Gausbertus anno 1075, Guido 1099, Normannus 1140, Girardus 1192, Rodericus 1234, 1242: inter recentiores, Guillelmus *Bourgoing* anno 1440, Joannes *Allardeau* 1465, Michael *Grolleau* 1466, Joannes *de la Vignolle* 1472, Renatus *de la Vignolle* 1484, Joannes *Bayard* 1531, Franciscus *de la Hune* 1534, Petrus *de Raganne* 1561, Marinus *de Raganne* 1594, Franciscus *Thyon* 1624, Carolus *Thyon* 1656, Joannes Jacobus *Potry* 1658, Claudius *Lusson* 1659, Renatus *Lesneau*, 1688, Joannes Franciscus *Ayrault* 1698, Michael *Gohin* 1699, Matthæus *de la Noue* 1704, Renatus Andreas *de la Primaudière* 1706, Paulus *Gilly* 1718, N. *Avice de Mougon*, N. *du Chilleau*. Recentiores S. Laudi decanos collegit anonymus, et inscripsit chartaceo volumine quod servat archivum Andegavense, sub hoc titulo: *Clergé d'Angers*.

(3) S. Martini decanis annumerandi Radulfus anno 1145, Hugo 1214, Guillelmus 1272, Joannes *Dolleux* 1396, Guillelmus *de la Haye* 1398, Joannes *de la Croix* 1444, Hermannus *de Vienne* 1450, Olivarius *Yvon* 1491, Amalricus *Denyau* 1494, Joannes *de Tinteniac* 1510, Guido *d'Andigné* 1531, Joannes *Jacquelot* 1568, Martinus *Huault* 1601, Joannes *du Piau* 1614, Franciscus *Boylesve* 1621, Gabriel *Boylesve* 1629, Joannes *de Salles* 1631, Claudius *de Vaure* 1640, Durandus *de Vaure* 1662, Matthæus Gualterius *de Chanzé* 1682, Henricus Prosperus *Pocquet de Livonnière* 1714, Dionysius *Cadoreau* 1720, Vincentius *Esnault* 1730, Augustinus Colasius *de l'Eperonnière* 1741, Franciscus *Cotelle* 1756, N. *Frémond* 1777; ex anonymo supra laudato.

EPISCOPI ANDEGAVENSES.

ANNI CHRISTI

I. Defensor.

Defensoris omnes meminere veterum cura digestæ nomenclaturæ. Ejus autem gens et ætas quasi penitus ignotæ, nisi quæ conjectura ponuntur pro certis accipias. Ex actis S. Juliani, Cenomanensis episcopi novimus Cenomanicæ civitatis defensorem, Juliano docente, christianam fidem amplexum : unde quidam, impositum hoc antiquitus civili dignitati vocabulum viri nomen opinantes, Defensorem S. Juliani Cenomanensis coævum dixere. Aliis primus apud Andes verbi divini præco Defensor ille fuit, cujus memoriam Sulpicius Severus et Fortunatus posteris tradidere, hunc episcopis annumerantes qui S. Martinum Turonensi cathedra prohibere frustra conati sunt. Horum quidem potior sententia, cui, præter domnum Briccium, Sammarthani fratres adhæserunt. De re tamen subdubitare per nos licebit. Adverte præterea quod Defensoris nomen inter sanctos Andegavensis ecclesiæ patronos non reperiatur.

Post hunc Defensorem nonnulli nuncupant Auxilium quemdam, S. Firmini, Ambianensis antistitis, æqualem, de quo fuse quidem, sed nugatorie disserunt. Ejus, ut aiunt, mentio fit in actis S. Firmini. Acta vero S. Firmini si consulas, hæc tibi occurrent : « Postmodum Ligerim transiens (Firminus) « ad *auxilium* Andegavinæ urbis, anno et tribus mensibus in verbo prædicationis de« tentus est, ubi maximam partem illius pro« vinciæ ad cognitionem veritatis evangelicæ « perduxit. » Parva fides actis S. Firmini debita, ut inter cæteros Tillemontius asseruit. Quis autem modus erit istius interpretis irrisioni, a quo præsulis ea tenus ignoti nomen e supra laudato loco sincere pieque desumptum fuit? Stupendum ejus errorem jam domnus *Housseau* denuntiavit.

II. S. Apotemius.

Apotemius, quem nonnulli Epodemium appellant, coævus et ipse legitur S. Martini. Quorumdam e sententia is est Apodemius qui ex Oceani finibus ad S. Hieronymum venit, eique litteras Hebidiæ et Algasiæ matronarum tradidit. Consule Petrum *Rangeard*; Disq. de Script. Andeg. Historiæ. Huic conjecturæ convenientia temporum satis favet. Apotemii corpus Rotonum detulit Convoionus abbas, si Rotoni tabulis adhibenda fides. Ejusdem pristina meminere calendaria, 10 Novembris.

A

III. Prosperius.

Prosperii nomen exhibent nomenclaturæ. De eo tamen nihil aliud comperimus.

IV. S. Maurilius.

S. Maurilii vitam posteris commendavit vetus scriptor, quem Gregorium Turonensem, Fortunatum, Magnobaudum, Rainonemve diversi codices diverse dixere. Maurilius ibi legitur patria Mediolanensis, S. Am-

B brosio necnon S. Martino perquam familiaris, qui Andium saltus perlustrans Calonnæ sedem posuit, et mox, Prosperio defuncto, Andegavensem ecclesiam ab ipso Martino regendam suscepit. Pium autem hoc S. Maulilii præconium ad nos pervenit figmentis intertextum quæ parum inter se concordant, idque eadem censura Launoius, *Baillet* et *Housseau* notavere. Clara diu permansit apud Andes S. Maurilii memoria, cujus sub vocabulo plures antiquitus ecclesiæ conditæ sunt. Ejus festum colebatur 13 Septembris. Orationem quamdam B. Maurilii, Andegavensis

C episcopi, ad S. Mariam, asservat cod. Regius 2882, qui duodecimo sæc. videtur exaratus.

V. S. Renatus.

S. Renati nulla mentio antiquissimis in tabulis. Ejus nomen primum, ut aiunt, occurrit in Maurilii vita, istius opusculi adulteratione jam peracta. Unde Renatum transvectum fuisse referunt in catalogos duodecimo decurrente sæculo conditos. Nec certius videtur eumdem Renatum, e Gallia profugum, Surrenti, juxta Neapolim, ecclesiam

D gubernavisse. Andegavensis vero cleri fides, saltem ab Ulgerii præsulis temporibus, S. Renatum et ejus reliquias in ecclesia S. Mauricii servatas constanter coluit : quæ si non indubiis innixa comprobetur argumentis, non huic tamen obstare tutum. Postquam ea de fide plures egregie, quamvis inter se parum congruentes, disseruerant, Sammarthani fratres, audita causa, rem lectori rursus discutiendam reliquere. Quorum ad prudentiam nosmet componemus. Festum S. Renati diem Andegavensis ecclesia 12 Novembris celebravit.

E

VI. Talasius.

Ordinatus est Talasius anno 453, iv nonas 453
Octobris, Opilio consule, in synodo Andegavensi, et hujus synodi pars fuit. Ad eum, annum circa 460, scripserunt Lupus Tricas-

sinus et Euphronius Augustodunensis de solemnitatibus ecclesiasticis, de clericis bigamis et de vigiliis; supra, t. IV, Instr., col. 39. Is enim dubia quædam eis proposuerat solvenda, litteris per Archontium subdiaconum missis. Non interfuit synodo Turonibus con-
461 gregatæ anno 461, sed actis ejus nihilominus subscripsit, hoc modo : *Talasius, peccator, hanc definitionem dominorum meorum episcoporum, ab ipsis ad me transmissam, in civitatula mea relegi, subscripsi et consensi.* Ad Talasium absentem non aliter missa sunt Venetici concilii statuta, annum circa
462 462.

VII. Eumerius.

Eumerius, Fumerius, aut etiam Thumerius, in veteribus catalogis post Talasium ponitur. De eo nihil aliud compertum habemus.

VIII. Eustochius.

Interfuit Eustochius Aurelianensi conci-
511 lio, anno 511, apud Labbæum.

IX. Adelphius.

Adelphii tantum veteres catalogi meminere.

X. S. Albinus.

Vitam S. Albini Fortunatus scripsit, et domnus *Bouquet*, inter cæteros, edidit; Rer. Gallic. Script., t. III, p. 421. In qua legimus : « Albinus, Veneticæ regionis Oceano Britannico confinis indigena, non exiguis parentibus oriundus, imo digni germinis dignissima proles emergens, decus quod sumpsit ex genere felicis vitæ meritis ampliavit... Et quia tanti meriti fama sepulta non latuit, sed felicibus pennis cuncta pervolans occupavit, contigit eo tempore Andegavam civitatem pastoris gubernatione nudari. Tunc, universitate populi concordante, quamvis eo humilitatis studio resistente, ad pontificalem gradum, duce Christo, concordanter eligitur. » Nec prætereundum, quod, Fortunato teste, Tincilliacensem abbatiam, non aliunde notam, Albinus rexerat antequam in Andegavensis ecclesiæ fastigium promoveretur. Adfuit con-
538 cilio Aurelianensi tertio, anno 538, ubi concionem, ut aiunt, habuit de incestis nuptiis, quibus nimium, ex ejus sententia, concilium hoc indulsit. Quamobrem, dirempto conventu, ad Cæsarium, Arelatensem episcopum, adiit, ut cum eo de materia dissidii colloqueretur. Ad quintum Aurelianense concilium Sapaudum abbatem misit, qui ipsius
549 locum teneret, anno 549. Obitum ejus anno

A 550 adscribunt, 1 Martii. Sepultus est in ecclesia S. Petri, in ædem S. Germani deinde transvehendus.

XI. Eutropius.

Eutropius, quem indices plerique post Albinum collocant, ecclesiam Glannafoliensem anno 551 consecravit, si qua fides adhibetur 551
vitæ S. Mauri a Fausto conscriptæ. Idem ille est qui corpus S. Albini in basilicam S. Germano sacram transtulit. Hæc ab eo tempore basilica S. Albinum patronum habuit.

B

XII. Domitianus.

Domitianus interfuit concilio Parisiensi tertio, anno 557. Domitianum quidem hujus 557
acta concilii memorant, sine ulla sedis mentione : conjicere tamen licet hunc non alium esse ac Andium episcopum. Subscripsit, anno circiter 563, epistolæ Turonensis provinciæ præsulum de solvendis decimis, inimicis in gratiam revocandis et dirimendis incestis copulationibus. Recensetur dein Domitianus inter episcopos qui, anno 567, sederunt in 567
C secundo Turonensi concilio. Quo habito, ut videtur, subscripsit Eufronii litteris ad Radegundem, Clotharii regis uxorem. Adfuit, anno 568, consecrationi Nannetensis eccle- 568
siæ, ut refert Fortunatus coævus :

> Domitianus, item Victorius, ambo columnæ,
> Spes in utrisque manens pro regionis ope.

Domitianum Fortunatus amicissimum habuerat. Cujus laudes non semel cecinit, ut notavit Claudius Menardus, in Peplo Andegavensi. De eodem domnum consule Rivetium, Hist. Franciæ Litter., t. III, p. 280.

D

XIII. Baudegesilus.

Baudegesilus reperitur in catalogis post Domitianum. Is forsitan non alius ac ejusdem nominis regius cliens, qui sub idem circiter tempus ab ipso Chilperico rege ecclesiæ Cenomanensi præfectus est, eamque, narrante Gregorio, tot deprædationibus afflixit.

Post Baudegesilum quidam inter Andegavenses episcopos ponunt Ennium, qui Venetensi cathedra depulsus a Chilperico rege, Andegavum secedere jussus est, ut Gregorius
E Turonensis refert, lib. V, c. 27, 41. Adverte primo quod hujus Ennii nullus meminerit e veteribus Andagavensis ecclesiæ catalogis. Gregorius insuper, unicus hujus rei narrator, Chilpericum præcepisse memorat ut Ennius Andegavi *de publico pasceretur*, et ea profecto verba exsulem indicant, non opulenta sede donatum pontificem. Animadvertendum denique quod Ennii Gregorius exsilium adscribat anno 578 : at Baudegesilo jam Andovens forsitan successerat anno 572.

ANNI CHRISTI

XIV. Audoveus.

Audoveus, quem catalogi Audoinum nuncupant, a quibusdam frater dicitur Domnoli, Cenomanorum episcopi. De hac autem cognatione nil certum. Memoratur quidem, anno 572, in testamento Domnoli; Dipl., Chart., edit. nov., t. I, p. 135. Exstant vero ejusdem testamenti exemplaria duo plane diversa, et non ad utriusque calcem Audovei nomen legitur. Quocirca subdubitare licet an Audoveus ab anno 572 sedem tenuerit Andegavensem.
581 Anno certius 581 Cenomani festum S. Victoris celebravit, et litteris Domnoli subscripsit villam *Canon* basilicæ Vincentianæ tradentis; Diplom., Chartæ, edit. nov., t. I, p. 148. Ejusdem meminit Gregorius Turonensis, Hist. Franc. lib. x, c. 14, sub ann.
590 590, ubi legitur Audoveus diaconum Theodulfum Parisios deserentem excepisse. Insuper ex eodem Gregorii loco comperire est Audoveum, ante assumptum pedum, Parisios incoluisse.

XV. Licinius.

Licinii vitam scripsit anonymus quidam Andegavensis, quem ejus fere coævum dicunt. Eo teste, Licinius, e prosapia regum Francorum deductus, ad Clotarium missus a patre fuit, dum primæva floreret ætate, et regiis stabulis præpositus. Mox, maturescentibus annis, inter milites emicuit, quo nullus evaginato gladio melius uteretur. Sponsam præterea duxit ex inclyta gente natam, et dux Andegavensium factus est. Hæc autem inter se parum concordant, ut jam notavit domnus *Housseau*, schedarum t. XVI. (Rer. Gallic. Script. t. III, p. 486.) Postquam tamen Licinius aulicis rebus vale dixerat, seque militiæ mancipaverat clericali, Andegavensi cathedra non multo post vacante, præsul ab optimatibus, clero populoque fuit electus. Ejus electionem adscribit Cointius anno 592; nec in re tam dubia conjecturam Cointii vel propugnare, vel refellere valemus. Anno 601, S. Gregorius papa, plures ad Augustinum in Angliam monachos dirigens, eos Mennæ Tolosano, Lupo Cabilonensi, Melantio Rotomagensi præsulibus commendavit, necnon Licinio, cujus non designatur sedes, quem vero nostrum Licinium fuisse Sirmondus conjicit. Feralem ejus diem Andes celebrare solebant 13 Februarii. Quo tamen obierit anno dubium relinquitur. Proponit Cointius annum 605; domnus vero Rogerus, mirum in errorem delapsus, vitam ejusdem ad annum 631 protrahit. Certe Licinius non superstes erat anno 615 : cum enim tunc naturæ debitum persolvisse Bertichramnus apertis verbis in suo testamento refert.

A

XVI. Chaidulfus.

Post Licinium Chaidulfus, alias Eadulfus, in fastis Andegavensis ecclesiæ recensetur. Ejusdem meminit et Marbodus in vita S. Magnobaudi. Non diuturnum, ut videtur, episcopatum sortitus est.

XVII. S. Magnobodus.

Vitam S. Maurilii descripturus his suum Magnobaudus sermonem inchoat verbis : « Ego Magnobaudus episcopus, ac si pecca- B « tor, ecclesiæ Andegavæ, vitam S. Maurilii « episcopi et confessoris, ut rusticitas mea « compos fuit, simpliciter planeque quan- « tum potui exposui, in anno decimo ordina- « tionis meæ et anno trigesimo sexto prin- « cipis domni nostri Chlotarii regis. » Quanquam de Magnobodi temporibus disserens Rogerus, perspicuum hunc et dilucidum sermonem obcæcare sit aggressus, aperte comperitur Magnobodus, ipso teste, ad sedem Andegavensem anno 609, vel 610 evectus. Magnobodi vitam dein posteris enarravit Marbodus, Redonensis episcopus : cui si C fides, S. Licinii quondam discipulus, ex abbate Colonotensi Magnobodus episcopus salutatus fuit. Ejus nomen reperitur, anno, sicut autumant, 625, in spurio S. Lonegisili testamento. Eodem, ut videtur, anno, interfuit concilio Remensi. Ecclesiam amplam construxit, quam S. Saturnino dicavit : mos autem apud vulgus decurrentibus annis invaluit, ut ea ipsius S. Magnobodi nomine cohonestaretur ecclesia. Ejus vitam ad annum 697 Bordinæus ducit, sed perperam; annum 660 Bollandistæ proponunt; annum alii 654. In nulla conjectura stare tutum, uti domnus D *Housseau* caute dixit. Festum ejus 15 Octobris celebratum. De eo quædam in Benedictinorum sodalium Histor. Litter., t. III.

Frenemundus, Andegavensis episcopus, occurrit, anno 644, in diplomate Chlodovei II pro monasterio S. Dionysii. Certis vero falsitatis indiciis hoc diploma refertum est, ut post Germonium egregie demonstravit D. *de Bréquigny;* Diplom. Chart., edit. nov., t. II, p. 80.

XVIII. Niulphus.

Niulphus, aut Aiulphus, post Magnobo- E dum in catalogis reperitur, quem quidam opinantur eumdem ac Aiulphum sub id temporis Albinianorum abbatem. A Coiutio tamen ex episcoporum Andegavensium serie idem aut alter Niulphus æque rejicitur. Quod dirimere dubium in præsto non est.

XIX. S. Lupus.

Lupus ex iisdem catalogis post Niulphum prodit. Illum Andegavensis ecclesia 17 Oc-

tobris colebat; e S. Florentii necrologio. Adverte quod Sammarthani Lupum decimo seculo floruisse tradant, testem adducentes falsum hunc Odonem, qui de Reversione S. Martini tractatum fide prorsus indignum conflavit. Retrocedat autem iste næniarum artifex, et, doctorum fratrum pace, veterum tabularum auctoritas prævaleat.

XX. Aglibertus.

Agliberti meminere tam sæpe laudati catalogi quam S. Sergii breviaria. De eo nihil amplius comperitur.

XXI. Godobertus.

Godobertus, aut Rodobertus, dein recensetur, cujus mortales exuvias abbatia S. Sergii diu servavit. Ipsa hæc olim abbatia una S. Sergium et S. Godobertum patronos agnovit suos, ut legitur in charta Gairardi comitis de Nubiliaco et Campaniaco. Anniversarium ejus 4 Maii adscribitur.

XXII. Gariarius.

Gariarii, vel Gariaci, nihil præter nomen superest.

XXIII. Boso.

Non amplior mentio de Bosone; minime sedenim videtur ille Boso, episcopus incerti loci, qui subscripsit anno 662 chartæ Berthefredi pro Corbeiensi monasterio; Dipl., Chart., edit. nov., t. II, p. 128.

XXIV. Colatobus.

Colatobus, alias Colathobodus et Golatobus, legitur in veteribus tabulis.

XXV. Benignus.

Eadem et non major Benigni fama.

XXVI. Bertus.

Bertus, alias Beatus, perperam Botus apud Sammarthanos, ex iisdem catalogis prodeat.

XXVII. Satrius.

756 Satrius subscripsit, anno 756, privilegio Chrodegangi, Metensis episcopi, pro monasterio Gorziensi; apud Cointium, Annal. Franc., t. V, p. 562.

XXVIII. Mauriolus.

765 Mauriolus sedit anno 765 in Attiniacensi concilio; apud *Mansi*, t. XII, col. 676. Eidem,

A mense Martio 770, Carolus rex monasteriolum S. Stephani confirmavit. Ch. II, col. 144.

XXIX. Gentianus.

Post Mauriolum Gentianus nuncupatur, cujus nomen tantum ad nos transiit.

XXX. S. Benedictus.

S. Benedictus anno Ludovici tertio, Christi
816 aut 817 (1), a rege præceptum obtinet 817
quo stabiliuntur immunitates jam ecclesiæ
B Andegavensi concessæ, necnon jus habendi tres naves per Ligerim et per amnes qui in Ligerim confluunt decurrentes; apud Sammarthanos, t. II, p. 116. S. Benedictum Andegavensis ecclesia 15 Julii colebat.

XXXI. Flodegarius.

Flodegarius chartam impetrat a Ludovico imperatore, quæ confirmat commutationem quorumdam mancipiorum inter Winneradum militem et ecclesiam S. Mauricii, anno
828, vel 829; *Mansi*, t, XVIII, col. 948. De- 828
C cessit Flodegarius pridie idus Junii; e calendario Mauriciano.

XXXII. Aiglebarius.

Aiglebarius, vel Arglebarius, in veteribus catalogis memoratur. Ejus et tabulæ S. Mauricii meminere.

XXXIII. Dodo.

Dodonem, ut aiunt, cancellarium habuit, ab anno circiter 833, Pippinus, Aquitaniæ rex. Quem Andegavensem episcopum anno
D 836 ordinatum fuisse Cointius, nullo teste, conjecit. Annotamen 837, in Andegavensis cathedra sedens, ut videtur, Aldrici, Cenomanensis episcopi, diplomati subscripsit hoc modo: *Dodo, humilis Andecavensium antistes, huic testamenti decreto assensum præbui et subscripsi.* Ad calcem enim ejusdem instrumenti legendum: « Data calendis Aprilis, in die sancto Paschæ, anno incarnatio-
« nis Domin. 837. » Domnus autem *Housseau* 837
his de notis aliisque disserens, infulas Dodonem sumpsisse negat ante desinentem annum 837. Utcumque se ea res habuit, Dodo,
E III cal. Martii 837, a Pippino restitutionem quarumdam rerum obtinuit S. Mauricio per vim ablatarum: mox, V cal. Aprilis, Eidem Pippinus confirmavit mediam partem cunctorum vectigalium quæ in Andegavensi territorio colligebantur (1); apud Sammar-

(1) Hanc domnus *Housseau* chartam, t. XVI, p. 72, anno 818 adscribit, nec, ut videtur, sine causa.

(1) Hujus diplomatis chronicæ notæ non quadrant. Id autem, non infelici, ut videtur, conjectura, domni *Bouquet* et *Housseau* anno 838 adscribunt.

ANNI CHRISTI

thanos, t. II, pag. 117. Quo et anno Aquis-
granum accitus, in ea civitate Dodo sub-
scripsit litteris Ludovici Pii, super Anisolensi
monasterio in Cenomanensis ecclesiæ, jus
839 transvecto. Confirmavit, anno 839, chartam
Roriconis, Cenomanensis comitis, monas-
terio S. Mauri ad Ligerim prædium quoddam
suum in Andegavensi pago situm largi-
entis; e S. Mauri chartulario. Ejusdem in
843 gratiam, anno Christi 843, VI idus Februarii,
Carolus, cognomento Calvus, res omnes ac
villas ecclesiæ S. Mauricii edicto regio sta-
bilivit; Rer. Gall. Script., t. VIII, p. 436.
847 Anno 847, chartæ subscribit Lamberti co-
mitis, canonicis S. Albini villam Ladria-
cum, in Andegavensi pago, concedentis.
849 Anno 849, ejus nomen occurrit inter no-
mina præsulum qui Nominoium rebellantem
e fidelium grege removendum decreverunt,
nisi citius ab impiis inceptis desisteret. Eo-
dem anno, testis fuit Caroli Calvi abbatiam
S. Joannis monasterio S. Florentii Veteris
tribuentis; quo et anno a prædicto rege, non
tam doni, quam restitutionis titulo, villas
Banacum et Apomacum e jure S. Mauricii dis-
851 tractas accepit. Anno 851, 3 Julii, quemdam
Ch. IV, col. 143. locum Andegavi situm tradit Odoni comiti,
aliam ab eo terram accipiens. Eumdem, ut
tot dona testantur, acceptissimum æque reges
Aquitaniæ Franciæque habuerunt. Opibus
elatum dignitatibus etiam auxerunt. Anno
853 853, missum hunc rex dominicum elegit, qui
Cenomanicis, Andegavensibus, Turonicis et
Sagiensibus agris advigilaret; Rer. Gallic.
Script., t. VI, p. 616. Eodem anno, cum Amal-
rico, metropolita, synodo Suessionensi, de re-
bus ecclesiæ Remensis habitæ, interfuit; anno
860 860, concilio Tusiacensi, apud *Mansi*, t. XV,
862 col. 561; anno 862, concilio Pistensi, ibid.,
863 col. 633; anno tandem 863, concilio Verme-
riensi, in quo sedit electus judex a Roberto,
Cenomanorum episcopo, adversus monachos
S. Carilefi litigante. Pejorem tamen Dodo
Roberti causam dixit: unde patet liberi vir
864 consilii. Eo præsente, anno 864, Godenus
quidam presbyter ecclesiæ S. Joannis locum
872 Elnam dictum tribuit. Anno tandem 872,
13 Aprilis, Gominiacum villam, sitam in
agro Basgamensi, a Carolo rege impetravit;
apud Sammarthanos, t. II, p. 119. Supremum
880 diem explevit Dodo V id. Novembris 880; e
necrologio S. Mauricii.

XXXIV. Raino.

Rainonem anno 880 ecclesiam Andega-
vensem suscepisse regendam constat ex ad-
notatione sequenti: « Raino, quondam
« S. Martini quotidianus discipulus et sem-
« per canonicus, ac postmodum sanctæ An-
« decavensis ecclesiæ ex initio christiani-
« tatis XXXV (1) humilis episcopus, ob hono-
A « rem omnipotentis Dei necnon et ejusdem
« S. Maurilii, atque remissionem peccami-
« num animæ suæ, anno incarnationis Do-
« minicæ adhuc noningentesimo quinto, et
« ordinationis episcopatus sui vigesimo
« quinto, hanc vitam beati Maurilii scribere
« ac requirere jussit. Archanaldus, S. Mar-
« tini discipulus et diaconus, jussu præfati
« domni Rainonis, scripsit et requisivit. »
Unde præterea palam est eum non, ut aiunt,
ex abbate SS. Sergii et Bacchi, sed e cano-
nico S. Martini episcopum adlectum fuisse.
Abbas quidem fuit S. Sergii; postquam vero,
B episcopatu jamdudum potitus, abbatiæ pro-
pemodum desertæ parietinas dominio S. Mau-
ricii, concessu Britanni regis, ut infra dice-
tur, univerat. Natus Raino apud Aurelianen-
ses, fratrem habuit Adalardum, Turonensem
archiepiscopum. Hos stirpe regia nonnulli
genitos dicunt: eorum certe parentes Amba-
siensi castro præerant. Quidam tandem Rai-
nonem, episcopum Andegavensem, acci-
piunt pro Bernone, qui sub id temporis
cathedra donatus est Aurelianensi. Alium
vero ab altero jam distinximus, col. 44.
Occurrit Raino, 27 Octobris 886, a Carolo 886
C Crasso imperatore villam Apiarias, in Aure-
lianensi pago, precario jure possidendam
impetrans; apud Rer. Gallic. Script., t. IX,
p. 352. Anno 888, 10 Januarii, ejusdem Rai- 888
nonis precibus obsequens, Odo rex Ailber-
tum quemdam servum libertate donat; ibid.,
p. 440. Anno forsitan sequente, Odonis nempe
tertio et indictionis septimo (1), Gerorgius
ejusque uxor Ermentrudis Rainoni res suas
tam apud Pictones quam apud Andes sitas
concessere; inter Baluzii schedas, arm. 2,
fasc. 1, num. 1, tom. II. Memoratur, anno
895, Odo rex Turonibus degens, Rainoni- 895
D que villam Spinatium concedens ad augenda
canonicorum S. Mauricii stipendia; Rer.
Gallic. Script., t. IX, p. 464. Subscripsit
Raino, anno 900, edicto Rotberti comitis, 900
ejusdem et S. Martini abbatis, de restaura-
tione cellulæ S. Clementis. Insignem tandem
præbent Sammarthani chartam Alani, Bri-
tonum regis, qua S. Sergii cœnobium Rai-
noni ejusque successoribus traditur possi-
dendum. Alani diploma notis caret: id vero
quoniam Fulcherius, Nannetensis episcopus,
præsens laudavit, post annum 896 conditum
est. Anno 905 Raino superstes erat, ut testa-
E tur Archanaldi locus supra citatus. Quando
vero decesserit ignoratur. Ejus calendis De-
cembris calendarium S. Mauricii meminit.

(1) Numerum XXXIII præbent alia exemplaria, secundum Sammarthanos et domnum *Housseau*. Quod si tertius et tricesimus Raino fuit Andium episcopus, Renatum forsitan Archanaldus non admisit; si vero quintus et tricesimus, aut quemdam nobis ignotum, aut fabulosum, is accepit.

(1) Annum charta præ se fert, cæteris discordantibus notis, 892.

XXXV. Rothardus.

Post Rainonem veteres nomenclatores Rothardum posuere. De quo nihil aliud novimus, nisi quod defunctus tradatur xv cal. Februarii.

XXXVI. Rainaldus I.

Rainaldus, quem Sammarthani prætermiserunt, Rothardo suffectus in supra laudatis nomenclaturis legitur.

XXXVII. Hervæus.

929 Occurrit Hervæus, anno 929, in litteris Fulconis villam Chiriacum S. Albino et S. Licinio tradentis; apud Sammarthanos. Idem memorant Gesta Consulum Andegav., quæ D. D. P. *Marchegay* et Andr. *Salmon* nuper edidere; Chronic. Andegav. t. I, p. 67.

XXXVIII. Aymo.

Aymo post Hervæum ponitur, tam in priscis nomenclaturis quam in charta de villa Chiriaco, Primoldi, Albinianorum abbatis, temporibus data; apud *Housseau*, t. II, 401. Obiit xiv cal. Novembris; e calend. S. Mauricii.

XXXIX. Nefingus.

966 Occurrit Nefingus, anno 966, canonicos ex ædibus S. Albini depellens et in eisdem monachos collocans S. Benedictini regulam professos. Eodem anno, mense Martio, litteris subscripsit quibus Geoffridus comes duas terræ portiones, juxta Maironem, Albinianis restituit. Eisdem, sub hunc annum, Aprili mense, Nefingus ipse vineam reddebat, in quam antecessores sui spreto jure invasterant. Eisdem denique, anno 969, iv cal. Maii,
969 ut quibusdam placet, rem doctissimo Mabillonio ad annum 972 referente, dedit dimidiam partem villæ Saiaci. Mense Februario 969 reperitur in charta Roberti, Rainaldo Castellarium prædium sub lege census concedentis; e Baluzii schedis, arm. 2, fasc. 1, num. 1, t. II. Subscripsit, anno, ut videtur, sequente, chartæ Geoffridi comitis, qua concessum est domus Albinianæ incolis jus proprios abbates eligendi. Eorumdem privile-
Ch. iv, col. 146. gia quædam antiquissima Nefingus ipse fir-
972 mavit, pridie cal. Martii 972, postulantibus insimul Geoffrido comite et Alberto abbate. Unde patet quam assidue congregationis Albinianæ commodis invigilaverit. Mortuus legitur anno post monachos in hoc monasterium intromissos octavo, Christi videlicet
973 973. Easdem temporis notas præbet calendarium S. Mauricii, pridie idus Septembris. Obitum quidem ejus anno 974 adscribit

A S. Florentii Chronicon, sed perperam, ut e Rainaldi gestis manifestius erit.

XL. Rainaldus II.

Rainaldus nomine secundus, nobilis genere, reperitur patre Rainaldo *Torench* genitus et matre Richilde. Ejus de parentibus consule chartam in qua referuntur quæ S. Sergio bona contulit, et Librum S. Florentii Nigrum, fol. 116. Cathedra donatus est anno 973. Ejus enim diploma, datum 973
anno Christi 1001, hanc præ se fert subscrip-
B tionem : « Manu propria firmavi, anno episcopatus mei xxix. » Eodem anno, Adela comitissa, præsentibus Geoffrido, marito ejus, Harduino, Turonorum metropolita, et præsule Rainaldo, S. Albino dedit Undarim villam. Occurrit idem Rainaldus, anno 975, in 975
chartula Geoffridi comitis cœnobio SS. Jovini et Martini ecclesiam Lusedum nomine restituentis. Eodem Geoffrido consule, Rainaldus diutius contempti juris strenuus assertor, S. Sergio plurima contulit. Alanus, dux Britanniæ, hoc, ut diximus, cœnobium dominio S. Mauricii adjunxerat. Revocatis ad S. Ser-
C gium monachis, Rainaldus eis ablata quæque restituit; insuper et de propriis addidit prædiis dimidiam ecclesiam S. Remigii, et de rebus S. Mauricii duas terræ portiones in agro Joviniaco. Quod memorabile testamentum confirmavit rex Robertus. Non multo post Rainaldus eosdem monachos, tum demum stipendiis suis quiete fruentes, immunes præstitit ab omnibus vectigalibus quæ tam episcopus, quam comes a S. Sergii colonis exigebant. Aliquanto post supremum diem explevit Geoffridus comes. Patrem habuerat Fulconem, dictum Bonum, et matrem Gerbergam;
D pro quibus defunctis vivus laborans, multa contulerat ecclesiæ bona. Post autem hujus decessum, gravis inter Rainaldum episcopum et Fulconem comitem, necnon Mauricium, comitis fratrem, exorta est controversia; cum isti, nimia æstuantes ambitione, dicerent episcopi patrem eorum patri Geoffrido jam dedisse prædia nonnulla, quæ nuperrime S. Mauricio, animi grati pignora, Rainaldus episcopus tradiderat. Ad judicium Dei res est
E delata. Sed missus in experimentum servus episcopi tertia die salvus, multitudinis ante oculos, apparuit. Quocirca remansit in dominio S. Mauricii prædium satis amplum quod ei Rainaldus integrum contulerat. Hæc referens charta notis caret. Subscripsit Rainaldus, anno 987, fundationi S. Petri Do- 987
ratensis, in agro Lemovicensi. Anno 994, 994
monachi S. Mauri, facultatem rogantes ecclesiam ædificandi novam in loco qui *Cru* dicebatur, repulsam tulerunt a Rainaldo, cum hic locus ad Magniacensem ecclesiam pertineret, quam Salmuriensis abbas sub suo jure tenebat. Ejus in gratiam, anno 1000, Fulco, 1000

ANNI Andegavorum comes, dimisit omnia jura,
CHRISTI præcipue fiscalia, quibus nuper dominium
S. Mauricii gravari passus erat; apud *Housseau,* t. II. Rainaldus, hoc anno, 3 Septembris, probavit electionem Huberti, abbatis
Albiniani. Erat quidem non debita negans
acriter, impigre vero restituens quæ sive
fraude, sive aperta violentia, e manibus legitime possidentium exciderant. Cujus ad an-
1001 num 1001 testamentum referamus, quod memoriæ commendetur dignissimum. Cum enim
tunc temporis mos esset ut reges pretio
venderent episcopatus, et abbatias episcopi,
prædicti Rainaldi parentes ecclesias Spinacii
Dulcisque, S. Mauricio quondam adscriptas,
ære comparaverant. Quas reddidit integras
Rainaldus capitulo suo, anathematis pœnam
insuper minitans cuilibet eas iterum usur-
1003 pare vel vendere præsumeret. Anno 1003,
reperitur in Sylvestris papæ litteris pro
Burguliensibus; apud Sammarthanos, t. IV.
Eodem anno, postquam ecclesiam Saiaci,
juxta ripam Ligeris, erexisset Huebertus,
abbas S. Albini, hanc rite consecravit Rainaldus, ut legitur in tabulis Albinianis.
1004 Mense Martio 1004, secundum recentem
usum, subscripsit chartæ Fulconis, eximentis
claustrum S. Mariæ et S. Maurilii ab excipiendis militibus, in memoriam Christianorum apud *Conquareth* occisorum. Idem
circa tempus, Roberto Salmuriensi ratas concessit S. Florentii possessiones, Roberto vicissim S. Mauricio ecclesiam S. Joannis super
Ligerim tradente. Tunc autem Rainaldus,
Fulconem Hierosolymam pergentem aliquantisper secutus, cum eo in monasterium S. Mauri devenit. Nec parum profuit
monachis quod tales hospites liberaliter exceperant. Deprecante sedenim Rainaldo concessit eis Fulco terram, hortos et molendinum
Genii sita. Rainaldi sic narrat obitum coævus, ut videtur, scriptor: « In natali S. Barnabæ apostoli, qui est in idibus Junii,
« Rainaldus secundus, venerabilis ac nobilissimus Andecavensium episcopus, rebus
« terrenis exemptus est. Cui finis hujusmodi
« contigit. Ad sepulchrum Domini Hierosolymam, comitante Fulcone vice-comite,
« tendebat, progressusque usque Ebredunum, civitatem Provinciæ, ibidem quadam
« feria secunda jam vesperascente hospitium
« accepit, integram adhuc toto corpore sentiens sanitatem; sed et noctem illam totam pertransiit, quantum videbatur absque infirmitate aliqua, nisi quod aliquantum se itinere fessum subinde dictitabat.
« Crastina igitur aurora primulum illucescente, dum famuli profectionem apparent, ipse interim in statu suo jacens,
« capellanos inchoare matutinos jussit, et
« ipse psalmos omnes diei illius solus ab una
« parte, quod ei consuetudo erat, alternatim
« decantavit. Cum versiculum illum cujus

A « principium est *Intelligite hæc qui obliviscimini Dominum* plena voce peregisset,
« subito conticuit, et bis leviter stertens capellanis visus est præ lassitudine somno
« oppressus.... Post hæc, cum diutius præstolantibus monendi hora jam transiret,
« excitare illum adorsi, præsente vice-comite,
« qui jam ex proximo hospitiolo advenerat,
« somno mortis obdormivisse illum ac exanimem reperiunt... Episcopus civitatis,
« qui non longe in montanis illis aberat,
« advocatur. Ille adveniens sacerdotalibus
« sacerdotem exsequiis in ecclesia S. Marcelli
B « martyris, in dextro brachio crucis, sub
« ipso altari S. Mariæ, sepelivit, anno ab
« incarnatione Domini nostri J.-C. millesimo
« decimo. » Quæ reperies inter Baluzii schedas, arm. 2, fasc. 1, num. 1, t. II. Obitum
Rainaldi Chronicon S. Florentii anno 1005
adscribit: cui necrologium S. Mauricii suffragatur, III id. Junii. In ea vero temporum
computatione tam Salmuriense Chronicon
quam Andegavense necrologium peccavisse
videntur. Fulco sedenim comes, quo cum
Rainaldus Hierosolymitanum iter aggressus
supra memoratur, Andegavensis rei curam
C annum circa 1010, teste non uno, suscepit.

XLI. Hubertus.

Filius Huberti vice-comitis et hujus Hamelinæ cujus S. Mauricii calendarium XII cal. DE VENDOME.
Maii meminit, Hubertus Andegavensi ecclesiæ præficitur anno 1010, ut refert charta qua 1010
restauratio S. Mauricii narratur. Eodem, ut
videtur, anno, subscripsit chartæ Geoffridi
de Sablolio vicum Solemnensem tradentis
abbati B. Petri de Cultura. Ipse consecravit,
anno 1020, abbatiam S. Nicolai a Fulcone 1020
D Nerra fundatam. Fredericum, abbatem S. Florentii, benedixit, cal. Septembris 1022. Circa 1022
1026 testis reperitur Girorii de Bello Pratello Castiniacensem ecclesiam Albinianæ domui conferentis. Anno 1028, 14 Julii, Ron- 1028
cerium dedicavit; quo et anno, si Joanni
Maan certa fides, adfuit dedicationi Bellismensis ecclesiæ. S. Mauricii basilicam, vetustate labefactatam, a fundamentis Hubertus renovavit, et postquam tantum opus ad
finem perduxisset, eam solemniter inauguravit, anno 1030, XVII cal. Septembris, ordi- 1030
nationis suæ vicesimo, dimittens omnes
E fructus quos ea tenus Andegavensis præsul e terris canonicorum perceperat; e schedis D. *Housseau,* t. II. Eodem anno, testis fuit
Fulconis consulis famulum, nomine Raindineum, integra libertate donantis. Infra
idem tempus Hubertus litteris subscripsit
Burchardi thesaurarii, ecclesiam S. Marcelli,
Brioledi sitam, S. Sergio condonantis. Castiga vero Sammarthanos, a quibus ea donatio,
abbatis Huberti temporibus edita, anno
1047 perperam adscribitur. Anno 1036, con- 1036

ANNI CHRISTI

secravit Hubertus præsul cellulam S. Mauri
Glannafoliensem, quam, injuriis annorum
quasi funditus eversam, restauraverat Odo,
1037 Fossatensis abbas monasterii. Anno 1037,
testis reperitur in Odonis auctoramento de
1038 Seherio manumisso. Annuit, anno 1038, vo-
tis Albinianorum monachorum, qui, Pri-
moldo defuncto, novum abbatem exoptabant.
1040 Præsens memoratur, anno 1040, in curia
Geoffridi comitis, cum dimisit comes tri-
buta quæ Fulco pater ab incolis S. Georgii
petiverat. Testis occurrit, eodem anno, dati
monachis S. Nicolai stagni in fluvio Brionello
a Geoffrido comite et Agnete, ejus uxore.
Quo et anno sedit in concilio Vindocinensi,
et litteris Arnulfi de S. Trinitatis basilica
1041 subscripsit. Adfuit, 15 Octobris 1041, dedi-
cationi novæ S. Florentii basilicæ. Idem
circa tempus, nempe post inchoatum Geof-
fridi consulatum, S. Sergium monachis re-
stituit Benedictinis, opibusque resurgentem
domum extulit. Oratorium quidem erat Ca-
lonnæ supra Ligerim situm, quod, B. Mauri-
lio sacrum, Rainaldus præsul nuper auxerat.
Imperfectum tamen consummavit Hubertus,
et, in hanc cellulam monachos ducere cogi-
tans, eam villa Martiniaco prædiisque non-
nullis, moletrinis decimisque donavit. Mox,
conversis oculis ad monasterium S. Sergii,
hujus præfecturam commisit Wulgrino,
Majoretano monacho, et ejusdem posses-
sionibus cellulam S. Maurilii Calonnensis
adjunxit. Notandum quod huic chartæ sub-
scripserit Berengarius, nuper grammaticus,
tunc thesaurarius, hæreticorum modo gregi
adscribendus. Hubertus dein, morbo laborans
et supremum diem obiturus, plura Sergia-
norum abbati Wulgrino restituit vectigalia,
quæ perceperat ea tenus ex agris ad monachos
pertinentibus. Decessit VI non. Martii 1047,
secundum recentem computum, et in claustro
S. Sergii sepultus est. De quo sic calenda-
rium S. Mauricii : « VI nonas Martii (1) obiit
« domnus Hubertus, præsul mitis, cleroque
1047 « amantissimus, anno ab Incarnatione MXLVI,
« ordinationis suæ XLII. Hic præ compluri-
« bus prædecessorum suorum, sedis istius
« præsulum, magnificus, clarus ac nobilis,
« canonicatum nostræ ecclesiæ a prisca de-
« jectione sua, quæ, partim per oppressionem
« tyrannorum, partim per antecessorum epis-
« coporum negligentiam, miserabilis conti-
« gerat, in aliquantulam restaurationem re-
« levare studiose curavit. Ob quæ paternitatis
« beneficia meritaque perennia, specialiter
« præ cæteris episcopis nostris universis,
« collegii nostri fratribus, jure semper me-
« morabilis atque etiam veneratione egregia
« condignus est... » Hic ergo legitur Hu-
bertus ab anno 1005 episcopum se gerens.
Cum ea tamen temporis nota certiora discre-

(1) Dies idem memoratur in obituariis Roncereii et S. Albini.

A pant documenta. Jam supra dictum est, col.
57, acerrimis de jurgiis quæ nostrum inter
Hubertum et Hugonem metropolitam inter-
cessere.

XLII. Eusebius.

Eusebius, cognomine Bruno, Adelaidis BRUNON.
filius et Ascelinæ abbatissæ frater, Fulberti
Carnotensis alumnus, chronicorum secun-
dum scriptores episcopus electus est anno
1047. Chronicorum sane fidem minime tue-
tur Mathildis pro Vindocinensibus chartula,
B quam domnus *Housseau* refert, t. II, datam
XVII cal. Augusti 1067, indiction. V, anno
Geoffridi comitis septimo, et Eusebii, Ande-
gavensis episcopi, decimo nono. Hujus enim
chartulæ si testimonium præpolleret, Euse-
bius nondum consecratus fuisset XVII cal.
Augusti 1048. Cui vero temporis notæ adeo
non suffragatur S. Mauricii calendarium, ut
his contra verbis utatur : « VI cal. Septembris,
« obiit domnus Eusebius, episcopus Andeg.,
« anno Dom. MCLXXXI. Rexit autem ecclesiam
« istam XXXV, tribus mensibus minus. » Eu-
sebius igitur, ex hujus calendarii computa-
C tione, circa Decembrem mensem 1046 eligitur,
aut confirmatur. Idem denique confirmat
S. Sergii necrologium, cujus ad fidem Euse-
bius VIII idus Decembris 1046 ordinatus
fuit. Plura hujusmodi congerere quibus du-
bitationem nostram excusemus, sane su-
pervacuum est. Anno, ut opinantur, 1048, ac-
cersitus ab Agnete, Pictaviensi comitissa, in-
terfuit consecrationi basilicæ S. Joannis An-
geliacensis; supra, t. II, col. 1062. Perperam
id sub annum 1058 Sammarthani referunt.
Subscripsit, anno 1049, litteris quibus Geof- 1049
fridus comes ecclesiam Omnium Sanctorum
D monachis S. Trinitatis condonavit, ad susten-
tandos sepeliendosque pauperes. Quo me-
moratur anno sedens in conventu Remensi,
et inter congregatos patres consilio valens;
apud *Mansi*, t. XIX, col. 737. Idem circa
tempus plebis fidem commovit Berengarius,
Andegavensis archidiaconus; qui scilicet,
dum vocibus uteretur philosophicis in expla-
nandis fidei arcanis, nomine, non re, corpus
Christi in Eucharistiæ sacramento adesse as-
seruerat. Berengarii fama Andegavi Turoni-
busque summa, eique plures, ut aiebant, e
clero faventes : quos inter Eusebius ipse re-
E censetur. Ut vero Berengarius ante judices
vocatus fuit, ejusdem antea doctrinæ vel con-
scius vel inscius, hanc præsul palam eju-
ravit. Anno 1051, altare S. Crucifixi in ec- 1051
clesia S. Florentii Eusebius consecravit; e
S. Florentii Chronico. Adfuit idibus Novem-
bris 1054, dedicationi Cormaricenæ basilicæ. 1054
Quod circa tempus, ante scilicet quam Wul-
grinus in Cenomanensem cathedram devehe-
retur, huic, etiam tunc S. Sergium regenti,
altare S. Sansonis Moziaci trans Ligerim con-

ANNI cessit. Interfuit, anno 1056, Cabilonensi con- A
CHRISTI cilio; apud *Mansi,* t. XIX, col. 843. Testis
1059 legitur, anno, 1059, Geoffridi comitis Mon-
tem Hidulfi Majori Monasterio tradentis. Eo-
dem, 3 Novembris, basilicam S. Sergii con-
1061 secravit. Occurrit, anno 1061, potens in con-
siliis Geoffridi comitis, eumque adhortans ut
S. Florentii monachis traderet castellum
ædificatum ab avis juxta Glonnense monas-
1062 terium. Consecravit, anno 1062, ecclesiam
B. Martini Bellipratellensis, a Girorio datam
monachis S. Sergii. Eodem anno subscripsit,
VI cal. Martii, chartæ Geoffridi comitis, qua
confirmata monasterio S. Trinitatis Vindoci- B
nensis ecclesia S. Joannis supra Ligerim,
et, IX calendas Martii ejusdem anni, chartæ
prædicti Geoffridi largientis monachis Vin-
docinensibus vectigal unius navis per omnes
ditionis suæ fluvios iter facientis. Occurrit,
eodem anno, sæpe laudati Geoffridi testis
1063 jura S. Florentii cuncta sancientis. Anno
sequente, subscripsit chartæ Geoffridi Pa-
pabovis, sita Ruiliaci prædia monachis Majo-
ris Monasterii condonantis. Confirmavit,
Ch. IX, anno 1073, electionem Richildis, Ronceraii
col. 150. abbatissæ. Annum circa 1074, cum jam diu
exortum esset jurgium inter Albinianos Ser- C
gianosque sibi invicem fraudulentas expro-
brantes alienarum rerum occupationes, ma-
gnæ viros auctoritatis Eusebius coegit qui
tantam discordiam submoverent. Reperitur,
1077 anno 1077, possessiones S. Albini in sua diœ-
cesi confirmans. Fulconis comitis postquam
sub id tempus mores increpasset, eumdem
sibi infensum expertus est; quem mox a fide-
lium cœtu depulit : nec, sententia lata, co-
mitis acerba mens mitescere, at contra sæ-
viora minari; ideo directæ tam ad ipsum
Fulconem quam ad Radulfum, Turonensem
metropolitam, Gregorii papæ VII litteræ, D
quas reperies apud Rer. Gallic. Script.,
t. XIV, p. 610, 637. Nulla forsitan ætate
uberior fuit jurgiorum fœtus. Jamjam An-
degavensis dynastæ strenuus censor, me-
tropolitæ Radulfo, quem Fulco supra me-
moratus totis viribus impetebat, Eusebius
ipse non pepercit. Motam inter eos discor-
diam carmina testantur, objurgationibus con-
flata protervioribus, quam ut ea rursus prælo
demus. Consule Baluzii schedas, arm. 2, fasc.
2, num. 3, t. II. Paucis absolvamus quæ ad
ultimos episcopatus Eusebii dies pertinent.
1080 Octobri mense 1080, hunc Reginaldus de E
Credone testem elegit donorum quæ S. Al-
bino contulit; apud *Housseau,* t. III. Obiit
tandem, ut diximus, abdicatis paulo antea,
1081 ut videtur, infulis, 27 Augusti 1081, et ejus
laudem Marbodus his versibus cecinit :

Bruno pater, jucunde senex, mitissime præsul,
Cujus cor pietas, lingua mel et lac erat,
Si tibi culpa fuit quod nullum lædere velles,
Quale tuum meritum cum bona culpa fuit.
Quid tibi, care pater, clerus populique precemur? ANNI
Ut quod tu nobis, id tibi sit Dominus. CHRISTI

De Eusebio disseruerunt auctores Historiæ
Galliæ Litterariæ, t. VIII, p. 99.

XLIII. Geoffridus I.

E decano Turonensi, vel, ut quidam aiunt,
e cantore S. Martini Turonensis, Geoffri-
dus, quem Turonensem dicunt, Eusebio
successit anno 1081 nondum elapso, ordi-
natusque est anno sequente, VI id. Augusti. 1082
Quo laudavit anno Petrum, Sigiranni filium,
Majoretanis ecclesiam B. Mariæ de Chimi-
liaco tradentem. Eodem, mense Septembri,
de fœneratoribus adulterisque cum Fulcone
pactus est. Quos id pactum ad episcopi tribu-
nal antiquitus delatos memorat, postea vero
ad civile forum. Decretum est ut causas hu-
jusmodi postea tam præpositus comitis quam
episcopales archidiaconi cognoscerent; apud
Housseau, t. III. Idem circa tempus provin-
ciæ Lugdunensis antistites ad papam litteras
direxerunt, querentes de Geoffrido, Fulconi
plusquam decebat amico et metropolitæ mo-
nita spernente. Quibus e litteris Geoffridum
a Radulfo Turonensi et ab ipsis Lugdunensis
provinciæ præsulibus sacris ad tempus inter-
dictum comperimus; Rer. Gallic. Script.,
t. XIV, p. 673. Subscripsit Geoffridus, V cal.
Julii 1086, schedulæ Radulfi de Monte Re- 1086
belli jura S. Florentio plura dimittentis, et,
XI cal. Martii 1087, litteris Guillelmi, Sal- 1087
muriensium abbatis, de oratorio juxta S. Eli-
gium ædificando. Memoratur, anno 1088, in 1088
concilio Santonensi, litem dirimens inter
Vindocinenses et Carrofenses monachos;
supra, t. VIII, col. 1368. Idem, VI id. Au-
gusti 1089, rogatu Rainaldi canonici, Albi- 1089
nianis ecclesiam S. Mauricii Petriniacensis
condonat; ex arch. Andegav. Anno 1090, 1090
subscribit chartæ Fulconis pro S. Michaele;
supra, t. XI, Instr., col. 108. Reperitur tan-
dem, VI non. Julii 1093, Turonibus confir- 1093
mans, in domo sua, chartam qua sopita lis
inter S. Nicolai et S. Florentii monachos su-
per ecclesia Cantociacensi. Eo decessit anno,
VII id. Octobris, ordinationis duodecimo, ut
legitur in calendario S. Mauricii. Ejusdem
vero VI idus Octobris S. Sergii necrologium,
V id. ejusdem mensis obituarium S. Martini
Turonensis meminere. Carminibus eum ce-
cinit Marbodus, Redonensis episcopus, apud
Sammarthanos.

XLIV. Geoffridus II.

Filius Hugonis, Meduanensis toparchæ, et DE MAY-
Beatricis, e S. Mauricii thesaurario præsul ENNE.
Geoffridus eligitur 6 Aprilis 1094, secundum 1094
Sammarthanos. Incertissimus autem est iste
dies. Nec desunt qui, ad chronicorum fidem,

ANNI CHRISTI electionem ejus 23 Novembris peractam memorant. Quoad vero Geoffridi ordinationem, diu fuit dilata. Sic, VIII id. Aprilis 1095, recens, ut videtur, electus, nondum vero deposito thesaurarii nomine, omnes S. Silvini parochianos Andegavensi capitulo concessit; apud *Housseau*, t. III. Nec aliter, XVIII cal. Augusti 1095, electus occurrit, non ordinatus, in charta Radulfi vice-comitis, S. Mauricio ecclesiam S. Nicolai largientis; ibid. Sedit tamen hoc anno in Claromontano concilio; Rer. Gall. Script., t. XIV, p. 98. Sammarthanisne igitur assentientes, ordinationem Geoffridi 23 Junii 1096 collocabimus? Hanc temporis notam instrumenta refellunt indubia. Interest enim Geoffridus,
1096 III id. Februarii 1096, dedicationi S. Nicolai, et postera die subscribit chartæ qua fundatur abbatia B. Mariæ de Rota. Consule vero chartam Rotensem; in ea legitur Geoffridus episcopus, non tantum Andegavensis electus. (Ch. x, col. 131.) Expressius quod si requiratur testimonium, prodeat. Fundationem B. Mariæ de Rota confirmavit Urbanus papa pridie idus Februarii, in camera Geoffridi sedens, die scilicet post ipsam fundationem altera, et hujusce confirmationis fidem servans instrumentum datum memoratur *in primo anno ordinationis Geoffridi episcopi*. Ordinatus forsitan in concilio Claromontano fuerat. Non autem ea de re fusius disserendum. Andegavum relinquens Urbanus Turones tetendit. Quem secutus Geoffridus in Turonensi concilio sedit, mense Martio, et decreto subscripsit de Cormaricensium abbatum electione. Ipse paulo post, 5 Aprilis, chartam edidit qua monachis Trenorciensibus, sæpe jam et incassum orata causa, ecclesias castelli Doadi restituit; apud Chiffletium, Prob. Hist. Tren., p. 337. Andegavum semet Geoffridus receperat IV idus Junii 1096, qua die collegium S. Mauricii duabus auxit præbendis. Triginta numero ea tenus canonici fuerant. Per hunc vero, ut aiebant, numerum ipsi laici « neque emere, neque vendere aliquid audent, quia sanctissimum Christi « corpus triginta argenteis a Juda traditore « venditum fuit. » Exponit hoc ipse Geoffridus incrementi quod fieri jussit consilium; inter schedas *Housseau*, t. III. Elapsis aliquot diebus, XI cal. Julii, Calonnam insulam eidem Fulco comes concessit; apud Sammar-
1097 thanos. Interfuit Geoffridus, 2 Martii 1097, Santonensi concilio, posteaque, juxta Turonensis Santonensisque conciliorum mandatum, ecclesiam Maziacensem interdicto supposuit, quam Radulfus vice-comes monachis Vindocinensibus abripuerat; apud Marten., Anecd., t. IV, col. 123. Occurrit, VII cal. Maii, surgentem visitans abbatiam B. Mariæ de Rota, et, cœmeterio aqua lustrali resperso, altare consecrans; e chartul. Rotensi. Idem,
1098 VI id. Novembris 1098, litem de parte qua-

A dam Catiarum inter monachos S. Nicolai et S. Albini diremit; III non. Februarii 1099, ab eodem compositum jurgium quod inter eosdem S. Nicolai monachos et canonicos S. Laudi intercesserat; deinde, pridie id. Martii, rursus eisdem S. Nicolai necnon S. Albini monachis suasit ut fœdus de Prunariis silva ferirent. Concessit, idibus Septembris 1100, ut novæ decem in capitulo S. Mauricii præbendæ constituerentur, tandemque, VIII cal. Aprilis 1101, secundum recentem calculum, monitum edidit de Roberto Burello, litem quam adversus Albinianos move-
B rat deserente; apud *Housseau*, t. IV. Geoffridus sub id temporis a domino papa suspensus fuit, testibus Sammarthanis, litterarum quasi nimium indoctus. Eumdem vero Mabillonius munere sponte semet abdicavisse verius asserit, et Cluniacum secessisse. Geoffridi ad Cluniacenses transitum S. Mauricii calendarium refert, XI cal. Martii. Nihil enim Geoffridum litteras ignoravisse comprobat. Conjicere tamen licet hunc plurimis, ut aiunt Sammarthani, querelis Romam perlatis impetitum; plurimas enim in se concitaverat inimicitias, dum impigre desæviret in cleri-
C cos, laicosque ecclesiasticæ rei deprædatores. Memorentur inter cæteros Odo clericus ejusque fratres, quibus ob violatam Alumnam non pepercit, priusquam nudis pedibus grassantes coram se procumberent. Camiliacensibus canonicis non minus acerbum se Geoffridus præbuit, quos sacris arcuit, Camiliaci toparchæ qui Majoretanis vim intulerat faventes. His de dissidiis *Housseau* collectanea consule. (ANNI CHRISTI 1099, 1100, 1101)

XLV. Rainaldus III.

D Geoffrido abeunte, clericos inter Andegavenses exorta jurgia. Episcopatum enim plures ambiebant, numerosas secum trahentes clientium turmas; dumque fluctuaret incerta lex suffragii, multa molientes, et æmulis quam maxime detrahentes. Unde præcipui Andegavensis capituli ministri ad Geoffridum Vindocinensem scribere, uti veniens Andegavum, 30 Junii 1101, consilium non denegaret amicis. Amicus quidem Geoffridi non erat Rainaldus de Martiniaco, Brientio patre, Aldegarde matre genitus, cui favebat imprimis Marbodus Redonensis. Præ-
E valuere partes quarum dux Marbodus erat, quamvis ipse e medio sublatus fuisset, et in carcerem adactus ab ea factione quæ Rainaldum submovere quovis modo studebat. Nec protinus, electione peracta, pacatus animorum fervor; electus vero seditionis reus, ut qui mobile stolidumque vulgus adulationibus captasset. De qua re profertur Geoffridi Vindocinensis ad ipsum Rainaldum epistola, in qua plura legimus acerbissima; inter Harduini Opera Varia, t. III, p. 736. Rainaldum (DE MARTIGNE.)

ANNI CHRISTI

tamen consecravit Radulfus, Turonensis
archiepiscopus, pridie idus Januarii 1102,
1102 secundum hodiernam computandi rationem;
e chronico S. Albini. Primus vero Turonen-
sis archiepiscopi suffraganeus, Hildebertus
scilicet, Cenomanorum episcopus, ad istam
consecrationem vocatus, obsequium detrec-
tavit. Dein ante curiam Romanam querela
perlata : sed vicit causa Rainaldi, acerrimas-
que inimicitias aliquantisper umbra pacis
involvit. Occurrit, anno 1102, monachis Ma-
joris Monasterii altare Dalmariaci tradens.
Hoc quidem altare jam pridem ab Andega-
vensibus episcopis emerant monachi : em-
ptum vero dono dare voluit Rainaldus, ut,
nomine mutato, simoniæ ramus tolleretur.
1103 Præbendam canonicis S. Maurilii, anno 1103,
concessit; quo etiam anno ecclesiam *Jarzay*
accepit confirmatam inter Andegavensis ca-
pituli possessiones a Geoffrido de Brioleto.
1104 Plures, anno sequente, dedicavit ecclesias,
inter quas basilicam S. Laudi, vi idus Junii.
Turones deveniens, eodem anno, in concilio
sedit provinciali, ubi subscripsit chartæ de
Catiis, rata pace inter monachos S. Nicolai et
S. Albini. Habemus eum, ii nonas Junii
1105 1105, sex præbendas instituentem in ec-
clesia S. Nicolai de Monte Rebelli; viii idus
Julii, accipientem a Geoffrido Popino de
Monasteriolo quidquid is juris habebat in
ecclesia Siziaci, et tandem, vi idus Octobris,
debitæ pignora reverentiæ exhibentem regi
Philippo uxorique Bertradæ Andegavum
subeuntibus. Parentes suos, viam universæ
carnis ingressos, Brientium et Aldegardem,
in S. Mauricii basilica sepelierat : quorum
æternæ quietis studiosus, fratrem suum
1107 Thomam compulit, anno 1107, ad condo-
nanda quædam ecclesiæ matri dona. Sta-
tuit, eodem anno, Rainaldus, ut, sicut mos
erat in Benedictina familia, decedentibus
clericis dignitate præstantibus, episcopo sci-
licet vel canonico, per triginta dies defuncto
numerandum æs pauperibus daretur. Accivit,
1108 anno 1108, canonicos regulares in ecclesiam
Ch. xiii, col. 153. Omnium Sanctorum, inito pacto cum Vin-
docinensibus monachis, quibus hanc Euse-
bius præsul ecclesiam olim addixerat. Occur-
rit dein, 15 Maii, litteris Marbodi, Redonensis
episcopi, pro S. Sergio subscribens. Postea
vero Romam profectus est, curamque rerum
Andegavensium Marbodo delegavit; ut con-
stat e charta Fulconis comitis, Plessiacum
Grammatici tradentis ecclesiæ S. Mauricii,
per manus domni Marbodi, Rainaldo Romæ
degente, die 12 Aprilis 1109, anno primo
Ludovici regis. Notandum vero quod in ea
charta, secundum Romanum morem com-
putetur annus, a prima Januarii die sumens
initium : anno sedenim 1109 Paschæ comme-
morationem celebravit christiana gens die
25 Aprilis; nec, ex altera parte, duodecimus
Aprilis dies anno 1109 assignandus, is si re-

A putetur annus a Pascha exordiens, cum anni
1110 primus dies fuerit Aprilis decimus. De-
gebat ergo Romæ Rainaldus die 12 Aprilis
1108, secundum usitatiorem tunc temporis
apud Francos calculum : quod optime con-
cordat cum anno primo Philippi, qui pater-
num accepit regnum mense Julio 1108. Jam
Andibus redditus erat suis Rainaldus die 13
Septembris 1109, has dum præbeat notas 1109
compositio, cui subscripsit, inter canonicos
S. Mauricii et monachos S. Florentii, super
ecclesia B. Mariæ Minoris Montis Rebellis.
Consecravit, circa idem tempus, exsurgen-
B tis altare Nioselli. Occurrit dein, anno 1110, 1110
pacem faciens inter canonicos S. Petri et
moniales B. Mariæ, super ecclesia S. Jacobi
trans pontem Meduanæ; inter monachos
S. Albini et S. Jovini, vii cal. Julii 1113, de 1113
ecclesia S. Jovini Lusdunensis; eodem anno,
iv non. Decembris, inter capitulum Andega-
vense monachosque S. Florentii de ecclesia
Cantosciacensi. Confirmavit, anno 1115, da- 1115
tam canonicis regularibus ecclesiam Omnium
Sanctorum, et ipse dedit monachis S. Juliani
Turonensis ecclesiam Eschimiriacensem, vi-
cesima die Decembris, salvo tamen episcopali
C jure quoad synodum et circadam. Andium
frementes movebat animos, anno 1116, pes- 1116
simi rumor sceleris. Salomon, filius Salomo-
nis, et, ut videtur, Marbodo præsuli propin-
quus, necem ægre ferens Hervæi Rotundelli,
consanguinei sui, requirensque manum qua
fusus cruor, audivit Hugonem, occisionis
patratæ suspectum, in claustro B. Mauricii
delitescere. Nec mora, claustrum invasit, et,
Hugone interempto, abiit. Sacrilegum proti-
nus excommunicavit Rainaldus præsul. At
mox, precibus amicorum cognatorumque
motus ad misericordiam, Hildebertum Ceno-
D manensem Marbodumque Redonensem in ca-
pitulum S. Mauricii vocavit, sciscitans ab eis
qua ratione difficilis aditus daretur sceleris
veniam poscenti. Statutum est ut Salomon
censivam triumque et viginti solidorum de
vineis quibusdam juxta S. Leonardum eccle-
siæ S. Mauricii traderet : qui, sacrilegii pre-
tio citius persoluto, pœnitentiam consecutus
in familiam rediit christianam. Firmavit Rai-
naldus, eodem anno, concordiam Fontebral-
densis ecclesiæ cum S. Laudo. Adfuit, anno
sequente, feralibus exsequiis Roberti Arbri- 1117
sellensis : quo et anno, Engolismæ reperitur
E concordiæ subscribens initæ inter Vallium
abbatem et Lemovicenses monachos; supra,
t. II, col. 1114. Interfuit, anno 1119, de- 1119
dicationi B. Mariæ de Roncereio, a Calixto
papa II peractæ. Anno 1120, die Dominica 1120
post octavas Paschæ, Cenomani reperitur
altare consecrans S. Crucifixi; eodem anno,
honorare studens memoriam Hervæi ere-
mitæ, qui, multas post viarum ambages,
Calonnæ debitum naturæ persolverat, in eo
loco Rainaldus collegium clericorum con-

ANNI CHRISTI stituit. Mox, Hervæi secuturus exemplum, et
ipse Hierosolymitanum iter aggressus est,
orationis gratia. Andegavum ergo relinquens
primum ad Salmuriense claustrum devenit,
ibique per aliquot dies hospitatus, abbati
Stephano, II calendas Junii 1120, confirma-
vit ecclesias *Goanord*, ab Eusebio Brunone
jam traditas. Incœptumne peregit iter? Res
non quoad nos hactenus innotuit. Certissime
vero comperimus Rainaldum, Andegavi re-
1123 ducem, cal. Martii 1123, litteris mandasse
quæ dederat monachis Albinianis Adelardus
de Castro Guntherii, decimam scilicet portus
sui; apud Sammarthanos, t. II, p. 131. Quo
et anno, VI cal. Septembris, jurgii testis fuit
dirempti de Catiis inter Fulconem comitem
et S. Nicolai monachos : eodem, XIV calendas
Decembris, non autem concordantibus chro-
nicis notis, ecclesias quas possidebant Vindo-
cinenses in Andegavensi diœcesi confirmavit.
1124 Occurrit deinde, idibus Januarii 1124, con-
cilians monachos S. Sergii et S. Albini, super
aggere aliquo Varennis constructo litigantes.
Eo anno, ut ferunt, translatus est in me-
tropolitanam Remorum cathedram. Hæc au-
tem temporis apud nos ratio non valet. Legi-
tur enim Rainaldus Andium etiam tunc rebus
ecclesiasticis præfectus, 15 Decembris 1124,
in charta Fulconis comitis pro S. Mauro.
Quocirca translationem ejus anno 1125 col-
locandam opinamur.

XLVI. Ulgerius.

E scholastico S. Mauricii Transligeranus
archidiaconus fuerat Ulgerius ab anno 1113.
Creber ejus de scientia sermo; de genere
nullus apud coævos scriptores. Nobili tamen
stirpe ortus videtur, namque in martyrologio
S. Mauricii reperitur Philippus *de Messine*,
miles, Ulgerii dictus nepos episcopi. Electus
1125 fuit, ut aiunt, anno 1125, et consecratus 20
Septembris. In his autem notis aliquid dubi-
tationis deprehenditur. Memoratur Ulgerius
1126 calendis Aprilis 1125, lege 1126, in tabulis
S. Albini. Eodem anno, ab Honorio papa lit-
teras accepit, quibus curare jussus est ut abla-
ta Rotonensibus monachis bona restitueren-
1127 tur. Anno sequente, secundum recentem cal-
culum, XII cal. Aprilis, Sagium se receperat, ut
ecclesiæ S. Gervasii consecrationi interesset;
apud Ordericum Vitalem, lib. XII, c. 44. Quod
circa tempus in contentionem venit cum Geof-
frido Vindocinensi, annuum Andegavensi
præsuli censum pro quibusdam altaribus de-
trectante. Hoc de jurgio litteras Geoffridi
consule, apud Rer. Gallic. Script., t. XV,
1128 p. 307. Adfuit, anno 1128, translationi cor-
poris S. Albini. Composuit, III cal. Junii
1131 1129, cum abbate Trenorchiensi. Anno 1131,
Ulgerio concedit Geoffridus comes ecclesiam
B. Joannis-Baptistæ : quam confirmavit do-
nationem Innocentius papa, IV cal. Novem-

A bris. Eodem anno sedit Ulgerius in concilio
Remensi, ubi concordiam probavit initam
inter Majoris Monasterii et S. Jacuti mona-
chos. Lege litteras quæ hujus concordiæ
fidem faciunt, et in eis reperies Ulgerium
eamdem causam jam antea Romæ cognovisse.
Romam igitur sub initium episcopatus adie-
rat. Eodem tandem anno, Majoretanis dedit
altare Bessiaci cum capella Belli Fortis, e char-
tulario Maj. Monast., et ab Innocentio papa,
IV cal. Novembris, Andegavensis cathedræ
privilegia rata suscepit. Monialibus Ronce-
reii confirmavit, XVII cal. Februarii 1133, 1133
B secundum recentem usum, jus sepeliendi
mortuos qui decesserant in parochia trans
Brionem. Eodem anno, monachis Asneriarum Ch. XIV, col. 154.
a Giraudo data probavit. Anno, ut opinan-
tur, 1135, ad Innocentium papa amplam misit
epistolam, Rotensis abbatiæ jus in S. Nico-
laum Credonensem quam validissimis tuens
argumentis; apud Rer. Gallic. Script., t. XV,
p. 384. Quod circa tempus, cum abbatissa
Fontis Ebraldi de quibusdam juribus ipse
litigans, a S. Bernardo, Claræ Vallis abbate,
litteras accepit. Anno 1136, monachis S. Ni- 1136
colai mediam ecclesiam S. Clementis conces-
C sit. Interfuit etiam, XVI cal. Novembris 1137, 1137
translationi corporis S. Juliani, Cenomani
peractæ, et, Andegavi, eodem, ut videtur,
anno, consecrationi ecclesiæ B. Mariæ de
Rota. Anno 1139, in die festo S. Thomæ, 1139
consecravit ecclesiam S. Genovefæ, Groshelii
sitam; apud *Housseau*, t. V. Quo etiam
anno, IX cal. Septembris, in ædes S. Laudi
devenit pacemque fecit inter Robertum, ab-
batem S. Albini, et Gosbertum Ulelmi, de
Prisciniaco litigantes. Anno 1140, Ulgerio 1140
restituit Abbo de Rocca forti ecclesiam S. Petri,
in Andegavi suburbio sitam; apud *Housseau*,
D t. V. Eodem anno tradidit ipse Matthæo,
S. Florentii abbati, Catigniacum et Corcellos,
non exigui quidem nominis ecclesias; ibid.
Anno 1143, contra Fontebraldenses puellas 1143
contendens Ulgerius in urbe Roma commo-
rabatur, et totis viribus laborabat ut sibi mi-
nime faventem dominum papam de sententia
dimoveret : quæ tanta vero improspere cessit
opera, ut Innocentii II litteræ testantur; apud
Rer. Gall. Script., t. XV, p. 408. Andegavi
memoratur, anno 1144, basilicæ S. Maurilii
altare Veri concedens; e Maj. Monast. char- 1144
tulario. Anno sequente, monachos inter Cul- 1145
E turenses et canonicos S. Magnobodi pacem
fecit; e Culturensibus tabulis. Eo et anno
Albinianis tradidit domum, Fixæ juxta basili-
cam S. Thomæ sitam; ex Indice Cenom. arch.
quem D. Bilardus digessit, part. 1, num. 287.
Confirmatas accepit ab Eugenio papa, 17 Ja-
nuarii 1146, plures ecclesias Andegavensis 1146
agri, e laicorum manibus nuper redemptas.
Hujusmodi redemptiones non alter inter An-
degavenses antistites Ulgerio pertinacius con-
quisivit; quas non omnes memoravimus,

ANNI CHRISTI

propter chronicarum notarum in tabulis de-
fectum : ex aliqua tamen parte sermo noster
claudicaret, nisi summatim diceremus quan-
tos in eam rem sudores Ulgerius impenderit.
1148 Anno 1148, quasdam ecclesias dat S. Ser-
1149 gio. Anno 1149, Engebaldi metropolitæ litte-
ris pro Fontebraldensibus puellis subscribit.
Quo anno, senio morboque gravatus, testa-
mentum suum condidit, a Sammarthanis
prælo datum. Eodem decessit, XVII cal. No-
vembris, tam e calendario S. Mauricii, quam
e martyrologio S. Cosmæ Turonensis, apud
Baluzium, arm. 3, fasc. 2, num. 2; ex obi-
tuariis vero Ronecreii et S. Sergii, XV et XVI
cal. ejusdem mensis. Quanquam non semel
de Ulgerio Geoffridus Vindocinensis questus
sit, quanquam in eum Innocentius papa, mo-
nitis apostolicis segniter obsequentem, de-
sævierit, auctoritate summa valuit apud cle-
rum plebemque, necnon apud ipsos Ande-
gavensis agri proceres. « Homo Dei et exem-
plar christianæ religionis », ab Hildeberto
nuncupatur; apud Rer. Gallic. Script.,
t. XV, p. 426. Eumdem contra verba ferens
S. Bernardus, « nomen grande magistri Ul-
gerii » summa veneratione prosequitur.
Ejus de scriptis præterea consule domnum
Lironium, Sing. Hist. et Litt., t. I, p. 385,
et Histor. Franciæ Litterar., t. XII, p. 302.
Hæc inscripta sunt in ejus tumulo carmina :

Hic jacet Eulgerius teneris consuetus ab annis
Lingua, mente, manu fructificare Deo.
Hujus opus multis prodesse, docere, monere,
Exstirpare scelus, consolidare fidem,
Flentem solari, nudum vestire, superbum
Frangere, nec quemquam lædere, recta sequi.

XLVII. NORMANNUS.

Normannus, quem de Doado nuncupant,
ex archidiacono post Ulgerii decessum factus
est episcopus. Consecratus perhibetur 6 Mar-
1150 tii 1150, secundum recentem computum.
Certe, hoc anno, præsulem agens, ad monia-
les Fontis Ebraldi tetendit, litem sedaturus
inter eas et Ridellum de Relgi. Occurrit, anno
1151 1151, in charta Henrici, ducis, largientis re-
ditus quosdam annuos monialibus Fontem
S. Martini incolentibus; ut legere est apud D.
Bilardum, Ind. Cenom. arch., part. 1, num.
1152 730. Anno 1152, secundum hodiernum usum,
25 Martii, ministravit Normannus Engebaldo
metropolitæ, corpus S. Renati, Andegavensis
episcopi, invisenti. Quo et anno, adstanti-
bus nepotibus suis, Stephano archidiacono et
Petro scholarum magistro, Majoretanis eccle-
siam S. Gervasii de Verno tradidit; e chartul.
Maj. Monast. Eodem, Ambasiæ reperitur lit-
teris Geoffridi comitis subscribens, quibus
Baugiacenæ ecclesiæ S. Sergio confirmatæ
sunt. Eodem denique, canonicis Omnium
Sanctorum ecclesiam S. Petri Bessiensis ipse
A dedit; apud *Housseau*, t. V. Decessit 27
Aprilis 1153; ex Albiniano chronico. Ejus ANNI CHRISTI 1153
autem depositio memoratur II non. Maii, in
S. Sergii et Roncereii necrologiis. Ejusdem
his verbis meminit calendarium S. Mauricii :
IV *Nonas Maii, obiit bonæ memoriæ Nor-
mannus* de Doë, *episcopus noster, qui de
navi ecclesiæ nostræ trabibus, præ vetustate
ruinam minantibus, ablatis, voluturas lapi-
deas miro affectu ædificare cœpit. In quo
opere DCCC libras de suo expendit. Eccle-
sias quoque de Villaniis, quas adquisiverat,
et domos suas proprias nostro capitulo dedit,
B et ante episcopatum archidiaconus tabulam
argenteam XXX et amplius marcharum ad
altare matutinale dedit, et pixidem miri
operis ad reponendum corpus Domini super
altare Dominicum fabricari fecit.* Post eum
per annos minimum duos sedes vacua per-
mansit.

XLVIII. MATTHÆUS.

Losduni natus Matthæus, ex abbate S. Flo-
rentii Andegavensis episcopus salutatur,
anno 1155 decurrente. Vacabat enim sedes 1155
C sub initium hujus anni, ut compertum habe-
mus e sententia quadam super ecclesia *Ver*
Majoretanis confirmata : quem et annum
episcopatus sui primum non semel Matthæus
dixit. Consecratur anno 1156 : eodem, repe- 1156
ritur testis initæ concordiæ inter Salmurien-
ses et Trenorchienses de Losduuensibus al-
taribus; apud *Housseau,* t. V. Memoratur
Romæ degens, anno 1158, dum plures ad 1158
consecrandam S. Juliani basilicam episcopi
Cenomani convenirent. Idem, VI non. Maii
1159, Salmurii interfuit translationi corporis 1159
S. Florentii. Inter canonicos S. Mauricii et
D S. Petri jam annosa lis erat de finibus utrius-
que ecclesiæ : quam sopivit Matthæus VI id.
Januarii 1161, secundum hodiernum calcu- 1161
lum. Eodem anno, Bocciensem ecclesiam Ma-
joretanis contulit, prædiaque recensuit et ec-
clesias eorumdem in Andegavensi diœcesi; e
Maj. Monast. chartul. Eodem legitur in tabu-
lis Angeliacensibus; supra, t. II, Instr., col.
450. Oratorii decessit, e chronico Michaelis,
III id. Martii. Ejusdem meminerunt S. Mau-
ricii et S. Albini necrologia, IV id. ejusdem
mensis. Annus desumitur 1162, tam ex Albi- 1162
niano chronico quam ex Appendice ad Sige-
E bertum.

XLIX. GEOFFRIDUS III.

Geoffridus *la Mousche,* alias *Moschet,* LA MOUSCHE.
decaniam S. Mauricii, testibus Sammarthanis,
tenuerat, antequam in Andegavensis ecclesiæ
fastigium eveheretur. Cui conjecturæ non
favemus. Geoffridus enim præsul et Geoffri-
dus decanus una testes leguntur, in charta
Reginaldi de Castro Guntherii S. Nicolao

ANNI CHRISTI

sua Gentiniæ jura condonantis. Geoffrido præterea decano Bibens Solem, non Musca cognomen fuit. Verius, ut videtur, Robertus de Monte Geoffridum præsulem Sagiensis ecclesiæ ministris et clericis Anglorum regis annumeravit: Normannus enim genere legitur, apud *Travers*, Concil. Turon., t. II, p. 421, in chartula de consecratione Caffiensis ecclesiæ. Sedit, ut aiunt, anno 1163, in Turonensi concilio. Supra memoratam ecclesiæ Caffiensis dedicationem xv cal. Septem-
1168 bris 1167 peregit. Occurrit, anno 1168, in chartula Fulconis de Candeio pro monachis S. Petri Camilliacensis, et, IV cal. Junii, in tabulis Burguliensibus, ad calcem pacti de
1169 Lotgis; apud *Housseau*, t. V. Anno 1169, ecclesiam Cunaldi consecravit; ibid. Inter Majoretanos et Radulfum sacerdotem, anno
1171 1171, litem diremit de reditibus ecclesiæ *Ver;* e Maj. Monast. tabulario. Anno tandem 1177 reperitur jura Sergianorum in ecclesia Lauriarena describens; e cod. Reg. 5446, p. 113. De eo S. Mauricii calendarium: « xv *cal. Februarii, ob. Geoffridus*,
1177 *hujus sedis episcopus, anno 1177, ordinationis vero suæ anno decimo sexto.* »

L. Radulfus I.

DE BEAUMONT. Radulfus, e Belli Montis toparchis, patrem habuerat Richardum, matrem filiam naturalem Henrici, regis Anglorum; apud Sammarthanos. Electus dicitur anno 1177, in charta qua S. Mauricii canonici et Thomas Martinetus de quibusdam vectigalibus paciscuntur; apud *Housseau*, t. V. Anno deinde
1178 1178 memoratur consecratus in præcepto Roberti, Nannetensis tum episcopi, quamdam litem componentis inter monachos S. Albini et S. Nazarii capellanum; Prob. Hist. Brit.,
1179 t. I, col. 671. Sedit Radulfus, anno 1179, in
1180 Lateranensi concilio. Augusto mense 1180, de nonnullis juribus cum Albinianis ascetis coram Bartholomæo metropolita partus est.
1183 Petrus ad eum Blesensis scripsit, anno 1183, de proceribus Andegavensis agri querens, qui partes Henrici regis deseruerant, hortansque ut rebelles compesceret; apud Rer. Gallic. Script., t. XIX, p. 270. Eodem anno reperitur Radulfus in Andegavensi parthenone, Emmæ abbatissæ decretum sanciens de sacerdotibus quatuor Eleemosynariæ datis. Eodem, IX cal. Octobris, ordinationis quinto, Mellinensis abbatiæ bona confirmat: unde consecratus noscitur ante 23 Septembris 1178. Fixam deveniens, anno
1184 1184, mandato domini papæ litem diremit inter Vincentianos et Geoffridum, Fulconis Girardi filium; e S. Vincentii tabulario. In-
1188 terfuit, anno 1188, Cenomanensi conventui; e Benedicto Petroburgensi, apud Rer. Gallic.
1190 Script., t. XVII, p. 478. Anno 1190, probat monachis Guileii data ab Huberto de Cam-

A pania; e chartulario Guileii. Eodem anno, Domfrontium secutus Richardum regem, ejus præcepto de moletrinis Oratorio traditis subscripsit, VI id. Aprilis; apud *Housseau*, t. V. Invalescente in dies abbatum potentia, inter eos præsulesque crebra fuere jurgia. Paciscitur Radulfus de quibusdam juribus, anno 1191, cum Guillelmo, abbate S. Albini.
Anno 1196, canonicos S. Mauricii et canoni- 1196
cos S. Nicolai Credonensis audit litigantes de duarum ecclesiarum patronatu, et Credonensibus favet; e schedis domni *Housseau*. Eodem insuper anno, litteris Richardi regis
B pro Grandimontensibus fratribus subscribit; apud Sammarthanos, t. I, p. 771. Obiit III
id. Aprilis 1197, consentientibus chartis, ca- 1197
lendario S. Mauricii, et Bernardi Itherii Chronico; Rer. Gall. Script., t. XVIII, p. 225.

LI. Guillelmus I.

Abrincensi præfectus erat ecclesiæ Guil- DE CHEMILLÉ.
lelmus anno 1196, e nobili prognatus apud Andes familia. Unde, consecrationem nondum adeptus, translatus est, anno 1197, in Andegavensem cathedram, probantibus æque
C Rotomagensi et Turonensi metropolitis. Quibus peractis, Guillelmus, electum Andegavensem semet ferens, Coloniam, jussu Richardi regis se contulit, circa Natalem Domini diem 1197, ut cum cæteris regum legatis sermonem haberet de novo imperatore eligendo. Hujus itineris meminit Rogerus Hovedenus, apud Rer. Gallic. Script., t. XVII, p. 586. Ut vero Innocentius papa III Guillelmi translationem cognovit, cum hujusmodi translationes majores inter causas recenserentur, præfatos archipræsules edicto monuit eos juris sui fines excessisse, Guillel-
D mumque suspendit usque ad III non. Decembris 1198; inter Epistolas Innocentii, quas Baluzius edidit. Romam dein Guillelmus adiit, et gratiam domini papæ rursus sibi conciliavit. E quo redux itinere Hadvi-
sam *de Grez* excepit, anno 1199, plura Per- 1199
reio largientem; ex arch. Andeg. Obiit VIII
cal. Junii 1202; e calendario S. Mauricii. 1202

LII. Guillelmus II.

Radulfi nepos e fratre, ipse frater alte- DE BEAUMONT.
rius Radulfi vice-comitis, cujus Andegavensis
E ecclesiæ necrologium idibus Aprilis meminit, Guillelmus consecratus legitur 23 Septem-
bris 1203; Rer. Gallic. Script., t. XVIII, 1203
p. 326. Mense Martio 1207, Castrum Brientii devenit, et testis adlectus est a Geoffrido, hujusce castri toparcha, Primauderiam fratribus Grandimontensibus adscribente. In
Guillelmi curiam se receperunt, anno 1209, 1209
moniales B. Mariæ et fratres in Eleemosynaria S. Joannis degentes, exorta contentione de eligendo priore S. Joannis. Materiam litis

ANNI CHRISTI

præsul removit, utriusque partis jura de-
scribens; apud *Housseau*, t. VI : in spiritua-
lium possessionem dein induxit Guillelmum
Aubrée, priorem; ex eodem. Illo ipso anno,
feria post Assumptionem prima, confirmavit
Ch. XIX. col. 160. Chalocheio datas vineas ab Hugonis uxore
Thecenda; e Chalocheii chartulario. Conse-
1213 cravit, anno 1213, ecclesiam B. Mariæ de
Buxeria. Eodem anno, 17 Junii, testis fuit
Joannis, Anglorum regis, qui semet jura-
mento de restituendis nummis obligabat.
1216 Occurrit anno 1216, infra octavas Assumptio-
nis B. Mariæ, sacra spargens unda ecclesiam
1217 B. Nicolai, Credone sitam : anno 1217, li-
tem inter Mellineii canonicos et Guillelmum
Petort dirimens; e chartul. Mellinensi. Ad-
fuit, anno 1220, exsequiis Michaelis, Salmu-
1222 riensium abbatis. Sepelivit, anno 1222, Guil-
lelmum de Rupibus, Andegaviæ senescallum.
1223 Mense Novembri 1223, fidem regi dedit, ut
schedula testatur a Sammarthanis prælo man-
data. Ecclesias plures parochiales, anno 1224,
archidiaconatui Transmeduanensi, necnon
archipresbyteratibus et decanatibus rurali-
bus univit. In Chronico Britannico legitur in-
1225 grediens, VIII cal. Decembris 1225, ecclesiam
Villæ Novæ consecrandam; Rerum Gallic.
Script. t. XVIII, p. 331. Mellinensis ecclesiæ
patronum se ferens, ei plura contulit. Sic
omnes canonicorum possessiones in Andega-
vensi diœcesi confirmavit, mense Novembri
1232 1228; e Mellin. chartulario. Anno 1232, a
Ludovico rege nongentas libras obtinuit, ad
reperanda damna quæ prædictus rex Ande-
gavensis capituli rebus attulerat, cum sus-
cipiens opus urbis muniendæ, duas non
tantum ecclesias, sed etiam domos capella-
norum et clericorum quorumdam diruisset;
apud D. P. *Marchegay*, Arch. Andeg., t. II,
1235 p. 245. Pactus est, Aprili mense 1235, cum
Matthæo *de Ramefort*, de tributis in novo
Ramefort vico percipiendis; apud *Hous-
seau*, t. VII. Quo et anno, ineunte Novem-
bri, capellam *Louet* Mellinensibus concessit;
1236 eisdem, Aprili mense 1236, confirmaturus de-
cimas a Geoffrido, Flexiensi senescallo, tra-
ditas. Hoc anno præterea Dominicanos so-
dales stabilivit in urbe, et partem episcopalis
palatii capitulo largitus est, ad condendam
capellam quæ postea Joannis Michaelis no-
1240 men accepit. Laudavit, mense Januario 1240,
bullam Lucii papæ III, abbatiam Nidi Avis
protegendam suscipientis. Mox decessit, 31
Augusti, ut calendarium S. Mauricii refert
his verbis : « IV *nonas Septembris, obiit piæ
recordationis, venerandæ memoriæ, Guillel-
mus ille venerabilis antistes, cujus germen
eximium de illa illustri prosapia insontis san-
guinis Bellimontis traxit originem. Hic a
puero in hac ecclesia educatus, sub Rodulfo
episcopo, ecclesiam rexit annis XXXVIII.
Decessit pridie calendas Septembris, sub oc-
casu solis, anno MCCXL. Ecclesiæ fabri-*
A *cam renovavit, varia supellectili ornavit,
omnibus virtutibus decoravit. Corpus B.
Maurilii ex vetere mausoleo transtulit, anno
MCCXXXIX.* » Eum celebravit versibus
Joannes Bordum, subdiaconus, necnon ca-
nonicus Andegavensis ecclesiæ.

LIII. MICHAEL I.

Michael, quem, ut ejus epitaphium refert, DE VILLOISEAU.
Villa creavit Avis, gallice dictus *de Villoi-
seau*, episcopatum adeptus est anno 1240
desinente. Occurrit Februario mense 1241, 1241
B secundum hodiernum calculum, ratas habens
immunitates ecclesiæ S. Laudi quondam con-
cessas; apud *Housseau*, t. VII. Eodem anno,
Juhellum metropolitam appellavit, Andega-
vensium rectoribus abbatiarum diœcesanam
synodum adire detrectantibus. Pactus est,
mense Junio 1242, cum monachis S. Nicolai 1242
de procuratione in annuum censum mutata;
ibid. Quo et anno Fratres Prædicatores An-
degavi degentes ecclesia donavit. Consecravit,
mense Julio 1243, ecclesiam S. Leonardi 1243
Camilliacensis. Eam Michaeli dederat pro-
vinciam episcopus Prænestinus, ut Ande-
C gavensia monasteria reformaret. Quæ ubi
adiit, repulsas passus est, præripuosque re-
bellionis motæ duces, S. Florentii monachos,
anno supra memorato sacris interdixit. Qui-
bus tamen dominus papa, perpensa re, ve-
niam indulsit, X cal. Februarii 1244. Nec mi-
nora tunc in Britannia dissidia fervebant. In-
nocentius papa IV Michaeli mandavit, idibus
Martii, ut Nannetensem episcopum et Petrum
Joannemque duces plura inter se moventes
conciliaret. Quibus diem Michael dixit, et
ad eos audiendos Nannetes se recepit. E dic-
tis jam compertum habes quæ fuerit in curia
D Romana Michaelis auctoritas. Ad eumdem
Innocentius scribebat, VI id. Martii 1245, ve- 1245
tans ne sine mandato apostolicæ sedis ex-
presso a quolibet unquam excommunicare-
tur; inter collectan. D. *La Porte du Theil.*
Exstant Michaelis litteræ, datæ V cal. Martii
1247, secundum recentem calculum, quibus 1247
Perreii monasterium Cisterciensibus monia-
libus, mandato summi Pontificis, adscribit.
Eodem anno, die Jovis post Pentecosten, per
unius anni spatium nummos in Andegavia
ad restaurandam S. Juliani Turonensis eccle-
siam colligi jussit; apud *Travers*, Concil.
E Turon., t. II. Eumdem, anno 1250, præbet 1250
Index archivi Cenomanensis; quo suadente,
rectores Bellæ Branchæ Rotæque pacem fa-
ciunt. Eo et anno, mense Novembri, post-
quam diu frustraque obsequium a canonicis
S. Martini simplex et absolutum exegisset,
cum eis tandem pepigit, ut amplissima charta
testatur quam Michaelinam ab auctoris no-
mine dixere. Anno 1252, litem diremit inter 1252
archidiaconum Transmeduanensem et mo-
nachos S. Sergii; e S. Sergii chartulario.

ANNI CHRISTI Interfuit, anno 1255, repræsentationi cor-
1255 poris S. Renati. Quanquam a Michaele gesta
singularia describere non liceat, non silen-
dum tamen de jurgiis inter eum Carolumque
comitem motis. Cum in eo Carolus esset ut
bellum extra comitatus terminos susciperet,
prædia nonnulla, sub episcopali jure posita,
violenter invaserat, et a colonis non pecu-
niam solum, sed quascumque res in pecuniam
convertendas poposcerat, ut militibus sti-
pendium numeraret. Quibus auditis, Mi-
chael, Carolum admonuit ut restitueret
ablata. Admonentem vero surdis auribus
comes excepit. Quamobrem, ineunte Novem-
1258 bri 1258, plures locos episcopus ecclesiastico
notavit interdicto; apud *Housseau*, t. VII.
Exstat notanda Michaelis ad Ludovicum re-
1259 gem epistola, data mense Augusto 1259, de
Ch. XXI, col. 161. restitutionibus ab ipso rege ob exonerandam
conscientiam peragendis. Occurrit tandem
1260 Michael, mensibus Julio et Septembri 1260,
capitulo S. Mauricii nonnulla condonans.
Eo decessit anno, VIII id. Novembris, ex
Andegavensis ecclesiæ necrologio; aut VII id.
ejusdem mensis, ex obituario Roncereii.
Mense Decembri scripsit Guillelmus decanus
ad regem : « Excellentissimo domino Ludo-
« vico, Dei gratia regi Francorum illustri,
« Guillelmus decanus et humile capitulum
« Andegavensis ecclesiæ salutem, et sic reg-
« num regere temporale quam regnum con-
« sequi valeat sempiternum. Vestræ regiæ
« majestati per venerabiles viros magistrum
« Nicholaum, archidiaconum Transmedua-
« nensem in ecclesia nostra, et magistrum
« Ægidium de Valle Torta, concanonicum
« nostrum, exhibitores præsentium, quos
« ad hos (hoc) specialiter destinamus, et per
« quemlibet ipsorum, dolentes denuntiamus
« venerabilem quondam patrem et pastorem
« nostrum bonæ memoriæ Michaelem viam
« esse universæ carnis ingressum; dantes eis-
« dem et cuilibet eorum in solidum potesta-
« tatem et mandatum petendi a vestra regia
« majestate licentiam eligendi. Bene et diu
« valeat vestra regia majestas in omni bona
« prosperitate! Datum mense Decembri,
« anno Domini MCCLX; » e Max. Gall. Ar-
chivo. Sepultus fuit Michael in Dominicano-
rum ecclesia.

LIV. Nicolaus.

GELLENT. Andegavensis patria et capellanus olim
Guillelmi Bellimontensis, Michaeli Nicolaus
1261 successit ineunte anno 1261, quo litteras re-
gias obtinuit, Andegavensis ecclesiæ jura
sancientes. Eodem, Augusto mense, reperi-
tur capitulo facultatem dans vendendi quas-
dam domos Parisiis sitas, in claustro B. Be-
nedicti; e Max. Gallor. Archivo. Decimas
capitulo Michael quasdam contulerat : has
1263 Nicolaus, Sabbati die post Trinitatem 1263,

A confirmavit. Solemne, mense Januario 1268, ANNI CHRISTI
edidit instrumentum de juribus quæ specta-
bant ad rectorem Villæ Episcopi; apud
Housseau, t. VII. Dein, lunæ die ante Ramos
Palmarum 1276, contentionem compescuit 1276
de juribus ad Guilcii monachos spectan-
tibus, eos Theobaldo *de Mathefelon* insec-
tante; e Guilcii chartul. Canonicos Omnium
Sanctorum sublevavit inopes, mense Martio
1278. Anno 1284, Margaritam, Fontis Ebraldi 1278
abbatissam, consecrat; supra, t. II, col.
1322. Memoratur tandem anno 1288 in Sal- 1288
muriensibus tabulis, Verriam uniens S. Flo-
B rentio; *Housseau*, t. VII. Decessit 29 Janua-
rii 1291, e veteri S. Sergii calendario; VI cal. 1291
Februarii, e martyrologio Roncereii; die lunæ
ante Purificationem B. Mariæ, e S. Mauricii
tabulis. Ejus exsequias summo luxu paratas
Guillelmus Major, eidem successor datus,
adamussim descripsit.

LV. Guillelmus III.

Post Nicolai decessum adita non semel LE MAIRE.
suffragia, sed incassum, propter diversorum
candidatorum ambitus. Per compromissum
C tandem electus est, die Dominica ante Pascha
1291, secundum recentem usum, Guillelmus,
cognomento Major, Andegavensis patria,
summus capellanus, necnon S. Mauricii pœ-
nitentiarius. Quam confirmavit electionem
Reginaldus metropolita, 20 Maii. Jam vero
Guillelmus Parisios tetenderat et Philippo
regi fidem dederat Vincennis, 16 Maii. In
urbe cathedrali 9 Junii consecratur. Provin
ciale concilium, in quo Guillelmus, absente
metropolita, primas tenuit, Andegavi coac-
tum est 26 Januarii 1293. Eodem pactus est 1293
anno, die qua *Reminiscere* cantatur, cum
D Roberto, Majoris Monasterii abbate. Conse-
cravit, 19 Julii 1294, Burguliensem basilicam; 1294
anno sequente, Franciscanorum ecclesiam
Andegavi exstructam. Anno 1298, 23 Octobris, 1298
Davidem de Suis Domibus, Andegaviæ bail-
livum, Darianumque *Bidoyn*, subbaillivum,
qui noxas Andegavensi ecclesiæ plures intu-
lerant, tanquam exsortes a regno Dei Guil-
lelmus anathematis flagello cædit. Nec multo
post ad regem supplices fert querelas, eum
monens inauditis ea tenus et nimiis vec-
tigalibus ecclesiastica bona per totam pro-
vinciam gravari. Tunc ubique fervebant hu-
jusmodi dissidia. His Guillelmum annumera
E qui pertinacius pro juribus ecclesiæ verba
fecere. Nec tantum infimos insecutus est fisci
regii ministros : occurrit enim, anno 1299, ad- 1299
versus Andegaviæ comitem plura movens, et
ab eo proscripta episcopatus bona judicio
vel ante regem repetens. Sedit, anno 1302, in 1302
Parisino conventu, ubi de Bonifacio VIII,
et de subsidiis a rege petitis multus sermo.
Benedixit, anno 1304, Eleonoram, Fontis 1304
Ebraldi abbatissam; supra, t. II, col. 1323.

ANNI CHRISTI Rursus cum Andium comite litigans reperi- A
tur, anno 1307. Die 4 Februarii 1310, se-
1310 cundum recentem usum, mandato domini
papæ litem dirimit inter abbatem Tironis et
Robertum, Cenomanensem episcopum, qui
sibi certatim supremum jus in Pelliciæ mo-
1311 nachos vindicabant. Anno 1311, interest
concilio Viennensi. Die Mercurii post octa-
vas Epiphaniæ 1314, Philippo regi scribit
se Gislebertum, Burgulii abbatem, conse-
cravisse. Eodem anno, die Dominica post
festum B. Magdalenæ, impiger cujuscumque
tributi detrectator, ipsos domini papæ col-
lectores retrusit, chartula quadam notabili B
testans ad nullum prælatum episcopo mino-
rem pransorium jus in Andegavensibus ab-
batiis pertinere. Decessit Guillelmus III id.
1314 Maii 1314. Acta Guillelmi præcipua reperies
scripto mandata in Lucæ Dacherii Spicile-
gio, t. X.

LVI. Hugo.

OUDARD. Guillelmi filius, domini *de Verrières*, Hugo
prius erat canonicus S. Quintini Veroman-
duensis. Fuerat quoque archipresbyter Sal-
muriensis, postea Burguliensis, canonicus- C
que Andegavensis, anno 1297. Pontifex dein
eligitur, nonis Octobris 1314, consecraturque
1316 2 Octobris 1316; apud Sammarthanos. Sedis
suæ privilegia, Gisortium postquam teten-
derat, a rege sancita refert 12 Septembris
1317 1317. Ad eum Joannes papa XXII litteras
1319 misit, X cal. Augusti 1319, jubens ut inquisi-
tionem haberet de Carolo Valesio, ob violatas
S. Sergii immunitates; apud Suaresium. Sar-
1320 rignei capellam erigit, anno 1320. Eidem
Philippus rex, Februario mense 1321, præ-
dia quædam confirmavit. Obiit Hugo Decem-
1323 bri mense 1323, et post ejus obitum in Ra- D
dulfum de Fixa, canonicum Andegavensem,
suffragia convenere. Irritam vero dixit elec-
tionem Joannes papa, atque in vacantem se-
dem misit Guidonem, et ipsum S. Mauricii
1324 canonicum, X cal. Aprilis 1324; e Suaresio.
Attamen neuter episcopale munus adiit, et
Hugoni Fulco successit.

LVII. Fulco.

DE MATHEFELON. Patrem Fulconis Fulconem nuncupant,
matrem Elisabetham. Ex Andegavensi the-
saurario præsul electus consecratur, 17 Junii E
1324, in Albiniana basilica. Exstant insignes
litteræ quibus in ea die erga canonicos S. Mau-
ricii sacramento semet obligans memoratur;
apud *Housseau*, t. VIII. Plura fecit sta-
tuta in synodis S. Lucæ 1326, Pentecostes
1328 1327, S. Lucæ 1327 et 1328, quorum pri-
mus quædam fragmenta Bochellus edidit:
horum vero contextum e veteri codice recen-
suit et prælo mandandum reliquit *Travers*,
Concil. Prov. Tur., t. III. Camiliacensem
decanatum scholasteriæ Andegavensi univit, ANNI
anno 1337; apud *Housseau*, t. VIII. Anno CHRISTI
1345, in canonicos S. Mauricii noctu, ut 1345
aiebat, cathedralem ecclesiam adire et preces
matutinas canere nolentes, acerrime desæviit;
quo et anno pactum Michaelinum cum ca-
nonicis S. Martini ratum habuit; ibid. Idem
circa tempus majora inter Fulconem et ca-
nonicos S. Mauricii dissidia. His enim jam
excommunicatis, Robertum Heliam insuper,
qui scholastici munere fungebatur, cædi
virgis jusserat et in carcerem conjici. Postea
vero, ut vindictam ab episcopo, simoniæ pa-
lam, ut clamitabant, reo exigerent, ipsius ec-
clesiæ cathedralis aditum ei canonici prohi-
buerunt, nec ejusdem prædiis ministrisve
pepercerunt. Quibus auditis papa rem Petro,
Sabinensi cardinali, enodandam commisit;
qui decanum Andegavensem absolvit ad
cautelam, 16 Aprilis 1347. Quem tantum
dissidium finem sortitum sit ignoratur. Alia,
sed minora, jurgia inter officialem Ande-
gavensem et Omnium Sanctorum canonicos;
de quibus ut investigatio fieret Fulco præ-
cepit, die Jovis post festum SS. Jacobi et
Christophori 1355. Ex ejus epitaphio deces- 1355
sit hoc anno, die Martis ante Nativitatem
Domini. Injeci manus in temporalia epis-
copatus bona jussit rex, die penultima De-
cembris.

LVIII. Radulfus II.

Ex Andegavensi decano Radulfus episco- DE MACHECOUL.
pus creatur litteris Innocentii papæ VI,
VI non. Martii 1356; e Suaresii schedis. Die 1356
3 Aprilis sequentis munus adiit. Quo lauda-
vit anno, die Jovis in festo Conceptionis
B. Mariæ, Fulconis litteras de solvenda lite
inter officialem Andegavensem et canonicos
Omnium Sanctorum. Die Mercurii post Qua-
simodo 1358, monasterium S. Mauri visitabat 1358
ejusdemque res componebat. Obiit, ut aiunt,
eodem anno. Ejus III non. Decembris obi-
tuaria meminere.

LIX. Guillelmus IV.

Guillelmus, filius Guidonis, domini *de* TURPIN.
Crissé, doctor legum, capellanusque domini
papæ, e decano ecclesiæ S. Aniani Aurelia-
nensis instituitur Andegavensis præsul,
XV cal. Februarii 1359, ab Innocentio pa- 1359
pa VI; apud Suaresium. Quo et anno in epis-
copalem urbem se recepit, 13 Martii. Sedit,
12 Martii 1366, in Andegavensi concilio. De- 1366
cessit pridie cal. Februarii 1371, secundum 1371
recentem usum, et, 5 Februarii sequentis,
ejus mortem Carolo regi capitulum denun-
tiavit; apud *Housseau*, t. VIII.

ANNI CHRISTI

LX. Milo.

A

DE DORMANS. Guillelmi filius, Franciæ cancellarii, cano-
nicus olim S. Quintini Veromanduensis,
postea præpositus ecclesiæ Remensis, Ande-
gavensi Milo cathedra donatur anno 1371. Is,
1372 23 Januarii 1372, secundum recentem cal-
culum, vicariis generalibus diœcesim admi-
nistrandam tradidit. Ex Andegavensi præsule
1373 Bajocensis, 7 Augusti 1373, non Baionensis,
ut perperam Sammarthani dixere, et deinde
Bellovacensis evasit. De quo fusius, t. IX,
col. 754.

LXI. Harduinus.

DE BUEIL. Post Milonem sedes, ut videtur, aliquan-
tisper vacua fuit. Gregorius tandem papa,
1374 vi id. Novembris 1374, Harduinum, e clara
stirpe prognatum, instituit. Testis Harduinus
1384 reperitur, 6 Maii 1384, Ludovici, Neapoli-
tanorum regis, Ludovicum, filium suum, Lu-
ciæ *Visconti* connubio jungentis. Idem, 22
1390 Martii 1390, psalletam Andegavensem fundat
atque dotat. Eodem anno, 7 Junii, interest
cœtui quem Anna regina coegerat, ut ab eo
jura sacerdotum Andegavensium in mobilia
defunctorum bona definirentur; apud *Hous-*
1394 *seau,* t. VIII. Sedens memoratur, anno 1394,
in conventu prælatorum qui Parisiis de schis-
mate tollendo collocuti sunt; e Monacho
Sandionys., t. II, p. 220. Ubi terrarum com-
moraretur Februario mense 1400 incertum
reliquere : absens autem notatur in actis
concilii Amelio præside congregati. Arelatas
forsitan se receperat Harduinus; nam hujus
ecclesiæ Benedictus XIII administratorem
eum nuper creaverat; supra, t. I, col. 1328.
S. Mathurini parochiam instituit, 22 Martii
1410 1406. Anno 1410, 9 Martii, ducibus Bur-
gundiæ et Aureliæ Carnutum devenientibus,
ut pacem inter se componerent, inter præsu-
les qui juramenta solemniter data excepere
Harduinus annumeratur; e Sandionys. Mo-
nacho, t. IV, p. 202. Deinde reperitur, 22
1422 Martii 1421, lege 1422, Henricum, Bituri-
censem metropolitam, in capella B. Mariæ
Salmurii consecrans; anno 1423, statuta
præclara condens ad reformandos cleri mo-
1436 res; 1 Junii 1436, prædium *Vouvray* plures-
que decimas Andegavensi condonans eccle-
siæ; 11 Junii 1437, quodam tributo Mellinei
monachos absolvens, et, 22 ejusdem mensis,
reditibus quibusdam Andegavense capitu-
lum augens, ut ipsius anniversariam diem
1439 celebraret. Obiit 18 Januarii 1439. Cancella-
rius fuerat Ludovici, Siculorum regis, ut me-
moratur in hujus litteris, procuratores ad con-
trahendum matrimonium instituentis; Prob.
Hist. Brit., t. II, col. 1169.

LXII. Joannes I.

Harduino mortuo, instituta sunt suffragia. MICHEL.
Elegerunt canonici, 28 Februarii, Joannem
Michaelis, Bellovaci natum, Ludovici II,
Siculorum regis, a consiliis, qui e canonico
Rotomagensi postea fuerat Aquensis, dein
Andegavensis, anno 1428. Electum vicarii
generales archiepiscopi Turonensis confirma-
verunt, et, 30 Martii, regi fidem dedit. Inter-
ea vero Guillelmus *d'Estouteville,* Translige-
ranus archidiaconus, in quem nonnulla vota
convenerant, bullas obtinuerat pontificias
B in cal. Martii, haud secus ac si non legitima
suffragia Joannis nomen proscripsissent;
isque prædictas bullas Andegavensi capitulo
per procuratorem exhibens 24 Aprilis, sedem
ab altero occupatam sibi vindicavit. Eum
autem capitulum repulit. Quam Guillelmus
passus repulsam, non insectationibus absti-
nuit, et ei plures adhæsere. Dum igitur Joan-
nes Andegavensibus redimitus infulis in Ba-
sileensi concilio sederet, Guillelmus concilio
Florentino et ipse episcopum Andegavensem
semet ferens intererat. Paucis dicendum
quod tumultuariis hisce temporibus Michaeli
C Gallicana favit ecclesia, Guillelmo Romana.
Eugenius papa, 3 Novembris 1439, Guillel-
mum cathedra Diniensi donat, et dein eum-
dem collegio purpuratorum adscribit 18 De-
cembris. Tunc is novis artibus Andegavensem
sedem appetere. Michaeli per concilium Ba-
sileense licet, xi cal. Martii 1440, ut per sep- 1440
tem annos, tum propter adversarii poten-
tiam, tum propter continua bella, assiduo
procuratori visitandas suæ diœcesis ecclesias
committat; apud *Housseau,* t. XIII. Eidem,
15 Decembris, Carolus rex tribuit ut notio
delictorum in episcopatus beneficiario præ-
D dio patratorum ad jurisdictionem ecclesias-
ticam spectaret; ibid. Andegavi paulisper
conversatus, rex Michaelem in cathedra sua
iteratis litteris stabilivit, 27 Decembris 1442; 1442
e schedis domini *Housseau,* t. IX. Occurrit
deinde Michael, mense Martio 1446, capel- 1446
lam S. Sebastiani in *Epinard* vicula conse-
crans; ibid. Obiit tandem die 11 Septembris
1447, ut legitur in litteris decani novam 1447
electionem 27 Octobris fieri jubentis. Vene-
rabilis diu fuit Andegavensi populo Joannis
Michaelis memoria. Reges ipsi Francorum
sæpius a summo Pontifice canonisationem
E ejus poposcerunt; quæ res exitum nullum
habuit.

LXIII. Joannes II.

Congregati 27 Octobris octo et viginti nu- DE BEAUVAU.
mero canonici electionis agendæ negotium
tractavere. Ad eos, 23 Octobris, rex litteras
miserat, commendans Joannem, Bertrandi
filium, domini *de Précigny,* et Joannæ *de la
Tour Landry,* archidiaconum Parisiensem,

ANNI CHRISTI

abbatem Fontis Danielis et Montismajoris, necnon Arelatensis administratorem ecclesiæ. Eum igitur nonnulla canonicorum suffragia designaverunt; pluribus vero, de Guillelmo cardinali procul et in perpetuum amovendo satagentibus, placuit ut domino papæ non tanquam electus, sed tanquam eligendus Joannes præsentaretur; apud *Housseau*, t. IX. Quorum votis annuens Nicolaus papa V Guillelmum studio pacis ablegavit, et Joannem nominavit. Urbem is episcopalem
1451 26 Septembris 1451 ingressus est. Interfuit
1456 Venetiæ, 4 Aprilis 1456, elevationi corporis
1458 S. Vincentii Ferrarii. Novembri mense 1458,
ante curiam Parisiensem cum archipræsule
1462 Turonensi litigabat. Anno 1462, ultima Augusti die, inter eum et Andegavenses canonicos composito jurgio, alternationem in collatione beneficiorum dimisit; apud *de Gaignières*, num. 117, p. 173. Semet Turonensis metropolitæ jurisdictioni subducere conatus, in ea causa cecidit. Quemdam Andegavensis ecclesiæ capellanum carceri postquam mancipaverat, canonici metropolitam appellaverunt: Joanne vero Turonense forum detrectante, eum archipræsul excommunicavit,
1465 13 Novembris 1465. Lata sententia, magnus Andegavi tumultus. Obnititur Joannes; capitulum veluti sede vacante præbendas confert.
1467 Dein Paulus papa II, nonis Junii 1467, Joannem depositum illico secedere jubet, et ei Joannem alterum, Ebroicensem episcopum, sufficit; apud *Housseau*, t. IX. Nova profertur Joannis Bellævallensis appellatio, 11 Junii; e Puteanis schedis, t. 676: 29 tandem ejusdem mensis, litteras Andegavense capitulum regias accipit, quibus ejectio Joannis sancita. Confugit is ad Aquitaniæ ducem, meliorem fortunam exspectans.

LXIV. Joannes III.

BALUE. De Joannis *Balue*, cardinalis, initiis supra dictum est, inter episcopos Ebroicenses. Jam canonicus erat Andegavensis ab anno 1463, cum in Andegavensem cathedram litteris Pauli papæ II proveheretur. Is vero civilibus implicatus negotiis, nullam ecclesiæ sibi creditæ curam habuit. Ludovico regi mox insidias, ut aiunt, molitus, crimine læsæ majestatis accusatur, et arctissimo carceri mandatur.

LXV. Joannes II.

DE BEAUVAU. Joannes *de Beauvau*, Aquitanorum interveniente duce, regis, in cujus gratiam redierat, litteris temporale dominium Andegavensis ecclesiæ sortitus, mox spiritualem jurisdictionem affectavit. Obstante vero Turonensi metropolita, Sixtus IV ad regem scribit, nonis Decembris 1471, ne Bellævallensi diutius, spreto jure Baluæ, legitimi pastoris, faveat; apud *Housseau*, t. IX. Quod cum rex ægre ferret, Baluæ vel ipsum nomen aversatus, jussit ut Bellævallensis, monita parvi pendens pontificia, ecclesiasticæ rei regimen denuo susciperet. Illinc nova dissidia inter canonicos S. Mauricii et præsulem quem in-
trusum nuncupabant, donec 29 Martii 1476 1476
eumdem Sixtus IV ad pristinum munus re-
vocaverit. Obiit die 23 Aprilis 1479, ex ejus 1479
epitaphio.

LXVI. Augerius.

DE BRI. Post Joannis Bellævallensis obitum capitulo rex commendavit Augerium, ex Andegavensis agri proceribus, necnon libellorum supplicum magistris, quem canonici 1 Julii elegerunt. Hunc confirmare noluit, Balua superstite, Turonensis archipræsul: rex autem, id non curans, electum probavit, et paulo post papa, mediam inter regem metropolitamque viam sibi faciens, administratoris Augerio titulum contulit. Adfuit Augerius,
24 Junii 1480, translationi corporis S. Flo- 1480
rentii. Hoc autem anno desinente, Joannes Balua libertate donatur, et Romam primo tendit, qui in Galliam Ludovico rege mortuo rediturus apostolici legati munus exsequeretur. Tunc vehementer ablata de cathedra questus est. Ipse capitulum intrans
S. Mauricii, 25 Julii 1484, electionem Au- 1484
gerii minime canonicam capitularibus exprobravit, et ab eo tempore non tantum Albanensis sed etiam Andegavensis episcopus dici voluit. Quo cum transegit tandem Augerius,
anno 1490, ut Sammarthani meminere. Re- 1490
censetur Augerius, anno 1501, inter commendatarios abbates S. Petri de Latiniaco.

LXVII. Joannes III.

BALUE. Supra memorati sub lege pacti Joannes iterum Andegavensi cathedra potitus est. In Italiam vero, mensibus aliquot elapsis, remeans, ibi novis auctus est muneribus, ut qui de summo Pontifice optime meruerat,
decessitque Anconæ, mense Octobri 1491. 1491
Cujus audita morte Innocentius papa VIII vacantem sedem Carolo Caretti destinavit: rex vero Joannem sequentem eligi jussit.

LXVIII. Joannes IV.

DE RELY. Joannes, patria Atrebatentis, Balduini *de Rely* et Joannæ *Brioys* filius, theologiæ doctor, confessionibus regis audiendis præpositus, nuper decanus S. Martini Turonensis et major Franciæ eleemosynarius, episcopus Andegavensis electus est 1 Decembris 1491; qui, paucos post dies, 6 Decembris, Langesii testis fuit initi inter Carolum regem et Annam matrimonii; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 712. Regi postea fidem juravit, 23 ejus-

ANNI CHRISTI dem mensis, et postquam per procuratorem
munus adierat, 4 Januarii 1492, ipse episco-
1492 palem urbem solemniter intravit 14 Octobris.
Parum abfuit quin Andegavi muros nequi-
dem ingrederetur; nam eum, Augusto mense,
instanter et multoties canonicis Parisiensibus
rex commendaverat, ut Parisiensem episco-
pum eligerent. Non autem his canonici pre-
cibus indulserant. Regem in Italiam secutus
anno 1494, cum eodem patrias ad oras re-
meavit, eique funebri sermone parentavit,
1498 anno 1498. Testamentum Joannes suum con-
didit 25 Martii 1499, et Salmurii 27 decessit.
Ei autem bullas, a Carolo rege iterum ite-
rumque petitas, Romana sedes, Carolo suo
Caretti favens, pertinaciter negaverat.

LXIX. Franciscus.

DE ROHAN. Joanne defuncto, capitulo S. Mauricii rex
commendavit, 1 Aprilis, Franciscum, Petri
de Rohan et Franciscæ *de Penhoët* filium,
jam commendatarium abbatem S. Albini et
S. Medardi Suessionensis. Congregatum vero
capitulum, 24 Maii, electionem summo Pon-
tifici detulit, Franciscum ætate minorem ad
munus obeundum asserens. Postea, 19 Junii,
exhibitæ capitulo summi Pontificis litteræ,
quibus Franciscus usque ad vicesimum quin-
tum ætatis annum episcopatus Andegavensis
administrator denuntiabatur. Creatus idem,
1501 anno 1501, Lugdunensis metropolita, An-
degavensem cathedram nihilominus admi-
nistratoris titulo retinuit, eamque solemniter
adiit 7 Septembris 1505. Præfuit, anno 1510,
concilio Turonensi. In muniis episcopalibus
vicariis semper usus, decessit Lugduni anno
1536. Permutaverat autem Andegavensem
1532 cathedram, anno 1532, cum Joanne sequente.

LXX. Joannes V.

OLIVIER. Ex abbate S. Crispini et S. Medardi Sues-
sionensium, supra memoratæ commutationis
virtute, Joannes Andegavensis dicitur epis-
copus, et provisoris papæ litteras capitulo
S. Mauricii præbet 10 Septembris 1532. Ur-
bem dein ingreditur, mense Novembri. Anno
1534 1534, synodale statutum edidit, ne plebs rus-
ticana, quotidianis delusa fraudibus, novum
quodcumque portentum, re nondum a præ-
sule cognita, cœleste reputaret. Obiit 12 Apri-
lis 1540. Eum carminibus, inter cæteros,
laudavit Jacobus Borbonius.

LXXI. Gabriel.

BOUVERY. Andinus patria, Guillelmi *Poyet*, cancel-
larii, e sorore nepos, jamque S. Nicolai com-
mendatarius abbas, Gabriel creatur episco-
pus Andegavensis a Francisco rege, 14 Aprilis
1540 1540. Sub idem circiter tempus ab eodem
dicitur abbas S. Cypriani Pictaviensis. Epis-
A copalem urbem adiit Gabriel Junio mense ANNI CHRISTI
1542. Anno 1548, S. Florentium deveniens, 1548
ingredi prohibetur: unde lis inter eum et
abbatem. Composuerunt tamen 9 Maii 1554.
Andegavum Calvinistæ invadunt 6 Aprilis
1562. Interest Gabriel concilio Tridentino,
anno 1563. Obiit 10 Februarii 1572, ætatis 1572
anno 66; ex ejus epitaphio.

LXXII. Guillelmus VI.

Guillelmi Ruzæi, domini Belli Loci, e RUZÉ.
Maria *Testu* filius, aulicis jam plurimis ho-
B nestatus muniis, Guillelmus ordinatus est
episcopus a Nicolao, Bellovacensi præsule,
24 Augusti 1572, per procuratorem admissus
29 ejusdem mensis, et personaliter 22 Sep-
tembris. Eodem anno, comitiis cleri Gallicani
generalibus interfuit; anno 1583, concilio 1583
Turonensi, quod, dum pestis Turones depo-
pularetur, Andegavum translatum est. Edicto
monuit Calvinistas ad Romanam ecclesiam
redeuntes quibus verbis semet hæresim ab-
juravisse testari deberent. Fato dein functus
est 28 Septembris 1587, et Lutetiæ tumula- 1587
tus, in ecclesia S. Pauli. Commonitorium Vin-
C centii Lirinensis in vulgarem linguam trans-
latum prælo mandaverat.

LXXIII. Carolus I.

De Caroli genere jam dictum est; supra, MIRON.
t. IV, col. 192. Annis octodecim natum rex
Andegavensi cathedra donavit, anno 1587.
Interfuit, Septembri mense 1588, Blesensibus 1588
comitiis, Andegavensis cleri partes agens.
Urbem dein episcopalem intrans refertur,
15 Aprilis 1589. Acuti vir ingenii, egregii 1589
concionatoris laudem meruit. Henrico IV
D Parisios ingrediente, mense Martio 1594, Ca-
rolus in ecclesia Parisiorum cathedrali ora-
tionem ad populum habuit, cujus Thuanus
meminit: eumdem Henricum cultello percus-
sum, mense Maio 1610, elogio funebri in æde 1610
S. Dionysii prosecutus est. Probavit, 17 De-
cembris 1612, institutionem Franciscani con- 1612
ventus, Prisciniaci. Comitiis regni præsens
memoratur, anno 1615. Anno vero sequente, 1615
cum Andegavensi capitulo, quod semet ab
episcopali jurisdictione liberum asserebat,
litigans, et apud ipsam plebem male acceptus,
quia stabilem in aula sedem habuerat, ovilis
E derelicti nimium securus, exoptavit episcopa-
tum deserere, potius quam tot tricis obsessam
dignitatem retinere. Postquam igitur cum
Guillelmo sequente permutationem fecerat,
abbas fit S. Launomari Blesensis; supra,
t. VIII, col. 1363.

LXXIV. Guillelmus VI.

Carolo abdicante nominatur Guillelmus, FOUQUET DE LA VA-
filius Guillelmi *Fouquet de la Varenne*, equi- RENNE.

ANNI CHRISTI

tis torquati, necnon Andegavensis civitatis præfecti. Antequam episcopatum sortiretur Guillelmus senator Parisiensis, libellis supplicibus præpositus, et plurium locorum abbas erat. Munus adiit per procuratorem 16 Octo-
1616 bris 1616; dein Mauricianam basilicam ingressus est 16 Novembris. Mittitur, anno 1617, ad generalia Franciæ comitia. Eodem anno, 24 Aprilis, ecclesiæ Minimorum prima fundamina posuit: mox S. Ursulæ moniales excepit Andegavi, eodem anno, 2 Decembris,
1618 et easdem Salmurii, 24 Decembris 1618. Quo et anno, 20 Novembris, Carmelitanos fratres in diœcesi sua consedere jussit. Per eum pos-
1619 tea licuit, 29 Januarii 1619, ut Oratorii sacerdotes ecclesia B. Virginis Ardiliensis potirentur, et, 23 Aprilis ejusdem anni, ut Calvarianæ virgines Pictavium deserentes Andegavum incolerent. Optimus laudatur ipsi rei demandatæ curator, qui decessit in episcopali palatio, præmatura morte interceptus,
1621 9 mensis Januarii 1621, ætatis anno 35. Sua eum præcipue commendat, Rogero teste, in pauperes liberalitas; quæ quidem tanta fuit, ut, pluribus licet beneficiis dives, egens omni re decesserit.

LXXV. Carolus I.

MIRON. Carolus iterum *Miron*, post Guillelmi decessum, Andegavensem cathedram subiit, iterum quidem nominatus a rege et a summo Pontifice institutus. Urbem ingreditur 23
1622 Aprilis 1622, et anno sequenti Parisios tendit cœtui cleri Gallicani interfuturus. Oratorianos sacerdotes Andegavi hoc anno con-
1626 stituit, et, 19 Januarii 1626, Discalceatas Carmelitanas. Jam inter eum canonicosque S. Mauricii nova surrexerant dissidia, jamque Carolus causam perdiderat, cum translatus fuit ab Urbano VIII in metropolitanam Lugduni cathedram, 2 Decembris ejusdem anni; ex authentico pergameno, quod servat Max. Paris. Biblioth., in collectaneis *Thoisy*, Z, 19, in-fol.

LXXVI. Claudius.

DE RUEIL. Claudius sub idem tempus ex episcopo Baionensi in Andegavensem cathedram translatus, munus non adiit ante 5 Julii 1628. Vacans legitur sedes 1 Augusti 1627, in instrumento quo Guillelmus, Corisopitensis præsul, refertur altare Nidi Avis consecrans.
1628 Reperitur, anno 1628, pluribus in chartulis. Fratres B. Mariæ de Carmelo Fixæ constituit,
1633 12 Januarii 1633. Reditus episcopatus quoscumque fisco regio sibi post translationem Caroli vindicante, vincit causa Claudii, 16
1634 Maii 1634. Per eumdem, 27 Decembris

A 1635, licet ut moniales a Visitatione Andegavi conventum exstruant. Easdem Fixæ consedere permittit 10 Januarii 1646. Decessit 1646
Claudius 20 Januarii 1649, ætatis 74; ex ejus epitaphio. Abbas idem erat Hibernalis et prior Vallis S. Eligii.

LXXVII. Henricus.

Claudio regiis litteris suffectus e Tullensi ARNAULD.
decano et abbate S. Nicolai, civitatem ingreditur Henricus 15 Aprilis 1649. Regi dein 1649
fidem jurat 12 Maii 1650, et consecratur Pari-
B siis in ecclesia Portus Regii, eodem anno, 29 Junii. Eum, sub idem tempus, Andegavensis clerus ad comitia Franciæ generalia mittebat. Medio Januario 1651, dum per provinciam 1651
suam Henricus iter ageret, prohibitus est armatorum turmis ne muros Andegavi intraret, et Salmurium aliquantisper secessit. Benedixit, 5 Octobris 1653, Elisabetham *de* 1653
Chastillon, abbatissam Bonæ Vallis, prope Thoarcium. Testamentum suum condidit 9 Martii 1688, et obiit 8 Junii 1692; ex ejus 1692
epitaphio. Laudatur sobrietate vitæ, honestate morum et indolis amœnitate conspicuus.
C

LXXVIII. Michael II.

Ex abbate Joyaci Michael Andegavensis LE PELLETIER.
præsul Villæ Episcopi consecratur, 16 Novembris 1692, in monialium ecclesia. Annuente rege, capitulum S. Juliani Andegavensi seminario jungit, anno 1694. Statuta monia- 1694
libus Nidi Avis dedit, 9 Junii 1700. Transla- 1700
tus in Aurelianensem cathedram regia schedula 3 Aprilis 1706, obiit 9 Augusti, ante pos- 1706
sessionem initam.

D

LXXIX Michael III.

Consecratur Michael, 1 Augusti 1706, et PONCET DE LA RIVIERE.
post diuturnum regimen obiit anno 1730.

LXXX. Joannes VI.

Nominatus anno 1730, consecratur Joan- DE VAUGIRAULT.
nes 28 Januarii 1731. Obiit 21 Junii 1758.

LXXXI. Jacobus.

E Bellovacensis clericus Jacobus, Venecien- DE GRASSE.
sis jam episcopus ab anno 1757, Joanni sufficitur Novembri mense 1758, ætatis trice- 1758
simo. Sedit usque ad annum 1782.

LXXXII. Michael IV Franciscus.

Sedit Michael Franciscus ab anno 1782 COUET DU VIVIER DE LORRY.
usque ad annum 1790.

DECANI ANDEGAVENSES.

I. Boso, sub Rainone episcopo, cujus chartæ subscripsit de area monachis Promiacensis monasterii concessa.

II. Adalhardus occurrit, anno 929, in charta Fulconis comitis villam Chiriacum monasterio S. Albini donantis.

III. Isacharius, eidem chartæ Fulconis subscribens, sic designatur in antiquissimis exemplaribus : *Isacharius diaconus; hic postea decanus fuit.* Legitur idem Walharius in alio apographo.

IV. Arnulfus, sub Nefingo episcopo, in schedula Roberti de prædio Rupis Fortis, mense Februario 969.

V. Lebertus subscripsit, circa annum 1005, litteris quibus Rainaldus episcopus et Robertus, S. Florentii Salmuriensis abbas, quædam commutavere.

VI. Goslenus I nominatur, cum Burchardo thesaurario et Primoldo archipresbytero, in charta qua fundatur Roncereium. Ejusdem consecrationi adfuit, II idus Julii 1028, ab Hucberto episcopo celebratæ.

Ulgerius quidam decanus, tempore Hucberti, Albinianorum abbatis, subscripsit documento Girorii, Redonensis militis, de ecclesia Castiniacensi monachis S. Albini tradita. Incertum autem est an ille fuerit decanus Andegavensis.

VII. Ansaldus occurrit inter Andegavensis ecclesiæ ministros, qui, XVII calendas Septembris 1030, instrumento de restauratione Mauricianæ basilicæ subscripserunt.

VIII. Goslenus II memoratur, anno 1040, ad calcem instrumenti quod S. Trinitatis Vindocinensis dedicationem refert : idem reperitur, anno 1045, in charta Geoffridi comitis, qua Roncereii nuper fundati possessiones confirmantur. Subscripsit, VIII idus Januarii 1049, litteris ejusdem Omnium Sanctorum ecclesiam S. Trinitati Vindocinensi condonantis. Annum ante 1055, testimonio confirmabat suo datum S. Sergio altare S. Sansonis, et, una cum Berengario archiclavi, testis erat Eusebii pacem facientis inter Majoris Monasterii et S. Sergii monachos super S. Vincentio Calonnensi. Subscripsit, ante annum 1060, chartæ comitissæ Græciæ, S. Nicolao altare Monasterioli condonantis, et, VI calendas Augusti 1062, indictionis XV, ejusdem Græciæ litteris quibus S. Nicolao furnum concessit. Occurrit deinde Goslenus in charta Eusebii episcopi Sigonem et S. Florentii quoscumque abbates a visitatione episcopali absolventis : cum eæ vero datæ fuerint litteræ, quibus chronicæ notæ desunt, præsente Arnaldo, Cenomanorum A episcopo, post annum 1067 ponendæ videntur.

Hic vero decanorum Andegavensium seriem discordantia testimonia perturbant. Occurrunt enim, anno 1062, Aimericus decanus in Hildeburgis charta servum nomine Goslenum libertate donantis, apud *Housseau,* t. II, n. 656, et Ansierus, in Vindocinensi chartulario, quibusdam litteris post Eusebium præsulem subscribens, IV cal. Martii ejusdem anni, lege 1063, indict. XV, Philippi regis anno tertio. Per nos quidem licet ut Aimericum et Ansierum unum eumB demque virum fuisse conjicias : ea vero conjectura falsi argueretur supra memorata Eusebii charta, Gosleno decano et Arnaldo episcopo præsentibus edita.

IX. Robertus, S. Mauricii decanus, et Reginaldus, grammaticus, conveniunt in ædes S. Florentii, cum cæteris judicibus ad quos delata quædam lis inter monachos S. Albini et S. Sergii, XV cal. Novembris 1074. Anno 1075, judicio controversias solvit plures inter Albinianos ascetas et canonicos S. Martini. Occurrit idem in charta qua concordiam inierunt Otbrannus, abbas S. Albini, Cunal- C dique monachi : idem interfuit judicio Dei de silva juxta Villam Lanariam, inter monachos S. Nicolai et canonicos S. Maurilii; ex Epitome Fund. S. Nicol., p. 67 : idem denique testis fuit Eusebii præsulis S. Albino restitui jubentis nemus a Fulcone comite per vim occupatum, ejusdemque S. Sergio vectigalia quædam tradentis Morennæ percipienda.

X. Reginaldus I subscripsit, anno 1077, litteris Eusebii episcopi Albinianorum bona confirmantis; ex Albiniano chartul. In eodem chartulario reperies Reginaldum hunc decanum duas filias habuisse; quarum qui D juniorem in matrimonium duxerat, Gosbertus Alelmi, Priscinniacum sibi vindicans legitur. Occurrit præterea Judith, *uxor Rainaldi decani,* abbati S. Nicolai Lamberto prædium tradens, non. Martii 1108. Reginaldi nomen insuper memoratur in chartula Petri, Sigiranni filii, Majori Monasterio Camilliacensem ecclesiam restituentis, et in litteris Fulconis comitis Plessicium Grammatici quibusdam rebus augentis. Eodem decano Geoffridus præsul, anno 1092, terram Calonnæ sitam S. Mauricio condonat. Irrepsit vero quædam in hujusce chartulæ notas menda, E eamque anno 1082 adscribendam opinamur.

XI. Gosbertus I, V cal. Julii 1086, testis est dimissorum S. Florentio jurium a Radulfo de Monte Rebelli. Idem, VI idus Augusti 1089, subscripsit chartæ Geoffridi epis-

copi ecclesiam S. Mauricii Petriniacensis Girardo condonantis et Albiniano conventui; ex arch. Andegav., inter chartulas ad Campiniacum spectantes. Reperitur et temporibus Natalis, S. Nicolai abbatis, in charta Petri de Brientione a patre data S. Nicolao confirmantis.

XII. Huchertus occurrit media Quadragesima 1089, secundum recentem calculum lege forsitan 1090, subscribens initæ paci inter Gosbertum Paganum et Girbertum, S. Juliani Turonensis abbatem. Idem, idibus Junii 1093, a Guidone Pictavino reditus accepit; apud *Housseau,* t. III. Eodem anno, II non. Decembris, a Fulcone comite litteras obtinuit, quibus vetitum ne quis extra canonicorum aream nummos immutaret, vel *species pigmentarias* venundaret; ibid. Memoratur VIII id. Julii 1094, præbendam accipiens a Petro de Camilliaco; ibid. Tandem, VIII id. Aprilis 1095, subscripsit litteris Geoffridi, recens electi, de parochianis S. Silvini S. Mauricio condonatis; ibid.

Geoffridus Martini testis reperitur, XVII cal. Augusti 1095, Radulfi vice-comitis ecclesiam S. Nicolai S. Mauricio largientis. Sammarthanorum pace conjicimus eum, gentilitio præter morem nomine insignitum, *decanum S. Martini* fuisse.

XIII. Gosbertus II legitur decanus, anno 1096, in charta Guillelmi, Salmuriensis archimandritæ, de ecclesia Restensi. Eodem anno, in litteris Fulconis comitis de Calonnensi ecclesia S. Mauricio tradita, et, anno 1099, in episcopali instrumento de silva Prunariis, quam S. Albini et S. Nicolai monachi suam certatim asserebant.

XIV. Stephanus I occurrit, idibus Septembris 1100, in charta Geoffridi præsulis qua novæ decem præbendæ in capitulo matris ecclesiæ constitutæ, et, eodem anno, in ejusdem litteris de jurgio quod Robertus Burellus adversus Albinianos moverat. Stephani præbet nomen subscribentis, eodem anno, charta fraternæ pacis inter monachos S. Nicolai et canonicos S. Petri. Stephanus is, factionis princeps quæ, post Geoffridi decessum, anno 1101, in propellendo Rainaldo laboravit, scripsit ad Geoffridum Vindocinensem abbatem, uti « sicut disertissimus pater, sicut « catholicus, sicut Romanæ Ecclesiæ filius, » consilium et auxilium tutantibus æmulum Rainaldi præstaret. Colloquium fuit episcoporum et abbatum Andegavi, postridie S. Petri. Electus tamen Rainaldus fuit, cui Marbodus favebat. Tum rei non tantum teste, sed etiam socio, Geoffrido Vindocinensi, infremuit Stephanus, electionem clamitans reprobandam, quam, obstantibus melioris consilii viris, patraverat « præsumptuosa et « perniciosa seditio. » Ipse, de seditione querens, suis obstantem propositis Marbodum in carcerem conjecerat, ut legitur in Marbodi

A litteris; Rer. Gallic. Script., t. XIV, p. 806. Postea tamen Stephanus amicus fuit Rainaldo, isque Marbodus, ut ejusdem epistola quædam memorat, mutato consilio, probris impetiit electum quem commendaverat eligendum.

XV. Albericus, anno 1102, testis in charta Rainaldi episcopi, qua Majoretanis monachis perpetuo traditum altare Dalmariaci. Eusebius et Geoffridus episcopi nutrierant Albericum, eique plurima contulerant beneficia : quapropter defunctorum non immemor, canonicis S. Mauricii duas domos tradidit suas, B v idus Maii 1103, ea lege ut eorum memoriam semper honoratam haberent. Idem, VII idus Maii, testis occurrit in charta Geoffridi de Brioleto capitulo S. Mauricii ecclesiam Jarziaci confirmantis. Eum præterea reperies in tabulis S. Nicolai, subscribentem, Rainaldo coram episcopo, Hugonis *de Mathefelon* diplomati, a patre jam data in jus monachorum revocantis; e schedis *Housseau,* t. XIII.

XVI. Richardus I innotescit, anno 1103, ex instrumento Rainaldi præsulis quo præbenda canonicis S. Maurilii condonatur, ea ratione ut intersint quotannis festivitati S. Mauricii. C Testis idem, XIII calendarum Julii 1104, in charta Gualterii de Monte Sorelli quædam e capitulari dominio violenter abrepta restituentis, et, VII idus Decembris ejusdem anni, in pacto quodam inter B. Mariæ Caritatis moniales et canonicos S. Mauricii. Sedebat, anno 1105, inter judices qui prioratum S. Clementis monachis Vindocinensibus adscripserunt, a Mauricio, Credonis domino, injuriose prorsus occupatum. Confirmavit, II nonas Junii ejusdem anni, institutionem sex præbendarum in ecclesia S. Nicolai de Monte Rebelli. Subscripsit anno 1108, die 12 Aprilis D post Pascham, præcepto Fulconis comitis S. Mauricio Plessicium Grammatici tradentis, et, idibus Septembris 1109, pactus est cum monachis S. Florentii de ecclesia B. M. Minoris Montis Rebellis.

XVII. Guillelmus I dicitur Salmuriensis, in charta qua Milesendis confirmat quidquid Abbo de Brioleto Vindocinensibus monachis largitus erat; e chartulario S. Trinitatis Vindocinensis : *Housseau,* t. XIII. Annum circa 1110, Guillelmus occurrit testis datorum B. Mariæ de Niosello a Gualterio de Ponceio et Bernardo de Bulleio. Testis idem, IV noE nas Decembris 1113, pacis initæ monachos inter Salmurienses et capitulum Andegavense de Cantosciaco, et, eodem die, procurationis omnis ab episcopo dimissæ in S. Florentii prioratus. Accepit, X calendas Aprilis 1115, ab Aldeberto concanonico domum Andegavi sitam, et, die 20 Decembris ejusdem anni, subscripsit chartæ Rainaldi episcopi de Eschimiriacensi ecclesia monachis S. Juliani tradita. Idem memoratur subscribens, XII cal. Januarii 1116, vel, secundum hodier-

num usum, 1117, chartæ de colibertis quos Berlaius de Monasteriolo dimittere coactus fuit. Rem tradiderat Berlaius judicandam capitulo S. Florentii, reluctantibus canonicis, ut alienam ægre ferentibus jurisdictionem. Eorum nihilominus causa vicit, ferri candentis judicio.

XVIII. Normannus testis accitur ab Hugone de Credone, concedente B. Mariæ de Rota capellam S. Nicolai in oppido Credonensi. Hugonis chartæ notæ chronicæ desunt; sed cum confirmata sit dicta capella Pascalis papæ litteris, datis II nonas Aprilis, indict. X, anno scilicet 1117, Normannum Guillelmo successisse constat hoc anno incipiente, secundum Romanam computandi rationem. Idem testis, anno 1120, in charta de fundatione collegii Calonnensis; in Rainaldi præsulis mandato de ecclesia Genestolii exstruenda; in charta concordiæ inter canonicos S. Leonardi Camilliacensis et Lambertum clericum, et, II calendas Junii ejusdem anni, in instrumento Rainaldi episcopi ad ecclesias *Goanord* spectante.

XIX. Geoffridus I, de Ingreia dictus, decanatum jam susceperat sub episcopatu Rainaldi, cujus litteris subscripsit, anno 1123, de Nicolao Guischardi S. Sergio ecclesiam Novæ Villæ dimittente. Testis idem, Ulgerio nuper episcopo, eorum quæ Radulfus dedit monachis S. Sergii. Memoratur, anno 1126, in charta Briccii Rivalonisque sororem suam Deo servam condonantium. Laudavit dein, anno 1128, chartam Conani ducis de ecclesia S. Cyrici monialibus Roncereii rursus tradita. Testis idem, anno 1131, in charta Geoffridi comitis ecclesiam S. Joannis-Baptistæ S. Mauricio conferentis; in Ulgerii testamento se profitentis hanc ecclesiam accepisse; in ejusdem Ulgerii charta de Bessiaco Majoretanis tradito, et in litteris Guillelmi de Passavanto vineas quasdam Andegavensi capitulo restituentis. Occurrit, annos inter 1133 et 1135, in Henrici, regis Anglorum, diplomate, qui monachis S. Florentii concessit dimidiam feriam mense Maio Salmurii celebrandam. Ejusdem non semel meminere S. Nicolai tabulæ, tempore Joannis abbatis, annos inter 1118 et 1136. Laudatur, in Roncereii chartulario, decus et lux Andegavensis ecclesiæ.

XX. Radulfus I a quibusdam post Geoffridum ponitur, anno 1135. Occurrit Rufus quidam, forte Radulfus, decanus, in S. Nicolai chartulario, quem Ulgerii episcopi tempore, testem vocat Albericus, filius Britonis de Capella, dans monachis quidquid in Ligeris valle possidebat.

XXI. Richardus II, anno 1136, Ulgerii testis fuit tradentis S. Nicolao mediam ecclesiam S. Clementis, et dissidium sopientis inter S. Nicolai fratres monialesque Roncereii. Anno 1140, reperitur ad calcem litte-

A rarum quibus Ulgerius S. Petri ecclesiam S. Mauricio restituit; anno 1142, testis est compositæ de Campaniaco controversiæ inter Paganum de Claris Vallibus et monachos S. Albini. Eodem, ut chartulæ testantur, decaniam occupante, Ulgerio dederunt Salomon, armiger, Solemniarum ecclesiam, Theobaldus abbatiam S. Saturnini, Mauricius de S. Quintino ecclesiam S. Quintini, Ivo de Jallia altare B. Martini de Bosco, etc., etc. Ejusdem Ulgerii novissimo testamento Richardus subscripsit.

XXII. Guillelmus II, Ulgerio cathedram B Andegavensem etiam tunc occupante, annuit Lamberto, S. Faronis abbati, Rotensibus canonicis cœmeterium S. Joannis de Danazeio conferenti; e chartul. Rotensi.

XXIII. Enjubaudus subscripsit chartæ Normanni episcopi de Tardino Frescengerii, Camilliacensibus medium molendinum largiente; apud *Housseau*, t. V.

XXIV. Hugo I, post mortem Normanni præsulis, ut chartula testatur, subscripsit litteris Stephani archidiaconi, quibus Majoretanis ecclesia *Ver* confirmata.

XXV. Geoffridus II, cognomine Bibens C Solem, occurrit, anno 1160, in litteris Matthæi episcopi de terminis parochiarum S. Mauricii et S. Petri. Idem, anno 1161, in ejusdem Matthæi præcepto quo confirmantur possessiones Majoris Monasterii in Andegavensi diœcesi. Reperitur circa annum 1162, Geoffrido episcopante, testis Raginaldi de Castro Guntherii, quæcumque Gentiniæ possidebat monachis S. Nicolai tradentis. Hoc tamen anno decessit, aut decanatum abdicavit; nam

XXVI. Matthæus reperitur decanus et tunc temporis absens, anno 1162, in chartula qua D Mansellus major Daulciarum instituitur; apud *Housseau*, t. V. Ejusdem meminit Joannes monachus in Historia Geoffridi ducis; Collectan. Chronic. Andeg., t. I, p. 231.

XXVII. Stephanus II *de Ternac*, Geoffrido præsulante, subscripsit chartæ Stephani de Marthaio de pressorio Boeriæ ædificato; e chartul. Major. Monast. Hoc anno 1177 reperitur in litteris ejusdem Geoffridi de juribus Sergianorum in Lauriacenam ecclesiam. E Testis fuit, eodem anno, Radulfo præsule recens electo, initæ concordiæ de juribus in nundinas mercatusque Duaci inter Thomam Martinetum et capitulum Andegavense; apud *Housseau*, t. V. Dein, Augusto mense 1180, sigillo suo muniebat litteras Bartholomæi archipræsulis, de sopita lite inter Andegavensem episcopum et monachos S. Albini.

XXVIII. Guillelmus III, cognomento de Villeio chartarum, ad fidem, gallice *Valleaux*, ut quibusdam placet, occurrit, anno 1183, in instrumento de quatuor sacerdotibus in Andegavensi Eleemosynaria constituendis. Eodem anno, IX cal. Octobris, Radulfi præsulis

chartæ subscripsit pro Mellinensi abbatia. Idem reperitur, anno 1184, in pacto inter Gervasium, abbatem Oratorii, et Jacquelinum de Brelia. Anno 1189, Ivonem, archidiaconum Salmuriensem, S. Mauricio vineas dedisse testatus est; apud *Housseau,* t. V; anno 1194, Geoffridum Ostorium plura contulisse Mellineio, ut ex archivo Cenoman. D. E. Bilardus desumpsit, part. 1, num. 556; anno 1196, Radulfum episcopum canonicis S. Nicolai Credonensis quarumdam ecclesiarum patronatum tribuisse.

XXIX. Geoffridus III subscripsit, Martio mense 1202, litteris quibus Henricus, Anglorum rex, confirmavit quæcumque Fixensibus leprosis pater suus dederat; apud D. Bilardum, Ind. Cenom. arch., p. pr., n. 575.

XXX. Hugo II *de Semur,* anno 1209; e tabulario S. Albini, inter chartas ad S. Remigium spectantes.

XXXI. Ægidius I testis, anno 1215, Odonis Ferrerii jus quoddam priori S. Joannis condonantis. Andegavensis episcopi locum tenens testabatur, anno 1219, Geoffridum de Precigneio vineas quas Guilcii possidebat monachis S. Albini tradidisse. Idem, anno 1220, notitiam edidit de terra et nemoribus monachis Pontis Octranni a Petro Februarii venditis. Non semel occurrit, annis 1218, 1219, in chartulis ad Chalocheium spectantibus, quas servat archivum Andegavense. Ex eisdem, mense Decembri 1231, sententiam edidit de contentione quæ intercesserat inter monachos et Aimericum *de Vermisson.*

XXXII. Bernardus, anno 1232, subscripsit litteris Guillelmi præsulis, agnoscentis se nongentas a rege libras accepisse ob damna ecclesiæ Andegavensi illata; ex opere cui titulus *Archives d'Anjou,* t. II, p. 245. In calendario S. Mauricii legitur : « Anno Dom. « 1232, computavi ego Bernardus, decanus « Andegavensis, quod summa pauperum quos « pascere debemus erat centum et duodecim « solidorum et octo denariorum. » Testis idem reperitur, anno 1234, in pacto inter Andegavense capitulum et cives Plessicii Grammatici; apud *Housseau,* t. VII. Idem, Aprili mense 1235, in compositione cum Matthæo *de Ramefort* inita; ibid. Insuper in calendario S. Mauricii reperies : « III id. Apri- « lis, anno 1236, obiit bonæ memoriæ Ber- « nardus, Engolismensis genere, et decanus « hujus ecclesiæ, vir in tota scientia proba- « tus et expertus, vitæ semper laudabilis et « honestæ. »

Reperitur Reginaldus, Aprili mense 1232, lege 1233, in chartula de juribus quæ sibi Andegavensis episcopus vindicabat in ecclesiam *Carbay;* apud *Housseau,* t. VII, n° 2727. Non alius forsitan is Reginaldus ac Bernardus, litteris R. et B. altera sæpius pro altera exscriptis.

XXXIII. Guillelmus IV de Curia Cæsaris
A legitur, anno 1252, in Chalocheii chartul., testamenti curator quod Ægidius supra memoratus condiderat. De quadam domo cum fratribus Prædicatoribus transegit, mense Februario 1254. Adfuit, anno 1255, in octavis Assumptionis B. Mariæ, revisioni corporis B. Renati; apud *Housseau,* t. VII. Promisit, Februario mense 1256, se cum canonicis S. Juliani Cenomanensis initam societatem constanter servaturum; ex Alb. Libr. capit. Cenomanensis. Idem, anno 1257, a Roberto milite decimam accepit; apud *Housseau,* t. VII. Occurrit, Decembri mense 1260, a
B rege petens ut, Michaele defuncto, novum episcopum eligere liceret. Idem, Augusto mense 1261, reperitur in litteris Nicolai præsulis de domibus Lutetiæ sitis, et, anno 1262, in Albiniana chartula cujus Sammarthani meminere. Obiit VII id. Aprilis.

XXXIV. Yvo sic memoratur in calendario fratrum Minorum Andegavensium, inter Baluzii schedas, arm. 2, fasc. 1, num. 1, p. 55 : VI *nonas Martii, obiit domnus Yvo, decanus S. Mauricii Andegavensis, qui fecit fieri capellam infirmariæ, et est sepultus sub lampade chori, anno Domini* 1268.

C XXXV. Odo reperitur anno 1268; coram quo Stephanus, Majoretanorum abbas, et Aenordis, Roncereii abbatissa, de quibusdam decimis paciscuntur. Augusto mense 1272, testis est Nicolai episcopi et Jacobi, S. Nicolai abbatis, de capella componentium; apud *Housseau,* t. VII. Anno 1276, altare condidit in loco quem ipsi Guillelmus, abbas S. Albini, tradiderat; ibid. Veneris die post Assumptionem 1277, monachis Chalocheii vineam confirmat; ex arch. Andegavensi, in Chalocheii tabulis, t. III. Obiit VII cal. Februarii; e S. Mauricii necrologio.

D XXXVI. Ægidius II de Marolico a nonnullis Odoni succedens memoratur.

XXXVII. Ægidius III *Rigault* interest, anno 1291, electioni Guillelmi præsulis.

XXXVIII. Ægidius IV *de Cerisay* post Ægidium *Rigault* ponitur. Ille forsitan interfuit, anno 1298, synodo quæ baillivum Andegaviæ e societate fidelium exclusit, ut Guillelmi Majoris Gesta memorant. Obiit XIV cal. Januarii; ex obituario S. Mauricii.

XXXIX. Thomas *d'Anast* inter curatores testamenti quod condiderat Arturus dux recensetur, in litteris Clementis papæ V, anno
E 1312. In Corisopitensem cathedram transfertur, XII cal. Martii 1321.

XL. Girardus *de Labeston,* annis 1325, 1332; e Sammarthanis.

XLI. Briccius, anno 1339; e codice cui titulus : *Clergé d'Angers.*

XLII. Radulfus II *de Machecoul,* filius Gerardi, Machecolii toparchæ et Utessæ *Chabot,* licentiatus in legibus, cum Fulcone præsule acerrime litigavit, anno 1347. Radulfum sacris interdictum sub id tempus ad

cautelam absolvit Petrus, Sabinensis episcopus; apud *Housseau*, t. VIII. Salutatus est Andegavensis præsul, post obitum Fulconis, ineunte anno 1356.

XLIII. Fulco *Bardoul*, ab anno 1356. Abrincensis creatur episcopus anno 1358. Vide supra, t. XI, col. 491.

XLIV. Petrus I de Corceyo, natus in vicula quem Novum Statum dicebant, in Redonensi diœcesi, rector antea Belli Montis prope Montem Thesauri, in agro Turonensi, occurrit, anno 1371, præsens inquisitioni de meritis et miraculis Caroli Blesensis. Testamentum suum condidit 5 Decembris 1378.

B XLV. Joannes I *de Cherbée*, doctor legum, ab anno, ut aiunt, 1382. Sedit, anno 1394, in cœtu clericorum Parisiis congregatorum, ut de pace Ecclesiæ statuerent; e Monacho San-Dionys., t. II, p. 222. Reperitur dein anno 1398.

XLVI. Joannes II *de la Tuille*, juris doctor, ab anno 1412. Transegit cum canonicis, 18 Aprilis 1414, de capellanorum testamentis. Eodem anno a Reginaldo *de Hastelou* saxaginta nummos accepit; apud *Housseau*, t. IX.

C XLVII. Guillelmus V de Monte Gaudio, Ludovici in regno Neapolitano proregis filius, ex Andegavensi decano fit, anno 1421, episcopus S. Papuli; e tabulis Andegavensis capituli. Obscura sane admodum quæcumque ad episcopatum S. Papuli Guillelmo traditum spectant, ut supra legere est, t. XIII, col. 305 : utinam Andegavensium tabularum testimonio dubium omne solvatur! Fusius de Guillelmo dictum inter Biterrenses episcopos, t. VI, col. 357.

XLVIII. Nicolaus *Périgaud*, licentiatus in decretis, eligitur anno 1421, indict. XIV. Aversæ testis reperitur, ultima die Martii 1424, Ludovici, Siculorum regis, procuratores ad contrahendum matrimonium instituentis. Neapoli decessit.

D XLIX. Joannes III *de Railly* electus 18 Septembris 1432, subscribit, 22 Junii 1437, Harduini præsulis testamento. Falso dicitur Aurelianensis postea decanus. Aurelianensis decanus sedebat ab anno 1436 Joannes *de Vailly*.

L. Reginaldus II *Cornilleau*, utriusque juris doctor, eligitur 11 Aprilis 1446. Joanne mortuo, novi præsulis electionem fieri jubet, 27 Octobris 1447. Idem, 6 Aprilis 1458, litem componit inter episcopum Cenomanensem et Ebronii monachos; ex Albo Libro Cenoman. episc. Decanatus legitur vacans 13 Septembris 1462, in actis capituli de querela Amalrici, Nannetensis episcopi.

E LI. Petrus II *de Laval* ab anno 1462, novem annos natus. Idem fuit abbas S. Nicolai et S. Albini, necnon episcopus Ebroicensis et archiepiscopus Remensis. Decessit 14 Augusti 1493.

A LII. Joannes IV *de la Vignolle*, senator idem Parisiensis et decanus S. Laudi, eligitur 1 Februarii 1465. Occurrit, anno 1474, curator testamenti quod Renatus, Siculorum rex, condiderat; eidem, 14 Septembris 1482, exsequendum Margarita, Renati filia, suum ipsa testamentum tradit. Sedens, 25 Julii 1484, in capitulo S. Mauricii, Joannem Baluam excipit vehementer de electione Angerii querentem; apud Sammarthanos. Capellam in ecclesia Andegavensi fundat, 1 Martii 1492. Superstes reperitur anno 1495.

LIII. Joannes V *Louet*, doctor legum, eligitur 10 Novembris 1495. Capitulares, 20 Aprilis 1499, convocat ad electionem episcopi instituendam. Testamentum suum edit, 4 Augusti 1516, patronos inter cœlestes, quibus animam suam commendat, Joannem *Michel* nuncupans, Andegavensem episcopum.

LIV. Franciscus I *de Châteaubriand*, abbas Ebroniensis, eligitur 18 Augusti 1516 et munus adit eodem anno, 6 Decembris. Condit, anno 1517, ad exemplar Loretanæ capellæ, ecclesiam S. Joannis super Ligerim.

LV. Joannes VI *du Maz de Mathefelon*, protonotarius apostolicus, ab anno 1536, episcopus postea Dolensis.

LVI. Philippus *du Bec*, antecedentis nepos, ab anno 1555 : deinde nominatur Venetensis episcopus.

LVII. Joannes VII *Hector* e decano S. Juliani S. Mauricii decanus eligitur, 30 Octobris 1558. Anniversarium suum condidit anno 1575, et paulo post decessit.

LVIII. Joannes VIII *Pierres* suffragiis canonicorum decaniam sortitur 20 Maii 1575. Obiit anno 1585.

LIX. Adamus *de la Barre*, summus archidiaconus ab anno 1574, fit decanus 14 Februarii 1585.

LX. Georgius *Louet*, senator et canonicus Parisiensis, dein e S. Juliani decano et archidiacono Ultrameduanensi abbas Omnium Sanctorum et summus archidiaconus a 15 Maii 1599, eligitur decanus S. Mauricii anno 1600. Postmodum episcopus Trecorensis fuit.

LXI. Renatus *Foussier* cantor nominatus 7 Aprilis 1607, eligitur decanus 22 Octobris 1608, et confirmatur ab archiepiscopo Turonensi 25 ejusdem mensis. Mittitur, anno 1612, ad comitia cleri Gallicani generalia; e cleri archivo, Alienat. Turon., t. II. Eo procuratore usus est, 16 Octobris 1616, Guillelmus præsul, episcopale munus adiens. Memoratur idem Renatus, præsens Turonibus, 1 Maii 1617, in cœtu qui oratores ad cleri comitia delegavit.

LXII. Daniel *du Plessis de la Mothe Houdancourt* eligitur 18 Februarii 1621. Episcopus postea fuit Mimatensis.

LXIII. Gabriel *Constantin*, consiliarius in Britanniæ senatu, eligitur 11 Octobris 1624. Idem fuit abbas S. Joannis in Valle, Carno-

tensis diœcesis. Reditibus auxit Andegavensem ecclesiam, annis 1654, 1656.

LXIV. Claudius *Denyau,* doctor Sorbonnicus, eligitur 3 Augusti 1660.

LXV. Joannes IX Franciscus *Martineau*, abbas S. Mauri, eligitur 16 Novembris 1696.

LXVI. Josephus I *Constantin* a 16 Januarii 1697.

LXVII. Jacobus *de Vaugirault* a 31 Julii 1705.

LXVIII. Franciscus II *de Beaumont d'Au*-
A *tichamp* eligitur 31 Maii 1718; qui postea Tutelensis episcopus evasit.

LXIX. Josephus II *Frain de la Vrillière* cantor a 12 Januarii 1722, decanus creatur 7 Aprilis 1741.

LXX. Josephus III Franciscus *de Montecler,* doctor theologiæ, e summo archidiacono fit decanus anno 1753.

LXXI. Cæsar Scipio *de Villeneuve*, olim qui Societati Jesu nomen dederat, munus adit anno 1768. Reperitur idem anno 1790.

VETERA ANDEGAVENSIS ECCLESIÆ MONASTERIA.

I. MONASTERIUM COLONETENSE. Hujus cœnobii nuncupat abbatem Marbodus Magnobodum, postea præsulem; et plerique Colonetense claustrum, nominis forsitan vicinitate, in vico rustice *Chalonnes* nuncupato situm autumant.

Plura de Calonna memorantur. Maurilius enim præsul Calonnæ quoddam sacravit oratorium, quod vetustate prolapsum refecit Rainaldus. Illud, regnante Roberto, reditibus auxit Huebertus episcopus, et S. Sergio sub idem tempus dedit. In eumdem locum secessit Hervæus, Vindocinensis monachus, duodecimo sæculo ineunte, et eremitarum gregi præfuit. Exstant ad hunc Hervæum epistolæ quædam Geoffridi Vindocinensis. Quo defuncto, locum Rainaldus præsul canonicis regularibus addixit, anno 1120; apud *Housseau,* t. IV. S. Hervæo sacrata fuit capella juxta Roncerium sita.

II. TINCILLIACENSIS ABBATIA. Hujus abbas cellæ fuit, ut aiunt, S. Albinus, antequam Andegavensem cathedram conscenderet. Quam olim domum in Britonum agro conditam fuisse e Fortunati verbis opinari licet. Menardus vero Tincilliacensem locum vulgo nunc *Pont de Cé* dictum asserit. Barbarum hoc corruptumve nomen amplissimam præbet quibuslibet conjecturis materiam.

III. S. MAURILIUS. Catervam S. Maurilii memorat Theodulfus. Num autem canonicorum monachorumve antiquitus fuerit incertum relinquere cogimur. Eusebii Brunonis temporibus abbatiam hanc suo sub jure tenebat Reginaldus de Castro Guntherii, qui eam S. Mauricio restituit; apud *Housseau,* t. II, num. 516. Deinde collegiata fuit ecclesia.

IV. S. PETRUS. Vetus hæc cella, in qua S. Albini corpus diu sepultum fuisse memoratur, et cujus Theodulfus meminit, in manus sæcularium abbatum labentibus annis transiit. An canonicos monachosve olim hospites exceperit non comperimus, quamvis Mabillonius de monachis non dubitet. In ea vero, anno 1110, canonicos invenis, quibus præest, sub abbatis nomine, Abbo de Monte Joannis; apud *Housseau*, t. IV. Ex Agnete filios duos suscepit Abbo, Petrum scilicet et Geoffridum. Geoffridus, patre defuncto, abbatiæ regimen
B adiit. Eamdem mox confitentes ad S. Mauricium antiquitus pertinuisse, Abbo Geoffridusque S. Mauricio restituunt, anno 1140; apud *Housseau,* t. V. Desiit in ecclesiam collegiatam, in qua, præter decanum, novem canonici circa finem postremi sæculi reperiuntur. Inter decanos S. Petri recensentur, Guillelmus *Vamçon* anno 1110, Geoffridus Bevinus anno 1160, Petrus *Bonhomme* 1367, Joannes *Bohalle* 1446, Petrus *Huguet* 1459, Ægidius *Ragot* 1465, Petrus *Petit* 1489, Renatus *de Pincé* 1516, Olivarius *Vallin* 1536, Joannes *Esnault* 1538, Renatus *Haurez*
C 1539, Joannes *Chailland* 1559, Renatus *Guilloyseau* 1584, Renatus *Guignard* 1585, Joannes *Darieu* 1586, Robertus *Miron* 1590, Christophorus *Ladvocat* 1592, Amalricus *Ladvocat,* qui et ipse officialis Andegavensis, anno 1607, Joannes *Besnard* 1612, Franciscus *Valtère* 1630, Guillelmus *Ménage* 1647, Ægidius *Ménage*, Guillelmi filius, 1648, Joannes-Baptista *Eveillard* 1656, Claudius *Eveillard* 1656, Franciscus *de Brussy* 1692, Gabriel *Toustain* 1693, Olivarius *Panetier* 1710, Guido Olivarius *Galland* 1724, Josephus *Sandubois de la Chalinière* 1745, Re-
D natus *Allard*, alias *Saillard*, anno 1758, Renatus *Voisin* 1766, et post eum Petrus Joannes Franciscus *Daburon de Mantelon.* Pleraque horumce nomina decerpsimus ex anonymo codice quem nobis archivum Andegavense præbuit, sub hoc titulo : *Clergé d'Angers.*

S. SATURNINUS. S. Saturninum non prætermisit Theodulfus, frequentiores Andium ecclesias recensens. S. Magnobodi corpus olim hæc abbatia susceperat. Quamobrem postea, sicut usus vulgi voluit, S. Magnobodi nomen locus accepit. Hunc usurpaverunt quidam V.
E laicorum ex ordine proceres : Ulgerio tamen præsule, Amalricus Crispini S. Mauricio ablatum restituit. Ab eo tempore ecclesia collegiata fuit, cui cantor præerat.

S. STEPHANUS. Monasteriolum S. Stephani VI.
Carolus Magnus, anno 770, ecclesiæ S. Mau- Ch. II, col. 144.

ririi prorsus immune confirmat. Quodnam fuerit hoc cœnobium, *subtus et juxta muros* civitatis positum, Mabillonius Buquetinsque incertum habuere. Nonnulli quidem Albinianas ædes, tot jam nominibus nuncupatas, S. Stephani patronatum etiam sibi vindicavisse asseruerunt. Hos autem *Housseau* Rogeriusque in erroneam lapsos conjecturam dixere; cumque basilica S. Crucis S. Stephanum peculiarem suum patronum vocaverit, hanc prope S. Stephani monasterium olim exstructam fuisse opinati sunt. Ut ut se res habuit, nulla ab anno 770 ea de cella mentio reperitur.

VII. S. Licinius, vel S. Joannes-Baptista, dein S. Julianus. Abbatia S. Licinii, Andegavi sita, in veteribus instrumentis sæpius occurrit. Eam ædificavit S. Licinius, primo comes, dein Andium episcopus, et S. Joanni-Baptistæ dicavit, ibique sepeliri voluit. Aram S. Joannis-Baptistæ Theodulfus Aurelianensis nuncupavit inter nobiliores Andium ecclesias.

Reperitur Ingilfridus abbas S. Joannis-Baptistæ in charta Ludovici Pii, cui desunt chronicæ notæ, quamque reperies apud Rer. Gallic. Script., t. VI, p. 639. Anno 870, Waraco abbas a Carolo Calvo villam Marcilliacum obtinet, in agro Cenomanensi. Idem eidem confert, anno 873, Contaniacum in Andegavensi pago, nec non Rofiacum, cum capella S. Quintini, in pago Cenomanensi. (Ch. v, col. 146) Circa mediam noni sæculi partem, Odo comes simul S. Albini et S. Licinii rector dicitur. Tunc laici proceres pleraque Andegavi monasteria sibi vindicabant. Eisdem S. Licinii incolis Fulco Rufus, anno 929, Chiriacum tradit. Incertum autem est an monachi canonicive primo fuerint. Fratrum, non monachorum, meminit edictum Caroli regis de Contaniaco. Canonici reperiuntur, annos circa 1025 et 1030, sub regimine Tethaldi, quem Veterem diplomata nuncupant, transigentis de Chiriacensi villa cum Huberto, et postea cum Primoldo, S. Albini abbatibus; apud *Housseau*, t. II. Aliquanto post singularem fortunam canonici S. Joannis-Baptistæ experti sunt. Cum essent numero duodeviginti, loci præposituram et insimul sex præbendas in eorum ecclesia, mediamque decimarum partem Geoffridus comes Cadiloni cuidam tradidit, « ita ut (hæc sunt notarii verba) cum canonicis mediarius esset decimæ (Cadilo), et tertiarius cæteri honoris, faceretque suas similiter sex septimanas, sicut reliqui duodecim canonici facerent suas; » apud *Housseau*, t. II, n. 594. Quod temporibus Huberti præsulis contigisse memoratur. Anno 1131, monasterium S. Joannis-Baptistæ, quod, mutato patroni vocabulo, tunc S. Juliano sacrum dicebatur, possidebat laicus abbas, Theobaldus de Blazone. Sub ejus tutela et arbitrio, canonicorum, qui numero duodecim erant, res decanus administrabat, nomine Normannus. Is autem Theobaldus domum in jus Andegavensium comitum dein transtulit, eamque Geoffridus comes Andegavensi capitulo protinus largitus est, ut pro suis in S. Mauricium injuriis satisfaceret. Usque ad exitum penultimi sæculi S. Licinius ecclesia collegiata fuit, quam procuravit decanus, subjectos sibi decem canonicos habens. Occurrunt inter S. Licinii decanos : Raimundus anno 1362, Geoffridus *Aubert* 1378, Jacobus *de la Fosse* 1382, Nicolaus *de la Chapelle* 1402, Henricus *d'Avaugour* 1407, Joannes *Boucher* 1417, Robertus *Sibolle* 1441, Thomas *Lepot* 1448, Guillelmus *Lesage* eodem anno, Petrus *de Serizay* anno 1469, Franciscus *de la Vignolle* 1473, Joannes *Hector* 1474, Guillelmus *Grimaud,* qui et abbas S. Joannis Pratensis in Macloviensi diœcesi, anno 1522, Renatus *Faifeu* 1527, Guillelmus *Richer* 1551, Joannes *Hector,* postea S. Mauricii decanus, anno 1552, Joannes *Cothereau* 1559, Nicolaus *de la Planche* 1566, Georgius *Louet*, postea decanus S. Mauricii et abbas Omnium Sanctorum, anno 1575, Marcus *Macé* 1586, Antonius *Bullier* 1619, Guillelmus *de Boyvin,* senator Rotomagensis et abbas Montis Morelli, anno 1632, Guido *de Thelis,* senator Parisiensis, 1634, Marinus *Prévost* 1637, Joannes-Jacobus *Fauvert* 1649, Sylvinus *Gandon* 1652, Gabriel *Boysleve*, postea Abrincensis episcopus, anno 1652, Ambrosius *Froger* 1653, Petrus *Ripoche* 1654, Franciscus *Ripoche* 1690. Seriem hanc præbet anonymus codex, quem servat archivum Andegavense sub hoc titulo : *Clergé d'Angers*. Anno 1696, seminario domus unitur. Eidem ecclesiæ quando nomen S. Juliani vulgus indixerat, nomen hoc sumpserat ab eleemosynaria, S. Juliano dicata, quæ juxta portam S. Licinii quondam exstructa fuerat.

VIII. B. Maria Mellinensis. Annum circa 1180, Henricus II, Andium dux et rex Anglorum, abbatiam hanc erexit in silva quadam Fixæ contigua, eoque canonicos Augustinianam regulam observantes accivit. Fundationem probavit Lucius papa III, omniaque canonicis sive jam donata, sive donanda, sancivit, anno 1182; e Mellinensi chartulario. Abbatiam variis postea prædiis auxerunt Richardus, Anglorum rex, anno 1209, Radulfus, Belli Montis vice-comes, Geoffridus Ostorius, Margarita, Pictaviensis comitissa, et alii. Quam tandem fratribus Societatis Jesu Fixam incolentibus dedit Henricus rex, anno 1600.

Servatur Mellinense chartularium, recente manu exaratum, in armario S. Genovefæ Parisiensis. Abbatum inde plura nomina desumpsimus.

I. Gervasius in obituario Mellinensi primus abbas dicitur, qui decessit III id. Maii.

De pluribus transegit, ut legimus tam in chartulario, quam in schedis domni *Housseau*, t. V. His autem pactis notæ chronicæ desunt. Anno tamen 1194, occurrit a Geoffrido Ostorio Jailletæ capellam impetrans; apud D. Bilardum, Ind. Cenom. arch., part. 1, n. 556. Anno 1200, testis est Hervæi de Bellomonte Perreio quædam condonantis; ex arch. Andegav. Vixit post annum 1203; memoratur enim fraternam societatem faciens cum Geoffrido, S. Sergii abbate. Idem, alium ni littera G. designet abbatem, testis fuit, 16 Augusti 1219, Roberti de Castro Brientii Chalocheio res quasdam confirmantis; ex arch. Andegav., inter chartulas ad Chalocheium spectantes.

II. Michael, Aprili mense 1229, Geoffrido Britoni sub lege census domum Andegavi sitam tradit; e chartulario supra laudato.

III. Joannes I, anno 1230, Guillelmo *de Corcobeil*, Andegavensi præceptori, domum sub beneficiario jure committit. Sic et alia quædam, Aprili mense 1233, Girardo de Salceio. Idem, anno 1238, chartam edit de rebus quas Geoffridus *de Cleers*, Fixæ quondam senescallus, Mellineio dederat; ex iisdem tabulis.

IV. Petrus *de Billière*, ex abbatiæ necrologio, VII id. Januarii.

V. Joannes II de Chemireio, ex eodem, V id. Januarii.

VI. Joannes III de Campis, ex eodem, III cal. Februarii.

VII. Guillelmus I, anno 1247, cum S. Sergio paciscitur de primitiis Valle Landerici percipiendis.

VIII. Jacobus, anno 1267, occurrit in locationis cujusdam instrumento. Quo et anno societatem iniit cum Thoma, abbate Perreii; ex eisdem tabulis.

IX. Matthæus *de Baugé*, e necrologio, X cal. Februarii.

X. Matthæus *de Baracé* census quosdam emit, anno 1283, a Guillelmo *de Dossé*; D. Ed. Bilardus, ex arch. Cenom., part. 1, n. 554. Idem, anno 1289, societatem precum pangit cum canonicis Omnium Sanctorum; apud *Housseau*, t. XIII. Occurrit tandem, die Jovis post festum B. Lucæ 1298, in Andegavensi synodo; e Gestis Guillelmi Majoris. Eodem anno, Decembri mense, fundatam a Guillelmo *de Courcillon* capellam accipit; e chartul. Mellin. Obiit 10 Septembris; ex obituario S. Jacobi Montifortensis.

XI. Richardus, ex abbatiæ necrologio, pridie cal. Maii.

XII. Joannes IV, mense Maio 1316, jus quoddam Joanni *Moreau* tradit.

XIII. Guillelmus II, anno 1339, fidem dat Fulconi episcopo; apud *Housseau*, t. XIII. Hic forte non alius a Guillelmo de Gastineta, cujus necrologium meminit, VIII cal. Aprilis.

A XIV. Silvester de Gastineta post Guillelmum videtur collocandus, cujus necrologium mentionem facit III non. Martii.

XV. Joannes V, 5 Junii 1375, reditus accipit. Is forsitan gentilitio nomine Blondellus dictus est, ut necrologium abbatiæ refert, XV cal. Februarii.

XVI. Guillelmus III *Helle* memoratur in sæpe laudato chartulario, 1 Maii 1376.

XVII. Joannes VI *d'Aumère* paciscitur, anno 1378, cum Buxeriæ abbate. Idem plura locat, 24 Aprilis 1388 et 6 Maii 1399. Abdicavit, anno 1407, in gratiam sequentis.

B XVIII. Joannes VII *d'Eze* ab anno 1407. Occurrit annis 1411, 1413, 1417, in variis minimi momenti pactionibus. Et ipse munus resignavit. Ejus obituarium Mellineii meminit, XIII cal. Augusti.

XIX. Guillelmus IV *Moron*, Joanne resignante, eligitur 2 Martii 1422. Occurrit in tabulis annorum 1429, 1439, 1443, 1451, 1452, 1454, 1459. Anno 1460, pactus est cum Petro, Oratorii abbate, et cum priore S. Columbæ. Idem reperitur anno 1465. Decessit, ex abbatiæ necrologio, XIII cal. Julii 1474.

C XX. Renatus *de la Barre*, doctor legum, commendatarius abbas, pluribus in chartulis reperitur ab anno 1477 ad diem 14 Junii 1502. Quo mortuo, Andegavensis episcopi vicarii generales, 2 Novembris 1502, litteras ad Mellinenses canonicos miserunt, quibus novum abbatem eligendi jus concessum. Ejusdem anniversarium fratres 10 Martii celebrabant.

XXI. Joannes VIII *de la Barre* eligitur anno 1502. Hunc Mellinenses tabulæ sæpe præbent a die 22 Junii 1503. Obiit, e necrologio, XI cal. Aprilis 1518.

D XXII. Ludovicus *Chantereau*, theologiæ doctor et confessionibus regis audiendis præpositus, statuta condit 26 Novembris 1519. Per procuratorem, 22 Junii 1528, concilio Turonensi interfuit. Resignavit anno 1529.

XXIII. Joannes IX *Thesnaud*, doctor theologiæ, bullas obtinuit anno 1529, Ludovico resignante, et munus adiit 15 Februarii 1530. Occurrit annis 1534, 1535, 1537, 1540, 1541, 1542, de rebus diversis pangens.

XXIV. Felix *Goyrot*, alias *Goevret*, canonicus Cenomanensis, necnon abbas Mel-E lineii commendatarius reperitur, 27 Junii 1543. Idem annis 1554, 1555, tam e regestis Insinuat. Cenoman. diœcesis, quam e Mellineii chartulario.

XXV. Nicolaus *Bruslard de Sillery*, libellis supplicibus præfectus et abbas Mellineii legitur annis 1561, 1568, 1575, 1586, 1591.

XXVI. Jacobus *Bruslard de Crosne*, filius Natalis et Isabellæ *Bourdin*, antecedentis consobrinus, ultimus fuit abbatum.

ABBATIÆ SUPERSTITES (1).

Sunt illæ numero duodeviginti.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

S. Albinus, *S. Aubin.*
S. Florentius, *S. Florent.*
S. Sergius, *S. Serge.*
S. Petrus Burguliensis, *Bourgueil.*
S. Nicolaus, *S. Nicolas.*
S. Maurus ad Ligerim, *S. Maur-sur-Loire.*
Asneriæ, *Asnières-Bellay.*

Feminarum.

Roncereium, *Ronceray.*
Nidus Avis, *Nioiseau.*

ORDINIS S. AUGUSTINI.

Virorum.

Omnes Sancti, *Toussaints.*
S. Georgius ad Ligerim, *S. Georges-sur-Loire.*
B. Maria de Rota, *La Roë.*

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Virorum.

Chalocheium, *Chaloché.*
Buxeria, *la Boissière.*
Oratorium, *le Loroux.*
Pons Octranni, *Pontrond.*

Feminarum.

Perreium, *Perray-aux-Nonnains.*

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Perredium Novum, *Perray-Neuf.*

S. ALBINUS.

S. Albini cœnobium, olim in eminentiore civitatis suburbio conditum, nunc longius latiusque procurrens civitas ipsa complectitur. Ibi, ut referunt, S. Hilarius ecclesiam exstruxerat S. Mariæ dicatam. Monasterium vero Childebertum regem et S. Germanum, Parisiensem episcopum, auctores sibi vindicat, ut testatur Nefingi præsulis diploma, et fortassis, Childeberto regnante, Albinianam congregationem gubernabat Sapaudus is *abbas Andicavensis*, qui sedit, anno 549, in Aurelianensi concilio. Clotarii certe temporibus, anno scilicet 615, non tantum de S. Albini basilica, sed etiam de Bobeno, tunc Albinianorum abbate, mentio fit in testamento S. Bertichramni, Cenomanensis episcopi. Bobenusne monachis præfuit? Loci primos incolas monachos fuisse quidam tradunt: quorum conjecturæ non repugnanter faveremus, si quæ certa rei superessent indicia. Canonici vero ibi degentes memorantur vel ante Normannicam vastationem: de canonicis enim agitur, mense Maio 769, in edicto Caroli Magni plurima confirmantis quæ Pippinus aliique reges eis condonaverant, et statuentis ne plus quam quinquageni fratres sub Albinianis tectis hospitarentur. Fratribus iterum, minime monachis, Carolus Calvus, anno circiter 848, villam Cipiam, cum adjacentibus prædiis tradit (1). Adde quod jam sæculares S. Albinum regebant abbates: sæculares vero sub id temporis sæpe canonicis, nunquam monachis præfuere. Canonicos ejecit monachosque primus accivit Fulco Rufus, e Chronico Turonensi. Huic autem Chronico fidem adhibere non tutum; exstat enim amplissimum Geoffridi Grisæ Gonellæ diploma, anno datum 966, quo turpem agentes vitam canonicos depellit, eisque, adjuvante Nefingo præsule, monachos Benedictinos sufficit. Ædibus quas extulerat Childebertus, ut memorant, S. Germanum patronum addixerat. Ineunte tamen septimo sæculo, ut bis in testamento S. Bertichramni legitur, eædem jam erant S. Albino sacratæ. Magna fuit ab undecimo circiter sæculo Albiniani gregis fama. Prolatum igitur anno 1241 Juhelli metropolitæ decretum, abbatem S. Albini Andegavenses inter abbates primum in synodis sedere jussit, et Andegavensi præsuli dextrum latus claudere. Nec mirum si magna beneficiorum copia, labentibus annis, ad tanti nominis ascetas undique confluxerit. His semper summi Pontifices faverunt, et ad eos tot bullas rescriptave direxerunt, ut singula memorare longum esset. Postquam vero, urgente mortalis cujuslibet rei fato, disciplina corruerat, et jam, commendatariorum abbatum desidia vel avaritia, ea fuerat Albinianarum fortunarum inclinatio ut multus de ruina imminente sermo esset, intromissi sunt in abbatiam reformati S. Mauri sodales, 4 Octobris 1660.

Ch. 1, col. 143.

Andr. Salmon. Collect. Chron. Tur. p. 251.

Nonnulla ad abbatiam S. Albini spectantia præbent codex *de Gaignières* 188, et Monastici Benedictini tomus I; plura vero et quasi numero carentia diplomata archivum Andegavense.

(1) Usque ad annum circiter 1790.

(1) Hanc donationem plerique, quos inter Sammarthani fratres, Carolo Magno adscripserunt. Carolus autem cognomine Calvus eam, ut videtur, confecit. Chronicas notas si respexeris, ea quidem charta data legitur XVI cal. Augusti, anno imperantis Caroli octavo, indict. VI. Annus indictionis sextus cum anno neutrius imperatoris Caroli octavo convenit. Ibi autem reperitur subscriptio Gosleni cancellarii, qui cancellarius Caroli Calvi fuit, non Caroli Magni. Consule *de Wailly*, Element. Palæogr., t. I, p. 222.

ABBATUM SERIES.

I. Bobenus occurrit, anno 615, in testamento S. Bertichramni, Cenomanensis episcopi. Ab eo villam Pauliacum, in agro, ut opinantur, Diablintico, S. Bertichramnus emerat.

II. Niulphus, abbas S. Albini, morbo sanatur a Magnobodo præsule. Illum quidam asserunt dein Andegavensem cathedram conscendisse. Vitam Magnobodi consule a Marbodo scriptam.

III. Guntherus I rector S. Albini dicitur, in charta Caroli Magni confirmantis, mense Maio 769, plures villas, quas jam antea canonicis Pippinus, prædicti Caroli genitor, dederat.

Ch. 2, col. 144.

IV. Helisachar occurrit, anno 818, in Ermoldi Nigelli Carmine de gestis Ludovici Pii :

Andegavensis ovans Cæsar pervenit in urbem ;
Sacre Albine, tuum corpus honore petit.
Obvius occurrit lætanti pectore carus
Helisachar, validas sedulus auget opes.

Unde colligit domnus *Bouquet*, Rer. Gallic. Script., t. VI, p. 44, Helisacharum, Ludovici Pii cancellarium, tot monasteriis jam, pro temporis consuetudine, præfectum, S. Albinum etiam rexisse. Cui libenter suffragamur. Decessit anno circiter 837. Hunc quære inter abbates S. Maximini Trevirensis, S. Richarii Centulensis et S. Petri Gemmeticensis.

V. Ebroinus, ante annum 840; regnante enim Ludovico Pio, litteras obtinuit regias de villis S. Albino adscriptis, ut docet nos succedentis Lamberti diploma. Clarus ille est Ebroinus qui Pictaviensis fuit episcopus.

VI. Lambertus, comes idem et rector Albinianæ congregationis, occurrit, annum circa 847, a Carolo Calvo accipiens confirmationem rerum S. Albini.

VII. Odo comes et rector S. Albini memoratur, anno Caroli Calvi duodecimo, Christi 851, indict. XIV, regem exorans uti diacono cuidam Anschario villas plures in beneficium traderet. Cujus votis rex annuit, sicut editum ab eo diploma testatur; apud Sammarthanos, t. IV, p. 24.

VIII. Fulco, comes Andegavensis, quem Rufum dicunt, una et rector S. Albini, prædium quoddam accepit, anno Radulfi regis secundo, Christi 924, a Fulculfo et Euphrasia, ejus uxore. Idem fratribus tradidit villam Chiriacum, anno Radulfi regis septimo; apud Sammarthanos, t. II, p. 121.

IX. Burchardus, abbas et ipse sæcularis, annum circa 940 accepit a Geoffrido comite confirmationem vineæ cujusdam juxta Montem Placiacum; e cod. San-Germanensi 1065, p. 18. Is est forsitan Burchardus quem Achardum vetus abbatum nomenclatura nuncupat, et cucullatum perperam asserit.

A X. Guido I, frater Geoffridi comitis, S. Albinum rexit insimul ac Cormaricum, Villam Lupæ et S. Petrum Ferrariensem. Ille non sui securus, quia scilicet, abbatiale postquam susceperat onus, sæcularibus tamen semet implicuerat negotiis, resque S. Albini negligenter, quin etiam improbe, dispensaverat, solemni testamento fratribus restituit quæcumque sibi de possessionibus eorum inique vindicaverat, vel ad alios contulerat. Cui testamento non est dies appositus; sed cum datum sit antea quam Villælupense monasterium proprium haberet rectorem, illud ad B annum circiter 964 retroducere non dubitamus. Mense Martio 966, Geoffridus comes et Guido frater ejus, duas cujusdam prædii partes in villa Baludriaco siti, juxta Maironem, jamjudum a comitibus Andium usurpatas, ad S. Albinum sponte detulerunt. Eodem anno, monachi canonicos exrepere. De eo Guidone plura diximus inter abbates Cormaricenses; supra, col. 258. Hic desinit series sæcularium rectorum; nam quos postea S. Albinus habuit abbates, regularem vitam, juxta S. Benedicti præceptum, jam erant amplexi.

C XI. Witboldus, aut Winebaldus, Guidoni successit.

XII. Albertus ab anno circiter 970, ut constat e litteris Geoffridi comitis ei monasterium tradentis regendum, salva monachorum libertate. Hic recens electus, octava scilicet die mensis Augusti 970, Constantio cuidam sub lege census plura prædia diversaque prata concessit. Dein, anno 972, Nefingum adiit episcopum, et ab eo consecutus est confirmationem privilegiorum quorumdam antiquitus ecclesiæ S. Albini, præ cæteris Andegavensibus ecclesiis, collato-D rum. Eodem anno, Andegavum deveniens Aurisrandus, Venetensis episcopus, Alberti colloquio fruebatur, et ei, x cal. Junii, salinam tradebat quam hæreditario sub jure possidebat; inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 348. Anno sequente, vineam quamdam accepit ab Amalberto, Salmuriensium abbate, ea tamen sub lege ut donatio rediret ad donantem, si quando mutaretur S. Albini status. Occurrit insuper idem Albertus, II non. Martii 974, indict. I, in charta Geoffridi, confirmantis S. Albino Undarim villam, sitam in pago Belvacensi. Legitur tandem, anno se-E cundo et vicesimo Lotharii regis, Septembri mense, Christi scilicet 975 vel 976, ab Archinulfo locum comparans, ut domum strueret ad hospites suscipiendos; ex Albiniano chartulario. Obiit die 18 Aprilis.

XIII. Guntherus II ab anno circiter 977, sub episcopatu Rainaldi, delegatur abbas, salva monachorum libertate, a Geoffrido comite. Hujus præterea Guntheri meminit charta de moletrina prædioque Albuino et ejus filio Narberto ad censum datis; inter

schedas *Housseau*, t. I. Idem, anno 988, cum Hierosolymam orationis gratia pergeret, cœnobii præfecturam Reginaldo cuidam monacho tradidit. Hujusce traditionis chartam lege apud Annales Mabillonii, t. IV, p. 52. Rediit, ut videtur, Guntherus ad derelictum gregem, et abbatis nomen, abdicato munere, conservavit. Ejus enim, quasi vivorum e numero nondum deturbati, mentio fit, anno 993, in charta Roberti de S. Michaelis ecclesia. Obiisse dicitur pridie nonas Januarii.

XIV. Reginaldus a Gunthero transmarinas ad oras iter agente fratrum suffragiis commendatus est. Quem protinus, ut videtur, abbatem Fulco comes confirmavit, anno 988, uti compertum habemus e schedula supra laudata. Anno 993, Hugonis regnantis septimo, quædam Reginaldus Frotgerio sub censu tradidit; e schedis *Housseau*, t. XIII. Quo anno, Rotbertus, Hierosolymitanis e partibus rediens, basilicam in honorem S. Michaelis, infra claustrum Albinianum, suadente Reginaldo, construxit; inter schedas *Housseau*, t. I. Decessit 2 Decembris. Idem, ut aiunt, abbas fuit S. Sergii.

XV. Girardus I post Reginaldum a quibusdam recensetur.

XVI. Huebertus instituitur, 3 Septembris 1000, ab Andegavensi consule, ut nos hactenus servatum instrumentum docet. Sagiacenam ecclesiam, Hueberti sumptibus erectam, Rainaldus præsul anno 1003 consecravit. Anno circiter 1015, a Fulcone Nerra, Geoffridi Grisæ Gonellæ filio, jura satis ampla quoad fiscum et jurisdictionem Huebertus accepit; e Thesauro Chartarum. Eidem tradidit Girorius de Bello Pratello Cartiniacensem ecclesiam. Memoratur etiam paciscens cum canonicis S. Licinii de villis Chiriaco, necnon Chamilcheriaco; inter schedas *Housseau*, t. II. Huebertus sub idem tempus S. Sergio præfuisse dicitur. Obiit IV cal. Augusti; e Roncereii necrologio.

Adraldus legitur in quibusdam nomenclaturis electus anno 1021. De quo nihil aliud comperimus. Mendosa vero relatione post Huebertum Adraldus ponitur; nam Primoldus aperte memoratur Hueberto succedens in chartula de villa Chiriaco.

XVII. Primoldus, alias Primasius, abbas renuntiatus est anno 1027; e Chronico S. Albini. Is est qui reliquias invenit S. Lanthonis, in capsa depositas; e chartul. S. Lauli, inter Baluzii schedas. Nominatur Primoldus, sicut supra diximus, in charta de villa Chiriaco. Idem censum ab Alberico obtinens nuncupatur. Obiit, ex abbatiæ necrologio, V non. Julii, anno, ut videtur, 1036. Ejusdem Roncereii necrologium, III nonas Julii, meminit.

XVIII. Waltherius votis fratrum Primoldo suffectus legitur, Decembri mense 1036. Quocirca Mabillonius huic anno circiter adscribit litteras Hueberti præsulis, quibus S. Manrilium Calonnensem impetrarunt monachi S. Sergii; Annal. t. IV, p. 411 : eidem enim diplomati suum nomen Waltherius recens abbas apposuit. Una quidem memorantur Waltherius et Avesgandus, Cenomanensis præsul, in instrumento de Basilica super Meduanam: sed annum circa 1032, Avesgandus Cenomanum deseruit Hierosolymam proficiscens, et Virduni decessit, anno 1036, priusquam ad episcopalem sedem remeasset. Electio igitur Waltherii ad annum circiter 1032 removenda videretur, nisi quæque ad eam spectant adamussim narravisset charta prorsus fide digna, quæ scilicet, in editione Lucæ Acherii, Spicileg. t. VI, p. 436, annum 1036, indict. IV, et alia quadrantia præbet. Nodus hic est summopere intricatus. Interfuit Waltherius, anno 1040, dedicationi S. Trinitatis Vindocinensis. Quod circa tempus fœdus pepigit cum Frederico, S. Florentii abbate, de decimis Chiriacensis ecclesiæ, Berengario archidiacono subscribente. Sedit Waltherius ad annum usque 1047 et ultra; in præsentia sedenim episcopantis Eusebii tertiam partem ecclesiæ Brionensis a Ranulfo et Guillelmo, militibus, accepit, et ibi duos constituit monachos. Obiit IV cal. Januarii.

XIX. Theodoricus e monacho Majoris Monasterii fit abbas S. Albini. Albertus Theodoricum hunc nostrum Eusebio episcopo et Geoffrido comiti præsentavit, ut *dominium exterius* hic traderet, ille recens electo benedictionem canonicam impertiret; ex Albiniano chartulario. Hæc circa annum 1055 agebantur, saltem ante annum 1056; nam pluribus Theodoricus in chartis occurrit cum Frederico, abbate S. Florentii, et Wulgrino S. Sergii. Sic testis fuit sopitæ litis inter Albertum, Majoris Monasterii abbatem, et Wulgrinum S. Sergii, de oratoriolo in parœcia Calonniensi. Occurrit dein, annum circa 1057, a Radulfo, vice-comite Cenomanensi, impetrans ecclesiam Luchiacensem et adjacentia quam plurima. (*Cauvinus, Geogr. Ant., Instr., p. 74.*) Eo anno, calendis Martii, hospitem Henricum regem excepit. Inter Theodoricum abbatem et Vindocinensis incolas cœnobii graves motæ sunt querelæ. Cum enim Geoffridus comes Vindocinensibus dedisset ecclesiam S. Clementis in Credonensi castello, Theodoricus Eusebium adiit, Andegavensem episcopum, ecclesiam hanc Albinianis jam traditam memorans a Suhardo Vetulo. Nec judicio episcopi lis absoluta. Ad dominum papam iverunt ex utraque parte contendentes, qui rem cognoscendam delegavit pluribus episcopis; inter quos Trecensis, Nivernensis et Meldensis de jurgio componendo scripserunt ad Bartholomæum, Turonensem metropolitam, Eusebium Andegavensem et Geoffridum comitem. Edidit has epistolas doctissimus Martenius. Eorum vero reprobatum est judicium. Mox

de eadem re rursus litigatum est. Memoratur insuper Theodoricus ab Agnete, Huberti vidua, ecclesias Duristalli dono datas accipiens; e chartulario Guilcii. Obiit VII calendas Januarii 1060; e Chronico S. Albini. De eo disseruit Martenius, Historia Majoris Monasterii, t. I.

XX. Otbrannus abbas electus est XII calendas Aprilis 1060. Electioni subscripserunt septem et septuaginta monachi. Otbrannus, 2 cal. Julii, sive Junii, 1062, Hildeburgim, Hamelini militis viduam, excepit colibertum, nomine Goslenum, libertate donantem. Acerbus Hildeburgi ille dies, cum in eo defuncti mariti exuviæ terræ mandarentur. Eodem anno, V idus Februarii, vel, secundum recentem usum 1063, sedebat Otbrannus judex litis de Bairiaco, inter Albertum Majoris Monasterii et Almodium Rotoni abbates. (*Rer. Gall. Script. t. XIV, p. 150.*) Ipse concordiam fecit, anno 1064, cum Daiberto, S. Sergii abbate, super molendino Varennæ. Testis deinde memoratur, IV non. Augusti 1066, judicio Dei, quo S. Florentii fratres silvas S. Lamberti et S. Martini de Platea tandem receperunt, a Geoffrido Barbato dudum ablatas. Geoffridi junioris tempore, ante annum scilicet 1068, pactum iniit cum Haimerico Treverensi, ne monachorum e familia coloni eorum sine jussu in hostem bellaturi deprehenderentur. Post annum 1068, contendit Otbrannus cum monachis Canaldi de sepulto in eorum cœmeterio S. Clementis quodam incola. Majorem nunc fusius enarremus litem inter Otbrannum et Orricum, Vindocinensium abbatem, de prioratu S. Clementis in agro Credonensi. Ea jam diu res agitata. Contendentes audierant utriusque cœnobii monachos Eusebius, Andegavensis præsul, abbatesque S. Sergii, necnon Sancti Vincentii, Wulgrinus et Avesgaudus. (*Ibid. p. 83.*) Nicolaus postea papa tanti materiam dissidii tollere conatus erat, Albinianos scribens e causa jure dejectos. Querelam tamen hi suam inde tulerunt ad concilium Burdigalense, in quo definitum est, anno 1068, ad mentem Stephani cardinalis, ne iterum disputarent ea quæ summi Pontificis arbitrium decreverat. Otbrannus tamen et Orricus Carnutum paulo post convenere, ante Geraldum, Ostiensem episcopum. Auditis partibus, judex non diremit litem. Itaque Parisios ambo tetenderunt, Geraldo comites addicti. Nec ibi res composita : quam Carnotensis episcopus Adraldus, anno 1072, tandem absolvit, statuens ut ducentas libras denariorum Andegavensium reciperet Otbrannus ab Orrico, et ecclesiam S. Clementis monachis Vindocinensibus dimitteret. Nummos quidem accepit Otbrannus et quievit. Concordiam autem hanc venalem et ipsis non probantibus peractam dixerunt Albiniani monachi, et deinde ad novos res acta judices, ut in Girardo sequente diremus. Lege, si lubet, amplam Albinianorum epistolam ad P., domini papæ nepotem, quam ex Anecdotis Martenii *Brial* rursus edidit; Rer. Gall. Script., t., XIV p. 546. Anno 1074, XV cal. Novembris, frequens erat Salmurii conventus abbatum, quos judices vocaverant S. Sergii et S. Albini monachi, litigantes de ecclesia necnon villa Campiniacensi. Rem dixit Otbrannus pro S. Albino et in causa vicit; e Vita Hildeberti, ejus Operibus præfixa, p. 47. Paciscens occurrit, anno 1075, cum canonicis S. Martini de villa Chiriaco. Octobri mense 1080, Raginaldus Burgundus, Credonensis optimas, Otbranno confirmabat quidquid Albiniani jam dono, vel per emptionem, acquisiverant tam Legione, quam Brione, Duristalli et *Malicornant*. Jam antea confirmatas habuerat ecclesias Duristalli a Roberto Burgundo. (*Ch. VIII, col. 149.*) Obiit 17 Februarii 1082.

XXI. Girardus II, filius, ut aiunt, Nigelli comitis, e priore abbas electus est, anno 1082. Hunc eodem anno benedixit Geoffridus episcopus, quo die ipse fuit ordinatus. Plurimis in chartis occurrit Girardus. Singulas vero referre magnum opus esset, et forte supervacuum : ex aliquot præcipua quæ ad ejus vitam spectant decerpere sufficiat. Anno 1084, de vico Ripa dicto paciscitur cum Achardo, abbate S. Sergii. Idibus Februarii 1087, sedente sedenim ab annis quinque Geoffrido præsule, Girardus a Joanne de Fissa, armigero, ecclesiam S. Andoeni sub invocatione sacratam, capellam insuper in honorem S. Mariæ, prædiaque necnon plura jura accepit; ex archivo Cenoman. Quam maxima monachis S. Albini damna Reginaldus attulerat, thesaurarius S. Martini Turonensis; qui Monasteriolum suo sub jure tenens, æque Maironium, S. Albini prædium, sibi vindicare conatus erat. Cui pro viribus obnitens Otbrannus abbas, dixerat nihil quoad jus esse novi quin sit iniquum. Ab incœpto non tamen desistens Reginaldus, monachorum querelas injuriarum frequentia compescere, ut aiunt, sibi spoponderat. Eum tandem Girardus abbas, annum circa 1085, ad compositionem compulit. Elapsis vero aliquot annis, Berlaius, Reginaldi nepos, postquam ratam pacem violaverat, ante forum episcopi citatus venit, pridie Pentecostes 1087, et monachorum jus ipse agnovit. Notandum quod iteratam compositionem referens chartula, vulgaribus verbis expressa fuerit, ut legitur, a Marbodo, tunc Andegavensi archidiacono; apud *Housseau*, t. III. Eidem Girardo, V cal. Junii 1087, Guillelmus, filius Berengarii, capellam Frateii sitam concessit; ibid. Occurrit, XI cal. Januarii 1088, in schedula qua Fulco comes vectigal dimittit de monachorum bobus, capellis et jumentis. Eidem, XI cal. Martii, per Guillelmum, Salmuriensem abbatem, licuit oratorium exstruere in villa Chalgiaco. Girardo Geoffridus episcopus, VI idus Au-

gusti 1089, tradidit ecclesiam S. Mauricii, in vico Petriniaco; ex archivo Andegavensi, inter chartulas ad Campiniacum spectantes. Alia et majora sub hunc annum referenda. Ecce enim agebatur iterum de possessione S. Clementis Vindocinensis. Monachorum litteris multoties sollicitatus, Urbanus Pontifex Amato, legato suo, mandaverat ut litigantes ad Santonense concilium vocaret, sub Novembrem mensem 1089, et partem utramque postremum audiret. Cujus mandato paruit Amatus. Sed Andium comes, Vindocinensibus, ut aiunt, favens, vetuit ne Girardus ad urbem Santonum pergeret. Difficultates itineris Fulco prætexebat. Statuit ergo legatus ut res Burdigalæ postmodum enodaretur. Fulcone rursus viam claudente, Girardus, infirmus licet, clam suos deseruit et Burdigalam tetendit. Captus autem fuit prope S. Joannem Angeliacensem a quodam Pictaviensis comitis præposito, et in carcerem detrusus. Eo tamen absente Burdigalæ lis incassum agitata fuit. Anno tandem 1092, Urbanus ipse papa solemni judicio Vindocinensibus S. Clementem tradidit, ea sub lege ut Vindocinenses aliam quamdam sui juris ecclesiam Albinianis conferrent: qui S. Joannem supra Ligerim dedere; Rer. Gallic. Script., t. XIV, p. 85-87. Aderat Salmurii Girardus, 24 Junii 1094, et sententiæ subscribebat qua Fulco comes absolutus. Jam supra dictum est de Joanne, Fissæ toparcha, ecclesiam S. Audoeni condonante. Idem occurrit, anno 1095, usum sui nemoris abbati Girardo largiens. Mox ægrotans ille monachicum poposcit cucullum: quo gaudens adepto, decimas Girardo et prædia nonnulla concessit. Nec multo post defuncti corpus Andegavum ducebant monachi et in claustro sepeliebant. Joanni prædicto filii tres: quorum duo, Helias et Geoffridus, libenter quæ pater obtulerat confirmaverunt: Gausbertus vero, natu major, postquam diu sibi vindicasset quæcumque de patrimonio suo paterna pietas dempserat, cum tribus monachis a Girardo missis postremo pactus est; e Cenomanensi archivo D. Bilardus, part. 1, n. 284. Ante annum 1096, cum testis adesset Marbodus, Andegavensis archidiaconus, judicialis contigit monomachia inter Girardum abbatem et Girandum de Blancofurno, super Croiaco, divite juxta Peregrinam prædio, contendentes. Locus pugnæ fuit curia S. Petri Burguliensis. Girandus autem, jamjam consertis manibus, Martem timuit adversum et rem dimisit; e Baluzii Miscell., t. II, p. 175. Anno 1096, Girardus Cenomanum devenit una cum Urbano papa, et in episcopali curia testis fuit sopitæ litis inter monachos S. Vincentii et S. Juliani canonicos, de ecclesia Laboratorii; e chart. S. Vincentii. Eodem anno, 18 Maii, a Fulcone consule ecclesiam Croptæ accepit. Idem sub tempus, querente Girardo de bo-

A nis monasterii direptis, mandavit Urbanus Hoello, Cenomanensi episcopo, ut Hugonem de S. Albino Robertumque Paganum, fratres, minis ecclesiasticis ad restituendam villam Loconacum cogerent: hi vero, lata jam excommunicationis sententia, venerunt ad Girardum, pacem poscentes et dictum prædium tradentes, III nonas Augusti 1096; e schedis *Housseau*, t. III. Eidem Girardo dedit, III cal. Octobris, Herbertus, filius Landrici, ecclesiam S. Columbæ; ex eodem. Eodem anno, litigans cum S. Nicolai monachis de nemore Catiis, vadimonium deseruit. B Ad Girardi preces, XIII cal. Maii 1097, Urbanus papa confirmavit omnes cœnobii possessiones; ex archivo Cenoman. Berlaium, Monasterioli dominum, beneficum expertus est, V idus Septembris 1097; ei qui plura Brosciaci sita dedit, ut legere licet in charta quam Sammarthani fratres ediderunt. Accepit Girardus, cal. Novembris 1098, a Gosberto de Salconiaco, ecclesiam S. Albini de Chamberliaco. Paciscebatur, V idus ejusdem mensis, de parte quadam Catiarum cum monachis S. Nicolai. Dein, I idus Martii 1099, secundum recentem usum, ad forum Ande- C gavensis episcopi compellebat Lambertum, S. Nicolai abbatem, silvam Prunarias sibi vindicans. Rem ademptam repetenti favit judicum sententia. Tunc adfuit Robertus Burellus, in prædium quoddam juxta Prunarias calumniam movens: quod quidem, anno 1100, a Girardo vocatus ante Geoffridum episcopum, dimisit; e schedis domni *Housseau*, t. IV. Eodem anno, Girardo tradidit Guillelmus *Chesnels* ecclesiam S. Petri de Avesiaco; ex archivo Cenoman. Acerrimum eo tempore dissidium exarsit inter Girardum et Gaudinum, Codenaci dominum. Artisia- D cus, juxta Codenacum, alias *Malicornant*, situs, monachorum antiquitus in jus devenerat, regum beneficio. Quos cum Gaudinus sibi temporaliter diceret subjectos, ut Artisiaci suum ad feodum spectantis possessores, petitum monachi detrectarunt obsequium. Ecclesiam protinus et adjacentia prædia Gaudinus invasit, armenta colonorum diripiens, colonis ipsis evaginati gladii metu subactis. Causam monachorum et ipse frustra suscepit Hildebertus, Cenomanorum præsul: quem excommunicationis flagellum detorquentem Gaudinus irrisit. Hunc tandem adiit Girar- E dus, in cœtu quem Fissæ coegerant, anno 1102, Hildebertus Cenomanensis et Andegavensis Rainaldus. Pertinaciter negavit Gaudinus jus Albinianorum: Girardus autem, in medium allata vetustissima charta, ferri candentis judicium petiit. Hanc litis formam repudiavit Gaudinus, et evasit. Paulo tamen post, aut versus ad pœnitentiam, aut civilem jurisdictionem, ecclesiastica spreta, formidans Gaudinus, Girardum ad se vocavit, et, fœdere peracto, Artisiacum suo jure liberum

dixit. Paci quidem consulens abbas, ablatam colonis prædam prædatori condonaverat. Eidem, anno 1104, VIII id. Aprilis, Benedictus, Nannetensis episcopus, confirmavit monachorum bona in Nannetensi diœcesi. Memoratur præterea Girardus, anno 1104, concordiam iterum pangens cum monachis S. Nicolai. Eodem anno, tertia feria Pentecostes, Hubertus de Duristallo prædium ei tradidit juxta Guilcium, appellatum terram Hugolini, e chartulario Guilcii, et, IV idus Decembris, Geoffridus Martellus junior Prunarias nemus restituit. Anno tandem 1105, VI idus Decembris, occurrit Girardus, in supra laudato Guilcii chartulario, confirmationem obtinens dimissorum *parrochitanorum* a Guillelmo de Ulliaco. In chartis insuper quæ notis carent chronicis legimus Girardum inter alia accepisse : a Fulcone *de Mathefelon*, ecclesiam in villa Cripta sitam; a Rainaldo canonico, capellam S. Petri Petriniacensis; ab Ermangarde, Lusdii vice-comitissa, decimam Logorum nemoris; a Rorgono, filio Geoffridi, decimam pedagii Legionensis; a Guillelmo *Ribole* et ejus uxore, integram ecclesiam S. Petri Interrati, etc., etc. Decessit Girardus V id. Januarii; ex obituario S. Sergii, anno 1106.

Quidam inter annos 1082 et 1106 duos abbates ponunt, eodem nomine nuncupatos, sed infelici, ut videtur, conjectura.

XXII. Archambaldus ordinatur VIII idus Februarii 1106, e Chronico S. Albini. Qui, VII calendas Septembris, Balgiacum deveniens, pactus est cum Radulfo *Toard*, procurationem Brionii sibi vindicante. Eidem, anno 1107, restituit Haimericus, frater Guillelmi *Chesnels*, quæcumque dederat monachis Avesiaci Guillelmus, et ipse violenter abripuerat; ex archivo Cenoman. D. Ed. Bilardus. Exstant et eodem anno datæ, IV id. Junii, litteræ Pascalis papæ II, quibus Archambaldo confirmata quælibet monasterii bona. Is vero postquam munus sibi traditum aliquandiu gesserat, onus deposuit, utpote qui corporis infirmitate quadam laboraret. Tunc in Paganum Alerici conversa fratrum suffragia. Archambaldo tamen mox alia mens; nam nuper dimissum rursus ambiit honorem, et, ejecto Pagano, præfectura potitus est, auxiliantibus Rainaldo Andegavensi præsule, necnon Girardo Engolismensi, Romanæ sedis legatis. Geoffridus, Vindocinensis abbas, Pagano favebat. Lege Mabillonium, Chronicon S. Albini contrahentem; Ann. Bened. t. V, p. 495. Consulendæ præterea litteræ quas ad Pascalem papam II scripsit Geoffridus, dejecti causam pro viribus tuens; Epist. lib. I, epist. 6. Rem detulit Paganus ad Pascalem papam, cujus exstant litteræ ad Radulfum, Turonensem archiepiscopum, et coepiscopos Cenomanensem et Redonensem, quibus hanc sopiendam litem demandat; apud Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 48. Ab eis sancita videtur ejectio Pagani, quem, anno 1128, a Geoffrido Vindocinensi, ejus constante patrono, missum tum ad Girardum, Engolismensem episcopum, tum ad Honorium papam II reperimus; Epist. Geoffridi, lib. I, epist. 14, 27. Occurrit Archambaldus, XII cal. Novembris 1110, accipiens ab Helia, comite Cenomanensi, dimidium fructum nundinarum quas is nuper Fixæ instituerat; ex archivo Cenomanensi. Archambaldo dedit, anno 1111, Hugo, decanus Cenomanensis, ecclesiam SS. Gervasii et Protasii, Coloniis sitam : confirmavit idem insuper quæcumque jam antea possidebat Albinianus grex in Cenomanensi diœcesi; apud Th. Calvinum, Geogr., instr., p. 77. Anno 1112, Adelardum de Castro Guntherii ægrotantem Archambaldus adiit et ab eo plura accepit. Anno 1113, ind. VI, epact. 1, concurr. 2, VII cal. Julii, Archambaldus composuit super ecclesia S. Jovini Lusdensis cum Radulfo, S. Jovini abbate; e chartul. Ad eumdem scripsit, VIII cal. Junii 1115, Pascalis papa II, Urbani judicium de cellula S. Clementis confirmans. Vindocinenses enim ecclesiam S. Joannis, Albinianis ab eis datam, ut pax ageretur perpetua de S. Clemente, sibi vindicare postea studuerant, Urbani rescriptum defuncti perfringentes. Quos Pascalis Pontifex ad rei ratæ memoriam revocat. Anno 1117, III idus Martii, Hubertus de Campania, veniens in capitulum S. Albini, Archambaldo dedit decimam vectigalium quæ Duristalli percipiebat; e chartulario Guilcii. Eodem anno, IV non. Junii, Matthæus de Plesseiaco tradidit Archambaldo plura, inter quæ tantum secti roboris quantum asini quatuor, per singulos anni dies, sive Prunarias, sive ad locum qui dicebatur Austerus portare possent. Ejus dies trahunt chronographi ad 6 Novembris 1119. Legendum forsitan 1118.

Ch. XII, col. 152.

Guillelmus quidam a nonnullis nomenclatoribus post Archambaldum ponitur, anno 1119. Ii tamen Guillelmum hunc, de quo chartæ silent, somniavisse videntur.

XXIII. Hamelinus ab anno, ut videtur, 1118, quo plura jam S. Albino concessa juxta Castrum Celsum ei Fulco junior confirmavit; inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 540. Eidem, cal. Martii 1123, Adelardus de Castro Guntherii decimam condonavit portus sui. Anno 1124, ind. II, idibus Januarii, pactus est Hamelinus cum Petro, S. Sergii abbate, super aggere Varennæ constructo. Dein præsul Redonensis salutatus est, anno 1127. Ad eum tunc temporis abbatem Geoffridus Vindocinensis litteras direxit. Hamelino præfecturam agente, Septembri mense 1123, in claustro S. Albini Marbodus decessit : eodem anno, Decembri mense, obiit Girardus monachus, quem pia populi memoria catalogo sanctorum adscripsit.

XXIV. Robertus, quem Robertum dicunt de Turre Landerici, ejus patriam, non vero genus, ut videtur, exprimentes, suffragiis fratrum adlectus est, e Chronico, 15 Maii 1127, Hamelino successor datus Redonensem cathedram conscendenti. Non parum igitur a recta declinarunt via Sammarthani, qui Robertum Hamelini prædecessorem posuerunt. Quod manifestius erit e plurimis nomen Roberti præbentibus chartulis. Ordinatur calendis Octobris 1127; ex Albiniano Chronico. Idem, anno 1133, dimissam habuit calumniam quam Philippus de Basogiis moverat in quædam a Pagano Lunello tradita. Die 16 Septembris 1138, Samson *de Passavant,* miles, commune postquam monasterii beneficium, ut aiunt, acceperat, Roberto gratus in perpetuam eleemosynam Curti Campi nonnulla concessit, inter quæ locum ad ecclesiam aptum construendam; ex archivo Andegav. Eodem anno, v cal. Octobris, Briccius, Nannetensis episcopus, in capitulum monachorum veniebat, et Roberto confirmabat ecclesiam S. Martini super Uldonem; ex abbatiæ chartul. Eodem, VIII calendas Novembris, occurrit Robertus terram emens ibidem a Bernerio de Curto Campo; ex eodem archivo. Nec prætereundum quod hæc tradita legantur anno Ludovici regis VII, IV Ulgerii pontificis, Geoffridi Martelli XI, convenientibus his itidem notis in annum Christi 1138: unde Geoffridus comitatum videtur adeptus anno 1127, non vero anno 1129, ut quidam aiunt. Memoratur præterea Robertus, anno 1139, coram Geoffrido comite causam obtinens de Gosberto Alelmi, qui Priscinniacum sibi vindicabat; eodem anno, plura accipiens a Tetbaldo et Matthæo Aufredi, inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 578. Idem occurrit, IV idus Martii 1140, indict. III, in schedis ad Curtum Campum spectantibus, prædium impetrans aliud a quodam Goslcno. Eodem anno, x cal. Aprilis, per eum monialibus Nidi Avis ecclesiam Castellicii exstruere permissum, et ab eo, IX cal. Octobris 1141, Rotæ canonici degentes impetraverunt Andegavi sitam ecclesiam, eamdemque sub B. Mariæ Misericordiarum vocabulo fundatam. Anno 1142, de Campaniaco pepigit cum Pagano de Claris Vallibus et Hugone de Poceio; e chartul. Senex dicitur, VII cal. Aprilis 1143, in pacto cum monialibus Roncereii de prædio juxta Legionem; inter schedas *Housseau,* t. XII. Validam vero et diutinam senectutem sortitus est. Idem enim occurrit, anno 1145, componens cum Maria, S. Sulpicii Redonensis abbatissa. Eidem, anno eodem, tradebat Ulgerius episcopus domum quam Sodius presbyter Flexiensis exstruxerat, juxta ecclesiam S. Thomæ; ex Indice Cenom. Archivi. Roberto, sub idem tempus, Eugenius papa III cœnobii possessiones confirmabat; apud Th. Calvinum, instr. Geogr. Cenom., p. 82. Oc-

A currit præterea, anno 1146, transigens cum canonicis S. Martini de reditibus Villæ Chiriaci; apud *Housseau,* t. V. Eidem, Monasteriolo post longam obsidionem expugnato, Geoffridus comes, IV id. Junii 1151, Maironem restituit immunem. Eodem anno, Roberto morti vicinus Aimericus de Jallia domum suam tradidit; e chartul. S. Albini. Abbatiæ res confirmatas idem ab Eugenio papa III obtinuit, XVI cal. Decembris 1152. Decessit tandem, e Chronico S. Albini, 17 Aprilis 1154. Legendum forsitan 27; nam ejus necrologium Roncereii meminit IV cal. Maii.

B XXV. Hugo renuntiatur abbas 23 Maii 1154; e sæpe laudato Chronico. Eodem anno, transegit cum Bartoloto de Campiniaco, super administratione Campiniacenæ capellæ; ex Albin. chartul. Anno 1156, a Roscelino, vice-comite Bellimontis, quamdam decimam accepit. Postquam vero iter Romam fecerat, Hugo decessit 6 Aprilis 1157; ex abbatiæ Chronico.

XXVI. Guillelmus ordinatur anno 1157. Hoc enim anno, in vigilia Nativitatis Domini, armario S. Albini res quasdam contulit. Idem, XI cal. Octobris 1158, Guillelmo, C Cenomanorum episcopo, cœmeterium concessit exstruendum in parœcia *Chanflor,* quæ sub jure stabat S. Albini. Aderat, pridie calendas Augusti 1166, translationi corporis S. Brioci. Quo et anno pactus est de decimis cum abbate B. Mariæ de Aleis; ex arch. Cenoman. Memoratur idem, XVI cal. Junii 1167, testis initæ pacis inter Gervasium presbyterum et monachos S. Petri de Cultura. Paciscebatur ipse, anno 1171, cum Gilone, Andegavensi prætore, de rebus datis a Girardo de Dauleiis, et, anno 1172, cum Roberto vicario, super possessione S. Martini de Cellula, in D ecclesia Redonensi. Eum præterea testem reperies in charta de duello inter quosdam homines e monachorum familia, anno 1174. Eidem, anno 1176, memoriam delere studens damnorum a se monachis illatorum, Petrus de Brionio feodaliter tradidit molendinum *Monnat,* de quo jam annosa lis; ex arch. Andeg., in instrumentis Brionensibus. Occurrit, anno 1178, coram Roberto, Nannetensi episcopo, paciscens de quibusdam juribus cum capellano S. Nazarii; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 671. Posthæc, IX cal. Novembris 1182, prædium Joanni Gervasio sub censu E tradit; ex arch. Andegav. Guillelmum dein habes transigentem de quibusdam consuetudinibus cum Radulfo præsule, ante Bartholomæum, Turonensem archiepiscopum, in Anecd. Martenii, t. I, p. 593. Plurimis igitur Guillelmus occurrit litibus incumbens. Contendit tandem cum ipsis S. Albini monachis; ideo abbatiæ regimen dimisit inter manus Richardi ducis, anno 1189.

XXVII. Jacquelinus, abdicante Guillelmo, salutatur abbas, anno 1189. Accepit, Augusto

mense 1190, ab Huberto de Campania ligni quidquid comburendi poscebat usus monachorum Guileii degentium; e Guileii chartulario. Moritur idem IV idus Junii 1190; e Chronico S. Albini.

XXVIII. Geoffridus I, dictus *Billon*, ordinatur 15 Augusti, anno 1190; e supra laudato Chronico. Hic prioratui Flexiensi præficiebat, anno 1192, monachum nomine Manassen, ut memorat D. Ed. Bilardus, in Indice Cenoman. Archivi, part. 1, n. 292. Pactus est, anno 1198, cum Geoffrido *de Auvers*, milite, de quodam censu; e chartulario Guileii. Idem, anno 1213, interfuit judicio quo capitulum B. Mauricii litem diremit inter monachos Ebronienses et hæredes Martini *Chalopin;* inter codices *de Gaignières*, sub num. 205, p. 183.

XXIX. Geoffridus II *de Champlièvre*, alias *de Champ-Livré*, eligitur, ad fidem cujusdam chronographi, anno 1222; inter San-Germ. codices, sub num. 1065. Quibusdam vero placet Geoffridum *de Champlièvre* Geoffrido *Billon* anno 1210 successisse. Alii tandem Geoffridum *Billon* Geoffrido *de Champlièvre* suffectum asserunt. Quos arguunt errantes duæ chartæ ad Campigneium spectantes, in archivo Andegavensi, in quibus, annis 1231, 1233, Geoffridi tunc sedentis antecessor dicitur Geoffridus *Billon*.

Castellum Andegavense urbemque novo claudens opere Ludovicus rex vineas monachorum vastaverat, eorumque domos diruerat, nec parcens, ad comparandum lignum, nemoribus S. Albini. Ideo G. tradidit, anno 1232, sexcentas libras Turonenses, pro damnorum illatorum emendatione; e Thesauro Chartarum.

XXX. Guillelmus II de Berria, senior, sedit ab anno, ut videtur, 1234. Quo anno decretum edidit de translatione canonicorum S. Laudi. Anno 1242, transegit cum Lucia *de Mathefelon* de molendinis Guileii sitis; e chartulario Guileii.

XXXI. Guillelmus III de Berria, junior, antecedentis nepos, ab anno, ut aiunt, 1250. Is rem monachorum egregie curavit. Morbo tandem laborans munere semet abdicavit anno 1268, ut litteræ testantur Nicolai præsulis ei de pensione solvenda. Obiit 25 Decembris.

XXXII. Guillelmus IV *Poullart*, occurrit, anno 1269, paciscens cum priore Domus Dei Salmuriensis; inter chartas ad Campigneium spectantes, in arch. Andegav. Abdicavit dein abbatiam, retento Maironis prioratu, ut nos docet charta vulgari sermone conscripta, quam D. P. *Marchegay* publici juris fecit. Obiit tandem 22 Februarii 1277.

XXXIII. Nicolaus *Bernouin*, abbas e priore Castri Guntherii, approbavit, anno 1274, commutationem initam inter priorem Loquanaci Templariosque Vadum *Eliant* incolentes;

A ex Indice Cenom. arch., quem D. Bilardus digessit. Testatus est, anno 1275, Guillelmum, antecessorem suum, Odoni decano tradidisse locum *Bellingan;* apud *Housseau*, t. VII. Occurrit usque ad annum 1297, in instrumentis ad prioratum *Fresnay* spectantibus, quæ servat archivum Andegavense. Capitulum generale coegit anno 1279. Decessit die 7 Januarii.

XXXIV. Joannes I *de Mosay*, aut *de Mozé*, agnovit, anno 1301, censum annuatim capitulo S. Mauricii persolvendum, ob domum in suburbio S. Albini sitam; apud *Housseau*,

B t. VIII. Eum insuper pluribus in chartis invenies annorum 1302, 1305, 1307, 1309, 1317, in archivo Andegavensi. Obiit id. Martii.

XXXV. Joannes II *Bourrel*, alias *Bonnel*, eligitur ineunte anno 1319, ut constat e litteris capituli ad Andegavensem episcopum ejus de confirmatione peragenda; apud *Housseau*, t. XIII. Reperitur in chartulario, die sabbati post Resurrectionem Dom. 1327.

XXXVI. Gervasius *Medy*, alias *de Petit-Chien*, ab anno, ut opinantur, 1327. Occurrit in tabulis annorum 1329, 1331, 1338,

C 1339. Plura condidit statuta. Obiit cal. Martii.

XXXVII. Petrus I *Malemouche* ab anno 1339 in annum 1345, ad fidem non unius chronographi. Id circa tempus non parum intricata series abbatum S. Albini. Obiit idibus Junii.

XXXVIII. Petrus II *Bonnel*, decretorum doctor, ab anno, ut videtur, 1345 usque ad annum 1349, quo diem obiit supremum, peste consumptus, 17 Septembris.

XXXIX. Joannes III *de la Bernichère*, decretorum doctor, e S. Sergii monacho eligitur abbas 3 Octobris 1349, et 22 Decembris

D consecratur. Quo anno plateam et hortum Guileii sita sub census lege tradidit; e chartulario Guileii. Obiit non. Julii.

XL. Albericus occurrit, anno 1361, inter curatores testamenti Petri, cardinalis *de la Forest;* apud Corvæserium, Hist. Episc. Cenom., p. 581.

XLI. Joannes IV post Albericum, ut videtur, cui mandavit Carolus rex, anno 1369, ut privilegia S. Mauricio antiquitus concessa attentius investigaret; apud *Housseau*, t. VIII. Idem, jussu Gregorii papæ, anno 1371, inquisitionem fecit de meritis et mi-

E raculis Caroli Blesensis, quondam ducis Britanniæ; apud Moricium, Prob. Hist. Brit. t. II, col. 1. Decessit Joannes anno 1375.

XLII. Petrus III, Volliri prior in Magalonensi diœcesi, abbas S. Albini litteris instituitur apostolicis, VI cal. Decembris 1375; apud Suaresium. A Clemente papa VII mitram obtinuit. Anno vero sequente, III non. Octobris, S. Albinum deseruit, monasterio Psalmodiensi, in Nemausensi diœcesi præfectus.

XLIII. Petrus IV *de la Peruche*, alias *de la Perouse*, abbas antea S. Severi Constantiensis, præfecturam S. Albini suscepit anno 1376. Testis adlectus est, 6 Maii 1384, a Ludovico, Neapolitanorum rege, matrimonium filii sui comprobante. Ad S. Trinitatem Vindocinensem traducebatur II non. Augusti 1385, a Clemente papa VII; vide supra, t. VIII, col. 1373.

XLIV. Theobaldus *Ruffier* ab anno 1385. Capitulum coegit 2 Martii 1386, secundum recentem calculum. Dein occurrit, 2 Martii 1407, in chartis ad prioratum Croptæ spectantibus. In compensationem quorumdam censuum quos mensæ suæ adnectit, conventui dat, 28 Decembris 1409, mitram gemmis ornatam et alia plura ornamenta. Obiit Theobaldus 17 Julii, anno, ut opinantur, 1412; in alio quodam necrologio memoratur mortuus VI cal. Novembris.

XLV. Guido II *de Baïf*, ex abbate B. Petri de Cultura a domino papa monachis præficitur Albinianis, anno 1412. Occurrit, anno 1417, inter executores testamenti Ludovici, Andegavensis comitis. Obiit 6 Novembris 1442; ex ejus epitaphio.

XLVI. Petrus V *More*, e priore B. Mariæ Magdalenæ abbas eligitur 27 Novembris 1442 : qui obiit 15 Martii 1445; ex ejus epitaphio.

XLVII. Lucas *Bernard*, prior S. Remigii de Varenna, abbas eligitur 4 Aprilis 1445. Transegit de vineis, 4 Martii 1447, cum Eleemosynariæ fratribus, et, 2 Martii 1460, cum Mellinensi abbate. Decessit 28 Februarii 1463, et sepultus est juxta aram S. Claræ.

XLVIII. Guillelmus V de Maironio a fratribus, Luca mortuo, eligitur. Audito vero Lucæ decessu, Pius papa II Petrum, decanum Andegavensem, vacantem sedem adire jubet, x cal. Aprilis. Aliquantisper igitur de præsidatu decertatum. Tandem Guillelmus cessit de jure suo, votis obsequens Renati, Siculorum regis, et ei suffectus est Petrus, frater Joannæ Lavallensis, quam Renatus uxorem duxerat.

XLIX. Petrus VI *de Laval*, decanus, ut supra dictum est, Andegavensis, abbatiam a rege in commendam accepit. Archiepiscopus ille Remensis ab anno 1473, abbas idem S. Nicolai et S. Mevennii, decessit 14 Augusti 1493; ex ejus epitaphio. Archiepiscopos Remenses consule, t. IX, col. 140.

L. Joannes V *de Tinteniac du Percher*, Legionis antea prior, eligitur a capitulo 2 Septembris 1493, et consecratur 8 ejusdem mensis. Occurrit, anno 1500, in loco *Percher* capellam condens in honorem S. Albini, et, anno 1508, litigans de solvendis nummis cum prioribus locorum sub S. Albini tutela positorum. Abdicavit munus, anno 1522, in gratiam sequentis, et decessit 8 Julii 1525, ut testatur ejus epitaphium. Electus Joannes
A fuerat; fuit ergo regularis. Reperies eodem tempore Franciscum *de Rohan*, archiepiscopum Lugdunensem et commendatarium rectorem S. Albini; supra, t. IV, col. 181.

LI. Helias *de Tinteniac*, antecedentis nepos, filius Simonis, domini *du Percher*, et ipse regularis. Per procuratorem interfuit, 22 Junii 1528, Turonensi concilio. Obiit 26 Aprilis 1535; ex ejus epitaphio. Helia usus est vicario Joannes præsul.

LII. Carolus I *de Hemard Denonville*, cardinalis Matisconensis, commendatarius abbas. Obiit 23 Augusti 1540. Idem præfuit
B S. Petro Carnotensi.

LIII. Carolus II *de Pisseleu*, episcopus Condomiensis, ab anno 1541 ad annum 1564, quo vitam exuit. Vide supra, t. II, col. 968.

LIV. Eustachius *du Bellay*, episcopus Parisiensis, ab anno 1564 ad annum, ut videtur, 1567.

LV. Petrus VII *de Gondy*, cardinalis, episcopus Parisiensis, ab anno 1567 ad annum 1598, quo cessisse dicitur in gratiam sequentis. Vide supra, t. VII, col. 165.

LVI. Joannes VI Franciscus *de Gondy*, antecedentis nepos, primus Parisiorum ar-
C chiepiscopus. Obiit anno 1654.

LVII. Golacterius *de Marca*, filius Petri, archiepiscopi Parisiensis. Eo regente, 4 Octobris 1660, monachi reformationem admisere. Decessit 11 Februarii 1689, Moneinii, in Benearno.

LVIII. Carolus III Mauricius *Le Pelletier*, idem qui inter sodalitatis Sulpicianæ præpositos generales recensetur, abbatia donatur a rege 11 vel 13 Martii 1689. Frater fuit Michaelis, Andegavensis episcopi. Ab anno 1731 ad annum 1741 abbas nullus in Calendario Regio Albinianæ congregationi præfec-
D tus legitur. Abbatiales reditus procuratores perceperunt.

LIX. Ludovicus Guido *Guérapin de Vauréal*, episcopus Redonensis, ab anno 1741 usque ad annum 1760, quo 17 Junii obiit. Rursus ab eo tempore usque ad annum 1766 procuratoribus abbatialis rei administratio demandata fuit.

LX. Jacobus *de Grasse*, episcopus Andegavensis, anno 1766 fit abbas S. Albini, et munus adit Julio mense 1767. Sedit usque ad annum 1781.

LXI. Joannes-Baptista *Duplessis d'Argen-*
E *tré*, episcopus Sagiensis, ab anno 1781 ad annum 1790.

S. FLORENTIUS.

S. Florentius, S. Floriani frater, insignem tenet locum in martyrologio Gallicano. Ejus de patria, genere, moribus et miraculis plura in sanctorum confessorum fastis memorantur. Quæ tamen prætermittemus, in id

unum intenti, quod, anno circiter 390, in monte Glonna degens Florentius, ad humanæ peregrinationis terminum pervenit iterque ad alteram patriam supremum carpsit. Glonna mons, in extremis Andegaviæ partibus, Ligerim despicit graves arena ad mare Britannicum undas ægre propellentem. Asper olim hic locus, et incolis vacuus. Ad S. Florentii tumulum dein nonnulli devenerunt, ejusdem eremi pari studio cultores. Inter quos Maurontius dicitur quosdam ad legem communis vitæ coegisse, septimo sæculo ad exitum decurrente. Albaldus, anno 799, disciplinam regularem hospitibus Glonnæ rursus, ut aiunt, imposuit : ab eo siquidem cœpit strictior Benedictinæ regulæ observantia, eoque regente amplissimis opibus cœnobium elatum est. Profertur enim Caroli Magni diploma, quo *monasterium a fundamentis marmoreum* præpotens imperator semet construxisse commemorat. Secundam clara domus fortunam habuisse videtur usque ad tempora Nomenoii Britanni, qui, Caroli regis odio, dum monachi regi faverent, accessit, spretæ vindex auctoritatis, et monasterium in cineres redegit. Britannicum illud excidium anno 849 adscribitur. Nec multo post irruere Normanni, qui refectas ædes iterum iterumque vastavere. Horum vero in vacua tecta furor desæviit : monachi sedenim, certiores facti Normannos advenire, et, Nannetibus captis, Andegavo flammas minitari, exsules in Burgundiam secesserant.

Decimo sæculo ineunte, ad Theobaldum comitem refertur S. Florentii reliquias e Trenorchiensi monasterio fraude pia fuisse delatas. Qui Glonnensibus ruinis tutiorem locum, in quo pretiosissima conderentur ossa, requirens, collem natura et arte munitam elegit, castrum scilicet postea Salmuriense dictum, ibique nobilissimam exstrui jussit ædem claustraque a monachis habitanda. Consummata consecratur basilica 2 Maii 950. Duodecim monachos, qui cæteros docerent, in nova claustra Floriacensis abbas a Theobaldo rogatus misit. Ea fuerunt Salmuriensis monasterii non obscura quidem initia. Mox hostem Normannis pejorem patitur S. Florentius, anno 1025. Salmuriensis enim castri muros, ubi toparchæ Blesenses imperabant, Fulco Nerra præsidio nudos invadit. Irruenti cives obstant, obstant et monachi, B. Docellini corpus post quassatas machinis portas trahentes, cœlumque exorantes ut Blesensi comiti parceret, Andegavensemque feriret. Portæ vero mox fractæ cadunt, expugnatur castellum et flammis traditur, ipsamque S. Florentii basilicam, necnon ædes monachorum, ignis exhaurit. Consilium Fulconis erat ut ardentibus ejectos e mœnibus monachos Andegavum secum traduceret. Hi vero pro parte victa stantes, Salmuriensibusque præfectis, adverso vel Marte contritis, firmius adhærentes, in proximam sui juris ecclesiam plerique secesserunt, et restaurandis concremati monasterii parietinis manus admoventes, partem quamdam ædificiorum mox refecerunt, quam, sex monachis ibi primum constitutis, consecravit Hubertus, Andegavensis præsul. Postquam autem Geoffridus, filius Fulconis, dono patris Salmuriense castrum obtinuerat, cœnobium monachi construere cœperunt alterum, anno 1026, prope Campum Spinosum, dirutis non procul ab ædibus, sed in tutiore et lætiore loco, quem Thoerii fluminis undæ rigabant. Quibus novas aggredientibus ædes Geoffridus adversatus est, cassasque cernens abire minas, sex monachos, veteris, ut diximus, domus incolas, in fugam vertit locumque sex canonicis tradidit. Unde lis exorta, cujus diversas vices referre operæ pretium non est. Interea tamen surgebat opus recentioris cœnobii, in quod S. Florentii corpus monachi transtulerunt, VI nonas Martii 1030. Elapsis dein aliquot annis consecratum est, 15 Octobris 1041, præsentibus, inter cæteros, Arnulfo Turonensi, Huberto Andegavensi, necnon Gualterio Nannetensi.

Singula quæ ad tanti nominis abbatiam pertinent hic ne summatim quidem enarrare licet. Ea domnus Joannes *Huynes*, S. Florentii prior, exquisitissime descripsit : cujus etsi prælo non hactenus datum sit opus, quærentibus tamen promptum est, cum tum in Andegavensi archivo, tum in Maxima Parisiorum Bibliotheca, inter Residuos S. Germani codices, pluries transcriptum aut abbreviatum asservetur. Floruit Salmuriensis domus usque ad tempora commendatariorum abbatum. Hi vero rem conventualem quasi penitus pessumdedere. In abbatiam tandem intromissi, 14 Decembris 1639, sodales S. Mauri, lapsam reparaverunt disciplinam : ab ea tamen reformatione minor evasit, tam Glonnæ quam Salmurii, monachorum numerus; qui nempe Salmurii sex et triginta antea numerabantur, postea tantum duodecim decemve fuere. De ea re doluit domnus Rogerus, in sua Andegaviæ Historia. In Andegavensibus synodis, abbas S. Florentii primus a sinistra præsulis sedebat.

Præter Historiam a domno Joanne *Huynes* conditam, lege Michaelis abbatis annales, apud Rer. Gallic. Scriptores; celebre S. Florentii Chronicon, apud Martenium, Ampliss. Collect., t. V, et chartularia S. Florentii plura quæ præbet archivum Andegavense. Nec despicias compendiosam abbatum seriem, inter Baluzii schedas, arm. 2, fasc. 1, num. 2, t. II. Excerpta nonnulla ex abbatiæ tabulis insuper suppeditat codex Sangerm. 1066; plura vero Monasticon Benedictinum, t. XIV.

SERIES ABBATUM GLONNENSIUM.

I. S. Maurontius, vel Maurontus, floruit anno Christi 691. Decessisse legitur 8 Januarii 695. Post eum plures sedere quorum nomen excidit. Uno sæculo circiter elapso, occurrit

II. Albaldus, de quo sic Chronicon S. Florentii, apud Rerum Gallican. Script., t. V, p. 386 : « Anno 799, renovatur monasterii « ordo : fratres promittunt regulam sub Al« baldo, viro sancto. » Ejusdem meminit Carolus Magnus, in litteris quas Arnulfo sequenti tradidit.

III. Arnulfus, post annum 800; cujus tempore Carolus imperator ecclesiam S. Salvatoris et S. Florentii consecrari jussit. Arnulfum Mabillonius memorat anno 825 defunctum; Annal. Bened. t. II, p. 496. Has autem temporis notas refellit diploma Frotberto concessum.

IV. Hilboldus, post Arnulfum, ad unius Chronici fidem. Arnulfum et Hilboldum eosdem Herensi, vel Nigro Monasterio, simul præfuisse Mabillonius opinatur; ibid. Verisimilius nobis videtur Arnulfo Glonnensi plura perperam tribui quæ spectant ad Herensem. Sic Herensis ille forsitan anno 825 moritur, neutiquam vero Glonnensis. Adde quod Herensi certe successit Hilboldus, dum nullius Hilboldi Glonnensis domus tabulæ meminerint. Si quis autem Glonnensibus Hilboldus tunc præfuit, hic, Mabillonii pace distinguatur ab Herensi. Herensis nempe vitam ad annum 852 instrumenta non despicienda trahunt, ut legitur supra, t. II, col. 1427; Glonnensis autem ante annum 824 e vivis sublatus.

V. Frotbertus enim, hoc ipso anno 824, 30 Junii, præceptum a Ludovico rege obtinuit, quo monachorum Glonnæ degentium jura sancita; apud Rer. Gallic. Script., t. VI, p. 537. Frotbertus in eo diplomate legitur ex Italia redux, quo rex eum antea miserat.

VI. Ansaldus memoratur in Pippini privilegio, Glonnensium immunitates ad Didonis precem confirmantis; Rer. Gall. Script., t. VIII, p. 360.

VII. Gauzbertus; ex eodem privilegio.

VIII. Dido primum innotescit, anno 843, e diplomate Caroli Calvi, quo Poziacum, villam Andegavensem, in beneficium Glonnensibus monachis concessit, sub ratione cujusdam census S. Mauricio persolvendi. Eidem Pippinus, Aquitaniæ rex, VI cal. Junii 847, indict. x, anno regni sui nono (1), jam data confirmat privilegia, successores suos obtestans ut, « perseveranter in omnibus sæcu« lis idem locus sub regali maneat defen« sione, cum omnibus suis rebus quas *An« saldus et Gauzbertus, abbates ejusdem loci,* « sub suorum potestatibus tenuerunt. » Anno 848, Didoni Carolus rex largitus est villam Nimiacum in Cenomanensi pago, necnon S. Joannem in Andegavensi; Rer. Gall Script., t. VIII, p. 405. De Nimiaco prædia quædam Dido detraxit et in commutationem tradidit Gauzberto militi, accepturus ab eo res quasdam juxta Criptas Mironemque. Carolus rex id pactum probavit, 15 Januarii 849; apud *Housseau,* t. I. Tunc Nomenoii furor in Glonnenses desæviit. Legitur Dido post Britannicam cladem in ædes S. Joannis secessisse ibique obiisse.

IX. Radulfus occurrit 8 Junii 849, a Carolo rege ratam accipiens cellam S. Joannis; apud Rer. Gallic. Script., t. VIII, p. 501.

X. Hecfredus res quasdam commutavit cum Drogone, milite, et ejus uxore, Sanctia. Idem, XVII cal. Februarii 866, a Carolo rege poposcit ut exsulantibus e monte Glonna monachis daretur locus in quo venerabile S. Florentii corpus deponerent. Ei rex illico confirmavit jam Didoni datam cellam secus Ligerim, in pago Biturico, nomine Nobiliacum, in qua S. Gundulfus colebatur humatus; Rer. Gallic. Script., t. VIII, p. 597. Ultimus Glonnensium abbatum is fuit, nisi Radulfus, alter numero secundus, depulsis et ipse fratribus ad annum saltem 881 præfuerit. Hic enim apud Rerum Gallic. Script., tom. IX, p. 422, e Libro Nigro S. Florentii, legitur anno Carlomanni tertio, indict. XIV, quæ temporis notæ concordes annum 881 declarant, a prædicto Carlomanno confirmatam rursus accepisse cellam Nobiliacum S. Gundulfi. Unius tantum Radulfi meminit Joannes *Huynes.*

ABBATES SALMURIENSES.

I. Helias I primus recensetur inter cœnobii Salmuriensis abbates. Nec diu præfuit. Cum enim ad Theobaldum comitem iter aliquando fecisset, cum eo sermonem habiturus, re peracta rediit ad suos. Sed, inter redeundum, corruens ex equo cecidit exanimis, annum circa 956. Obiit III id. Martii. Quidam hunc Andegavensem patria memorant, Duadi natum.

II. Amalbertus, monachus et ipse Floriacensis, Heliæ successit anno 955, e Chronico S. Florentii. Is, anno 958, cum nobilium Francorum et Britonum fieret conventus in vico Verrone, supplex adiit convenientes, et ab eis impetravit confirmationem privilegiorum omnium quæ regalis olim auctoritas S. Florentii meritis indulserat; e schedis *Housseau*, t. I. In antiquis legitur chartariis quam multa, eo abbate, Salmuriensi monas-

(1) Has proposuere chronicas notas Mabillonius, Ann. Ben. t. II, p. 674, et Buquetius, Rer. Gallic. Script., t. VIII, p. 360. Eas autem D. Paulus *Marchegay* infelicissime correxit (Archiv. Andeg., t. I, p. 238), supra memoratum diploma Pippino II tribuens et ad an. 860 ducens. Dido sedenim tunc jam diu decesserat, et indictionis annus decimus plane cum anno 847 concordat, nec vero cum anno 860.

terio allata fuerint incrementa. Inter præcipua memorentur quæ Turonensis archiepiscopus Harduinus, annis 968 et 969, tradidit; ex eodem. Et quidem Amalbertus abbas Alberto, abbati S. Albini, vineam quamdam dedit anno 972, sub ea tamen conditione, ut si, labentibus annis, vel ad canonicos, vel ad laicos abbates S. Albinus transiret, cassum fieret donum. Notandum insuper quoddam Tetbaldi comitis testamentum, Amalberto concedentis, anno circiter 973, ecclesiam S. Lupantii in suburbio Cainonis castri. Cui traditioni Harduinus archiepiscopus annuit; apud Marten., Thes. Anecd., t. I, p. 91. Nec minus Amalberto favit Odo comes. Cum enim clamarent Salmurienses privilegia sua quotidie violari, sibique novas exactiones, legis nomen mentitas, imponi, curam Odo suscepit ne diutius prægravarentur, et Februario mense 978, vel 979, explanatius edixit quot et quantas S. Florentius ratas immunitates haberet; ex Anecdot. Thes. Martenii, t. I, col. 94. Occurrit tandem Amalbertus, anno 982, in Libro Nigro S. Florentii, fol. 38, prædium sub censu tradens Insulæ Burchardi situm. Admotus est Amalbertus ad Floriacensis monasterii præfecturam, cum quartus vicesimusque decurreret annus a quo Salmuriense regebat. Utriusque loci dicitur archimandrita usque ad exitus sui diem, III idus Aprilis, anno, ut videtur, 985. Quære supra, t. VIII, col. 1547.

III. Rotbertus, Amalberto suffectus, temporalibus abbatiæ bonis sedulo consuluit, ut nonnullæ testantur chartulæ chronicis carentes notis. Litigavit, 2 Junii 994, coram Andegavorum episcopo Rainaldo, contra monachos S. Mauri, Salmuriensis rei invasores, et in ea causa vicit; apud *Housseau*, t. I. Eodem anno, Augusto mense, prædia quædam commutavit cum Thoarcensi toparcha Aimerico; ibidem. S. Michaelis in Eremo cellam tunc temporis sub beneficiario jure tenebat prædictus Aimericus: qui, ut erat S. Florentio devotissimus, Guillelmum Pictaviensem adiit, et ab eo suppliciter petiit ut sibi liceret hanc cellam abbati Rotberto concedere. Nec abnuit Guillelmus, et inde prioratus S. Michaelis ad Salmurienses transiit. Hujusce donationis chartam edidere jam antecessores nostri, t. II, Instr., col. 410, sed sine certa temporis nota: eamdem Augusto mensi 994, e Libro Nigro S. Florentii, nuper adscripsit D. Paulus *Marchegay;* Arch. Andeg., t. I, p. 246. Memoratur insuper Rotbertus pacta feriens de juribus prædiisve, cum Gelduino, Salmuriensi domino, cum Drogone Walthario que. Nonnullos expertus monachorum possessionibus insidiantes, quos inter Waltharium modo memoratum, ad restitutionem ablatorum eos compulit. Nec sileamus de Fulcone Nerra, consule, qui vectigalibus postquam S. Flo- A rentium plurimis oppresserat, Rotberti precibus obsequens injuste petita dimisit, anno circiter 1000; e Libro Nigro, fol. 26. Exstat Joannis papæ privilegium, anno datum 1004, Aprili mense, abbate Rotberto, in quo recensetur series rerum tunc ad S. Florentium pertinentium; apud Sammarthanos. Adelardo presbytero tradidit Rotbertus, Maio mense 1006, dimidiam ecclesiam S. Joannis de Daneziaco. Ab anno tamen 1002 jam Miciacensibus monachis, in Aurelianensi ecclesia, præpositus reperitur; supra, t. VIII, col. 1531: unde comprobatum habemus eumdem B utrinsque cœnobii clavum insimul tenuisse. Decessit Miciaci, VI idus Augusti 1011.

IV. Adhebertus, patria Cainonensis, quem Amalbertum II quidam nuncupant, gestis minus quam exitu notus est. Cum enim, infirmitate laborans, in ædes S. Lupantii secessisset, monachus quidam in cœnobio S. Florentii a puero nutritus, Geraldus nomine, genere nobilis, forma conspicuus, sibi patronos inter fratres et laicos quærere cœpit, a quibus ad monasterii regimen proveheretur. Adheberto postea vitam exuente, congregatio in tres partes divisa. Notabilior inter Geraldo C adversantes Gilduinus erat, Salmuriensis castri toparcha. Cujus mox favorem sibi conciliavit Geraldus, ei promittens S. Florentii quædam bona, atque sic abbas evasit. Hujus dissidii memoriam servavit charta in schedis domni *Housseau* legenda, t. II, n. 360. Decessisse dicitur Adhebertus VI id. Aprilis 1013.

V. Geraldus, patria Pictaviensis, ab Alano Britonum duce confirmatam habuit ecclesiam Livriaci, quam, abbatis Rotberti tempore, Ganzfridus marchio Salmuriensibus concesserat; e Probat. Hist. Brit., t. I, D col. 381 (1). Cum vero Geraldus monasterii prædia in quascumque manus spargeret, ut se privati memorem præberet beneficii, suis semet ægre bonis defraudari ferentes monachi Romam profecti sunt, et coram summo Pontifice planctum de perditis abbatiæ rebus edidere. Postmodum Geraldus, ad transmarinas pergens oras, necatur in itinere Hierosolymitano.

VI. Fredericus Geraldo suffectus fuit 27 Augusti 1022. Patria Fredericus erat Turonensis, e servili domo natus, qui monachum apud Majoretanos induerat. Eum cal. Sep- E tembris Hubertus præsul Andegavi consecravit. Mox inter eum et nonnullos Salmuriensium cellarum priores acerba dissidia; e quibus Gualo, Glonnæ prior, novum abba-

(1) Hujusce donationis chartam præbent plures e S. Florentio translati in archivum Andegavense codices. Quam, in nomen donantis solum intentus, D. Moricius anno 1038 circiter adscripsit. Hoc autem anno Geraldus jam non erat superstes. Annos inter 1014 et 1022 eamdem nuper ponendam autumavit D. Paulus *Marchegay* (Arch. Andeg. t. I, p. 260); nec obstat donantis nomen; nam Geoffridus, Alani pater, anno 1008 decesserat.

tem obseratis januis excepit, initam ob rebellionem non multo post pœnas daturus. Dein Fulco, comes Andegavensis, adest, qui bellum adversus Salmuriensem toparcham movens, militibus vacuum ingreditur castellum et incendio tradit. Flammis jam monasterii muros circumlambentibus, Fredericus S. Florentii venerabile corpus, annuente Fulcone, Andevagum navigio deferri jubet. Cum vero Trevas sacras exuvias secum asportantes monachi devenissent, prohibente cœlo ultra ne viam facerent, immotæ protinus hæsere naves. Inde Salmurium, inito consilio, quidam e monachis redeuntes, in ecclesia S. Hilarii pretiosum onus fessi deposuerunt; cæteri vero, duce Frederico, ad montem Glonnam semet recepere. Aderat Fredericus, anno 1036, dedicationi cellæ Glannafoliensis; apud D. P. *Marchegay*, Archiv. Andeg., t. I, p. 378. Ei contulit, anno 1040, Geoffridus comes, Fulconis filius, tributa S. Georgii. Memoratur præsens, eodem anno, dedicationi S. Trinitatis Vindocinensis. Quod circa tempus transegit cum Waltherio, S. Albini abbate, de decimis Chiriacensis ecclesiæ. Anno 1041, die 15 Octobris, basilicam S. Florentii novam consecrabat, adstante Frederico, Turonensis archipræsul Arnulfus. Anno 1043, Frederico concessit Agnes, olim Pictaviensis comitissa, villam dictam Fossas, antea Beltronum, vel Bettronum, in agro Pictaviensi : quam, eodem ipso anno, ratam habuerunt donationem Petronilla, S. Crucis abbatissa, Constantinus, Metullensis viarius, et Guillelmus V, Pictaviensis comes. Eidem plura a diversis concessa, a Guillelmo scilicet de Passavanto, ab Ebroino, filio Ebrardi, a Girorio Berlaio, Monasterioli domino, etc., etc., quorum tabulæ Salmurienses meminere, abbatis autem nomen prætermittentes, aut temporis notam. Eum denique Liber Niger præbet, anno 1015, molendini cujusdam partem juxta S. Clementinum ementem. Multum de Frederico sermonem fecit D. *Huynes*. Decessit IV cal. Octobris 1055; e calend. S. Mauricii. Ejusdem II cal. Octobris Roncereii martyrologium memoriam commendat.

VIII. Sigo, monachus antea Majoris Monasterii, præfecturam adeptus est III cal. Novembris 1055; e Malleacensi Chronico. Occurrit quidem, anno 1057, ab Hervæo, Burchardi filio, ecclesiam accipiens *Trembleit* dictam, ut eam in prioratum mutaret. Dein, XII cal. Aprilis 1059, vel 1060, impetravit a Guidone et Adhemaro de Rupe Fulcandi prædii cujusdam partem in pago Briesensi, mediamque ecclesiam S. Georgii de Culturis. Alteram ejusdem ecclesiæ partem, V cal. Aprilis, Alaodis eidem tradebat. Eodem anno 1060, Adhemarus et Guido prædicti Sigoni largiti sunt ecclesiolam castro suo contiguam, et per eosdem Guillelmumque,

A Engolismensem episcopum, licuit ut ibi Salmurienses prioratum constituerent; e Libro Nigro S. Florentii. Eidem, anno 1061, Geoffridus Barbatus, castellum condonabat, quod, magnæ molis opus, avus et avunculus in monte Glonna exstruxerant; ibid. Eodem anno, Sigo litigavit cum Geoffrido, filio Berardi, de prædio quodam juxta Salmuriense castrum; ibid. Ei postea Geoffridus Barbatus dimissa condonavit, anno 1062, omnia vectigalia quæ diversis sub nominibus Geoffridus Martellus colonis S. Florentii imposuerat. Occurrunt et plurimæ sine chronicis B notis chartulæ, quibus Sigoni tradiderunt, inter cæteros, Isambardus Thoarcensis ecclesiam S. Joannis in Palude, Wido de Valle Coloris ecclesiam S. Clementini, Adhelelmus de S. Doado jura quædam in parochia S. Georgii, Radulfus Florentinus ecclesiam Danazeii et adjacentia plura, etc., etc. Majora post aggressus, Geoffridum Barbatum, silvam S. Lamberti dimittere nolentem, quam suo sub jure fratres olim tenuerant, ad judicium Dei adeundum Sigo compulit, 30 Julii 1066, et ex ea causa victor evasit. Omnium quæ hac in re gesta sunt amplam C scripsit narrationem, nec injucundam lectu D. Paulus *Marchegay*, in opere cui titulus : *Archivum Andegavense*, t. I, p. 433. Anno 1067, Sigoni Guillelmus vice-comes confirmavit ecclesiam S. Martini de Ponte, in agro Santonensi. Quo et anno, vel sequente, nempe V idus Martii, Sigonem convenerunt Stephanus cardinalis, apostolicæ sedis legatus, Bartholomæus, Turonensis archipræsul, et alii plures episcopi Britonum abbatesve, qui judices consederunt litis inter S. Florentii monachos et canonicos in veteribus monachorum ædibus a Fulcone comite constitutos; D e Sammarthanis. Annum 1069 præbet singularis chartula de Missali quodam a Sigone Thoarcensium toparchæ tradito; apud *Housseau*, t. II. Aimericus, Thoarcensis vice-comes, a monachis Missale petierat; quod, ut erat maximi pretii, aliquandiu tradere recusaverunt, donec, minis Aimerici perterriti, quemdam e fratribus mitterent ad Thoarcense castrum, qui voluminis dono tantopere defleti jam præcipitem in iras vice-comitem sedaret. Hic vero precibus et idoneis argumentis Aimericum eo compulit, ut, munus accipiens, semet id petiisse diceret in eccle-E sia reponendum quam Casæ ædificare cœperat, et daret illico fidem se nullis unquam monachis prædictam ecclesiam nisi S. Florentii sodalibus traditurum. Occurrit tandem Sigo, 2 idus Aprilis 1069, vel 1070, in charta Wiennæ, monachis S. Florentii vendentis quartam partem ecclesiarum S. Petri et S. Joannis. Decessit hoc anno 1070, II id. Junii, e Michaelis Chronico; Rer. Gallic. Script., t. XIV, p. 506. Sic in ecclesiæ Carnotensis martyrologio, inter Quercetanas

schedas, t. XXII : « II *id. Junii, ob. Sigo, factus ex clerico monachus, tandem abbas Salmuriensis monasterii.* » Ejus vitam scripsit Martenius, in Historia sua Majoris Monasterii manuscripta, t. I : de ejusdem operibus disseruere Benedictini sodales, t. VIII Hist. Franc. Litter.

IX. Guillelmus I, filius Rivallonis, Dolensis toparchæ, in Britannia, germanus ex utroque parente Joannis et Gilduini, primus vero natu, et ideo, secundum sanguinis legem, præcipuus patris hæres, amplissimi ruris opes et militaris vitæ spreverat oblectamenta, ut se totum, Deo vocante, Deo daret. Qui monachorum Salmurii suscipiens habitum S. Florentio Planam Filgeriam juxta S. Maclovium, et alia nonnulla condonaverat. Sigone vero moriente, fit abbas. Occurrit primum, anno 1070, a Geoffrido, Parisiorum episcopo, ecclesiam S. Desiderii et capellam Bruyeriarum impetrans; supra, t. VII, Instr., col. 36. Eidem, anno 1073, Quiriacus, Nannetensis episcopus, possessiones quascumque Salmurienses habebant in Nannetensi diœcesi confirmavit; apud Probat. Hist. Brit., t. I, col. 440. Magnus, anno sequente, strepebat in Salmuriensi claustro cœtus abbatum, S. Sergii monachis ecclesiam Campigniacensem, quam invaserant Albiniani, sibi vindicantibus. Inter judices litis sedit Guillelmus, xv cal. Novembris. Accepit, v idus Junii 1080, a Fulcone comite, omnes fructus S. Florentii Veteris. Quo etiam anno, eidem Raimundus, Vasatensis episcopus, ac Ranulfus de Gentiaco abbatiam S. Fremerii in Aquitania tradiderunt, ut monachos emendaret nimis dissolutam vitam viventes; e Libro Nigro S. Florentii. Idem circa tempus, nullius rei negligens Guillelmus Danazeium redemit, non minimi gradus ecclesiam, quam ad laicos abbas Giraldus, Hierosolymitanum iter aggrediens, transtulerat. Danazcianam postea villam et viculum adjacentem accepit Guillelmus, vi cal. Junii 1082, a Thetbaldo Florentino. Raimundum, Vasatensem episcopum, jam diximus in Salmurienses monachos beneficum : ab eo Guillelmus, eodem anno, S. Vivianum pluresque ecclesias impetravit. Ea erat Guillelmi abbatis fama, ut ad eum undique dona confluerent. Memoratur, anno 1083, Guido, comes Pictaviensis, capellam S. Salvatoris, in castello Ponte, Guillelmo tradens; nec multo post Guillelmus de Ussello Ussellensem ecclesiam, cum vico et colonis ibi commanentibus, et Constantinus Crassus ecclesiam sub nomine S. Gregorii papæ a se conditam. Ducem ipsum Apuliæ, Robertum scilicet Guiscardum, habemus, sub id tempus, xenia pretiosissima ad Guillelmum mittentem; ex Historia Michaelis abbatis. Anno 1086, v cal. Julii, Radulfus de Monte Rebelli Guillelmo dimisit quæcumque jura percipere solebat in territorio Glonnensis monasterii; apud *Housseau*, t. III. Nec multo post, Alanus Fergandus, Britanniæ comes, ecclesiam, quam Doli construxerat in honorem S. Florentii, pridie idus Julii Guillelmo dedit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 461. In tabulis anni 1087 occurrunt primo Geoffridus et Guido, Redonenses, paciscentes cum Guillelmo de decima Planæ Filgeriæ, VIII cal. Februarii; inter Prob. Hist. Brit. t. I, col. 462 : Silvester deinde monachus eidem, Augusto mense, prædium concedens in villa dicta Triguena. Hoc eodem anno desinente, vel, secundum recentem usum, anno 1088 incipiente, nempe XI cal. Martii, per Guillelmum monachis S. Albini tandem licuit oratorium ædificare parvulum in villa Chalgiaco. Ad hunc annum refertur Casæ donum, cujus abbas Michael meminit. Eam Guillelmo contulit ecclesiam Aimericus, Thoarcensis dominus, omnibus consuetudinibus liberam, et opulentis auctam reditibus, probante postmodum, v idus Martii 1089, vel 1090, Petro, Pictaviensi episcopo. Ab Aimerico data dein sancivit Radulfus de Malleone, anno 1091, cum primum Casam Guillelmus abbas tetendit, solemnem ibi S. Nicolai diem celebraturus. Intererat Guillelmus, anno 1092, Burdigalensi conventui. [Rer. Gallic. Script. t. XIV, p. 87.] Quo et anno Guillelmus ei, rex Anglorum, in villa dicta *Cels*, prædium, duos colonos salinasque duas concessit. Nec de Berlaii dono taceamus. Cum insectaretur aprum Berlaius, Monasterioli dominus, in nemore Bruciaco, Aimericum monachum S. Florentii de Vallibus ad se vocavit, et eo adstante ex equo desiliens ramumque de quercu frondiferum evellens, Brucias S. Florentio dedit, eam mox, coram abbate Guillelmo, donationem in Salmuriensi capitulo sanciturus. Dedicata fuit, idibus Decembris 1093, ecclesia S. Gervasii de Braiosa : quo die Guillelmo abbati Guillelmus de Braiosa quidquid antea S. Florentio largitus erat confirmavit. Eodem anno, Guillelmus composuit cum abbate S. Nicolai Natali super ecclesia Cantociacensi. Subscripsit, 24 Junii 1094, absolutioni Fulconis, Andegavorum comitis; supra t. IV. Instr., col. 10. Anno 1095, cum Humbaldo, abbate Virsionensi, de ecclesia S. Gundulfi transegit; supra, t. II, col. 138. Baldricum, Burguliensium abbatem, amicum habuit; cui, sub conditione censualis reditus, ecclesiam Restensem contulit, anno 1096. Percelebris Andegavi, VI idus Novembris 1098, abbatum cœtus cogebatur, litigantibus S. Nicolai et S. Albini monachis : inter quos nullus forsitan Guillelmo clarior. Annum 1099 Guillelmi tricesimum dicit Herbertus, Thoarcensis vice-comes, confirmans ab Aimerico patre data vel Casæ, vel juxta Casam; cujus confirmationis amplissimam edidere schedulam Sammarthani fratres, t. IV, p. 396. Eodem anno, pridie idus Martii, secundum

recentem computum, Guillelmus sedebat Andegavi inter judices a quibus dirempta lis inter monachos S. Albini et S. Nicolai de nemore juxta Prunarias. Decedente Geoffrido de Meduana, Andegavorum episcopo, acerrima vacantem cathedram ambientium studia, et simul clandestinis conciliis necnon publicis motibus altius mixtæ res. Adhæsit Guillelmus parti qui Rainaldum constanter respuit. Consortem igitur habuit Geoffridum, Vindocinensium abbatem, ut ex hujus comperimus epistolis quas Sirmondus edidit. Calendis Maii 1104, Guillelmo confirmavit Benedictus, Nannetensis episcopus, ecclesiam S. Hermelandi, necnon capellas S. Michaelis de Eremitaria, S. Clementis de *Arnet*, etc., etc.; apud Moriceum, Prob. Hist. Brit., t. I, col. 507. Eodem anno, sedit Guillelmus in concilio Trecensi, et contendit cum abbate Virsionensi de S. Gundulfo, jamdudum per inertiam et incuriam monachorum, ut ait abbas Michael, amisso : exstant et Pascalis papæ litteræ, quibus, 3 Octobris 1105, ille prioratus Guillelmo tradi jubetur, spretis Virsionensium querelis. Singula quæ gessit Guillelmus, vel quæ, rebus S. Florentii impigre studens, comparavit, referre prolixioris esset materia sermonis. Notabiliora tantum decerpere fas est. Aderat Nannetibus, anno 1105, et testis erat Benedicti præsulis canonicos instituentis in ecclesia S. Medardi. Subscribebat, anno 1108, 15 Maii, litteris Marbodi, Redonensis episcopi, res monachorum S. Sergii in diœcesi sua confirmantis; Probat. Hist. Brit., t. I, col. 516. Hospitem excepit, 18 Aprilis 1109, secundum hodiernum calculum, Baldricum, Dolensem episcopum, et ab eo confirmationem impetravit eorum quæ Salmurienses in Dolensi diœcesi possidebant. Ad eumdem, anno 1114, Giraldus, Romanæ sedis legatus, litteras direxit, quibus S. Florentio firmius alligatæ ecclesiæ S. Eparchii de Riperiis et S. Severini juxta Castellum Novum. Post hunc tandem annum de Guillelmo tabulæ silent. Salmuriensibus postquam per octo annos necnon quadraginta præfuerat, dimidium videlicet per sæculum, obdormivit in Domino, III cal. Junii 1118. De quo abbas Michael : « Hic « ecclesiam nostram tanta religionis hones- « tate decoravit, ut per mundi terminos « sanctitatis et opinionis illius radii corus- « carent. » Ejusdem Roncereii necrologium II cal. Junii meminit.

Opera Varia, t. III.

X. Stephanus I, gentilitio cognomine Brictius, patria Burgundio, ex fide Michaelis abbatis, Burdigalensis vero secundum auctorem Chronici Malleacensis, Guillelmo suffectus est XII cal. Julii 1118; quo anno litigans cum abbate Trenorchiensi Francone super ecclesia S. Nicolai de Lausduno, causam obtinuit coram Girardo, Romanæ sedis legato. Genere clarus erat; laudem vero majorem ob doctrinam obtinuit; *totus* unde dictus est *philosophus* a Malleacensi chronographo. Ejus tabulæ Salmurienses meminere, annis 1119, 1120, 1122. Notabilius est quod sequitur. Invaserant jam diu quidam milites pascua inter castrum Salmuriense et abbatiam S. Florentii decurrentia; quos monachorum querelæ arcere non valuerant. Mandato quin etiam domini papæ, Rainaldus, Andegavorum episcopus, Arduinum de S. Medardo et plures alios supradictorum pratorum invasores excommunicaverat. Anno tandem 1127, eos Fulco comes ante forum suum vocavit; qui tunc, ægre tamen, opimam in manus abbatis Stephani prædam transtulerunt. Eo et anno causam obtinuit Stephanus de Roberto Andreæ atque Pilardo, Oldrici filio, monachorum quasdam res sibi vindicantibus. Inter prioratus ejus tempore conditos Sammarthani memorant B. Mariam Magdalenam de Bomeia et S. Petrum *de Morton*. Decessisse legitur VII idus Aprilis, e Michaelis Chronico, expleta tredecim annorum præfectura. Unde Michaelis annotator domnus *Brial*, Chronicon Salmuriense castigans, Stephani mortem anno 1132 collocat. Ejus autem error manifestus erit in Matthæo sequente.

Rer. Gall. Script. t. XIV, p. 507.

XI. Matthæus enim, S. Florentii monachus, abbatis antea Stephani *secretarius*, impetravit, anno 1130, a Guillelmo, Pictavorum episcopo, facultatem eligendi capellanum Casæ præficiendum; e schedis domni *Housseau*, t. IV. Nec vero mendam in hanc temporis notam irrepsisse putes; is enim Pictaviensis antistes, una cum Eustorgio Lemovicensi, ab Anacleti pseudo-Pontificis legato e sede dejectus est anno 1130, et non ad suos ante annum 1135 rediit. Habemus insuper Geoffridum comitem, hoc anno videlicet 1130, III calendas Julii, cum Matthæo nostro de castri, quod Motam S. Florentii dicebant, eversione, mediantibus decem millibus solidorum, transigentem. Matthæus ille e castro Lausduno oriundus et a parentibus originem ducens non mediocribus, in litteris a pueritia fuerat versatus. Ei Geoffridus comes tradidit, anno 1133, jura quæ ad ipsum spectabant in terra Guillelmi Sellarii, et Henricus, dux Normannorum, sub idem tempus, prædium Mollem dictum restituit a patre suo occupatum. Ab eodem dein monachis concessa dimidia feria, mense Maio Salmurii celebrata. Memoratur Matthæus, IV non. Novembris 1135, Nannetibus testis Conani ducis quasdam ecclesias tradentis Nannetensi capitulo. Eidem, anno 1136, prælibatus dux condonavit nemora juxta Liviacum. Eodem anno paciscebatur cum Petronilla, Fontis Ebraldi abbatissa, de prædiis ad Casas et ad Eissardos, ut legitur in codice chartaceo domini *de Gaignières*, sub numero 179[3]. Subscripsit Matthæus, anno 1138,

chartæ Geoffridi comitis de libertatibus civium Salmuriensis castri. Ei, eodem anno, Redonensis episcopus Hamelinus præsentationem concessit in ecclesiis quarum nomina subsunt : Livriaco, Trembleio, S. Joanne super Cosnum, S. Brietio, Chabaneio, S. Germano de Albiniaco ; e schedis domni *Housseau,* t. IV. Sedebat, IX cal. Septembris 1139, in capitulo S. Laudi, judex litis inter Robertum, abbatem S. Albini, et Gosbertum Ulelmi. Eumdem amicum nuncupabat verissimum Ulgerius, Andegavensis episcopus, ei tradens, anno 1140, Catigniacum et Corcellas; ex eodem, t. V. Sudores Matthæo necnon ærumnas attulerunt canonicum ante judicem contentiones de S. Viviano, adversus episcopum Santonensem, et de Bosco Herbaudi, contra moniales Nidi Avis. Utrumque tamen vicit adversarium. Sopita lis cum monialibus calendis Februarii 1142. Obsequium illi quoque debitum negavit abbas S. Firmerii : de qua re scripsit Innocentius papa II ad archiepiscopum Auscitanum, frangendam monens San-Firmeriani contumaciam. Reperitur Andegavi, anno 1152, testis Alani, Redonensis episcopi, S. Melanii possessiones recensentis. Tandem, XII cal. Junii 1154, testis memoratur Guillelmi regis, Fontebraldensium monialium possessiones confirmantis ; e Max. Gallorum Arch., L, 1603. Octavus et vicesimus annus erat a quo Matthæus Salmurienses regebat, teste Michaele, cum in cathedram Andegavensem evectus est. Andegavensis autem episcopus fuit ab anno 1155. Abbas igitur erat S. Florentii ab anno circiter 1128.

XII. Stephanus II de Rupe Fulcaudi, e priore claustrali dein abbas electus est. Antequam vero consecretur salutatur episcopus Redonensis.

XIII. Ogerius, e dominio S. Florentii Veteris oriundus, decessit XIV cal. Augusti 1156. Ille, post susceptam benedictionem, per sex et viginti dies in abbatis sella sedit.

XIV. Philippus, natus Salmurii, prior antea claustralis, abbas jam erat eo anno 1156, quo pactum iniit cum Trenorchiensibus monachis super ecclesiis S. Crucis et S. Nicolai de Losduno. Idem ab Adriano papa IV, die 6 Februarii 1157, secundum recentem usum, accepit confirmationem possessionum S. Florentii; e schedis domni *Housseau,* t. X. Ejus tempore, VI nonas Maii 1159, ossa beati confessoris Florentii in capsam novam translata fuerunt. Aderant huic translationi, præter Joscium, Turonensem archiepiscopum, Guillelmus, Cenomanensis episcopus, Matthæus Andegavensis, Stephanus Redonensis, Bernardus Nannetensis et Laurentius Pictaviensis. Eodem anno, Philippus transegit cum monialibus Nidi Avis, ipsis prædia juxta Lacherellos concedens, et audiens eas sacramento semet obligantes de non impugnandis ulterius mo-

A nachorum juribus quoad Boscum Herbaudi ; inter schedas *Housseau*, t. V. Dormitorium præterea monachorum cum inchoasset Philippus, nec opus absolvere valuisset, decessit, elapsis præfecturæ quatuor annis, IV idus Maii 1160 ; e Chronico Salmuriensi.

XV. Frogerius, dictus Petitus, natus S. Loantii, Rupefulcaudensis nuperrime prior, electus est abbas die 12 Maii 1160. Cives proceresque Salmurii pontem ligneum super Ligerim exstruxerant. Salmurium veniens Henricus, Anglorum rex, anno 1162, eximium laudavit opus. Quem autem adiens

B Frogerius abbas, dixit Fulconem, Hierosolymitanorum regem, S. Florentio solvendos a Ligerim transeuntibus nummos olim tradidisse, et questus est, ponte facto, vectigal hoc defecisse. Restituit Henricus monachis ademptum jus, ea tamen sub conditione ut ligneo fornici quotannis lapideum fornicem sufficerent ; neque frangi, aut vetustate fatiscere pontem sinerent ; e Max. Gallor. Arch., J, 178, n. 3. Litigavit Frogerius cum Bernardo, Santonensi episcopo, super ecclesiis S. Viviani et S. Mariæ de Jar-

C deriis, et coram Alexandro papa III vicit adversantem episcopum. Occurrit, XIII cal. Martii 1163, possessionum San-Florentinarum confirmatione donatus ab eodem Alexandro papa. Aderat, anno 1169, consecrationi capellæ Cunaldi, et inde dimissam referebat calumniam quam Geoffridus et Garnerius, filii Broissini, de dono patris moverant. Obiit peractis in abbatiali sede quatuordecim annis; e Michaele : anno scilicet Christi 1174. Chronicon vero Salmuriense decessum ejus adscribit anno 1173.

XVI. Radulfus, natione Normannus, e

D priore claustrali salutatus est abbas, Frogerio mortuo. Contendit et ipse cum episcopo Santonensi de tribus capellis. Rem dominus papa mandavit enodandam episcopo Petragoricensi et abbati Coronæ, qui inter litigantes concordiam fecerunt anno 1175. Debitum naturæ persolvit, post duos regiminis annos, IX cal. Julii ; e Michaele : anno 1176, e Chronico Salmuriensi.

XVII. Mainerius, æditus S. Florentii, nobilis genere, electus est abbas III cal. Novembris ; ex eodem Chronico. Transigebat, anno 1178, coram episcopo Cenomanensi, de va-

E riis decimis, cum Henrico, sacerdote S. Petri de Landis. Anno 1184, a Guillelmo, S. Martini Turonensis præcentore, suscipiebat ecclesiam S. Simplicii de Castro Novo, et, Januario mense 1185, paciscebatur de jure patronatus in eadem ecclesia, cum Philippo, S. Martini decano. Memoratur Petrus Vitalis S. Jacobum de Ulmo Roberti tradens, sub id tempus, monachis S. Florentii, et Mainerius occurrit de prædio quodam hunc ulmum citra jacente transigens cum canonicis S. Venantii, anno 1186 ; quo eodem anno Urba-

nus papa III ad illum rescriptum misit, v calend. Januarii, de possessionibus S. Florentii. Composuit, anno 1192, cum Herberto, Redonensi episcopo, procurationem postulante in Iseii ecclesia. Annus 1201 sextus et vicesimus ordinati Mainerii dicitur in Hugonis charta, confirmantis dimidiam nemoris Ridelli partem et adjacentium pratorum. Decessit xvi cal. Maii 1203.

XVIII. Michael, Salmuriensis, e priore claustrali delectus abbas anno 1203. Anno 1204, cum episcopo Parisiensi contendens super jure patronatus in ecclesia Bogivallensi, incertum jus abdicavit, salvis tamen reditibus quos in ecclesia prædicta Salmurienses percipere solebant; ex ecclesiæ Parisiensis nuper edito Chartulario, t. I, p. 133. Joannem metropolitam novit pacis studiosum; qui benigne dimisit, anno 1211, quascumque procurationes sibi solvi poposcerat in prioratibus S. Florentii. Michaelem, prudentiæ laudem assecutum, jubebat, ut idus Junii 1213, Innocentius papa III, inquisitionem facere de primatia quam Burdigalensis Bituricensi negabat; apud Rer. Gallic. Script., t. XIX, p. 581. Pridie nonas Aprilis 1218, venit Michael in Turonense forum cum Simone de Baillo, milite, atque auditus miles is fuit denuntians se B. Florentii monachis decimam bladi vinique vendidisse; e chartis quas *Housseau* collegit, t. VI. Obiit Michael in prioratu *Balée*, et inde translatus est in abbatiam, a Joanne, archiepiscopo Turonensi, et Guillelmo, Andegavi episcopo, humandus in sinistra parte capituli, die 5 Julii 1220. Scripsit ille cœnobii sui non contemnendam historiam, quam legere est apud Rerum Gallican. Scriptor. t. XI et XIV.

XIX. Joannes I de Lausduno, prior antea S. Florentii et præpositus S. Laurentii de Mothaio. Jam gravis annis cum abbatiali pedo donatus esset, infra quatuor menses a suscepto regimine decessit.

XX. Nicolaus, dictus *Olivier*, e S. Florentii Veteris cellario. Ab ejus electione nonus decurrebat mensis, cum rebus humanis exemptus est, die 13 aut 14 Augusti 1221.

XXI. Itherius, antea prior S. Florentii, Rupe Fulcaudi natus, per biennium abbatiam rexit, decessitque Rupe Fulcaudi, 28 Augusti 1223.

XXII. Geoffridus I, Andegavensis, Valleiæ natus, prior antea S. Lupantii, completis quatuor annis præfecturam abdicavit.

XXIII. Geoffridus II, patria Vindocinensis, ex abbatiæ cellario. Qui dum in quosdam priores sæviret a regula declinantes, ab irascentibus monachis circumventus minas mortis incurrit. Geoffridus præterea contra Michaelem episcopum litigavit. Hic enim, cum ab episcopo Prænestino mandatum accepisset de reformandis Andegavensis tractus monasteriis, jurisdictionem sibi vindica-

A verat spiritualem intra fines S. Florentii Veteris. Geoffridus tamen ab eo excipiendo refugere. Obsequium detrectantem Michael excommunicavit. Illum vero absolvi jussit Innocentius papa IV, x cal. Februarii 1244; inter Innocentii litteras, quas *La Porte du Theil* nostri juris fecit. Composuere dein episcopus et abbas 8 Februarii 1247, secundum Gallicanum computum. Eodem anno, mense Junio, quasdam res accipiebat Geoffridus ab Hugone de Ponte. Exorta mox inter eumB dem et Michaelem antistitem nova jurgia. Quibus finem dare studens Geoffridus, Lugdunum ivit ad Innocentium papam, et abbatiæ regimen deposuit circa annum 1249.

XXIV. Reginaldus I, natione Francus, prior Diogili, in ecclesia Parisiensi, Geoffrido suffectus est. Anno 1250, societatem precum iniit cum Richardo, abbate S. Michaelis. Eodem anno, vel forsitan 1251, nempe die Martis post Dominicam in qua cantatur *Oculi mei*, assentit litteris Caroli regis de stipendio advocatorum Andegaviæ et Cenomaniæ; e Baluzii schedis, arm. 2, fasc. 1, num. 1. Decedens memoratur mense Maio 1253.

C XXV. Petrus I *Mousnier*, natus Nozileii, in agro Turonensi, sub Reginaldo prior abbatiæ, delabentem ex hujusce manibus baculum jam sumpserat anno 1253, ut ex Omnium Sanctorum chartulario Baluzius notavit. Infirmus erat corpore Petrus cum sedem conscendit abbatialem : orbatus mox oculis elapso biennio debitum naturæ persolvit.

Eo mortuo, inita suffragia : sed, discordia fervente, quidam fratres, patria Normanni, Rogerium elegerunt, S. Florentii cellarium, suumque popularem; alii vero Albertum, patria Engolismensem prioremD que Diogili. Electionem utramque Michael, Andegavensis episcopus, irritam denuntiavit, et ipse, proprio motu, Albertum Petro suffecit. Rogerius autem dominum papam adiit; cujus mandato rem enodavit episcopus Abrincensis Rogerioque favit. Rogerium exinde confirmavit apostolica sedes, mense Novembri, vel Decembri, 1255.

XXVI. Rogerius ille laudatur egregius in renovandis abbatiæ rebus. Anno 1259, societatem precum pepigit cum Guillelmo, S. Joannis Angeriacensis abbate. Transegit, 16 Octobris 1268, de juribus in prioratibus *Tré*E *monz* et *Mont Yglis* exercendis, cum Bartholomæo, Haiæ domino. Eumdem aiunt decessisse 30 Martii 1270.

XXVII. Geoffridus III *Moretel*, natus in vico quem vocant S. Martinum de Platea, abbatiæ antea supprior, decessit exacto nondum secundo regiminis anno.

XXVIII. Guillelmus II *Lorier*, prior antea S. Laurentii de Motheio, per annum unum et sex menses sedit.

XXIX. Guillelmus III *de la Couture*, Pic-

taviensis, tumultuariam sortitus est præfecturam. Ejecit eum mox e sede sua Nicolaus, Andegavensis episcopus, monachorum votis obsequens, et hanc confirmavit sententiam Turonensis archipræsul. Ante Romanam curiam lite pendente, decessit Guillelmus v cal. Decembris 1281, vel 1282.

XXX. Reginaldus II *de S. Remy,* oriundus Bello Loco, prope Caprosiam, in diœcesi Parisiensi, e S. Florentii Veteris æditno, Guillelmo successit. Occurrit, anno 1288, in litteris Nicolai papæ IV, quas curavit describendas D. *La Porte du Theil*. Quingentas annuatim libras expendens ad exstruendum B Salmurii pontem, subsidium a domino papa Reginaldus petierat. Ei papa concedit ut sibimet per quinquennium fructus vindicet trium prioratuum S. Florentio subjectorum. Eodem anno, a Nicolao, Andegavensi præsule, Reginaldus impetravit ut abbatiali mensæ Verriæ prioratus uniretur; apud D. *Housseau,* t. VII. Agnoscebat, 15 Septembris 1290, Carolus, Siciliæ rex, semet in Reginaldi nominibus esse; e Thesauro Chartarum. Abdicavit anno 1310, decessurus 28 Junii 1311.

Petrus occurrit anno 1300, in Epitome C Fundat. S. Nicolai, p. 98; sed perperam.

XXXI. Joannes II *Milet,* Pictaviensis, decretorum doctor et Majoretanus monachus, eligitur Sabbati die post octavas Paschæ 1310. Nonnullis potior visus fuerat Raimundus *de Gualard,* Condomiensis abbas, qui tunc ob studium litterarum Andegavi versabatur. Vicere tamen Joanni patrocinantes. Occurrit annis 1313, 1314, 1315, 1316, 1317, in diversis chartulis. Operam adhibuit restaurandis ædibus S. Florentii Veteris. Obiit, ut aiunt, 30 Septembris 1324. Ejus vitam compendiose descripsit Martenius, in Historia D Major. Monasterii, t. II, fol. 811.

XXXII. Bertrandus vacantem per obitum Joannis abbatiam obtinuit, Novembri mense 1324. Expressis id verbis testantur litteræ Joannis papæ XXII, Avenione datis, vii idus Novembris, anno nono; apud Suaresium. Unde nullus superesse videtur locus Michaeli Baugeiensi, quem post Joannem ponunt chronographi Salmurienses, ab episcopo Fulcone Calonnæ consecratum, Martis die post S. Martinum hiemalem. Cum autem hujusce Michaelis prælibati chronographi consecrationem tantummodo memorent, fateanE turque nihil ad ipsos de ejus abdicatione, aut decessu, pervenisse, duos sub idem tempus creatos opinamur abbates, Bertrandum a domino papa, contempto scrutinii jure, Michaelem a monachis, qui scilicet ad colligenda suffragia, post obitum Joannis, pro more pristino accesserunt. Quod si lis inter ambos postea surrexit, Michael loco mox cessit; nam anno 1325, ii cal. Aprilis, Bertrando per Joannem papam licebat ut a quoA cunque vellet consecraretur. Idem præterea Bertrandus, 3 Maii 1326, abbatiæ capitulo generali præerat. Decessit 24 Novembris 1333.

XXXIII. Helias II, S. Aredii natus, apud Lemovices, decretorum doctor, litteris apostolicis creatus est abbas mense Junio 1335. Cur tandiu sedes vacaverit incertum relinquitur. Munus Helias 22 Septembris aggressus est. Eidem Clemens papa VI, v non. Julii 1344, privilegium concessit notabile de missis ab eo celebrandis; apud *Housseau,* t. VII. Salutatus est, hoc anno, Uceticensis episcopus. De eo plura t. VI, col. 635.

XXXIV. Petrus II *du Puy,* et ipse Lemovix, abbas antea Meimacensis, in Lemovicensi diœcesi, S. Florentii præfectura donatus est a Clemente papa 13 Septembris 1344. Occurrit in tabulis anni 1352, quo pactus est cum Burchardo, Insulæ toparcha, et, Maimacensis patroni memor, capellam in honorem B. Leodegarii condidit. Eo anno ad occasum vergente Majoris Monasterii abbas salutatur.

XXXV. Joannes III, Petro successor datus, jussus est, anno 1354, Tironensis cœnobii clavum regere. Non vacuis vero secessit manibus, ut testatur lis adversus eum a Guillelmo successore mota. In ea causa cecidit Joannes, et argentea plurima vasa S. Florentius recuperavit, anno 1357.

XXXVI. Guillelmus IV *de Chanac*, monachus S. Martialis Lemovicensis, postea prior Longi Pontis, quem perperam Vezeliaci dixerunt abbatem. Abbas enim erat Besuæ, in ecclesia Lingonensi, cum S. Florentio litteris apostolicis præfectus est, ii cal. Maii 1354; e Suaresio. Creatus est episcopus Carnotensis, ix cal. Octobris 1368. Hunc quære supra, t. VIII, col. 1177.

XXXVII. Guillelmus V de Luco, et ipse Lemovix, prior Calmæ, in Claromontana diœcesi, litteris apostolicis dictus est abbas S. Florentii, v cal. Octobris 1368. Occurrit in tabulis annorum 1369, 1373, 1384. Claustra et dormitoria refecit, bellorum tempore diruta. Translatus est tandem, mense Maio 1390, ad abbatiam Grassensem, in Carcassonensi diœcesi. Vide t. VI, col. 960.

XXXVIII. Joannes IV *Gordon,* ex æditno S. Florentii Veteris creatur abbas, eodie quo Guillelmus ad Grassensem abbatiam ire jubetur. Possessionem adiit S. Florentii 14 Augusti 1390. Decessit 20 Septembris 1404.

XXXIX. Joannes V *du Bellay,* quem Seniorem vocant, cellarius S. Florentii Veteris, bullis donatus est 24 Novembris 1404, et in possessionem immissus 16 Februarii sequentis. Ædes exstruxit abbatiales, fossisque cinxit cœnobium, imminentibus Anglis. Anno tandem 1431 resignavit in gratiam sequentis.

XL. Joannes VI *du Bellay*, Junior nuncupatus, antecedentis e fratre nepos, cellarius

Salmuriensis cœnobii fuerat, postea Ditreii prior, tandem præpositus S. Laurentii de Mothaio, cum, abdicante patruo, pontificiis litteris creatus est abbas 20 Aprilis 1431, et munus adiit 10 Julii. Ei per apostolicas bullas licuit, 20 Aprilis 1455, ad episcopalem sedem vocato, S. Florentii præfecturam retinere. His ergo munitus litteris in Forojuliensem cathedram invectus est 7 Novembris 1455, et ad Pictaviensem postea transiit; nec ideo minus, ut videtur, abbatiæ res curavit. Quam, 16 Novembris 1474, in gratiam Ludovici, e fratre nepotis, resignavit. Præcipuam reficiendis ædificiis operam adhibuerat.

XLI. Ludovicus *du Bellay* creatus est abbas mense, ut diximus, Novembri 1474. Quia autem Joannes non abdicaverat, amplam nisi e fructibus abbatiæ pensionem deducens, jussit summus Pontifex quorumdam prioratuum proventus abbatiali mensæ uniri. Possessionem adiit Ludovicus 24 Martii 1475. Quo abbate, 25 Junii 1480, translatum est corpus S. Florentii ex ecclesia collegiata S. Georgii de Roya in Salmuriense cœnobium. Decessit 7 Septembris 1504.

XLII. Joannes VII *de Mathefelon*, professus S. Florentii, patre satus Joanne *de Mathefelon*, matre Anna *de Melley*, electus est abbas a monachis 12 Octobris 1504, et mense Novembri confirmatus. Alterius cujusdam partes rex susceperat, cui non defuerunt eblandita decem suffragia. In Joannem vero quatuor et octoginta convenere. Qui consecratus est 10 Novembris a Richardo, Veriensi episcopo. Acceptus erat regi Petrus *d'Ars*, Ludovici frater hujus qui in Italia centurionis eximii laudem meruerat. Ille, contempta suffragiorum lege, litteras poposcit regias quibus abbatiali pedo donatus est; nec multo post regi fidem dedit. Quamobrem inter ambos abbates lis acerba fuit, usquedum mediante pecunia intercessionem Ludovicus remiserit. Decessit Joannes 28 Augusti 1518.

XLIII. Jacobus I *Le Roy de Chavigny*, electus est 4 Octobris 1518, abbas idem Villælupensium, Cluniacensium et Dolensium. S. Florentii præfecturam primum abnuit oblatam: quam postquam susceperat, transtulit, anno 1537, in Franciscum sequentem. Ultimus fuit regularium. Hunc quære inter archiepiscopos Bituricenses, t. II, col. 98.

XLIV. Franciscus I *de Tournon*, cardinalis, archiepiscopatum Bituricensem antecedenti Jacobo, commutatione peracta, tradidit anno 1537 desinente, et ad Auxitanam migrans cathedram S. Florentium simul rexit. Abdicavit, anno 1538, in gratiam sequentis.

XLV. Jacobus II *de Castelnau de Clermont*, filius Petri et Margaritæ *de Turenne* litteris munitus est apostolicis 6 Decembris 1538, regiis 20 aut 28 Junii 1539. Eo regente, anno 1561, inquisitio fit super deprædationibus a Calvinistis patratis. Decessit 6 Septembris 1586. Fuit etiam episcopus S. Pontii Thomeriarum, et abbas Bonæ Vallis, necnon Candelii.

XLVI. Franciscus II *de Joyeuse*, cardinalis, possessionem per procuratorem iniit 18 Martii 1587. Decessit Avenione, 23 Augusti 1615. Abdicaverat anno 1605 abbatias S. Florentii et Majoris Monasterii, in Rotomagensem cathedram ascendens. Eum quære supra, t. XI, col. 103.

XLVII. Carolus I *de Bourbon*, Antonii, regis Navarræ, filius naturalis, ex archiepiscopo Rotomagensi abbas S. Florentii et Majoris Monasterii. Obiit anno 1610.

XLVIII. Ægidius *de Souvré* creatur abbas a rege, 25 Junii 1610, et munus adit 8 Decembris. Convenensis idem episcopus fuit et postea Antissiodorensis, necnon abbas S. Carilefi, et thesaurarius S. Capellæ Parisiensis. Decessit 19 Septembris 1631.

XLIX. Carolus II *Bouvard*, annos quindecim natus et tunc collegii Claromontani alumnus, abbatia donatus est a rege post Ægidii decessum. Filius erat Caroli *Bouvard*, regis archiatri. Possessionem adiit procuratore utens, mense Martio 1632. Hic congregationem S. Mauri in abbatiam introduxit, et obiit Salmurii 11 Martii 1645. Idem fuit Vincennarum xenophylax. Epitaphium ejus in Andegavensi Peplo Claudii Menardi servatur; inter codices S. Maglorii, num. 98.

L. Julius *de Mazarin*, cardinalis, litteras obtinuit pontificias 26 Junii 1645, et in possessionem invectus est 15 Octobris.

LI. Hieronymus *Grimaldi*, cardinalis titulo S. Eusebii, Aquensis episcopus, donatus est S. Florentio, Julio abdicante, anno 1653. Munus adiit anno sequente. Obiit Aquis, 4 Novembris 1685.

LII. Franciscus III *d'Anglure de Bourlemont*, doctor Sorbonnicus, nepos Caroli Tolosani et Ludovici Burdigalensis archiepiscoporum, Appamiensis ipse creatus episcopus, litteris vero tantum regiis. Abbas S. Florentii ab anno 1685, obiit 27 Julii 1711.

LIII. Franciscus IV *de Bertons de Crillon*, abbas S. Leodegarii in ecclesia Santonensi, episcopus Venciensis et postea archiepiscopus Viennensis, creatus est abbas S. Florentii 14, vel 15 Augusti 1711. In possessionem, usus procuratore, invectus est 23 Novembris 1713. Moritur anno 1721.

LIV. Josephus *de Thyard de Bissy*, frater Henrici, cardinalis, sedit usque ad annum 1729, quo S. Florentium dimisit, abbas regularis S. Faronis renuntiatus.

LV. Michael II *Poncet de la Rivière*, episcopus Andegavensis, sedebat anno 1730.

LVI. N. *de Forbin d'Oppède* nominatur anno 1730.

LVII. N. *de Beliardy* ab anno 1767 ad annum 1790.

SS. SERGIUS ET BACCHUS.

Abbatiam hanc in Andegavensi suburbio, sinistræ Meduanæ ripæ adjacentem, Clodovæus II, ut aiunt, condidit. His enim utitur verbis Childebertus III, fratrum res augens : « Tale beneficium bonæ memoriæ avus noster Chlodovæus et genitor noster Theodoricus, quondam reges, per eorum auctoritatem ad ipsum monasterium suæ manus subscriptionibus pro mercedis eorum augmento concesserunt ». Hæc autem, ut quidam interpretantur, Chlodovæi ac Theodorici beneficentiam digne celebrant, Chlodovæum vero minime declarant loci conditorem. Ad superiores igitur reges et ad ipsum Chlodovæum nomine primum hujusce monasterii primordia retroducunt. Eorum tamen sub ductu non adeo longum iter, prudentia suadente, facies. Vetustiorum quidem ædificiorum SS. Sergius Medardusque patroni titulares fuere, ut in Childeberti charta legitur; postea S. Godobertus, sancta Gertrudis et S. Bacchus. Obsoleta tandem Medardi, Godoberti Gertrudisque memoria, SS. Sergio Bacchoque popularis pietas eas ædes peculiariter addixit. Fama est eo Gothos, octavo sæculo decurrente, devenisse, florentemque domum vastavisse; quæ deinde, exsulantibus monachis, canonicos excepit. Sed dum Carolus Magnus imperaret, non omnino Sergiana res eversa jacebat; Witboldo sedenim capellano suo et e longinqua legatione redeunti opulentum certe cœnobium et incolis frequens, grati pignus animi, tradidit, non autem desolatas parietinas, quas protervo sacerdotum ultimus pede conculcasset. Sic et Theodulfus Aurelianensis, tunc imperante Ludovico Pio, *alumnos S. Sergii* inter præcipuas Andegavensis cleri catervas nuncupans, nobile loci nomen ad suum tempus permansisse testatur. Canonici tamen, ut videtur, ab ea circiter ætate monachis erant suffecti; nam Gerardus comes, temporibus Caroli Calvi, in sua de Campaniaco chartula, hospites S. Sergii *clericos* nuncupat. Idem expressius, in alio de eadem villa diplomate, Robertus rex declarat, dicens : « Quam terram prisco tempore ad præfatam abbatiam pertinentem, qui tunc erant *canonici* sub charta alicui concesserant. » Claustra S. Sergii Normanni deprædati sunt. Ea, anno circiter 889, Alanus, Britonum dux, capitulo S. Mauricii condonavit. Nec tamen, sub episcoporum Andegavensium imperio, Sergiana congregatio dissipata fuit : abbatiale vero munus, abbas et ipse dictus, Andegavensis præsul implevit. Ineunte circiter undecimo sæculo, Rainaldi beneficio, S. Sergium monachi recuperavere. Sunt qui duas sub id temporis sodalitates, unam virorum, alteram puellarum, sub eisdem tectis constitutas fuisse conjiciunt, eamque domus partitionem per A unum fere sæculum viguisse, donec Nidus Avis discedentibus monialibus fuerit assignatus. Id autem non pro comperto teneas. Restauratas ædes abbates Albiniani primo rexere : quorum sub regimine Rainaldus præsul et Robertus rex pluribus monachorum rem auxerunt. Huberto tandem Andegavensem cathedram tenente, proprius Sergianis rector datus est, et ea mox fuerunt domus incrementa, ut sexaginta monachis Wulgrinus, novorum primus abbatum, præfectus memoretur, dum antea duodecim tantum ibidem considerent; e Cenoman. episcop. Gestis, in B Wulgrino. Instauratam Eusebius præsul basilicam consecravit, 3 Novembris 1059. Abbatiæ Sergianæ jura confirmaverunt, inter cæteros, Adrianus IV anno 1158, Alexander III 1178, Lucius III 1182, Honorius III 1217, Gregorius IX 1234, Innocentius IV 1245, et Gregorius X 1272. Abbatem S. Sergii post Albinianum Salmuriensemque in synodis provincialibus Juhellus metropolita sedere jussit. Nonnullas dein clades abbatia experta est. Anno 1360, desævientibus bellis, in domum quam Andegavi, juxta S. Michaelis ecclesiam, possidebant, semet monachi con- C tulerunt, ibique Guillelmum præsulem exceperunt; e Monastic. Bened., t. I, p. 108. Abbatem S. Sergii archidiaconus Andegavensis, aut quisquam alius ex Andegavensis ecclesiæ ministris, in munere constituebat, eique novus abbas illum tradebat equum quem conscendebat. De eo jure pactum anno 1275, et statutum ut deinceps tres scyphos argenteos archidiaconus acciperet. Anno 1629, sub abbatis Renati *de Breslay* felicibus auspiciis, reformationem S. Mauri S. Sergius admisit.

S. Sergii chartularium servat Maxima Parisiorum Bibliotheca; inter codices olim D Regios, sub num. 5446; e quo pleraque hic memorata detulimus. Abbates S. Sergii inter cæteros recensuere Martenius in manuscripta Majoris Monasterii Historia, Alexander *Fournereau* et domnus Michael *Germain* in codice San-Germanensi 583². Plura ad eamdem domum spectantia exhibet tomus XXXIX Monastici Benedictini.

ABBATUM SERIES.

I. Theodebertus in S. Sergii tabulis reperitur, Childebertum regem adiens, et ab eo confirmatas monachorum possessiones E accipiens. Ineunte octavo sæculo floruit.

II. Witboldus, annum circa 788, occurrit in chronico Fontanellensi. Hæc sunt chronographi non prætereunda verba : « Widoni-laico (abbati nempe Fontanellarum) erat nepos, id est sororis suæ filius, nomine Witboldus, gloriosissimi regis Caroli tunc capellanus, cui præfatum monasterium (Fontanellense) post avunculi sui decessum ad regendum promissum fuerat.

« Sed dum is ad Constantinum imperatorem « Græcorum ac Hyrenen a domno rege Ca« rolo causa legationis directus fuisset, ac « per annum et sex mensium spatia in re« deundo moram faceret, Gervoldo sæpefa« tum cœnobium collatum est. Causa autem « legationis erat super Ruatrude, filia Magni « Caroli, quam isdem imperator Constanti« nus ad conjugium petebat. Sed illo hac le« gatione pro qua directus fuerat strenue « functo ac reverso, monasterium S. Sergii, « quod in territorio Andegavæ urbis situm « est, a domno ac invictissimo rege eidem « noscitur attributum : quod postea per plu« rimos feliciter rexit annos. » Witboldi nulla diplomata, ut videtur, meminere.

Rer. Gall. Script. t. v, p. 315.

III. Gerardus, alias Gunthardus, comes vel abbas S. Sergii dicitur, anno, ut opinantur, 847, in diplomate Caroli regis de villis Nubiliaco et Campaniaco; apud Rer. Gallic Script. t. VIII, p. 486.

IV. Hugo I post Gerardum a plerisque ponitur. Is est Hugo, Francorum dux, quem suum Carolus Calvus consanguineum, et Joannes papa excellentissimum abbatem nuncupant. Obiit v id. Maii 886; e S. Sergii necrologio.

V. Raino, Andegavensis episcopus, ab Alano, Britonum rege, qui quidem Andegavo potitus erat, superstites abbatiæ parietinas obtinuit, sub jure S. Mauricii ponendas. Ejus temporibus, anno 894, nobilis mulier Adelberga abbatiæ dat prædium, quod in villa Nubiliaco tenebat.

Iidem post Rainonem ecclesiæ S. Mauricii et S. Sergii basilicæ præfuere. Quos hic recensere operæ pretium non est. Cœnobii parens alter fuit, ut diximus, Rainaldus præsul. Eo loci restaurationem aggrediente, accedunt monachi; quibus rector datur

VI. Reginaldus, et ipse abbas S. Albini. Reginaldi abbatis mentio reperitur, in litteris quas Hamelinus de Mota cucullum assumens edidit. Quidam hunc Reginaldum opinantur eumdem ac Rainaldum sub idem tempus in Andegavensi cathedra sedentem. Eos vero refellit Rainaldi præsulis diploma noxias S. Sergio consuetudines dimittentis, secundum vota precesque abbatis Reginaldi. Idem in necrologio Sergiano, v id. Martii, appellatur D. Rainaldus abbas et ab episcopo sic distinguitur.

VII. Huchertus et ipse rector utriusque congregationis dicitur, S. Albini scilicet et S. Sergii. Cui conjecturæ non libenter adhæremus, nisi tamen eum Albinianos deseruisse comprobetur ut ad Sergianos accederet. Subscripsit, anno 1030, litteris quibus S. Mauricii restauratio memoratur. Dein accepit a Glavibenno plura jura tam in villa Rotohengi quam in villa Camariaco. Eidem Burchardus, thesaurarius S. Mauricii, et ejus uxor Judith ecclesiam S. Marcelli, in castello

A Brioledo sitam, adjacentem villam, Puteolense prædium et alia nonnulla concessere; apud Sammarthanos, t. II, hanc qui donationem anno 1047 mendose adscripsere. In eadem chartula seorsum et distincte Huchertus præsul et Huchertus abbas nominantur : unde patet quod perperam eumdem Huchertum utroque munere insignitum nonnulli dixere.

VIII. Wulgrinus, e Vindocinensi castello oriundus, militiæ juvenis nomen dederat. Monachum apud Majoretanos induit : quorum prior electus, doctrinæ et industriæ

B fama multum valuit. De Wulgrino plura postquam audiverat Geoffridus, Andegavorum comes, eum accivit, et S. Sergio rectorem imposuit; e Gestis Cenomanensium episcoporum. Alia vero et potior est diplomatum fides, in quibus videlicet Huchertus, Andegavensis præsul, Wulgrinum, Alberto probatissimum abbati, a se ipso e Majoretanorum sodalitio deductum refert et S. Sergio præfectum. Hujusce tenoris chartam consule, quam sub annum circiter 1036, 6 Martii, Mabillonius edidit, Ann. t. IV, p. 411 : ubi legitur prædictum Huchertum Wulgrino re-

C cens abbati condonasse cellulam S. Maurilii, Calonnæ sitam. Hucherti vero chartam Mabillonius infeliciter anno 1036 collocavit : Geoffrido nempe comitem se ferente data legitur, et Geoffridus non ante annum 1040, Fulcone defuncto, consulatu potitus est. Ab Hucherto præterea Wulgrinus cessionem obtinuit non unius tributi, quod fiscus episcopalis in coloniis S. Sergii percipere solitus erat; inter schedas *Housseau,* t. II. Consanguineus et ipsius Hucherti legitur apud Mabillonium, Annal. t. IV, p. 486; ubi reperies Huchertum, in ipso mortis articulo, S. Ser-

D gium præbenda canonicali rursus augentem in ecclesia S. Mauricii. Ad Wulgrinum plurima dein ab Eusebio Brunone collata. Sub id tempus gravis fuit inter eum et monachos Majoris Monasterii contentio. Cum enim Huchertus præsul S. Martino dedisset quoddam oratorium juxta castrum Calonnense, in honorem S. Vincentii constructum, quod monasterium Oiæ dicebant, quidam S. Sergii monachi, hoc sibi vindicantes oratorium, locum die quadam aggressi sunt cum bellico apparatu, et monachum ibi degentem expulerunt. Res ad Eusebium episcopum fuit de-

E lata. Quem adiit Wulgrinus, se non tanti conscium sacrilegii asserens. Sancto Martino postquam favit episcopalis sententia, locus Majori Monasterio restitutus est iterumque consecratus. Ad Wulgrinum prædictus præsul transtulit altare S. Samsonis, in parochia Transligerana quam vocabant Moziacum. Subscripsit Wulgrinus, VIII id. Januarii 1049, secundum hodiernum calculum, litteris Geoffridi comitis super ecclesia Omnium Sanctorum monachis Vindocinensibus tra-

dita. Quas postquam ediderant litteras Sammarthani, t. IV, p. 697, valde mirum est eosdem seriem abbatum S. Sergii describentes Wulgrini nequaquam meminisse. Annum circa 1054, præsente scilicet Bartholomæo Turonensi archipræsule, in capitulo sedens Majoris Monasterii, Geoffridum comitem Wulgrinus audiit Semitam Majoretanis restituentem. Sub annum forsitan sequentem, uti conjicimus e corrupta temporis nota, corpus Emmæ, Cenomanensis vice-comitissæ, Wulgrinus excipiebat, cujus conjux Radulfus S. Sergio dabat dimidiam villam S. Remigii, in Metallico pago, Capellamque dimidiam juxta Montem Rebellem (1). Eo anno 1055, cum Gervasius, Cenomanorum præsul, ad Remensem cathedram vocaretur, Wulgrinum Cenomanenses suum, collectis suffragiis, dixerunt episcopum.

Mabill. Ann. t. IV, p. 593.

IX. Daibertus, Daimbertus, vel Daebertus, e priore claustri dictus est abbas, anno, ut videtur, 1055. Subscripsit, anno 1061, chartæ Geoffridi Barbati, de castello Glonnensi monachis S. Florentii tradito. Anno 1062, Daiberto dedit Gerorius ecclesiam S. Martini juxta Belli Pratelli castellum; et paulo post Eusebius præsul eam dedicavit ecclesiam. Concordiam iniit Daibertus, anno 1064, cum Othranno, S. Albini abbate, super molendino Varennæ: idem, anno 1069, accepit ab Alberico de Orbesiaco vineas et domum in ecclesia S. Martini de Bosco, et a Vascelino Grafino, cucullum suscipiente, prædium Belli Pratelli situm. Daiberto, anno 1072, in Ascensionis die, Fulco comes ecclesiam S. Symphoriani de Rupe Forti largitus est: quo eodem anno, Bernerius Grafinus necnon Mauricius de Vergona, partim pretio, partim dono, ecclesias Cumbriæ tradebant. Litem movit, anno 1074, xv cal. Novembris, adversus Othrannum, S. Albini abbatem. Ecclesia Campiniacena, ab utroque peroptata, materia litis erat: quæ scilicet adscripta fuit Albinianis. Emit Daibertus, hoc anno, dimidiam ecclesiam S. Joannis de Ulliaco, et ei condonavit, anno 1075, Guido de Croio ecclesiam S. Melanii de Miriaco, Meduanam inter et Sartam. Nullus forsitan inter S. Sergii abbates plura quam Daibertus accepit. Harum vero donationum chartæ pleræque notis chronicis carent. Præter illas de quibus jam sermo fuit ecclesias, obtinuit Deauratam a Waltherio de Francia, capellam S. Martini juxta Jarziacum a Geoffrido de Jarziaco, altaria S. Petri de Adrableto a

A Girardo milite, necnon Monasterioli prope Vitreium a Widone præsbytero, etc., etc. Occubuit III idus Aprilis 1082; ex obituario.

X. Achardus quasi toties in chartulario S. Sergii memoratur. Ei Gessinus, anno 1083, concessit partem nemoris Calumniosi et decimam redituum quos e silva Chameriaca percipere solebat; unde Chameriacena cella originem traxit. Et ipse cum Albinianis litigavit. Aimericus enim quidam mercator, in eo die quo monachum induerat, vicum Ripam dictum Otbranno, S. Albini rectori, tradiderat.

B Postquam vero Girardus Otbranno successit, S. Sergii rector Aimerici donum impugnavit. Prudentibus tunc placuit viris ut duellum liti finem imponeret. Aderant igitur litigantium abbatiarum duo famuli, arma conserere parati, et ad festivum plebs Andegavensis spectaculum quasi tota convenerat, quum Girardus abbas concordiæ viam aperuit, Achardo quingenos offerens solidos, ea sub conditione ut materiam jurgii dimitteret. Hæc anno 1084 agebantur. Anno 1087, a

C Silvestri, Redonensium episcopo, ecclesiam dictam *Brielles* accepit. Occurrit Achardus, mense Novembri 1088, in Santonensi concilio. Quem debitum naturæ persolvisse necrologium memorat VI cal. Aprilis 1093. « Supra « gregem sibi commissum, » ut ait chartula, « prudenter ac fideliter vigilavit. »

XI. Bernardus et ipse e monasterii priore abbas dictus est. Achardi successor nuncupatur in charta super inita concordia cum Orrico, Belli Pratelli toparcha; e S. Sergii tabulis. Anno 1094, in abbatia S. Florentii, litteris subscribebat quibus Fulco comes ab-

D solvebatur. Anno sequente, partem nemoris, quod Verreriam, seu Vitreariam dicebant, Bernardus e supra memorato Fulcone impetravit. Insolita prorsus ad calcem hujus chartæ temporis nota legitur: *Anno ab incarnat. Dom.* 1095, *ind.* III, *die Sabbati, luna vicesima quinta, Urbano apostolico, Francia ex adulterio Philippi indigni regis fædata,* etc., etc.; e schedis domni *Housseau*, t. III. Subscripsit Bernardus, XVII cal. Augusti 1096, chartæ Fulconis insulam Calonnensem S. Mauricio tradentis. Eodem anno, Hierosolymam proficiscens Hubertus de Campania

E Bernardo dedit prædium ante pontem Duri Stalli, ad ecclesiam in honorem S. Leonardi exstruendam; e schedis domni *Housseau*, t. III. Iter idem accingens Drogo, miles, aliud prædium non aliter S. Sergio largiebatur. Occurrit Bernardus, anno 1098, testis diremptæ litis de Catiis. Idem, pridie idus Martii 1099, sedit judex in causa quæ agitabatur super possessione Prunariarum. Anno 1100 reperitur Bellum Pratellum semet recipiens, et controversa jura ab Orrico, Belli Pratelli domino, tandem impetrans; ex abbatiæ chartular. Multa movit contra Rainaldum de Martiniaco Andegavenses infulas

(1) Hæc anno 1058 peracta referunt Martenius, Miscell., t. I, part. 2, p. 27, et *Housseau*, schedarum t. II, p. 582; e chartulario S. Sergii. Codicis Sergiani mendam jam Mabillonius pro suo Marte notavit; aliis vero examinandum reliquit an pro anno 1058 annus 1048 reponendus esset. Re pensata utramque temporis notam æque rejiciendam arbitramur. Certe, cum donationis instrumento subscripserit Theodoricus abbas S. Albini, prohibetur ne mortem Emmæ referas ante annum 1055.

ambientem; quem haud probavit electum, ut e Geoffridi Vindocinensis litteris ad Guillelmum, S. Florentii abbatem, comperimus. Hæc Geoffridus: « Multos post Deum bonos « adjutores habetis; inter quos me et abbatem « S. Sergii veraciter reputare potestis, qui « mallemus vivi excoriari, quam huic tantæ « consentiremus abominationi. » Daibertus obiisse memoratur VIII id. Aprilis 1102.

XII. Waltherius I, e priore claustrali salutatus abbas, non minimas a quibusdam Andegavensis agri proceribus injurias expertus est; quorum tamen, ut aiunt, contumaciam sua patientia fregit. Anno 1102, Verrum veniens Exsartorum decimam a Nihardo, Frotmundi filio, accepit. Anno 1104, testis fuit initæ concordiæ de Catiis. Anno 1107, dimissam habuit querelam super ecclesia Liziniaci, a Garsilio, monacho, Fulconis de Mathefelone nepote. Idem, ante annum 1108, testis pacti de Pruniacena ecclesia inter Tetburgim, abbatissam Roncereii, et Reginaldum, abbatem Lucionensem. Anno 1108, in capitulo sedens S. Albini, litem inter Archambaldum et Paganum diremit; e Clypeo Font. Ord., t. I, p. 45. Eodem anno, Sergianorum possessiones in Redonensi diœcesi a Marbodo præsule ratas habuit. Plura de Waltherio chartularium S. Sergii memorat. Beneficum enim expertus est Hamonem de Corticibus, ei qui dimidiam villæ suæ decimam tradidit. Præsens præterea notatur colloquio, quod Fixæ Rainaldus episcopus et Helias comes habuerunt: quo tempore plurium confirmationem bonorum ab Helia suscepit. Reperitur denique in schedis domni *Housseau*, t. IV, n. 1209, magna movens adversus Guillelmum de Verneia, qui monachorum de juribus aliquid detrahere conatus erat: Thoriniacum postea pergens, nudis pedibus, Guillelmus Waltherio satisfecit. Decessit, ex abbatiæ necrologio, 9 Januarii 1113.

XIII Petrus I occurrit, VII cal. Julii 1113, testis sopitæ litis inter monachos S. Jovini et S. Albini, de ecclesia S. Jovini Lusdensis. Idem, Augusto mense 1114, coram Briccio, Nannetensi præsule, pactus est cum monachis Pornidii de capella nuper fundata; inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 527. Eidem, XVII cal. Octobris 1116, Fulco comes totum remisit vectigal, aliter fodrum dictum, Torigniaci; apud *Housseau*, t. IV. Aderat, VI cal. Septembris 1123, testis jurgii directi de Catiis inter Fulconem comitem et monachos S. Nicolai. Eodem anno, a Nicolao Guischardi ecclesiam Novæ Villæ dimissam accepit. Eum et Hamelinum, abbatem S. Albini, litigantes super aggere Varennis constructo, in gratiam redegit Rainaldus episcopus, idibus Januarii 1124; e S. Sergii chartulario. Eodem Rainaldo hortante, monialibus Nidi Avis ecclesiam Socellæ contulit. Episcopalem Ulgerius nuperrime cathedram conscenderat, cum Petro Radulfus tradidit ecclesiam S. Jacobi *de Gré*, quam Ulgerius protinus dedicavit. Eodem episcopante, Petrus, fratribus quibusdam concessit ut oratorium haberent Celsi. Sedit anno 1131, in Remensi concilio. Idem, XVII cal. Februarii 1133, secundum recentem usum, testis fuit Ulgerii, testantis ad moniales Roncereii pertinere jus mortuos sepeliendi in parochia trans Brionem. Decessit, e necrologio, III non. Augusti. Ejusdem porro sub eamdem diem necrologium Roncereii meminit.

XIV. Hervæus de decimis paciscitur, anno 1138, cum Maria, S. Sulpicii abbatissa. Occurrit, anno 1140, in charta de restituta S. Mauricio ecclesia S. Petri; anno 1142, in charta de composita controversia inter Paganum de Claris Vallibus et monachos S. Albini. Hugonem *de Mathefelon* Hamelinumque de Bello Pratello, Andegavensis agri proceres, cucullo Hervæus monachico donavit. Eidem Theobaldus miles, morbo laborans, plura Calvo Monte sita largitus est. Obiit 31 Martii 1150.

XV. Guillelmus I Amalricus abbas eligitur e priore Belli Pratelli, ut legitur in Aalidis charta; apud *Housseau*, t. V, num. 1751. Quamdam capitis S. Sergii partem, ab orientalibus oris translatam, publicæ venerationi exhiberi curavit, XV cal. Februarii 1152. Eodem anno, Geoffridus comes Baugiacenas ecclesias ei dono dedit. Eodem dicitur Romam tetendisse. Occurrit 11 Martii 1158(1), in Adriani papæ bulla S. Sergii bona confirmantis. Contra plures litigans milites, qui monachorum villam Landas in agro Britannico sibi vindicabant, sententiam obtinuit circa 1160, judice Bernardo, Nannetensi præsule; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 637. Idem, ut videtur, sub tempus a Girardo de Moleriis cucullum suscipiente prædii divitis partem obtinuit. Adfuit, pridie cal. Augusti 1166, translationi corporis S. Brioci. Eum decessisse ferunt 15 Octobris 1168.

XVI. Autbertus, Ausbertus, vel Otbertus, e priore Mosaii factus abbas, propositi tenax in servanda disciplina legitur. Vixerat XVII cal. Junii 1171.

XVII. Hugo II vix per quinque menses S. Sergio præfuit. Obiit V id. Octobris 1171.

XVIII. Lucas occurrit, anno 1177, in chartula Geoffridi præsulis de Sergianorum juribus in ecclesia Lauriacena. Eodem anno, ut aiunt, post sex annos regiminis moritur, XVII cal. Decembris.

XIX. Augerius, vel Ausgerius, ex eleemosynario fit abbas. Anno 1181, in octavis Pentecostes, cum Baugeii canonicis transegit. Anno 1185, a domino papa judex eligitur litis inter canonicos S. Martini Turonensis et monachos Salmurienses exortæ, de jure pa-

(1) Annus in apographo legitur 1159; sed indict. IV, et anno Adriani quarto.

tronatus in ecclesia S. Sulpicii de Castro Novo. Idem, anno 1187, pacem fecit inter Petrum, Macloviensem episcopum, et monachos S. Melanii. Ipse contendens cum Radulfo antistite, tum coram metropolita, tum in Romana curia causam suam oravit, et intactis cœnobii juribus evasit. Anno 1190, proprias vineas cuidam capellaniæ assignat. Quo, ut aiunt, obiit anno, pridie non. Maii.

XX. Reginaldus II, anno 1195, sententiam obtinuit adversus Rainaldum de Castro Guntherii. Idem, anno 1198, mandato domini papæ litem dirimit inter Albinianum conventum et Geoffridum Alversi. Occurrit dein, anno 1199, in charta de Perreio datis ab Hadvisa *de Grez*, et, anno 1200, testis in sententia qua Guillelmus de Rupibus fratres Eleemosynariæ domus monialibus Ronceraii submissos esse jubet. Eumdem, eodem anno, præbet chartula de pace inter Joannem, abbatem Perreii, et Geoffridum, regis ministorem, inita. Celsi dein Creiæque colonos, debitam solvere decimam detrectantes, ante summum Pontificem citavit. Decessit pridie id. Novembris 1201.

XXI. Nicolaus I obiit, ut ait necrologium, 2 Novembris 1203.

XXII. Geoffridus I, Guillelmi præsulis suasu, cum Templi militibus, decimas aliquot exigentibus, pepigit. Memoratur, anno 1207, accipiens ab Hugone *de Charancé* mediam decimam prædii Morennæ siti; apud *Housseau*, t. VI. Idem societatem fecit cum Gervasio, Mellinensi abbate. Obiit circiter annum 1212.

XXIII. Joannes I *de Chastelux* occurrit mense Aprili 1213, secundum recentem usum, litteras Joannis archipræsulis obtinens, quibus omni procuratione liber dicitur prioratus *de Jugne*. Idem, pridie Natalis Domini 1214, in charta Guillelmi præsulis abbatiæ jura confirmantis. Deinde, anno 1215, mandato domini papæ litem diremit de re quadam ad Chalocheii conventum pertinente; ex archi. Andeg., inter Chalocheii chartulas, t. IV, fol. 22. Idem reperitur in Chalocheii chartulario, anno 1218, litem componens inter monachos et Vivianum de Marigneio. Anno 1216, parochiam *Luigné* cum prædio *la Béraudière* commutaverat. Exstant Honorii III litteræ, scribentis, mense Martio 1222, ad episcopum Cenomanensem, et abbates Vadatii, necnon Clari Montis, ut S. Sergium semet recipiant, inquirantque de moribus abbatis perjuri, simoniaci et in crimen direptorum abbatiæ bonorum delapsi. Eas Roma retulit litteras D. *La Porte du Theil*. Quæ an Joannem ad hunc nostrum Frotmundumve sequentem spectent ambigimus. Joannes quidem anno 1221, vel anno 1222, S. Sergio præesse desinit, tam ex Alexandro *Fournereau* quam e Michaele *Germain*. Sententia judicum forsitan cessit anno 1222.

A XXIV. Frotmundus apud Belli Prati toparchas acceptissimus fuit; a quibus confirmationem obtinuit rerum quas Belli Prati fratres possidebant. Memoratur, 1 Maii 1228, Guillelmo *de Villeguer* jus concedens ædificandi capellam, prædicti militis castello contiguam. Obiit 30 Januarii, anno incerto. Ante vero quam fato sublatus esset munus, ut aiunt, abdicaverat.

XXV. Gervasius post Frotmundum occurrit, cujus anniversarium celebrari jussit Phi-
B lippus sequens.

XXVI. Philippus, anno 1232, agnovit se pecuniæ summam a rege accepisse ob damna abbatiæ illata. Capellaniam novam in abbatia constituit, anno 1235, eique reditus assignavit. Devixit XIII cal. Januarii 1243, testibus Martenio et Michaele *Germain*.

XXVII. Nicolaus II plurimis syrtibus implicatas lites sustinuit adversus præsulem Andegavensem. Reperitur, anno 1252, cum archidiacono Transligerano transigens. Adfuit, anno 1255, translationi corporis B. Renati. Ejus meminere tabulæ usque ad diem
C Jovis post Nativitatem B. Mariæ 1259, vel, secundum hodiernum usum, 1260. Decessit, e Martenio et e domno *Germain*, 6 Novembris 1260. Ejusdem meminit necrologium S. Vincentii Cenoman., VIII id. Novembris.

XXVIII. Gualterius II occurrit ab anno 1263. Eumdem præbent, Octobri mense 1266, chartulæ ad prioratum *Rouans* spectantes, in archiv. Andeg. Anno 1270, mediam partem domus, juxta portum *Buscherez* sitæ, in perpetuam emphytheosim tradebat; ex abbatiæ chartul. Sub hunc annum fato
D defunctus est. Clientes aliquot excepit, annis 1264, 1265, 1266, et 11 Octobris 1270.

XXIX. Hamelinus legitur mense Maio 1271. Anno 1272, cum Nicolao præsule de præbenda pepigit. Eumdem præbent chartulæ quas servat archivum Andegavense, annis 1274, 1275. Harembургem, Geoffridi Peregrini viduam, excepit clientelaris obsequii pignus offerentem, 7 Julii 1277. Hamelinum obiisse quidam referunt 5 Februarii 1279, alii 1282.

XXX. Geoffridus II *Soubrit* occurrit, 5 Julii 1282, a Guillelmo *Berart* obsequii profes-
E sionem accipiens. Plures eumdem alii clientes adierunt, annis 1283, 1286, 1289, et 5 Julii 1290.

XXXI. Joannes II *Rebours* in schedis Sergianis primum memoratur die lunæ post Nativitatem Beatæ Mariæ 1290, fidem quodam Reginaldo profitente. Reperitur idem 30 Novembris 1290. Anno 1298, interfuit synodo, in qua Guillelmus Major baillivum Andegav. e societate christiana segregavit. Ejus præterea mentio fit in chartis ad S. Sergii prioratus spectantibus, annis 1293, 1299, 1303, 1307, 1309, 1311, 1312, 1313, ad annum 1314, die

dominica post festum B. Petri ad Vincula. Obiit anno 1315.

XXXII. Guillelmus II Orgeletus, ab anno, ut opinantur, 1315. Obiit eodem anno, pridie non. Novembris. Post ejus decessum plura de successore eligendo dissidia. Pars monachorum una Viviano *Charri* favebat, altera Joanni *de Ponteson*. Utroque renuntiante, itum est ad nova suffragia, et electus est Fulco de Milliariis. Cessit et ipse protinus, et tunc a domino papa præfectus est cœnobio tumultuanti

XXXIII. Petrus II, dictus de Castro Lucii, præpositus Bosseriæ, in Lemovicensi diœcesi, qui bullas accepit pontificias II cal. Novembris 1316; e Suaresio. Occurrit varia sanciens, annis 1317, 1318, 1319, 1320; e chronicis notis quas exhibent Steph. *Housseau* schedæ, t. XIII. De pransorio jure litigavit, anno 1319, cum Hugone præsule. Decessisse legitur circa annum 1320, sed perperam: anno sedenim 1321 translatus erat ad monasterium Montis Olivi, Carcassonensis diœcesis, ut comperimus e Joanni XXII litteris, apud Suaresium, et ex abbatum Montis Olivi serie quam antecessores nostri digessere, t. XIII, col. 991.

XXXIV. Joannes III, Cadenaci prior, in diœcesi S. Papuli, suffectus est Petro litteris Joannis papæ XXII, II non. Septembris 1321. Avenionem Joannes venerat, et, ibi plusculum commoratus, regularia neglexit officia, commodis suis studendo. His gradibus, ut aiunt, ad disciplinæ prolapsionem ventum. Obiit Montepessulani, anno 1327; e Suaresio.

XXXV. Helias I, prior claustralis Artæ Cellæ, in Aquensi diœcesi, litteris Joannis papæ XXII donatus est S. Sergio, nonis Maii 1327. Ejus nomen exhibent Andegavenses schedæ, annis 1329 et 1332, die Jovis post festum Pentecostes.

XXXVI. Guillelmus III, ex operario monasterii Conchensis, apud Ruthenos, e Suaresio, occurrit clientelaris obsequii testimonia accipiens annis 1332, 1333, et in variis præterea chartis annorum 1334, 1336, 1339, 1340. Obiit, ut aiunt, anno 1342.

XXXVII. Petrus III Bertrandi, electus circa 1342, mentionem sui reliquit in schedis annorum 1343, 1347, 1350. Litigavit cum Fulcone *de Mathefelon*, episcopo, et diem clausit anno 1354.

XXXVIII. Guido I legitur die lunæ post festum B. Martini hiemalis 1355. Per saltus Andegavenses strepentibus armis, difficillimam Guido præfecturam sortitus est. Memoratur decedens anno 1364.

XXXIX. Petrus IV de Brolio reperitur anno 1367. Non solum cum Gerardo *Chabot*, Radensi dynasta, litigavit; sed etiam adversus Anglorum ipsum regem querelam movit, Tywardrachensis cellæ invasorem. Moritur anno 1372.

A XL. Guillelmus IV Bajuli, sacræ theologiæ professor, occurrit 4 Septembris 1374. Dissidia Sergianorum monachorum et Andegavensium præsulum scripto memoriæ commendavit, et abdicavit anno incerto.

XLI. Guillelmus V cum S. Mauricii thesaurario pepigit, decessitque, ut aiunt, anno 1387.

XLII. Helias II, patria Petragoricensis, stabiliendæ vel potius renovandæ disciplinæ studiosum semet gessit. Præfectus est anno 1389 Majori Monasterio, permutatione peracta.

B XLIII. Guido II de Luro, patria Lemovix nepos Gerardi *Paute*, Majoretanorum abbas, per viam supra memoratæ permutationis S. Sergium suscepit regendum, anno 1390. Quo anno, 28 Junii, transegit cum Colasio *Raysent*; e Juigneii tabulis, in arch. Andegav. Ibidem reperitur, annis 1395, 1397. Cellæ Chemiriacenæ bona reditusque omnes firmari curavit in comitiis Britanniæ generalibus. Anno 1403, basilicæ navim instaurat. Adest, anno 1409, concilio Pisano. Quo et anno, 20 Julii, eidem per Alexandrum papam V pontificalia insignia induere licuit. C Transit anno 1412 ad Majoris Monasterii præfecturam; e chronico abbatum Maj. Monast.

XLIV. Helias II, Petragoricensis, S. Sergii præfecturam rursus adit anno 1412, permutatione facta cum antecedente. Redux occurrit 7 Octobris 1412, chartam edens de Brissartæ reditibus. Anno 1413, Hireteriam armarii officio univit. Prodigus Majoretanæ rei administrator, ob id ab auctore chronici supra laudati reprehenditur. Addit chronographus: « Sicut lepus qui venatur a canibus, reversus « in locum unde exiverat, flevit mala quæ D « gessit in senectute bona, renuntians omni- « bus mundanis rebus, sine beneficio vel of- « ficio decessit et obiit in abbatia prædicti « S. Sergii, die S. Michaelis, videlicet III cal. « Octobris, anno 1418. »

XLV. Petrus V, Engolismensis dictus, adversus archidiaconum Andegavensis ecclesiæ, qui Sergianos monachos ad suum forum trahere conabatur, sententiam Parisiis obtinuit, anno 1425. Stephano, Bellæ Blanchæ abbati, amplam, anno sequente, pecuniam numeravit. Anno 1434, Siculorum reginæ, cui id jus rex Francorum tradiderat, ratam E summam pro bonis monasterii persolvit. Vivere desiit idibus Maii 1445.

XLVI. Joannes IV *de Berné*, aut *de Bernay*, latine de Berneio, peristromata chori incœpit. Statuta numero undeviginti pro Sergianis condidit, I Maii 1446; quæ reperies in tomo XXXIX Monastici Benedictini. Dein memoratur annis 1454, 1456, 1457, in variis schedis. Promotus anno 1466 ad episcopatum Cicestrensem, in Anglia, abbatiam dimisit. Ejus, ut videtur, abbatiæ necrologium II cal. Martii meminit.

XLVII. Franciscus *d'Orignac*, Lemovix, licentiatus in legibus, e Cisterciensi monacho prior S. Nicolai de Sablolio, apud Cenomanos, S. Sergio præfectus fuit a Paulo papa 6 Octobris 1466, et benedictione donatus a Nicolao episcopo 19 ejusdem mensis. Dein munus adiit per procuratorem 13 Decembris. Occurrit annis 1470, 1471, 1476, 1479, 1480, 1481, in variis schedis quas servat archivum Andegavense. Decessit, ut creditur, 20 Septembris 1483. Ex ejus epitaphio hæc decerpsimus :

> Construxit turrim qua tintinnabula pendent....
> Integra restituit minitantia claustra ruinam.

XLVIII. Joannes V *Tillon*, Andinus, patre Olivario milite, matre Catharina *Le Maire*, juris canonici baccalaureus, e Veronii priore fit abbas, ut aiunt, 27 Septembris 1483, viam licet præcludentibus Georgio *Pot* et Petro *Maschac*, in quos vota quædam convenerant. Pius doctusque et assiduus regulæ sectator laudatur. Obiisse fertur 22 Junii 1501. Electus autem sub annum 1483, ante annum 1501 mortuus comprobatur ex ejus epitaphio :

> Claudit Johannem lapis hic cognomine *Tillon*,
> Qui meritis notus, sanguine clarus erat ;
> Quique bis octonos hanc ædem rexit in annos,
> Monstravitque piæ relligionis iter.

XLIX. Joannes VI *de Chahanay*, patria Cenomanensis, antecedentis e sorore nepos, Hervæi scilicet, domini *de Cheronne* et Catharinæ *Tillon* filius, e priore claustrali abbas electus est. Occurrit 4 Maii 1517. Obiit Julio mense 1519.

L. Joannes VII *de Maschac* Lemovix, e cellario abbas electus 24 Julii 1519, competitorem expertus est Ludovicum de Borbonio, cardinalem, quem Franciscus *de Rohan*, episcopus, invitis fratribus, S. Sergio præfecerat. Hic tamen contentionem omnem dimisit; ut testantur regiæ litteræ, datæ 17 Decembris 1521. Joannis nomen Andegavenses schedæ præbent, annis 1525, 1528, 1530, et 6 Martii 1533. Per procuratorem interfuit, 22 Junii 1528, Turonensi concilio. Decessit anno 1533, XVI cal. Augusti; ex obituario. Regularium abbatum seriem Joannes clausit.

LI. Joannes VIII *Le Veneur*, cardinalis, primus abbas S. Sergii commendatarius, donatus fuit abbatia anno 1533, et anno sequente in gratiam Jacobi abdicavit.

LII. Jacobus I *d'Annebault*, decanus Ebroicensis ecclesiæ, litteras accepit pontificias 5 Augusti 1534. Episcopus Lexoviensis idem fuit, necnon abbas S. Michaelis anno 1539, postea Becci, Boni Portus, S. Taurini Ebroicensis, et obiit 7 Junii 1558.

LIII. Philibertus *de Lorme*, regius architectus, eximia cujus opera summam laudem meruere, abbas insimul S. Eligii Noviomensis, Genestonii et Ibreii, obiit anno 1570.

A LIV. Petrus VI *Mariau* abbatiam resignavit, ut aiunt, anno 1577. Obeuntis S. Sergii martyrologium meminit, VI non. Maii 1582.

LV. Jacobus II *Fouyn*, Argentolii dominus, eleemosynarius Andegaviæ ducis, decessit 8 Junii 1602; ex obituario. Abdicaverat, anno 1583, in gratiam Renati *Fouyn*, Morennis presbyteri. Ea autem resignatio cassa permansit.

LVI. Michael I *Vigier* abdicavit, anno 1607, in gratiam sequentis.

LVII. Petrus VII *Habert*, senator et canonicus Parisiensis, et a supplicibus libellis,
B litteris donatus est pontificiis pridie id. Maii 1607, regiis 12 Decembris, et possessionem adiit anno 1608, quam dimisit anno 1615. Cadurcensis ille postea episcopus fuit.

LVIII. Renatus I *de Breslay*, Trecensis episcopus ab anno 1604, recepit, anno 1624, monachos arctiorem regulæ Benedictinæ observantiam profitentes. Cessit anno 1628 in gratiam sequentis, sub pensionis nomine sibi solvi stipulatus annuatim tria millia librarum Turonensium. Plura de illo quære inter episcopos Trecenses.

LIX. Renatus II *de Briolay*, antecedentis
C e sorore nepos, bullis donatus est pontificiis 5 Februarii 1629. Decessit anno 1671.

LX. Antonius *d'Aquin*, Petri, regii archiatri, filius, abbatiam anno 1672 adeptus est et anno 1678 dimisit.

LXI. Ludovicus *d'Aquin*, superioris frater, nominatur 2 Septembris 1678, ex indice Turonensium beneficiorum, et possessionem adit 30 Maii 1679, duodecim annos natus, cum summi Pontificis dispensatione.

LXII. N. *de Vassé*, ab anno 1710.

LXIII. N. *de Cours*, idem et abbas S. Geor-
D gii supra Ligerim, ab anno 1720.

LXIV. Joannes IX Franciscus Josephus *de Rochechouart*, episcopus Laudunensis, ab anno 1732.

LXV. N. *de Berlo*, 1744.

LXVI. Jacobus III Antonius *de Ricouart d'Hérouville*, canonicus Parisiensis, ab anno 1746.

LXVII. Michael II Franciscus *Couët du Vivier de Lorry*, episcopus Andegavensis, ab anno 1784 usque ad annum 1790.

E

S. PETRUS BURGULIENSIS.

Anno 989, indict. II, Guillelmus, Aquitanorum princeps, Emmæ suæ conjugi plures villas in agro Pictaviensi concedebat, monachis tradendas. Cujus ad normam præcepti, præclara Pictavorum Emma comitissa in villa sua Burguliensi Benedictinum monasterium in honorem S. Trinitatis et B. Petri erigebat, et a Joanne papa XV confirmationem susceptæ fundationis obtinebat, anno

990; apud Sammarthanos, t. IV, p. 202. Anno 991, idibus Februarii, Odo comes Emmæ, sororis suæ, pia dona saucivit. Anno tandem 994, indict. VII, Hugo atque Robertus, Francorum reges, Odone comite defuncto, diplomate regio quæcumque jam peracta stabiliverunt; apud *Besly*, Hist. Pict., p. 277. Mense Martio 1003, Silvester papa II jura monachorum solemni mandato descripsit; apud Sammarthanos, p. 202 : in quo legitur : « Statuimus, annuente Raynaldo « Andegavensi episcopo, ut nullius civitatis « pontifex concilium in eodem monasterio, « absque consensu et voluntate abbatis et « monachorum ejusdem loci, celebrare præ« sumat. Electionem vero abbatis monachis « ipsius loci liceat agere, non ex alienis, sed « ex propriis, cujus vita et mores secundum « Deum sint. Quo electo, duci Aquitanorum « filiisque ejus eum repræsentent, et ipse ei « donum præbeat sine ulla contradictione, « aut aliqua contrarietate. » Hæc de Burgulii fundatione sufficiant.

Ea domus sita erat inter Turones et Salmurium, quam cecinit Baldricus abbas :

Burgulius locus est et Cambio dicitur amnis,
Flumine perpetuo qui vitreus irrigat hortos;
Hocque loco locus est a turbis pene remotus,
Qui tutat fratres a sollicitudine mundi,
Et fovet in gremio diuturnæ pacis alumnos.
Prata virent juxta, quibus est contermina silva.

Spiritualem dominum agnoscebant Burgulienses Andegavorum antistitem; quoad temporalem jurisdictionem ad Cainonense forum ducebantur. Quocirca Burguliensis cœnobii æque frequens in Turonicis et in Andegavensibus chronicis mentio. Anno 1061, flammis Burgulium consumitur. Disciplina cœnobii sublapsa memoratur anno 1217 : quocirca Honorius papa III ad episcopum Nannetensem et archidiaconum Andegavensem scribit, jubens ad arctiorem Benedictinæ regulæ observantiam intemperantes monachos compelli; ex apographis quæ Roma retulit D. *La Porte du Theil*. Antiquiori basilicæ novam, anno 1246, sufficere cœperunt, cujus primarium lapidem Michael præsul posuit, quamque Guillelmus Major postea consecravit, 19 Julii 1293. Postquam autem Angli, 30 Aprilis 1361, in recentem basilicam exitiales tædas intulerant, eam Guillelmus abbas, anno 1387, refecit. Monachorum dein claustrum, anno 1472, Ludovicus *Rouault* ædificavit. Omnem deinde sacrorum locorum supellectilem, disjectis sanctorum reliquiis, Calvinistæ deprædati sunt, anno 1562 Reformatos S. Mauri monachos in abbatiam admisit Leonorius *d'Estampes*, 9 Julii 1630 : qui australem cœnobii partem annis 1658 et 1659, capitulum anno 1660, et dormitorium anno 1672 rursus exstruxerunt. Ad Burguliense monasterium prioratus 42 pertinuere, et ecclesiæ parochiales 64, quas a Bartholomæo Turonensi, Goscelino Burdigalensi, Godofredo Parisiensi, Petro et Isamberto Pictaviensibus aliisque episcopis datas confirmaverunt Joannes XV, Silvester II, Pascalis II, Gregorius VII, Cœlestinus III, Urbanus II, Innocentius III, Gregorius IX, ne cunctos memoremus.

Chartularium Burgulii præbet codex *de Gaignières* 192. Seriem abbatum aliaque ad eamdem abbatiam spectantia reperies insuper in t. VI Monastici Benedictini, et in cod. Sangerm. 577. Nec prorsus despicienda Historia Burguliensis abbatiæ, gallice digesta, septimo decimo sæculo decurrente, a Christophoro *Duvernoy*, monacho, quam servat Supplem. Franc. codex 957, in Max. Paris. Biblioth. Consulendæ utique domni *Housseau* schedæ, t. XVIII.

SERIES ABBATUM.

I. Gausbertus, abbas idem S. Juliani Turonensis, Majoris Monasterii, S. Petri Culturensis et S. Petri Malleacensis, innotescit primum, anno 991, ex Odonis præcepto Emmæ dona confirmantis. Memoratur idem, anno 994, in Hugonis Robertique regio edicto. Die 9 Martii 996, anno regnantis Hugonis decimo, a Guillelmo, Pictaviensium comite, vineas emebat. Accepit, anno 998, a Corbone milite prædium in vicaria Cainonensi situm; quam deinde confirmavit donationem Archembaldus, Turonensis archipræsul, XIV cal. Februarii 999. Anno 1000, reperitur in edicto Guillelmi ducis, Emmæ filii, villam Oziacum et alia prædia Burgulio largientis. Anno 1001, non parva surgebat contentio inter Gausbertum abbatem et Walterium militem, de quibusdam consuetudinibus quas sibi debitas miles asserebat : testimonio tamen plurium senum victus, a petitis destitit. Gausberto deposcente, Bertha regina, eodem anno, Burguliensi cœnobio villas Coldram et Longamvillam ab Emma datas confirmavit. Mense Martio 1003, nominatur Gausbertus in Sylvestris papæ litteris. Anno tandem 1004, Britanniolam, in agro Pictaviensi, accipiebat a Guillelmo duce; apud *Besly*, Hist. Com. Pict. p. 353. Perperam appellatur Guitbertus in Malleacensi Chronico; Rer. Gall. Script., t. IX, p. 9.

II. Berno memoratur ab anno circiter 1008. Concessit, anno 1012, Roberto, Gemeticensium abbati, prædium nuncupatum Longamvillam, accipiens ab eo Turtiniacum. Vide supra, t. XI, Instr., col. 283. Idem occurrit, anno tamen incerto, in charta qua Salmuriensis vir Huebertus Burguliensibus vicariam suam vendidit, subscribente Hugone, Turonorum archiepiscopo; ex abbatiæ chartulario. Decessisse legitur 21 Novembris 1012.

Julianus post Bernonem, anno tamen 999, a Sammarthanis, et post eos a Rogero poni-

tur, a Corbone, milite, villam impetrans Caiononi contiguam. Hanc autem, ut diximus, Gausbertus donationem acceperat. Doctorum fratrum lapsum adnotare abs re non est. Pro Gausberto sedenim, *abbate S. Juliani* Turonensis, *Julianum abbatem* legerunt, et inde commentitia prodiit abbatis Juliani præfectura.

Nullus idcirco locus Gausberto huic secundo, quem Sammarthani Juliano succedere jusserunt. Ad priorem enim Gausbertum referenda quæcumque de posteriore perperam narraverunt. Latitantem Mabillonius primoribus digitis errorem attigit, Ann. t. IV, p. 194 : proditur nunc manifestus.

Reginaldus tandem a Rogero recensetur anno 1015; sed mendose : de Reginaldo inferius, post Joannem.

III. Teudo, idem, ut aiunt, abbas Malleacensis, subscripsit, anno 1040, privilegio Theodorici, Carnotensis episcopi, pro Vindocinensi monasterio. Obiit nonis Januarii; ex abbatiæ necrologio.

IV. Joannes I Teudonis successor dicitur, in charta de colibertis a Giraldo Borello datis; ex abbatiæ chartulario.

V. Reginaldus, anno 1047, adfuit dedicationi monasterii B. Mariæ apud Santones; supra, t. II, Instr., col 483. Idem a Lovone et Raherio, germanis, Coziacum accepit, subscribentibus Geoffrido comite et Agnete prædicti comitis uxore. Terrenum hominem exuit, ut aiunt, 24 Octobris 1055.

VI. Raymundus occurrit ab Isamberto, Pictaviensi episcopo, locum emens ad ædificandam ecclesiam B. Andreæ de Mirabello. Hujus quidem emptionis dies non legitur; sed eam dum Bartholomæus Turonensis archipræsul probaverit, post annum 1053 peracta fuit; annum tamen ante 1060, cum eadem tum regnantis Henrici nomen exhibeat. Eodem Bartholomæo archipræsule, nonnulla commutavit Raymundus cum monachis S. Martini Candatensis, et dimissum habuit a quodam Reginaldo prædium Coziaci situm. Accipiebat, mense Maio 1068, a Goscelino, B. Hilarii thesaurario, prioratum S. Porcharii. Eidem, anno 1069, Isambertus, Pictavorum episcopus, confirmavit ecclesias Argentoni sitas, quas jam Burguliensibus tradiderat Geoffridus Blesensis; ex abbatiæ chartul. Legitur insuper, anno 1076, impetrans ab Alone, Alonis filio, Niolensem ecclesiam in Pictaviensi tractu, et in villa Berria tantum terræ quantum requirebat exstructio prioratus a tribus monachis incolendus. Occurrit deinde Raymundus, 4 Augusti 1077, plura impetrans ab Aldeberto monachum induente; ex abbatiæ chartulario. Accepit idem insuper a Guillelmo Aquitanorum duce mediam parochiam S. Lauri prope Bucellum, et alteram ejusdem partem a Savarico, fratre vice-comitis Thoarcensis; a Burchardo, ecclesiam S. Crucis, Turonibus sitam, sexque domos adjacentes; a Widone, Carosæ ecclesias; ab Evrardo Laudunensi, altare S. Leodegarii; a Goscelino tandem, Burdigalensi archiepiscopo, ecclesiam Secundiniaci castri; quarum donationum memoriam servant plurimæ chartæ, quas *Housseau* necnon *de Gaignières* plerasque collegerunt integras, et contractas exhibet Sangermanensis codex 1065. Decessit IV nonas Januarii; ex abbatiæ necrologio. Annum conjicere licet 1079.

VII. Baldricus, Magduni natus, juxta Ligeris ripas, inter Aureliam et Balgentiacum, sacras profanasque didicit litteras Andegavi. Burguliensis postea factus monachus, abbas allectus est anno 1079. Quod ipse testatus est in epistola ad Fiscannenses monachos, his de Burgulio verbis mentionem faciens : « Horto illi ferme sex lustris custos et hortulanus extiteram. » Annum ante 1082, subscribente scilicet Geoffrido de Langiaco, Turonensi decano, ab Hugone, prædicti Geoffridi germano, mediam Carlonam accepit. Nec multo post, ut videtur, Carosam deveniens, hanc rursus obtinuit ecclesiam Raymundo jam concessam; e chartul. S. Petri Burguliensis. Anno 1088, subscripsit Baldricus chartæ qua pax inita inter Gausbertum Paganum et Girbertum, S. Juliani Turonensis abbatem. Anno sequente, Perusiæ consecrabatur ecclesia S. Petri : cui Baldricus adfuit consecrationi, namque Jordanus Calanensis hanc Burguliensibus ecclesiam nuper tradiderat. Illi condonabat, anno 1090, Geoffridus, Parisiensis episcopus, altare *Limors;* apud *Housseau,* t. III. Occurrit, anno 1093, indict. I, accipiens ab Aymerico Machello ecclesiam S. Michaelis prope Burgulium; quo et anno, XII cal. Decembris, ad eum directæ Urbani papæ II litteræ, quibus dona privilegiaque monasterii quæcumque confirmata. Eodem anno, subscripsit Hugonis, Suessionensis episcopi, diplomati pro monachis S. Theobaldi; supra, t. X, Instr., col. 103. Sedebat Baldricus, natali die S. Joannis-Baptistæ 1094, in capitulo S. Florentii, et subscribebat absolutioni Fulconis comitis; supra, t. IV, Instrum., col. 11. Quo eodem anno, ut videtur, Turonibus aliquantisper commoratus, testis fuit Radulfi archipræsulis, S. Juliani monachos consuetudinibus quibusdam eximentis. Impetravit, anno 1096, a Guillelmo, S. Florentii abbate, ut Burguliensibus Restensem ecclesiam annui sub lege census traderet. Eo eodem anno, ejecto Sanctione, Aurelianensis ecclesiæ præsule, hanc ambiit sedem Baldricus; cui præ cæteris Bertrada, Philippi regis uxor, vel potius, ut aiunt, pellex, summopere favebat. Æmulum vero Baldricus superare non valuit, Joannem nempe, Aurelianensem archidiaconum. Archidiaconus abbatem non doctrina, non fama morum, sed nummis vicit, Ivoni

Carnotensi si fides adhibenda. Ivonis epistolam ad Romanæ sedis legatum, nec contumeliosis, neque etiam obscenis sermonibus carentem, supra lege, t. VIII, col. 1444. Beneficum, id sub tempus, Adhemarum, Engolismensem episcopum, Baldricus expertus est; ab eo nempe plures obtinuit ecclesias in Engolismensi diœcesi sitas. (Ch. xi, col. 151) Adhemari litteris, eodem anno, subscribebat, quibus suppressa fuit præpositura Juliacensis; supra, t. II, Instr., col. 447. Cenomanum invisit anno 1097. Præsens enim, xii cal. Julii, in capitulo S. Juliani, canonicos vidit Cenomanenses et monachos S. Nicolai mutuæ caritatis fœdus jungentes. Anno 1099, iii nonas Februarii, interfuit Andegavi compositæ liti monachos inter S. Nicolai et canonicos S. Laudi. Anno 1101, in curia S. Nicolai, sedit judex in causa quæ inter monachos et Rainaldum Purcellum, præpositum, de jurisdictione intercedebat; ex Epitome Fundat. S. Nicol., p. 91. Accepit, anno 1102, a Stephano de Magniaco Magniacenam ecclesiam; e schedis *Housseau*, t. IV. Eidem Petrus, Pictaviensis episcopus, mense Martio 1102, vel 1103, Burguliensium ecclesias in agro Pictaviensi confirmavit. Subscripsit, anno 1104, sententiæ qua pax inita de Catiis inter monachos S. Albini et S. Nicolai. Anno 1105, viii cal. Novembris, Pascalis papa II, litteris ad Baldricum directis, jura bonaque cœnobii sancivit. Reperitur eodem anno in tabulis S. Maxentii; supra, t. II, Instr., col. 343. Anno tandem 1107, adfuit Baldricus Turonibus, et subscripsit judicio litis de Crusillano altari inter Bellilocenses et Nucarienses monachos. Quo anno salutatus est Dolensis episcopus.

VIII. Guitbertus, aut Wibertus, alias etiam Gausbertus, abbas e priore primum occurrit anno 1108, paciscens cum Fulcone, fratre Geoffridi comitis, de venditione Cainonensis panis; ex abbatiæ chartul. Idem, anno 1112, Paganum de Claris Vallibus, qui res Burguliensis cœnobii invaserat, in capitulum pœnitentem et a famulis Dei veniam quærentem compulit. Alonem præterea militem, qui jam Baldrici tempore monachis debitam fidem detrectaverat, compulit, post multas contentiones, sponsionesque non semel elusas, ad jura Burguliensium agnoscenda, viii cal. Aprilis 1114; e charta, quam legere licet apud Sammarthanos, necnon inter schedas domni *Housseau* correctiorem (1). Exstant ad eum litteræ Gerardi, Romanæ sedis legati, anno datæ 1117, indict. x : ante quem scilicet Guitbertus litigabat cum Marquerio, Monasterii Novi Pictaviensis abbate, super ecclesia Magniacena. Cecidit in hac causa Marquerius; ex abbatiæ chartul. Decessit, ut aiunt, Guitbertus 31 Augusti 1123.

IX. Bernardus, e Chronico Malleacensi, post Guitbertum. Ab Aldearde, vice-comitissa Thoarcensi, prioratum S. Leodegarii accepit. Decessisse eum referunt 17 Februarii 1126, sed perperam.

X. Itherius, abbas e priore, jam sedebat anno 1125; nam litteris Rainaldi præsulis subscripsit, decem solidos, in ecclesia Lusdensi percipiendos, Albiniano conventui largientis; e chartul. S. Albini. Idem occurrit, anno 1130, in instrumento Guillelmi, Pictaviensis episcopi, de capellano Casæ Comitis eligendo: inter schedas domni *Housseau*, t. IV. Testis dein fuit, anno 1133, Geoffridi comitis, Salmuriensi monasterio condonantis quidquid juris habebat in terra Guillelmi Sellarii; ex eisdem. Transiit Itherius ex abbatia Burguliensi in cathedram Nannetensem.

XI. Petrus I obiisse videtur anno 1148; e litteris Ulgerii ad Sugerium et Sugerii ad Ulgerium.

XII. Robertus Petro sufficitur monachorum suffragiis, 30 Junii 1148. De eo scripsit Ulgerius, Andegavensis episcopus, ad Sugerium, abbatem S. Dionysii, electionis peractæ confirmationem deposcens, Ludovico rege tunc in transmarinis partibus adversus Saracenos bellum movente. (*Rer. Gall. Script.*, t. xv, p. 490.) Exstant ad eumdem Burguliensis congregationis hac de re litteræ. Confirmationem petitam concessit Sugerius, ad Ulgerium scribens. (*Ibid.*, p. 491.) Obiit, ut aiunt, Robertus anno 1150.

XIII. Aymericus ante diem 4 Maii 1153, præsente scilicet Normanno præsule, subscripsit chartæ Mathildis Fontis Ebraldi abbatissæ, Buxeriæ prædium confirmantis. Idem, anno 1155, litteris Adriani papæ confirmatus est in possessione Magniacenæ ecclesiæ, quam sibi vindicabat abbas Monasterii Novi. Permutavit deinde quædam jura cum Roberto, Omnium Sanctorum abbate, et a Guidone *Recognart* Broliæ reditus omnes accepit. Obtinuit, idibus Decembris 1162, a Petro, Engolismensi episcopo, confirmationem bonorum in Engolismensi diœcesi sitorum; e codice Sangermanensi, sub num. 1065. Fœdus pepigit, anno 1163, cum Huberto de Campania, de pluribus colibertis; ex abbatiæ chartul. Quod circa tempus, inter illum et priorem Castri Fortis acerrimum exarsit dissidium. Quod Alexander papa III detulit enodandum Joscio, Turonorum archipræsuli, Andegavensi episcopo, necnon abbati Majoris Monasterii. Hi vero Burgulium devenientes Aymericum dixerunt falsis criminibus impetitum. Exstant de eodem jurgio litteræ Ste-

(1) Illam Sammarthani fratres chartam anno 1106 adscripsere, et in ea nomen prave legentes Humberti cujusdam abbatis, hunc Humbertum, alium a Guitberto, Baldrico succedere jusserunt anno 1106, Guitbertum postea sub annum 1112 posituri. Ex certis jam patet monumentis Baldricum Burguliensibus etiamnum rebus præfectum anno 1107. Annus insuper indictionis septimus, qui legitur in ipsa charta, vel apud Sammarthanos, nullo modo quadrat cum anno 1106, sed cum 1114. Removeas ergo, non dubius quidem, sed confidentissimus, hunc nulli notum eatenus Humbertum, quem erronea Sammarthanorum lectio in lucem misit.

phani, Redonensis episcopi, ad Ludovicum regem, in quibus Aymericus haud secus omni culpa liberatur. Re tandem cognita, Ludovicum regem his Alexander papa verbis allocutus est : « Ad tuæ magnitudinis notitiam « volumus pervenire, nos, ex tenore vene- « rabilium fratrum nostrorum Turonensis ar- « chiepiscopi et Andegavensis episcopi et di- « lecti filii nostri abbatis Majoris Monasterii, « evidentius accepisse quia prior Castri For- « tis et alii socii ejus in accusatione dilecti fi- « lii nostri Burguliensis abbatis, viri quidem « religiosi et Deum timentis, penitus defece- « runt, et omnino sunt mendaces reperti, et « propterea excommunicationis vinculo in- « nodati. » Consule Rer. Gall. Script., t. XV, p. 811. Occurrit tandem Aymericus, anno 1168, cum Andeberta, vel Andeburgi, Fontis Ebraldi abbatissa, paciscens de villa quam Lotgas dicebant et adjacente nemore; ex abbatiæ chartul. Obiit idibus Maii, ex abbatiæ necrologio; anno, ut quidam opinantur, 1185.

XIV. Hilarius electus dicitur anno 1185. Ei sagenæ tractum Bartholomæus tradidit liberum, anno 1186, in portu Condatensi; e schedis domni *Housseau*, t. V. Ibidem legitur archipræsulis supra memorati præceptum, anno datum 1188, quo Burguliensium in agro Turonensi possessiones ad preces Hilarii confirmantur. Eidem, anno 1191, Nivelonus Ursi de Fractis Vallibus largiebatur quartam partem decimæ *Prischay*. Suscepit Hilarius, anno 1196, donum Simonis *Botenne*, optantem sibi beneficiis monachorum fraternitatem demereri; e San-German. codice 1065. Quo etiam anno, xv cal. Julii, pontificatus sui sexto, Cœlestinus eidem papa litteras misit quibus invaluit jus Burguliensium in ecclesiam Montiniacenam. Ingrandiæ plura Burgulienses tenebant : quorum confirmationem obtinuit Hilarius, anno 1198, a Rainaldo de Uceio, Jacquelini filio. Nec aliter, anno 1200, Joannes de Montorio rata denuntiavit, eidem favens, quæcumque regebant Ingrandiæ Burgulienses, ab atavis suis concessa. Utramque sanctionem præbet tomus V chartarum quas domnus *Housseau* collegit. Moti tamen in Hilarium jam pridem fratrum animi, ut compertum habemus ex Innocentii papæ III litteris; in quibus legitur Hilarium de bonis exhaustis postulatum fuisse, et causam illius abbatibus Vindocini, Perseniæ et Buxeriæ demandatam, dein Herberto episcopo Redonensi. Electus est papa Innocentius anno 1198; quo et anno supremam Herbertus diem obiit. Ad hunc igitur annum referendæ supra memoratæ litteræ. Lata fuit judicis in Hilarium sententia, quam dominus papa non multo post sancivit. Tunc ille, dignitate deposita, exsul in monasterium S. Jovini de Marnis abiit. Ad suos tamen, peracta pœnitentia, rediit. Occurrit enim, anno 1200, a Joanne *de Montoire* confirmata suscipiens quæcumque monachi Ingrandiæ possidebant, ex abbatiæ chartul., deceditque, xvi cal. Septembris 1207, in ædibus S. Andreæ de Mirebello.

XV. Lucas obtinuit, anno 1208, ab Innocentio papa III, bonorum confirmationem ad Burguliense monasterium spectantium. Bullam hanc edidere Sammarthani. Decessisse legitur 8 Januarii, anno forte 1222.

XVI. Hubertus memoratur in tabulis annorum 1223, 1225, 1230. Anno 1224, pacem fecit inter Joannem *Malet* et fratres Grandimontenses nemus *Monnais* incolentes; ex eorum chartulario. Paciscentem eum habemus, anno incerto, cum Aalyde de Curto Leone, super rebus defuncti cujusdam Aymerici Graffini; apud *Housseau*, t. V. Obiit xii cal. Augusti; ex abbatiæ necrologio. Ejusdem meminit ii non. Januarii Culturense necrologium; iii non. ejusdem mensis, obituarium S. Juliani Turon.

XVII. Guido, quem Guitbertum quidam nuncupant, occurrit anno 1236. Huic F., Belli Montis domina, domum suam capellamque tradidit. Decessit, ut legimus, 16 Junii 1238.

XVIII. Geoffridus I novam ecclesiam ædificare cœpit anno 1246. Mense Julio 1248, in chartula de decima Segundiniacensi reperitur. Ejus tabulæ meminere anno 1255. Vita, aut, ut alibi legitur, regimine cessit 19 Junii 1257.

XIX. Guillelmus I, Sammarthanis ignotus, occurrit, anno 1262, censum agnoscens Guidoni *de Beauçay* persolvendum. Eidem, anno 1263, Hugo *l'Archevesque* tres villas concessit dictas *Vouvant*, *Morvant* et *Taillebourg*. Reperitur dein, anno 1266, in chartulario S. Vincentii. Obiit, ut aiunt, 16 Julii 1274.

XX. Hugo, abbas e priore Focaii, anno 1274. Hunc recens electum sacris interdixit Petrus, Pictaviensis episcopus. Ad dominum papam confugiens Hugo judices obtinuit. Decessit 28 Octobris 1301.

XXI. Geoffridus II obiit anno 1313.

XXII. Gislebertus de Vernoto, Burgulii professus, prior dein Petrosiæ, consecratur a Guillelmo præsule, et ab eodem Philippo regi uti consecratus denuntiatur, die Mercurii post octavas Epiphaniæ 1314, secundum recentem usum.

XXIII. Gervasius legitur anno 1326, componens cum Fortio, Pictaviensi præsule; e Sammarthanis. Quo abbatiam regente, xi cal. Januarii 1350, Clemens papa VI Burguliensium conventuali mensæ Charlonensem prioratum univit. Admittebat, anno 1353, fundationem cujusdam anniversarii. Obiit anno 1355. Ejus abbatiæ necrologium meminit vi nonas Martii. Alibi legitur decedens 2 Novembris.

XXIV. Bertrandus *de Vignac*, Gordæ prior, in Cavallicensi diœcesi, capellanusque

domini papæ, ab Innocentio VI donatur abbatia Burguliensi, II non. Aprilis 1356; e Suaresio. Cessit, anno 1361, in manibus Heliæ, S. Stephani in Cœlio monte cardinalis.

XXV. Jocelinus, prior Dolensis, in Andegavensi diœcesi, Bertrando cedenti suffectus est litteris apostolicis, II id. Martii 1362; ex eodem Suaresio. Illius nonis Septembris, eodem anno, mortui vices excepit

XXVI. Petrus II *Le Vayer*, licentiatus in decretis, antea prior Buysselli, qui electus est 22 Septembris 1362, ut compertum habemus e litteris Burguliensis capituli ad episcopum Andegavensem. De eo mentio fit in tabulis annorum 1364, 1366. Obiit XV cal. Maii 1371.

XXVII. Matthæus *Gaulthier*, consiliarius regis, abbas recens electus, ad regem ire non protinus valuit, prohibentibus Anglorum turmis per totam provinciam debacchantibus. Quocirca scripsit Carolus, regis primogenitus, ad baillivum Turonensem, his verbis : « Ad supplicationem religiosi viri abbatis Burgulii in Valleya, de novo abbatem constituti et consecrati, dicentis se pro fidelitate et juramento carissimo genitori nostro, seu nobis, loco ipsius, præstandis, ad dominum genitorem nostrum, seu nos, hostilitate Anglicorum et regni Franciæ inimicorum ac patriæ deprædatorum ferocitate obstanter accidere, nec viam arripere non posse. Nos igitur... eidem abbati dilationem... hinc ad mensem post dicti genitoris nostri reditum concedimus. » Sacramentum tandem præstitit Matthæus mense Maio 1372, ut testantur litteræ ab eodem Carolo missæ, die 9 hujus mensis, et ei monasterii temporale tradidit baillivus Turonensis die 7 Junii ejusdem anni. Moritur 1 Decembris 1384.

XXVIII. Guillelmus II *Ledan de Rillé*, antea sacris abbatiæ præfectus, regi fidem dat abbas electus 6 Aprilis 1386. Ultima die Julii 1387, missos excipit regios, qui solo tenus æquatam ecclesiam abbatiæ cernentes, ut sibi temporalia conventus bona tradantur petunt. Adfuit vero prædictus abbas, eversam ecclesiam fuisse memorans ab annis jam quatuor et viginti, et se, nondum inde a tribus annis sedentem, jam plura refecisse prædia, opusque reparandæ basilicæ suscepisse. Quibus auditis, missi recesserunt, remque ad provincialem præfectum detulerunt. Reperitur Guillelmus annis 1388, 1390, 1391, 1394. Decessit 14 Martii 1395.

XXIX. Petrus III *Girard*, Auzaii prior, Guillelmo a fratribus suffectus est. Is propter belli tumultus ad sedem apostolicam accedere non valens, procuratores constituit, 15 Martii 1395, vel potius, secundum recentiorem usum, 1396, qui Benedictum papam pro ipso supplices adirent. Sibi summus Pontifex, Guillelmo vivente, provisionem Burguliensis monasterii reservaverat. Factam

A igitur electionem rescidit, et Petrum motu proprio nominavit, II id. Septembris 1397. Petrus dein in possessionem invectus est circa festum Omnium Sanctorum. Senex erat et æger, et ei non semel, anno 1398, ad præstandam fidem data mora. Memoratur annis 1400, 1401, 1404, 1405. Idem, anno 1407, indict. XV, missam quotidianam instituebat; ex abbatiæ chartul. Quo et eodem, 25 Augusti, in Cainonensi curia cum Guillelmo *de la Barre* componebat; ibid. Decessit 29 Novembris 1408.

XXX. Joannes *Reversé*, sacris abbatiæ antea
B præpositus, memoratur anno 1409, ut qui procuratorem miserat ad concilium Pisanum. Idem, anno 1410, litteris Joannis papæ XXIII, mitra cæterisque pontificiis insignibus donatur. Ejus præterea mentio fit annis 1417, 1418. Decessit 17 Decembris 1425.

XXXI. Radulfus *Berruyer*, antea æditiuus monasterii, abbas electus est favore Petri *de Cullant*, qui Burguliense monasterium cum ducentis equitibus invaserat. Quædam Radulfus cum prædicto milite pactus erat; non vero promissam numerare valens pecuniam,
C sub pretextu peregrinationis abiit, et post quinque menses a sua promotione, permutavit Burgulium cum sequente, mense Maio 1426, Sulleium accipiens.

XXXII. Eustachius *de Maillé*, Sulleium deserens, Burguliensium memoratur in tabulis a 1 Decembris 1426 ad 5 Septembris 1437. Obiit, ut quidam referunt, 8 Octobris 1439.

XXXIII. Ludovicus I *Rouault de Gamaches*, e toparchis *de la Rousselière*, apud Pictones, Auzeii prior ab anno 1429, eligitur abbas ultima die Octobris 1439. A nonnul-
D lis quidem proponebatur Harduinus *Botterel*, abbas jam B. Leonardi de Ferrariis; hic tamen lege suffragiorum remotus evasit. Consecratus est Ludovicus a Joanne, Andegavensi episcopo, 19 Decembris. Episcopus postea fuit Malleacensis. Quo in episcopatum suum abeunte, fratres elegerunt Simonem *de la Verrue*, priorem Foceyi. Hunc vero consecrare noluit Andegavensis episcopus, et ipse litteras obtinuit pontificias quibus monasterium in commendam accepit. Utrumque vero Carolus rex admonuit, 3 Julii 1455, ut, omni sublata ad Romanam curiam pro-
E vocatione, rem ad se deferrent. Eo anno, 9 Octobris, vacans dicitur sedes Burguliensis in litteris Aimerici, abbatis Oratorii; e Burgulii chartulario. Mox, suffragiorum spreta lege, Burguliensis abbatia sub commendæ titulo tradita rursus fuit Ludovico, Malleacensi episcopo, qui quidem legitur in tabulis annorum 1463, 1473. Ejus motus precibus, XVIII cal. Julii 1474, Sixtus papa prioratum B. Mariæ de Bucello mensæ univit abbatiali. Obiit III idus Martii 1477,

postquam jam ab aliquot annis abdicaverat. A

XXXIV. Joannes III *Heberge*, Ebroicensis episcopus, Burgulii commendam obtinuit a Sixto papa IV, anno 1475; supra, t. XI, col. 608. Ei Ludovicus rex, 14 Augusti 1475, regio fisco persolvenda condonabat; ex abbatiæ chartul. De Joanne, Burguliensi abbatia nuper donato, lege epistolam Ludovici XI ad dominum *de Bressuire*; in Vitis Virorum Illustrium a Petro *de Brantôme*, t. I, p. 41.

XXXV. Guillelmus III *de Clugny*, Pictaviensis episcopus, annis 1479, 1480.

XXXVI. Stephanus *Faulquier*, postquam, Guillelmo defuncto, per quatuor circiter an- B nos abbatialis sedes vacaverat, præfecturam Burguliensem, litteris munitus regiis, sibi vindicavit. Conculcatam desiderantes scrutinii legem, Stephano monachi viriliter obstitere. Is autem armatorum copiam necnon plurimos clientes secum ducens advenit, et, monachis vana moventibus, ædes occupavit. Quocirca Petrus *Mauduit*, abbatiæ eleemosynarius, cæterique, dissipatis de bonis querentes, eum in causam vocaverunt, anno 1485. Operam vero perdidere. Stephani meminit abbatis Burguliense chartularium, ultima die Aprilis 1483. Ejusdem men- C tio fit 28 Aprilis et ultima Junii 1496; dein 10 Januarii 1500. Cessit Stephanus in gratiam sequentis, anno 1513, cum annua pensione ducentorum auri ducatorum.

Quidam, inter quos Sammarthani, ante Philippum sequentem ponunt Adrianum *Gouffier*, cardinalem *de Boisy*. Non autem Adrianus hic fuit abbas Burguliensis, sed Burgidolensis; quem reperies supra, t. II, col. 152.

XXXVII. Philippus *Hurault de Chiverny*, abbas idem S. Launomari Blesensis, dein Absiæ, Majoris Monasterii et S Nicolai, nec- D non prior S. Catharinæ Vallis Scholarium, in locum Stephani abdicantis instituitur litteris apostolicis, III cal. Junii 1513. Possessionem adiit per procuratorem, Augusto mense, usus in eo Roberto *Hurault*, Æduensis ecclesiæ cantore. Occurrit in tabulis anni 1514. Qui postquam ecclesiæ Burguliensis altare majus ædificaverat, in eo suam imaginem poni jussit. Hanc autem unus e monachis, nomine *Commeau*, eleemosynarii munus implens, capite truncavit. Is erat fratrum in commendatarios abbates animus. Ædes abbatiæ Philippus refecit. Occurrit apud Burgu- E lienses anno 1514, procuratores instituens. Qui vicario generali utebatur Guillelmo *Menoir*, priore S. Gemmæ juxta Segredum. Per procuratorem adiit Turonense concilium, 22 Junii 1528. Decessit 12 Novembris, vel Decembris 1539, et sepultus est Parisiis in Alborum Mantellorum ecclesia.

XXXVIII. Carolus *de Pisseleu*, Condomensis episcopus, fidem exhibuit regi 28 Junii 1547; e Sammarthanis. Obiit anno 1564.

XXXIX. Ludovicus II a Lotharingia, cardinalis, episcopus Senonensis Metensisque, post Carolum occurrit. Decessit anno 1578.

XL. Ludovicus III *de Clermont d'Amboise*, miles Barensis; e serie quam Christophorus *Duvernoy* coævus digessit. Annos ille triginta vix natus, occisus est, 19 Augusti 1579, a Carolo *de Chambes*, domino de *Montsoreau*. De qua cæde plura quære, si lubet, apud Thuanum.

XLI. Joannes IV *Rosias* postea legitur. Ille fiduciarius fuit Renati *de Savoye*, baronis *de Cypierre*.

XLII. Guillelmus IV *de Bailly*, eques, comes Feritatis Alensis, consiliarius regis, necnon præses in camera Computorum, Parisiis. Occurrit 6 Mai 1582, vicarium generalem instituens Renatum *Dolbeau*. Die 28 ejusdem mensis interiit, veneno, ut referunt, sublatus.

XLIII. Laurentius *Gillot*, licentiatus in decretis, litteris donatur apostolicis IX cal. Maii 1586. Abbatia potitur per Nicolaum *Auroux*, quem procuratorem elegerat, 15 Julii 1587. Ille, ut aiunt, nomen suum præbuit Joanni *de Montluc de Balagny*, Cameracensi præfecto, qui fructus abbatiæ percipiebat. Postquam vero Joannes a rege deficiens, sub vexillis S. Unionis militaverat, Burguliensis abbatiæ reditus rex ad Carolum Borbonium, cardinalem Vindocinensem, transtulit. Hic eodem Laurentio, prout videtur, quasi *custodi-nos*, vel confidentiario, usus est. Sanrita pace, anno 1593, reddita Joanni *de Montluc* Burguliensis abbatia, qua fruens legitur usque ad annum 1596. Tunc eum in jus adduxerunt monachi, poscentes ut locorum regularium parietinas relicceret. In his Joannes angustiis abbatiam inscripsit venalem, eamque, acceptis quatuor millibus librarum, Joanni *d'Estampes de Valençay* tradidit. Obiit Laurentius anno 1597.

XLIV. Adrianus *Le Maistre*, presbyter Atrebatensis, licentiatus in decretis, Burgulium accepit in commendam litteris apostolicis, IV idus Augusti 1597. Possessionem adiit 30 Aprilis 1598. Fiduciarius ille fuit Joannis *d'Estampes*, jam pro eodem curam gerens Barzellensis monasterii, in Bituricensi ecclesia.

XLV. Leonorius *d'Estampes de Valençay* litteris exhibitis pontificiis possessionis aditionem requirebat 27 Julii 1605. Dictus est, anno 1620, Carnotensis episcopus, dein ad archiepiscopatum Remensem promovendus. Multis ille dives monasteriis, flagellum nuncupatur Burguliensis monasterii. Acerrimas enim adversus monachos lites movit. Eum quære inter episcopos Carnotenses, t. VIII, col. 1191.

XLVI. Henricus *d'Estampes de Valençay*, eques ordinis Hierosolymitani, præerat anno 1654. Humaniores litteras Burgulii profes-

sus est, anno 1659, domnus Gabriel *Gerberon*, tot operum laude clarus.

XLVII. Ludovicus IV Nicolaus *Le Tellier*, filius Michaelis Francisci *Le Tellier de Louvois* et Annæ *de Souvré de Courtanvaux*, possessionem adiit 24 Novembris 1678. Abdicavit anno 1684.

XLVIII. Camillus *Le Tellier de Louvois*, abbas idem Vallis Lucentis et præpositus ecclesiæ Remensis, Burgulio donatus est a rege 31 Maii 1684. Decessit anno 1718.

XLIX. Guillelmus V *Dubois*, cardinalis et archiepiscopus Cameracensis, creatus est abbas Burgulii anno 1719. Decessit 10 Augusti 1723.

L. Ludovicus V Leonardus *d'Allègre*, ab Octobri mense 1723; mortuus est Parisiis 8 Martii 1750.

LI. Germanus *de Chateignier de la Chastaigneraie*, doctor Sorbonnicus, episcopus Santonensis, ab anno 1750 ad annum 1782.

LII. Cæsar Guillelmus *de la Luzerne*, episcopus et dux Lingonensis, ab anno 1782 usque ad annum 1790.

S. NICOLAUS.

Locum in Andegavi suburbio situm, ad ripam torrentis Brionelli, instaurare cœpit monachis aptum admittendis, anno 1020, Fulco Nerra, Geoffridi filius. Ille enim sævissima procella jactatus, dum Hierosolymam tenderet, S. Nicolaum, Myræ episcopum, imploraverat ædem vovens. Exsurgens opus basilicæ consecravit, eodem anno, cal. Decembris, præsul Andegavensis Hubertus, in honorem scilicet SS. Nicolai episcopi, Hieronymi presbyteri, necnon Lazari; et acciti sunt non multo post Majoretani monachi, e quorum grege Baldricus sociis rector datus est. Is vero mox nova claustra dereliquit, furtim eremum petens. Ad confratres deinde, Majus Monasterium incolentes, rediit; nec multo post in prioratu Thalennensi vitam finivit. Tunc Albertus, abbas Majoris Monasterii, ei Ragimaldum monachum suffecit, qui et ipse ante benedictionem aufugit ad Geoffridum, Fulconis filium, protinusque regimen Vindocinensis cœnobii recens constructi, absque licentiâ abbatis sui, suscepit. Iratus Fulco, cum se videret a duobus deceptum abbatibus, jussit ut cæteri fratres abirent in monasteria quæ jam eos antea susceperant alendos. Deinde rogavit Waltherium, abbatem S. Albini, ut abbatiæ S. Nicolai Hilduinum præfici curaret. Hæc fuerunt inauspicata quidem S. Nicolai initia. Monasterium legimus consummatum anno 1033. Anno 1052, Geoffridus Martellus, Fulconis Nerræ filius, brachii S. Nicolai partem, ipsi datam, benevolentiæ pignus, ab Henrico III imperatore, Aderaldo abbati concessit, qui, eas reliquias ex aula principis in monasterium

A suum transtulit et in sacrario reposuit. Hujusce translationis festus dies quotannis celebrabatur 23 Octobris. Fundationem confirmavit Henricus rex, calendis Martii 1057, tunc temporis degens in monasterio S. Albini. Andegavum deveniens Urbanus papa II, 10 Februarii 1096, peracto Claromontano concilio, S. Nicolai rursus ecclesiam consecravit, stipatus cardinalium et episcoporum frequenti caterva. Huic adfuit dedicationi Robertus *d'Arbrissel*, Fontis Ebraldi fundator, qui, papa jubente, ad populum sermonem habuit; e Baldrico Dolensi, Rer. Gallic.
B Script., t. XIV, p. 164. Exstat amplum Urbani diploma, quo confirmantur possessiones, decimæ, bona, privilegiaque monachorum S. Nicolai. Pluribus abbatiam ditaverat bonis Fulco Nerra: auxit a patre data Geoffridus Martellus. Inter cæteros benefactores nominantur Græcia comitissa, Fulco Richiuus, Guillelmus de Braiosa, miles, mare transfretans cum Guillelmo Conquestore, Fulco Richiui filius, Geoffridus cognomento Pulcher, Mathildis imperatrix, Henrici I, regis Anglorum, filia, Berlæi senior et junior, et Adela comitissa Blesensis. Nec prætereamus
C Odonem, S. Martini Turonensis decanum. Is gravi laborans morbo, e cœnobio S. Nicolai Joannem monachum et eumdem medicum ad se vocavit : cujus postquam curis sanatus fuerat, monachis S. Nicolai dedit in perpetuum ecclesiam S. Simplicii apud Turones, et vicum ecclesiæ contiguum. Proferuntur confirmationes rerum a Richardo, Anglorum rege, anno 1189; a Ludovico, rege Francorum, anno 1498; a Francisco I, anno 1517. Non ampla quidem S. Nicolai privilegia : occurrit tamen abbati concessum a Calixto papa III, anno 1456, ut pontifica-
D libus uteretur indumentis. De reliquiis olim apud S. Nicolaum servatis legendus Petrus *Leduc*, in Hist. abbatiæ S. Nicolai Compendio : « Insignes et multæ erant templi hujus « reliquiæ sanctorum, diversis temporibus « hic depositæ et magnifice auro et argento « inclusæ : sed profanus nebulo, monachum « schemate professus, nomine Anselmus « *Beaufait*, nocturno tempore, quiescentibus fratribus, sacrarium nostrum horrendo « sacrilegio diripuit, aurum omne et argentum abstulit, argenteam thecam gemmis et « margaritis optimis ornatam, in qua pars
E « brachii S. Nicolai inclusa erat et adamantem maximi pretii expilavit, mense Novembri anno 1557, vagusque apud Venetos suspendio crimen luit, facto contra eum indicio per dictum adamantem quem digito « circumferebat, quique a Venetis etiamnum « inter pretiosa servatur. » Hæc Petrus *Leduc*, scribens anno 1678. Temporibus Guillelmi *Fouquet de la Varenne*, anno 1610, regii consilii consultum S. Nicolai abbatiam reformatæ secundum S. Mauri normam con-

gregationi adscripsit. Id vero cassum evasit, obnitentibus monachis. Mitigatam saltem reformationem induxit, anno 1628, Guillelmus *Ayrault*, doctor Sorbonnicus idem et prior S. Nicolai. Ea de re transactio inita fuit, 8 Novembris 1628, cum Henrico Arnaldo abbate : quam comprobavit Claudius *de Rueil*, Andegavensis episcopus. Ad se vocavit igitur Guillelmus prior, mitigatæ observantiæ institutores, quatuor monachos e prioratu *Lehon* deductos. Mox acerbiores exortæ sunt querelæ inter monachos et priorem, abbatem, monasteriique patronum episcopum. Hinc novo confirmavit episcopus decreto disciplinam nuper instauratam, jam vero obsolescentem. Hæc sunt episcopi nervosa verba, exordium ducentis e monachorum tumultuariis factionibus : « Nullum in ecclesia sæculum « in quo reperies monasterium tot et tantis « fluctibus, ventis, tempestatibusque conturbatum, quantis S. Nicolaus Andegavensis. « Cum enim intestina fratres in bella modo « præcipites ivissent, modo extrinsecus pro« cella irruisset, non quidem in memoria « priscorum urbis civium occurrit cœnobium « hoc aliquando quietum et pacificum fuis« se. » Unde satis constat quantus eo tempore fuerit animorum discordantium impetus. Anno 1638, die 28 Octobris, decedente Guillelmo priore, ad designandum successorem promptiores monachi Guillelmum Cæsarem elegerunt : cujus non probatam habuit electionem episcopus, et mox, eo suadente, acceptus et accitus Jacobus *de Goubi*, qui prioris munus per tres annos impleret. Tunc iterum multus sermo de adscribenda S. Nicolai abbatia congregationi S. Mauri : sed non de verbis ad rem patuit via. At Claudio *de Rueil* successit, anno 1649, Henricus Arnaldus, ipse jam abbas S. Nicolai commendatarius, qui litigantes sæpius monachos pro viribus ad reformationem ineundam impulit. Anno tandem 1670, 15 Januarii, ea de re paciscuntur, et, mense Junio 1672, regiæ recipiuntur litteræ quibus S. Mauri sodales loco potiri jubentur. Accedunt eodem anno, 29 Julii.

Seriem abbatum confecimus e veteribus chartis, necnon e compendio Petri *Leduc*, quod servatur inter S. Germani Pratensis codices, sub numero 583[1]. Nec prætermisimus quæ tradidit e chartulario S. Nicolai summatim excerpta domnus *Housseau*, t. XIII schedarum, part. 1. Præcipuum vero nobis contulit auxilium Epitome rerum scitu dignissimarum a prima S. Nicolai fundatione, quod anno 1635 edidit, Andegavi, F. Laurentius *le Peletier*.

SERIES ABBATUM.

I. Baldricus, e Majore Monasterio deductus, annum circa 1020; de cujus apud Thabennenses secessu jam supra dictum est.

II. Reginaldus I, vel Rainardus, fugit susceptam ante benedictionem. Eum quære inter Vindocinenses abbates, t. VIII, col. 1366.

III. Hilduinus, e priore S. Albini creatur abbas, ut aiunt, anno 1033; verius forsitan post annum 1036. Huic Geoffridus Martellus omnia quæ S. Nicolao dederat pater confirmat, eis addens stagnum juxta fluvium Brionellum, anno 1040. Hilduino cognatus erat Rainaldus Mischinus, qui, sæpius in abbatiam venire solitus, ei Cantosciacenam ecclesiam tradidit. Hæc in charta paulo recentiori leguntur. Sic etiam Ernaldus, Hilduini frater, dictus Concubinarius, terram Strichiacenam S. Nicolao concessit, et ipse, ad meliorem vitam emergens, factus est monachus. Dives quidem erat is Ernaldus; mascula prole carens, plura S. Nicolao, Arraldi sequentis temporibus, largitus est.

IV. Arraldus, vel Aderaldus, cui Quimarhocus miles, Brito genere, in agro Britannico ecclesiam S. Paterni dedit. Cum vero pergeret ad prædictam ecclesiam Aderaldus, Quimarhocus cuncti semet præbuit obvium, cum Dolensi vice-comitissa, quæ plura jam concessis addidit. Nemini quam Arraldo magis confidebat Geoffridus Martellus. In quem eximia jura transtulit : imo tot bonis dives, tanta conspicuus fama Geoffridus, Aderaldo suadente, principem exuit, factusque S. Nicolai monachus in capitulo fratrum sepultus est. Aderaldo dedit insuper Græcia comitissa, Berlaio II primum nupta, tum demum Geoffridi Martelli uxor secunda, ecclesiam S. Petri Monasteriolensis. Subscripsit idem chartæ Geoffridi Junioris, consuetudines Salmuriensibus monachis molestas dimittentis. Testem etiam eum habemus, II calendas Julii, vel Junii, 1062, cujusdam Hildeburgis colibertum, nomine Gauzlenum, libertate donantis. Obitum ejus celebrabant Roncereii moniales, XIV cal. Maii.

V. Hamo accepit ab Hugone de Cantosciaco Fenarum ecclesiam, in quam monachos protinus misit. Testis adlectus reperitur a Geoffrido Barbato, Andegavensi comite, S. Melanium et Thoriniacum monachis SS. Sergii et Bacchi tradente. Idem ei Barbatus prædia dedit apud villam Lanariam. Hamonem charta refert, XV cal. Novembris 1074, sedentem in capitulo S. Florentii, et de Campiniaco jurgium componentem inter S. Albini et S. Sergii monachos. Idem, idibus Aprilis 1079, Nannetibus commoratus insulam Deneraliam ab Hoello comite accepit; ex Alborum Mantellorum cod., sub num. 45. Ejus meminit Roncereii martyrologium, XII cal. Julii.

VI. Natalis I Hamoni suffectus est. Dicitur e S. Florentii monacho abbas S. Nicolai, in chartula quadam dubiæ fidei inter Rotonenses et Salmurienses, de rebus Maini mona-

chi. Ille, anno 1080, a Matthæo quodam, A Itherii filio, litem de Sacrofagis dimissam habuit; e schedis *Housseau*. Eidem concessit, anno 1085, Ivo *Tallebosc* ecclesiam in villa sua Spaldingia, apud Anglos; e Monastico Anglicano. Aprili mense 1086, occurrit in tabulis S. Nicolai Gotofredus de Segredo Natali tradens capellam in castello Segredi sitam. Natalem Fulco comes absolvit, vi calendas Augusti 1092, foderibus omnium terrarum quas in Andegavensi pago S. Nicolai ascetæ possidebant. Quapropter dedit ille comiti, in piæ caritatis pignus, vas argenteum simul et aureum, quingentis solidis valens. B Pactus est, anno 1093, cum monachis S. Florentii super ecclesia Cantosciacena. Non comiti solum, sed etiam quamplurimis provinciæ nobilibus viris amicus Natalis, ab eis non mediocria quidem accepit. Sic a Girardo de Doxiaco S. Martini de Aretheio integram ecclesiam; ab Horrico de Laureario, mediam ecclesiam S. Mariæ in urbe Ingranda; a Guarino et Rainaldo, filiis Gosberti Bornii, ecclesiam Capellæ prope Chimilliacum, et a Girardo *Follet*, Andegavensi præposito, quemdam aquæductum ad Rupem Buhoardi, quem nuper ipsi tradiderat Fulco comes, cum de- C veniens Andegavum ex obsidione Fissæ, graviter vulneratus et in Lido navigans, e naufragio evaserat imminenti, prædicti Girardi industria. Pactus est insuper Natalis cum Matthæo de Plesscicio de portiuncula nemoris juxta Lanariam villam, et eidem concessit Hoellus, Cenomanorum episcopus, confirmationem omnium quæ S. Nicolai fratres in Cenomanico pago possidebant. Natalis, perperam dictus, corrupto nomine, *Nualdus*, subscripsit, 24 Junii 1094, absolutioni Fulconis comitis; supra, t. IV, Instr., col. 11. Nihil vero Natalis abbatis nomen ma- D gis commendabit apud posteros, quam quod, eo clavum tenente, S. Nicolai basilicam consecravit Urbanus papa II, anno 1096. Cum vero recedens Andegavo Sablolii commoraretur aliquantisper Urbanus, Natali confirmavit quæ per ipsius manus jam S. Nicolao Fulco comes dederat. Anno 1096 nundum exacto, paucis enim diebus post acceptam Urbani bullam, Natalis e numero vivorum deturbatur. Unde Baldricus Burguliensis, inter carmina quæ A. Quercetanus edidit, Script., Franc. t. IV:

Abbas Natalis has ædes amplificaverat,
Et noviter factas Urbanus papa sacrarat,
Cum, Nicolae, tuum Deus accersivit alumnum,
Cui dedit æternum solemni funere somnum.
Hic modo Natalis pro carne jacet cineratus,
Cui noceat nullus pro carnis sorde reatus.

Alii sunt in Natalem Baldrici versus, barbarum æque sonantes, e quibus hos decerpere operæ forsitan prætium est:

Cultor Natalis monachorum religionis,
Cœli jungatur, Christo miserante, colonis....
Hic fuit ecclesiæ dum vixit firma columna;
Ergo Hierusalem vivat mens ejus alumna.

Ejus exsequias celebravere S. Sergii monachi, III nonas Maii. Historiam miraculorum S. Nicolai scripsit Natalis, quam pluribus mancam foliis exhibet Sangerman. codex 498. Hanc Juhello perperam adscripsere nonnulli, sicut supra diximus, seriem componentes abbatum S. Petri de Cultura.

VII. Lambertus Natalis in locum defuncti sine mora delectus. Is protinus ante forum episcopi duxit Haimericum de Trevis, qui res S. Nicolai apud Camereium et Richeburgum abstulerat. Sedebant causæ judices Geoffridus episcopus, Marbodus archidiaconus, Warnerius, Robertus Burgundus, Fulco de Mathefelone et plures alii. Cum hinc et inde verba fecissent Lambertus et Haimericus, decrevit cœtus ut solveretur lis per pugiles cum scutis et baculis pugnaturos, pugnæque dies indictus. Eo illucescente die, Lambertus abbas cum monachis suis Ingelbaudo, Gosberto priore, Thoma, Richardo aliisque amicis in Salmuriense castrum devenerat. Aimericus vero, licet præsens, pugnæ locum deseruit. Pactus est paulo post Lambertus cum Rorgone, filio Geoffridi Rorgonis, super ecclesiis S. Nicolai et S. Dionysii. Eidem concessit, anno 1097, Guillelmus de Asciaco, Cenomanensis miles, ecclesiam Asciaci; quam donationem confirmavit Hildebertus præsul, XII calendas Julii, necnon cæteras S. Nicolao jam antea adscriptas ecclesias in Cenomanensi diœcesi. Lambertus Cenomanum tunc venerat, ut Hildebertum tanti jam nominis præsulem salutaret. Ab ea ætate inita fuit societas inter monachos S. Nicolai canonicosque S. Juliani Cenomanensis. Asciaci, eodem tempore, presbyter Garinus omnia Lamberto dimisit quæ possidebat in parochia sibi demandata. Item non mediocrem Catiarum partem S. Nicolao jam condonaverant Andegavenses consules: totam hanc silvam tandem Lambertus accepit a Fulcone Richino; pro qua monachi consuli dederunt sex millia solidorum, die 22 Augusti 1097. Supra memoratæ donationi subscribente Geoffrido Martello II, Richini filio, die 24 ejusdem mensis, et ipsi condonaverunt monachi, ratum subscriptionis pretium, triginta E libras denariorum, addito insuper equo. Pacem iniit Lambertus, VI idus Novembris 1098, cum Girardo, abbate S. Albini, super quadam Catiarum parte, quam sibi traditam jactitabant Albiniani a Pippino, Caroli Magni filio. Non ultima quidem lis illa fuit inter Lambertum et Girardum. Sæpius enim devenerat Girardus ad Fulconem comitem, suppliciter requirens ut silva quædam ad Prunarias, ex Albiniano dominio violenter distracta, sibi suisque restitueretur, spera-

A batque consulem æquis obtemperaturum postulationibus, cum S. Nicolai monachos audivit hanc ab ipso comite silvam emisse, et non minimam quidem nummorum copiam tradidisse. Tunc ille non clam dolere, Jacobitam vero Lambertum vocare, et ei diem dicere Geoffrido coram episcopo. Ventum est igitur ad forum episcopi pridie idus Martii 1099, causamque Girardus obtinuit. Amicitiæ fœdus æternæ pactus est Lambertus, III nonas Februarii 1099, cum canonicis S. Laudi Andegavensis; Septembri mense 1100, cum canonicis S. Petri, quorum in parochia sita erat S. Nicolai ecclesia. Testis, eodem anno, B in charta Geoffridi episcopi, notum facientis Robertum Burellum dimisisse calumniam quam adversus Albinianos moverat. Memoratu dignum, eodem anno, domum Fulconis *de Mathefelon*, qui Hierosolymam proficiscens Lamberto totam Azeii confirmavit decimam, eo pacto ut adjutorium ei quoddam ad iter peragendum impenderet. Mille et centum solidos monachi Fulconi dederunt, atque monachum exceperunt quemdam clericum, nepotem Roberti de Arbrisello; e schedis domni *Housseau*. Ex eisdem depromere placet singula quæ spectant ad pactum C quod inierunt hoc anno Lambertus et Fulchardus de Rupe Forti. Jerusalem proficiscens Fulchardus, anno 1096, prædium in vadimonium tradiderat suum, rediturus scilicet, ut ait vates, spoliis Orientis onustus. Spe vero delusus vadimonium redux solvere non valuit. Succurrit igitur Lambertus egeno, et is Lamberto fructus villæ suæ concessit. Litigavit Lambertus, VII cal. Martii 1103, coram Petro, Pictonum episcopo, cum monachis Novi Monasterii super ecclesiis Pusaugiarum, judicioque victor evasit; e schedis *Housseau*, t. IV. D Ei tradidit, 22 Aprilis 1105, Berlaius junior, se jactitans, Romanorum more Pontificum, servum servorum Dei, facultatem instituendi duodecim monachos in ecclesia S. Petri de Monasteriolo. Testis Lambertus, VI nonas Julii ejusdem anni, datorum S. Mauri monachis a Petro, Pictaviensi episcopo. Quo etiam anno Nannetibus aderat percelebri concilio, et testis erat Benedicti præsulis canonicos instituentis in ecclesia S. Medardi; apud Martenium, Thes. Anecd. t. I, col. 315. Ante curiam comitis Andegavensis compulit, XIV cal. Augusti 1106, militem quemdam, cognomine *Papot*, qui, decimas plures S. Nicolai violenter abstulerat, et audivit ablata restituen- E tem. Anno 1107, die tertia post festum S. Jacobi, Willelmus de Campo Florum Lamberto confirmavit quæcumque frater suus Hugo, jam S. Nicolao, cucullum induens, dederat. Eidem æque confirmavit, anno 1109, Geoffridus Rorigo, puer, in capitulum S. Nicolai devectus, quæ largitus est pater nuper occumbens Hierosolymitanis in agris. Occurrit Lambertus, VIII idus Octobris ejusdem anni,

in charta Fulconis comitis de vectigalibus, quæ ipse proceresque Andegavensis agri jam S. Nicolao concesserant, et e quibus civium nonnulli se liberare conabantur. Emit Lambertus, anno 1110, decimam Azeii. Anno 1111, die 27 Decembris, Guillelmus de Fano prioratum condidit Salteriaci, quem S. Nicolao addixit. Hoc eodem anno Benedictus, Aletensium episcopus, Lamberto concessit capellam S. Petri in castro *Dinan*, et Guillelmus de Vernia confirmavit masnilum, alias prædiolum, monachis a patre pretio traditum. Lamberto reddidit, anno 1112, Petrus, Pictaviensis episcopus, ecclesias S. Petri de Molli Campo, B. Mariæ de Chavennis, etc., etc. Peritus erat tunc temporis apud S. Nicolaum medicus, professione monachus, Joannes nomine, quem Fulco junior, Fulconis filius, morbo laborans accivit: cujus quidem curis salvus evadens, Andium consul in manus abbatis Lamberti tradidit aquas Rocham Buhuardi præterlambentes. Nemus Lanarias Lambertus emit anno 1117, et pactus est cum Matthæo, Plesseicii domino. Anno tandem 1118, XVIII cal. Novembris, a Gualterio Bisolo monachum induente nonnulla jura in parochia Montis S. Joannis, trans Ortham, atque in ecclesiis B. Mariæ de Segreia et B. Petri de Claro Monte accepit. Eo anno nondum peracto Lambertum decessisse ferunt, sed perperam. Filium habebat, nomine Guidonem, Monasterioli degentem, ad quem, abbatiæ regimen abdicans, secessit. Nondum exierat e vivis anno 1139; nam tunc litteris subscripsit Girandi prædia monasterio Tironensi concedentis: « Scriptor hujus chartæ fuit Lam« bertus, abbas S. Nicolai Andegavensis, qui, « dimissa abbatia, apud G., filium suum, Mo« nasteriolo confugerat, et sub ejus patroci« nio illic vivere decreverat. » Occurrit idem Lambertus, dictus *qui fuit abbas*, in charta de pace inter Joannem sequentem et Lisoium de Cornuallia composita. De Lamberti dimissione non siluit Geoffridus Vindocinensis, scribens ad Girardum, Romanæ sedis legatum. Unde comperimus eum exulasse, quod monachos infensos expertus fuerat. Ea sunt Geoffridi verba : « Audivimus, dilectissime « Domine, quod abbas S. Nicolai abbatiam « suam in manu vestra deseruerit; eo siqui« dem tenore, ut non eam deinceps nisi in « misericordia vestra deposceret, et eo etiam « pacto ut conventus ille B. Nicolai cum eo « firmam pacem et concordiam haberet. Pac« tum utique, quod monachi illi de pace et « concordia ante vos et per vos fecerunt, vix « octo diebus, sicut ipse dixit, et nos credi« mus, tenuerunt. Unde vobis, magnæ discre« tionis pater, multum suppliciter pro eo sup« plicamus, ut in adipiscenda abbatia, quam « vestræ voluntatis consilio dereliquit, dul« cedo vestræ pietatis, pro amore Dei et nos« tro suffragetur, et de monachis illis, qui

« promissam sibi pacem et concordiam nec « tenuerunt, nec tenent, debitam justitiam « consequatur (1). » Occurrit Odo quidam, abbatis Lamberti germanus, in charta de capella castri Segredi.

VIII. Joannes I reperitur jam S. Nicolai abbas, feria secunda post Ramos Palmarum 1118, in instrumento Guillelmi, Pictaviensis episcopi, S. Nicolao ecclesiam Mollis Campi confirmantis. Is erat Joannes, expers in arte curandi, de quo supra dictum est. Nominatur enim, anno 1127, in chartulario Fontebraldensi, abbas insimul et medicus. Iisdem præterea sub nominibus subscripsit, anno incerto, litteris Fulconis comitis de consuetudinibus in die S. Nicolai exactis; et eumdem, si tabulas S. Nicolai consulere lubet, Alardum de Castro Guntherii medicamentis sanantem reperies, in Adelardi charta, Alardi filii. Anno 1121, eleemosynariam domum, quam Garcia de Bugnone monachis jam dederat in vico sitam *Genesteil*, confirmat Rainaldus præsul, conceditque jus ecclesiam ædificandi tectaque ad duodecim monachos excipiendos. Eodem anno, Geoffridus de Camilliaco Joanni decimam Sanctæ Gemmæ confirmavit, ab Orrico avo collatam. Catias silvam, ut diximus, Fulco comes S. Nicolao integram dederat; quam, exstirpatis arboribus, monachi sulcandam aratro tradiderant, ibique domos, necnon ecclesiam exstruxerant. Filius autem Fulconis, et ipse Fulco nomine, a patre data desiderans, jurgium movit in monachos de neglectis sepibus. Vicerunt tamen preces Joannis malesuadam comitis cupiditatem, et is cum monachis pactus est VI cal. Septembris 1123. Annus 1124 nondum transierat, cum Guillelmus, abbas Majoris Monasterii, Joanni concessit capellam Miricæ; ex Epitome, pag. 88. Idem, anno 1125, de quibusdam nemoribus cum Reginaldo Rufo pactus est. Cenomanum Joannes devenit VI idus Novembris 1129, et testis fuit sententiæ contra monachos Gemeticenses latæ super ecclesiis Sagonæ, necnon Curtis Gazeni. Eidem, anno 1132, Goslenus, filius Philippi, jura monachis Bisconii tradita confirmavit. Guido quem Stampensem dicunt, Cenomanorum episcopus, ante scilicet annum 1135, Joanni nonnulla tradidit, inter quæ ecclesias Parraniaci et Montis S. Joannis. Confirmavit idem Asciacum. Carisiacum in manus quorumdam laicorum devenerat; qui cum hanc ecclesiam S. Nicolao reddere redderent, obstiterunt S. Juliani canonici: Joanni tandem tradita est, sed sub lege census. Devenit Andegavum sub id tempus Conanus, Britonum dux, Geoffridum comitem, uxoremque comitis Mathildem invisurus. Quem adiit Joannes abbas et impe-

A travit ab eo sancitum donum insulæ Deneralis, in Britannia; e schedis Baluzii. Joanni dabat, anno 1135, Geoffridus comes aquam et insulas circa rupem Belmardi sitas, ut legere licet in Epitome, pag. 56. Exstat insuper anno datum 1136, ad Joannis preces, solemnius Geoffridi comitis diploma, quo monachis S. Nicolai confirmatum quidquid in Andegavensi pago possidebant : ex eodem Epitome, p. 70. Eodem anno, Joannes super ecclesia *Mosterou* cum Bernardo, Asneriarum abbate, litigavit : hanc vero litem Guillelmus, Pictonum episcopus, sedavit. Meratur et eodem anno Joannes accipiens ab
B Ulgerio, Andegavorum præsule, mediam ecclesiam S. Clementis; e Baluzianis schedis. Ejus, ut videtur, Roncereii necrologium meminit idibus Maii.

Lambertus II post Joannem tam a Laurentio *Le Peletier* quam a fratribus Sammarthanis ponitur; e Benedicti, Aletensis episcopi diplomate, capellam S. Petri S. Nicolao concedentis. Hujus enim diplomatis mendosum apographum, ut legere est in schedis domni *Housseau*, necnon in Baluzianis codicibus, annum præbet MCXL. Qua vero correptus hal-
C lucinatione oblitus est auctor Epitomes, semet sinceram hujusce donationis edidisse chartam ad ann. MCXI, illo sub Lamberto qui primus et unus hujusce nominis S. Nicolai monachis præfuit? Nullus cæterum Benedictus in Aletensi cathedra sedebat anno 1140. Suffectus ergo Joanni non Lambertus alter, sed Nigellus.

IX. Nigellus, post annum 1136, subscribente videlicet Richardo, S. Mauricii decano, pactus est, coram Ulgerio episcopo, cum Theophania, Roncereii abbatissa. Hæc erat materia litis. Quemdam ex oblatis suis, qui
D nuper mortuus erat in parochia S. Jacobi, sepeliendum in ecclesia sua monachi curabant. Ea vero S. Jacobi parochia sub jure monialium Roncereii posita. Moniales igitur mortui corpus sibi, clamore facto, vindicantes, servorum suorum turmam ad ecclesiam S. Nicolai miserunt, qui, fractis januis, capulum oblati jacentis funebrem auferre conati sunt; nec potuere tamen, cum vis vi fuerit repulsa. Inde non minimum inter monachos et moniales dissidium; cui sopiendo curam tandem dedit Ulgerius, ut liquet e charta in Epitome legenda, p. 73. Concessit Nigellus Radulfo
E de Buris, anno 1141, locum S. Clementis.

X. Herbertus, anno 1144, successor dictus Nigelli, Linerias Pippino Turonensi confirmavit, a Nigello traditas; e schedis domni *Housseau*. Anno deinde 1145, reperitur querens de quodam aggere quem monachis incommodum comes Andegavensis exstruxerat; e tabulis S. Laudi, apud Baluzium. Obiit, ut aiunt, anno 1149.

XI. Bartholomæus accepit, anno 1149, a Joanne, Macloviensi episcopo, confirmatam

(1) Hanc epistolam perperam opinatur *Brial* scriptam anno 1109. Ad annum potius 1119 referenda. Lege Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 285.

ecclesiam S. Paterni, atque, anno 1150, ab Eugenio papa III litteras de quibuscumque S. Nicolai possessionibus. Anno 1152, litteris Geoffridi comitis subscripsit, Baugiacenas ecclesias S. Sergio condonantis. Idem occurrit in charta Roaldi de Capella, qua nonnullæ monachis decimæ traditæ. Perperam ejus vitam ducunt usque ad annum 1170.

XII. Hugo sedenim occurrit, anno 1162, in charta Raginaldi de Castro Guntherii, qua concedit is S. Nicolai monachis quidquid Gentiniæ juris habebat. Ea quidem charta notis caret chronicis: cum vero data sit Geoffrido jam episcopo, Geoffridoque Bibente Solem etiam tunc decano, palam est eam editam anno, quem diximus, 1162. Eodem anno 1162, III nonas Junii, ab Hugone, S. Salvatoris apud Constantienses abbate, accipiebat quidquid is juris tenuerat in ecclesia Santineiana. Cujus traditionis chartam *Housseau* contraxit. Aderat Hugo, pridie calendas Augusti 1166, translationi corporis S. Brioci. Nominatur, XV cal. Septembris 1167, in schedula de consecratione Caffiensis ecclesiæ; apud *Travers*, Concil. Turon. Prov., T. II, ad ann. 1167. Ei dedit, anno 1170, Matthæus Garelli parvam in Ligeri sitam insulam, juxta rupem Behuardi. Ab Alexandro papa III, anno 1178, privilegiorum confirmationem obtinuit, et, anno sequente, pactus est cum monachis Oratorii de decimis Monasterioli.

XIII. Guillelmus I, anno 1184, de quibusdam Monasterioli sitis transegit cum Geoffrido *Mincard*, milite; e schedis *Housseau*. Reperitur, 31 Augusti 1191, judex causæ quæ inter priorem S. Symphoriani et Bernardum *Chalon* de novalium decimis movebatur. Bernardum excommunicationis sententia perculsum Guillelmus dein absolvit, 9 Aprilis 1192.

XIV. Goslenus, vel Joslenus, anno 1202 pactus est de quibusdam vineis cum Alealdo. Nominatur, anno 1205, in charta Philippæ de Longa Villa, dimittentis jus indebite petitum in ecclesia S. Petri de Santineio. Paciscebatur, anno 1206, cum R. et A., Castri Guntherii dominis, et ejusdem castri civibus, de eleemosynaria Azeii construenda. Idem, anno 1211, occurrit judex a summo Pontifice delegatus inter Guidonem de Thoarcio et priorem B. Joannis, de quodam censu litigantes. Gosleni meminit necrologium Roncereii, nonis Februarii. Ejusdem mentio reperitur, III non. ejusdem mensis, in obituario S. Sergii.

XV. Aimericus, anno 1212, pacti testis occurrit inter Martinum *Chalopin* et Petrum abbatem Ebronii; ut legitur in Ebroniensi chartulario. Transegit, anno 1227, cum monialibus B. Mariæ de jurisdictione prædiorum ad ecclesias S. Nicolai sanctæque Mariæ pertinentium.

XVI. Constans, anno 1232, in acceptæ pecuniæ syngrapha, qua testatur trecentas a

A rege libras recepisse, ob damnum monachis illatum, cum Andegavensis mœnia civitatis reficerentur; e Thesauro Chartarum. Memoratur idem, in Monastico Anglicano, paciscens cum Simone, abbate Spaldingiæ.

XVII. Raginaldus II, anno 1233, transegit cum Guillelmo *des Landes*, milite, super pratis in parochia *Cheffes*. Idem legitur anno 1236; e schedis domni *Housseau*.

XVIII. Jollanus, quem auctor Epitomes non prætermisit, legitur Jacobi sequentis prædecessor in tabulis anni 1248.

XIX. Jacobus I, X nonas Januarii 1242,
B contumaciam fregit Simonis, Spaldingiæ prioris, qui jugum abbatiæ matris detrectabat; e Monastico Benedictino. Idem, mense Martio 1242, paciscebatur cum Agnete, Roncereii abbatissa, de quibusdam decimis; ex *Housseau* schedis, t. XII. Occurrit etiam in tabulis anno Henrici regis tricesimo secundo, Christi 1248.

XX. Joannes II tumulatur sub campana chori, anno 1253; ex eodem Epitome.

XXI. Nicolaus I dedit, anno 1260, prædium et nemus Haiæ monachis; e chartis quas *Housseau* transcripsit, t. VII.

C XXII. Jacobus II, 28 Aprilis 1270, reperitur de juribus S. Petri Monasteriolensis componens cum Guillelmo, Meliduni vicecomite. Idem, anno 1272, pactus est cum Andegavensi episcopo de jure patronatus in capella quadam ecclesiæ Juvardiensis; ex ejusdem *Housseau* apographis. Idem occurrit, anno 1277, mense Decembri, transigens cum Aceii presbytero, et, anno 1280, in ejusdem schedis, ex Omnium Sanctorum chartulario, testis concordiæ inter canonicos initæ et abbatem Oratorii. Aprili mense 1291, Hervæo de Livreio, qui plura monachis beneficia contu-
D lerat, tradidit domum Ingrandiæ sitam. Depositus fuit XVII cal. Maii 1294; ex obituario S. Sergii.

XXIII. Guillelmus II, ex Epitome desumptus, sub ann. 1300. Annum ante 1296, precum societatem contraxit cum Roberto, Culturensium abbate; e martyrologio S. Petri de Cultura. Tradidit, anno 1318, Petro de Vallibus, Andegavensi canonico, fructus villæ *la Greslerie*.

XXIV. Benedictus I, anno 1331, decimas locitat Genestolii; anno 1337, domum dat capitulo S. Mauricii; agnoscit, anno 1339, se nihil habere juris in sepes Haiam nemus
E claudentes. Eodem anno sacramentum præstitit Andegavorum episcopo Fulconi. Pactus est, anno 1341, cum Hugone, domino *de Courcillon*, super bonis quibusdam Capluiæ, vulgo *Cheffe*, sitis. Decessit 27 Octobris 1344.

XXV. Ægidius Latomus, gallice forsitan *Lemasson*, antea eleemosynarius, eligitur per compromissum ultima die Octobris 1346; ex Epitome: anno 1349; e Suaresio. Erravit vero Suaresius, nam capitulo præfuit Ægi-

dius proxima die post festum S. Nicolai, sive 7 Decembris, 1346; e schedis domni *Housseau*.

XXVI. Simon I *de Renou*, antea prior S. Joannis, in Carnotensi diœcesi, necnon doctor decretorum, Ægidio suffectus est demortuo litteris Innocentii papæ VI, II nonas Aprilis 1356. Sententiam obtinuit pontificiam, anno 1361, contra monachos Spaldingiæ debitum renuentes vectigal. Octobri mense 1363, Simon ad Turonensem cathedram promotus est.

XXVI. Joannes III, abbas Casalis Benedicti, in ecclesia Bituricensi, creatus est abbas S. Nicolai, abeunte Simone, litteris Urbani papæ V, IX cal. Februarii 1364. Id desumpsit Suaresius e regestis Urbani. Emendanda igitur series abbatum Casalis Benedicti, quam Joannis hujusce nomine carentem antecessores nostri digessere. Occurrit insuper Joannes annis 1368 et 1371, die 6 Martii. Capitulo præses adfuit annis 1377 et 1382. Obiit x cal. Maii.

XXVII. Theobaldus, cujus, ad annum 1384, auctor Epitomes meminit.

XXVIII. Reginaldus III 27 Septembris 1385, inter Steph. *Housseau* excerpta. Idem, 17 Aprilis 1389, in apocha decem auri florenorum, Romanæ sedi traditorum. Concedebat Varennas, sub conditione census, anno 1391. Decessisse dicitur 26 Maii 1393; sed eam emendat chronologiam domnus *Housseau*, Reginaldum capitulo præsedisse memorans hoc anno desinente, mense Decembri.

XXIX. Jacobus III; ex Epitome.

XXX. Simon II; ex eodem, circa 1405. Procuratores misit, anno 1409, ad concilium Pisanum; e Conciliis Labbæi, t. XII.

XXXI. Natalis II, circa 1438.

XXXII. Simon III, dictus *de Clefs*, 21 Februarii 1429, ab Harduino episcopo facultatem hanc obtinuit ut a quocumque vellet episcopo consecraretur. Ille, 10 Februarii 1438, emebat a Mathelino *Chauveau* locum dictum *les Hommeaux*; ex *Housseau* schedis. Obtinuit jus utendi pontificiis ornamentis, anno 1456. Occurrit 5 Junii 1462, in sententia de loco dicto *la Sauvagère*, quam *Housseau* contraxit. Ejus meminit Roncereii martyrologium, VII idus Martii.

XXXIII. Benedictus II anniversarium fundavit 22 Octobris celebrandum, et sepultus est in ecclesiæ pronao.

XXXIV. Petrus I *de Laval*, Briocensis idem episcopus et archiepiscopus Remensis, necnon administrator ecclesiæ Macloviensis et abbas commendatarius S. Nicolai, S. Albini et S. Mevennii. Febre correptus occubuit, in ædibus S. Nicolai degens, XIX cal. Septembris 1493. Ejus epitaphia lege tom. IX, col. 143. Occurrit in capitulo præsidis munus agens 7 Decembris 1465. Commendatarium hunc

A abbatem ægre monachi susceperunt, et eum Romanam ante curiam compulerunt utpote qui monasterii rem deprædatus erat. Jurgium hoc Sixtus papa, 31 Decembris 1471, componendum tradidit abbati S. Sergii, necnon S. Mauricii scholastico; e schedis domni *Housseau*. Post Petrum regularium nova series.

XXXV. Petrus II *Cornilleau*, votis monachorum designatus, quem elegerunt octo necnon quadraginta fratres. Diem obiit supre-
B mum 17 Februarii 1506, secundum recentem usum.

XXXVI. Robertus *Maurice*, filius Joannis *Maurice*, toparchæ Sangneii prope Rilleium, professus S. Mauri supra Ligerim, diversorum mox prior locorum, et abbas dictus Turpiniaci. Eligebatur abbas S. Nicolai 6 Martii 1506, a monachis triginta novem. Occurrit usque ad annum 1512.

XXXVII. Guillelmus III *Briçonnet*, cardinalis, tot beneficiis jam dives, S. Nicolaum insuper sortitus est. De eo plura tam inter episcopos Narbonenses quam inter archiepi-
C scopos Remenses.

XXXVIII. Hadrianus *Gouffier*, dictus *de Boisy*, cardinalis, abbas idem, in Turonensi provincia, Burgulii, Cormarici, et S. Florentii Salmuriensis. Obiit die 24 Julii 1523. De eo præcipue inter episcopos Constantienses et Albienses.

XXXIX. Philippus *Hurault de Chiverny*, a plerisque vocatus monachis, cum pars altera faveret Joanni *de Charnacé*. Humanis eximebatur curis Philippus 12 Novembris 1539. Præfuit idem Burguliensibus et Majoretanis. Ultimus fuit regularium.

D XL. Gabriel *Bouvery*, commendatarius abbas a rege creatus anno 1539 et a domino papa promotus, decessit IV idus Februarii 1572. De quo plura inter Andegavenses episcopos. Abbas et ipse fuit S. Cypriani Pictaviensis.

XLI. Radulfus *Hurault de Chiverny*, 1572. Abbas et ille Clari Fontis, et frater Dionysii, Peliciæ abbatis.

XLII. Martinus *de Beaune*, e secretioribus regis consiliis, 1580. Idem episcopus Aniciensis.

XLIII. Antonius *Morin* occurrit ab anno
E 1584, quo visitandos S. Nicolai prioratus Petro *Marquis* committit. Fuit idem abbas S. Launomari Blesensis. Sedebat etiam anno 1595; e Gallia Sacra.

XLIV. Guillelmus IV *Fouquet de la Varenne*, abbas idem Athanacensis, Reomaensis, Floriacensis, etc., etc., postmodum episcopus Andegavensis. Obiit 10 Januarii 1621. Prior claustralis eligebatur, 24 Novembris 1616, frater Laurentius *le Peletier*, Epitomes auctor sæpius laudati.

XLV. Ludovicus I *Rucellai*, cameræ apostolicæ clericus præses, regi, necnon reginæ

matri a consiliis, bullas accepit pontificias 19 Augusti 1621, et possessionem adiit 22 Martii 1622. Obiit in obsidione Montepessullana, hoc anno 1622.

XLVI. Henricus *Arnault*, regis et ipse consiliarius, possessionem abbatiæ suscepit, usus procuratore, 19 Januarii 1624. Decanus erat Tullensis, et illum designavit episcopum Tullensem electio capituli, anno 1637. Rex primum rejecit electum et postea probavit. Summus vero Pontifex bullas negavit apostolicas. Quo regente, reformata fuit, ut diximus, S. Nicolai disciplina. Decessit Henricus Junio mense 1692.

XLVII. Carolus Mauricius *du Bouzet de Roquepine*, creatus abbas 15 Augusti, munus adiit, per procuratorem, mense Novembri 1692. Inter eum et monachos plura dissidia, cum eo venerit arrogantiæ ut insignia consulum Andegavensium, palis affixa in quibuscumque S. Nicolai prædiis, eradere jusserit et sua substitui. Nec siluere de moribus. Aderat, anno 1700, comitiis generalibus cleri Gallicani. Ipse et major vicarius fuit Michaelis *de Cassagnet*, Matisconensis episcopi, cujus erat e matre nepos.

XLVIII. Nicolaus I *de Bouillé*, Augustodunensis episcopus, ab anno 1753.

XLIX. Ludovicus II Henricus *de Rochefort d'Ailly*, episcopus Cabillonensis, ab anno 1767.

L. N. *de Mostuejols* sedit usque ad annum 1790.

GLANNAFOLIUM, VEL S. MAURUS AD LIGERIM.

Glannafolium, alias Glanna, monasterium ordinis Benedictini primarium in Gallia, ad sinistram Ligeris ripam, in abruptæ collis devexo latere situm, aere gaudens temperato et saluberrimo, S. Maurum, Benedicti ipsius discipulum, fundatorem habuit. Accitus in Galliam Maurus traditur ab Innocente, Cenomanensi episcopo. Misit Maurum Benedictus, ei quatuor adjungens itineris comites, Antonium scilicet, Constantinianum, Simplicianum et Faustum. Cum vero Genabum Aurelianorum devenissent, Innocentem audiverunt defunctum, et quemdam ei suffectum Benedictinæ religioni non pari studio faventem. Ideo, mutato consilio, aptiorem protinus locum struendo monasterio conquisiverunt. Viæ dux Harderadus, optimatis Flori consanguineus, qui Glannafolium apud Andes sua sub ditione tenebat, tanti nominis hospites hunc in locum convertere suscepit; nec renuente Mauro, pii Ligeris ad ripam traducti sunt advenæ, annum circa 543. Datus a Floro locus, qui mox Bertulfum filium seque ipsum inclytis S. Benedicti discipulis erudiendos tradidit. Exinde ædificandi monasterii susceptum opus et intra septennium completum. Hæc e vita S. Mauri, auctore Fausto, ejus socio; apud Rer. Gallic Script., t. III, p. 414. Theodebertum ædificando monasterio favisse memorant. His enim usus verbis Aimoinus, Rer. Gallic. Script., t. III, p. 59 : « Qui (Theodebertus « scilicet) beatissimum Maurum in quadam « parte regni sui, in Andegavensi scilicet « pago, monasterium construentem, quod « Glannafolium antiquitus dictum est, mi- « rifice coluit; prædiaque ingentia, cum « aliis regiæ munificentiæ donis, per se- « metipsum eumdem accedendo locum, be- « nignissime contribuit. » Eadem prolixius enarrata leges in vita S. Mauri, auctore Fausto. Exstat præterea mutilum Chlotarii diploma, dona conferentis quædam B. Mauro, quod primus edidit F. *Bodin* in opere cui titulus : Disquisitiones super Andegavo, t. I, p. 530. Quatuor a B. Mauro oratoria constructa auctor ejus vitæ memorat; quæ consecravit, anno 550, Eutropius, Andegavorum præsul. Prosperas habuerunt res Glannafolii degentes monachi, donec, Pippini regis dono, venerit locus in manus Gaidulfi cujusdam Ravennatis, qui ferox animo, moribus barbarus, monasticam exosus professionem, voti tenaces ejecit in exilium; reliquos, numero quatuordecim, inedia compulit ad regulam conculcandam capessendamque canonicorum vestem. Mox cœnobium Gaidulfus invadens, ædibus solo tenus æquatis, chartas et diplomata delevit; paucis exceptis, quæ Andegavensibus S. Albini monachis tradita, postmodum, irrumpentibus Normannis, cum multis aliis perierunt. Gaidulfum sacrilegii pœnas luisse referunt : dum enim inter amicos inebriantes facinus suum celebraret, percussus est a quodam monachicum ferente vestimentum, quem Maurum ipse sceleris ultorem moriens clamitavit. Glannafolii monasterium postea sibi vindicarunt Cassinates, quasi violenter detractum e trunco ramum, nec abnuit Carolus Magnus ipsis ab Adriano papa restitui. Statuit ergo summus is Pontifex, si qua fides Cassinensi chronographo, ut quivis novus abbas a Glannafoliensibus electus benedictionem Cassinensis requireret, et singulis quinquenniis ad matrem pergens abbatiam ibi præpositi personam ageret. Nequaquam vero compertum habemus afflicti res monasterii ex eo melius ivisse. Memoratur, anno 817, monasterium S. Mauri inter pauperes monachorum domos, quæ nec militiam, nec dona debent, sed tantum preces, pro stabilitate imperii. Quod legimus in actis Aquisgranensibus, inter Concilia D. *Mansi*, t. XIV, p. 401, Append. Incolis orbata rudera in manus venerunt Andegavensium consulum; mox obtigerunt Rorigoni, Cenomanensi comiti, quem, forma corporis scilicet eximium animosque in altiora geren-

tem, illicito sibi Rothrudis, Caroli Magni
filia, devinxerat amore. Is cum in Aquensi
palatio morum duritiam exuere didicisset,
redux ad suos lamentabilem doluit casum
cœnobii, quod B. Mauri jam per utramque
Franciam sparsa fama præ cæteris commen-
dabat, optimoque Jacobi, Cormaricensium
abbatis, usus concilio, reparandis Glanna-
folii ruderibus manum admovit. Rorigoni
præterea cooperatores accersiti Lambertus
et Ebbo, Majoretani monachi, mox Ingelber-
tus, Fossatensis abbas, adductique ex æde
Fossatensi fratres, qui novam instituerent
cœnobiarcharum familiam, sub Gausberti eu-
jusdam regimine, Rorigonis ipsius germani,
anno 833. Audiendus nunc abbas Odo, Glan-
nafoliense monasterium asserens a Ludovico
Imperatore Fossatensis abbatis tutelæ credi-
tum, legendaque charta in Appendice Capi-
tulariorum Steph. Baluzii, qua libertas om-
nis Glannafoliensibus ablata, suffectusque
Fossatensium summus dominatus. Ea vero
charta Cointio suspecta, et idem referens
Adriani bulla ab Urbano papa II ut opus cu-
jusdam falsarii rejecta. Conjicimus supremam
hanc, de qua lis diuturna fuit, auctoritatem,
non Fossatensibus monachis apostolico qui-
dem edicto condonatam, usu vero institu-
tam, aut saltem non abnegatam, etiam tunc
vigente accepti beneficii memoria. Monaste-
rium igitur ab ipsis renovatum aliquantis-
per Fossatenses quiete rexerunt. E fonte vero
puriori decurrentes rivuli non semper nati-
vum nitorem retinent. Elapsis aliquot annis,
cum Fossatensis colonia nimis elatos ferret
animos, tutelare jugum excussit, sub auspi-
ciis Ebroini abbatis, dein Pictaviensis epi-
scopi. Devenerunt postea Normanni, qui, per
occiduas Galliæ partes impetu facto, Fran-
corum impares numero copias obtriverunt,
inermesque monachos ad celerem fugam com-
pulerunt. Quo Glannafolienses B. Mauri sa-
cra pignora debacchanti procellæ subducere
valerent? Post longos viarum errores, tutio-
rem nullum nacti sunt locum quam Fossa-
tense cœnobium, ad Matronam, prope Pari-
sios, situm. Ad hunc igitur locum plerique
perrexerunt, secum devotissime exuvias B.
Mauri asportantes. Quidam vero in S. Sa-
vini ad Guartimpam monasterio consedere.
Vacuis tamen ædibus non pepercit Norman-
nicus furor; et ibi Dei cultus obsoletus pre-
cesque piorum inauditæ, donec Fossatenses,
occasione data jus firmiter assequendi con-
troversum, Glannafolium redierint interque
monasterii jacentis parietinas cellam instau-
raverint monachis quibusdam excipiendis
idoneam. Parvus quidem monachorum tunc
temporis cœtus, postquam, studio liberi suf-
fragii, plerique domum dereliquerant ex-
traneo mancipatam imperio; præcipuus ta-
men apud omnes honor loci. Ibi Fulco comes,
cum Hierosolymam proficisceretur, hospi-
A tatus est, deditque monachis ampla prædia,
auditis quæ de B. Mauro narrabat itineris so-
cius Rainaldus, Andegavensis episcopus.
Rainaldo succedens Hubertus Vindocinensis
basilicam Glannafolii novam, anno 1036,
consecravit: cui consecrationi interfuerunt
Geoffridus comes et uxor Agnes, a quibus
S. Mauro condonatæ consuetudines omnes
quas habebant in villa dicta *Cruc*. Anno 1042,
III nonas Aprilis, repertum juxta Hulmonum
corpus B. Romani, unius e Mauri sociis, et
in Glannafoliensem cellam allatum. Ita se res
habuerunt usque ad annum 1096, quo Gal-
B licanas peragrans ecclesias Urbanus papa II
ad notissimum devenit locum ubi quondam
floruerat, auspice Mauro, Benedictinæ aspe-
rior norma disciplinæ. Orarunt tunc eum fra-
tres ibi Deo servientes sub Fossatensis abba-
tis regimine, clericique nonnulli, quos inter
Geoffridus, Andegavensis antistes, uti pro-
prium his ædibus auctoritate sedis apostolicæ
imponeret abbatem. Monachorum nec non
clericorum precibus suas et ipse copulavit
Fulco Richinus, Andegavensis comes, ægre
ferens tant; nominis domum sub jugo, vel,
ut aiebant, sub alterius tyrannide tamdiu
C permansisse. Moverunt hæc Urbanum sup-
plices querimoniæ, deditque diem abbati
Fossatensi, jubens ut litigiosum jus aposto-
licis instrumentis, prout decebat, tueretur.
Partes Fossatensium suscepit Odo Carnoten-
sis, qui scripsit ad Urbanum ea de re litteras
acriori stylo confictas. Operam vero perdi-
dit; nam postquam, sub indictam diem,
chartam Adriani papæ Fossatensis abbas suis
consentaneam querelis protulisset, eam Ur-
banus rescidit, manifestis veluti scatentem
falsitatis indiciis, statuitque ut Glannafo-
liense cœnobium a proprio abbate regeretur.
D De qua lite caute legendus Petrus Diaconus,
Cassinensis monachus, suis nimium favens.
Non tamen prætermittendum, quod missis in
libertatem Glannafoliensibus sese Cassinen-
ses protinus addixerunt fraternæ societatis
vinculo, et pretiosissima cum eis mox pi-
gnora commutarunt. Dein autem e gremio
suo clamitantes eductam S. Mauri Glannafo-
liensis abbatiam, jura sibi materna vindica-
runt in eligendis præsertim abbatibus. Non-
nullas habemus litteras Cassinensium qui-
bus confirmantur abbates S. Mauri recens
electi. Ea de re fuit olim grave dissidium,
E cum Glannafoliensem conventum sibi sub-
jectum et non Cassinensibus Andegavenses
episcopi dicerent. Legendus hic locus epi-
stolæ, quam, anno circiter 1252, scripsit
Richardus, Cassinensis abbas: « Ex parte
« Petri, abbatis S. Mauri in Glannafolio,
« monasterio montis Cassinensis immediate
« subjecti, nobis extitit intimatum quod
« cum, de speciali mandato summi Pontifi-
« cis, fuerit per Cenomanensem episcopum
« confirmatus, et munus benedictionis sus-

« ceperit ab eodem, Andegavensis episcopus « eum monuit ut sibi professionem faceret; « ad quod abbas dixit se non teneri, cum « monasterium S. Mauri esset monasterio « Cassinensi immediate subjectum, et ad se« dem Apostolicam appellavit. » Exstant hæ Richardi litteræ in archivo Andegavensi. Lenior sane Cassinensium quam Fossatensium tutela. Nec mirum si Glannafolienses extraneis et longo locorum intervallo disjunctis abbatibus subjici maluerint, quam et ipsis vicinioribus Andegavorum episcopis. Prævaluit tamen post nonnullas lites episcoporum auctoritas; ut comperimus e litteris Stephani, anno 1271. Non ad pristinam fortunam rediit abbatia Glannafoliensis : magni nominis hactenus umbra fuit. Ad meliora scilicet tendenti obstiterunt bellorum diuturni tumultus Anglos inter et Francos. Vexata sæpius ab Anglis S. Mauri caterva et spoliata bonis, annos circa 1369 et 1370. Tutum tandem ibi locum nacti, abbatia in castellum mutata, Angli magnam eo duxerunt militum copiam, donec, advenientibus Francis, inde abierunt, monasterium minasque munimentorum igni tradentes. Accesserunt postea æque infesti Calvinistæ, de quibus multa memorantur annis 1568, 1585 et 1589. Pacatis tandem infelicissimi hujusce sæculi discordiis, Claudius de S. Offangio eversas refecit ædes disciplinamque restituit obsoletam. Anno demum 1668, congregationis S. Mauri sodales patrono suo sacrata tecta subierunt. Benefactores præcipuos habuit Glannafoliense monasterium, ne fundatores iterum recenseamus, Carolum Calvum, Francorum regem, qui plura tradidit prædia, Guillelmum, Aquitaniæ ducem, Rogerium cognomine Divitem, Warinum Francigenam, et plerosque Andium consules.

Prodeat nunc abbatum series. Eam nos e veteribus chartis, quas D. Paulus *Marchegay* publici juris fecit, necnon e schedis Michaelis *Germain*, inter Sangermanenses codices sub numero 583³ asservatis, confecimus. Legimus insuper Historiam S. Mauri gallice scriptam, in tomo XXVI Monastici Benedictini.

SERIES ABBATUM.

I. S. Maurus a beatissimo patre Benedicto missus in Galliam. Decretum obtinuit Maurus a Chlotario I, Francorum rege, quod pervenit ad nos imperfectum. Abdicavit abbatiale munus anno 580, secedens in oratoriolum quod juxta ecclesiam S. Martini condiderat. Obiisse fertur XVIII calendas Februarii 583, ætatis anno 72.

II. Bertulfus, filius Flori, Glannafolii toparchæ, Chlotario II regnum auspicante floruit. Innotescit nobis e Fausti historia; Rer. Gallic. Script., t. III, p. 418.

III. Florianus, Harderadi filius, post Bertulfum consanguineum memoratur. Quod vero de eo refertur minime fide dignum.

Hic series abbatum interrupta.

IV. Gausbertus a Rorigone, germano, anno 839, Maiminias accepit. Obtulit insuper Rorigo suum filium Gauslenum, qui Glannæ cucullum suscepit. Non minoris quidem est momenti Britanni militis, *Annovareth* nomine, charta, qua tradidisse legitur abbati Gausberto, anno 843, prædium dictum *Anast*, cum ecclesia S. Petri, septemque capellis huic ecclesiæ subjectis. Spuriæ vero, et a pessimo conficta sunt interpolatore hujus instrumenti notæ chronicæ, quas exhibet domnus *Housseau*, cum, anno 843, Ursmari Turonensis archiepiscopi, Caroli Magni, Leonis papæ et Erispoi, regis Britonum, nomina præbeant : hos enim reges et pontifices ad ævitatis æqualitatem ducere nulli certe licebit. Alteram chartam de eadem *Anast* villa protulerunt cum aliis notis Baluzius, e codice Regio, et cum aliis multum discrepantibus doctissimus rerum Andegavensium indagator D. Paulus *Marchegay* ex ipso S. Mauri chartulario. Posteriori vero huic chartæ non magis quam priori tuta fides : in codice namque Regio annus 847 reperitur, annus 843 in chartulario, monasterium regente Gausberto; et nulli suspectæ tabulæ nos docent Gausberti Glannafolienses supremum jam luxisse diem anno 840.

V. Ebroinus, deinde Pictaviensis antistes futurus, legitur a Ludovico Pio, ante annum scilicet 840, Glannafoliensi monasterio donatus. Ille non quidem adlectus libero monachorum suffragio, sed summa imperatoris voluntate, qui *jus* ei *proprietarium* in *monasteriolum* Glannæ concedit, « videlicet ut, quandiu vixerit, sine alicujus « contradictione sui sit juris suæque domi« nationis. » Marcidum jam demiserat caput apud Glannafolienses Benedictinæ flos religionis, eis cum præfectus fuit a Ludovico rege Ebroinus, inter clericos aulenses egregius. Legitur enim in Caroli Calvi præcepto superius laudato Ebroinum ipsi datum monasteriolum « in statum monastici ordinis « penitus restruxisse, atque in habitum, « quo olim excultum fuerat, omnimodis re« parasse. » Sub ejus præfectura non major Fossatensium quam Cassinensium auctoritas, omnia cum sibi propria suo verteret arbitrio. De eo plura inter episcopos Pictavienses, t. II, col. 1156.

VI. Gauslenus dein memoratur. Gauslenum jam supra diximus Rorigonis comitis filium, nepotem igitur abbatis Gausberti. Eumdem vero Gausberti filium Odo leviter asserit, in libro de Translatione S. Martini. Is præterea Gauslenus Ebroino vinculo consanguinitatis erat conjunctus; a quo Pictaviensem cathedram ascendente Glannafoliensibus ab-

bas datus est. Illud vero jus proprietarium, de quo supra, retinuit Ebroinus, consanguineo tantum tradens administrandi curam monasterii. Occurrit primum Gauslenus anno 845, in libro de Translatione et Miraculis S. Mauri, ubi legitur : « Anno « Incarnationis Domini nostri J. C. octin- « gentesimo quadragesimo quinto, indic- « tione octava, feria quinta hebdomadis ni- « hilominus quintæ in quadragesima, quarto « idus Martii, translata sunt ossa beatissimi « levitæ Mauri, a famulo Dei Gauslino aliis- « que sacerdotibus, in locum in quo nunc « venerantur, in arca ferrea cum honore re- « condita. Hoc eodem etiam die reliquiæ « protomartyris Stephani, quæ a Bertulfo « abbate, tempore Chlotharii regis, juxta « prædicti patris Mauri tumulum, ob ejus « venerationem, in buxtula lignea reconditæ « fuerant, ita intactæ et absque macula sunt « repertæ, ut quasi eodem die illic repositæ « fuisse crederentur. » Hactenus chronographus : consulendus vero Mabillonius de chronicis notis quæ hic leguntur; Ann. Bened., t. IV, p. 665. Addit Odo Gauslenum ante Pentecosten insequentem ordinatum abbatem fuisse ab Ursmaro, Turonensi archipræsule, eodem anno promotum ad diaconatus ordinem ab Ebroino, ac paulo post ad sacerdotium a Dodone, Andegavensi episcopo. Eodem anno Carolus, XII calendas Novembris, monachis S. Mauri concessit quasdam res sui juris, inter quas ecclesiam S. Veterini. Eadem die, sed altero decreto, præfatus rex S. Mauri possessionibus adjunxit villas Bidisciacum, Riliacum, Mirenolam, Anadonum, Fanum, etc., etc. Exstat jam sæpe laudatum Caroli Regis diploma, annum præferens 848, quo jus in Glannam proprii dominii Ebroino antistiti denuo confirmatur, et adstipulatur insuper Gausleno, post Ebroini consanguinei mortem; supra, t. II, Instr., col. 327. Celebratur ille Gauslenus ab Odone « vir eruditissimus atque « perfectissimus, in monastica professione « religiosissime institutus, » et ob eas nativas aut adquisitas animi dotes Carolo regi acceptissimus. Eo Deum orante, Wicterius et Wulfinus, S. Mauri monachis infesti, ultione divina castigati. Ille idem est forsitan Gauslenus, alias Goislenus, quem Rotonum tradunt venientem et violenta febre liberatum, dum jaceret ante sepulchrum S. Hypothemii, episcopi. Nec perperam, ut videtur, antecessores nostri, Mabillonium ducem sequentes, conjecerunt ad Gauslenum hunc nostrum spectare quæ memorantur in instrumento de translatis S. Scholasticæ reliquiis; supra, t. XIII, p. 615. Illud quidem instrumentum notis non caret chronicis annum 874 exhibentibus, et eo anno Gauslenum apud Glannafolienses alius abbas exceperat : idem vero Gauslenus, nondum e vivorum

A numero deturbatus, eo tempore monachos S. Germani Pratensis regebat, mox ipse futurus Parisiensis antistes usque ad annum 886. Consule abbates S. Germani, t. VII, col. 427, 428, et episcopos Parisienses, ibid. col. 36.

VII. Theodradus post Gauslenum fratrem abbas Glannæ dicitur ab Odone. Non quietam ille sortitus est præfecturam, irruentibus undique Normannis.

VIII. Godofredus, Glannafoliensis monachus, abbas S. Mauri Fossatensis, quibusdam et ipsi Mabillonio videtur Fossatensi B monasterio ex abbate Glannafoliensi præfectus. Id autem Odo, Godofredi coævus, non aperte tradit.

IX. Odo, Normannorum ante calamitosum impetum, cum sociis aliquot terrenas S. Mauri exuvias primo Scameratum, deinde Merulam apud Sagienses, in Burgundiam postea, demum in Fossatense monasterium sub annum 868 transtulit. Abbas electus Glannafoliensis hujusce translationis scripsit historiam. Fossatensibus dein præfectus mensam Glannafoliensium Fossatensi monasterio curavit uniri, et ea de re Caroli regis præcep- C tum obtinuit. Ab eo tempore usque ad annum 1096 Glannafoliensis abbatia, e pristina dejecta dignitate, cellæ nomen accepit, et nullos habuit abbates.

Pervenerunt quidem ad nos nomina quorumdam minoratæ Glannæ priorum. Durandus prior subscripsit chartæ Fulconis, Andegavensis comitis, qua Gennense prædium S. Mauro traditum, annum circa 1003; una teste scilicet Rainaldo episcopo. Anno incerto, Geoffridus, ejusdem pagi comes, Glannafoliensibus contulit ecclesiam S. Hilarii, in loco dicto vulgariter tunc temporis D *Coorhtgothon*, nunc vero *Concourson*. Occurrunt deinde priores Wilhelmus, anno incerto; Cadilo, anno 1042, in instrumento translationis B. Romani; Durandus alter, anno 1066, in charta de Burnomo a Warino Francigena tradito; Petrus, anno 1067, in diplomate Fulconis super porcorum pastu; anno 1090, Malbertus, dum Fossatensem Walterius regeret abbatiam, in charta Fulconis comitis Glannafoliensibus largientis insulam inter Ligerim fluvium et Vigennam, quam veterum relatio ad B. Maurum pertinuisse referebat.

E Reperitur quidem Petrus abbas S. Mauri ad Ligerim, anno 1066, in charta de viaria S. Mauri, quam ex archivo Andegavensi desumpsit doctissimus vir D. Paul. *Marchegay*. Ea vero charta, quæ non in chartulario S. Mauri legitur, mendis scatet falsarium prodentibus. Nomen primo præbet Geoffridi Martelli anno 1060 jam defuncti. Laicorum insuper subscribentium nomina excerpta proferuntur, et eodem ordine, e charta Geoffridi Barbati de Burnomo a Warino Fran-

cigena tradito; nomina tandem clericorum falsarius transtulit e charta Petri Francigenæ de Danea, quæ, data sub episcopatu Rainaldi de Martiniaco, ad annum circiter 1118 referenda videtur. Inter clericos utrique subscribentes chartæ reperitur enim Normannus archidiaconus, anno 1120 decanus. Lusit falsarium pessime digestus ordo chartularii. Sequitur enim chartam de Burnonio instrumentum de Danea, neglecta temporum ratione. Petrus autem ille qui perperam dicitur abbas in mendoso pergameno, tunc temporis, aut circiter, prioris, ut notavimus, munus tenebat. Nec mirandum si Ramnulfus, abbas inter annos 1105 et 1123, Petrum similiter antecessorem suum et abbatem nominaverit in charta de lite cum Geoffrido de Treviis dirempta, cum, eo tempore, Fossatensium excusso jugo, Glannafolienses pristinæ servitutis vestigia pro viribus delere conarentur. Cæterum ex Urbani II bulla satis liquet abbatiale regimen non ante annum 1096 fuisse reparatum.

X. Girardus I videtur ab Urbano II Glannafoliensium creatus abbas. Anno etenim 1096, nullam falsitatis notam charta præbente, ab Hugone de Salmuntiaco et uxore Lisoia accepit ecclesiam S. Cyrici, in Pictaviensi diœcesi. Idem, eodem anno, Cenomanum pergens Urbani papæ comes, testis sedebat, in curia Hoelli episcopi, sedatæ litis super Laboratorio, inter monachos S. Vincentii et canonicos S. Juliani; e chart. Vincent. Eidem dimiserunt, anno 1097, indict. quinto (corrigendus enim error amanuensis annum 1099 et indictionis annum quintum copulantis), Mainardus Rufus et Mainardus filius Guntherii villam Vosdam, quam beatissimo patri Mauro datam olim a Francorum rege Theodevaldo (forsitan Theodeberto) monachi dicebant. Girardum præbet Malleacense Chronicon S. Mauri primum abbatem, excussa Fossatensium tyrannide.

XI. Waleranus jam ad S. Mauri præfecturam assumptus fuisset anno 1090, si deberetur fides instrumento de S. Mauri viaria, quod protulit D. Paulus *Marchegay* ex archivo Andegavensi. Malbertum enim priorem simul et Waleranum abbatem exhibet hoc instrumentum. Malbertus pace nostra tunc erat prior, sicut ex alia Fulconis charta jam compertum: Walerani vero nomen ab interpolatore quodam additum. S. Mauro certe præerat Waleranus octava die calendas Maii 1099, ut testatur Fulconis comitis charta, qui, Glannafolii paulisper commoratus, abbati Walerano Rainaldoque priori contulit omnes quas habebat consuetudines in villa *Cruc*. Eidem Guillelmus Rufanus dedit capellam S. Mariæ de Doado, in pago Pictaviensi. Accepit insuper a Burchardo Piloso ecclesiam S. Justi de Vircheiaco. Condidit idem Waleranus non contemnenda statuta de officiis ministro-

A rum S. Mauri. Waleranum reperimus præterea, Ulgerii præsulis tempore, cum Geoffrido milite litigantem de consuetudinibus S. Mariæ de Doado. Notavit vero jam dominus Paulus *Marchegay* chartam ea de re ab ipso prolatam corruptionis indicia præ se ferre.

XII. Ramnulfus accedens ad Petrum, Pictaviensem episcopum, eum rogavit ut res in agro Pictaviensi beneficio laicorum S. Mauro collatas episcopali fulciret auctoritate. Annuit Petrus, et, nonas Julii 1105, Ramnulfo petitas tradidit litteras. Idem circa tempus B Borellus Paganusque prædia S. Mauro concesserunt apud *Concourson*: quam donationem confirmavit Borellus, cum, gravi morbo laborans, religionis habitum suscepit. Simonem quemdam colibertum, « qui erat « homo de quatuor nummis, » compulit Ramnulfus ut ad servitium S. Mauri rediret. Devenit anno 1111 in claustrum S. Nicolai, et, absentis Lamberti personam agens, ab uxore defuncti Fulconis Adenora nonnulla accepit; e schedis Stephani *Housseau*, t. XIII. Illi, anno 1120, concesserunt Fulco comes et uxor Aremburgis annuas nundinas. C Anno 1121, a Guillelmo, Pictonum episcopo, licentia Ramnulfo data est monachos constituendi in ecclesia S. Mauri Lausdunensis. Occurrit etiam, 1 Martii 1123, Ramnulfus testis Adelardi de Castro Guntherii portus sui decimam S. Albino tradentis. Memoratur decedens XII cal. Septembris, in martyrologio S. Sergii.

XIII. Girardus II, anno 1119, notatur in Cassinensi chronico, Callixtum papam excipiens. Andegavensem agrum revera Calixtus papa II peragravit anno 1119, ut nonnullis e chartis compertum habemus; non autem D Girardus hoc anno Glannafoliensibus præerat; occurrit vero, XVIII calendas Januarii 1124, a Fulcone confirmationem accipiens privilegiorum quæ sæpissime prædicti comitis ministri perfringebant. Superstes erat anno 1129.

XIV. Drogo, de quo Petrus Cassinensis ad annum 1133 mentionem facit, a diversis non mediocria quidem accepit bona. Legantur quædam hujusce tenoris instrumenta in Glannafoliensi chartulario, chronicis carentia notis. Præcipuum est Fulconis comitis E diploma sancientis quæcumque jam monachis dederant Blazonis toparchæ.

XV. Guillelmus I, dictus de Vasconia, ex æditituo S. Florentii, teste Michaele Salmuriensium abbate, anno 1138, a nonnullis proceribus (mutila hujusce donationis ad nos charta pervenit), mittitur in prædii cujusdam possessionem. Illi præterea dederunt Aimericus medium ecclesiam Dauræ et Achardus plures decimas tam Glannafolii quam Solemniaci. *Rer. Gall. Script., t. XIV, p. 507.*

XVI. Guillelmus II de Normannia, mona-

chus S. Florentii, Guillelmo de Vasconia successit, sicut legimus in Chronico Michaelis abbatis; Rer. Gallic. Script., t. XIV, p. 507. Superstes erat anno 1202, quo Innocentii papæ III litteras accepit cœnobii jura confirmantes; e Monastico Benedictino. Obiit alteruter Guillelmus, e S. Sergii calendario, pridie idus Augusti.

XVII. Hamericus vixit usque ad annum 1234. Ejus de morte scripsit ad Glannafolienses abbas Cassinensis Landulfus, approbans et confirmans electionem sequentis. (Ch. xx, col. 160.)

XVIII. Stephanus I; e confirmationis prædictæ litteris, VII calendas Maii 1234. Decessit anno 1240.

XIX. Hyscardus e cellario conventus abbas evasit suffragio fratrum. Exstant ejus de confirmatione datæ litteræ, Decembri mense 1240. Idem est forsitan quem Lisiardum necrologium nuncupat, 18 Decembris. Munere semet abdicavit.

XX. Petrus e priore Solongei abbas eligitur Hyscardo abdicante. Litteris pontificiis donatus est idibus Maii 1248. Eas servat litteras Monasticon Benedictinum, t. XXVI. Petri de consecratione, ab episcopo Cenomanensi peracta, lis fuit coram summo Pontifice; quam sopivit Joannes, cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano, XVI cal. Februarii 1253.

XXI. Stephanus II, die Veneris post Ascensionem Domini 1271, jurisdictionem agnoscebat Andegavensis episcopi; e schedis domni *Housseau*, t. XIII, part. 1. Mense Martio 1273, cum Monasterioli Berlaii toparcha de quadam platea juxta Boysseium pactus est. Idem, mense Januario 1074, societatem iniit fraternam cum Radulfo, B. Leonardi de Ferrariis abbate. Omisit quidem Radulfum Dionysius Sammarthanus in abbatum serie S. Leonardi. Vide supra, t. II, p. 1296. Occurrit denique Stephanus, mense Septembri 1286, in charta de rebus quas S. Mauro dederat Joannes *Vauverdeau*. Obiit anno 1287, Sabbati die post festum S. Andreæ apostoli.

Andream circa annum 1275 quidam collocant. Hujus autem Andreæ mentio mendosa videtur.

XXII. Joannes I, cognomine *Heudry*, alias *Houdry*, electus est abbas die Dominica ante feriam Nativitatis, anno 1287. Prior erat antea S. Cyrici. Ætate nondum provectus, nuper enim tricesimum attigerat annum, pluribus e numero sodalium non eligendus abbas videbatur: ideo, fluctuantibus suffragiis, abbatis idonei delectus tribus compromissariis est demandatus; quorum suffragio, flagrante candela, competitoribus quibuscumque Joannes prælatus evasit. Ejus electionem Nicolao episcopo notam fecit prior claustralis Andreas Ernulfi. Ad pacem veniebat, Joannes, Augusto mense 1292, cum Bartholomæo de Doado, qui sibi vindicaverat do-

A minii jus in colonos S. Mauri, parochiam B. Mariæ de Capella juxta Doadum habitantes.

XXIII. Stephanus III, anno 1320; e Michaele *Germain*.

XXIV. Guillelmus III, anno 1344; ex eodem. Reperitur idem, anno 1346, in schedis A. Quercetani, inter excerpta e Mauricianis tabulis, t. LXXV.

XXV. Dionysius *Vaslin* obiit anno circiter 1363.

XXVI. Geoffridus, e priore Capellæ ad S. Mauri præfecturam vocatur litteris Urbani papæ V, II idus Junii 1363; e Suaresio. Occurrit anno 1368. B

XXVII. Joannes II legitur anno 1393. Anno 1404, 6 Decembris, Franciscus, Narbonnensis archiepiscopus, testatur Joannem adivisse Romanam curiam, de more solito, per Ægidium Colini, procuratorem; ex archivo Andegavensi.

XXVIII. Jacobus procuratores misit, anno 1409, ad concilium Pisanum. Jacobum hunc plures prætermisere, haud aliter ac si idem quam Joannes antecedens fuisset. Valde quidem obscurum iter ingressi sumus.

XXIX. Guillelmus IV annis 1427, 1428, C 1445. Abdicavit anno 1450.

XXX. Carolus I, penultima die Januarii 1452 permittit ut e suis unus monachis transeat ad aliud monasterium, paris vel arctioris ordinis; e Sangerman. codice 1069, p. 234. Cessit, aut devixit, anno 1463.

XXXI. Hamelinus, præpositus Burguliensis cœnobii, litteris apostolicis instituitur abbas S. Mauri, IV cal. Decembris 1463; e Pii papæ bulla, quam servat archivum Andegavense. Anno 1466 de rebus nonnullis pepigit, et abdicavit anno 1477.

XXXII. Hilarius *Ragot*, litteris Sixti papæ D creatur abbas, pridie id. Februarii 1477. Procuratores instituit, anno 1483, Albinum *Duboys* et Stephanum *Piron*. Occurrit in eodem archivo, annis 1492, 1493. Decessit 24 Martii 1496.

XXXIII. Guido *de la Roche* reperitur 2 Martii 1497. Aderat S. Florentii, 10 Novembris 1504, consecrationi Joannis *de Mathefelon*. In ejusdem cœnobii basilica memoratur anno 1518, cum eligendus esset novus abbas. Obiit, ut aiunt, cal. Septembris 1533.

XXXIV. Joannes III *de la Roche*, antecedentis nepos e fratre, anno ætatis suæ trice- E simo, proponitur Guidoni abdicanti successurus; ex archivo Andegavensi.

XXXV. Franciscus *Maurier*, alias *Maurice*, et ipse regularis, vivebat anno 1540.

XXXVI. Eustachius *du Bellay*, commendatarius abbas, Francisco successit anno 1544. Inter episcopos Parisienses illum quære, t. VII, col. 163.

XXXVII. Ludovicus *Garnier* Eustachio suffectus memoratur anno 1568. Obiit anno 1571.

XXXVIII. Joannes IV *Pierres*, jam abbas Perredii Novi, Ludovico subrogatus est 21 Septembris 1571. Reperitur usque ad annum 1584.

XXXIX. Claudius I *de Salles* munus aggreditur 3 Octobris 1585. Occurrit in schedis annorum 1587, 1597; ex arch. Andegav.

XL. Claudius II *de S. Offange*, post quatuor commendatarios abbas regularis, et post monasticæ rei dissipatores ejusdem refector. Præpositus generalis idem fuit congregationis Benedictinæ in Gallia. Die 26 Martii 1626, regem litteris adivit, deposcens ut ipsi grandævo coadjutor concederetur Claudius Magdalo, e fratre nepos; ex archivo Andegav. Paulo post abdicavit.

XLI. Claudius III Magdalo *de S. Offange* bullas accepit pontificias IV non. Decembris 1626, et adiit possessionem 6 Maii sequentis. Ille est qui congregationis S. Mauri sodales in abbatiam introduxit. Dein ab Andegavensi clero missus est, 26 Junii 1650, ad comitia Franciæ generalia. Abdicavit anno 1671.

XLII. Renatus Magdalo *de S. Offange*, commendatarius, ab anno 1671. Obiit anno 1707. Idem erat prior Montis Sorelli, in diœcesi Cenomanensi.

XLIII. Joannes V Franciscus *Martineau*, archidiaconus Andegavensis ecclesiæ, creatur abbas 23 Aprilis 1707.

XLIV. Carolus II Ludovicus *de Froullay*, regi ab eleemosynis, nominatur abbas 8 Januarii 1721. Creatus idem fuit Cenomanensis episcopus, 17 Octobris 1723. S. Maurum abdicavit anno 1728, S. Petrum de Cultura accipiens.

XLV. N. *de Lossendière* creatur abbas anno 1729. Sedit usque ad annum 1754.

XLVI. N. *de Lille* ab anno 1754 ad annum 1765.

XLVII. N. *de Créquy* ab anno 1765 ad annum 1790.

ASNERIÆ.

Asnerias, vel Asinarias, condidit, anno 1134, Giraudus Berlaii, Monasterioli dominus; e Chronico Turonensi. Paulo tamen antiquior fundatio videtur. Anno sedenim 1133, supra dictus Giraudus plura jam a se data Asneriarum incolis recenset. Quosdam ex abbatia Tironensi deductos fratres imperfectæ domus ædificia primum excepere: mox autem Giraudus Guillelmum, Tironensem abbatem, adiit, poscens ut loci decus augeretur, et in abbatiam cella mutaretur. Ad eumdem exstat Guillelmi, Andegavensis episcopi, de eadem re epistola, quam Tironense chartularium præbet. Tunc amplissimis surgens abbatia juribus donata est, ita ut, ab omni temporalis obsequii conditione libera, arctiore tantum obedientiæ vinculo Tironensi

Ch. xiv. col. 154.

A rectori copulata permaneret. Statuit quoque Giraudus, ut nobilius nomen induens idem locus Clarus Fons diceretur. Hanc autem nominis mutationem vulgus adeo non ratam habuit, ut contra, conditoris memoriam honore digno prosequens, Asnerias Berlaii cœnobium a Giraudo Berlaii exstructum usque ad hodierna tempora vocaverit. Primogenita Tironis Asneriæ filia: primus igitur in capitulis generalibus abbatiæ matris Asneriarum abbas post Tironis abbatem sedebat. Ea autem abbatia ante exitum postremi sæculi suppressa est. Unita reperitur collegio Flexiensi,

B 28 Junii 1746.

Quædam e tabulis Asneriarum excerpta præbet Sangerman. cod. 1069. Integram tamen abbatum seriem condere nobis non licuit.

ALIQUOT ABBATES.

I. Bernardus, Asneriarum primus abbas, dissidium habuit super ecclesia *Mosterou*, cum Joanne, S. Nicolai abbate: quod diremit, anno 1136, Guillelmus, Pictaviensis episcopus. Bernardum hunc non alium fuisse

C conjicit F. Bodinus ac ipsum Tironis conditorem. In ea vero vehementer fallitur opinione. Beatus enim Bernardus, quem Abbavillæum dicunt, decesserat anno 1116, vel 1117, ante conditas Asnerias; vide supra, t. VIII, col. 1263.

II. Gualterius societatem pepigit cum Roberto, abbate S. Albini. Obiit autem is Robertus anno 1154.

III. Quis Asneriarum tertius abbas exstiterit non certo comperimus. Nonne fuit is Heraudus, cujus Roncereii necrologium VI cal. Augusti meminit?

D IV. Aymericus quartus abbas nuncupatur, ut ex ejus sepulchro tradit Anselmus *Lemichel*; cod. Sangerm. 1065.

V. Reginaldus reperitur, anno 1198, in litteris quibus Berlaius, Monasterioli dominus, a Berlaio *de Maie* data confirmavit; ex eodem Sangerm. cod., p. 93.

VI. Raymundus, anno 1208, testis fuit supra memorati Berlaii prioratum Brolii Berlaii condentis; apud *Housseau*, t. VI. Idem, ut videtur, mandato domini papæ, sedit, cum Michaele, Salmuriensium abbate, judex litis inter Geoffridum de Chaorciis et abba-

E tissam Nidi Avis.

VII. Guillelmus, anno incerto, cujus nomen in parietibus ecclesiæ incisum legerunt; e codice Sangerm. supra laudato.

VIII. Joannes I, anno 1300; e chartulis ad Vadum Alneti spectantibus.

IX. Nicolaus, anno 1314, a Roberto, Tironis abbate, facultatem accepit Ferrariensem abbatem eligendi, e Sangerm. cod. 1069, p. 83.

X. Philippus obiit anno 1363.

XI. Joannes II Guillerii e priore claustrali abbas creatur, IX cal. Augusti 1363, ab Urbano papa V; apud Suaresium.

XII. Odo, anno 1426, priorem Grezilleii præsentat; ex archivo Andegavensi.

XIII. Joannes-Baptista *Morin* interest, anno 1479, capitulo Tironis generali.

XIV. Thomas anno 1485 reperitur.

XV. Joannes III, anno 1486.

XVI. Ludovicus *Prévost* eligitur anno 1489. Anno 1502, semet Tironis abbati subjectum agnoscit. Adest, 10 Novembris 1504, electioni Joannis, Salmuriensium abbatis. Abdicavit, anno 1515, in gratiam sequentis, et eodem anno decessit.

XVII. Andreas *Prévost*, antecedentis e fratre nepos, pontificiis litteris donatur X cal. Martii 1515. Anno 1556 reperitur in Tironensibus tabulis.

XVIII. Joannes IV *le Parcheminier* ab anno 1560 ad annum 1580, quo Franciscus, Henrici regis frater, abbatiam Joanni *le Cieste* domino *de Villebois*, præsidiariorum suorum militum duci, contulit. Joannis autem *le Cieste* ab eo tempore fiduciarius fuit.

XIX. Joannes V *le Bouc*, Engolismensis monachus, qui postea cum ipse Joanne *le Cieste* litigavit, victusque nomen abbatis retenta pensione dimisit; apud Sammarthanos.

XX. Joachimus *Racault*, nepos Joannis *le Cieste*, possessionem adeptus est anno 1609. Idem postea munere semet abdicavit.

XXI. Raymundus *de la Nauve* ab anno 1628 ad annum 1633.

XXII. Joachimus *Racault*, iterum, ab anno 1633. Moritur 5 Julii 1635.

XXIII. Franciscus I *Verdier* abbatia donatur a rege. Pro eo rex, 10 Julii 1635, apostolicas litteras requirebat; e cod. *de Gaignières* 245.

XXIV. Renatus *Couràult de Pressiat* memoratur anno 1699.

XXV. Franciscus II *Ballan de Cinq-Mars* obiit anno 1721.

XXVI. Hyacinthus *de Botloy* litteris donatur pontificiis XV cal. Junii 1721.

B. MARIA DE CARITATE, VEL RONCEREIUM.

Locus erat Deo sacer, dictus Caritas, ob id, ut memorant, quod ibi B. Melanius Albino, Victori, Launo Marsoque episcopis eulogiam caritatis obtulerat. Exstructam antiquitus in eo loco capellam ætas exederat. Quam reficere curavit, anno 1028, Fulco Nerra, Andium comes, fatiscentem undequaque renovans molem, servato tantum altari quod B. Melanii celebris apud omnes memoria commendabat. Ibi quatuor collocati sacerdotes, qui ministeriis ipsi quibuscumque fungerentur, cœnobiumque monialibus Be- A nedictinis rite assignatum fuit; quibus Fulco Nerra et Hildegardis uxor terras, pascua, molendina, non mediocre subsidium, liberali manu contulerunt, ut eorum litteræ testantur, apud Sammarthanos. Eadem summatim S. Sergii calendarium refert, pridie id. Julii. Adverte quod mira quadam allucinatione Bodinus Roncereii fundationem Fulconi Bono tribuat. A patre data confirmavit Geoffridus Martellus, anno 1045. Anno 1119, Calixtus papa II Andegavum venit, et, Roncereii ecclesiam ingressus, altare Dominicum sancti chrismatis unctione consecravit, in vi- B gilia Nativitatis B. Mariæ, adstantibus pluribus cardinalibus et episcopis. Peracta consecratione, pontifices, domini papæ jussu, ædem dedicaverunt. Magna fuit hujus domus fama. Nulla nisi nobilitate veterrima superbiens ex utroque latere puella, ex auctoritate statutorum, tanti nominis tecta subiit. Is quoque mos viguit ut nuper votis obligatas virgines Andegavensis ipse præsul consecraret, et nigro peplo annuloque aureo donaret. Constanter Roncereio Romani Pontifices consuluere; quod eximiis auxerunt privilegiis. Monialibus quidem data lex abbatiæ C fores nunquam clausit: attamen, semet ut severius haberent, ultroneæ Dei captivæ semper fuerunt, nec sacrum extra carcerem pedem ferre visæ sunt. *Rer. Gall. Script. t. XIV, p. 199.*

Abbatissarum nomina veteribus e monumentis pleraque eruimus. Quasdam abbatiæ necrologium exhibet, quarum ætatem cognoscere non licuit. Hæ sunt :

Constantia, quæ obiit XIV cal. Martii;
Catharina, III non. Julii;
Eremburgis, VII cal. Septembris.

Gabrielidis insuper cujusdam domnus *Housseau* meminit; quam, de eadem silen- D tibus chartis, suo loco ponere non valuimus.

ABBATISSARUM SERIES.

I. Leoburgis prima Roncereii abbatissa memoratur, anno circiter 1028. A Matthia, comite Nannetensi, Gualtherio tunc temporis Nannetensium præsule, anno, ut opinantur, 1039, aut 1040, monasterium S. Cirici et insuper ecclesias B. Mariæ ac S. Vincentii accepit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 382. Animadverte vero quod Tetburgis nomen in E chartula, non Leoburgis, reperiatur; unde jam prodit aliquod falsitatis indicium. Eamdem chartulam Nicolaus *Travers*, etiam fortiori utens argumento, mere suppositivam dixit; Hist. Nannet., t. I, p. 106. Obiit Leoburgis, vel Lietburgis, ex abbatiæ necrologio, IV id. Aprilis.

II. Bertrada, anno incerto, confirmatam obtinet a Matthæo, milite, Curtem Hamonis jam ab Aremburge datam.

III. Beliardis occurrit id. Aprilis 1062, in tabulis S. Nicolai; inter Baluzii schedas,

arm. 2, fasc. 1, num. 1, p. 49. Eidem restituit Geoffridus Barbatus vineas quas Geoffridus Martellus diripuerat. Obiit III non. Januarii; e Roncereii necrologio.

In S. Mauricii martyrologio, XI cal. Augusti, Ascelina abbatissa, soror Eusebii præsulis, reperitur. Nulla tunc puellis apud Andes addicta domus, ut videtur, nisi Ronccreium. An vero præfuerit Ascelina Roncereio incertissimum est.

IV. Hiltrudis, filia Guidonis de Valle, ex Avenariarum priorissa abbatissa Roncereii dicitur, Arnaldo Cenomanensem cathedram tenente; apud domnum Piolinum, Hist. eccl. Cenom., t. III, p. 304.

V. Richildis eligitur VIII cal. Julii 1073, annuente Fulcone comite: quam consecrat Eusebius episcopus. Hujusce electionis memoriam servavit charta, cui subscripserunt quinque necnon viginti sorores. Nonnulla quidem a diversis accepit Richildis; de pluribus tamen litigavit. Postquam ecclesiam ea S. Fidei condiderat in viculo cui S. Lambertus nomen est, viculum hunc Fulco comes omnibus servitiis et exactionibus liberavit. Summatim nunc dicendum de litibus. Hæredes filiorum quos habuerat Arnulfus Amara Farina, vineas sibi vindicabant monialibus ab Arnulfo traditas. Ad judicium Dei ventum est. Pro calumniatoribus stans Ernaldus in ecclesiam S. Trinitatis, ubi calefiebat aqua, ducitur. Missa celebrata et hausto corpore Christi, lente procedit Ernaldus ad sartaginem in quam manum mersurus est. Oculos obcæcat velum, ne viso palleat horrescatque supplicio. Dextram admovet, mergit, protinusque retrahit; adeo vero æstuantis undæ calore coctam, ut semet usque ad intima cordis exustum clamitans confiteatur. Judicium ergo Dei monialibus favere dicitur, et adscriptæ sunt Richildi vineæ a quorumcumque adstantium cœtu, quos inter Geoffridus de Meduana, Hugo de S. Laudo, et Bartholomæus præpositus. Annum post 1082, Geoffrido scilicet episcopante, Richildis in dissidium venit cum monachis S. Nicolai, et, idem circa tempus, pergit Salmurium ad forum Fulconis comitis, contendens cum Thoma Cainonensi de prædio in villa Petra sito. Sedens Fulco super gradibus lapideis litigatam rem monialibus tradidit. Cum autem inter judices Salmurii congregatos occurrat Marbodus, tunc temporis Andegavensis archidiaconus, ante annum 1096 hæc gesta fuisse compertum habemus. Anno tandem 1103, querelam movit Richildis adversus Odonem de Blazone super pratis quæ sua miles asserebat. Rem non civilis judex, sed episcopus Andegavensis composuit, prata Richildi tribuens. Obiit Richildis XII cal. Junii, ex obituariis S. Sergii et S. Juliani Pratensis; II vero cal. ejusd. mensis, e Roncereii necrologio. Ejusdem, vel forsitan alterius

A Richildis, necrologium Roncereii III non. Martii præterea meminit.

VI. Tetburgis, VII idus Decembris 1104, a canonicis S. Mauricii ecclesiam Engelbanderiæ sub census annui conditione accepit. Eadem cum abbate Lucionensi Reginaldo super ecclesia Prugniacena litigans, in ea causa vicit: ante annum 1108, adstante scilicet Justino, Rotonensium abbate; apud *Housseau*, t. XII, n. 7627. Ecclesiam S. Jacobi, trans Meduanæ pontem, ædificare cœperat Tetburgis: canonici vero S. Petri ne susceptum opus consummaretur prohibuere, ipsam S. Mariæ

B basilicam sub suo jure parochiali conditam fuisse asserentes: acerrimum unde jurgium, quod Rainaldus præsul anno 1110 sopivit, suum utrique congregationi tribuens. Super Avenariarum ecclesia contra Guarinum de S. Berthevino eadem litigans, causam obtinuit coram Geoffrido, Cenomanensi decano; ante scilicet annum 1111. Anno 1116, ei per Aimericum *de Aver* furnum exstruere licuit; apud *Housseau*, t. XII. Tetburgi abbatissa, in vigilia Nativitatis B. Mariæ 1119, Calixtus papa II, occiduas Galliæ partes visitans, Andegavum venit et ecclesiam B. Mariæ conse-

C cravit. Anno tandem 1120, Geoffridus *de Loeth*, in eo ut Hierosolymam pergeret, prædia nummosque Tetburgi tradidit, eidem uxorem suam nutriendam credens. Annus desumitur ex eo quod donum factum refertur eo anno quo Rainaldus præsul Hierosolymam ipse profectus est. In aliis insuper chartulis Tetburgis reperitur; quas, chronicis notis carentes, prætermittimus.

VII. Mabilia eligitur, adstantibus nonnullis vicinorum cœnobiorum archimandritis, inter quos memorant Hamelinum, abbatem S. Albini. Unde colligere fas est in eam con-

D versa sororum suffragia annum circa 1120. Ei dedit, anno 1123, Amalricus Crispinus decimam molendinorum Castri Celsi; e schedis domni *Housseau*, t. XII. Mabiliæ martyrologium meminit IV cal. Octobris.

VIII. Audeburgis, vel Hildeburgis, e plurimis chartis innotescit. Jam abbatiale munus susceperat episcopante Rainaldo; hic sedenim occurrit ei restituens moletrinam et aggerem Morennæ, a Tetburgi S. Mauricio tradita. Eidem, anno 1125, Rainaldo succedens Ulgerius confirmabat omne jus in ecclesia S. Jacobi; in qua schedula Hildebur-

E gis tertia Tetburgi successisse legitur. Ejus meminit, anno 1126, charta Gervasii, monialibus decimam Codreii condonantis. Jerusalem pergens Geoffridus comes, anno scilicet 1128, Hildeburgim adibat orabatque ut filiam Geoffridi Rasli monialium veste indueret: annuit illa petenti, dummodo prædictus comes confirmaret datum monialibus a patre prædium juxta S. Ægidium. Eodem anno, idibus Martii, Conanus, Britanniæ comes, Hildeburgi restituit ecclesiam S. Cyrici. quam

a comite Budico fundatam et monialium sub jure positam, uxoratis postea presbyteris eorumque filiis, Britanniæ comites, hæreditarium quasi prædium, addixerant. Eadem, anno 1132, decimam S. Christophori de Marolio, in agro Cenomanensi, accepit a Fromundo Tangente Bovem. Crebra dein lis inter S. Nicolaum et Roncereium de morientium sepultura. Hildeburgis, XVII cal. Februarii 1132, aut, secundum hodiernum computum, 1133, ab Ulgerio episcopo litteras accepit, quibus ipsi rursus traditum jus humandi fideles in parochia trans Brionem debitum naturæ persolventes. Ecclesiam S. Jacobi puellis Roncereii ab Ulgerio confirmatam jam diximus. Hildeburgi tamen in ea capellanum constituente, ea de re jurgium capellani S. Trinitatis movere. Ut vero materiam litis amoveret Ulgerius, ecclesiam S. Jacobi parochiam esse jussit, nemini, nisi episcopo, subjectam. Hoc autem edictum anno caret. Decessit VI idus Octobris, e martyrologio.

IX. Theophania I post annum 1136. Quam inter et Nigellum, abbatem S. Nicolai, lis exorta est de morientibus monialium oblatis in parochia S. Jacobi. Adverte quod, apud Sammarthanos, duæ tantum occurrant Theophaniæ sanctimonialibus Roncereii præfectæ, cum eodem nomine notatas martyrologium quatuor abbatissas exhibeat.

X. Amelina, vel Emma I *de Cholet* accepit, anno 1142, a Geoffrido comite decimam molendinorum Curtis Hamonis; ut meminit domnus *Housseau*, t. XII. Eadem, VII cal. Novembris 1143, de prædio prope Legionem transigebat cum monachis S. Albini; ex eodem. Annum tandem 1145 præbet S. Landi chartula, in qua memoratur Amelina querens de aggere quem Andegavensis comes exstruxerat. Decessit, e martyrologio, XIV cal. Maii.

XI. Petronilla memoratur, anno 1145, causam obtinens de mole bonis monialium damnosa, quam incolæ Fossarum ædificaverant; e schedis domni *Housseau*, t. V. Nullam Petronillæ mentionem martyrologium exhibet.

XII. Orhandis, a quibusdam Hersendis dicta, precum societatem iniit cum Guillelmo, S. Sergii abbate. Reperitur naturæ debitum persolvens, in obituariis Roncereii et S. Sergii, V idus Junii.

XIII. Theophania II, anno 1154, Stephano de Brioleto tradidit quidquid moniales juris habebant in aggerem Portus Ragii; e schedis domni *Housseau*, t. XII.

XIV. Emma II de Lavalle pacta est, anno 1160, cum Stephano, Andegaviæ senescallo, de quatuor constituendis capellanis in Eleemosynaria S. Joannis; e schedis *Housseau*, t. V. Eadem, anno 1163, in pacto cum Joanne, abbate S. Georgii, et in pluribus minimi momenti chartis, annis 1164, 1167, 1169, 1179, 1183, 1187. Anno 1188, Elee-

A mosynariæ domui plurima concessit ad restaurandas, necnon augendas, fratrum et pauperum ædes. Cujus beneficii memorem se præbens senescallus Andegaviæ supra laudatus, vineas, pressorium, centum libras Andegavenses et alia nonnulla virginibus B. Mariæ tradidit. Decessit, e martyrologio, II cal. Junii.

XV. Hersendis de Sablolio, anno 1196, villam quamdam contulit fratribus Haiæ degentibus. Gravis exarsit querela Hersendim inter et Hierosolymitanos fratres Eleemosynariæ domus, his sanctimonialium tutelam B exuere et integram libertatem assequi conantibus. Joannem, Anglorum regem, monuit Hersendis, jus violari suum clamitans. Cum vero prædictus rex Guillelmo de Rupibus, Andegaviæ senescallo, negotium hoc demandasset enodandum, is, nonnullorum adhibito consilio, declaravit, anno 1200, res fratrum omnes ad moniales pertinere, defectionemque molientes repressit. Anno 1209, in curiam Guillelmi episcopi venit Hersendis, querens sibi jus omne negari in electione prioris Eleemosynariæ domus, revocansque judicis in memoriam Eleemosynariam præ- C dictam in B. Mariæ dominio sitam, et monialium laboribus assiduis propugnatam. Causa cognita, statuit episcopus ut nullus, nisi consentiente abbatissa B. Mariæ, Eleemosynariæ prior eligeretur, et electum eadem temporalibus investiret. Sic, hoc anno 1209, præsentavit Hersendis Guillelmum *Aubrée* priorem. Testis occurrit, anno 1211, vineæ venditæ fratribus Haiæ, Grandimontensis ordinis. Quibus, anno 1214, iterum concessit quidquid possidebant in dominio B. Mariæ. Eadem, anno 1216, precum societatem D fecit cum ecclesiæ Bellilocensis presbytero; e schedis domni *Housseau*, t. XII. Occurrit, anno 1218, pluribus in chartis quas servat archivum Cadomense, quasque nobis contractas exhibet D. *Léchaudé d'Anisy*, in tom. I Excerptorum suorum, p. 355. Anno tandem 1120 legitur in chartulario Mellinensi, canonicis cellarium concedens. Fato debitum persolvit, e martyrologio, XIII cal. Januarii.

XVI. Theophania III; e Sammarthanis.

XVII. Maria de Bello Monte reperitur anno 1230, in tabulis S. Mauricii. Agnoscebat, anno 1232, semet a rege quingenas accepisse E libras Turonenses, ob damna monasterio illata. Obiit, e martyrologio, II idus Maii.

XVIII. Agnes I de Roorta, vel *de la Roche*, probavit, mense Martio 1239, venditionem quamdam in suo feodo peractam; e schedis domni *Housseau* t. XII. Occurrit eadem, mense Novembri 1240, in chartulario Fontis Danielis. Transegit, mense Martio 1242, de quibusdam decimis cum Jacobo, S. Nicolai abbate. Ejus meminit martyrologium, X cal. Septembris.

XIX. Adelicia, alias Alicia, *de la Roche*

Agneti successit, e priorissa Curiæ Hamonis, die Veneris post festum B. Bartholomæi apostoli 1244. Mense Januario 1244, secundum veterem usum, confirmavit pacem jam initam inter Agnetem et fratres Haiæ. Augusto deinde mense 1255 nominatur Adelicia in charta Joannis æditui, capellam condentis æterna pro salute defunctarum Theophaniæ, Mariæ et Agnetis. Eadem, Aprili mense 1258, partem quamdam molendinorum *Suët* occurrit sub censu tradens monachis Chalocheii. Decessit, e martyrologio, II nonas Martii.

Post Adeliciam plures occurrunt Aenordes quas inter distinctio difficilis. Tres ejusdem nominis vicissim ponit abbatissas auctor anonymus chartacei cujusdam codicis quem servat archivum Andegavense, sub hoc titulo : Clerus Andegavensis. Huic libenter assentimus : notandum tamen quod duarum tantum abbatiæ martyrologium meminerit.

XX. Aenordis I, *Honnome* nuncupata, si fides indici supra laudato, paciscebatur, anno 1267, de capella nuper condita in Andegavensi ecclesia. Eadem, e chartulario Majoris Monasterii, de quibusdam decimis cum Stephano, Majoretanorum abbate, transegit, mense Novembri 1268. Eadem, anno 1284, capellam S. Gatiani exstruxit in ecclesia B. Mariæ. Aenordis illius vel sequentis meminit Roncereii necrologium, x cal. Aprilis.

XXI. Aenordis II *de la Roche Sibilen*, anno 1303; ex anonymo indice.

XXII. Aenordis III *Riboul*, in martyrologio dicta *Henors Rebolle*, ab anno 1324; ex instrumento quodam ad prioratum S. Cyrici spectante; inter *Housseau* schedas, t. XII. Eadem, die lunæ post festum B. Barnabæ 1330, fratribus eremeticam S. Augustini regulam sectantibus in perpetuam emphytheosim atrium et domum concessit; ex eodem, t. VIII. Ejus præterea nomen *Housseau* legebat in tabulis annorum 1336, 1341, 1347. Obiit XIV cal. Decembris.

XXIII. Theophania IV *La Suarde* occurrit in chartulis annorum 1363, 1365. Anno 1367, pacta est de quibusdam vineis cum Joanne, Omnium Sanctorum abbate. Eadem reperitur 6 Januarii 1379, lege 1380, in Sergianis chartulis; cod. Reg. 5446, p. 147. Ejus meminit Roncereii necrologium, v nonas Martii.

XXIV. Isabellis I *de Ventadour* moritur anno 1418; e Sammarthanis.

XXV. Agnes II *de la Bodière* obiit nonis Julii.

XXVI. Margarita *de Couesmes de Lucé*, antea decana, sententiam obtinebat, anno 1421, de oblationibus capellæ S. Apollinæ. Avenerias, prioratum Roncereii Cenomanensem, tradidit, 9 Februarii 1424, Nicolaæ *Cornillele*. Annis insuper legitur 1432, 1436, 1444, 1445. Ab ipsa conditam consecravit capellam Espinardi Joannes episcopus, anno 1445. Priorem Elemosynariæ S. Joannis recens electum excepit 26 Octobris 1446. Dies explevit Augusto mense 1450.

XXVII. Philippa *du Bellay*, ex Hugone milite sata et Isabella *de Montigny*, eligitur anno 1450. Ejus mentio fit in chartis annorum 1451, 1452. Decessit anno 1455. Obitum ejus moniales celebrabant calendis Julii.

XXVIII. Alienora *de Champagne*, priorissa Curiæ Hamonis a 29 Januarii 1433, præfuisse Roncereio dicitur ab anno 1455. Occurrit annis 1460, 1471, 1472, nonnulla conferens beneficia. Procuratorem suum probavit, 7 Augusti 1465, qui fratres Augustinianos ante judicem compulerat officia monialibus debita detrectantes. Die 9 Maii 1470, a Renato, Siciliæ rege, fragmentum veræ crucis solemniter accepit. Pacta est, 11 Februarii 1476, cum Joanne *de la Motte*, qui, prior electus Eleemosynariæ, monialium jura detrectare voluerat. Decessit II nonas Septembris; e martyrologio.

XXIX. Catharina I *de la Trémouille*, Ludovici filia et Margaritæ *d'Amboise*, legitur beneficia tradens regenda a 26 Septembris 1486 ad 1 Octobris 1492. Obiit, e martyrologio, nonis Aprilis; anno videlicet 1493.

XXX. Renata *Sarrazin*, priorissa Burgi Monasteriorum a 17 Decembris 1455, hoc in prioratu confirmatur, 24 Augusti 1487, a Catharina *de la Tremouille*. Eamdem Roncereii abbatissam consecravit, 21 Aprilis 1493, Joannes de *Rely*, Andegavensis episcopus. Emit, 22 Maii 1498, a Joanna, Siciliæ regina, prædium stagnumque dicta *le Grand Clos*. Eo ipso anno priorem dedit Eleemosynariæ S. Joannis. Obiit VI idus Maii 1499.

XXXI. Catharina II *de Tonnerre*, ab anno 1493, 9 Junii, professa, sororum suffragiis ad abbatiale munus vocata est 22 Maii 1499, et consecrata 23 Junii. Occurrit in tabulis annorum 1502 et 1503. Vitam cum morte commutavit XIV cal. Februarii; e martyrologio : anno, secundum recentem calculum, 1504.

XXXII. Isabella II *de la Jaille*, Bertrandi *de la Jaille* et Catharinæ *Leroy* filia, reperitur beneficia quædam conferens annis 1505, 1512 et 1513. Decessit die 4 Decembris 1518.

Ludovica *Leroux* anno 1518 electa est, sedentibus in capitulo novem et decem sororibus. Quæ quidem electio nullum effectum sortita est. Cur autem Ludovicæ non profuerint sororum vota nescimus.

XXXIII. Francisca I *de la Chapelle Rainsouin* occurrit in tabulis annorum 1519, 1520, 1526. Obiit, e Roncereii martyrologio, calendis Julii 1529.

XXXIV. Francisca II *Auré*, alias *Auvé*, Roncereii professa a 17 Augusti 1505, electa est abbatissa 8 Julii 1529. Reperitur in tabulis annorum 1530, 1537 : quæ decessit, e martyrologio, calendis Novembris 1549.

XXXV. Anna I *de Montmorency*, filia ducis Annæ *de Montmorency*, constabularii, Roncereii jam monialis anno 1547, transfertur anno 1555 in abbatiam Sanctissimæ Trinitatis Cadomensis.

XXXVI. Joanna *de Maillé de Brezé*, filia Guidonis *de Maillé* et Joannæ *de Louan*, Roncereium accepit a rege 1 Augusti 1555. Obiit, e martyrologio, VIII idus Decembris 1573.

XXXVII. Ivona I *de Maillé*, antecedentis soror, electa est die 9 Decembris, quo deposita est antecedens Joanna. Fontebraldensis jamdudum professa, propter germanam suam Roncereii facilem vitam vivebat, sicque ad annum ætatis quintum et quadragesimum jam pervenerat. Litteræ ad eam pontificiæ missæ, x calendas Februarii 1574. Abdicavit, anno 1586, in gratiam sequentis.

XXXVIII. Simona *de Maillé*, antecedentis neptis, filia Claudii *de Maillé*, eam qui susceperat e Robinetta *Hériçon*, nonis Januarii 1587 bullam accepit pontificiam qua suffecta est Ivonæ abdicanti. Ea in bulla dicitur annum ætatis quintum et vicesimum attigisse. Innotuit vero Clementi papæ VIII deceptam ab ea fuisse Sixti V fidem, quæ consecrationem impetrarat apostolicam annos vixdum septemdecim nata. Ea de re scripsit Clemens, anno 1591, illam absolvens violatæ legis crimine. Coadjutricem eidem dedit Paulus papa V Ivonam *de Maillé*, sororem, nonis Novembris 1614. Obiit anno 1646, 10 Augusti; e Rogero.

XXXIX. Ivona II *de Maillé*, ab anno 1602 professa, sorori successit. Vitam exuebat terrestrem, 16 aut 17 Decembris 1650.

XL. Antonia *du Puy*, patria Laudunensis, adjutrix Ivonæ data 14 Julii 1649, ei sufficitur anno 1651. Occurrit in tabulis a domno *Housseau* contractis, annis 1651 et 1666.

XLI. Carola I Catharina *de Grammont*, de qua plura legere licet inter abbatissas S. Ausonii, in ecclesia Engolismensi, ad Roncereium translata fuit anno 1682. Decessisse legitur anno 1701.

XLII. N. *de Quatrebarbes de la Rongère*, filia Renati et Jacquelinæ *de Préaux*, Roncereio donatur a rege 24 Decembris 1701; e Gallia Sacra.

XLIII. Francisca *de Caumont Nompar de Lauzun*, filia Gabrielis, comitis *de Lauzun*, et Carolæ *de Caumont-la-Force*, litteras accepit regias 15 Augusti 1706. Ei data coadjutrix, litteris Clementis papæ XI, die 4 Augusti 1708, Anna Maria Ludovica *de Belzunce*, monialis Santonensis.

XLIV. Anna II Maria Ludovica *de Belzunce de Castelmoran*, ex Armando nata, Aginnensis agri proconsule, et ex Anna *de Caumont*, ab anno 1709 in annum 1742.

XLV. Carola II Antonia *de Bafferot*, anno 1742.

A XLVI. Leonia *d'Esparbez de Lussan Bouchard d'Aubeterre* ab anno 1762 ad annum 1790.

NIDUS AVIS.

Roberti de Arbrisello discipulus, ut videtur, et consors, eremita quidam, nomine Salomon, dictus in chartis « exstructor et ædificator cœnobiorum ad usum ancillarum
B « Dei, » devenit forte quadam in locum vepribus horrentem ad Uldonis ripas, ac nulli mortalium hospitalem nisi feris et latronibus, Gualteriumque *Hai* de Poenceio, Nidi Avis, Nidi Oselli, vel Nioselli toparcham, adiens, participem fecit consilii sui de ecclesia construenda, et monialibus eo aciendis. Rem non ingratam habuit Gualterius, et, concedens quæ deposcebantur, dein Andegavum perrexit, quæsiturus episcopalem donationis confirmationem. Aberat tunc Andegavensis præsul Rainaldus, Romam profectus, et ejus locum Marbodus Redonensis tenebat. Ea igitur
C ad annum 1109, secundum hodiernum computandi modum referenda; quo scilicet anno, ut constat e Fulconis charta de Plessiaco Grammatici ecclesiæ S. Mauricii condonato, Andegavensis ecclesiæ res administrabat Marbodus, absente Rainaldo. Gualterii donum una probaverunt Marbodus et Fulco comes, in concione populi, die 18 Aprilis 1109, quo triviatim rami palmarum ferebantur. Postquam autem Roma redierat Rainaldus, Niosellum venit, et exsurgens altare consecravit. Plurimis exinde locum ditaverunt
D bonis Gualterius et Bernardus de Bulleio : quin imo castrum ab ipso Bernardo nuper constructum et in quo sedem elegerat Gualterius, ad preces Salomonis, episcopi Rainaldi, nec non Roberti de Arbrisello, communi consensu funditus diruerunt, ut pote monialium ecclesiæ forsitan nociturum. Multis easdem insuper ditaverunt prædiis, subscribente Guillelmo decano, *die quo Stephanus cantor factus est archidiaconus;* quod non post annum 1110 ducere licet, cum jam hoc anno Stephanus subscripserit, archidiaconi munus implens, chartæ de lite dirempta a Rai-
E naldo episcopo inter sanctimoniales B. Mariæ et canonicos B. Petri. Nioselli primum degerunt insimul sanctimoniales et eremitæ. In plurimis chartis occurrunt Salomon, Drogo, Durandus, Rainaldus, Frogerius, Brunellus, Daniel, Gualterius, Candidus, eremiticam profitentes Nioselli vitam, primarum abbatissarum tempore, et earum assidui pergentium ad diversos locos socii. In quibusdam etiam memorantur ut quorum *in manu*, et insimul in manu præsentium abbatissarum, ponuntur dona Nido Avis tradita. Confirma-

vit, anno 1141, Innocentius papa II possessiones quascumque Nidi Avis. Reformata est domus, anno 1618, ad normam S. Trinitatis Pictaviensis.

Historiam Nidi Avis nuper priscis e chartulis D. P. *Marchegay* condidit et publici juris fecit. Quo præeunte securius tritum iter ingressi sumus. Seriem insuper abbatissarum præbent *Housseau* schedæ, t. XVIII.

ABBATISSARUM SERIES.

I. Eremburgis I, quam e suo deductam cœnobio dixerunt virgines Roncereii commorantes, non primum quidem abbatissa, sed *priorissa* tantummodo fuit, eremita Salomone parthenonis res forsitan administrante; ut constat e Geoffridi Ostorii charta, dantis, anno 1115, decimas Andiniaci colligendas. *Prior* eadem Nioselli *sanctimonialis* nuncupatur in Isambardi, filii Guidonis, donatione. Plurimis sub illius regimine ditatum prædiis nascens monasterium. Jam memoravimus a fundatoribus concessa. Addendum quod, Rainaldi episcopi tempore, Petrus, S. Sergii abbas, monialibus Nidi Avis ecclesiam Socellæ tradidit. Eidem Eremburgi præterea dederunt Philippus *de Congres* Bodelliam terram, Guito domum Andegavi sitam supra Salnerium portum, et Geoffridus *Ridehem* seipsum et decimam molendini cujusdam Faucillæ siti. Plura quidem tabulæ referunt Eremburgi condonata : incertum est vero nobis an illa prima acceperit aut secunda Nioselli abbatissa, cum ejusdem nominis altera virgo in abbatiali munere supra memoratæ proxime successerit. Obiisse legitur prior die 18 Octobris. Ejusdem, ut videtur, martyrologium Roncereii 13 Octobris mentionem fecit.

II. Eremburgis II, cognomine *Robée*, occurrit, x calendas Aprilis 1140, in charta Olivarii de Villa Nova, qua monialibus data facultas capellam ædificandi in viculo Castellicio. Reperitur eadem, anno 1141, in litteris Innocentii papæ. Pepigit, Ulgerii episcopi tempore, cum Engelsenda, Geoffridi *Tournel* uxore, de rebus ab Hamelino de Genia datis. Eidem ipse dedit Ulgerius, anno 1142, ecclesiam Bosci Harbaudi, et ibi protinus constitutæ moniales. Quibus tamen non diuturna quies. Vixdum enim Boscum Harbaudi devenerant, cum abbas S. Florentii clamavit hunc sui juris locum esse, et traditum non consentiente domino dominium. Hoc in discrimine partes Eremburgis abbatissæ pro viribus tutatus est Ulgerius : re tamen cognita, summus Pontifex S. Florentio Boscum Harbaudi restituit et moniales inde ejecit; quæ secesserunt in capellulam Petræ Tectæ, ut legitur in Hamelini de Torello charta, concedentis Eremburgi prædium apud Locharellos. Accepit eadem a Guillelmo *Rufaut* quidquid is possidebat ad fontes Morini; a Guillelmo de Guirchia, mansionem et nemus; a Matthæo de Harella Jerusalem proficiscente, cellarium; a Silvestri de Harella, vineam; a Petro de Moleriis, partem cujusdam decimæ. Nec singula retulimus.

III. Adelais *de la Jaille*, quæ nepotes habuit Fulconem de Jalleia, militem, et Philippum de Saucogniaco, plura accepit, anno 1159, a Guillelmo de Guirchia. Eadem, eodem anno, pacem iniit cum monachis S. Florentii perpetuam, consilio Matthæi Andegavensis, Stephani Redonensis episcoporum, et Gosleni, regis Anglorum dapiferi; ex archiv. Andegav. Ejusdem Matthæi tempore, primitias accepit ablatas a Geoffrido, filio Landrici Cœmetarii. Adelaidem insuper donis plures auxerunt, sed incertum quibus annis.

IV. Aales, aut Alicia I, post Adelaidem a quibusdam nuncupatur; cui Geoffridus de Poenceio plura contulit. Illa vero de Aale nihil in abbatiæ necrologio reperitur. Unde conjicimus hanc eamdem esse ac Adelaidem Aalaidem, aut Adelepdem antecedentem.

V. Orinda, antea priorissa Locharellorum, accepit, anno 1184, a Lucio papa III confirmationem omnium abbatiæ bonorum. Eadem memoratur plura impetrans tam ab Eudone *de la Jumelière* quam ab Ivone de Ferraria; apud *Housseau*, t. V.

VI. Ada laudatur in Locharellorum tabulis. Obiit 24 Aprilis.

VII. Juliana pecuniam accepit, anno 1202, a Malo, milite. Eadem, anno 1211, transegit de decima Villæ Canis; apud St. *Housseau*, t. VI. Occurrit præterea, anno 1220, in charta qua refertur fundatio S. Michaelis Segredensis, et, anno 1230, in pacto cum monachis S. Sergii; ex eodem. Decessit, ut aiunt, 29 Aprilis.

VIII. Agnes, ad necrologii fidem, decessit 28 Septembris.

IX. Francisca obiit 28 Maii.

X. Joanna I *de S. Amatour* occurrit in chartis annorum 1250, 1251. Decessit 20 Octobris.

XI. Eremburgis III obiit 20 Februarii; ex abbatiæ necrologio.

XII. Paschasia migravit 8 Augusti.

XIII. Mazelina quædam commutavisse dicitur cum Stephano, S. Mauri abbate, anno 1280. Eidem, anno 1283, concessit Carolus, rex Hierosolymæ et Andegavensis comes, nundinas in die S. Mauri frequentandas. Ch. XIII, col. 161. Occurrit etiam anno 1286. De Mazelina obituarium silet.

XIV. Elizabetha obiit die 16 Septembris.

XV. Theophania obiit 10 Maii.

XVI. Petronilla *de Cangen*, aut *de Cangien*, aut etiam *de Canien*, occurrit annis 1311, 1323, 1332, 1333. Decessit die 29 Aprilis.

XVII. Thomasia reperitur anno 1335. Eidem, anno 1369, concessit Carolus V, rex

Franciæ, nundinas in vigilia S. Magdalenæ celebrandas. Laudatur Thomasia sedula cœnobii custos, debacchante bellorum procella. Decesserat nuper Januario mense 1370; nam eo tempore summus Andegavensis episcopi vicarius ad moniales Nidi Avis de suffragiis colligendis scripsit.

XVIII. Eustasia occurrit annis 1375, 1379, 1381. Obiit 14 Julii.

XIX. Joanna II *Sarrazin*, ex antiqua Andium familia, reperitur annis 1405, 1408, 1409, 1410. Obiit 17 Junii.

XX. Alicia II *de la Faucille*, filia Guidonis *de la Faucille*, militis, et Margaritæ *La Corbière*, alias *La Corbine*, in abbatiam ingressa est anno 1409. Obiit 9 Julii.

XXI. Alienora I *de Villeprouvée*, 21 Aprilis 1419, in Iolandæ, Siculorum reginæ, charta, quæ moniales a vectigali solvendo eximit.

XXII. Joanna III *de Courceriers*, Cenomanensis, ab anno 1422. Post ejus mortem adita sunt suffragia, 19 Decembris 1449.

XXIII. Alienora II *de Courceriers*, e priorissa Boni Consilii priorissa claustralis, abbatissa legitur a mense Martio 1450 ad 18 Maii 1462. Decessit 13 Maii, anno forsitan 1463.

XXIV. Catharina *Baraton-Champiré*, in chartis annorum 1464, 1472, 1473, 1479, 1480.

XXV. Margarita *Chaperon*, e Roncereio deducta, creata est abbatissa, contra morem, a Sixto papa IV, 25 Martii 1482. Occurrit in tabulis annorum 1483, 1489, 1490, 1495, 1498, 1501. Decessit die 12 Martii 1502.

XXVI. Francisca I *de l'Espine*, electa 20 aut 27 Martii 1502, possessionem adiit 28 ejusdem mensis. Commemoratur in tabulis, annis 1507, 1509. Anno 1504, prædium emit dictum *La Goupillière*. Decessit die 25 Martii 1522, et, 29 ejusdem mensis, per Franciscum *de Rohan* licuit ut electio nova fieret.

XXVII. Francisca II *de la Roche-Faton*, e nobili Pictaviensis agri familia, filia Jacobi, domini *de Senailles* et Franciscæ *Chaperon*, professionem fecerat 25 Maii 1505: abbatissa dicta est 10 Aprilis 1523, et consecrata 21 Junii. Claustris ædificandis curam dedit. Decessit 7 Augusti 1540, et sepulta est ante majus altare.

XXVIII. Joanna IV *du Plessis de la Bourgonnière*, filia Caroli, militis, et Ludovicæ *de Montfaucon*, professionem fecit anno 1529. Abbatiam, 28 Januarii 1541, a rege suscepit administrandam, et consecrata fuit 12 Februarii. Obiit die 13 Julii 1544.

XXIX. Magdalena I *du Bellay*, filia Renati et Margaritæ *de Laval*, soror Eustachii Bellaii, Parisiensis episcopi. Professa Perredii, Cisterciensis ordinis, inde secessit anno 1534, et, veste mutata, Benedictinum Estivalli Cenomanensis ingressa est cœnobium, cui soror Anna præerat. Rex eam Nidi Avis abbatissam nominavit 23 Julii 1546. At, morbo gravi semper laborans, Estivalli sæpius commorata est. Cessit in gratiam sequentis.

XXX. Anna I *de la Lande du Bellay*, filia Renati *de la Lande* et Mariæ *du Bellay*, e principibus *Ivetot* oriunda, et antecedentis neptis, vestem induit die 21 Octobris 1576, et, inita professione 20 Martii 1580, possidendam accepit abbatiam 24 Augusti 1581. Decessit 17 Septembris 1607; ex ejus epitaphio.

XXXI. Guidona *de la Courbe du Bellay*, filia Guidonis *de la Courbe*, Bellaii domini, et Barbaræ d'*Aunières*, Roncereii professa, bullas obtinuit 29 Decembris 1607. Nec diu præfuit Nidi Avis monialibus; nam secedens primo Bellum Montem prope Turones, dein Novigentum, in diœcesi Carnotensi, ibi terrenis valedixit curis anno 1643.

XXXII. Francisca III *Roy*, filia regiarum causarum actoris in curia Nivernensi, anno ætatis octavo in B. Mariæ Nivernensis cœnobium erat ingressa. Litteris pontificiis abbatia Nioselli donata est die 29 Julii 1616, quintum et tricesimum tunc annum attingens. Ei tamen obstitere tam moniales quam Bellaia gens, quæ sibi cœnobium veluti rem hæreditariam vindicabat. Fere per biennium Francisca Pictavii commorata est: tandem episcopali benedictione accepta, die 20 Martii 1618, in Pictaviensi S. Trinitatis ecclesia, Nioselli capitulum adiit 6 Aprilis. Nec multo post sæcularibus viris domum interdixit, puellasque clathris cinxit. Cum autem hanc rerum mutationem moniales ægre paterentur, omnes, tribus exceptis, recesserunt, aliquanto post, ipsarum mutata sententia, redituræ. Laudatur Francisca non tantum disciplinæ, sed etiam abbatialis dominii sedula tutrix, et per quam nihil de sororum bonis demere licuit. Ædificiis quoque resarciendis augendisve incubuit, parochialemque exstruxit ecclesiam, quam S. Petro, anno 1640, consecrari curavit. Vixerat 21 Maii 1643.

XXXIII. Ludovica *du Bellay de la Pallu*, filia Jacobi *de La Pallu*, militis, et Radegundæ *de Marvilleau*, anno 1615, ætatis tertio decimo professa, Franciscæ coadjutrix fuit ab anno 1618. Qua decedente, abbatiam, dono regis suscepit regendam. Sed post tredecim circiter menses obiit, 22 Augusti 1644. Hæc ex ejus epitaphio pleraque desumpta.

XXXIV. Philippa Francisca *de Bretagne*, filia Claudii *de Bretagne*, comitis *de Vertus*, præfecti Redonensis, et Catharinæ *Fouquet de la Varenne*. Eam, anno ætatis quarto, abbatiæ Nidi Avis condonaverant parentes. Designata est abbatissa 8 Decembris 1645, ab Anna, regis matre. Possessionem adiit postea 7 Julii 1646, benedictionem 10 Septembris 1651. Pluribus auxit abbatiam prædiis nec non ædificiis. Eii data coadjutrix soror ejus Maria Clara *de Bretagne*, de qua consule abbatissas Malænoæ, t. VII, col. 594. Obiit 2

Januarii 1684, ætatis anno quarto et sexagesimo, sepultaque fuit in capitulo.

XXXV. Anna II Catharina *de Beauvilliers de S. Aignan*, filia Francisci ducis et Antoniæ *Servient de Montigny*, abbatissa creatur 1 Aprilis 1684, et bullas accipit xvi cal. Februarii. Possessionem adiit postea 5 Aprilis 1687, et decessit 27 Maii 1700.

XXXVI. Magdalena II *de Rasilly* abbatissa creatur a rege 15 Augusti 1700 et possessionem adit 24 Februarii 1701. Obiit 27 Octobris 1719, ætatis anno 79.

XXXVII. Anna III Ludovica Gilberta *du Cambout de Coislin* a rege creata 1 Novembris 1719, munus adiit 8 Februarii 1720. Quæ postquam ad ornamentum domus puellarumque utilitatem plura institui curaverat, naturæ debitum persolvit 28 Augusti 1760.

XXXVIII. Magdalena III Josepha Catharina Eleonora *de Scepeaux de Moulivieux*, Estivalli professa, donatur abbatia 28 Septembris 1760. Sedebat anno 1790.

OMNES SANCTI.

Omnium Sanctorum ecclesiam, in civitatis Andegavensis suburbio, juxta S. Albini portam, temporibus Huberti præsulis exstruxit Girardus cantor, exstructamque canonicis S. Mauricii contulit. Eleemosynaris, ut aiunt, primum fuit ecclesia, cujus capellanus, vel presbyter, visitandorum et sepeliendorum pauperum curam habuit. Postea, prædicto annuente Girardo, Eusebius præsul et Geoffridus comes eamdem, viii id. Januarii 1049, monachis Vindocinensibus adscripserunt, ea sub conditione ut res pauperibus deputatas procurarent. Singula quæque ad hanc donationem spectantia ampla charta refert, a Sammarthanis edita. Odericus, non multo post, abbas Vindocinensis, datam sponte dimisit ecclesiam. Quam tamen Oderico succedens Geoffridus, ut erat litigiosus homo, sibi, nihil aliud curans, acerrime vindicavit. Unde lis; qua sopita, Rainaldus præsul, anno 1108, canonicos regulares ibidem constituit. Acciti sunt ex abbatia Aureæ Vallis, apud Pictones, Rigaudus et Amalgerius, qui canonicorum instituta cæteros ejusdem domus hospites docerent. Annum præbet 1115 Rainaldi antistitis diploma, cujus virtute, submota qualibet contentione, ædificiis Omnium Sanctorum canonici potiti sunt. Anno 1352, litteris Clementis papæ, canonicis præfectus abbas præbenda donatur in capitulo S. Mauricii. Hanc postea præbendam rex ipse contulit. Monasterium Omnium Sanctorum congregationi Gallicanæ, 2 Augusti 1635, curis Ph. *Galet*, unitur.

Ch. xiii, col. 153.

Abbatum seriem condentes usi sumus, inter cætera, abbreviato chartulario quod inter *Housseau* schedas, t. I, legere licet.

ABBATUM SERIES.

I. Robertus accepit, anno 1118, a Gilberto, Turonorum archiepiscopo, capellam S. Salvatoris in castro *Langeais*, et, anno 1128, ab Hildeberto, Gilberti successore, ecclesiam B. Hilarii a Simone Machello jam traditam. Occurrit subscribens, xvii cal. Februarii 1133, litteris Ulgerii præsulis de jure monialium B. Mariæ in parochiam trans Brionem. Idem, iv nonas Novembris 1135, Nannetes deveniens, testis adlectus est a Conano duce quasdam ecclesias tradente Nannetensi capitulo; e Prob. Hist. Brit., t. I, col. 571. Ei Saponarias confirmat, anno 1138, Hugo Turonensis archipræsul. Precum societatem iniit, anno 1139, cum Simone, abbate S. Gildasii. Occurrit, anno 1140, in chartula de restituta S. Mauricio ecclesia S. Petri. Anno 1145, cum Garnerio, Majoretanorum abbate, super ecclesia S. Mariæ Belismensis paciscitur; e chartul. Maj. Monast. Testis est, iv id. Junii 1151, Geoffridi comitis S. Albino Maironem immunem iterum tradentis; e chartul. S. Albini. Anno tandem 1152, a Normanno præsule ecclesiam S. Petri de Bessio, inter cætera, accepit, testisque fuit Alani, Redonensis episcopi, S. Melanii bona confirmantis. Diu igitur Robertus vixit. Nec duos tamen ejusdem nominis abbates clavum vicissim tenuisse putes. Alanus enim occurrit, Redonensis episcopus, post annum scilicet 1141, Roberto ecclesiam S. Stephani Filgeriensis confirmans, eidem antea ab Hamelino præsule datam. Hujus, ut videtur, Roberti meminit Roncereii, necrologium, v id. Julii.

II. Guillelmus I, anno 1161, testis erat, Nannetibus, sopitæ querelæ inter monachos Kemperlegienses et capitulum Nannetensis ecclesiæ; Probat. Hist. Brit., t. I, col. 644. Interfuit, pridie cal. Augusti 1166, translationi corporis S. Brioci. Idem, x cal. Februarii 1168, lege 1169, a Geoffrido, Turonensis ecclesiæ archidiacono, Saponariarum ecclesiam a Guillelmo, armigero, dimissam, accepit.

III. Bernardus Trembleium Caloni sub lege census tradit. Idem a Josleno Turonensi Fontem Milonis accepit; apud *Housseau*, t. V, sub ann. 1190.

IV. Robertus II reperitur mense Julio 1203. Anno 1208, transigit cum Americo *Makel*.

V. Jacobus decimam quamdam accepit a Girardo *Brochart*, præceptore Templi, anno 1213; apud *Housseau*, t. VI. Eodem anno, cum canonicis B. Mariæ Lochensis de decimis Cornilleii et Fontis Milonis pactus est; ibid. Postquam cum priore S. Joannis de nobilis cujusdam matronæ sepultura litigaverat, æternæ fœdus amicitiæ fecit, anno 1216, cum S. Joannis sodalibus. Reperitur, anno 1220, monachis Chalocheii domus partem concedens. De eodem denique mentio fit in tabu-

lis anno 1222. Decessit 14 Octobris; ex obituario S. Jacobi Montifortensis.

VI. Adamus memoratur anno 1224, in charta de restauratione S Augustini; apud *Housseau*, t. VI. Idem, Junio mense 1232, partem domus monachis Chalocheii confirmavit; ex arch. Andegav., inter chartas ad Chalocheium spectantes. Eodem anno, ratos semet nummos accepisse testatur, ob damna quæ rex canonicis attulerat, Andegavensis castri propugnacula resarciens. Obiit Adamus 29 Julii; ex obituario S. Jacobi Montifortensis.

Jacobus occurrit anno 1240, apud *Housseau*, t. VII, in confirmatione vinearum Longanaiæ datarum a Roberto Laurentii. Hujus tamen donationis chronicæ notæ mendosæ sunt. Legendum forte 1220.

Sub id temporis forte ponendus Matthæus quidam, dictus de Ulmo, cujus necrologium Panis Pontis meminit, xv cal. Augusti.

VII. Reginaldus I reperitur mente Martio 1243, in chartulario Fontis Danielis. Eidem nonnulla, Januario mense 1255, Adamus *de Deffas* et uxor Mathurina tradiderunt, sicut Baluzius et *Housseau* in Omnium Sanctorum chartulario legerunt.

VIII. Guarinus, anno 1265, fœdus mutuæ caritatis init cum Radulfo, abbate B. Jacobi de Monte Forti.

IX. Michael, anno 1272, reperitur in chartulis ad S. Sergium spectantibus. Anno 1295, ei tradit abbas Chalocheii *hardacium* in fluvio Ligeri; ex arch. Andegav., inter chartulas ad Chalocheium spectantes, t. I. Ejusdem votis obsequens Guillelmus episcopus ecclesias unit Juigneii Beneiique, die Sabbati post Cineres 1298, secundum recentem calculum. Eodem anno Michael, die Jovis post festum B. Lucæ, synodo interfuit in qua baillivus Andegaviæ episcopali sententia dictus est e familia christiana segregatus.

X. Reginaldus II, anno 1307, Sabbati die post festum S. Clementis, in Guidonis Lavallensis chartula; apud *Housseau*, t. VIII.

XI. Nicolaus I probat, anno 1314, pactum, cujus meminit index chartarum castri Nannetensis; arm. T, caps. *e*.

XII. Guillelmus II, anno 1330, designat canonicum qui munus vicarii gerat in prioratu S. Augustini. Idem, Novembri mense 1345, cum Thoma, Chalocheii abbate, transegit; e Chalocheii chartulario. Inter cathedralis ecclesiæ canonicos sedere jubetur, 6 Octobris 1355. Eodem anno, reperitur in edicto Fulconis episcopi, quo Michael Regis in monasterium Omnium Sanctorum mittitur, ferventibus jurgiis inter canonicos et officialem Andegavensem.

XIII. Joannes I *du Bourg*, anno 1367, paciscitur de quibusdam reditibus cum Theophania, Roncereii abbatissa.

XIV. Joannes II, prior Argentreii, in diœ- A cesi Cenomanensi, Joanni Burgensi nuper mortuo sufficitur litteris Urbani papæ V, xviii cal. Februarii 1369; e Suaresio.

XV. Guillelmus III testis adlectus erat, 6 Maii 1384, a Ludovico, Neapolitanorum rege, matrimonium Ludovici, filii sui, comprobante. Idem occurrit in variis chartulis, 3 Novembris 1389 et 24 Septembris 1395; Acta Reg. Franc., t. VIII, p. 251.

XVI. Hamo, anno 1401; e Sammarthanis.

XVII. Radulfus *Mareschal* interest, anno 1409, concilio Pisano; e Conciliis Labbæi, t. XII. Hunc quære inter abbates S. Geno- B vefæ Parisiensis, t. VII, col. 759.

XVIII. Guillelmus IV *Eschinard*, vel *Eshinart*, excipitur, 1 Decembris 1415, a S Mauricii capitulo. Ei, v cal. Septembris 1420, Martinus papa V insignium pontificalium usum concessit. Idem, 29 Augusti 1430, testabatur Ægidium, S. Melanii priorem, plura Omnium Sanctorum ecclesiæ contulisse. Occurrit usque ad annum 1436.

XIX. Petrus I *Marteau* eligitur Decembri mense 1436. Sed paulo post moritur.

XX. Joannes III *Eshinart* alias *Essirart*, eligitur 1 Februarii 1437. A capitulo S. Mau- C ricii excipitur 27 Martii. Obiit 5 Septembris 1457.

XXI. Guido I *de Saucoigne* electus 7 Octobris 1457, Andegavensi potitur præbenda per procuratorem 20 Januarii 1458. Eidem, 18 Februarii 1458, Calixti papæ legatus benedictionis suscipiendæ facultatem concessit. Reperitur 29 Augusti 1459, in chartulis S. Sergii.

XXII. Joannes IV *Louet* sedebat, 13 Septembris 1462, in Andegavensi capitulo, audiebatque Amalricum, Nannetensem episcopum, acerbe querentem de Francisco duce.

D XXIII. Simon *Essirat*, electus 12 Septembris 1463, in Andegavensi capitulo primum sedit 30 Septembris Mox autem secedere jussus est, quandoquidem summus Pontifex abbatiale pedum sequenti condonaverat.

XXIV. Guido II *Brient*, a domino papa creatus abbas, a capitulo S. Mauricii suscipitur 28 Decembris ejusdem anni. Permutavit cum sequente, 22 Januarii 1466.

XXV. Guillelmus V *Racineau* ab eodem capitulo suscipitur 24 Januarii 1466.

XXVI. Simon *Essirat* iterum, ab Aprili mense 1468. Decessit Octobri mense 1473.

E XXVII. Antonius I *Cheminart* in capitulo S. Mauricii primum sedet 21 Mai 1473. Decessit eodem anno, 25 Augusti.

XXVIII. Joannes V *Perrot*, alias *Porron*, juris doctor, occurrit in Andegavensi capitulo 9 Novembris 1473. Commendatarium hunc Sixtus papa creaverat abbatem.

XXIX. Robertus III *de Chemans*, alias *de Chemené*, canonicus Andegavensis de more recipitur 20 Septembris 1475. Obiit 28 Aprilis 1504.

XXX. Theobaldus *Motais*, electus 8 Maii 1504, a capitulo S. Mauricii recipitur 29 Maii. Obiit 30 Maii 1513.

XXXI. Franciscus *de Villiers* idem et Haiæ, Grandimontensis ordinis, prior commendatarius, eligitur 3 Junii 1513 et capitulo Andegavensi præsentatur 12 Julii. Moritur 19 Septembris 1540. Ultimus fuit regularium.

XXXII. Odetus *de Bretagne*, commendatarius abbas, fit canonicus Andegavensis 18 Januarii 1541.

XXXIII. Laurentius *de Commacre* canonicus a capitulo S. Mauricii excipitur per procuratorem, 6 Augusti 1554.

XXXIV. Antonius II *Isoré* occurrit anno 1576.

XXXV. Nicolaus II *Bouvery*, thesaurarius Andegavensis ecclesiæ et abbas S. Cypriani Pictaviensis, fit canonicus Andegavensis 30 Octobris 1577.

XXXVI. Georgius *Louet*, bullis donatus XIII cal. Augusti 1598, capitulo S. Mauricii præsentatur 30 Octobris. Decanus postmodum Andegavensis efficitur.

XXXVII. Germanus *Merceron*, licentiam adeptus in juribus, vicarius Andegavensis ecclesiæ generalis, præsentatur capitulo S. Mauricii 26 Aprilis 1610. Obiit anno 1638.

XXXVIII. Ludovicus *de la Cour de la Grise*, litteris apostolicis donatus XVI cal. Aprilis 1639, excipitur ab Andegavensi capitulo 5 Augusti. Permutavit pro Fontanellis cum sequente.

XXXIX. Petrus II *de Broc*, episcopus Autissiodorensis, in ejusdem capituli regestis primum occurrit 27 Martii 1646. Abdicavit in gratiam sequentis, anno 1669.

XL. Carolus *Testu de Pierre Basse*, antecedentis e sorore nepos, decanus jam Antissiodorensis, adit capitulum S. Mauricii 12 Septembris 1681. Idem fuit abbas Rupium.

XLI. Joannes VI Franciscus-Xaverius *de Bussy*, summus vicarius Andegavensis episcopi, creatur abbas 24 Decembris 1709 et præbenda sua in Andegavensi capitulo donatur 30 Maii 1710.

XLII. Antonius III *Grandhomme de Gizeux*, ab anno 1737 ad annum 1783.

XLIII. N. *de Perrochel* ab anno 1783 ad annum 1790.

S. GEORGIUS SUPRA LIGERIM.

Abbatiolam S. Georgii supra Ligerim condidit, annum circa 1150, a canonicis S. Augustini incolendam, Plessiaci Matthæi dynasta. Parochialis antiquitus in eo loco stabat ecclesia, S. Georgio dicata, cui sub id tempus Herbertus quidam sacerdos rectoris titulo præerat. Is Herbertus nascentis abbatiæ primus abbas fuit. Quam postea prædiis auxerunt Montis Joannis, Beconii, Campi A Caprarii et Candæi toparchæ. In eam introducitur, anno 1660, congregatio S. Genovefæ.

Abbatum quamdam seriem reperies inter A. Quercetani schedas, t. LXXV, fol. 5. Altera profertur a domno Rogero digesta; Hist. Andeg., p. 251. Utramque non sine fructu consuluimus. Vide insuper cod. *de Gaignières* 249.

ABBATES.

I. Herbertus, abbas primus, circa 1150.

II. Joannes I, anno 1163, paciscitur cum B Emma, Roncereii abbatissa; apud *Housseau*, t. V; in cujus pacti instrumento legitur Joannes secundus abbas S. Georgii. Idem occurrit in chartulario B. Mariæ de Rota, temporibus Michaelis, Rotensium abbatis.

III. Daniel; e diversis catalogis.

IV. Guillelmus I; ex eisdem.

V. Guarinus; ex eisdem.

VI. Matthæus, anno 1202. Idem, anno 1215, pacem facit inter Joannem de Vitreio et G., abbatem S. Melanii; ex Albor. Mantell. cod. 41, p. 93. Memoratur tandem, anno 1218, testis R. *de Mostrelès* decimam mona- C chis Pontis Oetranni condonantis; ex Albor. Mantell. cod. 45. p. 652.

VII. Guillelmus II post Matthæum reperitur.

VIII. Giraudus; e domno Rogero.

IX. Petrus I, anno 1275, super quibusdam decimis cum abbatissa Roncereii transigit; apud *Housseau* t. XIII.

X. Robertus *Thomas*, vel *Thomé;* e variis nomenclatoribus.

XI. Nicolaus II de Aula, gallice *de la Salle*, anno 1334.

D XII. Joannes II *Mahier*, anno 1347.

XIII. Mauricius I *Mervotte*, alias *Mernotte*, obiit anno 1363.

XIV. Hugo, prior antea Chazeyi, obeunte Mauricio abbas instituitur litteris Urbani V, V non. Julii 1363; e Suaresio.

XV. Guillelmus III *Guillopé* reperitur, 3 Novembris 1389, in instrumentis ad scholam Andegavensem spectantibus; Acta Reg. Franc., t. VIII, p. 251.

XVI. Petrus II *d'Andigné*.

XVII. Guillelmus IV Brientii, anno 1432.

XVIII. P. *Bonhomme* occurrit 11 Decembris 1439.

E XIX. Mauricius II *de S. Quentin;* e domno Rogero. Eumdem quidam post Joannem *de Vassé* ponunt.

XX. Angerius I *de Brie*, filius Joannis domini *de Serant* et Isabellæ *de Maillé*, nominatur 26 Octobris 1446, in charta quæ refert electionem Philippi, Eleemosynariæ B. Joannis præfecti. Reperitur, ut aiunt, anno 1468. Idem abbas S. Ebrulfi et Latiniaci. Eum rex in Andegavensi cathedra sedere jussit.

XXI. Antonius I *de Brie*, anno 1499.

XXII. Paganus *de Brie*, Castellorum in Eremo professus, præfatæ domus postea prior, denique S. Georgii abbas evasit. Obiit 19 Maii 1504, uti nos monent excerpta quædam e Castellorum tabulis, in chartulario Mellinensi.

XXIII. Ludovicus I *Samson* interfuit, 4 Junii 1517, diœcesanæ synodo.

XXIV. Angerius II *Samson*, anno 1526. Per procuratorem, 22 Junii 1528, Turonensi concilio interfuit. Ultimus hic fuit regularium.

XXV. Joannes III, alias Guillelmus *Chaudron*, anno 1534, commendatariorum primus.

XXVI. Guillelmus V *Millet*.

XXVII. Antonius II *Millet* occurrit, 10 Novembris 1547, abbatiæ bona recensens; apud *Housseau*, t. XII. Idem, anno 1555, cum monialibus Roncereii litigans, in causa cecidit; ibid.

XXVIII. Joannes IV *de Vassé*, abbas idem Corneliarum et Campaniæ, et episcopus postea Lexoviensis. Memoratur anno 1577.

XXIX. Silvinus *Thabault* reperitur 17 Februarii 1586.

XXX. Antonius III *Pot de Rhodes*, filius Guillelmi et Catharinæ *de la Châtre*, munere semet abdicavit et Capucinus factus est.

XXXI. N. *Pot de Rhodes* post Antonium reperitur.

XXXII. Nicolaus *Tudert*, de quo jam inter decanos Parisienses, t. VII, col 217. Obiit 20 Martii 1651.

XXXIII. Gabriel *de Mallenoe Boisleve*, creatur abbas S. Georgii 26 Novembris 1650. Præfuit quoque Berdonæ et S. Albino de Nemore. Dein abdicavit S. Georgium, permutatione facta cum sequente.

XXXIV. Rogerus *d'Aumont*, ex episcopo Abrincensi, per viam supra memoratæ permutationis. Decessit Parisiis, 23 Martii 1653.

XXXV. Jacobus Adhemarus *de Monteil de Grignan*, jam Tricastinensis episcopus, et abbas Fontis Dulcis in diœcesi Santonensi, legitur S. Georgium regens anno 1654. Postea fuit episcopus Uceticensis. Obiit 13 Septembris 1674.

XXXVI. Ludovicus II Josephus Adhemarus *de Monteil de Grignan*, antecedentis nepos e fratre, episcopus Carcassonensis, S. Georgium permutavit, anno 1687, pro S. Hilario, in Carcassonensi diœcesi.

XXXVII. Joannes-Baptista *de Lully*, filius alterius Joannis-Baptistæ, in arte musica peritissimi, ex abbate S. Hilarii, peracta permutatione, fit abbas S. Georgii supra Ligerim.

XXXVIII. Joannes V Ludovicus *Caton de Court*, filius Caroli et Annæ *de Saumaise*, nominatur 8 Septembris 1695. Bullas postea accepit 21 Decembris et munus adiit 22 Januarii 1696. Anno 1731 superstes erat. Abbas idem fuit S. Sergii.

XXXIX. N. *de Vaubrun* nominatur anno 1732

XL. N. *de Beaupoil de S. Aulaire* ab anno 1747 usque ad annum 1766.

XLI. N. *de Salles* ab anno 1766 ad annum 1787.

XLII. N. *de Maillan* ab anno 1787 ad annum 1790.

BEATA MARIA DE ROTA.

Reginaldus, Roberti Burgundi filius, III idus Februarii 1096, nemus Credonensi castro proximum, canonicis regulam S. Augustini profitentibus contulit ad ædificandam B. Mariæ ecclesiam. Fundationis instrumento subscripserunt Hugo, Lugdunensis archiepiscopus, Ivo Carnotensis episcopus, Hoellus Cenomanensis, necnon Andegavensis Geoffridus. Locus erat dumis asper et grandævis frequens arboribus : unde surgentem ecclesiam ruricolæ dixerunt S. Mariam de Bosco, vel de Silva, ut e pluribus litteris constat. Inchoator operis Robertus de Arbrisellis : fundationis chartam firmavit Urbanus papa II, pridie idus Februarii, in superiori camera sedens Geoffridi Junioris, Andegavensis episcopi : absolutum tandem altare consecravit et cœmeterium benedixit Geoffridus episcopus, VII calendas Maii 1097, anno videlicet secundo post dedicationem S. Nicolai. Late mox diffusa fama loci, et aucta domus canonicorum plurimis ecclesiis. Recensebat Innocentius papa II, VIII calendas Februarii 1136, has B. Mariæ possessiones : ecclesias scilicet S. Mariæ de Livreio, S. Mariæ de Camazeio, S. Salvatoris, S. Germani de Daona, S. Petri *de Vaus*, S. Mariæ *de Arbrisel*, S. Baomiri de Fonte Cooperto, S. Petri de Bremio, S. Mariæ de Roalderia, S. Germani, S. Mariæ de Villæ Portu, S. Petri de Canzeio, necnon capellas S. Mariæ Magdalenæ de Portu Sononia, S. Mariæ *de Pestum*, S. Joannis de Longo Alneto, S. Crucis de Cancellis, S. Lamberti, S. Mariæ Magdalenæ Breliengardi, S. Dionysii de Molendino *Blochet*. Ecclesiam B. Mariæ de Rota convenerunt iterum consecraturi, annos inter 1135 et 1141, Hugo Turonensis archiepiscopus, Hugo Cenomanensis episcopus, Ulgerius Andegavensis, Hamelinus Redonensis et Donoaldus Aletensis. In consecrationis hujus solemni die confirmavit Garinus, Credonensis castri dominus, quæcumque B. Mariæ ejus avi dederant. Multa canonicis postea contulit, anno 1216, Amalricus ejusdem castri toparcha. Ch. x, col. 151.

In ea, ut videtur, abbatia auditoribus frequens schola fuit. In pluribus enim chartis

subscribentes præter morem reperiuntur *pueri de schola*.

Abbatum seriem undecumque collegimus; imprimis autem ex abbatiæ chartulario, in archivo Andegavensi.

SERIES ABBATUM.

I. Robertus I de Arbrisellis inter *patres* B. Mariæ de Rota recensetur diciturque *primus pastor congregationis*. Altari consecrato, VII calendas Maii 1097, Andegavum pergebat, cum sociis suis Quintino atque Hervæo de S. Trinitate, in capitulo S. Mauricii ecclesiæ matri tres solidos annui reditus concessurus. Ejus vero in recentioribus chartis nulla mentio. Illum opinamur, fundatione peracta, aliud quoddam opus adortum, alio ivisse.

II. Quintinus abbas B. Mariæ de Silva dicitur in pluribus chartis, quas, ad monasterium Nidi Avis spectantes, Roscelinus et Richardus de Villa miserunt in lucem, temporibus Rainaldi, Andegavensis episcopi. Abbatis quidem munus non adiit ante annum 1102: legitur enim Rainaldum, ab hoc anno episcopum, Petro, Aureæ Vallis abbati, negotium dedisse ut nuper electum Quintinum in sede collocaret.

III. Hervæus post Quintinum abbas nominatur in charta Credonensium forestariorum, præstationem, quam dicebant villicariam, aliaque jura dimittentium. Idem a Guillelmo, Hervæi de Spina filio, accepit campos ecclesiam Arbricellensem ambientes.

IV. Albinus I, Quintini temporibus prior, accepit, anno 1117 ineunte, ab Hugone de Credone capellam S. Nicolai, sitam in castro Credonensi. Quam confirmavit donationem Pascalis papa II, die 4 Aprilis 1117, secundum Romanam et hodiernam computandi rationem. Ivit idem Albinus ad Rainaldum episcopum, querens de presbytero Baloreii qui cœmeterium canonicorum invaserat, ut ibi Gosceam, uxorem Buordi, sepeliret. Jus postulans Albinus in hac causa vicit. Subscripsit, annum circa 1124, litteris Rainaldi præsulis ecclesiam Morennæ Roncereio restituentis.

V. Robertus II, quem Robertum dicunt de Montenezaio, occurrit, anno 1128, secundo post abeuntem ad transmarinas partes Fulconem, Andegavorum comitem, in charta qua confirmavit Aelardus, Castri Guntherii dominus, jam ab ipso datas immunitates abbati Quintino. Robertum reperies eumdem, anno 1130, in Hamelini charta, Redonensis episcopi, qua conceditur B. Mariæ canonicis ecclesia Villæportus, et eorumdem confirmantur ecclesiæ in Redonensi pago sitæ. Eidem Gualterius forestarius, temporibus Guidonis, Cenomanorum episcopi, concessit capellam S. Aviti. Dein, VIII calendas Februarii

A 1136, ab Innocentio II litteras accepit, notum omnibus faciente se B. Mariæ ecclesiam protegendam suscepisse. Pactus est, XI calendas Septembris 1138, coram Ulgerio episcopo, cum Fromundo Vindocinensi, super ecclesia Aviriacena. Eodem Ulgerio præsente, ab Hugone, Cenomanorum episcopo, accepit ecclesiam Avesseii, in archidiaconatu Sablolieusi. Eidem nonnulla dederunt insuper Credonenses dynastæ, rem B. Mariæ præcipue curantes: sibi quoque faventem expertus est Griferium de Congreio, qui canonicis ecclesiam B. Mariæ de Roalderia contulit, B confirmatam deinde, anno 1136, ab Innocentio papa II. Perfecit Robertus ecclesiam abbatialem et magni nominis præsules ad eam consecrandam convenientes excepit.

VI. Joannes I jurgium exercuit cum Fromundo, abbate Vindocinensi, de capella S. Nicolai Credonensis. Partes Joannis suscepit Ulgerius episcopus, et ea de re scripsit ad Innocentium papam II, inter annum scilicet 1130 quo Innocentius cathedram S. Petri subiit, et annum 1139, quo Fromundus decessit.

VII. Albinus II, IX calendas Octobris 1141, C a Roberto, S. Albini abbate, ecclesiam accepit B. Mariæ quæ dicitur Discooperta; ex abbatiæ chartulario. Eodem anno, reperitur in diplomate Conani, Britonum ducis, de capellis S. Mariæ Magdalenæ et S. Lazari, in urbe Nannetensi; Probat. Hist. Brit., t. I, col. 584.

VIII. Giraldus ab Hugone, Cenomanensis ecclesiæ archidiacono, jus patronatus accepit in ecclesia S. Andoeni. Recensetur Giraldus post Albinum in charta forestariorum supra memorata.

IX. Menardus, ex eadem charta, post Gi- D raldum. Cum eo pacem fecit Geoffridus *de Balort*, ad transmarinas regiones pergens. Inde rediit Geoffridus, et alia B. Mariæ per manus Michaelis sequentis contulit.

X. Michael, abbas e priore, annuente Ulgerio præsule, ante finem scilicet anni 1149, quædam commutavit cum Lamberto, S. Faronis abbate. Unde noscitur quoque Lambertus ab eo anno S. Faronis sedem occupans. Vide supra, t. VIII, col. 1693. Occurrit idem, anno 1151, in charta qua proficiscentes Hierosolymam Agnes et Hugo, sponsus E ejus, sua in vadimonium bona canonicis B. Mariæ tradunt. Idem coram Alano, episcopo Redonensi, a Bernardo *Buxum*, alias *Busson*, accepit capellam S. Trinitatis, in castro Guirchiensi, et postmodum, anno scilicet 1152, ea de capella cum monachis S. Melanii pactus est. Ei confirmavit Raginaldus de Castro Guntherii, in præsentia Normanni præsulis, quidquid ejus parentes B. Mariæ de Rota dederant. Reperitur Michael anno 1156, in claustro B. Mariæ de Poenceio, testis rerum Guirchiensibus mo-

nachis a Guillelmo de Guirchia collatarum; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 624. Contendit Michael et postea pactus est cum Philippo, abbate S. Mariæ de Claro Monte, de metis prædiorum ad utramque abbatiam spectantium. Ante episcopum Redonensem Stephanum, Stephanum scilicet de Rupe Fulcaudi, Petrum de Monasteriis, debitum censum detrectantem, compulit. E sodalitate christiana dejectus evasit Petrus, episcopi sententia; nec calumniam tamen protinus remisit vir propositi tenax, et mediocriter, ut videtur, ecclesiastici spicula flagelli reformidans. Memorandus Michael abbas, tempore Geoffridi III, Andegavensis episcopi, post annum scilicet 1162, subscribens chartæ Reginaldi de Castro Guntherii, tradentis S. Nicolao quidquid juris Gentiniæ tenebat. Occurrit idem præterea, anno 1168, Redones reversus, et, in die festo S. Matthæi apostoli, litteris subscribens Stephani, Redonensis episcopi, quibus composita lis inter Redonense capitulum et monachos S. Melanii; e Prob. Hist. Brit., t. I, col. 659. Nullus inter abbates B. Mariæ de Rota pluribus quam noster ille Michael ditatus est bonis.

XI. Angerius a Drogone *Riguant* et ab Aalardo de Ferreria plura accepit; ex abbatiæ chartulario.

XII. Gualterius in eodem chartulario post Angerium memoratur cum Huberto *Helie* litigans, et a Guillelmo de Plesseio Hierosolymam pergente plura accipiens.

XIII. Thomas occurrit, anno 1196, Grandimontensi Credonis monasterio partem cujusdam prædii condonans. Idem, anno 1209, postridie Assumptionis, subscribit chartæ Willelmi episcopi, testantis Thecendam nonnulla monachis Chalochei tradidisse juxta Rochetas sita. Reperitur insuper, anno 1212, cum Savigneii abbate de decimis S. Berthevini paciscens; e Max. Gall. Arch., L, 1146[a].

Ch. VII, col. 160.

XIV. Guillelmus, anno 1250, paciscitur cum abbate Bellæ Branchæ super corde nuper defuncti Mauricii Credonensis; Ind. Cenoman. archivi, part. 1, num. 360 (*bis*).

XV. Gervasius reperitur, anno 1268, in chartulario S. Petri de Cultura, et, mense Augusto 1285, in chartulario S. Albini.

XVI. Geoffridus interfuit, anno 1298, synodo qua baillivus Andegaviæ e communione christiana seclusus est.

XVII. Matthæus composuit, anno 1333, cum fratribus Grandimontensibus Credonense nemus incolentibus; apud *Housseau*, t. VIII, n. 3550.

XVIII. Andreas obit anno 1363 ineunte.

XIX. Robertus III, Auneii prior, Andegavensi præsuli commendatur abbas Rotæ consecrandus, ab Urbano papa V, XVI cal. Aprilis 1363; apud Suaresium. Occurrit idem, anno 1368, in Albinianis tabulis, inter chartas ad Campiniacum spectantes.

XX. Radulfus aderat per procuratorem, anno 1409, concilio Pisano; e Conciliis Labbæi, t. XII.

XXI. Guido I *de Scepeaux* transegit, anno 1439, cum monialibus Nidi Avis. Idem nominatur, 27 Octobris 1446, in litteris de electione Philippi, Eleemosynariæ prioris.

XXII. Guido II *Leclerc* consecratur 12 Januarii 1493, secundum recentem calculum. Idem abbas fuit S. Jacobi de Monte Forti, et, ab anno 1514, Leonensis episcopus. Obiit Rotæ 11 Maii 1523; ex obituario S. Jacobi. Dies ejusdem alii numerant usque ad annum 1526.

XXIII. Stephanus *de Poncher,* postmodum archiepiscopus Turonensis; e Joanne *Maan,* p. 193.

XXIV. Georgius *d'Armagnac*, ipse et Turonensis archipræsul, commendatarius creatur abbas anno 1551.

XXV. Joannes II *Froger* usque ad annum 1586.

XXVI. Philippus *le Poulchre* munus adit 18 Februarii 1586.

XXVII. Joannes III *Rousseau* occurrit annis 1588, 1597, 1598.

XXVIII. Isaacus *de Larrige*, anno 1624; e Gallia Sacra.

XXIX. Ludovicus Maria Armandus *de Simiane de Gordes*, futurus episcopus Lingonensis, occurrit ab anno 1655. Obiit 21 Novembris 1695; supra, t. IV, col. 641.

XXX. Gasto Armandus *Sublet de Heudicourt,* doctor Sorbonnicus, summus vicarius archiepiscopi Rotomagensis, reperitur abbas Rotæ Natali die Domini 1695; idem, anno 1699, in commentatione de rebus Andegaviæ quam Hugo *de Miromenil* digessit. Episcopus creatus Ebroicensis 1 Novembris 1709, bullas nondum adeptus obiit 10 Februarii 1710.

XXXI. N. *d'Arches,* summus vicarius archiepiscopi Burdigalensis, nominatur 25 Julii 1710; e Gallia Sacra.

XXXII. N. *d'Arches* antecedentis, ut videtur, consanguineus, occurrit ab anno 1726. Sedit usque ad annum 1747; e Calend. Regio.

XXXIII. N. *de Lanceri de Promt-le-Roi* ab anno 1747. Superstes erat anno 1790.

CHALOCHEIUM.

Cisterciensis abbatia Chalocheium, Savigneii filia, in agro plano et exili, quatuor leucis Andegavo distante, conditur anno 1129, ab Hamelino de Ingranda. Eam mox opimis auxerunt prædiis Joannes de Blasone, Popinellus, Gervasius *Baucen*, Hugo de Mathefelone, Paganus de Troea, Guillelmus de Passavanto, et alii Andegavensis agri proceres. Opulentas jam Chalocheii possessiones confirmavit Eugenius papa III, 12 Aprilis 1152. Amplioribus easdem litteris, III id. Januarii

Ch. XVI, col. 156. 1205, Innocentius papa III stabilivit; e codice *de Gaignières* 650. Dedicatur ecclesia, Dei genitrici B. Mariæ sacra, XIII cal. Septembris 1223, a Guillelmo de Bello Monte, Andegavensi præsule. Non magna fuit apud veteres loci fama. Æstuante bellorum tumultu, Andegavum aliquantisper secesserunt, anno 1359, Chalocheii monachi; quod comperimus e litteris Ludovici, comitis, de reditibus abbati solvendis, 11 Januarii 1360. Ibi quatuor tantum monachi superstites anno 1790 memorantur. Codex prælaudatus D. *de Gaignières* plurimas chartulas exhibet ad Chalocheium spectantes: in eo quoque imperfectum abbatiæ necrologium et abbatum seriem, cui plura quidem desunt nomina, reperies. Ex ipso tandem Andium archivo nonnulla nobis suppeditavit humanissimus vir D. Cœlestinus *Port*, cui hujus archivi custodia demandata.

SERIES ABBATUM.

I. Ernisius vocatur abbas Chalocheii, tempore Hervæi S. Sergii abbatis, unum circiter 1140, in charta de rebus datis a Theobaldo juxta Calidum Montem.

II. Benedictus occurrit die 12 Aprilis 1152, in Eugenii papæ III bulla qua confirmantur possessiones abbatiæ. Ch. XVI, col. 156.

III. Adam præsens fuit Redonibus, 24 Februarii 1169, qua die sopita lis a Stephano episcopo inter capitulum Redonense et monachos S. Melanii; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 659.

IV. Radulfus, temporibus Radulfi præsulis, accepit vineas a Reginaldo *Trochien*; e chartul. Chalocheii. Idem legitur a Geoffrido *de Baracé* confirmatam obtinens villam *Guirise;* ex eodem: ante annum, ut videtur, 1184, cum Geoffridi testis Hugo, Buxeriæ abbas, reperiatur.

V. G. occurrit, anno 1190, Petro de Brionio capellaniam quamdam concedens, et ab eo Brionensium vinearum decimam impetrans; ex arch. Andegav., inter Chalocheii chartulas, vol. III, fol. 113.

VI. Robertus I, 12 Februarii 1209, secundum hodiernum calculum, ab Aimerico *Makel* omnium quæ monachi Flegneii possidebant confirmationem obtinuit. In ea vero temporis nota amanuenses peccavere; nam Robertus sextus abbas in ipso Chalocheii necrologio dicitur. Adde quod annis 1207 et 1209 Chalocheii gubernaculum tenens Geoffridus occurrat.

VII. Maugerius ab Innocentio papa III litteras accepit, IV id. Januarii 1205, quibus confirmata quæcumque abbatiæ bona. Idem cum Aimerico *d'Avoir* transegit de censibus ab Aimerico *Makel* traditis. Ejus Chalocheii necrologium meminit, V cal. Julii.

VIII. Geoffridus I *de Lucé*, octavus abbas e necrologio, occurrit anno 1207, quo ei Alardus, Castri Guntherii toparcha, domum Andegavi sitam confirmat; ex abbatiæ chartulario. Idem reperitur anno 1209, in schedula Guillelmi, præsulis, de traditis a Thecenda, Hugonis *Boillou* conjuge. Aimericum ipse *Makel* beneficum expertus est, a quo data pars nemoris Flegneii, 2 Aprilis 1211, secundum recentem usum; e chartul. Obiit, e necrologio, III id. Decembris 1213. Ch. XIX, col. 160.

IX. Guillelmus de Brescio, vel de Brescio, alias Guillelmus Piscis, memoratur anno 1216, paciscens cum Raginaldo *Hellequin* de quinque denariis, quos hic requirebat sibi persolvendos propter prædia Herberti *Doe;* ex instrumentis ad Chalocheium spectantibus, in arch. Andeg., t. III, fol. 115. Idem, eodem anno, a Pagano *Chamaillart* confirmationem obtinuit omnium quæ monachi ejus in feodo tenebant. Litigantem Guillelmum cum Michaele clerico, ad ineundam pacem compellebant, eodem anno, mandato domini papæ, Guillelmus abbas S. Vincentii et Hugo decanus Cenomanensis ecclesiæ; ex abbatiæ chartul. Idem, anno 1222, testis in charta Joannæ de Rupe, quædam monachis B. Mariæ de Fontanis condonantis; e schedis domni *Housseau*, t. VI. Eo regente, dedicatur ecclesia Chalocheii, XIII cal. Septembris 1223. Obitus ejus a necrologio nonis Aprilis adscribitur.

X. Michael, decimus abbas, in necrologio Chalocheii, VII id. Maii.

XI. Geoffridus II de S. Jacobo, ex eodem necrologio abbas undecimus.

XII. Herbertus, die Mercurii ante festum B. Magdalenæ 1243, testis est Juhelli archiepiscopi litem inter Droconem de Melloto et Savigneii monachos dirimentis; e Max. Gall. archivo, L, 1146[7].

XIII. Ægidius, tertius decimus, ut videtur, abbas, in necrologio memoratur XV cal. Martii. E tabulis innotescit, lunæ die ante festum S. Simonis 1255.

XIV. Andreas ab anno 1274. Reperitur idem anno 1279. Anno 1280, testis est concordiæ de molendinis Belli Fortis initæ inter canonicos Omnium Sanctorum et Oratorii abbatem; apud *Housseau*, t. XIII, ex Omn. Sanct. chartulario. Obiit VIII id. Februarii; e necrologio.

XV. Robertus II *de Caucheiseviller* occurrit, mense Decembri 1281, in Savigneii tabulis, testis pacti cujusdam de patronatu S. Petri *d'Entremons;* e Max. Gall. Arch., L, 1146[10]. Ejus Chalocheii necrologium VIII cal. Aprilis mentionem fecit.

XVI. Joannes I *de Coinon*, die Veneris ante festum S. Barnabæ 1295, abbati Omnium Sanctorum *hardacium* in fluvio Ligeri situm tradidit. Die 30 Octobris 1310, Olivarius *Beuves*, doctor legum, eleemosynariam domum instituens, hujus administrationem

Joanni demandat. Joannis obitus in abbatiæ necrologio refertur III non. Julii.

XVII. Thomas I occurrit anno 1317. Idem, anno 1320, decimas accepit ab Hugone Galli; e Chalocheii chartul. Obiit XII cal. Novembris.

XVIII. Thomas II Militis transegit, Novembri mense 1345, cum Guillelmo, Omnium Sanctorum abbate; ex eod. chartul. In necrologio memoratur IV id. Septembris.

XIX. Hactenus fugit nos abbatis nomen qui prælibato Thomæ successit.

XX. Dum sequenti Matthæo numerum 21 necrologium tribuat, palam est inter eum Thomamque duos abbates ignotos pertransiisse.

XXI. Matthæus primum occurrit 24 Maii 1390. Idem, 4 Novembris 1405, in apocha; ex abbatiæ chartul. Reperitur tandem annis 1407, 1409, 1419.

XXII. Joannes II *de Mathefelon* post Matthæum.

XXIII. Joannes III *Ragouget* decessit 31 Martii 1448.

XXIV. Joannes IV *Barraut* recens electus ab Alano, Savigneii abbate, confirmatur, 13 Aprilis 1448. Reperitur annis 1455, 1459, 1470, 1485, munere semet abdicaturus anno 1486.

XXV. Joannes V *de la Jaille*, licentiatus in decretis et S. Sergii monachus, litteris apostolicis Chalocheii regimen adire jubetur idibus Aprilis 1486. Obiit Parisiis, 1 Julii 1521.

XXVI. Petrus *Chevalier*, theologiæ doctor, monachus Bellæ Branchæ, abbas electus confirmatur ab Edmundo, Cisterciensium abbate, 21 Julii 1521. Possessionem adiit 30 Julii. Transegit hoc anno cum Mathurino *Chevalier*, abbate Buxeriæ. Ordinis Cisterciensis monasteria visitare jussus est, anno 1535, a Guillelmo, Cisterciensi abbate. Occurrit idem anno 1537. Obiit anno 1555.

XXVII. Bertrandus *des Marais* memoratur anno 1559; e D. *de Gaignières*.

XXVIII. Joannes VI Terrii, anno 1563.

XXIX. Joachimus *d'Availloles*, protonotarius apostolicus, commendatarius abbas Chalocheii reperitur anno 1564.

XXX. Joannes VII *Pinaudeau*, 1569.

XXXI. Franciscus *Clouseau*, 1579, 1584.

XXXII. Renatus *de Daillon du Lude*, jam abbas Castellariarum, postmodum episcopus Baiocensis. Obiit 8 Martii 1600.

XXXIII. Ludovicus *Legagneur* munere semet abdicavit anno 1613.

XXXIV. Carolus I *Crouin*, clericus Andegavensis, a rege nominatur abbas 21 Maii 1613, sub his tamen conditionibus ut Ludovico antecedenti centum libras Turonenses quotannis numeraret, et quinquaginta quoque libras cuidam *Desnay de la Varenne*, supplicum libellorum magistro, ob id quod,

A annis 1600, 1608, domino *de la Varenne* abbatiam Chalocheii litteræ regiæ dono dederant. Obiit Carolus 22 Octobris 1648.

XXXV. Edmundus *Diard d'Ailleville* abbas a rege creatus, vota profitetur 22 Januarii 1653, ut compertum habemus e litteris Claudii, Clarævallis abbatis. Ad eumdem mittuntur apostolicæ bullæ IV cal. Novembris 1654. Quo defuncto, vacabat abbatialis sedes anno 1675.

XXXVI. Julianus *Meliand*, patria Nannetensis, litteras obtinet apostolicas V id. Februarii 1675. Obiit anno 1689.

B XXXVII. N. *Dubois*, Claritatis prior, in diœcesi Turonensi, Juliano succedere jubetur: sed ante muneris aditum moritur.

XXXVIII. Marcus Antonius *de Beaurepaire*, doctor theologiæ, Clarævallensis monachus, e priore Fontis Danielis abbas Chalocheii, litteris donatur regiis 24 Decembris 1689, apostolicis IV cal. Maii 1690. Munus per procuratorem adiit 1 Augusti, consecrandus 28 Octobris in ecclesia S. Vincentii Cenomanensis. Obiit 3 Junii 1727.

XXXIX. Eustachius *Malfilatre*, theologiæ doctor, ex antecedentis coadjutore abbas

C creatur anno 1727. Idem antea fuerat Igniaci Buzaiique prior. Dein inter visitatores generales ordinis occurrit. Obiit 8 Augusti 1739, ætatis anno 68.

XL. Hubertus *Carnot*, Cisterciensis monachus, ordinis procurator generalis, dein Gratiæ prior, abbas Chalocheii ab anno 1739, anno 1759 munere semet abdicavit.

XLI. Carolus II Josephus *Couthaud*, Cisterciensis professus, theologiæ doctor, ab anno 1759 usque ad annum 1790.

D

BUXERIA.

Savigneii haud secus ac Chalocheium filia, abbatia Buxeriæ conditur, anno circiter 1131, a monachis Cisterciensibus habitanda. Quidquid ad hujus domus initia spectat oblitteratum. Eam sedenim, ineunte quinto decimo sæculo, Anglicanæ cohortes non semel invaserunt, quæ nec ædificiis, nec libris, nec diplomatibus paparum, regum procerumve, in monachorum armario ea tenus asservatis, pepercerunt. Richardus tamen, Anglorum rex, die quo Hierosolymitanas ad oras trans-

E fretandus Massiliæ navim intravit, Buxeriæ jura quædam condonans memoratur; apud *Housseau*, t. V. Anno 1213, ecclesia cœnobii consecratur a Guillelmo præsule. Ab annis jam quadraginta abbatiam abbatiæque prædia occupantibus Anglis, Calixtus papa, IX cal. Maii 1456, delictorum veniam exoptantibus suasit ut sublapsam monachorum rem reficerent; apud *Housseau*, t. IX.

Abbatum ea sunt nomina quæ nostra diligentia potuit assequi.

ALIQUOT ABBATES.

I. Radulfus legitur, anno 1139, in charta Roberti Papa Bovem Grosbelium locum S. Mauricio concedentis.

II. Jacob donum accepit a Petronilla, prima Fontis Ebraldi abbatissa; e Clypeo Fontebr. Ord., t. I, p. 41. Idem testis fuit Alani, Redonensis episcopi, Serloni, Saviniacensium abbati, Saivaliæ capellam tradentis; e Max. Gall. Archivo, L, 1146[bis].

III. Petrus I primum occurrit a Mathilde, secunda Fontis Ebraldi abbatissa, confirmatum accipiens prædium, a Petronilla jam datum; e Clypeo Font. Ord., t. I, p. 41. Annus hujus confirmationis non legitur. Mathildis vero sedit ab anno 1150, et inter testes recensetur Normannus præsul, qui decessit mense Maio 1153. Anno tandem 1165, Petrus concordiam probavit initam inter Majoretanos et Bellæ Branchæ monachos; e chartul. Maj. Monast. Ejusdem meminisse videtur Roncereii necrologium, IV id. Aprilis.

IV. Hugo de Brandellis, Fontanarum antea monachus, cujus Peregrinus in Fontanarum Hist. meminit, occurrit in Geoffridi *de Baracé* chartula Chalocheio prædium *Guirise* condonantis; e Chalocheii chartul.

V. Juhellus testis est, anno circiter 1184, jurium Bellæ Branchæ concessorum a Guidone Lavallensi; ex arch. Cenomanensi. De falso quem chartula præbet anno supra, inter abbates Bellæ Branchæ, disseruimus. Reperitur idem, anno 1190, in litteris Juhelli Meduanensis jura Savigneii confirmantis; e Max. Gall. Arch. Ante annum 1197, fraternum fœdus iterum pepigit cum Anselmo, S. Martini Turonensis decano. Guillelmus *de Montsorel* prioratum *Landal* anno incerto condens, testes accivit Mauricium Veteris Villæ, Gualterium Relleii et Juhellum Buxeriæ abbates; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1140. Occurrit insuper Juhellus, una cum Haymone, Mellereii abbate, in chartula Guillelmi *de Teille* Mellereio decimam quamdam largientis; ex Alb. Mant. cod. 36, fol. 209. Eximia Juhellus, ut videtur, fama valebat; quem, anno 1201, summus Pontifex inter Hubertum de Campigneio et abbatem S. Albini arbitrum sedere jussit; e chartul. S. Albini. Memoratur tandem anno 1213, qua die Guillelmus, Andegavensis præsul, ecclesiam Buxeriæ consecravit.

VI. Robertus, anno 1243, die Mercurii post festum B. Magdalenæ, Lusdi sedens in episcoporum abbatumque conventu, testis est Juhelli archiepiscopi litem dirimentis inter Droconem de Melloto et Savigneii monachos; e Max. Gall. Archivo, L, 1146[7].

VII. Petrus II Andegavensi præsuli fidem profitetur, die Veneris post festum B. Michaelis in monte Gargano 1316.

VIII. Thomas pro Carolo rege missas spon-
A det se ob datos abbatiæ reditus celebraturum; e Max. Gallor. archiv., J, 465, n°. 43.

IX. Guillelmus, e chartulario Fontis Danielis, anno 1328.

X. Hubertus reperitur anno 1387.

XI. Stephanus, annis 1399, 1401, 1404.

XII. Joannes I, anno 1422.

XIII. Girardus occurrit ab anno 1445. Ejusdem, annis sequentibus, plures chartulæ meminere. Legitur tandem, 28 Junii 1478, professionem faciens clientelaris obsequii; in chartul. Mellinensi.

XIV. Joannes II, annis 1480, 1483. Idem,
B 19 Octobris 1494, in chartulario Majoris Monasterii. Acerrime de præsidatu contendit cum Petro *Chevalier*, Bellæ Branchæ monacho, quem excommunicavit. Inter eos tandem pacem fecit Leo papa, XIV cal. Aprilis 1513; apud D. *de Gaignières*. Petrus abbas Chalocheii postea fuit.

XV. Mathurinus *Chevalier* transegit de quodam prædio cum Petro *Chevalier*, abbate Chalocheii. Idem, 20 Februarii 1532, clientelaris obsequii professionem facit; e chartul. Mellinensi.

XVI. Renatus *de Daillon du Lude*, episco-
C pus Baiocensis abbasque Chalocheii, annis 1590, 1595.

XVII. Joannes III *de Cospean*, 1609.

XVIII. Joannes IV *Dolce*, Baionensis episcopus, annis 1648, 1654.

XIX. Joannes V *Joubert*, idem prior Lusdi, Croptæ et episcopus Arensanus.

XX. Franciscus *de Batefort de l'Aubespin*, idem et abbas Vadatii. Abdicavit anno 1679.

XXI. Carolus *Barentin*, e senatoria gente, creatus est 29 Novembris 1699, post abdicationem Francisci, cujus nepos erat.

D XXII. N. *du Pré* ab anno 1723 usque ad annum 1770.

XXIII. N. *de Saluce* ab anno 1770 ad annum 1790.

ORATORIUM.

Cisterciensis Oratorium abbatia anno 1121 conditur; e Chronico Turon. Ab exordiis clara potensque extitit: anno sedenim 1134, Pontem Oetranni, non minimæ laudis filiam, procreavit; anno circiter 1168, Baugeseium. Pauca tamen de rebus ad eam spectantibus
E documenta supersunt. Monachorum possessiones Richardus, Anglorum rex, anno 1189 confirmavit.

Indicem abbatum præbet tomus XVIII Stephani *Housseau*. Ex eo nonnulla duximus.

SERIES ABBATUM.

I. Fulco I instituitur, anno 1121, a Stephano, Cisterciensi abbate.

II. Galo memoratur temporibus Petronillæ, primæ Fontebraldensium abbatissæ, hujus litteris in favorem Buxeriæ subscribens; e Clypeo Font. Ordinis, t. I, p. 44.

Ch. xv, col. 155. III. Martinus abbatiæ Pontis Octranni condendæ curam impendit, anno 1134.

IV. Fulco II subscripsit, anno 1138, litteris quibus Ulgerius præsul S. Sergio Lauriacenam dedit ecclesiam. Pepigit, anno 1146, cum Geoffrido, Andegavorum consule, de Curneiaco et S. Nicolao; apud *Housseau*, t. V.

V. Yvo I, anno 1147; e domno *Housseau*. Annum autem *Housseau* male legit, nam Fulco reperitur in litteris Mathildis, abbatissæ Fontis Ebraldi, pro Buxeriæ monasterio, quæ post annum 1150 certe datæ sunt. Abbates consule Buxerienses.

VI. Joscelinus, anno 1158.

VII. Zacharias, anno 1165, testis sedatæ litis inter Majoretanos et monachos Bellæ Branchæ; e chartul. Majoris Monasterii.

VIII. Hamelinus memoratur in præsentia Joschæ, forte Joscii, Turonensis archiepiscopi, paciscens de decimis cum Hugone de Brehaimone; apud *Housseau*, t. VII.

IX. Gervasius I transegit, anno 1179, cum monachis S. Nicolai de decimis Monasterioli percipiendis; apud *Housseau*, t. V. Plura accepit, anno 1181, a Papoto de Longuieo; ex eodem. Occurrit tandem, anno 1184, paciscens cum Jacquelino de Brelia super stagno duabusque moletrinis; ex eodem. Gerardus idem nuncupatur in abbatum serie ex archivo Oratorii desumpta.

X. Joannes I prædium emit, anno 1189, a Geoffrido Crispini; e schedis *Housseau*, t. V. Occurrit idem annis 1190, 1192. Testem eum exhibet, anno 1192, charta Mauricii, Nannetensis episcopi, de rebus concessis Pontis Otranni monachis ab Andrea de Vareda; ex Alborum Mantell. codice 45.

XI. Anselmus post Joannem occurrit; quo abbate, Mathildis *de Brein*, anno 1207, totum solum arabile quod juxta *Foudon* possidebat Oratorii monachis condonavit; apud *Housseau*, t. VI. Idem, anno 1209, in Sergianis tabulis reperitur (e codice Regio 5446, p. 153).

XII. Reginaldus Anselmo successisse dignoscitur. Data juxta *Foudon* a Mathilde calumnians, Balduinus de Rupibus Reginaldum abbatem aggreditur : mox semet agnoscit Balduinus rem monachorum inique petiisse dimittitque materiam litis, anno 1211; apud *Housseau*, t. VI. Memoratur deinde Reginaldus, anno 1214, testis in charta Matthæi, Bellæ Branchæ abbatis, apud D. Ed. Bilardum, in Indice Cenoman. archivi, part. 1, num. 344. Mense tandem Januario 1218, lege 1219, litem sedat inter plures Andegavensis urbis archimandritas et W. de Canvono, equitem; e cod. Regio 5446.

XIII. Richardus, anno 1221; ex abbatiæ catalogo.

XIV. Guillelmus I legitur, pridie B. Mariæ Magdalenæ 1236, in excerptis e Parci chartulario quæ servat cod. *de Gaignières* 180. Idem, Augusto mense 1242, notitiam edidit de Margarita Pontonaria plura monialibus Boni Loci largiente; ex archiv. Cenom., apud D. Ed. Bilardum, part. 1, num. 756. Ad eum forsitan, XII cal. Januarii 1244, scripsit Innocentius papa IV, jubens ut ante curiam Romanam citius vocaret procuratores Andegavensis episcopi, necnon Salmuriensis abbatis, in collectaneis D. *La Porte du Theil*. Occurrit tandem Guillelmus, die Martis post *Oculi Mei* 1250, in litteris Caroli regis de advocatorum Andegavensium stipendio; apud Baluzium, arm. 2, fasc. 1, num. 1.

XV. Yvo II, mense Junio 1263, monachis Pietatis Dei, juxta Cenomanum, sub lege census tradit quidquid possidebat Oratorium in parœcia *Cergé*; ex arch. Cenoman. Reperitur idem, anno 1265, in chartulario S. Vincentii Cenomanensis. Confirmavit tandem, anno 1267, venditas Andegavensi capitulo decimas Baugeii; e schedis *Housseau*, t. VII.

XVI. Hugo, anno 1277; ex abbatiæ catalogo.

XVII. Andreas I, die Jovis post Ascensionem Domini 1280, pepigit cum canonicis Omnium Sanctorum de decimis moletrinarum Belli Fortis; apud *Housseau*, t. XIII. Eodem anno, Veneris die post octavam S. Martini hiemalis, comprobavit sententiam Brullioniensis decani de jurgiis inter monachos Bellæ Branchæ et Robertum de Siliaco : qua in chartula dicitur *pater abbas monasterii de Bella Brancha*; ex arch. Cenoman. D. Bilardus, part, 1, num. 369.

XVIII. Evrardus de Campania, anno 1290; ex abbatiæ catalogo.

XIX. Gervasius II, anno 1301; ex eodem.

XX. Joannes II, anno 1315, laudat litteras Guillelmi præsulis de rebus Perreio datis a Margarita de Sablolio; ex arch. Andegav.

XXI. Petrus I, 22 Novembris 1323, subscribit chartæ quæ testatur initam pacem inter Carolum, ducem Andegaviæ, et Pontis Octranni monachos; e Thesauro Chartarum.

XXII. Stephanus I, anno 1324, ex abbatiæ catalogo.

XXIII. Radulfus anno 1347; ex eodem.

XXIV. Philippus I, 11 Februarii 1351, confirmat Matthæum abbatem Baugeseii; e Baugeseiano chartular.

XXV. Stephanus II memoratur moriens circa finem anni 1366, in litteris Urbani V.

XXVI. Guillelmus II, abbas antea Pietatis Dei, sufficitur Stephano, XVI cal. Februarii 1367, litteris Urbani V quarum Suaresius meminit.

XXVII. Petrus II de Monteforti, anno 1370; ex abbatiæ catalogo.

XXVIII. Girardus, alias Geoffridus, anno 1388. Occurrit 3 Novembris 1389, in instrumentis ad scholam Andegavensem spectantibus; Acta Reg. Franc., t. VIII, p. 251.

XXIX. Guillelmus III, anno 1405; ex abbatiæ catalogo.

XXX. Joannes III, cardinalis Lotharingus, anno 1410; ex eodem.

XXXI. Geraldus; ex eodem. Anno 1414, de quibusdam reditibus pactus est cum Grandimontensibus fratribus prioratum dictum *Monnais* incolentibus; ex hujusce prioratus chartul. Reperitur usque ad annum 1418.

XXXII. Andreas II, anno 1423, reditus concedit fratribus S. Joannis; apud *Housseau*, t. XIII.

XXXIII. Aimericus muris, fossis, arrectariis pontibus, cæterisque munimentis cœnobium, inconsulto rege, cinxerat : unde lis contra monachos suscepta; quos rex absolvit, Decembri mense 1446. Occurrit Aimericus, 12 Novembris 1450, in partitione prædiorum fontis *Berson* fontisque *Lefeuvre;* apud *Housseau,* t. XIII. Electum probavit, 1 Julii 1455, Joannem, Baugeseii abbatem; e Baugeseii chartul. Quo eodem anno, 9 Octobris, litigans cum Burguliensibus, procuratores instituit; e Burguliensi chartulario. Ejus insuper mentio fit anno 1456.

XXXIV. Petrus III, 12 Decembris 1458. Transigit, 18 Novembris 1460, cum Guillelmo, abbate Mellinensi. Idem, 4 Octobris 1464, assensum præbebat electioni peragendæ in Perreii parthenone; apud *Housseau,* t. XII.

XXXV. Andreas III, anno 1470; ex abbatiæ catalogo.

XXXVI. Petrus IV *Chabot* occurrit ab anno 1473. Aderat, 24 Junii 1480, translationi corporis S. Florentii.

XXXVII. Renatus *de Prie,* multis præterea beneficiis dives, abbas Oratorii memoratur hoc circa tempus; supra, t. XI, col. 383.

XXXVIII. Joannes IV *Le Chevrier,* annum circa 1493. Qui mox abdicavit. Hunc quære inter abbates Vallium Sarnaii, t. VII, col. 894.

XXXIX. Michael *Buffereau,* cellarius Vallium Sarnaii, usque ad annum 1495, quo Joanni antecedenti restituit Oratorium, ipse Vallibus Sarnaii præficiendus.

XL. Joannes IV *Le Chevrier* iterum, ut legitur supra, t. VII, col. 895.

XLI. Joannes V *de Quedillac,* abbas idem S. Juliani Turonensis et Baugeseii, necnon æmulus Joannis *de Clery,* Lirensis abbatis; supra t. XI, col. 650. Probavit, 31 Decembris 1504, electionem Joannæ *Pannetier,* Perreii abbatissæ.

XLII. Simon I *des Roches,* ex abbatiæ catalogo, anno 1508.

XLIII. Ludovicus *de Tiercelin,* Oratorii professus, sedis apostolicæ protonotarius, frater Nicolai, qui Bello Loco juxta Turones præerat, rexit idem Oratorium et Miseraium in Bituricensi diœcesi. Occurrit, 25 Junii 1547, in chartulario Mellinensi.

XLIV. Matthæus *La Varenne,* anno 1567; ex abbatiæ catalogo.

XLV. Simon II *de Maillé de Brezé,* archiepiscopus Turonensis, anno 1574.

XLVI. Petrus V, cardinalis *de Caulet,* anno 1598.

XLVII. Bonaventura *de La Fond,* anno 1624.

XLVIII. Franciscus I *de Lavedan,* anno 1645.

XLIX. Philippus II Victor *de Comminges,* eques ordinis Melitani, anno 1672. In Germania occubuit, regiis sub vexillis militans.

L. Franciscus II *de Comminges,* antecedentis germanus, eques Hierosolymitanus, abbas Oratorii creatur 18 Julii 1678. Obiit anno 1732.

LI. Joannes-Baptista *de Bernard d'Avernes,* ab anno 1732 usque ad annum 1763.

LII. N. *Des Brières,* ab anno 1763 ad annum 1778.

LIII. N. *de Cusaque,* ab anno 1778 usque ad annum 1790.

PONS OCTRANNI.

Ad fines Andegavensis agri, in Oratorii parochia, locus erat admodum agrestis, ubi, ut aiunt, latro quidam, Octrannus nomine, sedem posuerat. Easdem postea quæsivit latebras Clemens, eremita, qui, postquam nonnullas res a vicinis militibus acceperat, de condenda Cisterciensi abbatia cogitavit. Ejus votis obsequens Martinus, abbas Oratorii, operi manum admovit, et mox surgere visa est abbatiola, Oratorii filia, cui regendæ Fulco præfectus est anno 1134. Eadem veteribus in schedis, raro quidem, Pons Doctrinæ nuncupatur. Monachorum bona confirmaverunt Innocentius papa II anno 1139, Cœlestinus anno 1193, et postea Innocentius IV, Gregorius X, Nicolaus III, Bonifacius VIII. Ea quidem acceperant a dominis Montis Joannis, Turris Landerici, Candeii, Vallis, Credonis, Ancenisii, etc., etc.

Ch. xv, col. 155.

In ea domo tres tantum monachi superstites anno 1790 memorantur, quibus prioris titulo præfectus erat Petrus Franciscus *Peguignot.*

Seriem abbatum Pontis Octranni digessit D. P. *Marchegay*; quam servat archivum Andegavense. Quam quidem non sine fructu consuluimus : in eam tamen irrepserunt nonnulli Oratorii abbates.

SERIES ABBATUM.

I. Fulco monasterii primus abbas fuit. Electus consecratusque legitur XI cal. Junii 1134. Occurrit, anno 1135, in chartulario Fontebraldensi. Testis idem, anno 1142, compositæ controversiæ inter Albinianos et Paganum de Claris Vallibus. Eo etiam anno alterius cœnobii Fulco conditor fuit, in agro Nannetensi, quod Mellereium nuncupant.

II. Haimarus occurrit in charta Pagani *de Maidon*, prædium monachis Mellereii tradentis; apud Moricium, Prob. Hist. Brit., t. I, col. 609. Idem, pactus est, coram Hugone, B Dolensi episcopo, cum Roberto, abbate Majoris Monasterii, de mina salis a Conano, Britonum comite, concessa; e chart. Maj. Monast. Anno 1160, simile quoddam pactum iniit, coram Bernardo, Nannetensi præsule, cum Jordano de Malmuceio. Roberto post Bernardum eamdem sedem occupante, a Theobaldo *Lorel* census accepit in parochia S. Hermelandi percipiendos. Reperitur tandem temporibus Geoffridi, Mellereii abbatis, testis adlectus ab Olivario de Veris, censum Mellereio condonante.

III. Geoffridus occurrit, anno 1192, in C charta Mauricii, Nannetensis episcopi, de quibusdam ei ab Andrea de Vareda concessis. Idem, anno 1193, pactus est cum Geoffrido, Majoretanorum abbate, coram supra memorato Mauricio.

IV. Olivarius a Landrico de Turre plura Varedæ jura obtinuit; ex Alb. Mant. cod. 45, p. 631.

V. Joannes I occurrit anno 1196, Andream de Vareda, militem, excipiens, qui testamentum suum, accitis monachis, condidit. Die 18 Aprilis 1199, Arturus, Britanniæ dux, Ch. XVIII, col. 159. D necnon Andegaviæ comes, sacratum Christo patienti diem agebat apud monachos Pontis Octranni. In cujus rei memoriam, Joannis manum osculatus, ei decem libras Andegavenses annuatim persolvendas tradidit. Memoratur Joannes ab Olivario de Castro Fromundi, una cum Haymone, Mellereii abbate, plures decimas accipiens. Idem legitur, anno 1208, Guillelmum *de Carguoit* ante judices compellens, qui plura monachis intulerat damna. Utrinque summus animorum æstus. Vicit tandem causa monachorum, et Guillelmus ad læsam pergere jussus est abbatiam, collum fune redimitus, nudusque verbera E pati. Quæ passus est sub indictam diem, adstante civium non infrequente corona; e Probat. Hist. Brit., t. I, col. 810. Reperitur dein Joannes anno 1210. Eidem Guillelmus de Turre a Landrico fratre Olivario data confirmavit.

VI. Robertus, annis 1280, 1281. Idem, anno 1283, confirmat canonicis Omnium Sanctorum decimas quas Veris possidebant; apud *Housseau*, t. XIII, ex Omnium Sanc- A torum chartul. Anno 1315, transigit cum Geoffrido, Ancenisii domino; ex Albor. Mant. cod. 45, p. 634.

VII. Joannes II, 22 Novembris 1323, paciscebatur cum Carolo, filio regis et Andegaviæ comite, ei dimissas tradens duodecim libras, Arturi donum, et ab eo aliud quid accipiens; e Thesauro Chartarum.

VIII. Guillelmus, die Mercurii post *Lætare* 1360, secundum recentem usum, a Beconensi priore sex sextaria siliginis impetravit; apud *Housseau*, t. XIII, ex archiv. S. Nicolai.

IX. Albinus I composuit, anno 1379, cum Guillelmo, Panis Pontis abbate.

X. Joannes III, 11 Decembris 1419, cum Joanne *de Rougé* de Gaudinaria transegit; ex Alb. Mant. cod. 45, p. 650. Idem reperitur anno 1429.

XI. Albinus II, anno 1441.

XII. Petrus I, annis 1464, 1474.

XIII. Joannes IV *Aucien*, alias *Ancieu*, ab anno 1503 usque ad annum 1523, in plurimis chartulis quas servat archivum Andegavense memoratur.

XIV. Renatus *Boursault de Montejan*, abbas idem Ebronii et S. Melanii, anno 1538.

XV. Joannes V *Cutis*, theologiæ doctor, 1552.

XVI. Odetus *de Coligny*, cardinalis Castellionensis, episcopus Bellovacensis, et abbas S. Crucis de Kemperlegio, 1564.

XVII. Joannes VI *Vignois*, canonicus Parisiensis.

XVIII. Petrus II *Marriau*, 1567, 1569.

XIX. Carolus I *de Bourbon*, cardinalis, 1573.

XX. Philippus *du Bec*, Nannetensis episcopus. Abdicavit in gratiam sequentis.

XXI. Joannes VII *du Bec*, antecedentis nepos, possessionem adiit 22 Februarii 1586.

XXII. Claudius *de la Barre*, regi ab eleemosynis, annis 1603, 1610, 1612, 1619, 1623.

XXIII. Jacobus I *Gaulthier*, annis 1659, 1664, 1670.

XXIV. Carolus II *de Godde de Varennes*, ab anno 1670. Occurrit anno 1699 in authentica commentatione de rebus Andegaviæ. Obiit 4 Junii 1705.

XXV. Franciscus *de Valbelle de Tourves*, filius Joannis-Baptistæ et Margaritæ *de Vintimille*, regi ab eleemosynis, decanus S. Audomari et summus vicarius Alphonsi *de Valbelle*, S. Audomari præsulis, creatur abbas Pontis Octranni 14 Augusti 1705. Nominatur ipse S. Audomari episcopus, 1 Novembris 1708.

XXVI. Joannes-Baptista II *de Lescure*, ab anno 1729 ad annum 1752.

XXVII. Jacobus II Guillelmus *Blondel*, doctor Sorbonnicus, ab anno 1752 usque ad annum 1790.

B. MARIA DE PERREIO.

Ch. xiii, col. 158. Abbatiam hanc, quam Petrosias quoque veterum diplomata nuncupant, Robertus de Sablolio condidit, anno circiter 1190. Cujus ordinis eam ascetæ primo coluerint minime dubium relinquitur. In chartula sedenim quæ Perreii fundationem refert occurrit Giraudus, abbas Belli Fontis; in paulo recentiori chirographo, quod servat archivum Andegavense, leguntur simul, anno 1200, Joannes Perreii et Joannes Belli Fontis abbates; anno tandem 1246, solemnior Innocentii papæ bulla Perreii cœnobium *ad monasterium Belli Fontis pertinens* expressis verbis memorat. Bellus Fons, in Malleacensi diœcesi, instituta S. Benedicti sequebatur. Benedictini igitur monachi exstructa studio Roberti Sabloliensis claustra primo habitavere. Obiter nunc abbatibus Belli Fontis, quorum seriem antecessores nostri nimis imperfectam tradidere, annumera Giraudum anno 1190, et Joannem anno 1200. Non diu tamen Perreii viguit Benedictinorum decretorum observantia. Exstant Gregorii papæ IX litteræ, quibus, III non. Martii 1228, episcopo Cenomanensi mandat ut turpem agentes vitam monachos adeat, eos episcopali flagello castigaturus; e Collect. D. *La Porte du Theil*, in Max. Paris. Bibl. Anno 1246, eamdem abbatiam Innocentius papa nostris oculis subjicit a quinquennio citraque abbate carentem, ære gravatam alieno, triumque monachorum, postquam cæteri alio discesserant, factam sedem. Nobilium igitur quarumdam matronarum, comitissæ videlicet *de Fiff* et Bellomontanæ vice-comitissæ, summus Pontifex precibus annuens, Michaeli, episcopo Andegavensi, jubet ut in abbatiam monachis Benedictinis propemodum vacuam Cistercienses puellas inducat. Datæ sunt Innocentii litteræ, Lugduni, XIV cal. Julii, anno pontificatus secundo. Mandato domini papæ Michael præsul paruit, et, mense Januario 1247, secundum recentem calculum, moniales Perreii constituit, quibus disciplinam Boni Loci, apud Cenomanos, observatam imposuit. Ab eodem insuper decretum fuit, ut abbatem Oratorii Cisterciensem quasi patrem patronumve suum prædictæ moniales colerent; ex originali charta, quam præbet archivum Andegavense. Hujus postea loci minimum nomen fuit. Abbates primo, dein abbatissas, quas veteribus e chartulis eruere licuit, recensebimus.

ABBATES.

Ch. xvii, col. 158. I. Matthæus occurrit, anno circiter 1190, in Roberti de Sablolio diplomate, monachis ab ipso data recensentis. Idem, anno 1199, quædam accepit ab Hadvisa *de Grez* juxta Vallem Christiani sita; ex arch. Andeg. Anno tandem 1200, reperitur Matthæus in sententia Guillelmi de Rupibus, senescalli, contra Hierosolymitanos fratres Ronceréii tutelam detrectantes.

II. Joannes, anno 1200, de rebus Alneti sitis cum Geoffrido, regis minutore, paciscitur; e chirographo quod servat arch. Andeg. Dicitur idem, anno 1206, abbas Perreii secundus, in chartula Geoffridi comitis, prædium juxta Vallem Christiani tradentis. Anno 1208, eidem Geoffridus a Roberto de Sablolio data confirmat; apud *Housseau*, t. VI.

ALIQUOT ABBATISSÆ.

I Alicia quemdam censum vendidit hospitio S. Joannis Andegavensis, anno 1277; e schedis *Housseau*, t. XIII.

II. Joanna I, anno 1314, plura *Escouflans* sita sub censu tradit; ex authentico, quod servat arch. Andegav.

III. Margarita I, anno 1364; e schedis *Housseau*, t. XII.

IV. Petronilla I, anno 1400; ex eisdem.

V. Margarita II, anno 1417.

VI. Petronilla II, anno 1422. Decessit anno circiter 1438.

VII. Maria I Simonetta *Hamon*, Moncæi professa, cui per Alanum, Savigneii abbatem, licuit præfecturam Perredii suscipere 17 Novembris 1438. Decessit circa Octobrem mensem 1464.

VIII. Thomina electa videtur Octobri mense 1464, quo Petrus, abbas Oratorii, Maria defuncta, permisit ut electio fieret. Occurrit anno 1470.

IX. Joanna II Honorata *de Valmère* reperitur 26 Augusti 1489. Decessit 5 Decembris 1504.

X. Joanna III *Pannetier* dein suffragiis sororum exoptata fuit; cujus electionem probavit Joannes *de Quedillac*, abbas Oratorii, 31 Decembris 1504.

XI. Margarita III *Veillon* possessionem adiit 8 Octobris 1508. Occurrit annis 1509, 1512, 1522.

XII. Maria II, vel Renata *Liboreau*, memoratur anno 1544. Abdicavit anno 1549.

XIII. Maria III *de Feschal*, Nidi Avis professa, bullas accepit pontificias 16 Maii 1549, et possessionem adiit 7 Augusti. Benedictionis ei dein munus impertivit Gabriel, Andegavensis episcopus, 24 Novembris. Reperitur annis 1555, 1559.

XIV. Francisca *de Coesnon* nominatur annis 1565, 1576.

XV. Michaelina *Babou de la Bourdaisière*, annis occurrit 1580, 1582, 1584.

Post Michaelinam occurrit Suzanna *de Marzon*, in officio probata a Nicolao *Boucherat*, Cisterciensi abbate, 18 Julii 1584.

Ea vero, vetantibus, ut videtur, rege et papa, munus non adiit.

XVI. Maria IV *de Gennes*, litteris munita pontificiis regiisque, in possessionem abbatiæ venit 31 Augusti 1585. Michaelinæ *Babou* suffecta legitur. Abdicavit in gratiam germanæ sequentis, decessura 26 Februarii 1610.

XVII. Ludovica *de Gennes*, Roncereii professa, litteris donata est apostolicis Februario mense 1591. Occurrit annis 1598, 1601, 1607. Et ipsa abdicavit, et dein obiit 4 Maii 1627.

XVIII. Catharina *Grougnet de Vassé*, filia Lanceloti et Franciscæ *de Gondy*, monialis S. Amandi Rotomagensis, coadjutrix electa fuit a Ludovica *de Gennes* 26 Novembris 1612. Qua moriente, abbatissa dicta est. Possessionem adiit 8 Februarii 1614. Ægrotanti coadjutricem dedit Urbanus papa Annam *de Rongé*, XII cal. Julii 1628. Decedens memoratur 2 Augusti 1651.

XIX. Maria V *de Courtalvert de S. Michel de Pezé*, monialis S. Amandi Rotomagensis, annos nata 28, a rege creatur abbatissa 20 Augusti 1651. Possessionem suscepit 18 Januarii 1652. Obiit 22 Februarii 1681.

XX. Maria VI *de Lambert* abbatissa fit 21 Maii 1681; ex indice Turonensium beneficiorum.

XXI. Jacoba Ludovica *de Quatrebarbes de la Rongère*, e S. Catharinæ professa præsentatur 5 Aprilis 1724. Abdicavit anno 1727.

XXII. Prudentia Helena *Des Cartes*, Gaudii professa, abbatissa fit Perreii anno 1727.

XXIII. N. *de Gourcy*, ab anno 1758. Reperitur anno 1790.

PERREDIUM NOVUM.

Hanc Præmonstratensis ordinis abbatiam, anno 1189, Robertus de Sablolio juxta nemus Ranulfi condidit. Cum is vero locus canonicis excipiendis parum idoneus videretur, eos Guillelmus de Rupibus, Roberti gener et Andegaviæ senescallus, Prisciniacum transtulit, eisque villam dictam Perredium, alias Perredium Novum, habitandam addixit. Anno 1675, congregationi Præmonstratensium, antiquum, ut aiebant, rigorem observantium, ea abbatia aggregata est.

Plura nobis suppeditavit abbatum nomina series ab Antonio *Leconte*, Perredii Novi armario, digesta, quam reperies inter Stephani *Housseau* schedas, t. XVIII.

SERIES ABBATUM.

I. Giraudus, anno 1189.

II. Robertus, anno 1200.

III. D., anno circiter 1214, a Gervasio, Præmonstratensium abbate, in Stellense monasterium ire jubetur, et abbatis novi electioni præesse; supra, t. VIII, Instr., col. 428.

IV. Richardus, ab anno 1225; sedit per quatuor annos.

V. Joannes I, anno 1229.

VI. Stephanus, anno 1240.

VII. Nicolaus I præfuit duobus annis; ab anno 1241.

VIII. Guillelmus I, ab anno 1243. Is est, ut videtur, qui domum Mauricii *Triper* abbati Mellineii contulit; e Mellinensi chartulario.

IX. Thomas I, ab anno 1260. Societatem fecit, anno 1267, cum Jacobo, abbate Mellinensi; e Mellinensi chartulario. Eodem anno, simili vinculo Joanni, Ebroniensium abbati, semet alligat; e chartul. Ebronii. Præsidatum abbatiæ per octo annos tenuit.

X. Hamelinus I, ab anno 1268.

XI. Joannes II *Hernault* regimen anno 1288 aggressus est, post Hamelini decessum, et obiit ipse anno 1302.

XII. Martinus munere semet abdicavit anno 1324.

XIII. Thomas II Renardi de Suza, ab eo anno 1324.

XIV. Nicolaus II *Beaudouin*, alias dictus *de Précigné*, anno 1333. Sedit per tres annos.

XV. Julianus reperitur etiam anno 1352.

XVI. Joannes III *le Templier* sedit per annos octo et viginti, munusque deposuit anno 1389.

XVII. Gervasius Rufus memoratur usque ad annum 1414.

XVIII. Guillelmus II *Gérard*, ab anno 1414 usque ad annum 1421.

XIX. Hamelinus II *Sallot* obiit anno 1433.

XX. Michael I *Lemaire* obiit anno 1452.

XXI. Rolandus *Denis* munere semet abdicavit anno 1478.

XXII. Petrus *Roulière* decessit anno 1493.

XXIII. Guillelmus III *de Launay* obiit anno 1497.

XXIV. Thomas III *de l'Escluse* e canonico Vermandi fit abbas Perredii Novi. Transit, anno 1499, in abbatiam S. Joannis, apud Ambianenses; supra, t. X, col. 1359.

XXV. Michael II *de Solesmes*, usque ad annum 1502.

XXVI. Joannes IV *Allain* regularium fuit ultimus.

XXVII. Joannes V *Allain*, antecedentis consanguineus, canonicus S. Laudi, abbatiam, quam commendæ titulo adeptus erat, administrat usque ad annum 1539.

XXVIII. Guido *Pierres*, scholasticus Andegavensis ecclesiæ, necnon Gabrielis episcopi vicarius generalis.

XXIX. Joannes VI *Pierres*, capellanus perpetuus in ecclesia S. Laudi, antecedentis e fratre nepos, instituitur commendatarius abbas litteris Pauli papæ, VI cal. Julii 1545; ex arch. Andegavensi. Sedit usque ad annum 1571. Eum quære inter abbates S. Mauri.

XXX. Benedictus *de S. François,* clericus Cenomanensis, possessionem adiit 11 Junii 1571.

XXXI. Reginaldus *de Beaune*, Bituricensis archipræsul, usque ad annum 1587.

XXXII. Urbanus *de Guedon*, presbyter sæcularis, quem ejecto Reginaldo Fæderati suffecere. Sedit usque ad annum circiter 1600.

XXXIII. Joannes VII *de Bourgon,* et ipse presbyter sæcularis. Occurrit, 9 Junii 1612, in chartula de institutione Franciscani conventus in vico Prisciniaco.

XXXIV. Hamelinus III *Arnou*, per vim ad abdicationem denuntiandam compulsus, Carthusianorum ordini sese addixit.

XXXV. Henricus *de Laval*, Leonensis episcopus, ab anno 1629. Permutavit cum sequente, mense Martio 1654, decanusque S. Martini Turonensis inde factus est.

XXXVI. Franciscus *de Servient,* Carcassonensis episcopus, e decano S. Martini fit abbas Perredii, mense Martio 1654. Obiit anno 1659, Baiocensis tunc temporis episcopus.

XXXVII. Augustinus *de Servient,* antecedentis e fratre nepos, Perredii Novi fit abbas anno 1659. Anno 1675, strictiorem observantiam introduxit. Ejus, anno 1699, *Hue de Miromenil* in commentatione de rebus Andegaviæ meminit.

XXXVIII. N. *de S. Andiol* nominatur anno 1717.

XXXIX. N. *de Mallian,* ab anno 1779 usque ad annum 1787; e Calendario regio.

XL. N. *de Mallian,* anno 1787. Superstes erat anno 1790; ex eodem Calendario.

ECCLESIA REDONENSIS.

Præcipuam Redonensis agri civitatem, ad orientales Armoricanæ peninsulæ terminos sitam, Condate Redonum Ptolomæus, Antonini Itinerarium et Theodosiana tabula nuncupaverunt; eadem dein, contracto nomine, Redones appellata. Quam, a Julio Cæsare missus, Crassus expugnavit et sua sub lege tenuit. Exstitit vero magni quæstio momenti, an Britones jam temporibus Romanorum, et ipsis annuentibus, Redonibus imperaverint. Quanquam ea de re diversi diversa sentiant, nec sine validis argumentis in contrarias partes disputetur, potior tamen sententia videtur eorum qui Britones nondum sub id temporis eo potentiæ pervenisse contendunt. Hoc quidem haud ambigitur, Armoricanam scilicet tellurem Britones antiquitus excepisse ex insula patria migrantes; qui deinde Oceano finitimos Armoricæ tractus imperio suo subdidere, et, postquam longius latiusque procurrerant, integræ propemodum Armoricæ Britanniæ Minoris nomen imposuere : paulatim vero et in dies, nepotibus avorum reliquias prosequentibus, ea rerum commutatio facta est. Ut tamen, emensa multorum annorum serie, duces Britonum quæsitos armis fines usque ad Cenomanorum Andiumque campos protulerunt, inter civitates Armoricanas ipsis ab eo tempore subjectas nulla Redonibus, ut videtur, nobilior exstitit. Vetus Redonum decus ex eo præsertim comprobatur, quod ibi dux quisque novus caput suum ducali corona cingebat. Quinetiam ibidem ducum aula, summusque Britonum senatus. Redonibus quidem æmula, urbs Nannetes civibus celebrior evasit, et, ut erat negotiandi studio addicta, in majores opes brevi tempore crevit : incassum tamen Britannici ducatus principatum affectavit; Armoricanorum enim Britonumque memoria Redonibus primum semper locum tribuit.

Admodum obscura Redonensis ecclesiæ initia. Nonnulli sunt qui cathedralem basilicam ipsius S. Petri temporibus conditam asserunt, et e vetustis membranis longe vetustiorem Redonensium episcoporum seriem proferunt. Primas in ea serie tenet Maximinus, S. Philippi apostoli coætaneus et discipulus : post quem leguntur Suffrenius, vel Synchronius, Rambertus, Servius, S. Justus, Honoratus, Placidus et S. Leonorius. Antiquata vero jamdudum istius indicis auctoritas, quem decimo sæculo fabularium annalium subjectores in lucem dedere. De ea re præ cæteris consulendus *Deric,* Hist. Eccl. Brit., t. I, p. 145. Aliam alii, cautiores quidem, viam sibi fecere; qui nempe circa mediam quarti sæculi partem ecclesiæ Redonensis exordia collocavere. His testibus, Moderanus, Justinus, Riothimus, Electrannus Joannesque sub id temporis cathedram Redonensem vicissim occupaverunt. Ea autem episcoporum nomina sunt quorum plerique recentioris ævi æquales fuere, dum nihil aliud de cæteris præter ambiguam hanc designationem reperiatur. Dericus tandem, postquam commenta vetustiorum scriptorum censoria virgula notaverat, ipse primos inter Redonensis ecclesiæ præsules Leonem posuit Sarmationemque, quorum meminit, anno circiter 453, epistola synodalis ad episcopos tertiæ Lugdunensis scripta. De Leone certa quidem prædicantur, at eum tunc temporis Bituricensem cathedram tenuisse compertum est. Quod ad Sarmationem spectat magis dubium est : eum tamen mera prorsus conjectura Redonensibus episcopis Dericus annumeravit. Non unus quidem testis adest a quo Christianæ fidei dogmata per Armoricam antiquitus disseminata enarrantur. Hagiographi tamen vel ipsi in eo consentiunt, ut referant rudes istius regionis incolas diu verbi Christiani præconibus surdas aures præbuisse. Quorumdam igitur ex sententia, pauculis et infrequentibus Armoricanorum ecclesiis sane quondam episcopi præfuere : hi vero, ne stabilem sedem haberent Gentilium numero potentiaque prohibiti, episcopi regionales, ut aiunt, exstitere. Ea nobis sententia non displicet; nec abnuentes hos aut illos e supra memoratis episcopis gregem Redonicum aliquantisper rexisse, ab Athenio tamen seriem hanc nostram, ne dubia pro certis habere videamur, inchoabimus. Obiter dicendum, quod cum, fortunam inconsultius sequentes, ad id arrogantiæ venerunt Britannicæ gentis proceres ut pro regibus salutari exoptarent, et episcopales ipsi sedes, metropolitanam imo Doli cathedram, instituerent, Turonensi metropolitæ firmiter episcopi Redonenses adhæserint, et periculosam fidem colere quam e facili defectione commodum comparare maluerint.

De vetere basilica, Petro sacra, siletur. Ampliorem ædem exstruere cœperunt anno 1180, quam anno 1359 absolverunt; eamque, eo anno, 3 Novembris, Petrus episcopus consecravit. Anno dein 1541, 15 Septembris, prima recentioris templi fundamina cives posuere : ruinosum vero ab imis lapidibus refecere, anno 1755, geminis turribus solummodo parcentes. Numerabantur in diœcesi Redonensi, desinente postremo sæculo, 221 parochiæ, 3 collegiatæ ecclesiæ, 7 rurales decanatus, 7 hospitia, 3 virorum abbatiæ, puellarum 2, 15 virorum conventus, puellarum 17, et 52 prioratus. Collegiatarum ecclesiarum antiquior Guirchiensis,

quam condiderat, anno 1206, Guillelmus, Guirchiensis dynastes : ibi capicerius undecimque canonici sæcularem vitam agebant. Nec humilior ecclesia B. Magdalenæ Vitreiensis, anno 1209 erecta, quæ duodecim canonicorum, ipsis thesaurario præsidente, sedes erat. In urbe episcopali parochiæ decem : S. Stephanus, Omnes Sancti, S. Germanus, S. Petrus et S. Georgius, S. Martinus, S. Laurentius, S. Albinus, S. Hellerius, S. Joannes et S. Salvator. Eo Redonensis antistes privilegio fruebatur ut Britonum duces oleo sacro ungeret. Idem senator erat Britannicus, et jure sessionis in comitiis provinciæ generalibus gaudebat. Quinque in Redonensi capitulo dignitates, thesaurarius, cantor, archidiaconus Redonensis, archidiaconus Deserti et scholasticus, sexdecim canonici et quatuor semi-præbendati.

Hodiernos inter auctores Redonum historiam DD. *Ducrest de Villeneuve* et *Maillet* conscripsere. Ad civilium autem rerum seriem præcipue intenti, ecclesiastici status unice studiosis parum profuere. Plura præbuerunt *Ogée,* qui Lexicon Histor. Britanniæ publici juris fecit anno 1778, et D. A. *Marteville,* qui duobus tomis Ogæi commentationem nuper prosecutus est. Majus quidem nobis auxilium contulerunt Albertus *le Grand*, dictus latine Magnus, et Augustinus a Passu; multo majus vero domni *Morice* et *Taillandier,* recens a D. *Tresvaux,* officiali Parisiensi, in quibusdam castigati, quibus hic semel et ultimum summam pro multis officiis gratiam referre debemus.

EPISCOPI REDONENSES.

ANNI CHRISTI

I. ATHENIUS.

461 Athenius, quem et Arthemium dicunt, interfuit, anno 461, primo Turonensi concilio. Subscripsit etiam, annum circa 462, actis concilii Venetiæ congregati.

II. S. AMANDUS.

In veteribus tabulis post Athenium S. Amandus ponitur. Ad quemdam Amandum scripsit S. Paulinus Nolensis, fratrem eum nuncupans; quem nonnulli eumdem ac Redonensem episcopum mera conjectura dixere. Decessit vero S. Paulinus anno 431 : ideo minime Redonensis episcopi coætaneus videtur. S. Amandi meminit S. Melanii necrologium, 14 Novembris.

III. S. MELANIUS.

Patria Venetensis S. Melanius, teneris ab annis monachicam vitam amplexus erat. Claruit mox doctrinæ morumque fama, et Chlodovæo regi, ut aiunt, fuit acceptissimus. Sedit
511 in Aurelianensi concilio, anno 511. Defunctus legitur 6 Januarii, in martyrologio Romano. Obituaria vero S. Melanii et S. Menennii ejus 6 Novembris meminere. Inter annum 530, quem Cointius proposuit, et annum 535, qui cæteris placet, in dubio stare licet. S. Melanii de vita et miraculis plures scripsere; inter quos memoretur Gervasius, e Cenomanensi præsule Remensis archiepiscopus. Consule Bollandum, 6 Januarii. Ejusdem mentionem fecit Gregorius Turonensis, de Gloria Confess., c. 55.

IV. FEBEDIOLUS.

Febediolus, vel Fidiolus, sedit in Aure-
549 lianensi concilio, anno 549.

V. VICTURIUS.

Victurii meminit Gregorius Turonensis. Matrimonii siquidem vinculis irretitus, filiam habuit, Gregorio teste, nomine Domnolam, quæ primo conjux fuit Burgoleni, dein Nectarii, quamque Bobolenus, Fredegundæ referendarius, necavit; Hist. Franc., lib. VIII, c. 32. Occurrit Victurius scribens, annum circa 567, ad Radegundem reginam, quæ, 567
Deo dicata, monasticam vitam jam ægre ferebat, et, hortante marito, de veste exuenda cogitabat. Reperitur inter episcopos qui sederunt hoc anno in concilio Turonensi secundo. Fortunatus eum adfuisse memorat, anno 568, dedicationi ecclesiæ Nannetensis :

> Domitianus, item Victorius, ambo columnæ,
> Spes in utrisque manens pro regionis ope.

Victurii vitam Albertus in annum 602 conjectura protrahit. Eum vero jam non anno 586 superstitem congrue *Deric*, ex ipso Gregorii testimonio, demonstravit; Hist. Eccles. Brit., t. II, p. 77.

Desiderantur nonnulli post Victurium Redonenses episcopi. Marcus quidem occurrit, anno 642, in præcepto Joannis papæ IV pro monasterio S. Faronis. Hoc autem diploma jamdudum supposititiis instrumentis annumeratum est. Consule Dipl., Chart., edit. nov., t. II, p. 71.

VI. DURIOTORUS.

Per Bertulfum, procuratorem suum, subscripsit Duriotorus actis primi Cabilonensis concilii.

VII. DESIDERIUS.

Desiderius, anno, ut aiunt, 682, datum Fontanellarum monachis privilegium appro-

ANNI CHRISTI

bavit; Rer. Gallic. Script., t. III, p. 618. Hujus autem privilegii dies incertus est; idque plures anno 687 adscribunt: consule *Deric*, Hist. Eccl. Brit., t. II, p. 135. Sunt qui Desiderium juxta Vesuntionem gladio necatum referunt, et eum martyribus adscribunt. Ea fuit sententia Bollandi, vitam S. Ansberti annotantis.

Wilhelmus Redonensis episcopus legitur, anno 689, in famoso Alani regis diplomate quod exhibent Diplom., Chartæ, t. II, p. 206. Id autem jamdudum vel credulitate leviores critici exploserunt.

VIII. Agatheus.

Nannetum Redonumque comes Agatheus utramque cathedram occupavit et episcopi nomen assumpsit. Ei quidem nomen hoc negare licet : ne tamen ordo rerum perturbetur, de Agatheo vel pseudo-præsule paucis mentio fiat. Obiit, ut opinantur, anno 703.

IX. S. Moderannus.

S. Moderannus post Agatheum nuncupatur, qui Chilperico regnante sedem Redonensem tenuit. Is, e nobili prosapia oriundus, Romam, permittente rege, iter fecit, et paulisper in S. Remigii Remensis monasterio hospitatus est; e Flodoardo, lib. I, c. 20. In Italia obiit, ut referunt, 22 Octobris 731.

A S. Moderanno Redonensium episcoporum series per unum sæculum interrupta relinquatur : Albertum enim Magnum sequi non decet, qui, ut hanc lacunam expleret, tot figmenta quot nomina in lucem dedit.

X. Warnarius.

843 Reperitur Warnarius, anno 843, in Germiniacensi concilio. Occurrit dein, anno
859 859, inter Britonum episcopos ad quos Tullensis synodus litteras misit de obsequio metropolitæ Turonensi debito.

Deest igitur locus illi Gernobrio, *Turonensium,* ut aiunt, *provinciæ episcopo,* qui sedit, anno 849, in Carisiacensi concilio, quemque nonnulli Redonensibus episcopis annumerant; nisi, ut conjicere licet, Gernobrius idem sit ac Warnarius, corrupto nomine. Eidem jam conjecturæ *Deric* adhæsit; Hist. Eccl. Brit., t. II, p. 392.

XI. Electrannus.

Memoratur Electrannus Redonensis ecclesiæ jam episcopus, in charta Salomonis monasterio S. Salvatoris villam *Marcoër* in agro Redonensi concedentis ; quæ data fuit charta anno nono Salomonis regis, Augusto mense, Christi videlicet 866, vel 865, cum referant

A quidam Salomonem anno 856 regnum usurpavisse. Evectus autem in Redonensem cathedram Electrannus Turonensi metropolita non consentiente, hujus et comprovincialium quorumdam episcoporum suffragia ambiisse videtur, et ea secundum normam obtinuisse, dimisso nuper eo concilio quod in Suessionensi urbe de rebus Armoricanis consulendum Carolus Calvus coegerat. Editum est enim, anno 27 Caroli regis, indict. XIV, III cal. Octobris, documentum Herardi Turonensis, Ch. I, col. 163.
Actardi Nannetensis et Roberti Cenomanensis, quo Electrannus consecratur a clero Re-
B donensi jam promotus. Superstes inter vivos memoratur anno 871, in Rotonensi chartula. 871

Inter Electrannum et Nordoardum collocandus videtur quidam præsul cujus nomen ignotum transiit. Israel vero, Britonum episcopus, sedit anno 947 in Virdunensi concilio ; e Flodoardo, apud Rer. Gallic. Script., t. VIII, p, 201. Idem refert Virdunense Chronicon; ibid. p. 293. Redonensisne episcopus Israel ille fuit?

XII. Nordoardus.

C Nordoardus subscripsit, anno 950, litteris 950
Ragenfredi, Carnotensis episcopi, duodecim præbendas monachis S. Petri concedentis; e chartul. S. Petri, t. I, p. 351.

Obscura prorsus est post Nordoardum Redonensium præsulum series, tribus vel quatuor insimul occurrentibus episcopis. Narrat quidem pristinus S. Petri Redonensis chronographus, hos eadem stirpe genitos episcopale munus vicissim implevisse, episcopos tamen una diei voluisse. Nisi autem apud te satis valeat iste rei nimis intricatæ justo levior interpres, in dubio stare licet.
D

XIII. Tetbaldus.

De eo sic mentionem facit Chronicon S. Petri Redonensis, a Moricio compilatum : Tet« baldus filius fuit cujusdam presbyteri no« mine *Loscoran,* de quadam nobili puella « quam ipse presbyter clam corripuit et « secum abduxit in Burgundiam. Iste Tetbal« dus, factus episcopus auxilio parentum ma« tris suæ, duxit uxorem filiam Alvei, Nam« netensis archidiaconi, nomine *Oirelan,* de « qua genuit filium Gualterium. Qua de-
E « functa, duxit aliam, nomine *Genergant*, « de qua suscepit filios Minguenei de Guir« chia et Triscannum. Cui *Genergant* dedit « in dotem terram de Roentinniaco et mo« lendinum Burgum. Postquam consenuit « iste Tetbaldus, fecit se abbatem S. Melanii, « et filium suum Gualterium fecit episco« pum. » Consule Prob. Hist. Brit., t. I, col. 353. Testis insuper Tetbaldus legitur Conani ducis plura monachis S. Michaelis tribuentis, v cal. Augusti 990 ; ibid., col. 351.

ANNI CHRISTI

XIV. Gualterius.

Hujus meminit his verbis supra laudatum Chronicon : « Gualterius ipse factus episco- « pus duxit uxorem nomine Oidelinam, de « qua habuit filium nomine Garinum et duas « filias, unam nomine Oram et aliam nomine « Ivetam, cum qua dedit in dotem Hervæo « *de Cogles* Silviniacum cum molendino, et « Crotiniacum in curte Novestoci. » Memoratur Gualterius, annos inter 1014 et 1022, ut diximus disserentes de Geraldo, Salmuriensium abbate, subscribens litteris Alani comitis de ecclesia Livriacensi S. Florentio rursus tradita; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 381. Idem, post annum 1032, in litteris Alani ducis S. Georgio parochiam *Plubihan* condonantis. Tunc autem, ut videtur, Gualterius episcopale jam diu munus abdicaverat, retento solum episcopi nomine. Eisdem enim Alani pro S. Florentio et S. Georgio litteris Garinus sequens, et ipse dictus episcopus, subscripsit.

XV. Garinus.

Gualterii filius Garinus a patre suo creatus est episcopus, Tetbaldo nondum mortuo, si chronico S. Petri fides adhibenda. Memoratur Garinus anno 990, jam tunc Redonensis episcopus, in Conani litteris villam *Amois* monasterio S. Michaelis condonantis. Ea autem Conani chartula plures falsitatis notas habet. Adverte præsertim quod in ea decem testes legantur quos exhibet eosdem aliud ejusdem Conani de prædicta villa diploma, anno datum 1032. Testis tamen fuit Garinus, anno 1008, S. Mevennio datorum ab Alano et Eudone. Subscripsit pluribus aliis ejusdem Alani chartulis, inter quas memoremus, sub annum 1026, diploma quo *Guedel* insula dominio S. Salvatoris firmius adscripta est. Interfuit, eodem anno, fundationi S. Gildasii de Nemore. Anno 1032, reperitur in Odonis præcepto pro Majore Monasterio, in Alani litteris pro monachis S. Michaelis, et, circa eumdem annum, in ejusdem Alani diplomate pro S. Georgii parthenone : anno tandem 1037, ipse monachis S. Cyricum incolentibus jubet ut sub tutelam S. Juliani Turonensis transeant. Ch. II, col. 163.

XVI. Triscannus.

Triscannus, filius Tetbaldi, Gualterii germanus, Guarini patruus, Garino successit, S. Melanii regimen deserens; e sæpe jam laudato Chronico. Hoc etiam de Triscanno aliud comperimus, quod Tresgonellus cognomento dictus fuit : quas autem edidit aut sigillavit chartas ætas invidit, nisi tamen idem sit ac ille *Drescandus* cujus nomen infra quamdam Conani chartam pro S. Michaele legitur,

A anno 990. Ea vero, ut supra diximus, chartula nullam fidem habet.

ANNI CHRISTI

XVII. Mainus.

Mainus legitur, anno 1027, in chartula de S. Guthuali ecclesia monachis Rotonensibus adscripta. Ea autem falsas notas certe præbet. Adfuit Redonibus, anno 1040, quando Conanus insignia ducis suscepit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 395. Plures, anno 1050, S. Mi- B chaeli condonans ecclesias memoratur; ibid., col. 398. Eodem anno, sedit in concilio Romano, ubi causa Berengarii fuit disputata. Anno, ut videtur, sequente, Majoretanis ab Hervæo, filio Bochardi, data confirmavit e Maj. Monast. chartul. Anno 1068, a Berta comitissa jura quædam accepit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 427. Nec de Maino plura, nisi quod, e S. Melanii Chronico, decessit anno 1076.

1040 1050 1068

XVIII. Silvester.

C Pouancei dominus Silvester et Britanniæ cancellarius, uxorem primo duxit. Qua, ut aiunt, mortua, episcopus Redonensis salutatus est, anno 1076. Pictaviensi concilio, quod domnus *Brial* anno 1078 ineunte coactum opinatur, interfuit, et Radulfi, Turonensis archiepiscopi, partes enixissime tutatus est. De eo sic Hugo Diensis, scribens ad Gregorium papam : « Ecce pestis et dedecus sanctæ « Ecclesiæ archiepiscopus Turonensis et cum « eo episcopus Redonensis, superbissime per- « versi, totum pene occupaverunt concilium. « Redonensis namque comprobatus est reus, « quia non prius ordinatus in clericum or- D « dinatus est in episcopum, promissa prius « ac postmodum data pallii cappa ab epi- « scopo Andegavensi... Nos igitur, multorum « precibus inclinati, nondum depositum, sed « interim suspensum, quia suæ utilis erat « ecclesiæ, vestræ misericordiæ præsentan- « dum et judicandum reliquimus. » Suspensus per annum plusquam unum Silvester fuit. Scribebat enim anno 1079 Gebuinus, Lugdunensis episcopus, ad Radulfum Turonensem : « Precamur vestram sanctitatem, « quatenus confratri nostro Redonensi epi- « scopo solatium exhibeatis. Clerici enim ejus E « peristum nobis mandaverunt ut ei licentiam « confirmandi concederem. Sed quia legatus « sedis apostolicæ eum ligaverat, sine audien- « tia absolvere non potuimus. » Consule Rer. Gallic. Script., t. XIV, p. 668. Occurrit postea Silvester, anno 1084, in charta Hervæi et Ewrardi nonnulla S. Salvatori tribuentium, et, anno 1286, in charta Gironis S. Florentio jura quæ Plenæ Filgeriæ possidebat condonantis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 463. Idem anno 1087, S. Sergio parochialem ecclesiam vici quem *Brielles* dicebant concessit; e char-

DE LA GUERCHE. 1076 1078

tul. S. Sergii. Quo et anno judex sedit inter capellanos Alani ducis et Rotonenses monachos. Ejusdem Alani chartæ subscripsit, anno 1089, quamdam silvæ partem S. Florentio largientis; apud *Housseau*, t. III. Eum decessisse memorant anno 1096.

XIX. Marbodus.

Filius, ut opinantur, Roberti Pelliciarii, Marbodus, patria Andegavensis, scholastici munus in ecclesia Andegavensi primum erat sortitus. In quo munere summam laudem comparavit. Archidiaconus dein fuit in eadem ecclesia. Anno sedenim 1096, etiam tunc archidiaconus, sedit in foro Geoffridi de Meduana, judex electus litis cujusdam inter S. Nicolai monachos et Aimericum de Trevis. Eo anno Redonensis præsul consecratus est Turonibus ab Urbano papa, et ejusdem Urbani litteris subscripsit de jure Martiniensium in Cormaricenses. Eodem, jam tum episcopales gerens infulas, Salmuriense castrum adiit, pugnæ spectator futurus inter S. Nicolai monachos in prædictum Aimericum indictæ. Eodem denique memoratur Majoretanis ecclesiam Filgeriarum restituens, Prob. Hist. Brit., t. I, col. 489, et monachis S. Sergii confirmans prædium a Geoffrido milite venditum. Adfuit Santonensi concilio,
1098 anno·circiter 1097. Anno sequente, VI id. Novembris, postquam Andegavum se receperat, ibi monachos S. Albini et S. Nicolai de silva Catiis litigantes audivit. Eadem in
1099 urbe, pridie idus Martii 1099, secundum hodiernum usum, judex sedit in causa de Prunariarum possessione : in eadem, mense Sep-
1100 tembri 1100, concordiæ testis fuit inter canonicos S. Petri et S. Nicolai monachos initæ, subscripsitque chartæ Geoffridi episcopi super addendis capitulo præbendis. Tumultuante dein post Geoffridi decessum Andium ecclesia, Rainaldi partes, quem Hildebertus Cenomanensis et Geoffridus Vindocinensis abbas aversabantur, Marbodus strenue suscepit, dumque pro cliente suo ante suffragiorum eistam contenderet, captus est et in carcerem detrusus. Hæc ipse memorat Geoffridus abbas, in quem rei suspicio ceciderat; Sirmondi Op. Var., t. III, col. 748. Postquam autem vicit causa Rainaldi, Marbodus ejus litteris subscripsit, anno 1102, de altari Dalmariaceno Majoretanis tradito. Adfuit, anno
1104 1104, Trecensi concilio; eodem anno, Andegavensi synodo, quæ rursus monachos S. Albini et S. Nicolai sibi Catias certatim vindicantes conciliavit. Ipse litigans cum ascetis S. Juliani Turonensis de S. Cyrici ecclesia,
1105 eorum jus agnovit anno 1105; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 508. Eodem anno, Nannetibus occurrit, subscribens Benedicti præsulis instrumento de canonicorum institutione in ec-
1108 clesia S. Medardi. Reperitur, 15 Maii 1108,

A S. Sergii possessiones in ecclesia Redonensi confirmans; ibid., col. 516. Anno 1109, interfuit Lausdunensi concilio, in quo Girardi 1109
legati litteras pro Majore Monasterio laudavit; apud Rer. Gall. Script., t. XIV, p. 147. Eodem anno, Andegavensis ecclesiæ res memoratur aliquantisper administrans, dum scilicet Rainaldus Romam iter faceret. Litteras Pascalis papæ Marbodus, 15 Februarii 1112, 1112
excepit, quibus Pagani Alerici causam investigare jussus erat; ibid., t. XV, p. 48. Anno 1113, Andegavi, in capitulo S. Mauricii, testis fuit sopitæ controversiæ inter monachos B S. Jovini et S. Albini super ecclesia S. Jovini Lusdensis. Anno 1116, inter Salomonis 1116
occisoris judices sedit : quo etiam anno, ecclesiam Vitreiensem canonicis inhoneste semet habentibus ademit, et monachis S. Melanii dedit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 531.
Anno 1118 reperitur Marbodus in synodo 1118
Engolismensi, a qua Lucium locum moniales Fontebraldenses obtinuere. Quo et anno Rotoni subscripsit Conani litteris de Bella Insula Kemperlegiensibus monachis iterum ad-
scripta. Anno tandem 1120, Cenomani memo- 1120
C ratur, in episcoporum Cenomanensium Gestis, Hildeberto ministrans matrem ecclesiam consecranti. Ingravescente Marbodus senecta curam ecclesiæ Redonensis abdicavit, et, monachum induens, semet in claustrum S. Albini Andegavensis recepit, ubi decessit III id. Septembris 1123; ex obituariis S. Mauricii Andegavensis et S. Albini. In litteris monachorum ejus de morte sequentia leguntur : « Denuntiamus vobis obitum domni Marbo« di, venerabilis episcopi, semper cum laude « memorandi, lingua facundi, religione præ« cipui, honestate præclari, litterarum erudi« tione doctissimi, cujus sermo sale semper D « conditus erat, et ex ore illius omni melle « dulcior semper affluebat oratio; et quamvis « eodem tempore variis studiis tota Gallia re« sonaret, ipse tamen oratorum rex Gallica« næ arcem eloquentiæ specialiter obtinebat. » Ejusdem insuper laudes his cecinit versibus Ulgerius, Andegavensis episcopus :

Si quis quantus erat Marbodus discere quærat,
Postulat hoc quod ego dicere posse nego.
In toto mundo non invenietur eundo
Ullus compar ei nominis atque rei.
Omnes facundos sibi vidimus esse secundos;
Nullus in ingenio par, nec in eloquio.
E Cessit ei Cicero, cessit Maro junctus Homero;
Ut dicam breviter, vicit eos pariter.
Per cunctas metas per quas sua se tulit ætas,
Nulla sibi placuit res, nisi quæ decuit;
Curans ut fieret virtutem quod redoleret,
Transtulit huc studium, transtulit ingenium.
Illi sic noto dedit, ejus sed sine voto,
Christi judicium pontificum solium.
Hic præsul factus, nolens licet atque coactus,
Effecit melius quæ bene cuncta prius
Æqua mensura mensurans singula jura.

ANNI CHRISTI

Lenis erat placidis, et rigidus tumidis.
Jugiter orabat, jejunabat, vigilabat,
Quodque sibi minuit pauperibus tribuit.
Hic tamen laudari dignus, tam dignus amari,
Sorte cadens hominum transiit ad Dominum.
Omnes personæ quæ sunt in relligione
Ingemuere nimis planctibus et lacrymis.
Nobilitas flevit, nec plebs a flendo quievit;
Tam gemit et plorat quam bona commemorat...

Opera Marbodi primus prælo dedit Yvo *Mayeuc*, anno 1524. Eadem accuratius collegit domnus *Beaugendre*, et Operibus Hildeberti adnexuit.

XX. Roaldus.

Antecessor Hamelini Roaldus in Saviniacensi chartula nuncupatur; supra, t. XI, Instr., col. 114. Roaldi præterea meminit, XI cal. Decembris, obituarium S. Sergii.

XXI. Hamelinus.

Electus est Hamelinus præsul Redonensis
1127 ex abbate S. Albini, 15 Maii 1127, si chronographo S. Albini tuta fides. Eodem anno,
x cal. Novembris, ministravit metropolitæ Hildeberto ecclesiam Rotonensem solenniter
1128 S. Salvatori reconcilianti. Anno sequente,
reperitur Andegavi præsens translationi corporis S. Albini. Eodem, adiit capitulum S. Maclovii Dinannensis, audiitque monachos Majoris Monasterii et S. Jacuti de S. Petro *Corsolt* transigentes. Dein, VII calend. Junii
1129 1129, annuit Donoaldo, Aletensium episcopo, eamdem S. Petri ecclesiam Majoretanis tradenti; e chartul. Maj. Monast. Dedit, anno
1130 1130, Roberto, abbati B. Mariæ de Rota, Villæportensem ecclesiam et alia canonicorum bona confirmavit; e Rotensi chartul. Interfuit, anno 1131, Remensi concilio, et in eo subscripsit litteris Donoaldi, Aletensis episcopi, pro Majore Monasterio, quas sub annum 1132 Martenius edidit; Thes. Anecd. t. IV, col. 139. Eodem anno, monachis S. Melanii Vitreiensem ecclesiam rursus concessit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 566. Majoretanis
1133 similiter, anno 1133, Jenziacum; e chartul. Maj. Monast. Nannetibus, IV non. Novembris
1135 1135, testis fuit Conani ducis, ecclesiæ Nannetensi, Innocentii papæ mandato, ablatas restituentis ecclesias. Litem diremit, anno
Ch. IV, col. 165. 1136, inter Majoretanos S. Crucis monachos et Vitreiensis ecclesiæ curionem; e Maj. Monast. chartulario. Cenomani præsens memo-
1137 ratur, XVI cal. Novembris 1137, translationi corporis S. Juliani: quo, ut videtur, anno Andegavi interfuit Rotensis ecclesiæ consecrationi. Romæ degens, anno 1138, in Templariorum domo, litteras inde misit ad Matthæum, abbatem S. Florentii, quibus ei sex ecclesiarum patronatum concessit. Eodem tamen anno, Redonibus, ex episcopali ca-
A mera mandatum edidit de capellania S. Petri Vitreiensis monachis S. Melanii firmius adscripta; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 392. Obiit 2 Februarii 1141, tam e chronico S. Albini, quam ex obituariis ejusdem monasterii et S. Sergii.

XXII. Alanus I.

Electus dicitur Alanus anno 1141, in char- 1141
tula de domo Templariis addicta in urbe Nannetensi; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 583. Eodem anno, Conanum ducem audivit re-
B censentem ea quæ capellis S. Magdalenæ et S. Lazari contulerat; ibid., col. 584. Post annum 1142 et ante annum 1145, Cenomani subscripsit initæ concordiæ inter Culturenses
et Drogonem Malam Muscam. Anno 1144, 1144
inter quosdam cives et moniales S. Georgii litem sopivit de decimis Morzelliæ. Anno 1145, Erceii ecclesiam monialibus S. Sulpicii integram tradidit. Testis Conani legitur, 6
Septembris 1146, Kemperlegiensium bona 1146
recensentis. Quo et anno, monachis S. Melanii ecclesiam B. Mariæ Vitreiensis confirmavit. Alano suadente, Savigneio Conanus
C jura nonnulla concessit, anno 1148; e Max. 1148
Gall. Arch., L, 1146[1]. Eo autem anno obiit Conanus, et in duas partes Britannia tota discessit. Hoello favit Alanus: cum vero Redonensis civitas Eudonem præponeret, ultroneus coactusve Alanus exsulavit, et Nannetes primo se recepit, dein ad Sugerium abbatem iturus. Quod ex ipsius Alani litteris comperimus; Rer. Gallic. Script., t. XV,
p. 525. Andegavi interfuit, 25 Martii 1152, 1152
secundum recentiorem computum, revelationi corporis S. Renati. Eodem anno, Andegavi tunc temporis degens, S. Melanii pos-
D sessiones recensuit; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 67. Certe redux ad suos, XIII cal. Octobris
1153, prædia plura monachis Savigneii con- 1153
firmavit; e Max. Gall. Arch., L, 1146[2]. Oc-
currit postea, pridie cal. Januarii 1154, pa- 1154
cem sanciens inter Rotæ canonicos et monachos S. Melanii; e chartul. B. Mariæ de Rota. Memoratur, VII cal. Junii 1155, in chartario Saviniacensi, testamentum edens de rebus quas Savigneio dederat Godaldus *de Sesson*.
Anno tandem 1156, pacem fecit inter Guil- 1156
lelmum, S. Melanii abbatem, et Mariam, S. Sulpicii abbatissam; ex Alb. Mant. cod. 41,
E p. 68. Quo et anno descripsit S. Sulpicii quascumque possessiones in Redonensi diœcesi. Decessit eodem anno, 1 Maii, secundum Robertum de Monte.

XXIII. Stephanus I.

Ex abbate S. Florentii dictus est Stephanus Redonensis episcopus, anno 1156, secundum Salmuriensem chronographum. Oc-
currit, VII cal. Septembris 1157, Saviniacen- 1157

ANNI CHRISTI
sium bona monachorum in Redonensi diœcesi
confirmans; e Savigneii chartario, in Max.
Gall. Arch., L, 1146[2]. Idem, anno 1158, con-
troversiam diremit inter monachos Vitreien-
ses et Robertum de Vitreio; Prob. Hist. Brit.,
t. I, col. 632. Quo anno Romam iter fecit, ut
memorant Gesta Cenomanensium episcopo-
rum; Analec. t. III, p. 370. Interfuit Salmu-
1159 rii, vi non. Maii 1159, translationi corporis
S. Florentii; eodem anno, 7 Junii, Cenoma-
num devenit et testis fuit Henrici, regis
Anglorum, fratribus Grandimontanis silves-
trem locum *Monais* largientis; e chartulario
Monestensis prioratus, in archivo Andegav.
Anno 1161, II cal. Maii, in capitulo S. Mau-
1161 ricii Andegavensis reperitur, adsistens Mat-
thæo episcopo, cum is litem inter monachos
S. Sergii et Hugonem præcentorem dirime-
ret; e Sergianis chartulis, in cod. Regio 5446.
Memoratur iterum annis 1162, 1163, in ta-
1164 bulario Saviniacensi. Confirmat, anno 1164,
decimas monialibus S. Sulpicii datas a Go-
rantono de Vitreio; Prob. Hist. Brit., t. I,
col. 653. Eodem anno, Ebroniensium mona-
chorum possessiones in agro Redonensi pa-
lam recenset; inter chartulas Ebronienses a
D. *Gérault* editas, n. 9. Eodem, II cal. Oc-
tobris, ecclesiam *Amois* monachis S. Michae-
lis confirmat. Anno 1165, Turones se recipit,
et, in abbatiali S. Juliani camera hospitans,
compositam probat litem inter moniales S.
Sulpicii et Robertum Buxeriæ rectorem; ex
Albor. Mantel. cod. 41, p. 211. Eodem anno,
Majoretanis S. Salvatorem de Landis confir-
1166 mavit. Memoratur tandem anno 1166, Pon-
tilevienses monachos et Martinum, sacerdo-
tem, concilians; supra, t. VIII, col. 1382:
quo decessit anno, 4 Septembris, e necro-
logio S. Florentii, et sepultus est in S. Mela-
nii basilica.

XXIV. Rotbertus I.

E Relleii canonico Rotbertus Stephano
1167 sufficitur, et mox obit 9 Decembris 1167.

XXV. Stephanus II.

DE FOUCÈRES. Capellanus Henrici II Stephanus Redo-
nensem cathedram anno 1168 conscendens
1169 refertur. Mox autem, 28 Februarii 1169, se-
cundum recentiorem calculum, inter capitu-
lum Redonense et S. Melanii monachos litem
dirimit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 659. Eo-
dem anno, mense Maio, Geoffridum, Hen-
rici regis filium, Redones ingredientem so-
lemniter excipit; ut refert Robertus de Monte,
his qui solemnibus interfuit. Idem, anno
1170, S. Melanii jura bonaque recenset;
1172 anno 1172, pactum probat initum inter Guil-
lelmum, abbatem S. Albini, et Robertum,
1174 cellulæ S. Martini vicarium; anno 1174, Teal-
deriam monachis Savigneii datam, et diver-
sas monachorum S. Michaelis in Redonensi
diœcesi possessiones confirmat. Adest Buri,
mense Aprili 1175, cum rex Anglorum Hen-
ricus filium suum excipit rebellionis veniam
a patre petentem; Rer. Gall. Script., t. XVI,
p. 652. Dein obit, 23 Decembris 1178; ex 1178
Appendice Sigeberti. Ejus fortasse 30 De-
cembris meminit obituarium S. Albini An-
degavensis. Litteris excultus erat Stephanus
et plura scripsit, inter quæ vitas S. Firmati,
Martiniensis canonici, S. Vitalis abbatis, et
Hamonis, monachi Saviniacensis. Versibus
idem Robertum, S. Michaelis abbatem, cele-
bravit.

XXVI. Philippus.

Ex abbate Clari Montis Philippus præsul
fit Redonensis, anno 1179. Anno 1181, Er- 1181
ceium monialibus S. Sulpicii confirmat. Eo-
dem anno, secundum veterem calculum,
feria scilicet in octavis Epiphaniæ quarta,
plurima Savigneio data sancit; in Max. Gall.
Arch., L, 1146[3]. Laudatur Philippus ut qui
restaurandæ S. Petri basilicæ operam dedit.
Cancellarius idem fuit Geoffridi ducis. Ejus
VII id. Aprilis necrologium Ronceræii men-
tionem facit.

Jacobum quemdam, cujus chartula S. Me-
lanii super ecclesia *Molins* sub annum in-
certum meminit, post Philippum Sammar-
thani et domnus Moricius posuere. Peregrinus
autem, Fontanarum Albarum abbas, qui
coætaneus Philippi fuit, in eo Sammarthanos
Moriciumque apertis verbis redarguit. Hæc
Peregrinus: « Parvo tempore transacto, Phi-
« lippus episcopus obdormivit in Domino.
« Quo defuncto clerici Redonenses domnum
« Herbertum quæsierunt et habuerunt in
« episcopum; qui, sicut vidimus et audivi-
« mus, pluribus annis vixit in episcopatu, in-
« sistens bonis operibus; » D. Andr. *Salmon*,
Collect. Chron. Turon., p. 270. Si quis igi-
tur Jacobus Redonensi ecclesiæ quondam
præfuit, aliud ei tempus assignetur.

XXVII. Herbertus.

Abbatiam Clari Montis in ecclesia Ceno-
manensi regebat Herbertus, cum Redonensis
episcopus salutatus est. Occurrit, anno 1184, 1184
litem dirimens exortam inter priorem S. Cy-
rici et Geoffridum de Guirchia; Prob. Hist.
Brit., t. I, col. 699. In claustro Majoris Mo-
nasterii sedens, anno 1187, testis fuit con- 1187
cordiæ quam monachi cum Macloviensi præ-
sule pepigerunt. Anno 1190, Domfrontium 1190
pergens, Richardi comes, Anglorum regis,
ejus litteris subscripsit de moletrinis Orato-
rio traditis. Pactus est, anno 1191, cum Mai-
nerio, S. Florentii abbate, de pransorio jure
quod Iseii sibi vindicabat. Andream, Vitreii
dominum, ob quasdam injurias monachis

ANNI CHRISTI S. Crucis illatas excommunicaverat; quem absolvit, anno 1196, cum monachis transigentem. Eodem anno, Savigneii possessiones in agro Redonensi ratas habet. Herbertum haud aliter, anno 1197, Majoris Monasterii chartularium exhibet bona monachorum in sua diœcesi confirmantem. Occurrit tandem
1198 anno 1198, missus a domino papa Burgulium, ut plurima quæ fervebant inter Hilarium abbatem et monachos dissidia componeret; ex Epist. Innoc. III, lib. 1, ep. 312. Quo decessit anno, III id. Decembris, et sepultus est in cathedralis ecclesiæ choro.

XXVIII. Petrus I.

DE DINAN. Petrus, filius Rolandi, domini *de Montafilant,* archidiaconus Eboracensis apud Anglos, occurrit jam in Redonensem cathedram elatus feria sexta ante Assumptionem B. Ma-
1199 riæ 1199, apud Rogerium Hovediensem; Rer. Gallic. Script., t. XVII, p. 598. Idem fuit Arturi regis cancellarius. Quod munus implens, Augusto mense 1200, sopitam promulgavit controversiam inter W. de Albigneio et priorem S. Salvatoris de Landis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 784. Februario
1201 mense 1201, secundum recentem usum, contentionem de oblationibus Morzelliæ idem solvit inter quosdam laicos et S. Georgii mo-
1206 niales. Capitulo Redonensi, anno 1206, decimas S. Germani dedit, et, eodem anno, capellaniam instituit in ecclesia S. Petri. Anno
1208 tandem 1208, inter abbatem S. Melanii et Guillelmum senescallum super quadam villa pacem fecit. Obiit 24 Januarii, anno, ut videtur, 1210.

XXIX. Petrus II.

DE FOUGÈRES. Stephani Filgeriensis nepos, Petrus consecratus a quibusdam dicitur mense Martio
1210 1210. Occurrit, calendis Julii 1210, canonicos confirmans in ecclesia B. Mariæ Magdalenæ Vitreiensis. Sæpius reperitur in excerptis e tabulario S. Sulpicii, annis 1213, 1216, 1217, 1219, 1220, augendam rem monialium, ut videtur, studiose curans et calumniam quamlibet depellendam. Recensuit Petrus, anno
1214 1213, possessiones S. Melanii; anno 1214, pactus est de visitatione prioratuum Majoretanorum in Redonensi diœcesi; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 823. Eodem anno, pacem fecit inter Hamelinum *Pinel* et priorem S. Salvatoris de Landis; e chartul. Maj. Monasterii: qua in charta dicitur Arturi ducis cancellarius. Non semel etiam, annis 1212, 1219, eumdem Savigneii diplomata præbent. Repe-
1222 ritur tandem, anno 1222, pacem sanciens initam inter monachos S. Melanii et Eliam, rectorem Castellariarum. Quo decessit anno, VI id. Julii; e necrologio cathedralis ecclesiæ.

A

XXX. Joscelinus.

Joscelinus occurrit, mense Maio 1223, in tabulis S. Michaelis, et, eodem anno, in tabulis S. Georgii: idem, anno 1224, in chartulis ad S. Sulpicium spectantibus. Adest, VIII cal. Decembris 1225, dedicationi Villæ Novæ. Anno 1231, non semel legitur prædia S. Georgio data confirmans. Die Jovis post festum S. Nicolai 1232, pacem fecit inter abbatem Savigneii et quarumdam ecclesiarum rectores, de decimis in villa *Fayel* percipiendis; e Savigneii chartario: quo et anno, litem diremit inter Guillelmum Pelliparium et priorem Gahardi; e chartulario Majoris Monast. Anno 1234, die Veneris ante festum Omnium Sanctorum, anniversarium suum in ecclesiis S. Melanii et S. Georgii condidit. Obiit 31 Octobris; ex obituario S. Jacobi: anno, ut videtur, 1235; et in capitulo S. Jacobi sepultus est. ANNI CHRISTI DE MONTAUBAN. 1225

B

XXXI. Alanus II.

Sammarthanis ignotus pertransiit Alanus, necnon D. *Tresvaux*. Occurrit tamen, anno 1237, querelam sopiens quæ super reditibus S. Ægidii mota fuerat; ex Albor. Mantell. cod. 41, p. 101. Idem, eodem anno, 4 Novembris, vidit laudavitque litteras Geoffridi, Cenomanensis episcopi, de privilegiis S. Juliani capitulo concessis; apud Th. Calvinum, Geogr. Ant. Cenom., instr., p. 85. Defunctus jam erat Alanus IX cal. Junii 1239, nam sub hanc diem Gregorius IX reperitur mandans archidiacono Redonensi, sede vacante, ut quoddam matrimonium fieri permitteret; inter apographa quæ Roma detulit D. *la Porte du Theil*. 1237

C

D

XXXII. Joannes I.

Joannes, anno 1239, electus confirmatusque reperitur; ex Albor. Mantell. cod. 41, p. 26. Ejusdem, eodem anno, chartularium Majoris Monast. meminit, t. III, p. 307. Mense Februario 1240, vel potius 1241, per Joannem Alano de Acigneio capellam construere licuit. Dein idem, anno 1243, ad monasterium S. Melanii accedens, monachos absolvit juramento quod fecerant de prioratibus suis sæcularibus clericis non tradendis. Eodem anno, cum eisdem de quadam procuratione pactus est, et sigillo suo munivit traditum jus canonicis Panis Pontis a Geoffrido de Poenceio. Ad Joannem exstant Innocentii papæ litteræ, datæ IX cal. Aprilis 1245, quibus jubetur ut capitularium præbendarum fructus, per unum annum a cujusque canonici morte, in restaurationem ecclesiæ cathedralis incendio nuper eversæ erogentur. Joannes, anno 1247, S. Melanio quidquid Fonteneii possidebat confirmavit. Quo et anno 1239 1243 Ch. VII, col. 167. 1247

E

ANNI CHRISTI

sigillo suo communivit Orfresiæ res a Petro *de Breuz* legatas, et canonicos Montis Fortis patronos ecclesiæ Burgensis iterum denuntiavit. Mense Decembri 1249, Turonibus degens, cellam nomine *Loial*, in qua tantum unus ab antiquo monachus degebat, Majoretanis tradidit; e chartul. Maj. Monast. Memoratur, anno sequente, Hierosolymitanas tendens ad oras; cujus in præliis contra Sarracenos excellentissima virtus fuit. Ad suos redux probavit, mense Januario 1253, vel, secundum hodiernum computum, 1254, Guillelmum *Soubric*, militem, cui mens erat monasteriolum ædificandi in villa sua dicta *la Dauphinaye;* ex Alb. Mant. cod. 41, fol.
1256 19. Anno 1256, inter S. Sulpicii conventum et Jacobum, Domegneii rectorem, initam concordiam sancivit. Anniversarium suum dein condens, die Sabbati post Epiphaniam 1257, lege, secundum recentem calculum,
1258 1258, capitulo villam suam, dictam Berengariam, tradidit. Decessit XVIII cal. Februarii; e necrologio Redon. ecclesiæ.

XXXIII. ÆGIDIUS I.

Octobri mense 1258, ratum habuit Ægidius antecessoris sui testamentum, et ipse obiit, ut aiunt, VI cal. Octobris 1259. Ejus enim sub hanc diem necrologium Redonense meminisse videtur.

XXXIV. MAURICIUS.

DE TREZEGUIDI. Sancivit Mauricius, anno 1260, compositionem de Livreiensi prioratu, inter Ægidium antecedentem et monachos Salmurienses initam. Quo etiam anno, die Mercurii post festum S. Laurentii, litteras Guidonis de Thoarceio, erga Nannetensem ecclesiam benefici, laudavit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 809. Re-
1263 peritur, anno 1263, litem componens inter Majoretanos monachos et curionem Herceii; e chartul. Maj. Monast. Eodem anno, conciliavit monachos Relleii et S. Melanii super quibusdam decimis litigantes. Die Sabbati
1265 post Ascensionem Domini 1265, inter moniales S. Sulpicii et Joannem *de Bouteville* pacem fecit. Quo etiam anno curator dicitur testamenti, quod Guido de Valle crucem suscipiens condiderat. Occurrit, mense Mar-
1279 tio 1279, in capitulo Nannetensi, testis absolutionis Rivalono de Templo concessæ. Decessit XIV cal. Octobris; e Redonensis ecclesiæ necrologio: anno, ut videtur, 1282.

XXXV. GUILLELMUS I.

DE LA ROCHE-TANGUY. Theologiæ doctor Guillelmus Redonensis eligitur episcopus circa finem anni 1282.
1283 Anno sequente, fœdus inter Joannem Rufum et Henricum *d'Avaugour* sancivit. Joannis præfati testamentum curans exsequendum,

A quinto decimo post Pascham die 1290, secundum priorem S. Martini de Lambalia sententiam edit; ex instr. Brioc. ecclesiæ, quæ D. *Guimart* publici juris fecit, p. 194. Legitur idem Guillelmus Alani de Lambalia, S. Germani Autissiodorensis apud Parisios decani, consanguineus; supra, t. VII, col.
260. Anno 1294, cellariæ S. Sergii Monasteriolum unit, apud *Housseau,* t. VII, necnon ecclesiam *Noyal* camerariæ S. Melanii; ex Albor. Mant. cod. 41, p. 96. Guillelmi necrologium Redonensis ecclesiæ meminit XII cal. Octobris; anno, ut videtur, 1297. 1294

B

XXXVI. JOANNES II.

E Franciscano grege Joannes episcopus Redonensis fit anno 1297. Eumdem, sed perperam, ut videtur, e S. Melanii monasterio deductum quidam asseruere. Occurrit, anno 1298, S. Melanio ecclesiam *Noyal* rursus adscribens. Nec diu Redonensis ecclesiæ gubernaculum tenuit, nam cum, III non. Februarii 1299, Bonifacius papa VIII in Lexoviensem cathedram transtulit. Vide supra, t. XI, col. 785. DE SAMOIS. 1299

C

XXXVII. ÆGIDIUS II.

Ægidius occurrit, die lunæ ante festum Cathedræ S. Petri 1299, diœcesim visitans et Briellas deveniens: qua die reditus plurium domorum ad Sergianos pertinentium univit; e chartul. S. Sergii. Nonnulli quidem Ægidium post Yvonem sequentem collocant: eos vero prælaudatum chartularium refellit.

XXXVIII. YVO I.

D

Ultra diœcesis suæ fines iter faciens Yvo vicarios generales anno 1304 instituerat; ut 1304
constat e confirmatione cujusdam capellaniæ in ecclesia S. Petri Redonensis. Obiit, ut conjicimus, anno 1307.

XXXIX. GUILLELMUS II.

Britonum duci Guillelmum anno 1310 Cle- 1310
mens papa V commendavit. Qui capellaniam S. Ludovici eo anno cuidam presbytero contulit; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 15. An per ejus obitum, vel cessionem, sedes mox vacaverit incertum relinquitur. E

XL. ALANUS III.

Alanus, Geoffridi filius, post Guillelmum Redonensis episcopus salutatus est. Idem erat a secretis Arturo duci. Memoratur, anno DE CHATEAUGIRON.
1311, jam unitam ecclesiam *Noyal* camerariæ S. Melanii sanciens; ex Alb. Mant. cod. 1311
41, p. 105. Inter curatores testamenti quod Arturus dux condiderat eumdem, anno 1313,

ANNI CHRISTI litteræ Clementis papæ nuncupant. Julio mense 1314, initam inter Redonense capitulum et abbatem Panis Pontis pacem firmat. Plura quoque de eo annis 1318, 1319, 1321 leguntur, sed parvi momenti. Obiit II id. Aprilis; e necrologio Redonensis ecclesiæ : anno, ut aiunt, 1327.

XLI. Alanus IV.

DE CHATEAUGIRON. Antecedentis nepos e fratre Alanus, patruo fatis sublato in vacuam sedem evectus est.
1328 Mox autem obiit, 21 aut 22 Novembris 1328; ex obituario S. Jacobi.

XLII. Guillelmus III.

OUVROUIN. Ex archidiacono Plugastelli, in ecclesia Trecorensi, Guillelmus Alano defuncto sufficitur litteris apostolicis, xv cal. Junii 1328. Eidem electo, nondum igitur confirmato, Joannes papa XXII tabellionatum conferendi jus concessit, eodem anno, cal. Augusti; apud Suaresium. Dein ei per Joannem papam
1334 licuit, cal. Januarii 1334, Joannem, vicecomitem Belli Montis, et Margaritam, Adhemari Pictaviensis filiam, *bannis* non editis, matrimonio jungere; ibid. Anniversarium
1341 Guillelmus suum condidit anno 1341, decessurus, ut aiunt, anno 1345.

XLIII. Yvo II.

DE ROSMADEC. Yvo Guillelmo successisse dicitur anno 1345. De eo tabulæ silent. Obiit 14 Octobris
1347 1347.

XLIV. Arnaldus I.

Memoratur Arnaldus obsequium cameræ
1348 apostolicæ jurans 27 Novembris 1348. Qui obiit, e Sammarthanis, anno 1354.

XLV. Petrus III.

DE LAVAL. Reperitur Petrus in Redonensibus tabulis ineunte mense Maio 1354; ex Albor. Mant. cod. 41, p. 24. Ad eumdem scripsit Innocen-
1356 tius papa VI, VI id. Sept. 1356, de reconciliandis Redonensis diœcesis altaribus; apud Suaresium. Obiit, secundum Sammarthanos, 11 Januarii 1357.

XLVI. Guillelmus IV.

POULART. Filius Petri, domini *de Kergoalen* et Constantiæ *de Kerraoul*, e canonico Briocensi Guillelmus cathedram per obitum Petri vacantem ab Innocentio papa VI obtinet, nonis
1357 Junii 1357; e Suaresio. Quoniam vero octavum et vicesimum ætatis annum tunc temporis impleret, ejus ne promotione canones violarentur dispensationem obtinuit, eodem anno, IV cal. Julii; ex eodem. Xenodochii

A S. Yvoni sacri fundationem probavit, die lunæ post Conceptionem B. Mariæ 1358; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 106. Dein translatus est in Macloviensem cathedram apostolicis litteris, anno 1359. Perperam igitur Sammarthani eum eo anno defunctum memorant. ANNI CHRISTI

XLVII. Petrus IV.

De gentilitio Petri nomine infra disserendum est, inter episcopos Maclovienses. E Macloviensi nempe cathedra in Redonensem Petrus transiit, permutatione cum Guillelmo BENOIT.
B *Poulart* inita, XIX cal. Februarii 1359. Quod nos docent Innocentii papæ VI litteræ; apud Suaresium. Episcopalem, eodem anno, civitatem ingressus, 3 Novembris, ecclesiam cathedralem in ea die consecravit. Obiit anno 1363 desinente. 1359

XLVIII. Radulfus.

Canonicus Radulfus Redonensis, dives agris et egregiæ doctrinæ laudem assecutus, Petro morienti sufficitur, et fidem dat apostolicæ cameræ 28 Januarii 1364. Interest, 12 Martii 1366, Andegavensi concilio, ubi gra- DE TREAL. 1364
C vis inter eum et Michaelem, Cenomanensem episcopum, contentio suborta, utroque secundam ab archiepiscopo sedem sibi vindicante. Guerandiæ fœdus Radulfus sancivit, Maan. Eccl. Tur. p. 151.
6 Aprilis 1381. Plures a Joanne duce passus est ærumnas. Hæc eum sibi jurgia conflavisse quidam memorant, dum sedis suæ jura præfracte defenderet. Non tamen etiam apud ipsos metropolitanæ rectores ecclesiæ criminis prorsus expers fuit. Nam, 21 Julii 1382, in eum quasi pervulgati stupri reum inquisitionem fieri jubebant vicarii generales Alelmi, Turonensis archiepiscopi. Hujus inquisitio- 1381 1382
D nis instrumentum præbet Regius codex 8357². Decessit Radulfus anno 1383. Obitus ejus celebrabatur die Veneris post sacros Cineres; e necrologio Redonensis ecclesiæ : ex indice vero chartarum Nannetensium, rationes duci post obitum Radulfi relatæ principium a die 27 Julii duxerunt. 1383

XLIX. Guillelmus V.

Ecclesiæ Redonensi nuper præfectus duci commendatur Guillelmus a Clemente papa, III cal. Maii 1384; e cod. Reg. 8357². De pro- DE BRIE.
E curatione paciscitur, 2 Junii 1385, cum abbate S. Melanii, et, 7 mensis ejusdem, testis occurrit in litteris quibus data Joanni *du Fou* a Joanne duce confirmantur; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 379. Obiit Guillelmus anno 1386. 1385

L. Antonius.

E decano Viennensis ecclesiæ factus Redonensis episcopus cameræ apostolicæ Anto- DELOVIER.

ANNI CHRISTI nius obsequium promittit 15 Octobris 1386. Occurrit 18 Aprilis 1387, in litteris Joannis ducis pro Joanna Navarrea. Dein, 19 Octobris 1389, in Magalonensem ecclesiam transfertur; supra, t. VI, col. 795.
1389

LI. Anselmus.

DE CHANTEMERLE. Anselmus, alias Ancelinus, nuper creatus dicitur episcopus in litteris Clementis papæ ad Britonum ducem, III id. Novembris 1389. Anno sequente, Redones se recepit. Turonibus reperitur, 26 Januarii 1392, testis initi fœderis inter Gallorum regem et Joannem, Britonum ducem. Parisiis, anno 1394, in conventu sedit, ad quem ecclesiæ tumultuantis gravius negotium schisma delatum, ut Sandionysianus monachus memorat, t. II, p. 220. Occurrit postea Jacobus, 18 Julii 1395, Redonibus testis adlectus a Radulfo, Montis Fortis domino, se ducis fidum clientem profitente. Dein, 25 Februarii 1396, testis fuit Joannis ducis, a quo capella S. Michaelis confirmata. Apud Britonum duces acceptissimus, eorum cancellarius exstitit, ut legitur, 7 Julii 1404, in instrumento Joannis V Francorum regi fidei sacramentum præbentis; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 735. Ab eodem Joanne dein missus est ad Burgundiæ ducem, Decembri mense 1408, ut apud eum legati munere fungeretur; ibid., col. 815. Sepultus in ecclesia cathedrali memoratur 1 Septembris 1427. Ejus epitaphium apud Sammarthanos quære.
1392
1394
1404
1427

LII. Guillelmus VI.

BRILLET. In Redonensem cathedram e Briocensi translatus Joanni duci Guillelmus commendatur a Martino papa V, VI cal. Octobris 1427. Ecclesiæ cathedralis postquam supellectilem auxerat, munere semet abdicavit, anno 1447, in gratiam Roberti, nepotis sui, et a domino papa tunc dictus est episcopus Cæsareæ, in partibus Infidelium. Obiit 1 Februarii 1448, lege 1449; ex obituario PP. Franciscanorum Redonibus degentium. Hujus autem vitam Argentræus et Sammarthani multo longius ducunt.
Ch. VIII, col. 168.
1447

LIII. Robertus II.

DE LA RIVIÈRE. Antecedentis e sorore nepos Robertus cantor erat S. Petri Redonensis. Abdicante Guillelmo, litteris donatus est pontificiis 7 Junii 1447. Anno sequente, sedit in Andegavensi concilio; quo et anno, 14 Octobris, in abbatia S. Melanii deversatus, Mathurini abbatis juramentum audivit. Missus est, anno 1449, ad regem Francorum, auxilium adversus Anglos, Filgeriis captis, petiturus. Eodem anno, 3 Novembris, litem sopit de jure præeundi
1449

A inter canonicos Redonenses et S. Melanii monachos. Decessit 18 Martii 1450.

LIV. Joannes III.

DE COETQUIS. Roberto mortuo, in Joannem, archidiaconum Deserti, interrogata suffragia convenere. Eum vero Nicolaus papa V in Macloviensem sedem protinus vocavit, et Jacobum *d'Espinay*, Macloviensem episcopum, ecclesiæ Redonensi præfecit. Acerrime Jacobum tunc repulit Petrus, Britonum dux, Ægidii veneno nuper sublati interfectoribus eum annumerans; B dumque Nicolaus papa rei causam suppliciter oraret, Joannes vacantem cathedram, favente duce, subiit. Occurrit Joannes, 3 Novembris 1450, in Montis Basonis castello, testis prædicti Petri semet regis fidum clientem profitentis. Ipse fidem duci dedit Joannes 15 Februarii 1452, ex Indice Nannetensium chartarum, in Trecorensem cathedram anno 1453 transferendus.
1450

LV. Jacobus.

D'ESPINAY. Macloviensis antea episcopus, sed, derelicta C sede Macloviensi, dum in Redonensem frustra contenderet, factus pastor sine grege, Jacobus sibi ducis animum dein reconciliavit, et, translato in cathedram Trecorensem Joanne, Redonensi potitus est anno 1453. 1453
Nicolai papæ litteræ, quibus jam diuturnis his dissidiis tandem finis datur, anno supra memorato, VI cal. Augusti, infra legendæ. Ch. IX, col. 168.
Adfuit Venetiæ Jacobus, 4 Aprilis 1456, elevationi corporis Vincentii Ferrarii. Non inter eum ducemque Britonum stabilis pax permansit. Postquam enim quosdam e Petri ministris excommunicationis flagello Jacobus D percusserat, ad dominum papam misit Petrus oratores, qui Jacobum de clandestinis consiliis, de manifesta proditione, imo de nece Ægidii ducis postularent. Inquisitionem fieri jussit Calixtus papa, XVII cal. Maii 1456; ut ex ejus litteris comperimus, inter Prob. Hist. Brit., t. II, col. 1690. His quidem e vadis non sine labore Jacobus emersit. Ea autem lite vixdum sopita, in nimiam elatus superbiam, Petrum rursus in se movit. Cujus igitur precibus obsequens Pius papa II episcopo Veronensi mandavit, VI cal. Augusti 1460, ut Ægidii nefanda mors inquisitionis novæ materia E fieret, et idem, VIII id. Julii 1461, ad Turonensem archipræsulem et episcopum Cenomanensem scripsit, omnes quas in Jacobum dux protulerat criminationes singulatim recensens, imperansque ut rursus jam sæpius exercita quæstio decerneretur. Læsus quidem, non vero fractus, e tanto discrimine Jacobus evasit. Postea tamen ei coadjutor datus est Michael *Guibé*, thesaurarii *Landais* e sorore nepos. Aliam denique occasionem nacti, dux præpotensque thesaurarius cameram aposto-
1456
Ch. X, col. 169.

ANNI CHRISTI licam iterum adierunt, rei abstrusiorem re-
quirentes pervestigationem, et postremi causæ
judices Jacobum ab officio pastorali submo-
1481 verunt, Octobri mense 1481. Quod non ferre
valens opprobrium decessit Jacobus, Janua-
rio mense 1482, et in vacantis episcopatus
bona dux manus injecit 26 Januarii.

LVI. Michael.

GUIBÉ. Jam antea Jacobi, ut diximus, coadjutor,
e Dolensi cathedra in Redonensem Michael
litteris apostolicis transfertur, IV cal. Aprilis
1482 1482, sicut legere est in cod. Regio 8357², et
fidem duci jurat 29 Julii : nec multo post,
nempe 8 Augusti, a prædicto duce in tem-
poralium bonorum possessionem invehitur.
1502 Decessit Michael ineunte anno 1502. Post
cujus interitum, 4 Martii, elegit capitulum
Guidonem *le Leonnays*, Redonensis ecclesiæ
canonicum, et Belli Loci abbatem. Audito
verum electionis peractæ nuntio, Anna re-
gina Guidoni semet infensam protinus præ-
buit. Quocirca rursus congregati canonici
decreverunt, 13 Martii, se non amplius Gui-
doni contra reginæ nutum adhæsuros, ut
eorum litteræ testantur, in codice Regio su-
pra laudato; ideoque Robertum sequentem
Redonensibus infulis regina donavit.

LVII. Robertus III.

GUIBÉ. Robertus e Trecorensi præsule Redonensis
præsul creatus, fidem regi dat 21 Maii 1502.
Dein Romam pergit, ut litteræ memorant qui-
bus ejus vicarii generales Maceriarum eccle-
siam conferunt, 13 Julii 1502; e chart. Maj.
Monast. Idem Macloviensis canonicus excipi-
tur, 28 Junii 1503. Romæ degens ad Annam
reginam scripsit, 22 Novembris 1504, mox
futuram nuntians cardinalium adlectionem,
suadensque ut purpura pro Guillelmo *Gue-
guen* posceretur. Ea erat solertis viri indu-
stria, de se reginam, alterius prætento no-
mine, commonentis. Eum inter purpuratos
sedere jussit Julius papa II, 1 Januarii 1506,
1507 sub titulo S. Anastasiæ. Anno tandem 1507,
24 Januarii, litteris apostolicis in Nanneten-
sem cathedram translatus est.

LVIII. Yvo III.

MAYEUC. Yvo, patria Leonensis, habitum S. Domi-
nici in Montis Relaxi conventu induerat. Cum
vero magna existimatione floreret, suis eum
confessionibus audiendis Anna ducissa præ-
1507 fecit. Postea, 29 Januarii 1507, bullas acce-
pit pontificias, quibus cathedra Redonensi
donatus est. Infulis ornatus non tamen ves-
tem Dominicanam deposuit. Memoratur 23
Julii 1525, capellam Patientiæ Valle Guido-
nis consecrans (1). Excepit, 13 Augusti 1532,

Franciscum, Francisci regis filium, Redones ANNI CHRISTI
ingredientem; ex Alb. Mantell. cod. 41. Se-
nio tandem confectus obiit 20 Septembris
1541. Ei miracula plura tribuerunt, de qui- 1541
bus inquisitio facta est. Hujus inquisitionis
instrumenta servat Andr. Querretani codex,
inter Regios numero 9,612 II signatus. Et
quamvis sanctorum intercessorum gregi non
rite fuerit adscriptus, Yvonis memoriam Re-
donensis plebs diu peculiari cultu prose-
cuta est. Ille enim erga pauperes sui prodi-
gus, eis, dum viveret, quidquid habebat
proprium erogaverat.

LIX. Claudius.

Patria Lugdunensis Claudius, dominus *de* DODIEU.
Vely, regi a consiliis, coadjutor Redonensis
nominatur anno 1540, episcopus anno 1541.
Idem abbas jam erat S. Richarii, in ecclesia
Ambianensi. Variis legationibus functus, Ca-
tharinæ Mediceæ coronationi interfuit, anno
1549, ac comitiis Galliæ generalibus anno
1557. Obiit Parisiis anno 1558. Post eum, 1558
ut videtur, sedes aliquantisper orba pastore
permansit; vacante nempe cathedra, anno
1560, Redonense capitulum legatos ad Vene-
tensia comitia misit; ex Alb. Mant. cod. 47,
p. 572.

LX. Bernardinus.

Bernardinus, Biturix, regi a secretioribus BOCHETEL.
litteris, et non semel extra Galliæ fines a rege
missus, ut qui publicarum rerum experientia
callebat, episcopale munus, anno 1566, non- 1566
dum consecratus deposuit.

LXI. Bertrandus.

Gilberti filius et Margaritæ *Genest*, Ber- DE MARIL-LAC.
trandus, patria Arvernus, fratrum Minorum
militiæ primo nomen dederat. Abbas postea
Thierni in Claromontana diœcesi, fit Redo-
nensis episcopus 26 Octobris 1566, et Pari-
siis consecratur 27 Decembris. Abrincatinam
ecclesiam Bertrandus, apparitoris cujusdam
sanguine fœdatam, reconciliavit 29 Julii
1567; eodem anno, 25 Septembris, sedit in
Venetensibus comitiis. Redonensibus dein
præfuit, 25 Septembris 1571. In eamdem ur-
bem præter solitum, 30 Martii 1573, conve- 1573
nerunt Britannicæ gentis legati : inter quos
Bertrandus reperitur. Eodem anno decessit,
29 Maii. Laudatur vir spectatæ virtutis, et

(1) Hæc Guillelmus *Ledoyen*, sub annum 1525 :

Et le vingt troysiesme jour
De juillet, et sans grant sejour,
Monseigneur l'évesque de Rennes
Dédya en bonnes estraynes
La chapelle de Patience
Des dévotes, en ma présence;
Et le lendemain, sans tarder,
Cil evesque, sans riens frauder,
Inhuma et fist le service
A S. Tugal, moult bien propice,
De Madame Anne de Laval.

ANNI CHRISTI

benedicendi peritus; quo suadente, nonnulli ad catholicam fidem rediere.

LXII. Adhemarus.

HENNEQUIN. E canonico Parisiensi et ex abbate Sparnaci, Hieronymi frater, Suessionensis episcopi, Adhemarus, anno 1573 nondum exacto, Redonensis episcopus consecratur Parisiis, Carolo Lotharingo sacris operante. Sedit, 21 Martii 1575 et 25 Septembris 1576, in Redonensibus comitiis, ubi clero præfuit. In eisdem reperitur 26 Septembris 1587 et 20 Novembris 1595. In comitiis insuper Ble-
1576 sensibus memoratur, anno 1576, necnon in concilio Turonensi, anno 1583. Christophorum *de la Vallée*, episcopum Tullensem, ungit Parisiis, 19 Februarii 1589; supra, t. XIII, col. 1050. Nominatus est, ut aiunt, anno 1594, Remensis archipræsul. Ea autem si vulgata fuit nominatio, statim cecidit, ut antecessores nostri notavere; supra, t. IX,
1596 col. 157. Obiit 13 Januarii 1596, ætatis anno 53, sepultusque fuit in ecclesia S. Petri. Sacras profanasque litteras edoctus, D. Augustini Confessiones et S. Hieronymi Epistolas in vulgarem linguam transtulerat. Catechismum insuper eximium condiderat, et diœcesis Redonensis Breviarium correctius edi curaverat, anno 1589.

LXIII. Arnaldus II.

D'OSSAT. De Arnaldi initiis jam multus sermo inter Baiocenses episcopos, t. XI, col. 390. E Vareni apud Ruthenos decano, Redonensis ecclesiæ gubernaculum adire litteris regiis jubetur 25 Januarii 1596, et, Romæ tunc temporis degens, in cardinalium cœtu a Clemente papa Redonensis episcopus renuntiatur, in eadem urbe consecrandus, 27 Octobris, a cardinali Augustino Valerio Veneto, Veronæ episcopo. Per procuratorem fidem regi dat, anno 1598.
1599 Anno 1599 purpura donatur, et in Baiocensem diœcesim transfertur 26 Junii 1600. Redones autem nondum venerat.

LXIV. Seraphinus.

OLIVIER. Seraphinus, genere Lugdunensis, patre Gallo, matre Itala prognatus, Bononiæ jus didicerat et summa cum laude professus erat. Ideo apud summos Pontifices acceptissimus, a Clemente papa VIII Rotæ decanus pronuntiatus erat. Redonensis fit episcopus anno
1600 1600. Munus vero non adiit, idque dimisit, anno 1602, in gratiam sequentis. Eo anno, 26 Augusti, patriarcha fit Alexandrinus. Fuse de Seraphino Pr. *Marchand*, in Lex.

LXV. Franciscus I.

LACHIVER. Franciscus, Trecorensis, e pœnitentiario Britonum, Romæ, consecratur Redonensis præsul 24 Junii 1602, et episcopalem urbem ingreditur 1 Septembris. Sedit 13 Octobris 1603 in Redonensibus comitiis, ubi clero præfuit. Ad eamdem dignitatem similibus suffragiis dein vocatus est, annis 1604, 1608, 1610, 1611, 1613, 1616, 1617. Interfuit idem Parisinis comitiis, anno 1614, et postquam fidem regi juraverat 22 Junii 1618, obiit 22 Februarii 1619. 1619

LXVI. Petrus V.

E cathedra Trecorensi Petrus in Redonensem transfertur 17 Martii 1619. In comitiis Britannicis clero præfuit, annis 1621, 1636, 1638. Ludovicum regem adiit, orator cleri Gallicani, 18 Octobris 1621, et coram eo verba fecit. Anno sequente, capellam B. M. de Bono Nuntio Redonibus consecravit, et domum in episcopali civitate fratribus Minoribus adscripsit. Ab eodem Redones intromissæ Carmelitanæ et Benedictinæ moniales de Calvario dictæ. Obiit 21 Julii 1639, ætatis anno 66. CORNULIER

LXVII. Henricus I.

Philippi filius et Aloysiæ *Charles du Plessis-Piquet*, e theologo Parisiensi Henricus Redonensis antistes creatur Augusto mense DE LA MOTTE-HOUDANCOURT.
1639, procuratorio nomine munus adit 5 Augusti 1641, et Lutetiæ consecratur, Januario mense 1642, in ecclesia S. Germani Pratensis. Anno 1653, major reginæ eleemosynarius renuntiatur. Eodem anno 1653, 20 Octobris, et 14 Junii 1655, conventui cleri Britannici præfuit. Anno tandem 1661, Carolo Francisco sequenti Redonenses infulas cessit, ab eo abbatiam S. Martialis Lemovicensis accipiens. Dein in Ausciensem metropolim translatus est 1 Julii 1662. De eo plura inter Ausciences archiepiscopos, t. I, col. 1008. 1639 1653 1661

LXVIII. Carolus I Franciscus.

Caroli filius et Mariæ *Bounier*, abbas jam Stirpi, Savigneii, S. Launomari, S. Martialis, Carolus Franciscus episcopus fit Redonensis, Henrico in abbatiam S. Martialis sponte transeunte. Possessionem adiit anno 1664, decessurus Parisiis 29 Januarii 1676. Clero Britanniæ præfuerat annis 1665, 1671, 1675. DE LA VIEUVILLE. 1676

Franciscus Maria *de la Vieuville*, antecedentis e fratre nepos, episcopus Redonensis et abbas Savigneii designatur a rege, 3 Februarii 1676; supra, t. XI, col. 552. Non tamen is Redonensem cathedram conscendisse videtur.

Sub idem tempus Redonum præsul ab eodem rege creatur Dionysius Franciscus *Bouthillier de Chavigny*; hic vero antequam in episcopatus Redonensis possessionem mis-

ANNI CHRISTI sus, Trecensis episcopus fit, mense Octobri 1678. De eo supra, t. XII, col. 522.

LXIX. Joannes-Baptista.

DE BEAUMANOIR DE LAVARDIN. E Cenomanensi decano et Arremarensi abbate præsul Redonensis Joannes-Baptista creatur, ut aiunt, 26 Novembris 1676 : ejus vero nominationem plures anno 1677 adscribunt. Consecratur 20 Februarii 1678. Cleri Britannici præses fuit 15 Septembris 1679, 2 Augusti 1683, 22 Octobris 1689, 16 Octo-
1700 bris 1697, et anno quoque 1705. Anno 1700, in conventu cleri Gallicani reperitur; anno 1703, in Britanniæ comitiis. Obiit 23 Maii,
1711 1711. Nonnullorum insuper monasteriorum abbas erat.

LXX. Christophorus Ludovicus.

TURPIN DE CRISSE DE SANZAY. E decano S. Martini Turonensis in Redonensem cathedram Christophorus Ludovicus transfertur 15 Octobris 1712, et urbem episcopalem ingreditur 31 Decembris. Idem abbas S. Crucis Kemperlegiensis et B. Mariæ de Morellis. Episcopus fit Nannetensis anno
1723 1723.

LXXI. Carolus II Ludovicus Augustus.

LE TONNELIER DE BRETEUIL. Episcopus Redonensis creatur simulque abbas Calnæ, in ecclesia Senonensi, Carolus Ludovicus Augustus 17 Octobris 1723, et
1725 consecratur 15 Julii 1725. Præest, anno 1728, clero Britannico. Jansenii sequacibus adversarium se præbuit, obiturus 24 Aprilis 1732.

LXXII. Ludovicus Guido.

Oratorio regio præfectus abbasque Molismi et Joyaci, Redonensibus infulis Ludovicus Guido donatur anno 1732, et eodem anno consecratur, 24 Augusti. Variis dum legationibus fungeretur, Redonibus infrequens fuit. Sodalibus Academiæ Franciceæ adscribitur anno 1749, et episcopatu semet abdicat anno 1758. Hic quoque Jansenianæ sectæ infensus exstitit. Præerat cœtui Britannici cleri annis 1732, 1734, 1736, 1738, 1740. GUÉRAPIN DE VAURÉAL. 1732 1758

LXXIII. Joannes IV Antonius.

Patria Cadurcensis Joannes Antonius, e supremo Turonensis ecclesiæ archidiacono episcopus Redonensis fit 3 Februarii 1759 et 13 Maii consecratur. Abdicavit anno 1761. DE BEAUMONT DES JUNIES. 1761

LXXIV. Henricus II Ludovicus Renatus.

Natus, anno 1716, Ernæi, in diœcesi Cenomanensi, Rotonensis abbas ab anno 1747, Henricus Ludovicus Renatus episcopus Redonensis consecratur 16 Augusti 1761. Britanniæ senatu regiis consiliis obstante, pro rege stetit Henricus. Quare multorum inimicitias in se movit. In Virdunensem ecclesiam, ipso postulante, transfertur 25 Decembris 1769. DESNOS. 1769

LXXV. Franciscus II.

E Briocensi præsule Franciscus Redonensis fit, Decembri mense 1769. Sedit anno 1780 in Turonensis cleri conventu. Superstes erat anno 1790. BAREAU DE GIRAC.

THESAURARII REDONENSES.

Incertum relinquitur quod sub tempus thesaurario Redonensi concessum fuerit ut cæteris ejusdem capituli dignitatibus præcelleret. Quin imo pauci sunt inter clericos eo munere insignitos quorum nomina chartæ præbeant. Sequentes tantummodo assecuti sumus.

THESAURARIORUM INDICULUS.

I. Robertus I innotescit, anno 1087, e charta Silvestris episcopi S. Sergio ecclesiam *Brielles* condonantis; e S. Sergii tabulario.

II. Geoffridus, anno 1096, reperitur in edicto Marbodi præsulis, quo ad notitiam omnium defertur de quodam prædio pactum inter Geoffridum, armigerum, et Bernardum, abbatem S. Sergii; ex eodem chartul.

III. Josco, Jostho forsitan, Josciusve, legitur, VI id. Maii 1108, ad calcem litterarum Marbodi præsulis quibus confirmatæ S. Sergii possessiones in agro Redonensi.

IV. Poscedus, anno 1116, ejusdem Marbodi decreto subscripsit quo monachis S. Melanii ecclesia Vitreiensis adscripta. Idem ac Joscius antecedens forte fuit. Frequens enim apud amanuenses nominum corruptio.

V. Hamelinus I testis fuit, anno 1155, datorum Savigneio ab Eudone, Britonum duce; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 623. Idem occurrit, anno 1157, in charta Stephani præsulis Saviniacensium monachorum bona confirmantis, et, anno incerto, in ejusdem Stephani schedula cum monachis S. Melanii de decanatu S. Albini transigentis.

VI. Alanus I de Apinneio, vel de Apigneio, testis est, anno 1169, Stephani episcopi, inter Redonense capitulum et monachos S. Melanii litem quamdam dirimentis.

VII. Hamelinus II litteris Philippi episcopi

subscripsit de Guillelmo, filio Pagani, Savigneio Verneiam concedente, post annum, ut palam est, 1179; e Max. Gall. Arch., L, 1146^{16}. Idem, ineunte anno 1182, reperitur in aliis Philippi pro Savigneio litteris; ibid., L, 1146^{3}. Anno tandem incerto, in ejusdem Philippi diplomate de composito jurgio inter Savigneii monachos et *Esvellart de Sessons;* ibid., L, 1146^{17}. Hamelinus is est forsitan quem Hamelinum Berengarii veterum indices nuncupavere.

VIII. Guillelmus I, dictus de Pinceio, in litteris de pace inter Geoffridum, abbatem S. Melanii, et Guillelmum, senescallum Redonensem, inita; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 70. Ante annum 1197, una scilicet cum Guillelmo, Savigneii abbate, reperitur in litteris Mauricii, abbatis Veteris Villæ, Savigneio quadraginta solidos conferentis; e Max. Gall. Arch., L, 1146^{14}. Mense Maio 1203, testis fuit sopitæ litis de Morzellia inter moniales S. Georgii et P. de Bello Monte. Idem occurrit, anno 1205, in chartulis ad S. Georgium spectantibus quibus Spinetum monialibus adjudicatur. Subscripsit, cal. Julii 1210, litteris Petri præsulis de institutione canonicorum in ecclesia B. Magdalenæ de Vitreio. Eodem anno reperitur in chartula Geoffridi, S. Melanii abbatis, super ecclesia *Moulins*. Idem, anno 1212, pacem fecit inter monachos Savigneii et B. Mariæ de Rota, super decimis S. Berthevini litigantes; e Max. Gall. Archivo, L, 1146^{4}. Anno tandem 1213 litteris Petri præsulis subscripsit S. Melanii possessiones confirmantis.

IX. R., annum circa 1220, ad Guillelmum, Andegavensem episcopum, scribit semet una cum G., Filgeriarum abbate, quoddam jurgium composuisse inter abbatem Savigneii et Balduinum de Rupibus.

X. Guillelmus II *de Thorret,* anno 1244.

XI. Petrus I *de Bonneroul,* alias *Boverel,* obiit 20 Februarii 1260; ex Albor. Mantell. cod. 41, fol. 39.

XII. Guihenocus memoratur anno 1282.

XIII. Mauricius *de Treziguidi* mortuus erat anno 1316; ex Alb. Mant. cod. 41, fol. 26.

XIV. Alanus II de Castro Gironis occurrit
A annis 1318, 1331. Obiit v id. Januarii; e cathedralis ecclesiæ necrologio.

XV. Jacobus de Castro Gironis, frater Alani præsulis, jam canonicus Redonensis erat anno 1327. Thesaurarii munere fungens decessit.

XVI. Joannes *de la Chasse* ratum habuit Guerandiæ fœdus, 20 Aprilis 1381. Occurrit idem annis 1389, 1392.

XVII. Gatianus de Moncellis, fit episcopus Coris opit. anno 1408.

XVIII. Robertus II *du Fresne* memoratur anno 1494.

B XIX. Petrus II *Bourgneuff,* idem thesaurarius Redonensis et prior Trembleii, occurrit anno 1505; ex Alb. Mant. cod. 41, fol. 16. Turones accitus a rege, 26 Septembris 1510, negavit se jure vocatum ad ecclesiæ Gallicanæ comitia, dum peculiaribus, id est patriis, ecclesia Britannica comitiis frueretur; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 896. Obiit 3 Junii 1523.

XX. Thomas *Leroy,* apostolicæ cameræ clericus et apostolicarum litterarum abbreviator, Petro successit. Abdicavit anno 1524.

XXI. Bertrandus *Leclerc* litteris donatur
C apostolicis, Thoma abdicante, 16 Septembris 1524, et exsequendum munus adit 25 Novembris. Anno 1526 deiu memoratur.

XXII. Sebastianus *Thomé,* idem et abbas Relleii, occurrit anno 1558. Obiit 14 Januarii 1569.

XXIII. Franciscus I *Le Prévost,* idem abbas Troncheti, sedit 6 Maii 1579, 18 Octobris 1593, 12 Decembris 1597, 18 Maii 1598, in Redonensibus comitiis; necnon in Venetensibus, 2 Decembris 1599: in hisce Venetensibus clero præfuit. Eadem habita Venetiæ comitia, 2 Octobris 1600: in quibus quoque
D Franciscus legati munus implevit. In Briocensibus præterea memoratur, anno 1602. Is est qui, anno 1598, ad regem accedens, pro Arnaldo præsule fidem dedit.

XXIV. Franciscus II *Huart* occurrit annis 1616, 1621, 1626, 1628, in Britanniæ comitiis.

XXV. N. *de Bouteville* reperitur anno 1756.

VETERA REDONENSIS ECCLESIÆ MONASTERIA.

Posteris tradita paucorum, quæ, ut conjicere fas est, veteres in agro Redonensi condiderunt, monasteriorum memoria. Inter ea quæ a longo tempore ruinam fecere quædam tantum, et jejune quidem, describere licebit.

I. MONASTERIUM. Armellus, apud Britannos insulares natus, ut Armoricanas oras tetigit, plura monasteria constituit. Qui dum Redonensem tractum peragraret, Childebertus ei
E quemdam locum, nomine *Bochod,* dedisse fertur, Guirchiæ proximum, juxta littus fluvii *Seiche,* ubi plures eremeticæ vitæ socios habuit. Decessit Armellus 16 Augusti, anno incerto. Domus vero quam olim exstruxerat recordatio ad nostrum tempus eo tantum provecta est, quod habitatum ab eo viculum, etsi jam diu dissipato monachorum grege, Monasterium tamen popularis pietas continue vocaverit. Consule *Deric,* t. I, p. 420.

II. S. Petrus de Marcheil. Situm hoc monasterium in Redonum suburbio, ante portam civitatis magnam, Adelæ, S. Georgii abbatissæ, anno circiter 1032, ab Alano duce datum est. De eo nihil aliud comperimus.

III. S. Exuperius de Gahardo. Conditum hoc non procul a Redonibus monasterium in quorumdam laicorum manus post Normannicam vastationem transiit. Anno 1060, id Guido Denocus, Alano duce consentiente, Majoretanis contulit. Prioratus Gahardi dein conditur, anno 1093, Alano *Fergant* operis duce. Cujus si domus fortunam usque ad propiora tempora cognitam habere velis, chartula-A rium Majoris Monasterii consule. Exitum circa quinti decimi sæculi Gahardum incolentes monachi a Britonum duce defecere. Eos ideo dux in exsilium egit, eorumque domum eruit.

S. Cyricus. S. Cyricus, juxta Redones olim, ut videtur, abbatia fuit. *Monasterium* enim hoc *vetustate pene funditus eversum* armigeri cujusdam, Maginenii nomine, rebus annumerabatur anno 1037, qui jacentes parietinas suscitans, reparata claustra eo anno monachis S. Juliani Turonensis tradidit. Ea B forte domus ante Normannicam procellam floruerat. IV.

ABBATIÆ SUPERSTITES (1).

Sunt illæ numero quatuor.

Ordinis S. Benedicti.

Virorum.

S. Melanius, *S. Melaine.*

Feminarum.

S. Georgius, *S. Georges.*
S. Sulpicius, *S. Sulpice.*

Ordinis S. Augustini.

Virorum.

S. Petrus de Relleio, *Rillé.*

S. MELANIUS.

Ea magni nominis abbatia, in Redonicæ civitatis orientali suburbio sita, a S. Melanio, Redonum antistite, nomen sumpsit. Quam scilicet a S. Melanio conditam veteres asseruere, anno 530, operis consorte Paterno, Abrincensi episcopo. Nonnulli vero, quos inter domnus *Germain*, egregius quidem monachicarum antiquitatum indagator, veterum in eo fidem infirmavere. Indubium tamen est ecclesiam in eo loco pristinam exstitisse, quam, temporibus circiter Gregorii Turonensis, ignis exhausit; de Glor. Confess., c. 55. Adde quod non multo post defunctum Melanium monachi reperiantur eamdem domum abbatis sub præsidatu incolentes, quodque, domno *Germain* ipso teste, restauratam Durioturus præsul basilicam consecraverit VIII id. Novembris 630. Dissors quoque eorum sententia qui de antiquioribus S. Melanii institutis scripsere. Quibusdam placuit Benedictinam ibi regulam jam sexto decurrente sæculo viguisse. Salomonis autem regis diploma, in quo rei certum indicium servabatur, delevit, ut aiunt, Mathurinus *de Montalais*, abbas in abbatiæ perniciem incumbens, et deprædationum quas fecerat vestigia oblitterandi studiosus. Id tamen quam maxime dubium est. Anno 878, cuilibet addicti regulæ monachi claustra sua, irruentibus Normannis, deseruerunt et in Bituricensem agrum primo, dein in Turonensem sese receperunt. Ab eo tempore usque ad exitum decimi sæculi, de monachis S. Melanii cuncti C siluere. Attamen aliquanto post inchoatam jam loci restaurationem Sigo, Salmuriensis abbas, consummavit. Unde S. Florentii abbates S. Melanii patronatum affectare, eosque in causam vocare veluti rebellionis reos, qui se sui juris esse prædicabant. Anno 1183, mortuo abbate, unum quemdam e S. Melanii hospitibus fratres abbatem salutaverant. Britanniæ vero comes, hunc aversatus, molestiis monachos insectatus est, donec electus abbas susceptum munus abdicaret. Mos antiquus erat ut, vacante sede, si quis ex ipso S. Melanii grege abbatiali pedo dignus non inveniretur, novum abbatem monasterium D S. Florentii Salmuriensis suggereret. Eadem vero voce propulsavit comes et eum quem inter se fratres elegerant, et eum quem Salmuriensis abbas jam missurus erat, ac Majoretanum quemdam monachum ipse accivit. Cui vero plures e fratrum parere noluerunt, et Salmurium illico confugientes, ad dominum papam supplices miserunt litteras. Is rem tradidit enodandam episcopis Andium et Nannetum, necnon abbati Toarcensi, sicut ejus litteræ testantur. Arbitrorum apostolicorum sententiam ætas invidit. Ab eo tamen temE pore e S. Melanii patronatu dejecti Salmurienses videntur. Æstuante dein bellorum procella, non parum res S. Melanii attrita est, anno maxime 1342. Tunc enim, duce Carolo Blesensi, armata cohors, Redones obsidione premens, cœnobium occupavit. Ædificiorum quidem parietinas, anno circiter 1516, abbas Natalis refecit. Bellorum vero cladem non multo post æquavit Calvinistarum impetus. Anno 1625, Armoricana Benedictinorum societas de monachis S. Melanii ad strictiorem

(1) Usque ad annum circiter 1790.

normam revocandis cogitavit. Hoc tamen consilium ratione prudentius quam eventu felicius evasit, donec, 9 Decembris 1627, congregationi S. Mauri domus adscripta fuerit. Anno 1663, vel, ut alii referunt, 1665, VIII id. Martii, cellam communem, vestiarium et armarium, cum impressis, cumque manu exaratis codicillis, exitiales flammæ depastæ sunt. Suppressa est abbatialis mensa, anno 1775, et fisco Redonensis episcopatus addicta.

S. Melanii jura describens, domnus *Germain* his utitur verbis : « Proximum ab episcopo locum tenet Melaniensis abbas, tum « in ecclesia cathedrali, tum in supplicationibus ac publicis cleri populique comitiis. « Hanc abbatis prærogativam inficiari quæ « ausa est aliquando abbatissa S. Georgii, non « unis Romanorum Pontificum suffragiis est « repressa. » Abbas insuper S. Melanii senatores inter Britannicos sedebat, et juribus donatus fructuosissimis tam in urbe quam in ejusdem suburbiis, ipsorum non semel episcoporum potentiam et auctoritatem assecutus est.

Melaniensis historiam cœnobii, a domno Michaele *Germain* digestam, servat Sangerm. cod. 583[1]. Inter eosdem S. Germani codicillos, sub num. 591[3], vetus reperitur abbatum index, qui nobis admodum utilis fuit. Consuluimus et schedas domni *Le Michel*, in cod. Sangerm. 1067, et series eorumdem abbatum quas præbent codices Albor. Mantell. 86 A et 86 B.

SERIES ABBATUM.

I. Herluinus primus abbas S. Melanii legitur, in veteri, quem servat Sangermanen. codex, catalogo.

II. Bertulfus, *abbas Redonicus*, sedit, anno circiter 644, in Cabilonensi concilio, Durioturi, Redonensis episcopi, locum tenens. Quo fretus testimonio Moricius eum S. Melanii abbatibus annumeravit. Res tamen dubia est.

III. Stephanus I Alberto Magno ignotus pertransiit, et in domesticis indicibus desideratur. Eum tamen domnus Michael *Germain*, e veteribus quæ nos fugerunt monumentis, ex abbate Melaniensi ad Redonenses infulas anno 747 translatum asserit. Id vero nobis incertius fuit, quam ut pristinis Redonensis ecclesiæ fastis inauditum ea tenus nomen adderemus.

IV. Ambrico, apud Moricium, e Rotonensibus tabulis, anno circiter 832.

V. Joannes I a nonnullis post Ambriconem ponitur, non conjectura quidem, sed ad fidem narratiuncularum quas suspectas habere licet.

VI. Tetbaldus ex episcopo Redonensi fit A abbas annum circa 1010; tam e chronico S. Petri, quam e Sangerm. catalogo.

VII. Triscannus, prædicti Tethaldi filius, qui post Garinum Redonensem cathedram tenuit.

VIII. Alfredus post Triscannum legitur in indice veteri. Albertus vero Magnus eumdem Herluino succedere jussit.

Teudo reperitur in Gauzlini, Floriacensis abbatis, vita, quam D. L. *Delisle* edidit, petens Britanniæ fines et *Rhedoniensi præditus cœnobio*, annos inter 1005 et 1029. Teudonem hunc inter S. Melanii abbates conjec- B tura ponere non displiceret : verisimilius tamen videtur Floriacensem chronographum in regionis mentione peccavisse, et ea quæ de Teudone refert ad Teudonem tunc temporis Burgulii abbatem spectare.

IX. Joannes II, *Redonensis* dictus *abbas*, subscripsit chartæ Gisleberti, armigeri, concordiam pangentis cum monialibus B. Mariæ de Roncereio. Quæ scilicet charta, tempore Geoffridi Martelli et coram Eusebio præsule edita, anno circiter 1054 adscribenda est. Ejusdem Joannis meminit Sangerman. catalogus. Dicitur insuper *quondam abbas* S. Me- C lanii, anno 1062, in instrumento de jurgiis inter Majoretanos et Rotonenses super ecclesia Bairiacensi; Rer. Gallic. Script., t. XIV, col. 150.

X. Rimarinus, anno incerto, subscripsit litteris Berthæ comitissæ, quibus canonicis Redonensibus concessum jus in pascua silvæ Montis *Mohon*.

XI. Evenus, Brito genere, S. Florentii monachus, ad restaurandam S. Melanii abbatiam mittitur a Sigone, abbate S. Florentii. Eveni nimium confidens epitaphio, Moricius eum anno 1054 S. Melanii regimen adortum D esse scribit. Quam temporis notam emenda, nam sub hunc annum 1054 nondum Sigo Salmuriensi monasterio præerat. Legitur quidem in Historia S. Florentii, quam Michael abbas digessit : « Tempore memorati patris « (Sigonis) accidit apud urbem Redonicam *Rer. Gall.* « quod abbatia S. Melanii ad tantam pau- *Script.* « pertatis extremitatem redacta esset, quod *t. XIV,* « vix uni monacho, qui ibidem solus reman- *p. 506.* « serat, inopis vitæ necessaria superessent. « Cujus ecclesiæ casum illustris comes Bri- « tanniæ Geoffridus, cognomento Bastardus, « cum dolore percipiens, consilio et hortatu E « uxoris suæ Berthæ, Salmurium ad memoratum abbatem nuntios delegavit, obsecrans « et multa supplicatione implorans ut prætaxatam abbatiam reformaret, eamque ve- « lut propriam in perpetuum possideret. « Tunc reverendus pater, communicato fra- « trum consilio, precibus comitis acquiescens, sæpedictam S. Melanii abbatiam de « manu ipsius comitis sub firma ejus donatione jure perpetuo possidendam suscepit, « eique fratrem Evenum, illustrem genere,

« summæ religionis et industriæ virum, abbatem præfecit. Hic igitur Evenus, suscepto « abbatis officio, circa locum sibi commissum tanta vigilantia desudavit, ut eum sub « brevi tempore ordine, et monachis, et domorum ædificiis, et libris, et ornamentis « quam pluribus ampliaret. » Interfuit Evenus Salmuriensi conventui, xv cal. Novembris 1074, in quo lis de ecclesia Campiniacensi inter monachos S. Albini et S. Sergii composita est. De ejusdem ad episcopatum Dolensem promotione sic Michael abbas : « Cognita ejus sagacitatis industria et per « totam provinciam divulgata, et assensu « comitis, postulantibus clericis, acclamantibus laicis, in archiepiscopum Dolensem « promotus est; sicque duplicis honoris radio archiepiscopus pariter et abbas toti « Britanniæ coruscavit. Cum autem viginti « septem annis in regimine abbatiæ strenue « præfuisset, ad diem extremum perveniens, « intra monasterium, cujus impiger restaurator exstiterat, cum multo planctu omnium est sepultus. » Decessit Evenus vii cal. Octobris 1081 ; e tabula plumbea in ejus tumulo reperta. In eadem legebatur, eo regente numerum monachorum S. Melanii degentium ex uno ad centum crevisse. Ad eum Gervasius, Remensis archipræsul, commentationem quamdam scripsit de miraculis S. Melanii; apud Bollandum, 6 Januarii.

XII. Gervasius I, e S. Florentii monacho archimandrita S. Melanii eligitur anno 1081. Testis erat, anno 1086, Gironis nonnulla S. Florentio largientis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 463. Occurrit, vii cal. Martii 1087, in charta Silvestris, Redonensis episcopi, S. Sergium augentis ecclesia dicta *Brielles;* e S. Sergii chartulario. Idem, anno 1089, subscripsit Alani ducis chartulæ, qua S. Florentii monachis tradita pars silvæ prope Livriacum; apud *Housseau*, t. III. : anno 1092, litteris Odonis decimas monasterio Rotonensi condonantis : eodem anno, ejusdem chartæ nonnulla tradentis S. Cruci de Joscelino : die 6 Julii 1093, compositæ liti super ecclesia Cantociacena : anno 1096, instrumento Marbodi præsulis Filgerias Majoretanis restitui jubentis : anno 1108, ejusdem litteris in gratiam S. Sergii; Prob. Hist., Brit., t. I, col. 516. Decessit Gervasius, ut aiunt, anno 1109.

XIII. Hervæus I post Gervasium ponitur anno 1109, tam a Michaele *Germain* quam ab auctore perveteris catalogi. Alii idem sub tempus Guillelmum quemdam recensent. De eo tamen Guillelmo chartæ siluere.

XIV. Radulfus I transtulit Guirchiam, anno 1115, reliquias S. Nicolai; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 529. Memoratur decedens anno 1116.

XV. Donoaldus, e monacho S. Michaelis in Periculo maris, electus abbas videtur anno 1116. Salutatus est, anno circiter 1120, Aletensis episcopus.

XVI. Radulfus II electus est anno, ut videtur, 1120. Præfecturam vix auspicatus audivit canonicos, e B. Maria Vitreiensi dejectos, in ædes monachis nuper addictas irruisse forasque monachos misisse. Protinus in canonicos Radulfus deseviit. Quorum vero tutelam suscipiens Calixtus papa II, Radulfum jussit excommunicari. His de jurgiis summus Pontifex scribebat, 5 Februarii 1120, ad Marbodum, Redonensem episcopum : « Prudentiæ tuæ gratiam agimus, quod datam super « abbatem S. Melanii et monachos pro contumacia sua excommunicationis sententiam firmiter observasti. Rogamus autem « et præcipimus ut et deinceps idipsum facias, donec, canonicis secundum mandatum nostrum plenarie revestitis, abbas ipse « cum monachis et cum canonicorum testificatione ad nos veniat, et de contempto nostræ ecclesiæ judicio satisfaciat. » Apud Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 234. Jussam Radulfus, ut videtur, satisfactionem præbuit : anno nempe sequenti, Calixtus idem papa S. Melanium sua sub protectione suscipiebat. Quo et eodem anno Radulfus composuit cum Guillelmo de Guirchia de reditibus S. Nicolai. Anno 1122, Rotoni Radulfus reperitur, testis Donoaldi, Aletensis episcopi, Rotonensium possessiones confirmantis. Concessit, anno 1123, ut mutaretur in abbatiam ecclesia S. Salvatoris de Guingampo; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 547. Eodem anno, confirmatam obtinuit a Donoaldo supra memorato ecclesiam S. Petri de *Plelan*. Idem a Joanne, Briocensi episcopo, ecclesiam *Brehant* accepit; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 73.

XVII. Hervæus II aderat, x cal. Decembris 1127, reconciliationi Rotonensis ecclesiæ, ab Hildeberto peractæ; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 557. Anno sequente, confirmationem rerum abbatiæ jam traditarum obtinuit a Conano duce, et ab Hamelino præsule iteratas de capellania S. Petri Vitreiensis litteras accepit. Subscripsit, anno 1136, ejusdem Hamelini diplomati, ecclesias S. Mariæ Ch. iv. col. 163.
et S. Crucis Vitreii sitas conclianti. Eidem Conanus dux, anno 1139, decimam e cuneis monetæ suæ et e coquinæ suæ piscibus concessit; ibid., col. 579. Eidem denique confirmavit Alanus comes, anno 1145, quidquid avi S. Melanio dederant; ibid., col. 595. Obiit 9 Augusti; ex obituario S. Jacobi de Monte Forti.

XVIII. Guillelmus I de Aurea Valle, e veteri catalogo quem præbet San-German. codex 591[a], occurrit, viii idus Aprilis 1148, in litteris Eugenii papæ III, confirmantis pacem quam Honorii temporibus inierat Hervæus antecedens cum canonicis B. Mariæ de Vitreio. Guillelmum hunc Moricius ignoravit.

XIX. Guillelmus II *Chalopin* reperitur,

anno 1152, ab Henrico, Britonum comiti, confirmationem S. Salvatoris Guingampensis impetrans; idem, eodem anno, paciscens cum canonicis B. Mariæ de Rota de capella Guirchiæ condita. Concordiam quidem illam inter Andegavensem et Redonensem abbatias sancivit Alanus, Redonensis episcopus, pridie cal. Januarii 1154; e chartul. B. Mariæ de Rota. Anno præterea 1152, VIII cal. Aprilis, Guillelmus, ad vota Montifortensis toparchæ, concessit ut in Bedensi parœcia, juxta Modonem fluvium, abbatia fieret; e Prob. Hist. Brit., t. I, col. 613. Quo et anno litteras ab Henrico de Penthevria obtinuit, in quibus hic suis ab avis S. Melanio data prædia recensuit; ibid., col. 611. Pactus est, anno 1156, cum Maria, S. Sulpicii abbatissa. Post hunc annum de quodam decanatu transegit cum Stephano, Redonensi episcopo; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 69. Ille idem est Guillelmus qui, IX cal. Augusti 1157, confirmatam accepit a Roberto de Vitreio ecclesiam B. Mariæ Vitreiensis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 629. Memoratur tandem, Augusto mense 1158, in Joscii Turonensis litteris, S. Melanium protegendum suscipientis.

XX. Guillelmus III Privatus eligitur, ut ait Anselmus *Le Michel*, anno 1161. Huic, anno 1162, Mauricius Credonensis vectigal concessit exactum de vino per totum feodum suum bibendo; inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 646. Sepelivit, anno 1166, Stephanum, Redonensem episcopum, in S. Melanii basilica. Occurrit, 24 Februarii 1169, in instrumento litis sopitæ cum capitulo Redonensi; ibid., col. 659. Post annum 1169, præsente scilicet Joanne, S. Jacobi abbate, cum Rollando de Dinanno composuit; ibid., col. 701. Anno 1170, ejusdem precibus annuens Stephanus de Filgeriis, Redonensis episcopus, abbatiæ possessiones confirmavit. Similem, eodem anno, confirmationem obtinuit a Guillelmo, Trecorensi præsule. Transegit, VII cal. Decembris 1174, et XII cal. Septembris 1175, de variis decimis, cum Savigneii monachis. Quibus idem sub tempus tradidit villam quam Tealderiam vocabant. Abbas memoratur Guillelmus usque ad annum 1180, quo testis fuit Geoffridi de Monte Forti super quibusdam cum abbate S. Jacobi transigentis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 822. In erroneam ergo delapsi sunt conjecturam, cum qui dixerunt anno 1171 muneris onus deposuisse. Unde præterea colligitur quemdam Joannem perperam anno 1174 inter abbates S. Melanii a nonnullis recensitum.

XXI. Mathelinus I Privatus, antecedentis nepos, acceptus est a capitulo post peractam a Guillelmo resignationem. Id priscus memorat chronographus, in San-German. codice 1067. Advertendum vero quod hujus Mathelini nequaquam meminerit vetus series quam servat Sangerm. cod. 591[2]. Occurrit ille quidem in chartula Jacobi, Redonensis episcopi, ecclesiam *Molins* S. Melanio confirmantis. Nullus vero Jacobus tunc temporis ecclesiæ Redonensi præfuisse videtur.

XXII. Gervasius II, e monacho Majoris Monasterii. De cujus electione Salmurienses conquesti sunt, dicentes, vacante sede, novum abbatem e S. Melanii vel e S. Florentii collegio deducendum, asserentesque Gervasium, origine Majoretanum, a Geoffrido comite per vim intrusum. Has Lucius papa III querelas ad episcopum Andegavensem detulit, ut eo judice lis solveretur; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 699. A quo Gervasius, ut videtur, inita forte quadam pactione, dignitatis suæ gradum retinere jussus est; is enim Gervasius, anno 1184, occurrit a Lucio papa arbiter electus dissidii inter Vitreii monachos et Villæ Rotlandi toparchas. Qui etiam, eodem anno, judex sedit litis inter Geoffridum, S. Cyrici priorem, et Geoffridum de Guirchia. Gervasio, anno 1185, Petrus, Aletensis episcopus, rursus tradidit ecclesiam viculi *Plelan*. Eodem poscente, Lucius papa, 1 Julii, abbatiæ bona juraque firmavit. Reperitur usque ad annum 1187, quo jurgium composuit inter Petrum, episcopum Aletensem, et monachos Majoris Monasterii. Eodem anno, Petrus *de Chaanne* Haimonis Vicarii, militis, quem interfecerat, filium, Evenum nomine, alendum suscepit, et pro eo cucullum assumente plura Gervasio bona contulit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 713.

XXIII. Guillelmus IV *Fergant* regebat abbatiam anno 1188. *Fergant* vocabulum est Britannicum, cujus ea est significatio: *junior*, vel *minor*. Vetus igitur chronographus Guillelmum hunc etiam nuncupat gentilitio nomine Privatum, asseritque cognomine *Fergant* dictum fuisse ut a priore Guillelmo Privato distingueretur; ab eodem denique chronographo novimus posteriorem hunc Guillelmum Mathelini nepotem exstitisse; in San-Germ. cod. 1067. Ejusdem insuper meminit antiquior catalogus, quem servat San-German. codex 591[2]. Moricio tamen incognitus transiit. Ad electionem abbatis qui Gervasio successit forte spectant Urbani papæ III litteræ ad Radulfum, Andegavensem episcopum, et Mauricium, Nannetensem electum. E quibus comperimus ei non aliter ac Gervasio, et ob eamdem causam, Salmurienses obstitisse.

XXIV. Geoffridus I *de Niosel*, latine de Nido Avis, ut chartæ sigillaque affixa testantur, perperam vero dictus *Moisel* atque *Damoisel*, monachus fuerat S. Melanii, ut legitur in instrumento de composita lite inter Guillelmum S. Melanii et Joslenum Savigneii abbates; abbas autem erat anno 1191, quo ab Herberto, Redonensi episcopo, confirmationem ecclesiarum abbatiæ adscriptarum impetravit. Anno 1199, subscripsit litteris

Arturi ducis pro monachis Pontis Oetranni. Arturum secutus erat Andium terras peragrantem. Anno 1202, sententiam obtinuit de Guillelmo *Branchu;* ex Alb. Mant. cod. 41, p. 87. Aderat, anno 1206, fundationi Guirchiensis ecclesiæ; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 806. Eodem anno, jubente summo Pontifice, litem dirimebat inter Menardum, Majoris Monasterii priorem, et N. clericum; e chart. Majoris Monast. Quem, ut videtur, Innocentius III plurimi faciebat. Nam cum inter monachos S. Vincentii Cenomanensis et Vovreii presbyterum dissidium quoddam esset exortum, hanc etiam Geoffrido dominus papa provinciam dedit ut litigantes conciliaret: quod peregit Aprili mense 1208: e chartul. S. Vincentii. Quo et anno prædium accepit a Rotberto, Apigneii domino, et a Petro, Briocensi episcopo, confirmatas ecclesias *Brehant* et *Planguenoual.* Idem, ut videtur, anno 1210, ecclesiam *Moulins* tradebat canonicis B. Mariæ Magdalenæ de Vitreio; in Probat. Hist. Brit., t. I, col. 816. Eodem anno reperitur in charta Guillelmi de Monte Forti ablatas decimas restituentis.

XXV. Geoffridus II *de Chauvigné* professus erat S. Melanii, ut noscitur ex edicto Guillelmi, Redonensis senescalli, pactum testantis initum cum Oliva, Hervæi sponsa; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 78. Abbas dicitur ab anno 1213 in veteri catalogo. Huic igitur, hoc anno 1213, Petrus, Redonensis episcopus, bona monasterii confirmavit. Eidem, anno 1214, capitulum S. Petri ejusdem tenoris confirmationem concessit.

XXVI. Petrus I de Meleceia post Geoffridum occurrit in domesticis indicibus.

XXVII. Robertus I *Tacherel*, vel *Tachel;* ex eisdem catalogis.

Geoffridum *de Chauvigné*, Petrum de Mereia, et Robertum *Tacherel* Moricius ignoravit. Is vero post Geoffridum de Nido Avis quemdam Guillelmum *de Tinteniac* posuit, quem ab anno 1214 ad annum 1220 sedere jussit, nihil ab eo Guillelmo peractum memorans, nisi quod, anno 1219, sacerdotem in ecclesia *Planguenoual* constituerit. Adverte quod hæc de *Planguenoual* chartula contracta reperiatur in Albor. Mant. cod. 41, p. 98, et, abbatis pro nomine, litteram tantum G. præbeat. Deficit igitur omne de Guillelmo testimonium, cum æque littera G. tam Guillelmum, quam Geoffridum infra memoratum significare queat. An vero Moricius Guillelmum hunc *de Tinteniac* fabulosum prorsus effinxit? Nequaquam; sed aliena manu transcriptam chartam non satis attente legit. Occurrit enim in Alborum Mantell. cod. 41, p. 95, charta referens donationem pro anima defuncti *Guillelmi de Tintiniaco abbatiæ S. Melanii* factam: is autem Guillelmus, pater ibidem dictus Olivarii et Theophaniæ, non abbas certe fuit, sed miles, qui cum Eremburgi justas contraxerat nuptias. Adde quod hæc donatio per manum Petri, Macloviensis episcopi, peracta legatur. Hic autem Petrus anno 1218 decessit: ergo non erat hoc anno Guillelmus inter vivos superstes, et inde rursus comprobatum habemus quod ei perperam adscribatur præsentatio sacerdotis a Silvestri, Briocensi præsule, anno 1219 confirmata.

XXVIII. Geoffridus III de S. Electo; e supra laudatis catalogis. Hic forsitan est quem ab anno 1218 tabulæ S. Melanii littera G. designant. Anno 1220, Andreæ et Geoffrido, germanis, decimæ cujusdam portionem concessit. Obiit 23 Aprilis 1228, secundum Kemperlegiense chronicon.

Fervebant tunc temporis inter monachos S. Melanii acerrimæ discordiæ. Legitur enim in epistola Honorii papæ III, quosdam ex eis excommunicationis virga fuisse perculsos, quia manus non tantum inter se, sed etiam cum sæcularibus clericis, consernerant. Pœnitentes absolvi jubet dominus papa, 27 Januarii 1222, ab abbate S. Vincentii Cenomanensis. Ch. vi, col. 166.

XXIX. Matthæus I de Rivis, e monacho S. Florentii, sedebat anno 1232, quo sententiam edidisse memoratur contra quemdam presbyterum. Annuit, mense Februario 1241, Alano de Acigneio, militi, capellaniam Motæ construere peroptanti. Eodem anno, transegit cum monachis Saviniacensibus de quodam reditu; in Max. Gall. Arch., L, 1146[7]. Geoffridi tempore, constitutionem fecerant monachi de prioratibus suis clericis sæcularibus non tradendis. Quam cassam denuntiavit Joannes, Redonensis episcopus, Matthæo præsente, anno 1243: Prob. Hist. Brit., t. I, col. 923. Communionem precum Matthæus inivit, die qua cantatur *Invocavit*, anno 1245, cum Richardo, S. Michaelis abbate.

XXX. Alanus *de Moncontour* in Angliam transiit anno 1254, et ibi litigavit adversus Oxfordiæ comitem Hugonem, qui supremum jus quoad electionem Hasfeldiensis prioris sibi vindicabat. S. Melanii vero causa episcopo Londinensi potior visa est.

XXXI. Hervæus III *de Launay* reperitur mense Februario 1257, secundum recentem calculum, quædam permutans cum abbate S. Crucis de Guingampo. Anno sequente, monachi Prulliacenses, in agro Turonensi, quamdam partem ad eum detulerunt e S. Melanii reliquiis. Anno 1263, plura Acignei colonis concedit; ex Alb. Mant. cod. 47, p. 413. Occurrit dein Hervæus annis 1267, 1272.

XXXII. Guillelmus V *Vivois*, cujus nec tabulæ nec vetustiores catalogi meminere, post Hervæum a pluribus ponitur.

XXXIII. Stephanus II, dictus, ut aiunt, Honorius, reperitur anno 1278, prædia sub lege census tradens. Anno 1286 plura commutavit cum Castri Brientii toparcha. Pactus

est de pransorio quodam jure cum episcopo Redonensi, die Sabbati ante festum S. Clementis 1293. Memoratur eodem anno, die lunæ post festum B. Catharinæ, in litteris Reginaldi, Turonensis archiepiscopi. Occurrit dein in tabulis anni 1294. Idem, anno 1295, Guillelmum, Redonensem episcopum, beneficum expertus est.

XXXIV. Michael I, a quibusdam dictus *de Fournouil*, sedebat anno 1298. Vicarius generalis idem fuit Joannis, Redonensis episcopi; quod munus implens probavit, mense Julio 1304, conditam a Robino *Raguenel* capellaniam in ecclesia S. Petri Redonensis. Idem reperitur anno 1311, atque etiam anno 1330, in tabulis B. Mariæ de Vitreio; ex Albor. Mant. cod. 36 : sed perperam, ut videtur, nam

XXXV. Nicolaus *de Tréal* ex abbate Calmæ ante annum 1330 jam S. Melanio præfectus erat. Occurrit enim quædam permutans cum Guillelmo *de Borgon*, anno 1328. Idem jus nundinarum celebrandarum 14 Septembris impetravit, anno 1332, a Joanne duce. Anno 1337, clausum *Guenon* obtinuit a Beneventa de Poliandro. Nominatur anno 1340 inter vicarios generales Guillelmi, Redonensis episcopi. Moricius eum obiisse refert 2 Julii 1352. Vitam autem ejus usque ad annum 1357 ducunt tam unus e veteribus catalogis, quam litteræ Innocentii VI Joannem sequentem instituentis.

XXXVI. Joannes III *Lepard*, ab aliis dictus *Lebart*, e gubernaculo S. Gildasii Ruiensis translatus est in abbatialem S. Melanii sedem ab Innocentio papa VI, XIV cal. Augusti 1357; e schedis Suaresii. Occurrit missam unam fundans 25 Octobris 1374. Dein, 4 Aprilis 1381, secundum recentem usum, Guerrandiam deveniens, testis fuit pacis initæ inter Britonum ducem et regem Francorum; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 302 : die 6 ejusdem mensis, pactum Guerrandiæ ratum habiturus; ibid., col. 273. Sedebat, 18 Aprilis 1387, in Nannetensi concilio; *Travers*, Concil. Turon., t. III. Abdicavit Joannes circa ultimos vitæ dies, decessurus Decembri mense 1393.

XXXVII. Guillelmus VI *Glé*, e S. Mevennio deductus, pecuniam apostolicæ cameræ numeravit 12 Septembris 1391. Capitulum generale, 8 Novembris 1392, postea coegit. Decessit, ut aiunt, 13 Maii 1398.

XXXVIII. Joannes IV *Rouxel*, abbas e priore Lamballiæ, occurrit officii clientelaris quasdam professiones accipiens 14 Octobris 1398. Possessionem vero secundum normam non adiisse fertur ante 25 Septembris 1399. Decessit, ut quibusdam placet, 30 Junii : ut cæteris, 1 Julii 1402. Erravit certe Moricius vitam ejus ad diem 10 Julii ducens.

XXXIX. Petrus II *de la Morinaie*, e priore Castri Gironis electus est 25 Julii 1402, et inauguratus eodem anno ab Anselmo, Redo-

A nensi episcopo. Confirmabat, anno 1406, quædam anniversaria in ecclesia Vitreii. Eidem, anno 1415, per Joannem XXIII licuit pontificalia gerere insignia. Decessit anno 1422.

XL. Matthæus II *Bertrand*, prior designatus Lamballiæ 13 Maii 1409, abbas electus est anno 1422. Occurrit in tabulis annorum 1428, 1430, 1434, 1439. Sedebat, anno 1434, in concilio Basileensi, orator Britanniæ ducis; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 1264. Excommunicatus fuerat Matthæus a Guillelmo, Redonensi episcopo, quod a processione S.
B Sacramenti recesserat : absolutus est ad cautelam, 19 Augusti 1443; ex Alb. Mant. cod. 40, p. 20. Anno 1446, vicarius Guillelmi *d'Estouteville* reperitur, in administranda Montis S. Michaelis abbatia; supra, t. XI, col. 529. Obiit anno 1448; ex ejus epitaphio.

XLI. Mathelinus II, vel Mathurinus *Le Lionnays*, e monacho S. Jacuti, litteris donatus apostolicis possessionem adiit, jam dato juramento, 14 Octobris 1448; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 1437. Inter S. Melanii abbatem et Redonense capitulum disputabatur quis primus incederet in solennitate sanc-
C tissimi Sacramenti. Quod diluit jurgium Robertus episcopus, 3 Novembris 1449. Litigabat dein Mathelinus, anno 1453, cum Perrineta, S. Georgii abbatissa, quæ primas sibi vindicabat in Redonensis ecclesiæ choro. Vicit causa Mathelini; ut compertum habemus e litteris Nicolai papæ V, datis VII id. Novembris 1453; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 1632. Interfuit Venetiæ, 4 Aprilis 1456, elevationi corporis S. Vincentii Ferrarii. Creatus, anno 1471, Cytriensis episcopus, in partibus Infidelium, eo se conferre non potuit. Abbatiale munus idcirco retinuit usque ad
D annum 1474, quo cessit in gratiam sequentis. Obiit 5 Maii 1488; ex ejus epitaphio.

XLII. Joannes V *Le Lionnays*, antecedentis e fratre nepos, doctor in utroque jure, Mathelino resignante creatus est abbas, anno 1474. Sedit, anno 1476, in Rotonensi conventu, qui statutum edidit de stipendio rectoribus ecclesiarum ob ferales exsequias solvendo; e cod. Sangerm. 1067. Idem pactus est de sepeliendi jure, anno 1479, cum canonicis S. Magdalenæ, Vitreii degentibus. Sedit in Venetensibus comitiis anno 1480. Consiliarius ducis, anno 1483, vetera fœdera Britan-
E niam inter et Hispaniam confirmanda curavit. Anno 1485, pergebat ad Francorum regem, legatione fungens altera. Redonibus præsens memoratur, 8 Februarii 1486, in trium ordinum Britanniæ cœtu; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 503. Eodem anno decessit, 10 Aprilis.

Post ejus interitum, elegerunt fratres, 17 Aprilis 1486, Olivarium *de Broon*, S. Florentii monachum, et jam abbatem S. Albini de Nemore. Cui, 2 Maii, per Ludovicum Bel-

laium, abbatem S. Florentii, licuit oblatum regimen suscipere. Ingratus autem Britanniæ duci, non ausus est Olivarius possessionem adire, nec ei Redonensis episcopus benedictionis munus impertivit. Tunc Joanni suffectus est ab ipso duce

XLIII. Petrus III *de Foix*, cardinalis, necnon Venetensis episcopus. Hic obiit Romæ 8 vel 10 Augusti 1490.

Quo decedente, fratres rursus Olivarium supra memoratum 7 Septembris elegerunt. Litteris autem suis dominus papa eadem abbatia donavit Antonium, cardinalem. Unde nova dissidia. Nec Redonensis episcopus, nec vicarii Turonensis metropolitæ, ad quos semet Olivarius contulerat, tantum sibi primo sumpserunt ut eum confirmarent. Mox autem, nempe 23 Octobris, Anna, Britanniæ ducissa, ejus patrocinium suscepit litteris ad dominum papam missis; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 677. Cessit tunc Antonius, inita quadam cum Olivario pactione, cujus sub lege pluribus auctus est beneficiis.

XLIV. Olivarius *de Broon* litteras accepit pontificias anno 1494, per quas fructus non unius prioratus percipere ei licuit. Occurrit 21 Martii 1499, secundum veterem computum. Decessit 20 Februarii 1501, sicut hodie computamus.

XLV. Robertus II *Guibé*, Redonensis episcopus, regias obtinuisse videtur litteras ineunte anno 1501. Abdicavit forsitan annum circa 1504; nam

XLVI. Antoniotus, episcopus Prænestinus, cardinalis sub titulo S. Praxedis, occurrit abbas S. Melanii commendatarius anno 1504, in collatione prioratus *Beau Chêne*. Obiit anno 1508.

XLVII. Robertus II *Guibé* iterum, quem Julius papa regi commendavit 18 Decembris 1508; e francico Regis codice, sub num. 8357². Obiit Romæ anno 1513.

XLVIII. Laurentius *Pucci*, presbyter cardinalis, Leonis papæ X litteris donatus est 26 Novembris 1513. Idem episcopus Venetensis fuit. Post biennium cessit, non jam inita possessione. Vacans sedes memoratur Novembri mense 1515.

XLIX. Natalis *de Margat*, natus *Caun*, non procul Dinantio, filius erat Petri *de Margat* et Antoniæ *de la Regneraye*. Is, Truncheti professus et Comburnii prior, cardinali Laurentio familiaris adhæserat; cujus favore abbatiam obtinuit, desinente anno 1515. Donatus est litteris apostolicis 8 Aprilis 1516, secundum Moricium. Munus tamen exsequens occurrit ab anno 1515, supra memoratæ cessionis interventu. Reparavit, ut aiunt, ædes abbatiæ, necnon disciplinam. Dein abdicavit anno 1523 in nepotis Francisci gratiam, et decessit 20 Februarii 1525.

L. Franciscus I *Channeau*, alias *Chauveau*, avunculo suo succedens, bullis donatus est 25 Novembris 1523. Obiit 23 Maii 1532.

LI. Renatus *Boursault de Montejan*, protonotarius apostolicus, munus, ut aiunt, adiit 25 Julii 1534, bullis 30 Junii obtentis. Occurrit tamen in tabulis ab anno 1532. Fidem regi dedit anno 1540. Idem abbas fuit Ebronii et Pontis Octranni. Superstes reperitur anno 1546.

LII. Paganus *Le Sueur*, dictus *d'Esquetot*, canonicus Rotomagensis, sigillorum custos in Normannorum senatu ab anno 1544, creatus est abbas S. Melanii anno 1548, idem circa tempus abbas S. Jovini de Marnis, et, anno 1549, Constantiensis episcopus. Vicarium generalem instituit in abbatia S. Melanii Michaelem *Dufail*, fratrum eleemosynis præfectum, 17 Aprilis 1551. Quo Paganus decessit anno, 24 Decembris, in Ebroniensi pago. Hunc quære inter episcopos Constantienses, supra, t. XI, col. 901.

LIII. Stephanus III *Martel* Pagano successit tam in abbatiis S. Jovini et S. Melanii, quam in Constantiensi cathedra. Sacramentum abbas præstitit anno 1552. Occurrit 15 Octobris 1555, ob quamdam irreverentiam censura notatus a Britannico senatu. Procuratorem instituit 18 Maii 1557, et aliquanto post ad Constantienses abiit. Quos tamen mox deseruit, arma Calvinistarum plusquam decebat metuens. Obiit anno 1560.

LIV. Arturus *de Cossé*, Caroli comitis nothus. Abbas quoque fuit Exsaquii et S. Jovini, necnon Constantiensis episcopus. Jam dictus est S. Jovini deprædator : nec S. Melanio pepercit, donec, anno 1570, cum sequente permutaverit. De eo supra, t. XI, col. 902.

LV. Franciscus II *Leroux*, protonotarius apostolicus, jamque abbas S. Michaelis in Periculo maris, per viam supra memoratæ permutationis fit abbas S. Melanii, obiturus mense Martio 1572.

LVI. Stephanus IV *Leproust*, ab anno 1572. Occurrit 12 Julii 1574.

LVII. Mathelinus III, vel Mathurinus *de Montalays*, Andegavensis, regi ab eleemosynis, munus adiit Junio mense 1575, et fidem regi dedit 17 Novembris. Redonibus sedebat, 6 Maii 1576, in comitiis Britannicæ gentis. Occurrit anno 1583, in concilio Turonensi. Tunc, præter abbatem S. Melanii, nuncupabatur prior S. Christophori in Turonia. Interfuit deinde, anno 1588, comitiis Britannicis. Quibus præfuit annis 1590, 1592, 1593, 1595, 1596, 1597, et in quibus, ut aiunt, summam laudem comparavit. Adfuit eisdem anno 1598; quo et anno iterum semet regi fidum juravit. Decessit 12 Januarii 1603.

LVIII. Octavius *de Bellegarde*, ex abbate S. Melanii futurus abbas S. Germani Antissiodorensis.

LIX. Petrus III *du Lion*, dominus *de la Cave*, supplicum libellorum magister, ex abbate S. Germani Antissidiorensis fit abbas S. Melanii anno 1606, vel 1607, quadam commutatione peracta; vide supra, t. XII, col. 400, 401. Reformatos fratres accivit Decembri mense 1627, et obiit desinente anno 1636.

LX. Ludovicus *de Nogaret de la Valette*, simul abbas S. Saturnini, S. Victoris Massiliensis, Grandis Silvæ, S. Vincentii Metensis, Gardi, Crassæ, Berdonæ et S. Martini de Campis, Tolosanus et archipræsul, Petro in abbatia S. Melanii succedit anno 1637. Dein mitram deposuit, et gladio cinctus Italicis in agris militavit.

LXI. Thomas *Isnard de Castello*, comes *de la Monta*, ab anno 1639 usque ad annum 1659.

LXII. Julius Paulus *de Lionne*, jam pluribus dives beneficiis, nominatur 8 Septembris 1659. Semet abdicavit anno 1670, permutatione facta cum sequente.

LXIII. Joannes VI *d'Estrades*, episcopus quondam Condomiensis, Caroli Locum dimisit anno 1670, et ab antecedente Julio S. Melanium accepit. Munus inchoans reperitur 14 Augusti. Decessit 12 Junii 1685; ex ejus epitaphio. Ante mortis diem, ut videtur, abdicaverat.

LXIV. Joannes VII Franciscus *d'Estrades* reperitur avunculo suffectus anno 1684. Decessit 10 Maii 1715.

LXV. Michael II *de la Roche*, archidiaconus Parisiensis, ad anno 1715 ad Octobrem mensem 1724. Abbas idem erat Clari Fontis, in diœcesi Carnotensi.

LXVI. Martinus *du Bellay*, filius Renatæ et Marthæ Suzannæ *de Rochecouart*, nominatur anno 1724. Forojuliensis episcopus fit anno 1739. Episcopatu vero semet abdicavit anno 1766, et abbatiam retinuit usque ad annum 1775, quo decessit. Post ejus mortem abbatialis mensa episcopatui Redonensi fuit unita.

S. GEORGIUS.

S. Georgium, juxta portam Redonum, inter murorum pomœria, Alanus, Britonum dux, annum circa 1032 condidit, et monialibus addixit quæ S. Benedicti legem observarent. Eis ipse sororem suam Adelam præfecit, et non tantum opulentis prædiis surgentem domum ornavit, sed etiam ecclesiam S. Petri *de Marcheil*, latine de Foro, vel de Mercato, eidem adjunxit. Cujus ad exemplum Rojantelina, vice-comitissa, quasdam puellas, ab ipsamet jam in *Cavana plebe* coadunatas, in monasterium S. Georgii numero novem transtulit Adelæque submisit. Quinque et quadraginta puellis abbatia S. Georgii ab ipso fundatore addicta est : postea vero

A quinquaginta numero fuere, de more quidem, non de instituto nobiles. Quas protegendas susceperunt Alexander papa III, et dein Innocentius III, anno 1208. Earum autem abbatissa, ut erat prædiis dives et affinitatibus suis conspicua, elatius, anno 1453, semet gerere cœpit, et de prima sede certamen cum abbate S. Melanii proponere. In ea tamen causa Melaniensibus summus Pontifex duxque Britonum favere.

Abbatissarum S. Georgii seriem reperies, a D. *de Boisaubry-Langan* descriptam, in Alb. Mantell. codice 41. Consulendum insuper
B Monasticon Benedictinum, t. XV.

ABBATISSARUM SERIES.

I. Adela I, soror Alani ducis, eligentibus monialibus et Alano annuente, administrationem abbatiæ suscepit annum circa 1032. Exstat Alani charta, qua Adelam, ut ait, *faciens abbatissam*, plures cœnobio reditus confert. Eidem paulo post monasterium S. Petri *de Marcheil* et ecclesiam *Plubihan* condonavit. De qua ecclesia litigans Adela cum Gualterio præposito, cum eo transegit; Prob.
C Hist. Brit., t. I, col. 409. Fratri postea superstes ante Conanum ducem Adela vocavit Grossinum et Theocelinum, qui jura monacharum in ecclesiam S. Petri sibi vindicaverant; ibid., col. 404. Ejus martyrologium Roncereii meminit III non. Martii, anno incerto.

II. Hodierna dicitur secunda S. Georgii abbatissa, in quodam pacto cum Rivallono, filio Gorgali; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 428. Eadem emit villam *Pan;* ibid., col. 438. Ei præterea Geoffridus, Redonensis comes, annum circa 1075, Regale Pratum concessit;
D ibid., col. 442. Obiit idibus Januarii; e Roncereii martyrologio. Annum quidam proponunt 1077. Ea vero conjectura rejicienda videtur. Anno certe 1076 Hodierna superstes erat, cum memoretur quædam condonans filiis Gualterii, teste Silvestri, Redonensi præsule; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 143. Comprobatum autem habemus eam post annum 1081 vixisse; nam in tabulis reperitur non tantum una cum Silvestri præsule, sed etiam cum Gervasio, S. Melanii abbate; Monastic. Benedict., t. XV, fol. 290.

III. Thiephania, vel Stephania I, post Hodiernam ab Alberto Magno ponitur; quæ
E obiit, ut aiunt, anno 1084.

IV. Adela II, soror Alani *Fergant*, ab eo confirmata scœnobii possessiones accepit, anno 1085.

V. Adela III, vel Adelais Alixve, quam e Mathefelonia gente deductam nonnulli opinantur, occurrit, VIII cal. Octobris 1158, confirmatum impetrans a Conano duce quoddam jus circa naviculas per Ligerim decurrentes; inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 631. Eadem

post annum 1159 ab Alexandro papa III litteras accepit. Decessisse legitur 18 Martii 1164.

VI. Stephania II, consecrata, utaiunt, anno 1169, a Stephano præsule, eodem anno obiit.

VII. Adela IV de Vitreio decessit, ut fertur, anno 1181.

VIII. Stephania III, quam nonnulli gentilitio nomine *de Tinteniac* nuncupant, pro fulnario, vel, ut conjectat Cangius, pro pistore suo litigavit, anno 1200, ante Constantiam comitissam, et eum militia immunem asseruit. Anno sequente, Februario mense, pacta est cum quibusdam laicis de oblationibus B Morzelliæ. Eadem de Morzellia litigavit, anno 1203, cum P. de Bello Monte. Ante Guillelmum, senescallum Redonensem, reperitur, anno 1205, querens de quodam milite, qui Spinetum, S. Georgii prædium, per vim occupaverat; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 141. Decessit 23 Septembris 1209, secundum Augustinum a Passu. Nonnulli vero in eo ipso die quamdam Joannam abbatissam, de qua nihil aliud refertur, obiisse, et Stephaniam ab aliquot annis jam munere semet abdicavisse memorant. Quorumnam potior sit sententia dubium est.

IX. Stephania IV obiisse legitur anno 1215.

X. Mathildis *de Corcop*, anno 1228, super quodam prædio cum Derriano, milite, pacta est. Anno 1231, capellanum Guillelmum *Bozon* instituit. Anno 1235, chartam edit de Savigneio datis a Georgio de S. Crispino; e Max. Gall. Arch., L, 1146[b]. Eo anno, utaiunt, obiit, 1 Maii.

XI. Adela V, vel Adelais *de Champagne*, anno 1235 consecrata, decessit anno 1250.

XII. Agnes *d'Erbrée*, anno 1250 consecrata, obiit 20 Novembris 1270.

XIII. Amita, vel Jameta, *de Quédillac* consecratur anno 1270. Anno 1274, de decimis cum capitulo Dolensi paciscitur. Obiit 1 Martii, hoc anno 1274, vel 1275.

XIV. Guidona *d'Erbrée* pacta est, anno 1275, cum Olivario de Tintiniaco. Obiit 9, vel 19 Augusti 1278.

XV. Joanna I *de Boschaux* obiit 19 Maii 1294.

XVI. Catharina *de Mathefelon*, filia Fulconis III, Duristalii et Mathefelonis toparchæ, consecratur anno 1294. Obiit 29 Aprilis 1317. Ejus sub eamdem diem Belli Portus necrologium meminit.

XVII. Philippa I *de Mathefelon*, sorori subrogata, anno 1317 consecratur, et naturæ debitum persolvit 2 Septembris 1325.

XVIII. Constantia *de Pontblanc*, benedicta anno 1325, obiit 28 Augusti 1352.

XIX. Alicia *de Mathefelon* occurrit anno 1360, quo, ut videtur, abdicavit, anno 1370 moritura.

XX. Joanna II *de S. Pern* a quibusdam A post Aliciam ponitur. Eodem circiter tempore, Joanna *de Laval* recensetur. Silentibus tabulis diversa diversis conjicere licuit.

XXI. Marquisia I *de Rieux* consecratur anno 1364 et obit 23 Aprilis 1405. Abdicaverat anno 1377.

XXII. Juliana *Duguesclin*, Bertrandi soror, consecratur anno 1377. Britonum duci copiam dedit, 5 Augusti 1399, ut Tintiniaci colonis vectigal imponeret. Decessit 27 Martii 1405.

XXIII. Isabellis I *Turpin de Crissé* consecratur anno 1405. Reperitur Julio mense 1420. Obiit 25 Maii 1440.

Philippa *de S. Pern* occurrit, 30 Junii 1406, abbatiale munus sibi vindicans. Nec tamen id assecuta est.

XXIV. Petrina I *du Feu* consecratur anno 1441. Ante abbatem S. Melanii sedere studens in Redonensis ecclesiæ choro, cecidit in hac causa coram domino papa; e litteris Nicolai papæ V, VII id. Novembris 1453. Obiit 22 Februarii 1461.

XXV. Isabellis II *Piedeloup* eligitur anno 1461. Quia vero nonnulla in Olivam *de Quelen* suffragia convenerant, de præsidatu litigaC tum est. Oliva quidem bullas obtinuit pontificias. Sed Isabelli dux Britonum favit, eaque, litteris a duce obtentis Junio mense 1462, abbatia potita est. Decessit 21 Julii 1472.

XXVI. Oliva *de Quelen* Isabelli successit. Ad eam scribit Sixtus papa, VI id. Januarii 1474, et, de sublapsa querens disciplina, convivia prohibet intra claustrum laute celebrata, frequentiores monialium egressus, et quasi liberas per sæcularium habitacula discursationes; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 278. Eadem memoratur anno 1477. Abdicavit anno 1485 in gratiam sequentis. D

XXVII. Francisca I *d'Espinay*, soror Andreæ Lugdunensis archiepiscopi, necnon Joannis Mirapincensis, Guillelmi Landunensis, Joannis Valentinensis et Roberti Nannetensis episcoporum, bullas pontificias, quibus S. Georgio præficiebatur, exhibuit 16 Maii 1486, et e ducis Britonum auctoritate munus adiit Octobri mense. Decessit 4 Julii 1520.

XXVIII. Roberta *Busson*, antecedentis neptis, ejusdem coadjutrix ab anno 1514, ei successit anno 1520. Moritur 25 Julii 1521.

E XXIX. Petrina II *d'Espinay* consecratur anno 1521, et obit 4 Octobris 1522.

XXX. Isabellis III *Hamon*, soror Andreæ Venetensis et Francisci Nannetensis episcoporum, consecratur anno 1522, et obit 4 Novembris 1523. Ea abbatiam regente, a disciplina virgines deflectunt: in quibus emendandis operam perdit.

XXXI. Christiana *Toustain*, professa Calensis monasterii, procuratorem instituit per quem regi fidem juret, 26 Novembris 1524;

e Max. Gall. Arch., J, 818. Munere semet abdicavit anno 1527, anno 1556 moritura.

XXXII. Joanna III *de la Primaudaie*, Fontis Ebraldi monialis, occurrit annis 1534, 1536. Joannam dux nominaverat; sorores vero, suffragiis aditis, Mariam *de Kermeno*. Quæ, pro more, Britanniæ senatum litigantes adierunt. Joanna forsan munus dimisit; nam

XXXIII. Maria *de Kermeno* reperitur annis 1536, 1540, moritura 24 Februarii 1557, anno ætatis 75.

XXXIV. Joanna IV *de Kermeno*, alias *de Kermeur*, regi fidem dedit anno 1557 ineunte. Obiit 27 Aprilis 1572, anno ætatis 51.

XXXV. Philippa II *d'Espinay* possessionem adipiscitur 16 Novembris 1572. Obiit 20 Junii 1582.

Philippa defuncta, colliguntur suffragia, et protinus ad dominum papam nuntius mittitur, eum qui de peracta electione moneat. Monialium vero nuntium armatæ, quæ Redonensem agrum occupabant, turmæ ceperunt, earumque dux, audita Philippæ morte, abbatiam a rege pro propinqua sua poposcit et obtinuit.

XXXVI. Marquisia II *de Beaucaire*, spretis suffragiis, a rege creatur, eique fidem dat anno 1599. Consecrata fuerat, ut aiunt, anno 1582. Deinde in gratiam sequentis abdicans, obiit 30 Aprilis 1609.

XXXVII. Francisca II *de la Fayette*, antecedentis neptis, consecratur 22 Novembris 1609. Fidem regi dedit anno 1617. Filia erat Claudii *de la Fayette* et Mariæ *d'Aligre*. Obiit 30 Junii 1663.

XXXVIII. Magdalena *de la Fayette*, filia Joannis et Margaritæ de Borbonio, amitæ, cujus coadjutrix fuerat, successit. Consecratur 4 Octobris 1663, et obit anno 1693.

XXXIX. Margarita *du Halgoët de Cargre*, S. Georgii professa 15 Augusti 1688, abbatia potitur anno 1693.

XL. Elisabetha *d'Alègre* munus adit 2 Maii 1715. Obit 18 Aprilis 1741.

XLI. Juditha *de Chaumont de Guitry* possessionem adipiscitur 17 Octobris 1742, anno 1779 moritura.

XLII. N. *Bareau de Girac*, soror episcopi Redonensis, nominatur anno 1779. Superstes erat anno 1790.

S. SULPICIUS.

Radulfum de Fustaio, quem vocant alii Radulfum de Flageio, conditorem suum agnoscit S. Sulpicius Redonensis. Cucullum ille postquam susceperat in claustro S. Jovini de Marnis, Roberti Arbrisellensis dein vestigiis ingressus, sanctas virgines ipse devexit in silvam Redonensis agri quam Nidum Merulæ nuncupabant, easque Benedictinam regulam docuit, curantibus ne tecto victu-

A que carerent vicini tractus toparchis. Quidam hanc fundationem adscribunt anno circiter 1112, ut notavit *Brial*, Rer. Gallic. Script., t. XIV, p. 173 : alii vero paulo recentiorem opinantur. Consummatum jam videtur opus novi parthenonis et sub invocatione S. Sulpicii consecratum, anno 1117, quo Guillelmus, Pictaviensis episcopus, Radulfum monachum monialesque donavit ecclesia S. Mariæ Magdalenæ de Fulgerosia (1). Ch. III, col. 164.

Obiit Radulfus, quem S. Sulpicii necrologium sanctis intercessoribus annumerat, XVII cal. Septembris 1129. S. Sulpicium quinque

B et vigenti puellæ olim incoluere. Plura ad hanc abbatiam spectantia præbet Alborum Mantell. codex 40.

ABBATISSARUM SERIES.

I. Maria I, filia, ut aiunt, Stephani, Anglorum regis, occurrit anno 1124 in litteris Roberti, Corisopitensis episcopi, quibus ab eo monasterium S. Mariæ accepit. Pacta est Maria, anno 1145, cum Roberto, abbate S. Albini, et, sub idem tempus, cum Majoretanis super ecclesia Landæmontis. Eo quoque an-

C no Ercei ecclesiam obtinuit ab Alano, Redonensi præsule. Anno 1138, de variis prædiis cum monachis S. Sergii transegit. Ch. V, col. 165.

Ad eam scribens Eugenius papa III, anno 1146, abbatiam S. Sulpicii protegendam suscepit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 597. Eidem, anno 1152, Bernardus, Nannetensis præsul, rursus dedit B. Mariam de Scotia, S. Radegundem, S. Honorinam, et Graiam insulam; apud *Travers*, Concil., t. II, p. 322. Eodem anno, mense Septembri, confirmatum a Radulfo, Corisopitensi præsule, monasterium S. Mariæ impetravit; Prob. Hist.

D Brit., t. I, col. 612. Pacta est tandem, anno 1156, cum Guillelmo, S. Melanii abbate: quo et anno ab Alano præsule confirmationem obtinuit rerum quas in Redonensi diœcesi moniales possidebant. Decessit, ex abbatiæ veteri necrologio, II non. Maii 1159.

II. Niva, alias Nina, occurrit XI cal. Decembris 1162, in litteris Alexandri papæ monialium bona juraque confirmantis. Eadem, anno 1164, plura memoratur accipiens a Gorantono de Vitreio; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 653 : alia, eodem anno, a Guillelmo, Hamonis filio; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 205;

E alia tandem, sub idem tempus, a Roberto de Vitreio. Eidem, anno 1181, Philippus, Redonensis episcopus, ecclesiam Ercei confirmavit; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 179.

Enoguen, soror Conani ducis IV, filia Ber-

(1) Annum charta præbet 1118, lunam, aut cyclum lunarem XIII. Cyclus autem lunaris tertius decimus anno 1117 respondet, et insuper data legitur charta Paschasio, vel Pascali pontificante, qui videlicet obiit Januario mense 1117, secundum Gallicanum computum. Adverte quod nullæ Guillelmi, Pictonum præsulis, vetustiores litteræ proferantur; supra, t. II, col. 1171.

thæ comitissæ et Alani Nigri, tertia dicitur a quibusdam S. Sulpicii abbatissa. Eam tamen Moricius removit. Cui suffragamur, cum nulla in chartulis S. Sulpicii mentio reperiatur tantæ stirpis abbatissæ.

III. A. sub Herberto præsule cum Simone, rectore Chancii, pepigit. Ea forsitan non ab Aanorde distinguenda, quæ legitur subscribens litteris Andreæ de Vitreio pro monachis S. Crucis; e chartul. Maj. Monasterii. Amelina tamen vocatur, anno 1201, in charta qua memoratur a Brientio mediam partem cujusdam decimæ accipiens. Tandem Amelina *d'Escosse* dicitur in veteri necrologio, quod mortem ejus adscribit anno 1210.

IV. Oliva I confirmationem obtinuit, anno 1213, decimarum quas in Redonensi diœcesi abbatia possidebat. Has Petrus episcopus edidit litteras. Pacta est, eodem anno, cum *Harscoit de Vendel*. Decessit, e necrologio, pridie non. Martii 1214.

V. Mabilia memoratur anno 1216, litigans de quadam decima; anno 1218, decimam Ganzeii accipiens a Guillelmo Villico. Anno 1221, emit mediam Hisleti moletrinam. Reperitur, anno 1224, juribus quibusdam a Radulpho *Le Prouz* donata. Anno 1225, moniales Petram Alberici incolentes amovit, et locum duobus capellanis tradidit. Occurrit etiam anno 1228.

VI. E. pacta est, anno 1239, de domibus quibusdam juxta *Moisé* sitis.

VII. Amita *de Dinan* occurrit in litteris Joannæ *de Keraer*. Memoratur in veteri necrologio decedens IX cal. Februarii 1240, secundum recentem calculum.

VIII. Joanna I *Bonamy* decessit III cal. Octobris 1249; ex abbatiæ necrologio.

IX. Joanna II *de Keraer* reperitur, 2 Martii 1250, prioratum Locmariensem visitans.

X. Yvonna, decima dicta abbatissa, decessit VII cal. Julii 1254; e veteri necrologio.

XI. Agnes I occurrit ab anno 1258.

XII. Joanna III *Saulnier*, 1261.

XIII. Agnes II, anno 1272, composuit cum monialibus S. Margaritæ de Vinacio, in ecclesia Baiocensi, eas ab omni jurisdictione eximens; in excerptis ex archivo Cadomensi, quæ protulit D. *Lechaudé d'Anisy*, t. II, p. 288. Eadem, in tabulis S. Sulpicii, anno 1277. Superstes tandem memoratur Augusto mense 1285.

XIV. Maria II *Hurel*, 1289. Obiit die festo S. Agnetis; e necrologio.

XV. Guillelma I occurrit ante Eustachiam in litteris quas semet vidisse *Hévin* denuntiat.

XVI. Eustachia, anno 1294; ex eodem.

XVII. Joanna IV prædium sub censu tradit anno 1302. Legitur eadem in excerptis e Roncereii tabulario, agnoscens se quinque et triginta solidos censuales Andegavensi parthenoni debere; apud *Housseau*, t. XII.

A XVIII. Petrina, vel Petronilla *des Granges*. Ad ejus petitionem scripsit episcopo Nannetensi, VI non. Martii 1321, Joannes papa XXII, jubens ut fratres S. Sulpicii condonati monialesque de propriis bonis pressam ære alieno abbatiam adjuvarent; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 212. Anno 1329 in tabulis Perrona memoratur. A supra dicto Joanne papa litteras insuper obtinuit, VIII cal. Novembris 1330, de condonatis fratribus debitos abbatiæ reditus tradere recusantibus; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1355. Prioratum Locmariensem visitavit 9 Aprilis 1341; e litteris quas *Hévin* exhibuit. Abbatiam postquam triginta per annos administraverat, obiit Martis die ante festum S. Jacobi; e necrologio.

XIX. Margarita I *de Coetquen*, annis 1362, 1363.

XX. Alemota, anno 1372, Guillelmo de Brolio Locmariensem prioratum tradit administrandum; e tabulis quas *Hévin* perlegit.

XXI. Guitburgis *d'Orenges* occurrit anno 1381. Obiit 1 Aprilis 1391.

XXII. Joanna V *Millon* de decimis S. Albini transigit, anno 1392, cum Philippo *de S. Pern*. Eadem reperitur annis 1400, 1404. Decessit 12 Novembris 1407.

XXIII. Guillelma II *du Taillis*, alias *de Talli*, aut *de Talie*, legitur annis 1419, 1422, 1423. Obiit 9, vel 19 Junii 1426, jam ab undevicenis annis abbatiæ S. Sulpicii præfecta.

XXIV. Guillelma III *Millon* occurrit anno 1433, in chartulario Maj. Monast., et, annis 1434, 1435, in excerptis e S. Sulpicii tabulis.

XXV. Joanna VI *de Québillac* legitur anno 1451, professionem clientelæ faciens Annæ, Lavallensi comitissæ. Decessit 15 Aprilis 1461.

XXVI. Maria III *de Morais* reperitur anno 1461. Decessit anno 1495; e necrologio.

XXVII. Joanna VII *Millon* obiit 7 Martii 1498.

XXVIII. Andrea *Boullonneau* occurrit annis 1498, 1507, 1517, 1525, 1526. Decessit, e necrologio, 5 Februarii 1529.

XXIX. Alicia *du Pont-Bellanger* eligitur anno 1529. Moritur 17 Julii 1546.

XXX. Jacoba *de Harcourt* fidem regi dedit anno 1556. Occurrit, 7 Novembris 1568, Locmariensem prioratum nepti suæ tradens Gabrielidi *de Morais*. Decessit 5 Decembris 1577.

XXXI. Gabrielis *de Morais*, S. Sulpicii professa 15 Februarii 1547, Locmariensis priorissa ab anno 1568, ut abbatissa S. Sulpicii regi clientelare promisit obsequium anno 1579. Reperitur in chartulis annorum 1580, 1585, 1586, 1589, 1591, 1593, 1598. Peste in abbatia desæviente, una cum sororibus suis aliquantisper in alium locum secesserat, anno 1583. Obiit 17 Decembris

1614, quæ jam ab aliquot annis abdicaverat in gratiam sequentis.

XXXII. Antonia *de Morais*, antecedentis neptis, fidem regi dedit anno 1605, et decessit, e necrologio, 11 Septembris 1608.

XXXIII. Margarita II *d'Angennes de Poigny* nominatur anno 1608, et sacramentum præstat anno 1610. Obiit 5 Julii 1662, ætatis anno 82.

XXXIV. Margarita III *de Morais*, antecedentis neptis, ex ejus coadjutrice abbatissa. Litigavit, anno 1688, contra Joannam *de Talhoët*, Locmariensem priorissam. Hujus litis instrumenta *Hévin* edidit. Obiit 13 Junii 1704.

XXXV. Angelica Renata *de la Forest d'Armaillé* abbatissa creatur 14 Augusti 1704, moritura 1 Maii 1721.

XXXVI. Oliva II Claudia Eleonora *de Lesquen de Villemeneust* munus aggreditur 24 Junii 1721; quo semet abdicavit anno 1727.

XXXVII. Magdalena Elisabetha *de Bouchard de Lussan d'Esparbès d'Aubeterre* possessionem adit 17 Julii 1727.

XXXVIII. N. *de la Bourdonnaie* ab anno 1755 usque ad annum 1778.

XXXIX. N. *Lemaître de la Garlaye* ab anno 1778 ad annum 1790.

S. PETRUS DE RELLEIO.

Abbatia S. Petri de Relleio, alias de Filgeriis, Filgeriis siquidem sita, condita memoratur annum circa 1150, ab Henrico, prædicti loci toparcha. Ibidem, ut aiunt, Auffredus, ipse Filgeriensis dynastes, ecclesiam collegiatam anno 1024 ædificaverat. Ut vero regularis disciplina sæculari subrogatur, canonicis S. Augustini instituta colentibus domus addicta reperitur. Qui, anno 1628, S. Genovefæ reformationem admisere. Anno 1721, rector ecclesiæ S. Ludovico sacræ, in urbe *Lorient*, mensam Relleii abbatialem ipsi dono datam impetrat. Parvum hujusce domus nomen fuit. Relleii quidem necrologium, in Albor. Mantell. cod. 41 servatum, abbates plures exhibet, quos certorum ad fidem documentorum temporibus congruis collocare non licuit.

ABBATES.

I. Gualterius I de *Alion* innotescit e charta Radulfi, Filgeriensis domini, de cœnobio jam datis prædiis. Anno 1152, Andegavi reperitur, Alani præsulis testis S. Melanii possessiones confirmantis. Idem, anno incerto, ejusdem Alani litteris subscripsit, quibus Savigneium Saivaliæ capellam obtinuit; e Max. Gall. Arch., L, 1146[16]. Decessit, ut aiunt, Gualterius 9 Januarii 1157.

II. Guillelmus I, VII cal. Decembris 1157, A testis legitur in litteris Stephani, Redonensis episcopi, Saviniacensium monachorum possessiones confirmantis. Idem, IV non. Aprilis 1157, vel, secundum recentem usum, 1158, paciscitur cum Joanne de Gravilla; inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 631. Annis 1162 et 1163, testis occurrit in chartis Radulfi, Filgeriarum domini, de quibusdam monasterio Savigneii traditis; ibid., col. 646. Legitur dein, 24 Februarii 1169, testis compositi jurgii inter canonicos Redonenses et monachos S. Melanii; ibid., col. 659. Anno tandem B 1173, subscripsit litteris P., Redonensis archidiaconi, pro monialibus S. Sulpicii; ex Alb. Mant. cod. 40, p. 201. Memoratur e vivorum numero deturbatus 3 Martii 1174.

III. Mauricius I subscripsit, anno 1174, pacto super ecclesia S. Symphoriani, inter Redonenses canonicos et monachos S. Melanii; eodem anno, cujusdam testis fuit concordiæ inter S. Melanii et Savigneii monachos; e Savigneii chartario. Composuit idem, anno 1180, super Logarum ecclesia, cum Savigneii monachis; ex eodem chartario. Anno 1184, mandato domini papæ, litem diremit inter Guihenocum et monachos S. Crucis de Vitreio; C e chartul. Maj. Monasterii. Guillelmo dein, Saviniacensium abbati, post annum, ut palam est 1186, quadraginta solidos concessit, quos Veteri Villæ Isabellis de Mednana dederat; e Max. Gall. Arch., L, 1146[11]. Una tandem cum eodem Guillelmo reperitur, anno incerto, in charta cujusdam Guillelmi Savigneio Bozeium sub census conditione tradentis; ibid. Ejus necrologium abbatiæ meminit 4 Maii.

Sub id temporis abbatem quemdam Bavum nomine *Ogée* ponit, quem una cum Radulfo de Filgeriis adversus Anglos pugnavisse memorat, ante annum 1185. Bavus igitur cor- D ruptum nomen est, aut gentilitium Mauricii cognomen.

IV. Petrus I nominatur, anno 1197, in Herberti præcepto, Redonensis episcopi, possessiones Majoretanorum in diœcesi sua confirmantis; e chartul. Maj. Monast. Inter vivos adhuc numerabatur anno 1200. Decessit 4 Januarii; ex abbatiæ necrologio.

V. Gualterius II memoratur, cum Juhello Buxeriæ et Mauricio Veteris Villæ abbatibus, in charta quadam Guillelmi *de Montsorel*; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1140. Mense Fe- E bruario 1218, mandato papæ, inter monachos S. Michaelis et Guillelmum Monachum litem diremit. Reperitur etiam Aprili mense 1219, in chartul. Fontis Danielis, pag. 32.

Guillelmus apud Moricium legitur, anno 1217, pacti præ memorati testis inter Guillelmum Monachum et fratres S. Michaelis. Non autem Guillelmum, ut nos docet Alb. Mantell. codex 41, p. 668, sed litteram G. charta præbet. Quamobrem hunc Guillelmum ut plane fictitium rejicimus.

VI. Joannes I, mense Februario 1246, secundum recentem calculum, super decimis composuit cum Stephano, Savigneii abbate, coram Guillelmo, Abrincensi episcopo; e Max. Gall. Arch., L, 14467. Eum opinamur eumdem ac Joannem de Valle Leonis, cujus Relleii necrologium meminit, 24 Junii.

VII. Philippus transegit, anno 1255, cum abbatissa S. Sulpicii; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 215. Obiit 19 Martii.

VIII. Thomas composuit, anno 1286, cum Hugone, Filgeriarum comite. Decessit 10 Februarii; ex abbatiæ necrologio

IX. Matthæus reperitur in litteris quibus Guillelmus sequens instituitur.

X. Guillelmus II *Die*, canonicus Relleiensis, plura post Matthæi mortem suffragia sibi conciliavit : cum tamen e fratribus nonnulli partes alterius cujusdam essent amplexi, electio memoratur *in discordia* peracta. Instituit Guillelmum Urbanus papa V, XVII cal. Januarii 1368; e Suaresio. Occurrit anno 1391, in excerptis e Relleii tabulario.

XI. Joannes II de Redonis, anno 1406. Obiit 29 Januarii.

XII. Joannes III *de Laval*, anno 1431. Obiit 6 Januarii; ex obituario Montis Fortis.

XIII. Guillelmus III *de Tuffou*, decretorum doctor, qui primus jus docuit in scholis Nannetensibus, reperitur annis 1460, 1479. Obiit 6 Decembris; ex abbatiæ necrologio.

XIV. Raphael *de Rena*, commendatarius abbas, occurrit in acceptæ pecuniæ syngrapha, 25 Novembris 1499; apud Max. Par. Bibl., in chart. capsa, sub num. 1449.

XV. Mauricius II *Le Bigot*, Romanæ sedis protonotarius, commendatarius erat abbas Relleii annis 1521, 1526, 1536. Obiit 3 Julii; ex abbatiæ necrologio. Frater erat Joannis, Belli Portus abbatis. Mauricii nostri Belli Portus obituarium meminit, pridie id. Septembris.

A XVI. Joannes IV *Le Bigot*, antecedentis e fratre nepos, memoratur anno 1540. Sacramento semet obligat 27 Maii 1541, et obit idibus Septembris 1544; ex obituario Belli Portus.

XVII. Sebastianus *Thomé*, idem et thesaurarius ecclesiæ Redonensis, utroque munere fungens occurrit anno 1558. Fidem regi dederat anno 1557. Obiit 14 Januarii 1569; ex abbatiæ necrologio.

XVIII. Renatus *de la Haye* memoratur anno 1578. Obiit, e necrologio, 1 Augusti 1581.

B XIX. Melchior *de Marconnay*, abbas jam Septem Fontium in Remensi diœcesi, Relleium accepit anno 1581. Interfuit comitiis annorum 1587, 1588. Creatur Briocensis episcopus anno 1601.

XX. Arturus *d'Espinay* regi se fidum jurat anno 1618; apud *Padioleau*.

XXI. Nicolaus *de Limagues* occurrit anno 1627.

XXII. Petrus II *d'Espinoisse*, e senatoria gente, reperitur in Britanniæ comitiis annis 1655, 1657. Anno 1681 in Gallia Sacra memoratur.

C Si qui Petro Relleii successerunt abbates, eorum memoria excidit. His tamen annumerare licet parochianos urbis *Lorient* sacerdotes, usque ad annum 1790.

Ea denique sunt abbatum Relleii nomina, quæ necrologium abbatiæ, tempora vero sub incerta, nobis tradidit :

Rollandus memoratur 14 Februarii.
Lucas, 13 Junii.
Ragenardus, 20 Septembris.
Anselinus, 24 Octobris.
Geoffridus, 1 Novembris.
Hugo *Mauveis*, 3 Martii.
D Matthæus *Groussin*, 11 Martii.
Geoffridus *Piédevache*, 15 Februarii.
Matthæus de S. Ægidio, 4 Aprilis.

ECCLESIA NANNETENSIS.

Namnetes, Nannetesve, inter Galliæ Celticæ Julius Cæsar, inter Lugdunensis Galliæ populos Plinius recensuit. Iidem a Strabone Namnitæ nuncupati. Qui Venetis adversus Cæsarem bellum moventibus socios semet præbuerunt; de Bello Gallico, lib. III, c. 9. Majorem et incolis frequentiorem Nannetensis agri civitatem Theodosiana tabula Portum Namnetum, Ptolomæus, Adriani coætaneus, Condivicnum, Notitia Galliarum, Honorio imperante digesta, Mannatias, vel potius Nannetias, Gregorius tandem Turonensis Namnetas appellavere. Obscura vox est Condivicnum. Eam ut interpretando explanarent, deductam quidam dixerunt a *condate*, usitatissimo veteres apud Gallos vocabulo, quod *confluentem* significat. Dein invaluit mos ut nomen hoc Nannetes ipsam gentem et civitatem gentis præcipuam designaret. Quarto desinente sæculo, Maximus, imperii majestatem appetens, Britonum insulam collectis copiis deseruit, et ad Armoricanam oram appulit. Invalida Romanorum in eo tractu præsidia : quæ Britones, convectandarum prædarum spe Maximum secuti, retro cedere facile coegerunt, ipsique desertis agris protinus potiti sunt. Eorum dux erat, ut memorant, Conanus Mereadocus, patria Scotus, et inter populares avorum fama conspicuus. Qui ut Armoricanis urbibus, Maximo incœptum iter prosequente, præpositus est, a Romanis postmodum defecit, et principatus sui sedem Nannetibus constituit. Hunnis postea Gothisque Nannetensem agrum depopulantibus, ad tractum Oceano finitimum a Conano geniti principes accessere; unde Nannetibus illata clades ablatumque decus. Quæ ab illo tempore civitas comitibus quidem suis paruit; hi vero, clientelaris obsequii vinculo Francorum regibus adhærentes, sub eorum vexillis adversus ipsos Britones pugnaverunt, donec Nomenoius, e Francorum militari præfecto regem se ferens, Lambertum comitem in exsilium egerit, regnoque suo Nannetense territorium adjunxerit. Nomenoio successerunt Erispoius et Erispoii Salomon occisor, æque Britonum adumbrati reges : post quos Britanniæ principatum duces tenuere. Aula vero regum ducumve Redones; qui Nannetibus ad tempus tantummodo commorari consuevere. Majus ergo Redonum quam Nannetum in commentariis Britanniæ publicis nomen. Nannetum tamen potior situs juxta Ligeris ripas, pinguius solum, præter quam civium indoles operosæ studiosior vitæ, et ad obeunda transmarinarum peregrinationum pericula promptior. Quare ad tantas pecunias, labentibus annis, venerunt, ut opulentissimis Galliæ totius populis annumerarentur, eisque Britones dici sorderet. Præclara Nannetensis rei incrementa compendioso sermone descripsit *Ogée;* Lexic. Hist., t. III.

Explosa dudum eorum sententia qui S. Clarum, primum ecclesiæ Nannetensis pastorem, apostolorum æqualem dixere. Quantum tamen indubiam ex actis SS. Donatiani et Rogatiani conjecturam capere licet, non defuerunt Nannetibus, tertio decurrente sæculo, qui strenue Christi legem amplecterentur, suamque fidem palam professi, sævam mortem appeterent. Nec mirum, ut Dericus animadvertit, si, Armoricanas inter urbes Turonibus propior, ipsa semet ante alias civitas Nannetum ad boni nuntii præcones converterit. Ob id quoque Turonensi metropolitæ cæteris firmius, Dolensis dum contumacia perduravit, Nannetenses præsules adhæsere. Rara tamen inter eosdem et Britonum duces concordia : de quibus dissidiis infra disserendum. Hic adnotare satis est, quod, auctoritatis imminutionem minime passi, æquum episcopi sæpius habuerint, injustissimis tamen viis jus suum nonnunquam quæsiverint. Diœcesis Nannetensis territorium late quondam diffundebatur; quam Pictaviensi contiguam fuisse plures asserunt. Angustioribus postea terminis coarctata, collegiatas verumtamen ecclesias 3, parochiales circiter 240, abbatiasque 8, præter multos prioratus conventusve virorum puellarumque, monachorum canonicorumve, continuit. Ecclesiam B. Mariæ collegiatam, in urbe Nannetensi, quam Daniel antistes anno circiter 1325 exstruxerat, Petrus dux, anno 1454, novis operibus auxit. Collegia canonicorum insuper Guerrandiæ, necnon Clissone. Recensendæ nunc episcopalis urbis ecclesiæ. Hæ fuerunt S. Crux, S. Nicolaus, S. Similianus, S. Clemens, S. Joannes-Baptista, S. Laurentius, S. Saturninus, S. Radegunda, S. Dionysius, S. Leonardus, S. Vincentius et S. Donatianus. Ecclesia tandem cathedralis, S. Petro sacra, quam Felix episcopus anno, ut videtur, 568 absolverat, a Normannis, anno 843, vastata est. Ei vero reficiendæ Fulcherius præsul, anno circiter 900, et Warochus, episcopus et comes, anno 987, operam contulere. Anno dein 1434, Aprili mense, amplioris basilicæ Joannes dux, præsente Joanne de Malestricto, præsule, fundamenta ponit. Instituta videtur anno 1000 mensa capitularis, ab Herviso præsule : quam postea Gualterius et Quiriacus auxerunt. In capitulo, præter viginti canonicos, sex dignitates : decanus, summus archidiaconus, archidiaconus Medianensis, cantor, thesaurarius, et scho-

lasticus. Non tamen ab origine cæteris canonicis decanus præerat : veteribus enim in chartis archidiaconi sæpius quam decani episcopalis sigilli testes occurrunt. Anno vero 1305, Daniel antistes, capitularis disciplinæ refector, Nannetensium officiorum ordinem Turonensium ad exemplar composuit. Ab eo tempore primas decanus tenuit.

De nonnullis Nannetensis diœcesis conventibus summatim dicendum. Fratres Prædicatores in urbe episcopali anno 1228 constituti; Guerrandiæ jam anno 1212 : Fratres Minores, Nannetibus, 1296; Clissone, 1372; Burgi Novi, 1349; Savenaii, 1410; Ancenisii, 1507 : Capucini, Nannetibus, 1593 et 1664; Machecolii, 1579, et postea in maritimo vico *Croisic :* Recollecti, Nannetibus, 1618 : Carmelitæ, Nannetibus, 1318 : Carthusiani, Nannetibus, in ædibus S. Clementis, 1445 : Augustiniani, Candæi, 1491 : Minimi, Nannetibus, 1540 : Oratoriani, Nannetibus, 1621 : Jesuitæ, Nannetibus, 1661 : Sacerdotes Hibernici, Nannetibus, 1690. Hi præterea monialium conventus fuere : Claristæ, Nannetibus, 1457 : Carmelitanæ, Nannetibus, 1478, 1618 : Calvarianæ, Nannetibus, 1624, et Machecolii : Ursulinæ, Nannetibus, 1627, et Ancenisii, necnon Guerrandiæ : a Visitatione dictæ moniales, Nannetibus, 1627 : Franciscanæ, Nannetibus, 1627, et Savenaii. Nec cunctas cujuslibet ordinis domus singulatim recensuimus.

Nannetensium episcoporum seriem plures digessere : accuratius nemo quam Nicolaus *Travers,* cujus eximiæ de Nannetensis diœcesis historia commentationes typis editæ sunt anno 1840, et luculentis adnotationibus insignitæ. Eo duce tutius iter fecimus.

EPISCOPI NANNETENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Clarus.

Primus Nannetensis ecclesiæ præsul Clarus in veterum indicibus nuncupatur. Gente, ut videtur, Latinus erat. Quo tamen sub consule vixerit incertum est. Plures quidem eum in Armoricam venisse contendunt anno circiter 280, et in agro Venetico obiisse 10 Octobris 309 : id autem pro rei momento parum compertum est. Quod de eo sileat Gregorius Turonensis desideratur.

II. Ennius.

Ennium indices supra memorati post Clarum ponunt. Cum autem eum pariter sanctis confessoribus annumerent, his in eo Nicolaus *Travers* non plane confidit. Ædem Deo sacram Ennius Nannetibus primus exstruxisse fertur.

III. S. Similianus.

Similianus, idem qui Similius, Similinus et Emilianus vocatur, non Gregorio Turonensi ignotus pertransiit. Consule de Glor. Martyr., lib. I, c. 60. In editis manuscriptisve calendariis memoratur Similianus XVI cal. Julii.

IV. Eumelius.

Eumelius, quem nonnulli Emmetium aut
374 Evemerum nuncupant, sedit, anno 374, in Valentino concilio.

V. Martius.

Martius, alias Marcus Marsusve, e veteribus indicibus depromitur. Ejusdem, ut videtur,
A meminit auctor vitæ S. Melanii, quam Bollandus edidit. Satis autem est argumenti hanc vitam fide prorsus indignam esse, quod Melanium Marsumque coætaneos exhibeat.

ANNI CHRISTI

VI. Arisius.

Arisium, alias Arifium, aut Aristium, pristinæ nomenclaturæ post Martium ponunt. Non infeliciter, ut videtur, Nicolaus *Travers* ad nostrum hunc Arisium respicere existimat quæ de Alitio presbytero, in S. Hieronymi ad Algasiam epistola, leguntur.

B

VII. Desiderius.

Desiderius, Nannetensis episcopus, inter Lugdunensis tertiæ præsules nuncupatur, ad quos Leo, Victurius et Eustochius episcopi præclaram, anno circiter 453, epistolam direxere; vide supra, t. II, col. 7. Ad eumdem exstant S. Paulini Nolani litteræ. Eo tandem suadente S. Hieronymum aiunt Vigilantii libros impugnavisse, et Sulpicium Severum vitam S. Martini scripsisse. Non idem vero Desiderius Vigilantii, Sulpicii Severi, Leo-
C nisque, Bituricensis archiepiscopi, æquævus videtur.

VIII. Leo.

Leonem antiqui codices Desiderio successisse docent. Quos ut optimæ fidei testes admittimus. Moricio tamen et Nic. *Travers* assentiri non licet, a quibus Leo Nannetensis in Andegavensi concilio sedens memoratur, anno 453. Id jam antecessores nostri prorsus inane dixere; t. II, col. 7. Alia Dericus conjectura Rumoridem, eidem qui concilio in-
D terfuit, Desiderio nuper suffectum fuisse au-

ANNI CHRISTI

tumat. Mera vero conjectura in tam dubia re non sufficit.

Nannetensium episcoporum a Leone seriem nonnulli mirum in modum, et arbitrio, ut videtur, suo permiscuere. Albertus vero Magnus, Moricius et Nic. *Travers* veterum fastorum testimonio adhæsere. Ea quidem tutior est via.

IX. Eusebius.

461 Interfuit Eusebius, anno 461, primo Turonensi concilio. Ei plures Nic. *Travers* homilias tribuit, quas Eusebio cuidam adscribendas Biblioth. Patrum exhibet. Id autem certius indicium requirit.

X. Nunnechius.

Ad Nunnechium his verbis scripsit Sidonius Apollinaris: « Multa in te genera virtu« tum, Papa beatissime, munere superno « congesta gaudemus. Siquidem agere narra« ris sine superbia nobilem, sive invidia po« tentem, sine superstitione religiosum, sine « jactantia litteratum, sine ineptia gravem, « sine studio facetum, sine asperitate con« stantem, sine popularitate communem. » Quæ fuerit Nunnechii apud coævos auctoritas his Sidonii verbis compertum habes. Subscripsit actis concilii Venetici, aliquandiu post Turonense, anno tamen incerto, celebrati.

XI. Kariundus.

Kariundum fasti veteres post Nunnechium ponunt. Eumdem Sammarthani Carmudum, alii Corvindum nuncupant.

XII. Certunius.

Certunius, Cerunius, Cermicus, quem Sammarthani prætermisere, in antiquioribus pergamenis post Kariundum proximus occurrit. De eo nihil aliud novimus.

XIII. Clematius.

Clematius, alias Clemens, Clemanus, Clemarius, conjectura dicitur anno 502 defunctus. Ei S. Saturnini fundationem tribuunt.

In subscriptionibus Agathensis concilii, anno 506 congregati, occurrit Petrus quidam, episcopus *de Palasio*, sicut legitur in cod. Regio 1564, quem, duce Valesio, antecessores nostri inter Lemovicenses episcopos collocavere. Eumdem, ex altera parte, nonnulli Nannetensibus episcopis annumerant. Priori vero conjecturæ parva fides, nulla posteriori debetur.

XIV. Epiphanius.

Interfuit Epiphanius, anno 511, Aurelianensi concilio; Concil. D. *Labat*, col. 844. De eo plura quidem apud hodiernos quosdam scriptores; dubia vero, nisi prorsus fictitia. 511

Marsum post Epiphanium Sammarthani, inter alios, collocant; e vita S. Melanii, quæ dicitur perantiqua. Inter recentiores, Bondonnetus Nicolausque *Travers* vitam hanc censoria virgula apte congruenterque notaverunt. Emendandus tamen *Travers*, in eo quod jam sæpe laudatam de S. Marso Melanioque narratiunculam tertio decimo sæculo confictam asserat. Annosior quidem est; eam sedenim, anno 1028, obiter innuit Fulco comes, in chartula de Roncereii fundatione, veluti jam Andegavensis populi memoriæ creditam.

XV. Eumerius.

Eumerius, idem qui Eumelius, Emnerus et sæpius Evemerus nuncupatur, conciliis Aurelianensibus annorum 533, 541, interfuit. 541
Ad concilium Aurelianense tertium, anno 538, Marcellianum presbyterum misit. Anno 539, ad Eumerium scripsit Trojanus, Santonensis episcopus, de puero qui an baptisatus esset nesciebat; apud *Labat*, Conc. Gall., col. 1007. Ad eumdem exstat epistola Ruricii, Lemovicum episcopi, quam Antiquæ Lectiones Canisii præbent. Mitem ejus indolem, advenis præcipue benignam, metrice cecinit Fortunatus; apud Sammarthanos et Rerum Gallic. Script., t. II, p. 490. In eo Fortunati carmine Nannetensis ecclesiæ conditor Eumerius dicitur:

> Extulit ecclesiæ culmen, quod reddidit unum.
> Venit ad hæredem, qui cumularet, opus.
> Felix ille abiit, Felicem in sede reliquit.
> Hæredis meritis vivit in orbe pater.

Nunc igitur mentio fiat de Felice, prætermissis Condio Madianoque, ab Argentræo post Eumerium perperam positis.

XVI. S. Felix.

Natus annum circa 513, e Bituricensi domo non mediocriter illustri, Felix in cathedram
Nannetensem provehitur anno 550, teste Gre- 550
gorio Turonensi. Sedit, anno 557, in concilio 557
Parisiensi tertio; anno 567, in concilio Turonensi secundo. Quod circa tempus, ut supra non semel diximus, scripsit ad Radegundem reginam, quæ semet Deo dederat apud Pictones, sigillumque suum apposuit epistolæ Turonensium episcoporum de solvendis decimis et rumpendis incestis copulationibus. Ecclesiam Nannetensem consecra-
vit, pridie cal. Octobris 568, accitis ad hanc 568

ANNI CHRISTI solemnem pompam comprovincialibus episcopis. Hujus consecrationis meminit Fortunatus, libro III Carminum. Interfuit Felix,
573 anno 573, concilio Parisiensi quarto, in quo subscripsit litteris ad Ægidium, Remensem episcopum, et ad Sigebertum regem missis, de Promoti consecratione; apud *Labat*, Concil., col. 1195, 1196. Eodem anno, Nannetibus, S. Friardi morientis supremum spiritum excepit : Greg. Turon., Hist. Franc., lib. IV, n. 37. Inter eum aliquanto post et Gregorium, Turonensem metropolitam, non una contentio exarsit. E consulari gente natus, altos, ut videtur, Felix gerebat animos, nec facile cuipiam morigerus erat. Primum, anno circiter
576 576, cum Gregorio de quadam villa contendit, quam, prohibente metropolita, occupare non valuit; apud Gregorium, Hist., lib. V, n. 5. Postea, annum circa 580, benigne Felix excepit Riculfum, pervicacem virum, qui episcopatum Turonensem per fas nefasque ambierat, ideoque in Felicem Gregorius vehementer exarsit. Unde per litteras collocuti sunt, e quibus objurgationes et convicia non abfuere. Culpatur insuper Felicis duritas, qui neptim suam, rite jam, consentientibus parentibus, desponsatam, sponso abripuit, et, adhibita vi, in monasterium quoddam conjecit, soli Deo conjungendam; apud Gregorium, lib. VI, n. 16. Plura tamen in Felice laudanda quam vituperanda, ipso teste Gregorio. Sic Conoberto duci strenue restitit, qui Macliavum, fratrem suum, carceri jam mancipatum, gladio percussurus erat, Felicisque commendatione e tanto periculo incolumis Macliavus evasit; Hist. Franc., l. IV, n. 4. Ejusdem iterum Gregorius meminit, de Vita Patrum, et debitis laudibus eum ornavit, quem, adversarium passus, probris acerrimis, ut supra diximus, lacessiverat. Præter Gregorium, Venantius Fortunatus Felicis indolem egregiamque virtutem his verbis prædicat :

Fida salus patriæ, Felix spe, nomine, corde,
Ordo sacerdotum quo radiante micat,
Restituis terris quod publica jura petebant,
Temporibus nostris gaudia prisca ferens.
Vox procerum, lumen generis, defensio plebis,
Naufragium prohibes hic ubi portus ades.
Auctor apostolicus, qui, jura Britannica vincens,
Tutus in adversis, spe crucis arma fugas.
Vive decus patriæ, fidei lux, auctor honoris,
Splendor pontificum, noster et orbis amor.

Alio Fortunatus carmine magna celebrat opera quorum dux Felix fuit, vallem in montem erectam, depressum montis jugum, et fluvios lege sub nova currere jussos. Sammarthanis placuit ex Operibus Fortunati singula quæ ad Felicem spectant decerpere : eadem prælo dare sane supervacuum. Recentiores inter scriptores qui de eodem seorsum disseruere consule præsertim Rivetium, Hist. Litter., t. III, p. 330, et J. B. Sollerium, in Bollendianis collectaneis, 7 Julii.

Nunc superest ut de Felicis morte dicamus. Obiit, teste Gregorio, inguina laborans, anno Childeberti regis septimo, episcopatus 33, ætatis 70; Christi videlicet 582, nam ejus 582
obitum diei 8 Januarii, translationem 7 Julii, adscripserunt.

XVII. Nunnechius II.

Dum Felix, novissimo correptus morbo, vicinam mortem sentiret, de transferendis infulis in Burgundionem, nepotem suum, cogitavit, ideoque Gregorium metropolitam rogitavit ut Nannetes pergens juvenem tonsura sacris initiaret. Quod cum Gregorius non illæsis canonibus, ut ait, facere posset, vota Felicis adimplere noluit; itaque eo mortuo in vacantem cathedram ipse rex Nunnechium, Felicis consobrinum, erexit; apud Gregorium, Hist. Franc., lib. VI, n. 15. Nunnechius, alias Monichius, Manochus, aut etiam Donichius dicitur. Genere clarus opibusque potens, ab Aimoino comes Lemovicensis dicitur, temporibus Chilperici regis. Eumdem tunc matronæ cuidam nobili conjugii fœdere junctum Fortunatus narrat, in Vita S. Germani, ejusque filium Gregorius in nece Domnolæ, Nectarii uxoris, suspectum fuisse tradit; Hist. Franc., lib. VIII, n. 43.

XVIII. Eufronius.

Eufronius, vel Sophronius, in veterum fastis post Nunnechium ponitur; qui, teste Jona, in Vita S. Columbani, Columbanum Nannetibus excepit, in Hiberniam, jussu Theodorici regis, translatum, anno circiter 612; Rer. Gallic. Script., t. III, p. 480.

XIX. Leobardus.

Leobardum Flodoardus interfuisse narrat concilio Remensi primo, Dagoberto Francorum rege celebrato; anno, ut opinantur, 625.

XX. S. Pascharius.

Leobardo S. Pascharium successisse veterum indices memorant. Eumdem post Haiconem quidam ponunt, e Vitis S. Hermelandi et S. Ansberti, apud Rer. Gallic. Script., t. III, p. 617, 633. In eo vero fastorum Nannetensium auctoritati *Travers*, posthabita hagiographorum fide, eximie propugnavit.

XXI. Taurinus.

Taurinus, quem post S. Pascharium fasti Nannetenses exhibent, subscripsisse videtur, anno 637, diplomati Dagoberti regis pro 637

ANNI CHRISTI

monasterio S. Dionysii; Dipl., Chartæ, ed. nov., t. II, p. 50. Suspectum est nonnullis hoc diploma, ob id imprimis quod Taurini nomen præbeat, qui, ut aiunt, infulas Nannetenses, defuncto Dagoberto, obtinuit. Id autem minime comprobatum est. Spuriis tamen litteris, pace nostra, *de Bréquigny* annumeret diploma Landerici pro eodem S. Dionysii monasterio, cui noster Taurinus anno 652 certe non subscripsit.

XXII. Haico.

Haico, alias Naico, e veteribus catalogis Taurino successit. De eo nihil aliud comperimus.

XXIII. Salapius.

Per procuratorem Salapius Cabilonensi primæ synodo interfuit, circa annum 650. Idem est, ut aiunt, qui, sine designatione sedis, subscripsit, anno 631, vel 638, litteris Eligii pro Solemniacensi monasterio; supra, t. II, Instr., col. 187. Ea vero conjectura non valet, aut jam diu conditum diploma Salapius posterius laudavit. Consule Nicol. *Travers*, Hist. Nannet., t. I, p. 100.

XXIV. Agatheus.

Post Salapium in priscis nomenclaturis legitur Agatheus, cum ista nota: *Agatheus, vocatus, sed non episcopus.* Quæ verba sic interpretamur: episcopatum occupavit Agatheus, seque jussit episcopum a plebe vocari; tonsura vero sacris nequaquam initiatum inter episcopos Nannetenses recensere diptychorum conditores noluerunt. Is enim Agatheus Nannetum Redonumque comes erat, qui in utraque civitate utrumque gladium cinxit. Ejus meminit auctor vitæ S. Hermelandi; Rer. Gallic. Script., t. III, p. 635. Obiit, ut aiunt, anno circiter 703.

XXV. Amelo.

Amelo, alias Amitho, Amuo et Anno, comes idem et episcopus Nannetensis, Agatheo in utroque officio successit. Is quoque, diptychorum ad fidem, ecclesiasticæ militiæ nomen nunquam dedit.

XXVI. Æmilianus.

Æmilianus, alias Millanus, in veteribus catalogis non reperitur. Eum tamen Augustodunensis ecclesia numero martyrum adscripsit, et anniversario peculiari honestavit, 25 Junii. Contra Sarracenos, ut aiunt, pugnans in conserto prælio, cecidit, juxta Augustodunum, anno 725.

XXVII. Salvius.

Loricatus, sicut antecedentes, episcopus, Salvius adversus Sarracenos egregie, ut fertur, militavit, juxta Pictavium, Octobri mense 732. De eo nihil aliud compertum habemus.

XXVIII. Deotmarus.

Interfuit Deotmarus concilio Compendiensi, anno 756. Anno 757, litteris Chrodegandi pro monasterio Gorziensi subscripsit. 757
Incipit a Deotmaro clericorum nova series episcoporum.

XXIX. Odilhardus.

Odilhardus, annum circa 797, Carolum Magnum monet ad se pertinere, hæreditatis legibus et jure, villas Lauriacum et Catiacum, in agro Andegavensi, quas occupabat Asoarius, abbas Prumiensis.

XXX. Alanus.

Alanus, quem etiam Almanum, Olmanum et Asanium nuncupant, diptychis recensetur.

XXXI. Atto.

Atto, quem veterum indices et Sammarthani prætermisere, memoratur in concilio Parisiensi sedens anno 829; in conventu Senonensi, anno 833, et in Wormatiensi, eodem 833
anno; apud *Mansi*, Concil., t. XIV, col. 642. Adonis insuper, Nannetensis episcopi, nomen reperitur, anno 837, in charta de fundatione Arremarensis cœnobii; supra, t. XII, Instr., col. 247. In ea vero temporis nota peccatum est; aut, summopere procellosis tunc imperii rebus, Atto, licet e cathedra sua depulsus, episcopi nomen Trecis conversans retinuerat, nam post annum 833 eum in Nannetensi sede Drutcarius exceperat.

XXXII. Drutcarius.

Nominatur Drutcarius, alias Trutgarius, anno 834, in charta Urulonis vineas quasdam 834
monasterio Rotonensi tradentis.

XXXIII. S. Gunthardus.

Gunthardus Drutcario successit anno 835, inquit Nic. *Travers*, Mabillonium congruenter, ut videtur, dispungens. Idem occurrit, cal. Aprilis 837, novissimum Aldrici, Ceno- 837
manensis episcopi, testamentum sigillo suo muniens. Anno 843, urbem Nannetensem 843
Normannis invadentibus, eorumque ferocem impetum nemine propellente, Gunthardus episcopus ecclesiam adit apostolorum Petri et Pauli, cœleste flagitans auxilium. At Nor-

ANNI CHRISTI

manni templum, effractis ostiis, confestim occupant, et olvium præsulem mucrone trucidant. Qua strage peracta, cum gregibus captivorum abeunt ad naves. Colitur S. Gunthardus, in ecclesia Nannetensi, 25 Januarii. Ejus eædem plerique peractam asserunt 24 Junii. Consule præsertim Chronic. Fontanellense, Rer. Gall Script., t. VII, p. 41; Hist. Brit., ibid., p. 47; Annal. Bertin., ibid., p. 62; Chronic. de Gest. Normann., ibid., p. 152.

XXXIV. Actardus.

Orbatus pastore Nannetensis populus provinciæ metropolitam Ursmarum (1) admonuit, ut ovili rectorem jam diutius lugenti procuraret. Is, suadente Turonensi clero et annuente Carolo rege, Nannetes misit nobilem juvenem Actardum, Turonensis cujusdam monasterii quod nos fugit abbatem; ut e litteris Adriani papæ II ad Herardum noscitur. Consecratus perhibetur Actardus anno 843 desinente. Certe Turones se receperat
846 anno 846, quo die solenniter in Majus Monasterium corpus S. Gorgonis translatum est. Eum mox lacessivit Lambertus, comes Nannetensis. Erat autem Actardus natione Gallus et Britonibus famulandi nescius, qui in Lambertum comitem caput superbius gerentem, et Nomenoii favore nimis confisum, strenue semet gessit. Ejus mox industria dejectus, in exsilium abiit Lambertus. Lege Briocense Chronicon, inter Probat. Hist. Brit., a Moricio collectas, t. I, col. 21 et sequent. Tunc primum experti sunt Britonum dynastæ audacem animo virum Actardum, et nulla violentia frangendum. Cum Nomenoio duci Britannia subacta, et in jus novum quasi coacta, nullis jam obniteretur nervis, is, sibi regium arrogans munus, Nannetensem urbem, quæ fide in Caroli regis catenus steterat, oppugnavit cepitque. Mox in Dolensem civitatem, in qua nuper metropolitanam sedem constituerat, omnes suæ ditionis episcopos vocavit, et ab eis ungi rite voluit. Huic vero Nannetensis Actardus conventiculo non interfuit. Rebellis protinus appellatus, ejicitur a Nomenoio, et, episcopalem urbem fugiens, ne carceri forsitan mandaretur, secedit ad Ursmarum metropolitam, et patronum utique suum, eique perverse a Nomenoio gesta quæcumque adamussim enarrat. In Actardi locum Nomenoius Gislardum quemdam, Venetensem clericum, sedi Nannetensi ipse præficit. Aiunt nonnulli anno 848 celebratum fuisse Dolense conciliabulum, et Actardum sub id tempus e cathedra sua depulsum. Sed obstat Chartularium Rubeum S. Florentii, in quo refertur, præcepto Caroli regis, anno 849, hortantibus Dilone Pictaviensi et Actardo Nannetensi, omnes ecclesias S. Florentii dominio adscriptas, tam apud Pictones quam apud Nannetes, synodali jure fuisse absolutas. Adde quod in indiculo de episcoporum Britonum depositione, ad Leonem papam IV, aut legatum ejus, ut Pagius narrat, annum circa 849 transmisso, nulla sit mentio de ejectione Actardi; quam non sane tacuissent præsules Turonibus congregati, si jam patrata fuisset. Exsul Artardus Morinensem ecclesiam, teste Moricio, administravit; quod aperte refellit vita S. Folcuini ab antecessoribus nostris digesta, t. X, col. 1532. Nec securius Nicolao *Travers* confidas, a quo dicitur Actardus ecclesiæ Carnotensi aliquantisper præfectus.

(1) Emendandus *Travers*, inter cæteros, ea qui Amalrico sedem Turonensem occupante gesta memorat.

XXXV. Gislardus.

Non Actardus quidem hujus erat animi qui tantam otiose ferret injuriam. At contra multa moliens, et ipsum episcopalis juris violatorem ex adumbrato solio depellere non segniter aggressus, Leonem papam IV iniquæ proscriptionis vindicem appellavit. Mox Carolum regem, non tantum de regno, sed etiam de commodis ecclesiæ sollicitum, compulit uti veniret in Britanniam, et res adeo turbatas in melius restitueret. Interea decessit Nomenoius, eique successit Erispoius, qui Gislardum arcens mæsto legitimum pastorem
ovili reddidit. Hæc sub annum 851. Adiit 851
Aulam Quiriacam Gislardus: nec ideo tamen infulas deposuit; sed agrum hunc sibi regendum vindicans, qui postea dictus est comitatus Mediæ, inter Aretam, Vicenoniam Ligerimque fluvios, episcopi nomen et munus ibi retinuit.

XXXVI. Actardus.

Ab exsilio redux Actardus sedit, anno 853, 853
in Bonigolensi concilio. Cum Erispoio duce pacem habuit, et ab eo non mediocria dona
obtinuit. Memoratur insuper, anno 857, in 857
Rotonensi chartula de calice aureo quem *Wenweten* monachus fratribus tradiderat. Sed mox, cæso inter sacra Erispoio, Salomon Nannetensem tractum occupavit; qui, ipsius ecclesiæ jura temerarie invadens, Britanniæ præsules monuit ne Turonensi archipræsuli præberent obsequium, Dolensi vero in quibuscumque parerent. Quod non passus Herardus Turonensis, anno 859, Armoricanos præsules ad Tullensem synodum convocavit. Non autem illi, Salomone prohibente, metropolitæ jubenti morem gesserunt. Unde vehementiores ad Carolum regem et ad Romanum Pontificem Herardi Turonensis de Salomone rebellionis reo et de Britonum præsulibus querimoniæ. Non tyranno fecit inducias Actardus. Ideo scripsit ad dominum

ANNI CHRISTI

papam Salomon, in se Nannetensem episcopum bellum moliri. Nicolaus papa Salomoni respondit Actardum egregie pastorale munus implere. Legenda præsertim ea Nicolai papæ verba : « De Gislardo autem et Actardo episcopis, de quibus scripsisti (videlicet Salomon) multo aliter quam tua referebat epistola in scrinio nostro reperimus. Licet non bene faciat Actardus, quia denuo consecrat quos Gislardus in eo gradu dignoscitur ordinasse, tamen Actardus invenitur ante Gislardum episcopatus officium suscepisse. Denique sanctissimus Leo papa, Nomenoio scribens, inter cætera præcipuum virum Actardum appellat, et hunc sanum sapere et sanum docere, vivere, ac permanere denuntiat. » Hactenus Nicolaus papa. Non vero summi Pontificis epistola dissidio finem imposuit. Quin imo, cuncta mox in pejus ruere, et animos utrinque majore fervere incendio. Jam tunc, ab anno scilicet 857, Nannetibus Actardum a Salomone rege depulsum fuisse Nicolaus *Travers* asserit. Iteratum ejusdem exsilium *Housseau* anno circiter 862 adscribit. Nicolai *Travers* conjectura certissime erronea est; nam, anno 860, Salomonis tertio, legitur Actardus ipsius Salomonis litteris subscribens, quibus Rotono datum *Agulac*, in agro *Fulkeriac;* Prob. Hist. Brit., t. I, col. 300. Anno dein 862 Actardus reperitur sedens in concilio Pistensi; apud *Mansi*, t. XV, col. 683 : anno 863, in concilio Vermeriensi; ibid., col.
865 673. Dein anno 865, Nannetensem episcopum usquequaque semet ferens, Blesis occurrit a Roberto comite quædam in tractu Blesensi jugera terræ accipiens, datis quibusdam aliis in commutationem. Adiit, anno
866 866, tertium Suessionense concilium, ubi, Salomonem tyrannum vehementer increpans, congregatos patres rogavit ut ad Nicolaum papam legati mitterentur. Cui proposito annuens synodus ipsum Actardum Romam ire jussit, litteras ei commendatitias tradens; apud *Mansi*, t. XV, col. 732. Neque protinus tamen ad Romam tetendit Actardus; suffragatus est enim, eodem anno, III calendas Octobris, ordinationi Elertranni, Redonensis episcopi, et, anno sequente, VIII calendas Novembris, nondum trans Alpes profectus, synodo Trecis coactæ interfuit; ibid., col. 796. Unde Romam tandem adiens, cum litteris Suessionensis concilii, necnon Caroli regis, Adrianum recens papam allocutus est. Eum benignissime Pontifex excepit dimisitque non inanibus ludendum promissis. Exstant enim prædicti papæ plures ad Carolum regem, ad Hincmarum Remensem et ad Herardum Turonensem epistolæ, quibus jubet ut exsuli regenda tradatur quævis vel metropolitana ecclesia, aut illa saltem abbatia quam olim in diœcesi Turonensi administraverat. Ad ipsum Actardum Adrianus scripsit, anno

A 868 : « Tibi, frater Actarde, qui diræ fatigatus et diuturna captivitatis miseria quassatus, nec inter cuneos Barbarorum, nec 868
inter enses infidelium defecisti, quin etiam Dei providentia mirabiliter erutus et liberatus, circumquaque peregrinando procul a propria ecclesia, procul a notis et proximis, propter eorumdem Barbarorum rabiem et continuam Britonum oppressionem, quibus heu nimis vicinus esse nosceris, et pene prius ab eis quam a piratis insecutionem pateris, curriculis jam multis incedis, decus pallii pro Dei solius amore, quem in-
B ter furentium paganorum manus et gladios confessus es, providimus concedendum. Quo videlicet pallio cum fueris, auctore Deo nostroque decreto, aliquem vacantem adeptus episcopatum, scias a nobis eidem te stabiliter incardinatum; vel si contigerit forsan in proprio, certis valeas uti temporibus. Quod non aliter tibi, nec cuilibet absque metropolitis concederemus, nisi multoties exsilia, mare, vincula passo, etiam ad capitalem sententiam frequenter tracto, teste tuo metropolitano, qui et id nobis litteris innotuit, et tibi spem in sede
C propria non superesse significavit... » Hucusque Adrianus : unde satis constat Actardum quanti fecerit, ei præter morem pallium conferens. Subscripsit Actardus actis concilii Vermeriensis, anno 869. Anno sequente, 869
cum Morinensis ecclesia, Humfrido nuper mortuo, vacaret, in ea exsuli commorari licuit; qui Morinensis episcopi nomen induit. Eo enim sub nomine sedit in synodo Attiniacensi, anno 870, in qua judex electus est in causa Hincmari Laudunensis. Non tamen in ecclesia Morinensi fuit ad verbum incardinatus, nam, ut ait Hincmarus Remensis, scri-
D bens ad Adrianum papam, ecclesia Morinensis longe distabat a Nannetensi, et non in diversis provinciis idem episcopus regulariter conscribi poterat; ministerium tamen episcopale, sub Hincmaro metropolita, libere peregit, donec, Herardo Turonensi decedente, ejus in locum suffragiis cleri plebisque, anno 871, fuerit adlectus.

XXXVII. Ermengarius.

Ermengarium Actardus ipse Nannetensi, quam deserebat, ecclesiæ præfecit, anno 871. 871
E Is jam antea primas, absente præsule, Nannetenses inter clericos tenebat. Memoratur Alanum, provinciæ Warrochiæ principem, sacro ungens oleo, in viculo *Alair* dicto, II id. Junii 878. Quo vero decesserit anno 878
parum constat. Obitum ejus plerique anno 886 adscribunt.

XXXVIII. Landrannus.

Landrannus, diptychorum ad fidem, Ermengario succedit. Mox autem Normannicæ turmæ Nannetes occupant; quas fugiens Landrannus Andegavum petit, ubi a Rainone præsule excipitur. Ea quidam infelici conjectura anno 877 contigisse memorant. Raino sedenim Andegavensem cathedram anno 880
889 conscendit. Anno tandem 889, mutatur Nannetibus rerum status, Normannis ab Alano Magno expulsis. Tunc redit ad suos Landrannus. De quo sic Briocense Chronicon, inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 25 : « Sedatis turbis Landrannus, qui propter Normannorum rabiem apud Andegavos recesserat, curiam Alani ducis petiit, querimoniam illi faciens quomodo Normanni res ecclesiæ suæ vastaverant, et prece humili precatus est illum ut de rebus ecclesiæ suæ a prædecessoribus suis per ignorantiam detentis aliquid restitueret. Qui satis benignus et misericors reddidit ei villam Canabiacum, in pago Constantino sitam. » Addit Briocensis chronographus : « Postea in ecclesia sua cum mœrore et tristitia octo annis vivens, temporalem vitam finivit, sepultusque est in ecclesia SS. Donatiani et Rogatiani in tumulo marmoreo, nonis Februarii. » Mors igitur Landranni anno 896, vel 897, adscribenda.

Gorgocium quemdam post Landrannum Argentræus et Sammarthani ponunt; sed perperam, ut Moricio et Nic. *Travers* visum est.

XXXIX. Fulcherius.

Fulcherius, quem etiam Fulchricum et Fulgerium nuncupant, ex abbate, ut aiunt, Rotonensi Nannetensis fit episcopus. A Chronico Nannetensi laudatur vir bonus et consilio valens, qui restaurandis ecclesiæ cathedralis ruderibus summam operam impendit. Memoratur quoque Nannetensis diœcesis partes, Gislardi temporibus disjunctas, recuperans. Anno incerto, subscripsit Alani, ducis Britanniæ, litteris, quibus abbatia S. Sergii in jus S. Mauricii Andegavensis transiit. Reperitur etiam Fulcherius, anno
900 900, ad calcem instrumenti quo Rotbertus, comes et abbas S. Martini Turonensis, cellulam S. Clementis restaurari jussit. Decessit anno circiter 906.

XL. Isaias.

908 Subscripsit Isaias, anno 908, instrumento Rotberti comitis de libertate canonicorum Majus Monasterium incolentium. Ejusdem post Fulcherium veterum indices meminere.

XLI.* Adhalardus.

Vixdum Adhalardus cathedram Nannetensem conscenderat, cum rursus Normanni Nannetes occupavere. Fugit inermis præsul, et in Burgundiam, latebras quærens, exsulavit. Is est, ut videtur, Adhalardus qui subscripsit, anno 910, testamento Guillelmi comitis Cluniacense monasterium instituentis; supra, t. IV, Instr., col. 274.

XLII. Hoctronnus.

Hoctronnum prætermiserunt antiqui codices. Episcopus enim fuit Leonensis, neutiquam Nannetensis. Attamen, Adhalardo exsulante, ei Alanus Barba Torta Nannetensem ecclesiam administratoris titulo regendam commisit. Elapsis vero aliquot annis, Alani mentem erga se mutatam intelligens, Hoctronnus ad Leonenses revertitur.

XLIII. Hesdrennus.

De Hesdrenno sicut de Hoctronno diptycha siluere. Quamobrem et eum administratorem ecclesiæ Nannetensis fuisse, non episcopum, *Travers* opinatus est. Ei autem, nisi contempto chartarum testimonio, assentire non licet. Subscripsit Hesdrennus, circa annum 950, litteris Alani ducis S. Medardum monachis Landevenechi largientis. Anno 958, idem Verrone præsens memoratur in episcoporum celebri conventu, quem adiit 958
Amalbertus, abbas S. Florentii, petens ut cœnobii sui jura stabilirentur. Infulas dein abdicavit, et cucullum in Floriacensi monasterio induit; Rer. Gall. Script., t. VIII, p. 307.

XLIV. Gualterius I.

Filius, ut aiunt, Wicholeni, Dolensis episcopi, Gualterius in veterum indicibus post Adhalardum occurrit. De eo præterea id tantum compertum habemus, quod eo præsule Normanni rursus Nannetes invaserint, anno circiter 960.

XLV. Quiriacus I.

Quiriacus, Warochus, aut Guerekus, in indicibus deest. Filius erat Alani Barbæ Tortæ, et frater Hoelli comitis. Exactis Aureliæ, in Benedictina quadam domo, primis ætatis annis, post Gualterium præsul electus est. Ea autem electione peracta, decessit Hoellus comes, et protinus Warochus comitatum occupavit uxoremque duxit. Non tamen passus est successorem in episcopatu sibi dari. Episcopus enim una diei voluit et comes. Id autem discordantium munerum fœdus vulgaris opinio postea rescidit, et in chronicis non

ANNI CHRISTI

A secus ac in diptychis Nannetensis cathedra, Warocho comitatum tenente, vacans legitur.
988 Obiit veneno, ut aiunt, sublatus, anno 988. Uxorem duxerat Eremburgem, e qua natum, Alanum nomine, susceperat.

XLVI. Judicael.

Filius Hoelli et Warochi nepos, Judicael cathedram Nannetensem tenuit usque ad an-
990 num 990, quo, moriente Alano, Warochi filio, Conanus, Redonum comes, principatum Nannetensem apprehendit. Is enim, amoto Judicaele, pastorale pedum Hugoni tradidit.

XLVII. Hugo.

Hugo, quem, omissis non inconsulte quidem Warocho et Judicaele, post Gualterium Nannetenses fasti nuncupant, subscripsit, 9 Augusti 990, litteris Conani ducis pro S. Michaele; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 351.

XLVIII. Hervisus.

Hervisus, alias Hervæus, Hericus et Herulfus. Is est *Hervisus, Britannicæ regionis episcopus,* de quo Fulbertus Carnotensis, anno 1001, ob Magenardi abbatis consecrationem vehementer questus est; supra, t. VIII, col. 1219. Nannetes enim non multo post electionem suam Hervisus deseruerat, Blesis apud Theobaldum comitem hospitaturus. Ibi decessit, ut aiunt, anno 1005. De eo consule chartularium S. Petri Carnot., p. 103.

XLIX. Gualterius II.

Redonensis patria, conjugatus licet et militaris rei plus quam ecclesiasticæ studiosus, Gualterius ecclesiæ Nannetensi, favente Geoffrido, Redonensi comite, præficitur. Vixdum igitur pastorali pedo donatus, gladium cingit, et Budico, Nannetensi comiti,
1008 bellum intentat. Memoratur, anno 1008, testis S. Mevennio datorum ab Alano et Eudone; e Briocensi Chronico. Anno 1012, Hierosolymam proficiscitur. E quo redux itinere, in Budicum, initi antea fœderis violatorem, iterum bellavit. Inter eos tandem Junkeneus, Dolensis præsul, pacem fecit. Subscripsit
1026 Gualterius, anno 1026, litteris Simonis, filii Bernardi, de fundatione S. Gildasii de Nemore, et, annum circiter 1032, pluribus instrumentis ad fundationem et incrementum S. Georgii spectantibus. Interfuit tandem, 15 Octobris 1041, dedicationi S. Florentii. Quo, ut opinantur, anno decessit.

L. Budicus.

Budicum, alias Pudicum, plerique recentiorum chronographorum prætermisere. De eo tamen in veterum indicibus et diplomatibus non semel agitur. Certissimum autem est chartulæ Rotonensis testimonium, in qua memorantur Brientii dona ab Airardo confirmata. Filius erat Gualterii præsulis, et patri, non adhibitis, ut videtur, suffragiis, secundum hæreditatis legem, successit. Subscripsit, anno 1047, in concilio Santonensi, 1047
B solennibus litteris de fundatione S. Mariæ Santonensis; supra, t. II, Instr., col. 457, et col. 483. Dein sedit in concilio Remensi, anno 1049, ubi confessus est semet *per largitionem pecuniæ,* mortuo patre, episcopatum 1049
obtinuisse. Quapropter, concilii sententia, annulum pedumque deponere jussus est. Consule *Mansi,* Concil., t. XIX, col. 737. Anno sequente mœrens decessit.

LI. Airardus.

Ex abbate et cardinali S. Pauli, Romæ,
C Airardus instituitur episcopus Nannetensis a Leone papa IX, anno 1049. Anno sequente, episcopatus sui primo, 1 Novembris, Turonibus reperitur Airardus, in capitulo Majoris Monasterii, Bairiacum a Rualdo Majoretanis restitutum confirmans. In his Airardus ipse litteris semet e Romano cœnobio Nannetes translatum enarrat. Hujusmodi vero translationem, spreto suffragiorum jure peractam, Nannetensis clerus adeo non probavit, ut contra ad Leonem papam scripserit, anno circiter 1051, tam de inusitata Airardi promotione, quam de ejusdem administratione
D querens. Nec multo post, anno 1052, intru- 1052
sus ille a clericis civibusque arcetur, et, aditis suffragiis, Quiriacus eligitur. Tunc Airardus Romam se recepit, et per aliquot annos in cœnobio S. Pauli commoratus est. Præsens reperitur, anno 1059, in concilio Romano. Postea vero in Britanniam rediit, et, Nannetes, ut aiunt, adire prohibitus, vicinis in urbibus temporariam sedem habuit. Pluribus tamen in chartulis occurrit, annis 1060, 1064, Nannetensis episcopi nomen sibi vindicans.

LII. Quiriacus II.

E Quiriacus, alias Warochus, vulgo *Guérech,* Alanum, Cornubiensem comitem, et Juditham, Judicaelis, Nannetensis comitis, filiam, parentes habuerat. Electus, ut diximus, anno 1052, non tamen ordinatus fuit ante annum 1060. Nondum ergo consecrationem adeptus, Airardo lege suffragiorum successor datus, episcopale munus implevit. Sic memoratur pontificatum Nannetensis ecclesiæ tenens, anno 1055, in Harscoidii litteris 1055
de fundatione Calmensis abbatiæ; apud Sam-

ANNI CHRISTI marthanos, t. IV, p. 211. Remensi dein conventui interfuit, anno 1059, supra, t. X,
1059 Instr., col. 23, pontificem Nannetensem utique semet ferens. Postquam autem ordinatus fuerat, occurrit, v id. Februarii 1062, Andegavi paulisper commorans, quo Rotonensium et Majoretanorum abbates, Almodium scilicet et Albertum, de Bairiaco litigantes auditurus perrexerat. Eodem anno, pridie non. Aprilis, antequam ab eadem urbe discederet, præsens aderat consecrationi conventualis domus S. Salvatori sacræ.
1063 Idibus Augusti 1063, Quiriacus jura capituli Nannetensis, usu plusquam lege instituta, adamussim recensuit et sancivit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 413. Animadverte quod hæ litteræ expressis verbis datæ legantur anno Christi 1063, ordinati Quiriaci tertio. Perperam igitur Quiriacum eo ipso anno 1063 ordinatum nonnulli dixere. Quem errorem alia, de quibus infra mentio fiet, instrumenta refellunt. Eodem insuper anno, ut Mabillonio placet, Ann. Bened., t. IV, p. 646, inter Quiriacum et abbatem Burgidolensem jurgia mota fuere, de quibus Romæ actum est. Anno
Ch. II, col. 171. 1064, Prugniacenam cellam, quam laici invaserant, recuperavit, et Roncereii monialibus liberaliter adjudicavit (1). Eodem anno, Philippi regis quarto, cal. Aprilis, secundum recentiorem calculum, reperitur Quiriacus in capitulo Majoris Monasterii, monachis ab Airardo data sanciens. Anno 1065, ordinationis suæ quinto, VII id. Januarii, Majus Monasterium iterum ingressus, cunctas eorumdem fratrum in Nannetensi diœcesi possessiones confirmavit; e Maj. Monast. chart. Devenerat Salmurium 11 Martii
1067 1067, ubi concordiam inter monachos S. Florentii et Salmurienses canonicos initam probavit; apud Sammarthanos, t. VI, p. 395. Burdigalæ reperitur cal. Aprilis 1068, in eo concilio quod Vindocinenses et Albinianos audivit de S. Clemente Credonensi litigantes. Rursus et de Bairiaco multus sermo fuit in Burdigalensi concilio. Pro Majoretanorum jure Quiriacus stetit; at nulla solutam sententia rem ad Romanam curiam Stephanus legatus postmodum detulit. Jussit ergo papa in proxima synodo litem solvi. Cui synodo, Turonibus coactæ, Quiriacus interfuit, et, Majoretanis constanter favens, eorum sic causam
Ch. III, col. 173. oravit ut Rotonenses in judicio ceciderint. Anno circiter 1070, res S. Martini Vertavensis confirmavit. Occurrit dein v id. Junii 1073, tertio decimo præsulatus anno, Philippi regnantis quinto decimo, Guillelmo, Salmuriensium abbati, res quas S. Florentius in Nannetensi diœcesi possidebat confir-
1074 mans. Subscripsit, anno 1074, litteris Hoelli, comitis, Kemperlegiensibus vineam Pictavini, presbyteri, condonantis. Anno sequente, Bertha comitissa eisdem monachis, Quiriaco præsente, altare B. Mariæ infra muros Nannetum addixit. Eisdem denique ipse Quiriacus, anno 1076, prædia plura tradidit. Anno tandem 1079, idibus Aprilis, Ch. IV, col. 174. 1079
subscripsit chartæ Hoelli, comitis, per quam S. Nicolaus insulam Denerallum accepit. Manifestus est igitur error anonymi chronographi, a quo Quiriacus anno 1076 decessisse memoratur. Obiit II cal. Augusti; tam e martyrologio S. Martini Turonensis, quam e Landevenechi necrologio : anno, sicut ait Petrus *Lebaud*, 1079.

(1) Perperam hanc donationem Nic. *Travers* anno 1054 adscribit.

LIII. Benedictus.

Quiriaci frater Benedictus Landevenechi cucullum induerat : abbas postea fuerat Kemperlegii. Anno 1079, salutatur Nannetensis præsul; nec abbatiale pedum deponens, episcopale suscipit. Memoratur, anno 1083, in 1083
charta Gestini, Machecolii toparchæ, Sergianorum res augentis. Anno 1089, circa Natalem Christi diem, Benedictus reperitur in cœmeterio S. Salvatoris de Rotono, judex litis inter capellanos Alani ducis et monachos motæ. Interfuit, anno 1092, concilio Burdi- 1092
galensi, apud Rer. Gall. Script., t. XIV, p. 87; anno 1095, concilio Claromontano, et, anno 1096, concilio Turonensi, ubi subscripsit litteris Urbani papæ II de norma quoad electionem Cormaricensis abbatis observanda : quo etiam anno, Urbanum papam secutus Andegavum pergentem, ei ministravit ecclesiam S. Nicolai consecranti. Occurrit
Benedictus, VIII id. Aprilis 1103, anno or- 1103
dinationis secundo et vicesimo, Albinianorum bona in Nannetensi diœcesi sita confirmans. Haud aliter, cal. Maii 1104, sub jure Salmuriensium altare S. Hermelandi pluresque capellas stabilivit; apud *Housseau*, t. IV. Eodem insuper anno, inter Hurvodium, clericum, et monachos Rotonenses pacta sancivit; e chart. Rotonensi. Prolixius fortassis enarranda quæ ad S. Medardum de *Doulon* spectant. Dederat hanc ecclesiam Harscoidius antistiti Nannetensi, eum orans ut ibi canonicos regulares constitueret. Harscoidii votis annuens Benedictus, plures episcopos abbatesque Nannetes accivit, 16 Januarii
1105, secundum recentem calculum, et in 1105
celebri cœtu verba ferens opulentum canonicis locum tradidit; apud Marten., Anecd., t. I, col. 315. Ea vero canonicorum institutio
improspere cessit. Anno sedenim 1109, eversa jam apud eos disciplina, supradictam ecclesiam Benedictus ad monachos Majoretanos transtulit. Quo etiam anno, 18 Octobris, sedens Benedictus in Lausdunensi concilio, jam peractæ translationis instrumenta congregatis patribus exhibuit, providitque ut a Gerardo, legato, sancirentur. Ad concilium idem delata fuit Trenorchiensium Ch. V, col. 174.

ANNI CHRISTI

monachorum et episcopi Nannetensis de S. Vitali controversia; jus autem Trenorchiensium prævaluit; apud D. *Mansi*, Concilia, t. XXI, col. 1. Senio tandem confectus, episcopatu semet abdicavit, anno, ut plerique memorant, 1111; anno 1115 decessurus, ad fidem Chronici Kemperlegiensis. Benedictum, episcopum insimul et abbatem, his Hildebertus, Cenomanensis præsul, versibus, mordacioribus quam par est, lacessivit:

Ars asino submisit equam, mixturaque mulum
Lascivam sobolem prodigiosa dedit.
Sic tibi mixtus honos, sic ex abbate simulque
Præsule nescio quis dicitur esse gradus.

LIV. Briccius.

Post Benedictum Nicolaus *Travers* Robertum primus ponit, eumque, elapsis aliquot mensibus, jam in Corisopitensem cathedram translatum asserit. Suam hanc conjecturam *Travers* duobus fulcit argumentis, quæ singulatim ponderare decet. Prius est quod inter Lamberti, Atrebatensis episcopi, Epistolas, quas Baluzius edidit, Miscell. t. V, litteræ reperiantur ad Lambertum scriptæ a Roberto, Nannetensis ecclesiæ præsule. Posterius desumitur ex eo, quod in charta alterius Roberti, qui cathedram Nannetensem ab anno 1170, multo post prædicti Lamberti decessum, occupavit, ea legantur verba: *Cognovi etiam ex litteris domini Briccii, viri utique felicis memoriæ, qui a præfato Quiriaco tertius exstitit, et a quo ego quartus fui.* Unde colligit *Travers* ignotum quemdam eatenus episcopum ante Briccium in Nannetensi cathedra sedisse, quem deinceps, ex epistolarum Lambertinarum farragine, Robertum nuncupare minime dubitat. Posterius quidem argumentum leve est. Illæsa sedenim Latinorum lingua, licet ut tertium a Quiriaco voces hunc qui cum ipso Quiriaco, non post eum, ternarium numerum explevit. Adde quod veterum fasti Briccium Benedicto, nemine intermedio, protinus successisse memorent. Prius autem magis valet; et sedulo pensatis ad Lambertum scriptis litteris, anno, cujus epistola meminit, indictionis quinto, Robertum sæpe dictum anno 1112 Nannetensem cathedram occupavisse minime dubium videtur. Discordant igitur non minimi momenti testimonia. Ea quidem concilians occurrit Albertus Magnus, eumdem qui præsulem binominem fuisse conjecit, eumque Robertum Briccium nuncupavit. Difficile tamen induceremur ut huic conjecturæ adhæreamus: multis enim in chartis ab anno 1112 Briccius reperitur; nusquam vero Robertus, nisi in litteris ad Lambertum. Ut ut se res habuit, Robertus, si quis fuit, non per annum integrum Nannetenses infulas gessit, et ab eo plane distinguendus est

A Roberto qui cathedram Corisopitensem idem sub tempus conscendit.

ANNI CHRISTI

Ex archidiacono Venetensi Briccius Nannetensis memoratur episcopus anno 1112, in
duobus Alani Fergandi et Conani diploma-
tibus. Anno 1114, ordinationis suæ primo, 1114
epact. xii, Augusto mense, inter Pornidii mo-
nachos et ejusdem loci sæculares presbyte-
ros litem de capella nuper ædificata diremit;
Prob. Hist. Brit., t. I, col. 527. Confirma-
vit, ii cal. Aprilis 1115, quidquid Majore-
tani in Nannetensi diœcesi possidebant; e
chartul. Maj. Monast. Anno 1116, indict. 1116
B ix, xi cal. Februarii, Andegavi reperitur, ca-
pitulum S. Albini solenniter ingrediens, et
Archembaldo abbati plura condonans. Quo
et anno, occiso Besneii rectore, ecclesiam
hanc Rotonensibus monachis dedit. Sedit,
anno 1117, in Engolismensi concilio: unde 1117
rediit, Almodium, Rotonensium abbatem,
insectaturus, donec Bellam Insulam Kemper-
legiensibus restitueret. Rotonum tandem
deveniens, anno 1118, Conani ducis testis
occurrit peractam hanc restitutionem, tarde
quidem, proscribentis. Interfuit Roncereii,
anno sequente, 7 Septembris, dedicationi
C altaris a Callixto papa celebratæ; Rer. Gal-
lic. Script., t. XIV, p. 199. Quoad vero litte-
ras, quibus Ludovicus rex, anno 1123, Bric-
cio possessiones ecclesiæ Nannetensis confir-
mavit, eæ plerisque fictitiæ visæ sunt. Anno
1127, Nannetensibus licet redimitus infu- 1127
lis, Briccius occurrit archidiaconi Venetensis
in res altari Rotonensium oblatas ambigua
jura sibi vindicans, et in ea causa cadens:
unde novimus eum archidiaconatum post
susceptum episcopatum retinuisse. Subscrip-
sit, idibus Martii 1128, litteris Conani ducis
de restituta Roncereio ecclesia S. Cyrici. Eo-
D dem anno, Andegavum pergens Gerardo le-
gato ministrat S. Albini exuvias in capsam
novam transferenti. Anno 1131, Olivarium 1131
de Ponte, Rotonensium prædiorum invaso-
rem, excommunicationis flagello cædit. Anno
sequente, in capitulo S. Petri Redonensis
præsens memoratur, Hamelino præsule mo-
nachis S. Melanii S. Mariam de Vitreio re-
stituente; Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 234.
Magnum sub id temporis inter Majoris Mo-
nasterii monachos et Nannetensem antisti-
tem dissidium exarsit. Majoretanis quidem
Conanus dux plures Nannetum ecclesias, epi-
E scopi spreto jure, adscripserat, idque donum
Innocentius papa II sanciverat. De qua re
Briccius questus est; ideoque utrique parti
Romæ dies indictus. Ætate licet gravis et
morbo quodam laborans, Briccius Alpes,
jubente papa, nihilominus transiit. Domi-
num deinde papam Pisis adlocutus, adversus
Majoretanos sententiam obtinuit, 22 Aprilis
1135; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 571. Septem 1135
in ecclesia præbendas Briccius, anno 1137, 1137
constituit. Anno sequente, v cal. Octobris,

ANNI CHRISTI

Andegavum deveniens, monachis S. Albini ecclesiam S. Martini super Uldonem confirmavit: paulo post, VIII id. Decembris, de S. Crucis ecclesia cum Majoretanorum abbate transegit, et subscripsit Conani ducis edicto, quo res monachorum in ædibus S. Crucis degentium auctæ fuerunt; ibid., col. 576. Obiit tandem 29 Octobris 1139, secundum Chronicon S. Albini: verius autem, ut videtur, anno 1140, ex aliis a *Travers* laudatis chronicis.

Franciscum quemdam inter Nannetenses præsules recensuit prædictus Nic. *Travers*, cujus, ut ait, chartularium Majoris Monasterii mentionem fecit. Id autem attentius investigandum. Majoretani chartularii fidem, ut ait *Travers*, tuentur Roberti litteræ semet a Briccio quartum memorantis. Minime vero: quartus enim revera Robertus a Briccio fuit, nulla Francisci habita ratione, si, prout Latinorum usus permittit, a Briccio, non autem ab Itherio, Briccii successore, quaternio deducetur. Advertendum insuper quod nullius Francisci diptycha meminerint. Tertio in inquisitione de juribus Nannetensis ecclesiæ, anno 1206 peracta, series episcoporum Nannetensium ab Andrea, Pornidii abbate, describitur, et in ea nullus ab ipso *Travers* Francisco locus reperitur. Argumentum contra Nic. *Travers* conjecturam quartum est et validissimum, quod, ineunte duodecimo sæculo, nemini Franciscus nomen fuerit, cum primus e Franciscis quos Ecclesiæ decreta sanctis annumeraverunt, Franciscus Assisas, anno tantum 1182 natalem diem sortitus sit. Si tandem requiratur unde Francisci inusitatum hoc nomen in recentiora Majoretani chartularii exemplaria irrepserit, conjicere licet Briccium gente, ut videtur, Francum, a quibusdam rustice *Franceis*, ut in Chronico Britannico legitur, Prob. Hist. Brit., t. I, col. 5, deinde Franciscum appellatum fuisse.

LV. Itherius.

Post Briccium Nannetensis cathedra aliquantisper, ut videtur, vacua fuit. Anno
1142 1142, in Itherium, Burguliensium abbatem, cleri plebisque suffragia convenere. Ande-
1144 gavi reperitur Itherius, 27 Novembris 1144, testis Normanni, archidiaconi, ecclesiam, quam hæreditario jure possidebat, dimittentis. Quod circa tempus, Cenomanum accedens audivit Drogonem Malam Muscam cum Culturensibus super ecclesia S. Medardi de Brueria componentem. Anno pariter incerto, in altera Conani ducis pro Buzaio chartula Ithe-
1145 rius memoratur. Anno tandem 1145, inter Robertum, S. Albini Andegavensis abbatem, et Mariam, S. Sulpicii Redonensis abbatissam, pacem fecit. Eum obiisse referunt anno 1147. Memoratur v cal. Januarii, in obituario S. Albini.

LVI. Bernardus I.

E canonico Nannetensi Claræ vallensis monachus, ut refert Guillelmus de S. Theodorico, e Claræ vallensi dein monacho Nannetensis episcopus fit Bernardus, anno 1147 desinente, vel 1148 ineunte. Nec multo post Romam pergens obvium habuit Matthæum, S. Florentii abbatem, eumque conveniens, utpote qui de anima patris sui, Salmuriensis quondam monachi, pertimesceret, S. Florentio ecclesiam *Nozai* concessit; apud *Housseau*, t. IV. Anno 1150, epact. I, concurr. VII, coram Turonensi metropolita, de diversis altaribus cum monachis Majoris Monasterii pactus est. Interfuit Andegavi, 25 Martii 1152, 1152
secundum recentem calculum, translationi corporis S. Renati. Occurrit dein, VI non. Julii 1152, ind. XV, epact. XII, episcopatus anno quinto, litteras edens de rebus Buzaio a Radulfo, Radesiensi toparcha, confirmatis. Unde palam est eum post Julium mensem 1147 infulis donatum fuisse. Anno 1153, 1153
subscripsit chartæ Garsilii de Machecolio, de ponte Machecolii construendo; e chartul. Maj. Monast.. Anno 1155, XI cal. Junii, testis fuit Hoelli ducis, Villam Novam Buzaio tradentis. Eumdem Cenomanensium episcoporum Gesta memorant, anno 1158, Cenoma- 1158
num venisse, et consecrationi San-Julianeæ basilicæ interfuisse; Mabill., Anal., t. III, p. 370. Anno sequente, Salmurii reperitur, VI non. Maii, præsens translationi corporis S. Florentii; Rer. Gall. Script., t. XIV, p. 508. Decurrebat, ut videtur, annus 1160, 1160
cum inter Rotonenses monachos et Eudonem de Roca Bernardus et Rualdus Venetensis pacem fecere. Idem circa tempus, alias hujusmodi contentiones, inter S. Sergii monachos et nonnullos Nannetensis tractus proceres, de prædio Landis nuncupato Bernardus diremit, ac inter eosdem et Gaudinum *de Chemeré* de villa Chesia. Anno 1160, de ecclesia B. Mariæ inter canonicos Nannetenses et monachos Kemperlegii acerrime litigatum. Eo tandem anno, suadente Bernardo, composuerunt. Decessit Bernardus 5 Januarii, ex obituario Nannetensis ecclesiæ, a quo laudatur « vir magnæ libertatis et benignitatis: » anno scilicet 1169; e Chronico Ro- 1169
berti de Monte. Plures ei sermones *Travers* tribuit, qui inter Opera Bernardi Claræ vallensis leguntur.

Rer. Gall. Script., t. XIV, p. 368. — *Ch. VII, col. 176.*

LVII. Robertus I.

Robertus numero primus, vel secundus, nam de Roberto primo ambigitur, nepos antecedentis Bernardi, ex archidiacono Nannetensi præsul eligitur, Natali Domini die

ANNI CHRISTI 1170 Ch. IX. col. 178. 1170, adstante Henrico, Anglorum rege; e Roberti de Monte Append. ad Sigebertum. Occurrit, anno 1172, chartulam edens de rebus S. Sergio ab Harscoidio Radesiensi datis. Eodem anno, pacem fecit inter Kemperlegienses Rotonensesque monachos de Bella Insula contendentes; Prob. Hist. Brit., t. I, col.
1175 667. Reperitur, IX cal. Julii 1175, dimissam ab Olivario de Begone litem denuntians. Anno 1177, unus erat e tribus Galliæ episcopis, quibus rex Anglorum, utpote sibi devotissimis, eam provinciam dabat ut de pace componenda legatos Ludovici regis adirent; Rer. Gallic. Script., t. XVI, p. 164. Eodem B anno, populum edicto monuit de rebus a Silvestri, Rotlandi filio, Buzaio collatis. Anno
1178 1178, Andegavum se contulit, et, paulo post Radulfi præsulis consecrationem, in capitulo S. Mauricii sedens, inter capellanum S. Nazarii et Guillelmum, S. Albini Andegavensis abbatem, de confessionum fructibus, oblatis rebus, baptisteriis, sepulturis, etc., etc., exortam contentionem æquo judicio solvit. Frequentes illo tempore hujusmodi lites, dum ecclesiarum reditus monachi plerosque et maxime quæstuosos sibi vindicarent, rectoresque parochiarum ea se mercede fraudari C ægre ferrent. Quibus sedandis impigram Robertus operam dedit, ut ejus plura, quorum *Travers* meminit, diplomata testantur. Anno
1179 1179, litteras edidit de quodam jure monachis Buzaii a Gyronis *de Verz* nepotibus dimisso. Anno 1180, ab Alexandro papa III bullas obtinuit, quibus sancita Nannetensis ecclesiæ privilegia. Anno 1181, monialibus Fontis Ebraldi plura firmavit in insula *Verz* data. Mellerium se recepit VII id. Augusti 1183, consecrataque cœnobii basilica, res monachis a Bono Abbate de Roggeio condonatas recensuit. Memoratur, anno 1184, de
1184 D quibusdam decimis cum Sebrando, Albæ Coronæ abbate, transigens. Quo, ut videtur, anno, Hierosolymitanum iter auspicatus est. Unde rediens, eo anno, Brundusii decessit, ut memorat auctor Appendicis ad Sigebertum : « Anno 1184, obiit Robertus, episco« pus Nannetensis, vir magnæ honestatis et « amicus noster, cum rediret de Hieroso« lyma; » Rer. Gall. Script., t. XVIII, p. 337. Idem refert Britannicum Chronicon; ibid., p. 330. Roberti Nannetensis ecclesiæ necrologium 15 Januarii meminit. Quamobrem eum E *Travers* anno 1185 ineunte, secundum hodiernum usum, obiisse conjecit.

LVIII. Arturus.

Nannetensis cathedra vacans legitur, post mortem Roberti episcopi, anno 1185, in charta Geoffridi, Castri Celsi toparchæ, quam Majoris Monasterii chartularium exhibet; inter cod. Regios, t. III, p. 380. Hoc eodem anno, Arturum Roberto successisse A nonnulli memorant : cæteris vero hic Arturus, de quo chartularia silent, subdititius videtur episcopus. Indubie quidem Nicolaus *Travers* asseruit, ex instrumentis inquisitionis anno 1206 peractæ, inter Robertum et Mauricium quemdam prætermissum in chartulariis episcopum aliquantisper sedisse. De Arturo tamen ambigere licet, nisi idem ille sit quem diptychorum quidam adulterator *Amittonem* nuncupavit; ut legitur post Robertum in cod. Regio 4955 : *Amitto vocatus, sed non episcopus.* Ut ut se res habuit, hic incerti nominis præsul non, ut videtur, consecratus fuit.

LIX. Mauricius.

Electus memoratur Mauricius anno 1185. DE BLASON.
Ea autem temporis nota nonnihil dubitationis habet. Quam enim præcipue tuentur e litteris Urbani papæ III, de jurgio quoad electionem in abbatia S. Melanii peractam solvendo. Seriem vero abbatum qui S. Melanio præfuerunt consulenti perspicuum erit nullam anno 1185 electionem factam fuisse. Occurrit primum, anno 1187, indict. V, epact. 1187
IX, V id. Aprilis, chartulam edens de rebus Buzaio datis a Radulfo de Chameriaco; e cod. Regio 8357[3]. Eodem anno, in capitulo Majoris Monasterii considens, diutinam de prioratu Lehonensi inter Majoretanos et Maclovienscm episcopum litem solvit. Eodem denique, pacem fecit inter priorem Pontis Castelli et Garinum de S. Stephano; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 712. Anno 1188, adest 1188
conventui Cenomanensi, in quo rex Henricus, suscepta cruce, de colligendis nummis edictum profert; e Benedicto Petroburg., apud Rer. Gallic. Script., t. XVII, p. 478. Obit Henricus anno 1189 : cujus Richardus hæres salutatur. Normanniam peragrante Richardo, ei Mauricius fidus comes adhæret, ejusque litteris subscribit, Domnofronte datis, anno 1190, de molendinis ad Oratorii mo- 1190
nachos collatis; apud *Housseau*, t. V. Eodem anno, Salmurii reperitur, testis concordiæ inter S. Florentii monachos et Fontebraldenses puellas initæ; eodem denique, in instrumento de Perreii Andegavensis fundatione memoratur. Statuit, anno 1192, de capellaniarum Nannetensium administratione. Anno 1193, de mina salis monachis Pontis Oetranni et Majoris Monasterii a Conano duce datis litteras promulgavit; e chart. Maj. Monast.. Anno tandem 1198, 29 Novem- 1198
bris, ut erat gente Pictavus, Pictaviensem in cathedram litteris Innocentii papæ III translatus est. Vide supra, t. II, col. 1082.

LX. Geoffridus.

Oratorii natus, thesaurariusque S. Petri Nannetensis, Geoffridus præsul electus legi-

ANNI CHRISTI tur, nondum vero consecratus, xiv cal. Maii
1199, in Arturi ducis chartula quosdam redi-
tus monachis Pontis Octranni conferentis.
Arturum Geoffridus secutus erat Andegaven-
ses agros peragrantem, et cum eo in capella
Bonorum Hominum, Andegavum prope, con-
sederat. Eodem anno, data monachis Beriace-
nis a Petro *de Bain* sigillo suo firmavit. Me-
moratur, anno 1203, Constantiam ducissam
1207 in ecclesia Villæ Novæ sepeliens : anno 1207,
Primauderiæ fundationem, Grandimonta-
nis fratribus adscriptæ, comprobans; eodem
anno, inquisitionem, jussu domini papæ,
fieri jubens de gestis Mauricii, nuper Nan-
netensis episcopi, cui plura delicta plebs
clerusque objiciebant; eodem denique, men-
se Novembri, inter præpositum S. Spani et
Reginaldum *de Bucees* pacem faciens. Judex
electus ab episcopo Venetensi et monachis
Rotonensibus inter se litigantibus, senten-
tiam emisit arbitrariam xvi calendas Decem-
bris 1208. Geoffridum decessisse *Travers* as-
serit hoc anno 1208. Ea autem conjectura
antiquiorem testem desiderat. Gualterius
quidem innotescit, anno 1210, ex Albæ Co-
ronæ chartula, ubi legitur in eam pergens
abbatiam, Eudonem de Ponte monachis in-
sulam *Pullent* restituentem auditurus; Prob.
Hist. Brit., t. I, col. 807. Geoffridus autem,
anno 1212, reperitur in Hispania, castra se-
quens Alphonsi regis, adversus Sarracenos
bella gerentis, hisque victis et pacem pos-
centibus parcentem Alphonsum increpans;
ex Alberici Chronico, apud Rer. Gallic.
Script., t. XVIII, p. 779. Unde conjicimus
Gualterii nomen in Albæ Coronæ chartulam
pro Geoffridi nomine mendose irrepsisse.
Memoratur Geoffridus iv idus Februarii, in
necrologiis S. Florentii et Roncereii.

LXI. Stephanus.

DE LA BRUÈRE. Stephanus occurrit anno 1213, monitum
edens de pratis Vertavo datis a Geoffrido
Renart; ex Alb. Mantell. cod. 40, p. 960.
Quod sub tempus coram Joanne metropolita
cum Guidone comite litigavit de reditibus
Nannetensis episcopatus, quos, cathedra va-
cante, comes fisco suo adscripserat. Britanniæ
totius principatum auspicatus est anno 1214
ille Petrus, facinorosis clarus inceptis, quem
Malum Clerum cognomento plebs ipsa ap-
pellavit. Occupatis ab eo ecclesiæ possessio-
nibus, de violato jure Stephanus queritur.
Acerbior inde mens prædatori, qui, rursus ad-
hibita vi, Stephani nomen ejus deferentis con-
stantiam frangere conatur. Audita re, Hono-
rius papa III judicibus causam tradit investi-
1217 gandam, anno 1217. Qui ut adversus ducem
sententiam dixere, ferro flammisque dux
episcopales villas aggredi jubet. Compellitur
Ch. x. in exsilium Stephanus anno 1218, sicut nos
col. 179. Honorii papæ litteræ docent, eo anno datæ,
25 Junii, et, excommunicationis pœna ab
ipso in Petrum lata, Romam tendit. Repe-
ritur anno 1219 Geoffridus de Cancellis *epi-* 1219
scopi Nannetensis vices gerens, in chartula
de quibusdam jurgiis quæ inter monachos
Pontis Octranni et G. de Arneto intercesse-
rant; ex Albor. Mant. cod. 45, p. 648. Id qui-
dem erat Honorii papæ consilium ut Stepha-
no faveret : pacis vero componendæ quam
exercendæ justitiæ studiosior, utrique suasit
ut pactis conditionibus controversiam tolle-
rent. Ea tandem lis, interventore papa, se-
data est anno 1219, uti legere est in Honorii
epistola, scripta 28 Januarii 1220; apud Rer.
Gallic. Script., t. XIX, p. 692. In sedem
suam redux Stephanus occurrit, anno 1220
ineunte, S. Sergio a Matthæo *Guanasche*
data testans; e chartul. S. Sergii : anno dein
1222, res Buzaio a Petro de Valle collatas
confirmans; e cod. Regio 8357[5]. Adit, viii
cal. Decembris 1225, ecclesiam Villæ Novæ 1225
consecrandam. Decedens postea memoratur
v, vel vi id. Februarii 1227, secundum recen-
tem usum; ex obituariis Roncereii et Genes-
tonii. Statuta condiderat quæ diu viguere.

LXII. Clemens.

E cantore Nannetensi Clemens episcopus DE CHATEAUBRIAND.
instituitur, Stephano mortuo. Per dimidium
super quinque menses sedit, obiitque v, vel
vi id. Septembris; e Roncereii, Genestonii
et S. Albini martyrologiis. Eo ipso anno
1227.

LXIII. Henricus I.

Aditis suffragiis post Clementis obitum,
Henricus eligitur. Is vero episcopalis mensæ
reditus primo percipere non valuit, obstante
Petro duce. Reperitur primum anno 1230,
decretum promulgans de rebus Villæ Novæ
traditis ab Olivario *Millat;* dein, anno 1231,
testis adlectus a Joscelino de Rocha Bernar-
di, cum canonicis Omnium Sanctorum pacis-
cente. Ecclesiam S. Michaelis Nannetensem
anno sequente, 22 Septembris, consecravit. 1232
Anno 1233, cum Majoretanis de procuratio-
nibus nonnullis transegit. Quo etiam anno,
mense Januario, aut anno 1234, de decimis
quibusdam Mellereio collatis monitum edi-
dit. Mense tandem Februario 1234, reperitur
denuntians quæ Guillelmus de Safreio Tem- 1234
plariis Nannetensibus dederat. Obiit eodem
anno; Probat. Hist. Brit., t. I, col. 6. Ejus
meminisse videtur Genestonii necrologium,
15 Octobris. Decessum ejusdem alii memo-
rant 4 Februarii 1235.

LXIV. Robertus II.

Henrico mortuo, canonicorum major pars
Joscelinum, archidiaconum Nannetensem,

ANNI CHRISTI
elegit. Cum autem ejus electionem plures impugnarent, ob id imprimis quod Petro duci
cæterisque ecclesiasticorum bonorum deprædatoribus molliter obstare consueverat,
Ch. xi, col. 179. dominum papam appellaverunt, a quo res
judicibus investiganda tradita fuit. Sententiam ab his prolatam ætas invidit. Legitur
tamen Gregorium IX, posthabita suffragiorum lege, ecclesiæ Nannetensi Guidonem,
Apuliæ episcopum, quem e cathedra sua Romanorum imperator expulerat, motu proprio,
præter morem, præfecisse. Ea refert Chronicon Alberici, apud Rer. Gallic. Script.,
t. XXI, p. 618. Addit Albericus Guidonem anno 1241 patriarchatu Hierosolymitano
donatum fuisse. Hujusce tamen Guidonis nulla in tabulis Nannetensibus mentio
occurrit. Advertendum insuper quod inter coætaneos Apuliæ præsules minime memoretur,
in Ughelli Italia Sacra. Robertum tunc temporis præbent chartulæ Nannetenses,
eumdemque quidam asserunt Italum antea præsulem, qui Hierosolymitanus postea
patriarcha exstitit. Id forsitan verius est: eorum tamen emendetur error qui Robertum
ex Aquileio præsule Nannetensem fuisse contendunt; non enim tunc Aquileiam episcopi,
sed patriarchæ regebant, et inter Aquileios hujus ætatis patriarchas Robertum
Ughellus nullum recensuit.

E quolibet loco oriundus Robertus cathedram Nannetensem occupabat Augusto men-
1236 se 1236, quo pacem fecit inter Corisopitensem episcopum et abbatem Landevenechi,
de juribus variis litigantes; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 900. Et ipse, eodem anno,
tam ad Turonensem metropolitam quam ad dominum papam oratores misit, qui de Petro duce
quererentur. Scripsit Gregorius papa IX ad Pic-
Ch. xii, col. 181. taviensem episcopum, III non. Decembris,
injurias referens a Britonum duce Nannetensi ecclesiæ illatas, jubensque ut prorsus
turbatæ res componerentur. Mox ad Robertum, nonis ejusdem mensis, alias misit litte-
Ch. xiii, col. 182. ras, de procurationibus a capellanis ruralium
ecclesiarum persolvendis. Cenomani reperitur Robertus, 4 Novembris 1237, ubi laudat
Geoffridi litteras de libertatibus collegio
1238 S. Juliani concessis. Anno 1238, Romam se
recepit, contra ducem causam dicturus. Unde Hierosolymam tetendit, Hierosolymitanus
patriarcha creatus litteris Gregorii papæ IX, II id. Maii 1240; nec ei ulterius in
derelicta cathedra considere licuit.

LXV. Galeranus.

E decano Turonensi Galeranus Nannetensis fit episcopus, anno, ut opinantur, 1240.
In bona defuncti præsulis dux manum injecerat. De qua re Galeranus coram domino
papa, ab anno 1241 usque ad annum 1250, litigavit. Id per temporis intervallum remotis
A in oris et præcipue Lugduni Galeranus degens memoratur, et adversus Petrum ducem
multa movens. Sæpius tandem et a diversis judicibus pertentata causa, sententia summi
Pontificis in ducem acerba prodiit. Postea
Nannetes Galeranus, anno 1252, se recepit, 1252
et ducem, apostolico mandato tardius parentem, excommunicationis flagello percussit.
Reperitur idem Nannetibus, die festo S. Barnabæ 1254, de juribus cum Guillelmo de
Thoreio paciscens. Anno vero sequente, Romam tendens Andegavi paulisper commoratus est,
et ibi, in octava post Assumptionem
B B. Mariæ, reliquiarum B. Renati translationi adfuit; apud *Housseau*, t. VII. Romæ dux
præsulque, inito fœdere, pristinarum oblivionem simultatum juraverunt. Mox autem
alia duci mens, qui novas moliens insidias iterum cum Galerano de minoribus juribus
contendit. Quibus dissidiis nulla quies ante mensem Octobrem 1259. Mense tandem Maio
1260, occurrit Galeranus de jurisdictione 1260
Cassum exercenda transigens cum Maino, prædicti loci toparcha. Obiit anno 1263, XI
cal. Octobris; e Genestonii necrologio.

C Gualterium catenus ignotum Galerano *Travers* successisse refert, e chartula quæ
sopitam litem memorat, anno 1264, inter Nannetensem præsulem et Guillelmum de
Thoreio. Consule vero Probationes Hist. Brit., t. I, col. 956, et eadem tibi semet
offeret chartula, anno 1254 et præsulante Galerano in lucem data. Cautum igitur
scriptorem parum attente lecta schedula in eo fefellit.

LXVI. Jacobus I.

D Jacobum e decania Turonensi in Nannetensem cathedram translatum Sammarthani
referunt sub annum 1260. In ea vero temporis nota peccavere. Alius fuit error Nicolai
Travers, eamdem translationem exeunte anno 1264 peractam memorantis. Habemus enim
litteras officialis Briocensis ad archipræsulem Turonensem, quibus Simonem excusat, ne
consecrationi Nannetensis episcopi interesset prohibitum. Quæ datæ leguntur die lunæ
ante Cathedram S. Petri 1263; vel, secundum hodiernum calculum, circa medium
Januarium 1264. Consule Prob. Hist. Brit., t. I, col. 990. Eo anno 1264 de reditibus ec-
E clesiæ suæ cum Britonum duce, et, anno 1265 1265
ineunte, cum Ægidio, Buzaii abbate, litigans Jacobus reperitur. Eodem anno 1265
patronatum ecclesiæ S. Crucis alternis vicibus ad se et ad Majoretanos pertinere
profitetur. Decessit 7 Februarii 1267; ex ejus epitaphio, quod præbet codex *de
Gaignières*, num. 142:

Bis sexcentanus annus, decies quoque senus
Septimus est Christi, cum migrat funere tristi
Hic Jacobus, sanus sensu, Turonisque decanus,
Divinæ legis doctor devotus, et ægis

ANNI CHRISTI

Fortis, canonicus bene dignus Parisiensis,
Demum Nannetensis præsul, probitatis amicus.
Septima Febrilis mensis lux est requiei.
Rex pius, ac humilis, Christus opem det ei.

LXVII. Guillelmus I.

DE VERN. Vixdum electus Guillelmus in Britonum ducem, qui villarum episcopalium reditus, vacante sede, sibi vindicaverat, majoris cen-
1267 suræ minas intorquet, anno 1267. Re iterum ab apostolicis arbitris attentius investigata, episcopi causa vicit. Ea lis ut composita fuit, Guillelmus reperitur duci fidem dans, Jovis die ante Pascham 1269; e cod. Regio 8357³. Conjicit vero *Travers* clientelaris id obsequii documentum plane commentitium esse. Certum quidem est minime stabilem inter episcopum ducemque pacem permansisse. Mox enim novis dissidiis ducis ministri occasionem præbuere, nec cessavit præsul a jure
1277 suo strenue tuendo. Memoratur, anno 1277, monachis S. Georgii prioratum incolentibus audiendarum confessionum jus concedens; e chartul. Maj. Monast.. Decessit 11 id. Octobris; e Genestonii necrologio : eo anno, ut opinantur, 1277.

LXVIII. Durandus.

Durandus primum occurrit anno 1279, quo monachis S. Georgii a Theophania *La Bernarde* condonata sancivit; e chartul. Maj. Monast.. Eodem anno, Martio mense, Rivallonum de Templo, senescallum Nannetensem, ab excommunicatione, quam obviolatas ecclesiæ Nannetensis libertates incurrerat, solenniter absolvit. Agnovit, die Jovis post
1283 Assumptionem B. Mariæ 1283, nullum ad se jus quoad procurationem exigendam in Dongiensi prioratu pertinere; e Majoret. tabulis. Eodem anno reperitur in tabulis Omnium Sanctorum et Albæ Coronæ. Consecrationi Guillelmi Majoris, Andegavensis episcopi,
1290 anno 1290, interesse non valuit. Eo tamen anno Nannetibus præsens reperitur in chartulis ad Mellereii cœnobium spectantibus. Sedit, anno sequente, in Andegavensi concilio. Sub quem decessit, ut aiunt, 11 Maii. Memoratur tamen 13 Maii in obituario S. Mauricii Andegavensis.

Maurum quidam anno 1288 ponunt; e Buzaii tabulis. Fictitium autem hunc episcopum aptis *Travers* argumentis removit; Hist. Eccl. Nannet., t. I, p. 392.

LXIX. Henricus II.

DE CALESTRIE. Henricus, cui cognomen de Calestria, consecratur Turonibus anno 1293. Februa-
1299 rio mense 1299, secundum recentem calculum, ad Castri Guntherii synodum accessit, et in ea de sede præsuli Nannetensi, ut æquum erat, tribuenda cum episcopo Macloviensi contendit. Sæpius memoratur annis 1302, 1303, in instrumentis ad rem Bonifacii VIII spectantibus; e Puteana farragine de Dissidiis inter Bonif. VIII et Philippum regem. Decessit Henricus anno 1304. 1304

Henricum de Calestria anno 1298 *Travers* obiisse conjicit, alterumque Henricum ab eo anno 1298 usque ad annum 1304 cathedram Nannetensem tenuisse. Ea autem conjectura non valet.

LXX. Daniel.

Guemencii natus, in agro Nannetensi, VIGIER.
consecratur Daniel anno 1305. Anno 1306, decani munus auxit, cumque, secundum morem Turonensis ecclesiæ, præ cæteris canonicis extulit. Anno 1309, Daniel et Nicolaus 1309
de Guemeneio, S. Medardi rector, Romæ reperiuntur, procuratores totius Britonum ecclesiæ semet ferentes, et disputata jam diu jura eo nomine sibi contra Arturum ducem vindicantes. Inter quos pacem fecit Clemens papa V, anno pontificatus sui quarto, v cal. Julii. In Viennensi concilio Daniel sedit, anno 1311. Unde rediit quatuor Clementis papæ rescriptis munitus, IX cal. Julii datis, quæ Labbæus prælo tradidit, Concil., t. XI. Ut erat in obeundo munere impiger, otiosos ægre ferens canonicos capitulo Nannetensi novas leges imposuit, quæ bullis Clementis papæ stabilitæ sunt, Julio mense 1312. Dein 1312
occurrit, lunæ die ante Assumptionem B. Mariæ 1314, litteras promulgans de fundatione Ch. XIV, col. 182.
domus juxta *Plessé*, pauperibus addictæ. Ad eumdem scripsit Joannes papa XXII, calendis Augusti 1320, ei jam concessas a Clemente de capituli Nannetensis reformatione litteras confirmans. E jam dictis palam est Danielem nihil solennius habuisse, quam ut antiquatam in ecclesia sua disciplinam restitueret, arctioribus statutis canonicorum mores emendaret, eorumque jura officiaque describeret. Reperitur deinde, 30 Januarii
1329, capicerii dignitatem condens. Nec segnius invigilavit ut ab eisdem canonicis por- 1329
rectas semper ducum manus arceret. Sic, anno sequente, die Dominica post B. Scholasticæ festum, jussit ut insignia ducum domi- Ch. XVI, col. 185.
bus ecclesiasticis recens appensa protinus avellerentur. Transegit, eodem anno, cum Theobaldo de Rupe Forti, super Carmelitanis fratribus in civitate Nannetensi constituendis. Anno 1335, synodum Turonensem adire 1335
non valens, excusatorias scripsit litteras, obiitque 12 Februarii 1337; ex ejus epitaphio : « *Anno Dom. MCCCXXXVII, die Veneris* XII *mensis Februarii, obiit Rev. pater ac Dom. Daniel Vigerii, de Guemeneio, Nannetensis diœcesis, oriundus, episcopus Nannetensis, qui per* XXXII *annos cum dimidio rexit laudabiliter ecclesiam Nanneten-*

ANNI CHRISTI *sem. Cujus anima in pace cum sanctis angelis requiescat. Amen.* » A chronographo Britannico laudatur « vir pollens scientia et moribus; » Prob. Hist. Brit., t. I, col. 7. Statuta Danielis synodalia, numero sex et viginti, collegit Nicolaus *Travers*, in Conciliis Turon. Prov., t. III, p. 25 et sequent.

LXXI. Barnabas.

DE ROCHEFORT. Barnabas, qui Bonus Abbas ab aliis nuncupatur, innotescit ex actis Vaticani consistorialibus, 17 Julii 1338. Paulo post obiit, aut munus sequenti transmisit.

LXXII. Olivarius.

SALAHADIN. E studii Parisiensis rectore decanus Parisiensis, dein episcopus Nannetensis Olivarius fit anno circiter 1339. Olivarium quidam eumdem opinantur ac ejusdem nominis Turonensem decanum, anno 1353, apud Joannem *Maan*. Obstant vero discordantes temporum notæ. Neque Joannem *Maan* annum 1353 pro anno 1335 legisse, et Olivarium decaniam Turonensem ante episcopatum Nannetensem tenuisse conjicias: conjecturam enim hanc refellit quod de Olivario Parisiensi decano supra legitur, t. VIII, col. 209. Avenione re-
1347 peritur, 19 Maii 1347, S. Yvonem sanctis rite annumeratum panegyrico sermone prosequens. Obiit IX cal. Septembris; ex obituario Genestonii. Annum *Travers* 1352 proponit; sed perperam. Apud Sammarthanos
1354 et D. Moricium verior legitur annus 1354.

Defuncto Olivario, ei canonicorum suffragia Hugonem *de Monstrelais,* decanum olim Nannetensem, suffecerunt. Precibus vero Caroli Blesensis obsequens, Innocentius papa VI Robertum, Trecorensem episcopum, in Nannetensem cathedram transtulit, Hugonemque, Nannetensem electum, Trecorensibus donavit infulis.

LXXIII. Robertus III.

PAYNEL. Roberto, Trecorensi episcopo, vacantem per obitum Olivarii sedem confert Innocentius papa VI, XIII cal. Decembris, anno pontificatus sui secundo, Christi 1354. Hæc Suaresius e regestis Innocentii desumpsit; quæ cum notis a D. Moricio eamdem erga rem allatis plane concordant, evertuntque mendosam N. *Travers* chronologiam. Capitulo
Ch. XVII, col. 186. Nannetensi Robertus, mense Maio 1359, ecclesiam B. Mariæ adnectit. Reperitur Parisiis
1364 Julio mense 1364, testis privilegiorum Andegavensi scholæ concessorum. Unde redux erat Septembri mense, ut legitur in Ronceraii chartula de collatione altaris S. Cyrici. Supremum diem explevit 23, aut 26 Februarii 1366. Vacans legitur sedes Nannetensis 12 Martii 1366, in actis Andegavensis concilii, apud *Maan*, Concil., p. 88. ANNI CHRISTI

LXXIV. Simon.

Simon, magister ordinis Fratrum Prædicatorum ab anno 1352, nec tantum vir doctrina pollens, sed etiam consilii plenus, cui difficillima jam Innocentius papa, et Carolus, regis filius, negotia demandaverant, litteris pontificiis in Nannetensem sedem invehitur
XVII cal. Aprilis 1366; e Suaresio. Urbem ca- 1366
thedralem dein ingressus 11 Martii 1367, fidum semet Joanni duci juravit 3 Novembris 1369. Circa 1370, statuta condit, quæ Martenius edidit. A quo, ut videtur, tempore ecclesiam suam deseruit, eamque Joanni, Nazareno archiepiscopo, administrandam tradidit. Joannes ille, Simonis generalis vicarius, aut coadjutor, ipse vocatur, anno 1373, episcopus Nannetensis, in inscriptione Navarrei collegii, quæ Joannis Launoii curis ad nos pervenit. Unde plures conjecere Simonem in Joannem infulas et integrum muneris decus, anno 1372, aliquantisper transtulisse. Id vero minime certum est. Utcumque se res habuit, Simon occurrit episcopum Nannetensem semet ferens annis 1374, 1376, 1379,
1381. Anno 1382, in Venetensem cathedram 1382
transiit, permutatione facta cum Joanne *de Monstrelais*.

LXXV. Joannes I.

Non protinus vero Joannes diœcesis Nan- DE MONSTRELAIS.
netensis administrationem suscepit. Elapso sedenim uno et amplius anno, 21 aut 29 Martii 1384, secundum recentem usum, ad Britanniæ ducem scripsit, diem declarans quo solenniter ad episcopalem urbem erat accessurus; e cod. Regio 8357[2]. Quem peregit ingressum 4 Aprilis, ut constat e litteris prolixe totam rem enarrantibus; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 439. Duci dein fidem dedit,
mense Maio. Occurrit postea, 7 Junii 1385, 1385
in Britannorum episcoporum conventu, qui Joannem ducem Joanni *du Fou* jam data confirmantem audivere; ibid., col. 379. In comitiis Britanniæ generalibus sedit 4 Maii 1386. Laudavit, 18 Aprilis 1387, litteras Joannis ducis de reditibus ab eo Joannæ Navarreæ, uxori suæ, assignatis. In Nannetensibus comitiis postea reperitur, Januario mense 1389. Diem Joannes explens supre-
mum, 13 Septembris 1391, in eam memoratur 1391
inopiam delapsus, ut capituli sumptibus fuerit humatus. Plurima et quasi innumera statuta condiderat, quorum pleraque exhibent Prob. Hist. Brit., t. II, p. 493, 534, 559, 568.

ANNI CHRISTI

LXXVI. Bonabius.

DE ROCHEFORT. Bonabii de Rupeforti et Mariæ de Ancesinio filius, antecedentis Joannis frater uterinus, Bonabius cameræ apostolicæ obsequium promisit 4 Septembris 1392, et Britonum duci decurrente Quadragesima 1393. Parisiis reperitur, anno 1394, in episcoporum conventu ad quem schismatis res delata; e Monacho San-Dion., t. II, p. 220. Subscripsit, 25 Februarii 1396, ducis litteris in gratiam S. Michaelis de Campo. Eodem anno, 18 Julii, testis fuit Radulfi de Monte Forti semet sacramento erga ducem obligantis. Obiit 8 Augusti 1398, ut compertum habemus e procuratoriis rationibus de sedis vacuitate; inter schedas castri Nannet., arm. *K*, caps. *a*.

1394

1398

Occurrit Guido, Nannetensis electus aut episcopus, anno 1395. Ecclesia in duas partes divisa, ab æmulis Pontificibus æmuli tunc temporis episcopi nominabantur. Certum est Guidonem supra memoratum ab ecclesiæ Nannetensis aditu semper prohibitum fuisse.

LXXVII. Bernardus II.

DU PEYRON. Mortuo Bonabio, Bonifacius IX, ut aiunt, episcopatum Nannetensem Petro contulit. Occurrit Petrus 1 Martii, anno, ut videtur, 1400, in Angliæ regis chartula quam præbent Prob. Hist. Brit., t. II, col. 707. Hunc autem Petrum Britonum dux admittere noluit, et uxoris suæ eleemosynis antea præfectum Bernardum in Nannetensi cathedra collocavit. Bernardus Andegavi reperitur 8 et 15 Februarii 1400; Avenione, 12 Martii, ubi Joanni duci et Joannæ Navarreæ fidem jurat. Unde redierat ante Pentecosten 1401. Parisiis commorans 7 Januarii 1404, testis est Joannis ducis se regium clientem profitentis. Benedicti XIII partibus Bernardus non faverat. Ut igitur auctoritas Benedicti prævaluit, Bernardum is e sede Nannetensi in Trecorensem transtulit, et Henricum, Venetensem episcopum, Nannetensibus proprio motu infulis ornavit, anno 1404.

1400

LXXVIII. Henricus III.

LE BARBU. Britonum duci a Benedicto XIII commendatur Henricus vi non. Maii 1404; e cod. Regio 8357². Qui fidem duci dedit 22 Aprilis 1405. Ejus translationem diu Bernardus impugnavit, non licere Benedicto clamitans ut eam legitimo pastori vim inferret. Composuere tandem, Octobri mense 1411. Henricus anno 1405, die Jovis post Pentecosten, in synodo statuta condidit. Alia ejusdem supersunt statuta, quæ promulgavit annis 1406, 1408, 1409, 1410, 1411. Henrico intercedente, Joannes dux et Guerrandiæ capitulum transegerunt, 16 Martii 1409, de conventu Dominicano juxta Guerrandiam instituendo. Quo et anno per procuratorem Henricus Pisanum concilium adiit. Obiit 27 Aprilis 1419. Sede vacante, 7 Maii, decanus Nannetensis de condita Savenaii Franciscanorum domo litteras promulgavit; e Reg. cod. 8357². 1419

1405

LXXIX. Joannes II.

DE CHASTEAUGIRON. Joannes e Briocensi cathedra in Nannetensem traducitur a Martino papa V, 24 Augusti 1419. Anno sequente, 10, vel, ut aliis placet, 13 Februarii, postquam Joannes, dux Britanniæ, pacificis cum osculis Olivarium Blesensem, sibi nuper infensum, jam exceperat, eidem Olivario novas insidias supplici vultu mentienti episcopus ipse Nannetensis lauta convivia paravit. Postmodum vero patuit scelus. Ducem enim in quamdam Andegavensis agri villam transvectum comes comprehendere jussit, et in Pictaviensi castro, quod Delphino Viennensi subditum erat, carceri mandavit. Quocirca Nannetensis episcopus, anno sequente, ab optimatibus Britanniæ in Angliam missus est, regem Angliæ sollicitaturus de libertate Arturi, quem Joannis fratrem rex inter belli captivos asservabat. Confidebant enim Joannem vincullis exemptum totis viribus ad fratris recuperationem enisurum; e Monacho San-Dionys., t. VI, p. 402, 404. Confer Prob. Hist. Brit., t. II, col. 1021, 1033. Memoratur tamen Joannes præsul, anno 1426, proditionis reus, et Arturi jussu in castro Cainonensi inclusus. E quo liber carcere, in comitiis Britanniæ præsens legitur 8 Septembris 1427. Absens notatur Joannes 29 Decembris 1429; ex Albor. Mant. cod. 47, p. 573. Eum reperies in Nannetensi concilio, 23 Aprilis 1431. A nonnullis quidem adscribitur hoc concilium anno 1430: eorum autem error satis patet ex eo quod Eugenio pontificante congregatum referatur. Eodem anno desinente, Joannem, uti Britanno duci non persolvendæ pecuniæ suasorem, vi rapuit Alenconius comes, et primo Fixam, deinde Pouanceium captivum duxit. Tunc Brito Pouanceium obsidione cingit, Joannesque, inito fœdere, libertate donatur. Memoratur Joannes, anno 1432, S. Maclovium deveniens, et, eodem anno, in Angliam pergens: nec tunc Basileense concilium adire valuit, cancellarii negotiis plusquam episcopi Nannetensis incumbens. Anno 1435, intererat Atrebatensi conventui, et, anno sequente, in Angliam rursus tendebat. Consecravit, 16 Septembris 1441, Dominicanam Guerrandiæ ecclesiam. Decessit tandem Nannetibus, 14 Septembris 1443.

1429

1431

1432

1435

ANNI CHRISTI

LXXX. Guillelmus II.

DE MALESTROIT. Filius Joannis de Malestricto et Joannæ
Dolensis, Guillelmus ex electo Cenomanensi
Nannetensis fit episcopus, anno 1443. Statuta
1445 condidit, die Jovis post festum S. Lucæ 1445,
et die Jovis post Pentecosten 1446 : de quibus consule *Travers*, Concil. Turon. Prov.,
1448 t. III. Sedit, 28 Julii 1448, in Andegavensi
concilio. Venetiæ reperitur, 17 Julii 1450,
oleo sacro Franciscum ducem in extremis
laborantem spargens. Altos Guillelmus gerebat animos : qui dum cum Joanne quodam
Delbiest litigaret, hic senatum Parisiensem
appellavit; tunc autem Guillelmus ecclesiam
Nannetensem anno Christi 47 conditam affirmare, sedi Romanæ nullo medio subjectam, et senatus Parisiensis regisque jurisdictionem detrectare. Exstant vero prædicti
senatus sententiæ, quibus de ea contentione
prorsus insolenti desistere jubetur. Anno
1455, mense Novembri, occurrit Guillelmus
in Venetensibus comitiis. Venetiæ dein interest, 4 Aprilis 1456, elevationi corporis S.
Vincentii Ferrarii. Moniales S. Claræ Nanne-
1457 tibus constituit 3 Augusti 1457. Anno sequente, 28 Aprilis, inter Rotonensium abbatem prioremque B. Mariæ Nannetensis
controversiam sedavit. Tunc vero novum Britanniæ ducem Arturum in se concitavit, cui
fidem dare noluerat. Guillelmo diem dixit
Arturus : Francorum autem regi, in eo quod
ad temporalia bona spectabat, minime Britonum duci subjectum semet Guillelmus asseruit; ducisque ministros, a quibus publice
lacessitus erat, censura notavit. Hi vero Turonensem metropolitam appellaverunt, et
Joannes, tunc temporis in Turonensi cathe-
1459 dra sedens, litteras edidit, 16 Januarii 1459,
quibus eos a prædicta censura absolvit; e
cod. Regio 8357². Pio tamen papæ II alia
mens, a quo, XIV cal. Martii, Guillelmi sententia in Arturi ministros confirmata. Quæ
dum moverentur Arturus obiit, et postmodum
Guillelmus Francisco duci semet fidum professus est. Episcopali tandem munere semet
abdicavit, in gratiam Amalrici sequentis,
1462 anno 1462 incipiente, ut Thessalonicensis a
domino papa episcopus nominatus est. Cenomani decessit, 17 Augusti 1492.

LXXXI. Amalricus.

D'ACIGNÉ. Joannis filius et Catharinæ *de Malestroit*,
Amalricus e Nannetensi canonico, Guillelmo
cedente, præsul factus est. Pius cum papa
duci commendavit IV cal. Aprilis 1462, admissa in eo die Guillelmi cessione; e cod.
Regio 8357². Romam postea tendens Amalricus, ibi consecratur die qua triviatim Rami
Palmarum feruntur. Munus vero postquam
adierat, mense Julio sequente, ab eo sacramentum Britonum dux poposcit. Unde grave

A dissidium. Fidei pignus præsul detrectat; in
præsulis bona dux manum injicit, 7 Septembris, et cunctas ejus domos occupans, eisdem Amalricum et Guillelmum, Thessalonicensem episcopum, prohibet. Andegavum
tunc Amalricus confugit, et inde, 24 Septembris, excommunicationis minas edit, mox
totum Nannetense territorium interdicto suppositurus, 22 Octobris. Suspenso dein apostolicis litteris interdicto, partes Amalrici
Ludovicus rex litteris suis tuetur, 25 Octobris
1463. Cum vero ducis causa domino papæ
placere videretur, isque legatum in Galliam
B mitteret, a quo tanti materia dissidii minutatim investigaretur, apostolicum rex legatum
apprehendi jussit, inque ducem litis a rege
lecti cognitores sententiam ediderunt, desinente Octobri mense 1464. Facies autem re- 1464
rum post breve tempus mutata. Dum enim
regiam vim propulsaturus castella dux sua
muniret, majoribus intentus negotiis, quæ
scilicet in dies pessum abibant, Ludovicus rex
ad id compulsus est ut amicitiam Francisci
ducis sibi quæreret; quamobrem, Octobri
mense 1465, cassam fecit cognitorum suorum sententiam, et Francisco controversa
C jura restituit. Interea Amalricus aberat. Andegavum, ut diximus, incolebat anno 1462;
Turonibus reperitur 7 Aprilis 1464, a capitulo S. Martini locum deposcens, in quo sacros ordines celebraret. Dein autem, dirempta quæ non diu tenuerat pace, et in
Franciscum Ludovico acre bellum movente,
Nannetes Amalricus rediit, ubi memoratur
Septembri mense 1470, ecclesiæ collegiatæ 1470
cœmeterium consecrans. Ab eo rursus sub id
temporis obsequii professionem Franciscus
poposcit. Quam ut rursus detrectavit, in eum
dux sævire : fugere vero Amalricus, et post-
D quam iterum jusserat ut a sacris plebs arceretur, Romam tendere. Anno igitur sequente,
16 Julii, Francisci prodierunt litteræ, quibus Guillelmus de Malestricto et Amalricus,
utpote rebelles, proditores, et rei publicæ pestes, agro Britannico extorres palam dicti
sunt. Romæ tunc Amalricus degebat. Conveniunt, 8 Februarii 1472, cives Nannetenses,
a quibus deliberatum est ut alterum a domino papa, Amalrico deposito, episcopum
postularent. Sixtus vero papa, antecedente
Pio in Amalricum benignior, ad Franciscum
scripsit 13 Junii, paci viam aperiens; e cod.
E Reg. 8357². Apostolica monita surdis auribus
primo dux excepit : quare in Galliam redux
Amalricus episcopalem urbem non adiit, antequam inter ducem papamque, 1 Maii 1475, 1475
tandiu agitata res componeretur. Reperitur
eo anno Nannetibus, 9 Octobris, recens institutam B. Mariæ de Monte Carmelo sodalitem approbans. Granatariæ commendatarius abbas erat, necnon Trisagii, in diœcesi
Lucionensi. Granatariæ decessit 23 Februarii 1477.

ANNI CHRISTI

Jacobus *Delbiest* e scholastico Nannetensi dein episcopus electus est, qui per aliquot tantum menses sedem occupavit, secundum Argentræum, Albertum et Sammarthanos. Nicolai vero *Travers* supra memoratos scriptores refellentis argumenta nihil dubitationis habent. Amalrico non Jacobus, sed Petrus successit.

A

LXXXII. Petrus I.

B

DUCHAFFAULT. Ch. XVIII, col. 188. Utriusque juris doctor Petrus eligitur 10 Martii 1477, secundum recentem calculum : ad quem et ad Franciscum ducem pontificiæ litteræ missæ 16 Aprilis. Dilata tamen Petri consecratio, usque adeo donec de regalibus cum Britonum duce pacisceretur. Pactum hoc fecit 28 Novembris, qua die fidem duci præstitit, urbemque solenniter ingressus est 21 Decembris. Statuta condidit undecim, 14
1478 Maii 1478; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 328. Ejusdem mandato, anno 1480, Breviarium Nannetense prælo datum est. Quo etiam anno, 24 Septembris, sedit in Venetensibus comitiis. Petri alia leguntur statuta, anno 1481 data; ibid., col. 400. Bargium eo tempore dominus papa in Britanniam miserat, qui nummos colligeret in sumptus belli contra Turcas impendendos. Ei Petrus, inter alios Britanniæ præsules, obstitit. Conventus ea de re Rotoni habitus, Augusto mense 1481. Reperitur idem Redonibus, 8 Augusti 1482, qua die Michaeli *Guibé* episcopatus sui reditibus frui licuit. Eodem anno, eo requirente, Missale Nannetense typis vulgatur. Quo etiam, 15 Novembris, Isabellæ Scoticæ mandato, ejusdem Isabellæ testamentum exsequendum curat. Romam dein Petrus tetendit; unde redux legitur 22 Septembris 1486. Decessit in episcopali palatio, 12 Novembris 1487.

C

LXXXIII. Robertus IV.

D'ÉPINAY. Ex archidiacono Penthevriæ, cameræ computorum præside, et apostolico notario, Guillelmus *Gueguen* 14 Novembris episcopus eligitur. Eum Britonum dux, cui jamdudum a secretis erat, utpote fidum clientem commendaverat. Cardinalis vero Fuxensis et Ludovicus *de Rohan*, qui tunc Romæ commorabantur, eamdem cathedram æmulo studio appetebant. Quocirca Innocentius papa mittendas a se litteras diu procrastinavit. Vacans igitur sedes nuncupatur, 28 Maii 1488, qua die synodus a vicariis generalibus congregata. Ut vero longioris moræ impatiens dux Franciscus erat, ad eum Innocentius scripsit eo anno, 23 Augusti, se mox bullas Guillelmo missurum nuntians. Dum tamen fluctuantem, ut videtur, summi Pontificis animum tres jam candidati obsiderent, eidem Carolus rex præsentavit Robertum, Lascurrensem episcopum. Submotis aliis, Innocentius Robertum bullis protinus donavit, cal. Octobris 1488; e cod. Regio 8357². De qua 1488
re primum Anna, Britonum ducissa, vehementer questa est. Ejus autem querelas surda aure papa excepit : ideo litteris publicis ea vetuit, 23 Octobris 1490, exsilii minas 1490
intendens, ne quis e Nannetensibus incolis Roberto pareret; ibid.. Mox autem Nannetes rex ipse Francorum obsedit cepitque. Quo arcem occupante, Robertus episcopale palatium tandem ingressus est, 29 Januarii 1492. Obiit, ut aiunt, Augusto mense 1493.

D

LXXXIV. Joannes III.

D'ÉPINAY. Audita Roberti morte, Joannes, frater ejus, e Mirapincensi cathedra, decreto summi Pontificis, in Nannetensem transfertur : Guillelmus autem *Gueguen* Mirapincensem sedem adire jubetur. Hic tamen pertinaciter semet, papa licet prohibente, Nannetensem electum asserens, compensationem oblatam respuit, et ille Nannetensis cathedræ possessionem non adiit ante Julium mensem 1494. 1494
Deinde synodum diœcesanam, 20 Septembris, Joannes coegit. Absens erat 6 Januarii 1499, qua die vicarius ejus generalis Yvo *de Quirissec* litteras edidit de matrimonio Caroli regis et Annæ ducissæ. Damnosum autem Joanni matrimonium illud fuit, ipsa stipulante ducissa ut rex litteris Romanam sedem adiret, bullasque pro Guillelmo postularet. His quidem rex conditionibus subscripsit; diu tamen petitam rem papa negavit, donec, 25 Septembris 1500, Joannem in Leonensem cathedram transtulerit.

E

LXXXV. Guillelmus III.

GUEGUEN. Ea translatione denuntiata, Guillelmus bullas capitulo Nannetensi suas exhibuit 29 Octobris 1500, et solenniter urbem ingressus est 1 Novembris. Regem secutus Lugduni 1500
reperitur 18 Junii 1501 : quo etiam anno jussit ut Missale Nannetense typis mandaretur. Consecravit, 3 Januarii 1503, ecclesiam B. Mariæ et B. Juliani, et obiit 23 Novembris 1506.

LXXXVI. Robertus V.

GUIBE (1). De Roberto jam supra inter Trecorenses et Redonenses episcopos. Pro Nannetensi cathedra bullas obtinuit 24 Januarii 1507. Ut 1507
qui vero purpuratorum gregi fuerat adscriptus, Romæ commoratus est, ecclesiamque Nannetensem per procuratores administravit. Mox autem, rege Gallorum et summo Pontifice simultates inter se suscipientibus,

(1) Perperam vocatur Robertus *de Calach*, supra, t. I, col. 694.

ANNI papæ Robertus adhæsit : quare in episcopa-
CHRISTI tum Nannetensem, abbatiasque S. Melanii et S. Gildasii Ruiensis, necnon plures prioratus ad eumdem Robertum pertinentes, rex ma-
1151 num injecit, anno 1511. Eo anno Nannetensi cathedra cedit Robertus in gratiam Francisci sequentis, moriturus Romæ anno 1513. Eidem, anno 1511, administratio Venetensis ecclesiæ demandata fuerat. Insimul legatus erat Avenionensis; supra, t. I, col. 842.

LXXXVII. Franciscus.

HAMON. Antecedentis e sorore nepos Franciscus ipse Romæ degebat. Munus per procuratorem adiit 14 Februarii 1512. In Lateranensi concilio, anno 1514, reperitur. Dein Nannetes se recepit, anno, ut opinantur, 1515. Statuta capituli probavit 10 Junii 1529, de-
1532 cessurus 7 Januarii 1532. Litteris ut erat excultus, litteratos humane fovit, eum qui laudibus extulerunt. Quo defuncto, prohibuit rex, 12 Januarii, ne suffragia colligerentur.

LXXXVIII. Ludovicus I.

D'ACIGNÉ. Abbatem B. Mariæ de Reliquiis, Lambaliensem decanum, Lehonisque et Comburnii priorem Ludovicum ipse rex Nannetensibus infulis donavit, Februario mense 1532. Cujus procuratorem Nannetense capitulum 31 Maii investivit, dum ipse Parisiis otiosam vitam viveret. In senatu Parisiensi reperitur 15 Januarii 1537, qua die rex in eo judex sedit. Episcopale tandem palatium invisit 6 No-
1541 vembris 1541. Quem decessisse referunt 23 Februarii 1542.

LXXXIX. Joannes IV.

DE LORRAINE. Joannes a Lotharingia, cardinalis S. Onuphrii, tot jam episcopatibus et abbatiis dives, administrator etiam ecclesiæ Nannetensis creatus est 18 Augusti 1542. Ei postquam Nannetense capitulum obsequium detrectaverat, anno 1545, iteratis rex papaque litteris ut omnes ei parerent jussere. Obiit 10 Maii 1550.

XC. Carolus I.

DE BOURBON. Carolus de Borbonio, Vindocinensis dictus cardinalis, per vicarios generales episcopali munere fungitur. Idem simul erat episcopus Albiensis et archiepiscopus Narbonnensis. Sedit usque ad annum 1554.

XCI. Antonius I.

DECREQUY. Consecrandus erat Morinensis episcopus Antonius, cum, 20 Junii 1553, Tarvannam, præcipuam Morinensis diœcesis civitatem, Carolus Imperator cepit et funditus evertit.

A Eum igitur in sedem Nannetensem rex trans- ANNI
tulit, ineunte anno 1554. Eodem die, 22 CHRISTI
Aprilis, presbyter et episcopus consecratus 1554
est ab Ægidio *de Gands*, Ronennæ in partibus Infidelium antistite, et fidem regi dedit 9 Junii. Parisiis reperitur, Januario mense
1558, in trium ordinum conventu. Adversus 1558
eum nonnulla Calvinistæ moverunt : par autem pari retulit. Nannetensem dein sedem patruo suo tradidit 10 Octobris 1561, abbatiamque S. Juliani Nicolao, Ambianensi episcopo, Ambianensis episcopus ipse futurus. Vicario usus erat Ægidio *de Gands* supra
B memorato, cui præcipuam Nannetensis diœcesis curam demandaverat.

XCII. Antonius II.

Antecedentis patruus Antonius, senior DECREQUY.
dictus, bullas suas capitulo suo præsentavit 26 Junii 1562 : quas 29 ejusdem mensis capitulum admisit. Parisiis vitam agens Antonius in domo sua, prope plateam Mauberti-nam, beneficiorum permutationem fecit, 6 Decembris 1564, cum Philippo, Venetensi præsule, in quem Nannetenses infulas trans-
C tulit. Mittendæ vero ad Philippum bullæ longam moram fecerunt, eique per summum Pontificem Nannetensem cathedram conscendere non licuit ante Martium mensem 1566.

XCIII. Philippus I.

Bullas Philippus suas capitulo exhibuit DE BEC.
13 Novembris 1566, et urbem solenniter ingressus est 21 Decembris. Sacramento dein
semet regi obligavit 27 Aprilis 1567. Clero 1567
præfuit in Nannetensibus comitiis, annis 1568 et 1569; in Venetensibus et Nanneten-
D sibus, 6 Martii 1572 et 6 Octobris 1572; in Nannetensibus tandem, 27 Septembris 1579. Ærumnas a Calvinistis plures passus est : adversus quorum vim ipsius tutelæ creditum ovile strenue defendit. Eo annuente, 2 Novembris 1576, fraternam societatem Andegavensis et Nannetensis ecclesiarum capitula pepigerunt. Eodem mense, in Blesensi con-
ventu Philippus reperitur. Anno 1579, a 1579
Nannetensi clero Parisios missus est, quo, mandato regis, oratores ecclesiæ Gallicanæ convenerant. Bene dicendi peritus, coram rege Philippus de rebus divinis verba fecit,
E Parisiis, Octobri mense 1584, et, eodem anno, Vincennis, 25 Decembris. Pro catholica fide procellosis his temporibus, firmissime, sicut diximus, Philippus stetit : Fœderatorum tamen partes sequi noluit, ut cui regiam deserere causam temerarium videretur. Cum vero Fœderatorum factio Nannetibus prævaleret et ipsius præsulis fidem culparet, Turones Philippus petiit, Septembri mense 1589 : quare, 6 Octobris, desertionis reum Fœderatorum senatus eum denuntiat, admi-

ANNI CHRISTI nistrationemque diœcesis Nannetensi capitulo demandat. Accusationem in se latam refutare quidem aggressus est; attamen adeo non eam rem ex sententia gessit, ut contra inconsultæ refutationis instrumenta flammis tradita sint, et ipse infamia notatus suisque e dignitatibus dejectus fuerit. Exsul ab eo tempore reperitur, Nannetensem vero semet episcopum constanter ferens. Sic, 20 Septembris 1592, Cenomani commorans, quatuor canonicis Nannetensibus mandatum Sixti papæ exsequendum committebat. Idem, regia castra sequens, quam primam Henricus IV, abjuratione peracta, missam audivit Philippus celebravit, 25 Julii 1593; et, 27 Februarii 1594, Carnuti, solennibus interfuit, quibus absolutis inauguratus rex evasit. Ancenisii dein memoratur anno 1594; quem sub annum Henricus rex eum, VIII cal. Augusti, in metropolitanam Remorum ecclesiam transtulit. Post eum aliquantisper sedes vacavit.

XCIV. Joannes V.

DU BEC. Joannes, filius Caroli, domini *de Boury* et Mariæ *de Gousseville,* Philippi nepos e fratre, decanus olim Nannetensis, abbatia fruebatur
1596 Mortui Maris, cum, anno 1596, ab Henrico rege Nannetensis episcopus creatus est. Huic autem, obstantibus canonicis, cathedram adire non licuit; quam permutavit, 30 Octobris, nondum consecratus et nondum apostolicis bullis donatus, cum Carolo *de Bourgneuf,* Macloviensi præsule.

XCV. Carolus II.

DE BOURGNEUF DE CUCÉ. Confecta permutatione quam supra memoravimus, Carolus Nannetensem sedem conscendit. Occurrit 13 Aprilis 1598, Henricum regem Nannetum muros subeuntem excipiens, et, eodem anno, in comitiis Britannicis sedens. Electus tunc temporis nuncupabatur. Obtentis bullis, possessionem
1599 per procuratorem adiit 29 Martii 1599, ipse postea, 4 Novembris, capitulum ingressurus. In comitiis Britanniæ reperitur annis 1600, 1603, 1604, 1608, 1609, 1616; ubi clero præfuit in annis 1600, et 1609. Turonibus adest 16 Martii 1605, unde Parisios mittitur, cleri Gallicani cætui interfuturus. Parisiis occurrit, 20 Februarii 1611, episcopo Macloviensi consecrando operam ministrans. Car-
1617 nuti postea decessit, 17 Julii 1617, Parisiis rediens, quo nuper, jussu Britannorum comitiorum, regem invisurus iter fecerat.

XCVI. Henricus IV.

DE BOURGNEUF D'ORGÈRES Carolus in gratiam Henrici, e fratre nepotis, ægrotans abdicaverat. Regi fidem Henricus dedit anno 1618, et episcopali mensæ adscriptos reditus accepit. Spiritualem vero diœcesis administrationem non adiit, ut qui bullas non poposcerat. Abdicavit 17 Januarii 1621. ANNI CHRISTI 1621

XCVII. Philippus II.

Post Henrici abdicationem Nannetensis præsul creatur Philippus *Thibault,* professione Carmelitanus. Is vero oblatum munus detrectavit, et mox ipse Philippum *Cospéan,* Adurensem episcopum, reginæ matri commendavit. Litteris igitur regiis Philippus *Cospéan* in Nannetensem cathedram invehitur, et urbis episcopalis muros subit 18 Martii. Eidem temporales episcopatus reditus rex tradit, 12 Februarii 1622. Eodem anno, 1622
7 Aprilis, semet regi fidum fore jurat. In Britanniæ comitiis clero præfuit annis 1622, 1623, 1630, 1632. Parisiis reperitur, 7 Octobris 1622, oratione funebri laudes Henrici præsulis celebrans; supra, t. VII, col. 173. Ab eo tempore Parisiis frequentior quam Nannetibus fuit, inter aulicos concionatores summam laudem adeptus: de sua tamen apud quosdam fama Jesuitis favens derogavit. Parisiis, 22 Decembris 1629, Ludovicum, Mirapincensem episcopum, consecravit: anno sequente 6 Januarii, adstitit consecrationi Henrici, Burdigalensis archiepiscopi: dein, Redonibus, 11 Januarii 1631, Jacobum Radulfum, Santonensem episcopum, oleo sacro rite sparsit. Ipse, anno 1635, in Lexoviensem cathedram translatus est. Vide supra, t. XI, col. 806.

XCVIII. Gabriel.

DE BEAUVAU DE RIVARENNES. Abeunte Philippo, Gabrielem domino papæ rex commendavit mense Martio 1635. Is erat abbas antea Turpiniaci et præpositus Nemausensis ecclesiæ: qui consecratur Parisiis, 27 Aprilis 1636, et, eodem anno, per procuratorem munus adit 11 Junii. Synodum diœcesanam coegit 27 Maii 1638. Martio dein mense 1640, Parisiis consecrationi Ro- 1640
berti, Leonensis episcopi, interfuit. Plurima statuta condidit 12 Junii 1642, quæ non immeritis Nic. *Travers* laudibus effert. Ab eodem, eo anno, extructum Nannetensis cleri seminarium. Parisiis subscripsit, anno 1654, sententiæ contra Jansenium latæ. Ga- 1654
brieli quidem mos erat ut suo largius uteretur: dissolutioris igitur liberalitatis ab ipso fratre accusatus, permissu regis comprehensus est, et in prioratu Grandimontano juxta Cainonem strictæ custodiæ mandatus. Ea mense Junio 1666 agebantur. Incassum vero 1666
Nannetensis clerus episcopum suum repetivit, ut Gabrielis ipsius litteræ testantur: munere sedenim semet abdicare coactus exeunte anno 1667, paulo post mortuus est. In comitiis Britanniæ clero præfuerat annis 1647, 1651, 1657.

ANNI CHRISTI

XCIX. Ægidius I.

DE LA BAUME LE BLANC DE LA VALLIÈRE. Abdicante Gabriele, nominatur Ægidius, qui fidem regi dat 13 Aprilis 1668, consecratur 27 Maii, et munus per procuratorem adit 12 Junii, urbem episcopalem dein ingressurus 24 Septembris. Per eum Jesuitis licuit ut in urbe Nannetensi constituerentur, 20 Augusti 1671. Abdicavit anno 1677, in gratiam Ægidii sequentis. Cum vero is ætate minor esset, bullas non protinus obtinuit. Quamobrem, vel post ratam abdicationem, Ægidius *de la Baume* muneris prorogationem sibi vindicavit. 1677

C. Ægidius II Joannes Franciscus.

DE BEAUVAU DU RIVAU. Ægidius patrem habuerat Franciscum *de Beauvau du Rivau,* matrem Ludovicam *de la Baume.* Ægidii antecedentis igitur e sorore, et Gabrielis e fratre nepos erat. Nominatus 5 Julii 1677, bullis anno 1679 donatur, et eodem anno consecratur, 24 Augusti. In Britannicis comitiis clero præfuit annis 1681, 1701, et obiit 6 Septembris 1717. Abbas idem fuit Ulterioris Portus.

CI. Ludovicus II.

DE LA VERGNE DE TRESSAN. Electus jam Venetensis, præsul Nannetensis Ludovicus nominatur decurrente Septembri mense 1717, et Dinanni consecratur 10 Julii 1718. Anno 1720, cleri præses in Ancenisii comitiis reperitur; anno 1722, in comitiis Nannetum. Eumdem rex archiepisco- 1720

A pum Rotomagensem creavit, 17 Octobris 1723.

CII. Christophorus Ludovicus.

TURPIN DE CRISSÉ DE SANZAY. E decano S. Martini Turonensis Christophorus Ludovicus Redonensibus infulis donatus fuerat. Nannetensis creatur præsul 17 Octobris 1723, et munus per procuratorem adit 11 Decembris 1724. Clero præfuit in Britanniæ comitiis, annis 1742, 1744. Obiit 29 Martii 1746, anno ætatis 74. Ærumnas ei multas Jansenii sequaces attulerant. 1746

B

CIII. Petrus II.

MAUCLER DE LA MUSANCHÈRE. E decano Lucioniensis ecclesiæ Petrus episcopus Nannetensis a rege creatur 17 Aprilis 1746, et consecratur 9 Octobris. Adversus Jansenianam sectam Christophoro acerbior, obiit Nannetibus 1 Aprilis 1775. 1775

CIV. Joannes VI Augustinus.

FRETAT DE SARRA. Trecorensis ecclesiæ gubernaculo jam præpositus, Nannetensem cathedram Joannes C Augustinus adire jubetur anno 1775. Decessit 20 Septembris 1783. 1783

CV. Carolus III Eutropius.

DE LA LAURENCIE. E vicario generali Pictaviensis ecclesiæ Carolus Eutropius Nannetensis præsul consecratur 11 Januarii 1784. Sedebat anno 1790.

DECANI NANNETENSES.

Cæteris capituli Nannetensis dignitatibus Nannetensis archidiaconus, ut videtur, olim prævaluit. Ordine igitur congruo recensenda quorumdam archidiaconorum nomina, quæ veteres chartæ præbent.

ALIQUOT ARCHIDIACONI.

S. Martinus e Nannetensi archidiacono Vertavensis abbas, ut aiunt, temporibus Felicis evasit; apud Dericum, t. II, p. 2. Id autem conjectura allatum.

Chaddo Salapii vices tenuit, anno circiter 650, in Cabilonensi concilio.

Alveus memoratur, decimo sæculo desinente, cujus filiam, *Oirelan* nomine, Tetbaldus, Redonensis præsul, uxorem duxit. Idem, anno 1064, subscripsit Quiriaci litteris de Prugniacena ecclesia. Ch. II, col. 171.

Guillelmus, anno 1104, ex archidiacono Nannetensi fit abbas Majoris Monasterii. Idem, anno 1076, subscripserat Quiriaci litteris pro monasterio S. Crucis. Ch. IV, col. 174

D Rivallonus et Geoffridus simul archidiaconi reperiuntur, anno 1109, in Benedicti præsulis edicto de S. Medardi monasterio. Ch. V, col. 175.

Robertus, e Nicolai *Travers* conjectura, usque ad annum 1111.

Thiso, temporibus Briccii præsulis, occurrit in charta qua Crispinus decimam Castri Celsi Majoretanis tradit; e chartul. Majoris Monast.

Normannus, Itherio episcopante, Majoretanis ecclesias Castri Celsi, quas hæreditario jure possidebat, dimittit; ex eod. chartul.

Robertus, anno 1152, in litteris Bernardi E præsulis de rebus quæ Buzaio Radulfus, Radesii dominus, dederat. Idem, anno 1160, subscripsit compositioni cuidam inter monachos Pontis Octranni et Jordanum de Malmucio. Episcopus postea Nannetensis fuit. Geoffridus et Robertus una decani leguntur, ad calcem litterarum Bernardi præsulis cum Majoretanis super ecclesia Pontis Castri componentis.

Geoffridus et Alanus una reperiuntur, an- Ch. IV, col. 178.

no 1172, in charta Roberti de juribus S. Sergio ab Harscoidio collatis. Alanus idem memoratur, anno 1192, in litteris Mauricii præsulis de capellaniarum Nannetensium administratione.

Arnulfus, anno 1196, in ejusdem Mauricii chartula de Genestonio datis a Pagano *Oycé*.

Ch. II, col. 179. Joscelinus, anno 1235, in litteris Gregorii papæ : qui Nannetensis electus præsul cathedra potiri non valuit.

SERIES DECANORUM.

Nonnullos quoque Nannetensis ecclesiæ decanos pristina diplomata memorant. Hi sunt quorum nomina collegimus :

Armangarius, anno 872, qui postmodum fuit episcopus; e Chronico Nannet.

Guigonus, anno 1075, post Quiriacum subcripsit litteris Bertæ comitissæ ecclesiam B. Mariæ Kemperlegiensibus condonantis : Ch. IV, col. 174. idem, anno 1076, edictum ejusdem Quiriaci laudavit de prædiis pluribus Kemperlegio traditis. Temporibus tandem Benedicti præsulis, Guigonus in Alani chartula de *Clohal* reperitur.

Perenesius decanus (forsan Nannetensis), subscribit, anno 1088, litteris Constantiæ, quibus sancita quæ præfatus Alanus Kemperlegio tradiderat.

Joannes, annum circa 1099, post Benedictum præsulem testis legitur, in charta qua *Redoret* presbyter se suaque Rotono offert. Idem, II cal. Aprilis 1115, in litteris Briccii pro Majore Monasterio. Idem denique reperitur in ejusdem Briccii diplomate, de Veris Omnium Sanctorum abbati condonatis.

Isaurarius, temporibus Itherii episcopi, in charta Beraldi Majori Monasterio sextam partem insulæ Tilniaci concedentis; e chartul. Maj. Monast.

Radulfus, anno 1145, testis initæ concordiæ inter moniales S. Radegundis et Majoretanos monachos; ex eod. chartul.

Geoffridus, anno 1152, laudat litteras Bernardi episcopi, de rebus Buzaio a Radulfo, Radesii toparcha, confirmatis. Testis idem Geoffridi de Golena S. Martino Vertavensi decimas restituentis; ex Albor. Mantell. cod. 40, p. 960.

Isaurus, anno 1155, testis Hoelli ducis Villam Novam Buzaio tradentis. Idem in charta qua Joscelinus de Rocha eidem Buzaio *Bren* confert. Idem, circa annum 1160, subscribit Bernardi sententiæ de prædio Landis S. Sergio adscripto; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 637. Anno tandem 1161, testis legitur controversiæ inter Nannetense capitulum et monachos Kemperlegii sedatæ. Idem et Isoredus nuncupatur.

Matthæus, anno 1187, in litteris Mauricii de composita lite inter Garinum de S. Stephano et Pontis Castelli priorem.

R. de Spina, anno 1212, controversiam dirimit inter monachos Pontis Octranni et Geoffridum de S. Martino. Idem, anno 1220, in litteris Britonum ducis cum ecclesia Nannetensi transigentis.

Ab anno 1305, quo reformatus capituli Nannetensis status, jussique cæteri capitulares post decanum, ad normam Turonensis ecclesiæ, sedere, altera decanorum series incipit. Hi sunt :

I. Petrus I de Esvigncio, ab eo anno 1305, ut Danielis præsulis litteræ testantur.

II. Philippus I de Castro Villæ Novæ reperitur anno 1328, ubi subscripsit litteris ad Joannem ducem missis super Girardo Machecoliensi. Idem occurrit, 15 Julii 1341, inter Ch. IV, col. 184. curatores testamenti quod Joannes dux condiderat; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1413.

III. Hugo *de Monstrelais*, e nobili et antiqua gente toparcharum *de Monstrelais*, in Nannetensi diœcesi, Reginaldi filius et Mariæ de Ancenisio, ecclesiæ Nannetensis primo cantor fuit, deinde decanus, postea vero Mediæ archidiaconus. Quem dictæ ecclesiæ canonici Olivario Salahadini successorem dedere. Nannetensibus autem infulis summus Pontifex Robertum *Paynel* donavit, et Hugo Trecorensis præsul evasit.

IV. Guillelmus I *Paris*, idem et Caroli Blesensis cancellarius; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 20. Guerrandiæ fœdus ratum habet, 26 Junii 1381; ibid., col. 280.

V. Philippus II *Medicis*, anno 1409.

VI. Joannes I *Le Bruz*, alias *Lebous*, 3 Julii 1417, testis initi matrimonii inter Ludovicum, Andium ducem, et Isabellam, Britonum ducis filiam; ibid. col. 950.

VII. Petrus II, 7 Maii 1419, decretum edit de condenda Savenaii Franciscanorum domo.

VIII. Guillelmus II *Eder* deinde fit episcopus Briocensis.

IX. Joannes II *Lejeune* fit, anno 1431, Matisconensis episcopus; supra, t. X, col. 1199.

X. Robertus *de la Rivière*, 16 Julii 1444, in litteris Francisci ducis pro monachis S. Melanii.

XI. Joannes III *du Chaffault*.

XII. Ivo *du Plessis*, 1467.

XIII. Prigentius *de Moussy*, 1484.

XIV. Ægidius *de la Rivière*, archidiaconus idem Redonensis et vice-cancellarius Britanniæ, occurrit 11 Septembris 1488.

XV. Guillelmus III *Larchier* memoratur, anno 1494, in litteris de victualibus in foro venalibus inspectandis.

XVI. Philippus III de Mirrha Guillelmo successit.

XII. Joannes III *de Plédran*, anno 1501, donatur ecclesia S. Nicolai Nannetensis. Anno 1505, uti Guillelmi præsulis vicarius generalis, quemdam præsentat rectorem. Anno 1510, Turonibus reperitur, procurator ecclesiæ Britannicæ. In camera computorum præses sedit anno 1536 : quo et anno eam provinciam habuit ut Joannis, fratris sui, Briocensis decani, testamentum exsequendum procuraret.

XVIII. Mathurinus *de la Garenne*.

XIX. Joannes V *le Frère*, 1544.

XX. Rigaltius *de S. Marsal*, 1556.

XXI. Joannes VI *de la Touche* regi semet fidum jurat anno 1558. Ante Franciscum regem II eodem se sacramento obligavit, anno 1559; apud *Padioleau*.

XXII. Antonius *de S. Marzac*, alias *de S. Marsal*, in litteris capitularibus anno 1562 memoratur. Quo anno fidem regi dedit. Idem, 1 Martii 1566, subscripsit litteris doctrinam Philippi *du Bec* testantibus, eumdemque excepit urbis muros solenniter ingredientem, 21 Decembris ejusdem anni. Sedit annis 1569, 1572, 1574, 1575, in Nannetensibus comitiis. Eodem anno 1575, 20 Novembris, Philippo abbatem Pornidii consecranti ministravit. Obiit 15 Julii 1579.

XXIII. Joannes VII *du Bec*, Philippi præsulis e fratre nepos, eodem præsentante a capitulo Nannetensi excipitur 14 Septembris 1579. Quia vero per menses domino papæ reservatos sedes vacua fuerat, electum a Philippo Joannem papa submovit, et Tristannum sequentem decania donavit. Joannem quære inter abbates Mortui Maris, necnon inter episcopos Nannetenses et Maclovienses.

XXIV. Tristannus *Guillermier* munus adiit 25 Augusti 1581. Parti Fœderatorum adhærens, in ecclesia Nannetensi, Philippo episcopo exsulante, princeps evasit. Eum, 4 Februarii 1598, ad regem Henricum Nannetenses cives miserunt, qui ducis Mercœuri causam oraret.

XXV. Stephanus *Louistre* in Redonensibus comitiis occurrit 6 Septembris 1608; in Nannetensibus, anno 1609; in Venetensibus, 1610; in Redonensibus, 1616 et 1617; in Venetensibus, 1619. Idem memoratur, anno 1613, nummos assignans sodalitati S. Sacramenti, in ecclesia S. Nicolai institutæ; anno 1616, arbiter sedens inter Carolum *Miron* et Andegavensem decanum de jurisdictione litigantes. Major ei provincia a summo Pontifice postea demandatur, Carmelitanis Montis Relaxi monialibus Oratorianorum patrum tutelam detrectantibus. Adversus quas, necnon adversus Leonensem, qui eis favebat, episcopum, acerbam Stephanus sententiam edidit, 12 Aprilis 1625. Deinde tamen in cœtu Cleri Gallicani ea de re multus est sermo, Stephanique sententia a congregatis episcopis resciditur. Summus vicarius, sede vacante, a capitulo eligitur 21 Maii 1635.

XXVI. Claudius *Bernard de la Greslerie* de variis articulis cum episcopo Nannetensi transegit, 12 Martii 1643. Eodem anno Parisios missus est, qui pro Nannetensis urbis civibus fidem regi daret.

XXVII. Petrus III Guillelmus *de la Vieuxville-Pourpris*, doctor Sorbonnicus, jam abbas S. Mauricii et plurium locorum prior commendatarius, Roma redux, quo cardinalem *Forbin de Janson* secutus erat, decanus fit Nannetensis. Postquam vero Ægidio *de Beauvau* Ludovicus *de Tressan* in episcopatu Nannetensi successerat, hujusce vicarius generalis exstitit. Creatur, anno 1721, Briocensis episcopus.

XXVIII. Petrus IV Guillelmus *de la Vieuxville*, antecedentis e fratre nepos, e decano Nannetensi Baionensis episcopus fit exeunte Martio 1728.

XXIX. Ludovicus Albertus *Joli de Chouin* creatur Tolonensis archiepiscopus Decembri mense 1737.

XXX. Daniel Bertrandus *de l'Angles* in cathedram S. Papuli transfertur anno 1742.

XXXI. Hieronymus *Lefebvre de Laubrière*, idem et abbas S. Mariani in ecclesia Autissiodorensi.

XXXII. N. *de Boissieu* reperitur anno 1790.

VETERA NANNETENSIS ECCLESIÆ MONASTERIA.

I. ANTRUM. Antrum, vulgo *Indre*, insula est, quam sinuoso Ligeris amplexu cingit, infra Nannetes. Ibi Pascharius, ut aiunt, florentis olim cœnobii fundamenta posuit. Certius est Agatheum, comitem et episcopum Nannetensem, annum circiter 679, e Fontanellensi monasterio S. Hermelandum accivisse, monachis in ea insula vel constitutis, vel constituendis, præficiendum. E Clotarii regis pincerna Hermelandus monachum induerat: qui Nanneticas ad oras a Fontanellarum abbate Lamberto missus, duodecim secum adduxit monachos, eorumque abbas ipse magisterque fuit. Memoratur insuper prope claustra, vel tuguria fratrum, ecclesias duas exstruxisse, quarum alteri S. Petrum, alteri S. Paulum patronos addixit; Rer. Gallic. Script., t. III, p. 634. Post Hermelandum Antro præfuit Adelfredus, pessimus quidem abbas, cujus mores Hermelandus superstes vituperavit. Adelfredo defuncto, abbates recensentur Donatus et David; apud Dericum, t. II, p. 249. Hoc cœnobium anno, ut fertur, 843, Normanni diruere.

II. Deas. Anno 819, Arnulfus, abbas Herensis, apud Pictones, cellam construxit stagnis Magni Loci contiguam, in loco quem Deas dicebant. Id testatur Ludovici imperatoris edictum, quo facultas Arnulfo conceditur ut aquam e fluvio Bedonia ad monasterium recens conditum per viam regiam deducat. Anno dein 834, ut antecessoribus nostris placuit, Hilbodus, qui post Arnulfum Herensis monasterii regimen susceperat, Barbarorum incursus metuens, monachos quibus præerat Deas adduxit. Prolatum igitur anno 839 Ludovici imperatoris diploma, quo villam *Scobrit,* in pago Pictaviensi, Hilbodo condonat, Herensem hunc olim abbatem tunc temporis Deas incoluisse expressis verbis declarat. Anno demum 845, audiens Hilbodus Normannos adventare, Cunaldum in Andegavensi tractu se recepit, et suæ creditos tutelæ monachos remotiores iterum ad oras secum ire jussit. Ventura quidem opinione præceperat; nam, anno, ut aiunt, 847, Deense monasterium Normanni flammis dedere. Harum peregrinationum historiam scripsit Armentarius, exsulum ipse deinde monachorum abbas. Qui Cunaldum aliquanto post desuerere, et, postquam multas urbes profugi perambulaverant, juxta Cabilonum tandem constitere, et Trenorchiense monasterium fundavere. Consule Chiffletium, Hist. Trenorchiens. E parietinis exsurgens postea Deensis domus in prioratum desinit, a sex monachis, sub lege Trenorchiensium positis, habitandum. Monachos ad extremum clerici, numero circiter pares, exceperunt.

III. S. Andreas. Abbatiolam S. Andreæ, inter ecclesiam S. Donatiani et muros civitatis sitam, Alanus Magnus, temporibus Fulcherii præsulis, ecclesiæ Nannetensi concessit; e Chronico Brioc., inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 26. Hujus quidem cœnobii de pristino statu nihil compertum habemus. A viris, ut videtur, habitatum, Normannis præda fuerat.

IV. S. Clemens. Memoratur Lambertus, Nannetensis comes, annum circa 846, in Credonensem vicum confugiens, apud Andes, et ibi paulisper commorans in prædio quod suo sub jure soror ejus Doda tenebat. Eadem legitur Doda Nannetensis abbatissa parthenonis, quem S. Clementem nuncupant; Rer. Gall. Script., t. VII, p. 48. Puellarem eam domum, de qua nihil aliud comperimus, S. Andreæ vicinam Nic. *Travers* opinatur, et a Normannis eversam; Hist. Eccl. Nannet., t. I, p. 150. In ea conjectura stare licet.

V. Vertavum. Vertavense S. Martini cœnobium, in agro Nannetensi, ad dexteram Separis fluvii, conditorem agnoscit S. Martinum eremitam, S. Felicis æqualem et discipulum. Primitus quidem is locus S. Joanni-Baptistæ sacer erat. Vertavensem igitur ecclesiam consecrans Felix, anno, ut aiunt, 577, titularem ejus patronum S. Joannem-Baptistam nuncupavit, cui rusticana pietas, decimo circiter sæculo, Martinum adjunxit. Quæ prima fuerint Vertavensium instituta nunc inquirendum. Regulam quidem priorum patrum ad eos e Transalpinis regionibus delatam refert auctor vitæ S. Martini; Rer. Gallic. Script., t. III, p. 471. Quod de Benedictina regula intelligere licet. Id autem non pro certo ponimus. Ut vero certissima de eisdem prodeunt, S. Benedicti legem observantes apparent. Eos postea ad canonicorum vitam interdum transiisse Nic. *Travers* conjicit; Hist. Nannet., t. I, p. 81. Narratur Centulfus, publicæ gazæ præfectus, opulentum hoc cœnobium, sub extremos Dagoberti regnantis dies, aggrediens et fisco regio vindicans: supernorum vero tutela patronorum tantam cladem avertit. Anno tamen 843, ut, vastatis Nannetibus, Normanni campos Vertavo proximos occupavere, monachi, sacras Martini exuvias secum ferentes, fugam arripuerunt, et in Ensionensem cellam, sibimet subditam, in agro Pictaviensi, alias S. Jovinum de Marnis, concito gressu secesserunt. Mox autem ad exsules nuntius pervenit, a quo relatum Normannos abiisse viamque redituris tutam patere. Redeunt igitur Vertavum monachi. Aliquot vero interjectis annis, Normannorum iterum effusa vis eosdem patriis ex agris depellit. Ensionem tunc rursus petunt. Interea vero Ensionensis domus incolæ laxiorem togam induerant; utque ad canonicorum mores erant prolapsi, monachos repellunt. Unde Vertavensium properus in Arverniam secessus. Philippus autem rex, eorum causam amplexus, pristinæ spretores disciplinæ canonicos loco cedere, Vertavensesque monachos Ensione potiri jubet. Anno postea 985, Ensionensium monachorum industria, Vertavensis domus reficitur, ea tamen interposita lege, ut quæ ea tenus abbatia fuerat, imminutione dignitatis præpositura diceretur, et Ensionensi monasterio, cui quondam imperaverat, ipsa deinceps subderetur. Ab eo tempore iidem abbates Ensioni Vertavoque præfuere, et præpositorum Vertavensium series initium cepit.

Anno 1568, Calvinistæ monasterium invadunt et incendio tradunt. Deinde vero, restauratis ædificiis, disciplinæ reformationem congregationis S. Mauri patres aggrediuntur, 20 Septembris 1664.

Compendiosam Vertavi historiam præbet Sangerm. codex 583'. Hi fuerunt Vertavi abbates qui nobis innotuere:

ABBATES.

S. Martinus ex archidiacono Nannetensi cœnobii quod ipse condiderat abbas fuit. Ejus obitum Albertus Magnus anno 589 adscribit, anno 600 Mabillonius, Dericus tandem anno 624; Hist. Eccl. Brit., t. II, p. 65.

Certior autem dies: necrologium enim S. Mevennii et Martyrologium Romanum in die 24 Octobris consentiunt.

Raimbaldus advenientibus Normannis fugam parat, et corpus S. Martini secum abducit; Rer. Gallic. Script., t. VII, p. 369.

Post Raimbaldum Vertavensium plures abbates memorantur, quos S. Jovino insimul præfectos inter Pictaviensis domus abbates antecessores nostri jam retulere; supra, t. II, col. 1275. Eos tamen ne prætermisisse videamur, recenseantur iterum.

Simon occurrit, anno 1070, a Quiriaco præsule plurium ecclesiarum confirmationem obtinens.

Briccius testis fuit sedatæ litis inter Reginaldum, Lucionensem abbatem, et Tetburgim, Roncereii abbatissam. Idem, anno 1105, Nannetibus, subscripsit Benedicti præsulis instrumento, de institutione canonicorum in ecclesia S. Medardi.

Nicolaus super Balliæ consuetudinibus cum Golenæ dominis pactum pepigit.

Petrus, anno 1189, supra memoratum fœdus confirmavit.

De præpositis Vertavi domesticis, quos nostra diligentia assequi potuit, nunc fusius dicendum.

PRÆPOSITORUM SERIES.

I. Geoffridus Mallardi memoratur præpositus Vertavensis temporibus Briccii, Nannetensis episcopi, in charta qua Bernardus præsul seriem rerum ad decimas Golenæ spectantium enarrat; cod. Alb. Mant. 41, p. 960.

II. Aimericus Augerius a Morieio ponitur anno 1066, e charta Conani comitis de decimis Palatii S. Martino Vertavensi solvendis. Hanc autem chartam Conano III tribuere decet, quam sigillo suo munivit Hoellus, comitis filius; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 959. Decessit Conanus III anno 1148.

III. Joannes I *Poliot*, anno circiter 1150; e codice Sangerm. prælaudato.

IV. Guillelmus *de la Roche* a Joscio archipræsule confirmationem obtinet decimarum a Geoffrido, Golenæ presbytero, concessarum; ex Albor. Mantell. cod. 41, p. 960. Idem, temporibus Joscii archipræsulis, Bernardi episcopi Geoffridique Nannetensis decani, occurrit in chartula de iisdem Golenæ decimis.

V. Reginaldus Bernardi præsulis quoque coætaneus exstitit.

VI. Bernardus cum Guillelmo de Golena pactus est, 5 Maii 1189.

VII. Nicolaus, mense Julio 1245, ab Hugone *Lebrun*, Palatii domino, integrum jus obtinet in aggerem molendinis Vertavensibus contiguum; ex Alb. Mantell. cod. 41, p. 962.

VIII. Andreas, anno 1302.

IX. Petrus I *Gatet*, anno 1394; e Sangerm. codice.

X. Petrus II *Raccappe* duci fidem professus est anno 1429; ex eodem codice.

XI. Joannes II *Amusset*, alias *Mucet*, annis 1464, 1467.

XII. Alanus *de Coetivy*, episcopus Avenionensis, et Dolensis ecclesiæ perpetuus administrator. Obiit anno 1474.

XIII. Joannes-Baptista, cardinalis S. Mariæ in Porticu, a Sixto papa IV nominatur, anno 1474.

Anno vero 1477, præpositum, ipsis a Romana sede datum, monachi Vertavenses expulerunt, aliumque elegerunt. Ideo scripsit Britonum dux ad dominum papam, his de dissidiis querens, sibique Vertavensem præpositum probandi jus vindicans. Quod jus prævaluit, consentiente papa, XI cal. Februarii 1478; apud Nicol. *Travers*, Hist. Eccles. Nannet., t. II, p. 167.

XIV. Franciscus *Hamon*, Nannetensis episcopus, obiit 7 Januarii 1532.

Anno 1532, post obitum Francisci, Gabriel *de Grammont*, cardinalis, et Guillelmus *de Carné* reperiuntur de præpositura adipiscenda contendentes. Ea vero neuter, ut videtur, potitus est; nam

XV. Vincentius, alias Renatus, *de Beauvilliers* occurrit anno 1537, idem qui Cellæ Bituricensis abbas fuit.

XVI. Joannes III *du Maz de Mathefelon*, decanus Andegavensis, annis 1541, 1543.

Philippus *du Bergeau* a domino *Tresvaux* post Joannem ponitur, idemque ibidem decanus Andegavensis dicitur. Errorem hunc emenda et lege Philippum *du Bec*, Joannis *du Maz* nepotem, de quo post Ludovicum sequentem mentio fiet.

XVII. Ludovicus Picus *de la Mirandole*, abbas jam S. Maximini, uti Vertavensis præpositus fidem regi dat 14 Septembris 1560.

XVIII. Philippus *du Bec*, episcopus Nannetensis, eodem se sacramento obligat anno 1562. Reperitur etiam anno 1563.

XIX. Petrus III *Mariau*, annis 1577, 1580.

XX. Michael *Le Ber*, canonicus Parisiensis, anno 1586 sacramentum præstat.

XXI. Franciscus *Valet*, anno 1600.

XXII. Joannes IV *Valet*, anno 1603.

XXIII. Petrus IV *Le Ber*, Michaelis e fratre nepos, ab anno 1605 ad annum 1632, quo munus dimisit.

XXIV. Carolus *de Beaumanoir de Lavardin*, episcopus Cenomanensis, ab anno 1632.

XXV. Cæsar *d'Estrées*, Leonensis episcopus, ab anno 1638. Is S. Mauri patres intromisit anno 1664, abdicaturus anno 1709.

XXVI. Armandus *Bazin de Bezons*, archiepiscopus Burdigalensis, obiit anno 1721.

XXVII. Liberalis *de Maranzac*, anno 1721.

XXVIII. N. *Coulon*, anno 1790 superstes.

ABBATIÆ SUPERSTITES (1).

Sunt illæ numero octo.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

S. Gildasius de Nemore, *S. Gildas du Bois.*
Calma, *La Chaume.*
Alba Corona, *Blanche-Couronne.*

ORDINIS S. AUGUSTINI.

Virorum.

Genestonium, *Geneston.*
Pornidium, *Pornic.*

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Virorum.

Buzaium, *Buzay.*
Villanova, *Villeneuve.*
Mellereium, *Mellerai.*

S. GILDASIUS DE NEMORE.

Anno 1026, S. Gildasium de Nemore condidit Simon, Bernardi filius, in loco quem Lampridicum nuncupabant. Ea domus, ad fines Nannetensis agri sita, Rotono et Ponte Castelli æque distans, in veteribus etiam chartis monasterium Landæ, aut *Sameel*, vocatur. Nec de primorum professione monachorum ambigitur, cum eos Catwallonus, Rotonensis abbas, eo miserit. Præ cæteris Nannetensis agri archimandritis is qui Benedictino S. Gildasii cœtui præerat pontificia ornamenta, concilii Basileensis permissu, gerebat.

Plura ad hanc abbatiam spectantia præbent Alborum Mantellorum codices 36 et 86; in codice 86 series abbatum occurrit, a Nicol. *Travers* digesta. Consule præterea Monast. Bened., t. XVII, et codicem D. *de Gaignières* 249.

SERIES ABBATUM.

I. Helegonus, Rotonensis monachus, memoratur abbatiæ recens præfectus anno 1026. Helgotus, sed perperam, a Mabillonio dicitur.

II. Durandus a quibusdam post Helogonum recensetur, cujus mentio fit, anno 1040, in litteris de consecratione Vindocinensis ecclesiæ. Sed verisimilius Mabillonio videtur hunc S. Gildasio apud Biturigas præfuisse.

III. Rodoaldus ab Alano, filio Normanni, prædium quoddam impetravit. Obiit 27 Maii; ex obituario Landevenechi.

(1) Usque ad annum circiter 1790.

A IV. Geoffridus post Rodoaldum; ex abbatiæ catalogo.

Debidannonus a Mabillonio ponitur anno 1063, Annal. Ben., t. IV, p. 646, sed mendose. In charta Bairiacena reperies inter testes Rainaldum, episcopum *de S. Masloo de Bidannono*, gallice *S. Malo de Baignon.* Unde Mabillonius allucinans eatenus ignoti nomen abbatis desumpsit, eumque S. Gildasium de Nemore regere jussit.

Quidam, anno 1067, Vitalem, et post Vitalem Fravalum ponunt. Abbates hi fuerunt Ruienses.

B V. Germanus post Geoffridum reperitur, in abbatiæ supra laudato catalogo, anno 1076.

VI. Mainus, vel Morvannus, Bernardum, equitem, in extremis laborantem, monachico induit cucullo.

VII. Simon I, x cal. Decembris, vel Novembris, 1127, interfuit consecrationi novæ Rotonensis ecclesiæ ab Hildeberto peractæ, et, postera die, subscripsit Olivarii de Ponte litteris *de Ballac* prædio. Præsens reperitur, anno 1133, dedicationi altaris B. Mariæ Magdalenæ, in eadem ecclesia. Societatem iniit, C anno 1139, cum Roberto, Omnium Sanctorum abbate. Plura memoratur accipiens, inter quæ partem quartam cujusdam molendinæ, a Serrone *de Beisit* monachum induente; ex Albor. Mant. cod. 36.

VIII. Hervæus I, coætaneus Bernardi, Nannetensis episcopi, ab eo ecclesiam *Mirsilhac* impetravit.

IX. Tualus, annum circa 1160, testis reperitur cujusdam pacti inter monachos Rotonenses et Eudonem de Rocha; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 605.

D X. Geslinus, Gestinus, Justinus I, vel etiam, ut quibusdam placet, Christinus, obtinuit, anno 1176, ab Alexandro papa III, litteras quibus abbatia S. Gildasii sub protectione Romanæ sedis ponitur. Nota quod hæ litteræ perperam anno 1186 a D. Moricio adscribantur, cum decesserit Alexander papa Augusto mense 1181. Occurrit insuper Geslinus in Mellereii chartulis, una cum Geoffrido, Mellereii abbate, testis datorum ab Olivario de Veris.

XI. Mevennus, anno 1200; ex abbatiæ catalogo.

E XII. Vincentius, anno 1217; ex eodem.

XIII. Guillelmus I accepit, anno 1225, a Constantia, domina Pontis Castri, confirmationem rerum datarum ab Eudone de Ponte; ex Albor. Mant. codice 36.

XIV. Daniel, anno 1239, pactus est cum Goscelino de Rocha Bernardi super quibusdam juribus; ex eodem cod.

cum Eudone de Ponte super jurisdictione S. Gildasii exercenda. Idem occurrit, Februario mense 1253, in instrumento de permutata capella cum episcopo Nannetensi; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 953. Reperitur anno 1254, in tabulis B. Mariæ Landævallensis.

XVI. Simon II, anno 1288; ex Alb. Mantell. cod. 86.

XVII. Justinus II, anno 1293; ex eodem catalogo.

XVIII. Petrus I *Troussier,* ab anno 1304 usque ad annum 1349; e Monastico Bened. Reperitur annis 1331, 1333.

XIX. Natalis obiit anno 1360.

XX. Joannes II litteris instituitur apostolicis, post Natalis decessum, 11 idus Octobris 1360; e Suaresio. Obiit anno 1363.

XXI. Hervæus II *du Port* ex abbatiæ monacho Joanni defuncto sufficitur litteris Urbani V, II idus Junii 1363; e Suaresio. Agnovit, die Sabbati ante festum S. Simonis 1364, se quosdam reditus a Joanna de Dinanno accepisse. Reperitur dein annis 1372, 1376. Tandem, Sabbati die post festum S. Sebastiani 1384, debitas quotannis comiti Britonum missas denuntiavit; ex indice chartarum castri Nannetensis, arm. *S*, caps. *c*.

XXII. Robertus; ex abbatiæ catalogo.

XXIII. Guillelmus II a Clemente papa VII Britonum duci commendatur, VI id. Maii 1391; e cod. Reg. 8357^{2}.

XXIV. Joannes III, anno 1401; ex Alb. Mantell. cod. 86. Incertissimus autem hic abbas.

XXV. Hervæus III *de Beaubois* agnoscit, Mercurii die post festum S. Andreæ 1419, se quatuor anniversaria quotannis Britonum duci debere; e schedis castri Nannet. Reperitur idem, annis 1424, 1446, apud Moricium.

XXVI. Guillelmus III *d'Estouteville,* archiepiscopus Rotomagensis, commendatarius abbas S. Gildasii legitur anno 1456. Abdicavisse videtur in gratiam sequentis.

XXVII. Joannes IV *le Senéchal*, invito Britonum duce, anno 1462, præfecturam adiit. Lis unde surrexit; qua composita, Joannes occurrit abbatialem gerens baculum annis 1468, 1481, 1487. Munus dimisit VII cal. Septembris 1492. Regularis fuerat.

XXVIII. Joannes V *Bohier,* protonotarius Romanæ sedis, archidiaconus Nannetensis, et rector S. Martialis in diœcesi S. Flori, commendatarius abbas S. Gildasii reperitur a die 4 Novembris 1492, quo fidem regi dedit, apud *Padioleau,* usque ad annum 1508, quo, ut videtur, abdicavit. Idem fuit abbas Buzaii et episcopus Nivernensis.

XXIX. Guillelmus IV *Briçonnet,* Luteviensis episcopus, ab anno 1509. Decessit anno 1514, Narbonnensis tunc archiepiscopus.

XXX. Dionysius *Briçonnet* ab anno 1512

A patris sui Guillelmi in abbatia S. Gildasii successor legitur. Quam rexit per tres annos et aliquot menses; e Nic. *Travers.*

XXXI. Joannes VI *Cauchart,* 1517, 1519; ex abbatiæ catalogo.

XXXII. Joannes VII *de Langeac*, plurium abbas monasteriorum, ab anno 1519. Annis insuper 1525, 1526 memoratur; e Monast. Benedictino, et e serie quam *Travers* digessit. Perperam dicitur abbas S. Gildasii ab anno 1505, supra, t. II, col. 464.

XXXIII. Andreas *Hamon*, electus episcopus Venetensis, occurrit annis 1526, 1527.

B Idem abbas fuit S. Gildasii Ruiensis.

XXXIV. Guillelmus IV *Eder,* annis 1532, 1533, 1544, 1545. Idem fuit Corisopitensis episcopus.

XXXV. Balduinus *de Goulaine,* annis 1548, 1552, 1553.

XXXVI. Laurentius *Lenegat,* 1556.

XXXVII. Carolus *d'Espinay,* Dolensis episcopus, annis 1556, 1558, 1575, 1580. Fidem regi juraverat 11 Novembris 1558.

XXXVIII. Yvo *Boulanger* fidem regi dat anno 1593. Idem occurrit annis 1594, 1596, 1597.

C XXXIX. Franciscus I *du Cambout,* protonotarius apostolicus, obsequium regi juravit anno 1600. Sedit in comitiis Redonensibus anno 1608, et in Nannetensibus anno 1609.

Ea quidem ad Franciscum *du Cambout,* numero primum, spectantia, ex authenticis schedis desumpta videntur. Advertendum vero quod in gentilitio clarorum virorum *du Cambout* stemmate, tam apud P. Anselmum quam apud *La Chesnaye-Desbois,* hoc de Francisco nulla mentio reperiatur. Ejusdem insuper, in domesticis S. Gildasii indicibus, locum tenet quidam N. *de la Varenne,* nu-

D dum cujus nomen, et ipsi Moricio ignotum, ad nos transiit.

XL. Renatus *de la Motte* fidem regi dat anno 1618. Reperitur annis 1626, 1628.

XLI. Henricus I *de Bruc* sedit in comitiis anni 1632.

XLII. Franciscus II *du Cambout,* ab anno 1638; qui postea militiæ sæculari nomen dedit.

XLIII. Sebastianus Josephus *du Cambout de Pontchâteau* occurrit ab anno 1642. Abdicavit, anno 1670, in gratiam sequentis. Veterem Villam et Genestonium insimul rexe-

E rat. Decessit 27 Junii 1690.

XLIV. Petrus II *du Cambout de Coislin,* antecedentis nepos, tot beneficiis dives ut ea recensere longius esset, S. Gildasium obtinuit 26 Septembris 1670. Episcopus erat Aurelianensis a mense Junio 1665. Plura igitur de illo, si juvat, reperies inter Aurelianenses episcopos, t. VIII, col. 1495. Purpuram quoque gessit. Mortuus est Versaliis, die 5 Februarii 1706.

XLV. Henricus II Ignatius *de Brancas,*

germanus Ludovici, Franciæ marescalli, S. Gildasium accepit anno 1706, mox, anno videlicet 1712, Cameram Fontem, et, 15 Augusti 1714, Lexoviensem episcopatum. Quære t. XI, col. 808. Obiit 1 Aprilis 1760.

XLVI. N. *de Coetlosquet*, idem et thesaurarius Trecorensis, obiit 29 Julii 1763.

XLVII. Franciscus III Maria *de Valory la Pommeraie* ab anno 1763 usque ad annum 1790.

CALMA.

Anno 1055, Harscoidius, Radesii toparcha, Perenesio, Rotonensium abbati, ecclesias B. Mariæ et S. Joannis, juxta Machecolium sitas, condonavit, ea sub conditione ut in ecclesia B. Mariæ monachos institutis S. Benedicti addictos collocaret. His vero monachis ut abbatem daret Perenesio licitum, non imperatum. Duæ super eadem fundatione Harscoidii chartæ jam prælo mandatæ : unam e Probat. Hist. Brit. transcripsimus; alteram, quam Sammarthani edidere, suspectam dixit *de Bréquigny*, ut legendum est in diversis doctissimi viri commentariis, quos servat Max. Parisiorum Biblioth.; chart. capsa VII, num. 20. Ea domus in vetustioribus tabulis Calma, Calmaria et B. Maria de Machecolio nuncupatur. Quem sub annum abbatibus parere cœperit incertum est. Electos sibique præsentatos abbates Radesienses dynastæ diu confirmaverunt. Parva quidem ea abbatia parvique nominis semper fuit, quæ condita erat ut quatuor tantum monachos exciperet. Suppressa fuit monachorum mensa anno 1767, et S. Martino Vertavensi unita. Abbatum tamen seriem usque ad annum 1790 instrumenta publica ducunt.

[Ch. 1, col. 171.]

SERIES ABBATUM.

I. Glemarochus subscribit, anno 1100, Hurvodii chartulæ pro monasterio Rotonensi.

II. Tangicus, anno circiter 1108, concordiæ testis fuit inter Rotonenses et Majoretanos de Bairiaco initæ; Rer. Gallic. Script., t. XIV, p. 153.

III. Philippus I anno 1112 reperitur, in charta Bernardi de Machecolio filiam suam Roncereii puellis sociam adjungentis.

IV. Haimo, anno circiter 1120, in chartula præfati Bernardi quam Moriceus præbet; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 541.

V. Gualterius, x cal. Novembris 1127, a Rotonensibus hospes accipitur, Hildeberto Rotonensem ecclesiam reconciliante. Idem, anno 1133, nonis Februarii, Rotoni rursus memoratur, qua die Guegonus de Blaigno Rotonensibus monachis villam *Ballac* confirmat.

VI. Aufredus, annum circa 1150, societatem pangit cum Hervæo, S. Sergii abbate; apud *Housseau*, t. XIII, num. 10,046.

VII. Philippus II, anno 1184.

VIII. Ludovicus I decessit anno 1294.

IX. Nicolaus I *de Tréal* occurrit annis 1322, 1324, Olivarii Rufi liberis tutor datus est. Idem postea abbas fuit S. Melanii.

X Michael *de Tréal*, annis 1328, 1336.

XI. Petrus *de Touyac* transegit, anno 1346, cum Gerardo *Chabot*.

XII. Joannes I *Taillefer*, ab anno 1351 usque ad annum 1374.

XIII. Thomas *Ruffier*, 1386, 1387.

XIV. Joannes II *Larcher*, 1391, 1402.

XV. Andreas I *Larcher* Joanni successit.

XVI. Andreas II *de Lorme*, 1413.

XVII. Guillelmus I, 1418.

XVIII. Dionysius, 1421.

XIX. Joannes III *Groilar*, 1428, 1438, 1441.

XX. Nicolaus II *de Tréal*, anno 1446.

XXI. Joannes IV Ludovicus *Leroux*, 1448.

XXII. Joannes V *Rousseau*, 1453.

XXIII. Alanus *Loret*, 1456.

XXIV. Guillelmus II *Jehanno* abbati Rotonensi præsentatur anno 1456. Procurator abbatis præfati reperitur, anno 1458, in instrumento cujusdam litis adversus priorem B. Mariæ Nannetensis.

XXV. Joannes VI *de S. Gildas*, anno 1458.

XXVI. Radulfus *Geslin* cum Mathurino *de Chavigny* de præsidatu contendit. Secundum Radulfum Romana curia statuit, anno 1502.

XXVII. Ludovicus II *de Saiges*, alias *d'Aiges*, 1513.

XXVIII. Joannes VII *du Plesseix*, anno 1516.

XXIX. Jacobus I *de la Porte* præsentatur a Radesiensi toparcha 1 Octobris 1519; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 948. Eum vero Rotonensis abbas rejecit, cui Antonium *Geoffroi* anteposuit. Inde lis inter Antonium et Jacobum. E causa tandem victor Jacobus evasit, et regi fidem dedit anno 1543.

XXX. Olivarius *de Montauban*, anno 1557. Regi semet sacramento obligavit, annis 1558, 1560.

XXXI. Ludovicus III *de Montauban* fidem juravit anno 1561.

XXXII. Henricus I *de Rastelli* occurrit, anno 1579, in tabulis ecclesiæ Corisopitensis.

XXXIII. Claudius Stephanus *Nouvellet*, 1594.

XXXIV. Henricus II *de Gondi*, cardinalis, episcopus Parisiensis, ab anno 1596. Obiit anno 1622.

XXXV. Joannes VIII Franciscus *de Gondi*, idem qui e decano archiepiscopus ecclesiæ Parisiensis factus est.

XXXVI. Joannes IX Franciscus Paulus *de Gondi*, cardinalis, abdicavit in gratiam sequentis.

XXXVII. Guido *de Lopriac de Coetmadeuc* sedit, anno 1671, in Britanniæ comitiis.

XXXVIII. Christophorus Ludovicus *Turpin de Crissé de Sanzay*, abbas Quimperlegii ab anno 1717, Nannetensis episcopus ab anno 1723, Calmiam anno 1725 obtinuit.

XXXIX. N. *de Poly de S. Thiebault*, vicarius generalis ecclesiæ Nannetensis, creatur abbas 17 Aprilis 1746.

XL. N. *Duclusel*, ab anno 1778 ad annum 1782.

XLI. Jacobus II Julianus *Meslé de Grandclos*, Macloviensis archidiaconus, reperitur anno 1790.

ALBA CORONA.

Hanc abbatiam, septem circiter leucis Nannetibus distantem, arborum alba corona, forsan betularum, cingebat; unde nomen, ut aiunt, sumpsit. In eodem insuper loco vividus aquæ fons: eam ideo Dulcem Fontem veteres quoque nuncupavere. Quam vero sub ætatem initium habuerit incertum reliquere. Eam Moricius anno 1160 conditam autumat; longe autem vetustiorem Nicolaus *Travers* asserit, et, re licet incomperta, affirmatius loquens *Ogée*, anno 969 ejusdem fundationem adscribit. Verum enim vero nulla anno 1161 antiquior nunc existit chartula, quæ Albæ Coronæ mentionem servet. Cluniacenses ibi quondam monachi, dein Cistercienses fuere. Id Nicol. *Travers* e diversis paparum epistolis concludit; nempe Gregorii IX, anno 1234, Benedicti XI, anno 1336, et Joannis XXIII, anno 1410; Hist. Nannet., t. I, p. 287. Benedictina vero S. Mauri instituta in hac abbatia vigere cœperunt 28 Junii 1652. In eadem olim sexdecim monachi, duodecim professi, et quatuor novitii. Monachorum postea numerus ad quatuor redactus. Anno tandem 1767, senatus consulto decretum est ut jamdudum inclinatam domum monachi desererent, et in prioratum S. Jacobi *de Pirmil*, in Nannetensi suburbio situm, secederent.

Plura desumpsimus e contractis abbatiæ tabulis, quas præbet Albor. Mantell. cod. 36.

ABBATUM SERIES.

I. Ernaldus, vel Arnaldus, quem Hervæum quidam nuncupant, anno 1161, arbiter sedit litis inter Kemperlegienses et Nannetenses canonicos.

Idem est forsan, littera A. tantum designatus, qui, 3 Julii 1167, reperitur Geoffridum *de Jelent* se suaque abbatiæ condonantem excipiens. Moricius tandem conjicit Ernaldum, Arnaldumve, non alium ac Reginaldum hunc fuisse, cujus Roncereii obituarium III non. Junii meminit.

A II. Sebrandus, anno 1184, de quibusdam decimis paciscitur cum Roberto, Nannetensi præsule.

III. Joannes I occurrit, anno 1189, in pacto quod Majoretani et Odo de Ponte Castri fecerunt; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 715. Idem, anno 1197, quoddam molendinum sub censu tradit. Testis est, anno 1200, Odonis de Ponte Castri in Majoretanos benefici; e chartul. Maj. Monast. Ab eodem, anno 1218, ipse reditus accipit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 838.

IV. Daniel I post Joannem a quibusdam B ponitur, qui Stephaniam de Tintiniaro beneficam expertus est. Hic autem ei locus conjectura tribuitur.

V. Joannes II innotescit ab anno 1233. Idem, anno 1236, a Constantia, domina Pontis Castri, accepit tertiam partem Alneti, et confirmationem omnium quæ jam dederat Eudo, Constantiæ pater; e Probat. Hist. Brit., t. I, col. 902. Memoratur, anno 1239, in chartula Joscelini de Rocha Bernardi salinam quamdam Albæ Coronæ largientis. Idem, anno 1246, villam Aalicem a Guillelmo Angerii accepit. Anno tandem 1265, pratum C Guillelmo *de Broçais* concedit. Superstes etiam legitur anno 1270.

VI. Guillelmus I *de la Ferrière* reperitur annis 1283, 1287, 1298, 1311.

VII. Joannes III *de Brie*, alias *de Brice*, anno 1314.

VIII. Olivarius *de Tréguz*, electus, ut memorant monasterii tabulæ, anno 1338, transegit, anno 1349, cum Geoffrido, Ancenisii domino. Obiit anno 1358.

IX. Joannes IV e priore claustrali abbas instituitur litteris Innocentii papæ VI, XVII cal. Junii 1358; apud Suaresium. Obiit anno D 1363.

X. Thomas *Loncle* Joanni defuncto sufficitur ab Urbano papa V, XI cal. Aprilis 1363; apud eumdem Suaresium. Anno 1372, curandum ei committitur testamentum Eonis, Rupefortensis toparchæ. Idem, 6 Aprilis 1381, secundum recentem usum, ratum habebat fœdus Guerrandiæ initum; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 273. Quo et anno, 10 Julii, Alani *de Rohan* testis fuit erga ducem sacramento semet obligantis; e cod. Regio 8357⁴.

XI. Guillelmus II *de la Pesqueraie*, alias *Pasquin*, annis 1400, 1405, 1409. Composuit, E 6 Februarii 1402, cum Nannetensi præsule Bernardo, cui domus aditum prohibuerat.

XII. Theobaldus I *Aubriet*, 1409, 1410, 1435, 1441.

XIII. Theobaldus II *de Loueday*, ex abbatiæ tabulis, annis 1456, 1460.

XIV. Petrus I, anno 1476. Theobaldus dein occurrit in contractis abbatiæ tabulis, anno 1485, sed erronea, ut videtur, mentione. Consule Albor. Mantell. cod. 36.

XV. Guillelmus III *le Maistre* decessit anno 1498 ineunte.

XVI. Andreas *le Maistre*, antecedentis germanus, suæ ætatis anno 36, eligitur abbas 29 Januarii 1498; apud Nic. *Travers*, Concil. Turon., t. III, p. 551.

XVII. Joannes V *Briçonnet*, filius Guillelmi et Joannæ *Brinon*, senatus Britannici vice-cancellarius, commendatarius abbas creatur 20 Januarii 1503. Obiit anno 1538.

Joanne defuncto, monachi Guillelmum *Viau* elegere. Prævaluit autem jus commendatarii abbatis.

XVIII. Carolus *de Hemard Denonville*, cardinalis Matisconensis, Ambianensis dein episcopus, et abbas S. Albini Andegavensis, necnon S. Petri Carnotensis, Albam Coronam rexit, commendæ titulo ipsi traditam, ab anno 1538 usque ad annum 1542, quo decessit.

XIX. Joannes VI, Lotharingiæ cardinalis, episcopus Nannetensis, ab anno 1542. Fidem regi dedit anno 1543, et abdicavit anno 1548.

XX. Nicolaus *de Colledo* annis 1548, 1551, 1554.

XXI. Franciscus I *de Gaignon* regi fidem dedit anno 1561. Reperitur anno 1573. Idem abbas fuit Genestonii.

XXII. Marinus *Melloteau* obsequium regi juravit anno 1576. Reperitur anno 1583.

XXIII. Franciscus II *de Chadieu*, anno 1596.

XXIV. Claudius I *de Cotignon*, regi ab eleemosynis, fidem jurat anno 1602.

XXV. Petrus II *Cornulier*, anno 1612. Eumdem inter abbates S. Crucis et S. Mevennii quære, necnon inter episcopos Trecorenses et Redonenses.

XXVI. Claudius II *Cornulier* sedit in Nannetensibus comitiis anno 1638. Is reformatos in abbatiam S. Mauri sodales intromisit. Obiit Augusto mense 1681.

XXVII. Joannes VII Jacobus *Renaud des Barres* litteras impetrat regias 12 Septembris 1681. In Vitreii comitiis sedens reperitur, anno 1683. Dein uxorem ducens, in sequentem, uxoris suæ fratrem, abbatiale pedum transtulit.

XXVIII. Armandus *de Béthune d'Orval*, ab anno 1716 ad annum 1729.

XXIX. Daniel II Bertrandus *de Langle*, ab anno 1729. Idem episcopus S. Papuli creatur 5 Aprilis 1739. Obiit Junio mense 1774.

XXX. N. *de la Tour*, ab anno 1774 in annum 1790.

GENESTONIUM.

Prioratum B. Magdalenæ de Genestonio condidit, ut fertur, Bernardus, Nannetensis præsul, atque in eo canonicos S. Augustini regulam professos instituit. Ex ipsis Genestonii tabulis compertum habes hanc domum ab initio sub regimine prioris positam fuisse. Fundationis autem annus dubius est. Annum quidem 1148 *Ogée* proponit, sed mera conjectura. E litteris tamen quibus, anno 1163, Alexander papa III fundationem supra memoratam sancivit, palam est Genestonium jam sub id temporis multis opibus elatum fuisse; non igitur adeo recens conditum. Eo anno circiter 1163 prioratus in abbatiam mutatur. Nullos anno 1656 Genestonii superstites fuisse canonicos Sammarthani memorant. Abbates tamen vacuas et pauperculas ædes usque ad exitum postremi sæculi administravere. Ch. VIII, col. 177.

Seriem abbatum præbet Alb. Mantellor. cod. 36. Præter eos tamen quibus domesticus ille catalogus, aut hactenus servata diplomata minime dubium locum assignavere, alios quosdam exhibet Genestonii necrologium quorum tempora nos fugerunt. Hi sunt :

Thevinus, bis in necrologio memoratus, XVIII cal. Septembris et XI cal. Januarii;

David, III non. Junii;

Geoffridus, XII cal. Decembris.

SERIES ABBATUM.

I. Clemens, antea prior, abbas, ut videtur, postea fuit. Ch. VIII, col. 177.

II. Bertrandus, anno 1196; ex abbatiæ catalogo. Obiit X cal. Februarii.

III. Thomas pluribus in chartis occurrit temporibus Mauricii, Nannetensis episcopi. Anno 1197, servum, nomine Giraudum, Thomæ dat Theobaldus *Chaboz*. Anno 1199, quædam accepit, testante Geoffrido, Nannetensi episcopo. Obiit VIII cal. Decembris; e necrologio domestico.

IV. Peregrinus a Gasoeno, Pochonoriæ domino, duodecim denarios censuales impetravit, mense Decembri 1225. Obiit, e necrologio, III id. Januarii.

V. Joannes I, 1246; ex abbatiæ catalogo.

VI. Petrus, contendens cum Mauricio de Bellavilla, judicem litis eligit Galeranum, Nannetensem episcopum, anno 1259. Prædiis et censibus donatur annis 1264 et 1274, et obit idibus Decembris; e necrologio.

VII. Joannes II, ex abbatiæ catalogo, anno 1279. Idem est forsan quem Joannem *Viau* necrologium abbatiæ nuncupat, 7 Maii.

VIII. Andreas *Graynsart*, ex eodem catalogo, anno 1302. Joannis cujusdam *Groysart* meminit necrologium, XVII cal. Julii.

IX. Guillelmus I Belvini obiit XI cal. Aprilis; e necrologio.

X. Joannes III *Desreme*, quem Moricius nuncupat *des Rames*, legitur anno 1310. Decessit, e necrologio, XVII cal. Decembris.

XV. Joannes I, anno 1251, pacem fecit

XI. Aymericus, alias Henricus, *de Blanche Courbe* occurrit annis 1316, 1337. Obiit VI idus Martii; e necrologio.

XII. Guillelmus II *Peschart,* anno 1346; e serie quam exhibet Alborum Mantell. codex. Decessit x cal. Februarii; e necrologio. Munus tamen antea abdicaverat.

XIII. Matthæus *Baligant,* alias de S. Germano, antea canonicus Omnium Sanctorum Andegavensium, instituitur ab Innocentio VI, Guillelmo resignante, XI cal. Junii 1359; e Suaresio.

XIV. Simon *Charpentier* occurrit annis 1367, 1376, 1378. Decessit, e necrologio, III non. Junii 1382.

XV. Guillelmus III *Gautreau,* anno 1396. Obiit III non. Septembris.

XVI. Olivarius *de Flazne,* annis 1418, 1429; e serie quæ legitur in Albor. Mantell. codice. Decessit XIX cal. Februarii; e necrologio.

XVII. Stephanus *Mercereau,* annis 1444, 1452; e supra laudato codice. Decessit II cal. Martii.

XVIII. Guillelmus IV *Raoul* occurrit annis 1453, 1461, 1469. Ejus forsan necrologium meminit III id. Decembris.

XIX. Joannes IV *Goheau* benedictionem suscipit a Petro, Nannetensi præsule, 9 Martii 1483. Idem reperitur anno 1494. Obiit II non. Januarii 1509; e necrologio.

XX. Robertus *de Commenan,* commendatarius abbas, occurrit anno 1512; e serie quæ legitur in Albor. Mantell. codice.

XXI. Julianus *Baillon,* anno 1521; ex eadem serie.

XXII. Michael *de Coëtlogon* post Julianum ponitur. Æmulum et competitorem expertus est Franciscum *de Sacé.* Obiit Decembri mense 1537; e Moricio.

XXIII. Mathurinus *Glé* in possessionem temporalium missus est 19 Junii 1538. Sedit anno sequente in comitiis Nannetensibus. Reperitur apud *Padioleau* fidem regi dans anno 1540. Superstes erat anno 1544. Idem abbas fuit Belli Loci, et procurator capituli Redonensis.

XXIV. Philibertus *de Lorme,* clarus architectus, regi a consiliis et eleemosynis, dein Parisiensis ecclesiæ canonicus, pro Genestonio regi fidem dedit anno 1547. Idem fuit abbas S. Sergii Andegavensis, S. Eligii et S. Bartholomæi Noviomensium. Obiit mense Januario 1570. Attamen jam diu Genestonii præfecturam dimiserat; nam

XXV. Franciscus I *de Gaignon* occurrit annis 1560, 1563, 1573. Abdicavit anno 1574. Idem abbas fuit Albæ Coronæ.

XXVI. Nicolaus *Corbineau* juramentum coram rege fecit anno 1576, apud *Padioleau,* et decessit anno 1593.

XXVII. Franciscus II *de Chadieu* legitur anno 1595.

XXVIII. Leo *Gouffier,* filius Claudii, ducis *de Roannez,* et Mariæ *de Gaignon de S. Bohaire;* ex Anselmi Hist. Genealog.

XXIX. Ludovicus I *de Mars,* filius Mathurini, domini *de S. Agathe,* et Petrinellæ *du Cambout,* ab anno 1598. Sacramentum præstitit anno 1606, comitiis interfuit Nannetensibus annis 1622, 1623, 1624, 1626, et obiit 6 Aprilis 1639.

XXX. Sebastianus Josephus *du Cambout,* filius Caroli et Philippæ *de Burgos,* munus adiit anno 1639. Quod tenebat etiam anno 1657. Obiit VIII id. Aprilis; e necrologio.

XXXI. Renatus, alias Reginaldus, *de Sévigné* sedit anno 1663 in comitiis Nannetensibus.

XXXII. Eustachius *le Sénéchal de Kerkado* creatus est abbas anno 1674, et abdicavit in gratiam sequentis, decessurus in Trecorensi cathedra, 15 Martii 1694.

XXXIII. N. *le Sénéchal de Kerkado,* antecedentis avunculus; ex indice beneficiorum Turonensium.

XXXIV. Henricus, alias Ludovicus, Matthæus *de Montmorency* creatur abbas Decembri mense 1694, et obit Parisiis 6 Novembris 1708.

XXXV. Petrus Ludovicus *Orceault* nominatur 24 Decembris 1708. Abbas idem Pornidii.

XXXVI. Ludovicus II Maclovius *Moreau de S. Helier,* a mense Julio 1728 usque ad diem 3 Martii 1754, quo decessit.

XXXVII. N. *Le Franc de Fontaine,* ab anno 1754 ad annum 1790.

PORNIDIUM.

In eo loco vetus ecclesia fuit, B. Mariæ sacra, quam, anno 1050, monachis Rotonensibus Glevianus et Drolavius dono dederunt. Anno vero 1112, ecclesiam eamdem ad S. Sergii monachos Rotonenses transtulere. Quam translationem ægre tulit Briccius, Nannetensis præsul; extraneisque monachis nedum faveret, eorum jura arctius continuit. Ea sunt, ut videtur, Pornidiensis monasterii initia. Quando tamen quomodoque locus a monachis ad canonicos transierit incompertum. Ut se res habuit, parva semper domus fortuna fuit, quæ ab anno 1620 incolis prorsus vacua reperitur. Abbatiali tamen mensæ, vel sublatis canonicis, adscripti reditus usque ad annum 1790.

SERIES ABBATUM.

I. Andreas, Mauricio episcopante, scilicet ante annum 1198, testis est rerum Buzaio a Simone de Guierchia confirmatarum; e cod. Regio 8357[3]. Idem, anno 1199, reperitur in chartula Geoffridi, Nannetensis præsulis,

de quibusdam Genestonio datis. Testis juratus tandem occurrit, mense Julio 1206, in inquisitione de juribus Nannetensis ecclesiæ : qui, ea in causa verba ferens, se Briccii præsulis Conanique comitis temporibus vixisse declarat; unde colligere licet, annuente Moricio, cum abbatiali pedo circiter annum 1170 donatum fuisse.

II. G., mense Novembri 1224, cum abbate S. Sergii de quibusdam decimis paciscitur; e cod. Regio 5446, p. 221.

III. Aigobertus occurrit, anno 1246, in litteris Albini, Radesiarum decani, cum Mevenno *de Derval* de piscatorio jure in paludibus *Ritort* componens; apud Nicol. *Travers*, Concil. Tur. Prov., t. II.

IV. Geoffridus, anno 1251, a Petro *Claret*, presbytero, domum, vineam, et alia quædam accepit; ibidem.

V. Guillelmus I, anno 1312.

VI. Guillelmus II, anno 1369, annis gravis morboque laborans, Petro *Moysan* provinciam dat ut prioratus visitet ad abbatiam pertinentes; ibid., t. III.

VII. Petrus I *Moysan*, de quo supra, abbas jam erat 1 Martii 1387. Decessit anno 1427.

VIII. Petrus II *Sauvaign*, cœnobii professus, prior antea domus *Rouans*, in Nannetensi diœcesi, occurrit abbas electus 27 Octobris 1427, in deliberatione capitulari de suscipienda pecunia in bullarum sumptus a camera apostolica impetrandarum. Quas a Martino V bullas obtinuit, calendis Martii 1428; *Travers*, Concil., t. III. Capitulum dein generale coegit, 28 Februarii 1440. Superstes reperitur mense Martio 1457.

IX. Olivarius I *Sauvaign*, annis 1460, 1463.

X. Carolus *Davaugon* occurrit, VI nonas Octobris 1464, in mandato Pauli papæ II, jubentis ut inquiratur de bonis abbatiæ quæ laicorum in manus devenerant; ibid., t. III. Obiit, ex eodem Nic. *Travers*, anno 1478.

XI. Olivarius II *Appert* munere semet abdicavit 25 Junii 1484.

XII. Jacobus *Corbeau*, Olivarii cessione rata, præfectus est abbatiæ VII cal. Julii 1484, a Joanne, cardinali Andegavensi, Romanæ sedis legato. Filius erat Guillelmi *Corbeau* et Catharinæ *Appert*.

XIII. Joannes I *Heaulme*, antecedentis adjutor a 16 Septembris 1521, abbas occurrit 21 Decembris 1522, qua die, in capitulo Nannetensi, deliberavit de nummis ab Henrico rege petitis. Fidem dein regi dedit anno 1556, et obiit mense Junio 1562. Eo in extremis laborante, 1 Junii, Joanni sequenti abbatia litteris apostolicis promissa.

XIV. Joannes II *Hubert* a Pio papa IV nominatur abbas 20 Julii 1565; quo decedente, Pii papæ V litteris donatur, 20 Januarii 1566. Dein a Philippo, Nannetensi episcopo, munus benedictionis accepit, in sacello B. Mariæ Magdalenæ Nannetensis, 20 Novembris 1575. Occurrit Joannes, 26 Februarii sequentis, vicarium suum in spiritualibus et temporalibus constituens Simonem *Le Tort*, presbyterum Nannetensem. Obiit anno circiter 1580.

XV. Guillelmus III *Giroust* abbas erat 5 Aprilis 1580; qui decessit anno 1591.

XVI. Gaspardus *du Gay*, anno 1600, fidem regi dat. Canonicus is Parisiensis commendæ titulo Pornidium primus accepit. Munere semet abdicavit anno 1601.

XVII. Guillelmus IV *Pineau*, ab anno 1601. Occurrit anno 1608, litigans cum Renato *Blezeau*, sacerdote. Anno dein 1617 regi fidem dat. Dissipata canonicorum sodalitas anno 1620, quo Guillelmus obiit.

XVIII. Robertus *de Canigan*, pastor sine grege, moritur anno 1640.

XIX. Albertus *Rousselet de Château-Regnauld*, Francisci filius et Ludovicæ *de Compans*, obiit 1 Novembris 1647; e Gallia Sacra.

XX. Balthasarus *Rousselet de Château-Regnauld*, antecedentis germanus, abbas idem Fontanarum Albarum et Landevenechi, munus abdicavit, anno 1684, in gratiam sequentis.

XXI. Henricus Carolus *Rousselet de Chateau-Regnauld*, filius Francisci et Mariæ *Legay*, ab anno 1684 ad Martium mensem 1693, quo decessit.

XXII. Petrus Ludovicus *Orceault* renuntiatur abbas 21 Martii 1693; ex Indice beneficiorum Turonensium, inter Cangeii codices. Bullas dein accepit pontificias 9 Maii, et loci possessionem adiit 23 Augusti. Idem abbas fuit Genestonii. Permutavit anno 1697.

XXIII. Josephus Baptista Christophorus *Mesnier*, alias *Monier*, doctor theologus, decanusque S. Gengulfi, in ecclesia Tullensi, bullas obtinuit 7 Martii 1697, in possessionem invehendus 9 Decembris. Abdicavit anno 1723.

XXIV. Joannes-Baptista *de Lanux*, doctor theologus, canonicus Tullensis, regius concionator et ex Oratorii patribus, a rege nominatur 29 Novembris 1723, a summo Pontifice confirmandus 23 Januarii 1724.

XXV. N. *Berthou de Kerverzio de Kerveroi*, cantor et officialis Nannetensis, creatur abbas 4 Aprilis 1751.

XXVI. N. *du Pargo*, vicarius generalis Redonensis ecclesiæ, superstes erat anno 1790.

BUZAIUM.

Abbatia B. Mariæ de Buzaio, in parochia *Rouans* sita, initium cepit anno 1136; e Mellercii Chronico. Opus susceperant Conanus dux, Alani filius, et Ermengardis, Conani

mater : qui Cistercienses ex ipsis Claris Vallibus monachos acceiverant, eisque nonnulla tradiderant, plura promittentes. Eo autem in consilio non diu stetit Conanus; qui curam monachorum dimittens, ipsis etiam quæ dederat ad suum fiscum revocavit. Unde in summam inopiam erant delapsi, cum has peragrans oras Bernardus, Clarævallensis impiger sodalitatis patronus, ducem adiit et eum vel acerrimis verbis adlocutus est, perfidum mendacemque vocans, ut ipsiusmet Conani litteræ testantur, jubensque protinus egenos fratres ad Clarævallensia tecta iter agere. Tunc ducem subiit violatæ fidei pœnitentia, qui monachis ablata restituit et quædam addidit, adstantibus Ruaudo Venetensi, Alano Redonensi, Iterio Nannetensi, et Joanne Macloviensi episcopis, inter annos, ut videtur, 1144 et 1147. E Roberti præsulis diplomate comperitur duos Buzaii fuisse conventus, anno 1177; unum virorum, alterum puellarum. De qua re consulendi *Ogée*, Nicolausque *Travers*, Hist. Nannet., t. I, p. 292. Is autem rerum status, prohibentibus conciliis, mox finem fecit. E Buzaii gremio non una quidem Cisterciensium monachorum societas originem duxit : Villam Novam enim, anno 1201, et Insulam Dei, eodem anno, monachi Buzaio deducti occupavere : deinde B. Mariam de Precibus, anno 1252.

Abbates Buzaii plures olim recensuere. Consulendi præsertim de rebus ad hanc abbatiam spectantibus Alb. Mantell. codices 36 et 41.

SERIES ABBATUM.

I. Petrus I, Clarævallensis forsitan monachus, innotescit anno, ut videtur, 1144, e charta Conani ducis fundationem Buzaii referente. Eidem legitur prædium Herbiliaci concedens Philippus, regis filius et abbas S. Aniani Aurelianensis; supra, t. VIII, col. 1522.

II. Guillelmus I memoratur, anno 1150, in chartula Rainaldi Bordini, de rebus Villæ Novæ sitis. Idem, XI nonas Julii 1152, bonorum quorumdam confirmationem a Radulfo, Radezii domino, obtinuisse fertur, in litteris Bernardi, Nannetensis episcopi; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 612. Subscripsit, anno, ut videtur, 1153, chartæ Hoelli, Nannetensis comitis, quasdam res Fontebraldensi parthenoni concedentis.

III. Adamus, XI cal. Junii 1155, Villam Novam dictum prædium ab Hoello supra memorato impetravit, e cod. Regio 8357^{3}, sub annum 1153 (1).

IV. David occurrit primum anno 1157 in Buzaii tabulis. Postea legitur, anno 1161, Nannetibus sedens inter judices litis quam Kemperlegienses monachi contra Nannetense capitulum moverant; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 644. Deinde memoratur anno 1165, testis Bernardi, Nannetensis episcopi, monachos S. Florentii et Pontis Octranni de decimis litigantes conciliantis; apud *Housseau*, t. V.

V. Petrus II deest in abbatum catalogo quem codex Alborum Mantellorum exhibet. Ejus vero meminit Moricius anno 1170 electi, et aliquantisper clavum tenentis.

VI. Godofredus occurrit IX cal. Julii 1175, in charta Roberti, Nannetensis episcopi, de jurgio ab Olivario *de Begon* dimisso; ex Alborum Mantellorum codice 36.

VII. Richardus I, anno 1177, in chartula Roberti, Nannetensis episcopi, testantis Sylvestrem, filium Rotlandi *de Begon*, plura monachis Buzaii concessisse; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 671. Eumdem præbet instrumentum Roberti, e quo noscimus nepotes Gyronis *de Verz* dimisisse jus quod sibi in insulas monachorum vindicabant, anno 1179.

VIII. Mainus, alias Menno, recensetur anno 1187, a Radulfo de Chameriaco plura accipiens; e cod. Regio 8357^{3}. Ei Constantia, Conani filia, concessit ab avis suis Buzaio data, testibus Guidone Venetensi et Petro Macloviensi episcopis. Occurrit, anno 1196, in charta Mauricii, Nannetensis episcopi, de Genestonio datis a Pagano *Oyce*. Abdicavit anno, ut videtur, 1199; sed, Buzaii commorans, abbatis nomen retinuit. Sic legitur Mainus *quondam abbas*, subscribens, post Guillelmum recens abbatem, anno 1199, in charta Petri, Ganapiæ domini. Idem occurrit, anno 1201, in chartula Geoffridi, Nannetensis episcopi, de lite a Bernardo de Toscha dimissa, et in litteris Harscoidii infra memoratis.

IX. Guillelmus II *Robert* electus est anno circiter 1199. Quo anno occurrit in charta Petri, Ganapiæ domini, data confirmantis a Petro *Palastre;* Prob. Hist. Brit., t. I, col. 734. Idem, XVII cal. Augusti 1201, accepit a Willelmo *de Syun* mediam insulam quæ vocabatur Angulus Orucetæ; ibid., col. 793. Eodem anno, festo die S. Jacobi, ab Harscoidio, Radesii domino, servum quemdam et hæredes hujus impetravit; ex Albor. Mantellor. codice 36. Eodem, adlectus erat testis a Constantia Villam Novam condente; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 786.

X. Gualterius ab anno 1203. Occurrit idem anno 1205, in abbatiæ tabulis.

XI. Ægidius I, anno 1206; ex abbatum catalogo. Hunc autem Moricius non inconsulto fortassis prætermisit.

XII. R., quem catalogus Radulfum, Moricius Richardum nuncupant, occurrit, anno 1206, in chartulario S. Jovini de Marnis. Ille, IV cal. Maii 1207, salinam accipiebat a Rade-

(1) Hæc data legitur charta anno 1153, ind. III, epact. XV, concurr. V. Indictionis annus III, epact. XV et concurr. V, in annum Christi 1155 conveniunt, neutiquam in annum 1153.

sii domino; ex Albor. Mantell. codice 36. Eodem anno, mense Novembri, mandato domini papæ, causam solvebat pendentem inter præpositum S. Spani et Reginaldum *de Bucées;* e codice *de Gaignières*, num., 240. Composuit, anno 1214, cum Aimerico, capellano S. Nicolai.

XIII. Richardus II, anno 1232; e Buzaii tabulis. Hunc catalogus abbatum expresse distinguit ab antecedente Radulfo. Radulfum Moricius suppressit.

XIV. Matthæus occurrit anno 1236, in contractis ex abbatiæ tabulario chartulis.

XV. Bartholomæus, anno 1237, domum quamdam Geoffrido de Valle tradit. Idem in numerum fratrum aggregabat, anno 1240, Geoffridum de Pouanceyo.

XVI. Ægidius II, ab anno 1244. Is, die Jovis ante festum Nativitatis 1246, sententiam obtinuit de quibusdam monasterii bona sibi vindicantibus; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 930. Anno 1252, episcopo Venetensi præsentat abbatem et conventum B. Mariæ de Precibus, postquam huic abbatiæ condendæ præcipuas curas ipse dederat. Reperitur etiam cum Jacobo Nannetensi præsule paciscens, Sabbati die ante *Lætare* 1264, vel, secundum hodiernum usum, 1265.

XVII. Robertus, anno 1268; ex abbatiæ catalogo.

XVIII. Samson reperitur, anno 1270, quemdam censum vendens fratribus S. Joannis Andegavensis; e schedis *Housseau*, t. XIII.

XIX. Daniel occurrit anno 1276, in Alborum Mantell. codice 36.

XX. Henricus I, anno 1310; ex abbatum catalogo.

XXI. Joannes I occurrit anno 1317. Idem dicitur *quondam abbas* anno 1324.

XXII. Joannes II *de Mez*, anno 1325. Ille 9 Decembris 1328, ad Joannem, Britonum ducem, scribebat, ejus requirens opem adversus Girardum de Machecolio. Idem reperitur anno 1331. (Ch. XV col. 184.)

XXIII. Henricus II, anno 1359; e veteri quadam nomenclatura.

XXIV. Dionysius, anno 1366; ex abbatum catalogo.

XXV. Ludovicus, anno 1377; ex eodem.

XXVI. Guillelmus III *Maréchal*, annis 1384, 1397.

XXVII. Joannes III *Gendron* occurrit, anno 1417, quædam prædia accipiens. Anno 1430, Cisterciense capitulum Joannem mittebat ad Basileense concilium, qui procuratoris generalis personam ageret. Quo in concilio sedit etiam Joannes uti legatus Britonum ducis. Reperitur dein, v Aprilis 1430, denuntians data B. Mariæ de Precibus a Joanne duce. Ejusdem mentio fit, ut aiunt, usque ad annum 1451.

XXVIII. Guibertus, vel Hymbertus *Boulay*, Castrobrientii natus, occurrit ab anno 1457. Anno 1464, ad Franciscum ducem breve quoddam Pii papæ II tulit, quo suspensa interdicti sententia in prædictum ducem edita ab Amalrico, Nannetensi episcopo; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 69. Memoratur usque ad annum 1471.

XXIX. Odetus de *Ripvière*, Rotonensis abbas, Buzaium in commendam administrandum suscepit, ut Sixti papæ testantur litteræ, datæ XIII aut XIV cal. Augusti 1474. Decessit ineunte anno 1492.

XXX. Petrus III *Gigan* electus est a fratribus Odeto mortuo. Carolus vero, rex Francorum, in fructus abbatiæ manus injecit, scrutinii legem amovens, et abbatis novi delectum ad se pertinere denuntians. Hujus contentionis exitus ignoratur. Litteræ regis ad judices Nannetenses de Petro ejiciendo datæ sunt 28 Martii 1492, forsitan 1493, secundum recentem usum; ex indice chartarum castri Nannetensis.

XXXI. Joannes IV *Bohier*, senator et præses in senatu Parisiensi, archidiaconus Nannetensis et abbas idem S. Gildasii de Nemore, reperitur anno 1494. Anno 1508, Nivernensis creatur præsul, obiturus 30 Julii 1512. Post ejus obitum in abbatiæ reditus rex manus injecit, 10 Augusti; apud *Padioleau*, Tract. de Jurisd. cameræ Comput., p. 63.

XXXII. Joannes V, anno 1519, regularis, ut opinantur, abbas.

XXXIII. Leo *Tissart*, canonicus Nannetensis, ab anno 1524. Fidem regi dedit 17 Novembris 1539, apud *Padioleau*, p. 114. Superstes erat anno 1543.

XXXIV. Carolus *de Lorraine*, annis 1552, 1553; ex abbatum catalogo.

XXXV. Henricus III *Clausse*, fidem regi dedit anno 1564.

XXXVI. Petrus IV *de Gondi* anno 1576; ex abbatum catalogo.

XXXVII. Henricus IV *de Gondi* abbas occurrit ab anno 1598. Idem Parisiensis episcopus fuit, abbasque S. Crucis Kemperlegiensis, S. Joannis Suessionensis, Calmæ et Coronæ. Vide supra, t. VII, col. 170.

XXXVIII. Joannes VI Franciscus Paulus *de Gondi*, cardinalis *de Retz*, Parisiensis archiepiscopus, Buzaium in commendam obtinuit anno 1622, et rexit usque ad annum 1675, quo cessit in gratiam sequentis.

XXXIX. Joannes VII Franciscus Paulus *Lefebvre de Caumartin*, antecedentem qui patrinum habuerat, abbas Buzaii renuntiatus est anno 1675. Plurimis postea ditatus beneficiis, Venetensem episcopatum inter alia obtinuit anno 1717, translaturus ad Blesensem 17 Augusti 1719. Buzaium non tamen dimisit, obiitque anno 1733, 30 Augusti. De eo non pauca inter episcopos Blesenses, t. VIII, col. 1344.

XL. Ludovicus *de Bourbon-Condé*, comes

Claromontanus, ab anno 1733 ad annum 1737.

XLI. Petrus V Augustinus Bernardinus *de Rosset de Fleury* creatus est abbas a rege, mense Julio 1737. Episcopus idem fuit Carnotensis. Quo decedente, anno 1780, a procuratoribus abbatiæ reditus percipiuntur usque ad annum 1789.

XLII. Joannes VIII Georgius *Le Franc de Pompignan,* ex archiepiscopo Viennensi fit abbas Buzaii anno 1789.

VILLA NOVA.

Villa Nova, juxta Nannetes, locus erat ad Hoellum, Britonum ducem, pertinens: quem, XI cal. Junii 1155, ut supra diximus, monachis Buzaii condonavit. Anno vero 1201, 25 Martii, Constantia, Alani comitis filia, postquam Cortmariam dictum prædium, Villæ Novæ proximum, ædificiis auxerat, eo Buzaio deductos ascetas transtulit, a quibus abbatia Cisterciensis institueretur; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 785. Eisdem, anno 1203, Hugo, Montis Acuti toparcha, nundinarum quotannis celebrandarum facultatem concessit. Mox autem Cortmaria monachis hospitandis parum conveniens visa est: ideo, annuente Guidone Thoarcensi, in aptiorem locum, quem ab eo tempore tenuerunt, Boteleriam quidem tunc nuncupatum, anno 1205 traducti sunt; ibid., p. 801. Dedicatur, anno 1225, Honorii papæ decimo, VIII cal. Decembris, Villæ Novæ basilica, præsentibus permultis Britannici tractus præsulibus.

Veterem abbatum catalogum exhibet Albor. Mant. codex 36.

ABBATUM SERIES.

I. Bertrandus I occurrit, anno 1203, in Buzaii tabulis; anno 1206, in chartul. S. Jovini de Marnis. Precum abbatiæ participes dixit, pridie S. Joannis-Baptistæ 1207, Theobaldum *Chabot* necnon ejus uxorem Olivam, qui plura abbatiæ dederant; ex Alborum Mantell. codice 36. Bertrandi obitum Moricius anno 1218 adscribit, sed perperam. Melius, ex abbatum Villæ Novæ catalogo, anno 1213.

II. Joannes I, anno 1215, a Guillelmo de Rezaio quædam accepit. Occurrit idem, anno 1216, in charta Stephani, Nannetensis episcopi, a filiis Haimerici de S. Medardo data confirmantis; ex Albor. Mantell. codice supra laudato. Annus præterea 1225 Joannis dicitur decimus, in charta quæ dedicationem abbatialis ecclesiæ memorat. Decessit anno 1235; e catalogo supra laudato.

III. Petrus I, ex abbatum veteri catalogo, eo obiit anno quo electus fuerat.

IV. Radulfus; ex eodem: qui decessit anno 1255, postquam per novem annos abbas fuerat.

V. Daniel, ex eodem, obiit anno 1260.

VI. Hugo electus et sepultus anno 1270.

VII. Thomas, post regiminis decem annos, obiit anno 1280, ad catalogi supra laudati fidem.

VIII. Alanus I; ex eodem. Qui decessisse memoratur anno 1294.

IX. Joannes II de Cadomo moritur anno 1318, post regimen trium et viginti annorum; ex eodem catalogo.

X. Joannes III de Balio decessit anno 1320.

XI. Joannes IV *Goué,* ab anno, ut videtur, 1321. Legitur, anno 1328, ante ducis tribunal compellens Girardum de Macheco- Ch. XV, col. 184.
lio qui Bellæ Riperiæ molem occupaverat. Petrus a Moricio perperam nuncupatur. Occurrit tandem, 29 Aprilis 1347, commutationem quamdam faciens; ex Albor. Mantell. codice. Quo anno decessit, ad catalogi prælaudati fidem.

XII. Joannes V *de Rezai,* decessit anno 1366, e catalogo, post regiminis annos novemdecim.

XIII. Alanus II *Berrai,* alias *Louvenan,* obiit anno 1384.

XIV. Joannes VI *Rayneau* obiit 1397.

XV. Joannes VII *Durand* paciscebatur cum Britonum duce, die 9 Julii 1403; ex archivo castelli Nannetensis, arm. *K.*, caps. *c.* Naturæ debitum persolvit anno 1407.

XVI. Joannes VIII *Rondeau,* per decem annos abbas, obiit anno 1417.

XVII. Petrus II *Maignen* obiit anno 1424.

XVIII. Nicolaus I *Govidu Branday* obiit anno 1441.

XIX. Joannes IX *de Carné* obiit anno 1456.

XX. Joannes X *d'Avaugon,* anno 1462, duci litteras apostolicas exhibet de suspensione interdicti. Obiit anno 1481.

XXI. Joannes XI *de Loyon* occurrit anno 1486.

XXII. Yvo I memoratur anno 1509; e serie domini Moricii.

XXIII. Bertrandus II *de Loyon* adfuit, anno 1539, comitiis Nannetensibus.

XXIV. Yvo II *de Kerbervet* fidem regi dedit, anno 1540; apud *Padioleau,* p. 119.

XXV. Philippus, cardinalis Boloniensis, anno 1543.

XXVI. Franciscus *Le Petit,* Andegavensis, jurabat coram rege anno 1551; apud *Padioleau,* p. 136.

XXVII. Martinus *Roger* ab anno 1558. Decessit anno 1571.

XXVIII. Guillelmus *Poeneau, Poyneau, Pineau,* vel *Paineau,* ex abbate Montis-Dei, in ecclesia Lexoviensi, translatus est Villam Novam anno 1571. Anno 1572, comitiis Britanniæ interfuit; ibidem clero præfuit, 25 Octobris 1574. Fidem regi dedit anno 1575;

quo eodem anno, 20 Novembris, ministravit Philippo *du Bec* Joanni, Pornidii abbati, benedictionis munus impertienti. Clero Britannico iterum præfuit, Nannetibus, 16 Martii 1578. Memoratur idem, 26 Martii 1588, sedens in comitiis Britannicis.

XXIX. Antonius *Bouguier* regi fidem juravit annis 1591 et 1599.

XXX. Blasius *Bouguier*, antecedentis e fratre nepos, vicarius generalis Cisterciensis ordinis in Britannia, adfuit comitiis anni 1614. Occurrit dein anno 1625, in tabulis S. Albini de Nemore.

XXXI. Bernardus *Largentier*, regularis abbas, decessit anno 1656.

XXXII. Nicolaus II *Paget*, ultimus regularium, interfuit comitiis Nannetensibus, anno 1663. Decessit anno 1677.

XXXIII. Joannes-Baptista *d'Estrées*, nepos Annibalis, marescalli Franciæ, litteris promotus regiis 3 Septembris 1677. Adfuit Venetensibus comitiis, anno 1691. Abbas idem S. Claudii, Pratelli et Ebronii. Creatus archiepiscopus Cameracensis anno 1716, decessit Lutetiæ 3 Martii 1718.

XXXIV. Nicolaus III Hubertus *de Montgault*, ab anno 1719. Idem abbas fuit Cartovori, et inter quadraginta sodales Academiæ Francicæ sedit. Obiit 15 Augusti 1746.

XXXV. N. *Lefèvre de Laubrière*, decanus Nannetensis, abbas creatur 23 Octobris 1746.

XXXVI. Claudius Franciscus *Lizarde de Radonvilliers*, et ipse in Academicorum Francicorum consessum cooptatus, obiit 20 Aprilis 1790.

MELLEREIUM.

Anno, ut videtur, 1142, Cistercienses quidam Pontis Octranni monachi Mellereii abbatiam in vico quem jam Mellereium nuncupabant, non procul a Castello Brientii, condidere. (Ch. vi, col. 175.) Eamdem *Ogée* necnon *Travers* fundationem anno 1132 adscribunt; sed perperam : ipsa enim Pontis Octranni abbatia anno 1134 instaurata comperitur. Alanus *de Maidon* locum dedit in quo prima Mellereii fundamenta posuere. Consummata tandem legitur ecclesiæ fabrica anno 1183, et, eodem anno, 7 Augusti, a Roberto, Nannetensi præsule, consecrata. Ea quidem domus, agris non admodum dives, octo tantum monachis sedes addicta est.

Abbatum veterem, ut videtur, catalogum præbet Alborum Mantellorum codex 36.

SERIES ABBATUM.

I. Guiternus, aut Guntarnus, primus abbas occurrit, anno 1142. Ejus votis annuens Eugenius papa confirmavit nascentis abbatiæ bona, cal. Novembris 1147; ex Alborum A Mantell. codice 36. Idem, annum circa 1151, prædium accepit a Pagano *de Maidon ;* Prob. Hist. Brit., t. I, col. 609. Legitur et impetrans ab Hugone de Martio villam dictam *de Meslerea ;* hujusce vero donationis charta notis caret chronicis.

II. Richardus a Geoffrido, filio Pagani, confirmationem accepit rerum quæ Paganus Guiterno dederat; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 609. Idem, ineunte anno 1169, Redonibus aderat synodo, in qua Stephanus episcopus litem sopivit inter Redonense capitu- B lum et monachos S. Melanii; ibid., col. 659.

III. Petrus I; ex Alborum Mantellorum codice supra laudato.

IV. Geoffridus I, frater Rainaldi de Bello Monte, cujus chartæ subscripsit quinque solidos censuales monachis Mellereii concedentis, impetrabat, anno 1177, a Guihenoco domum Ancenisii sitam; ex Alborum Mantellorum codice 36. Anno 1183, Robertus Nannetensis et Guihenocus Venetensis Mellereium deveniebant, et, adstante Geoffrido, ecclesiam abbatiæ novam consecrabant. Ad- C fuit et Bonus Abbas de Rogeio, qui Geoffrido contulit quotquot decimas possidebat S. Albini de Castellis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 696. Eidem, anno 1191, in octava Paschæ, viginti solidos annuos dedit Olivarius de Castro Fromundi; e codice supra laudato. Testis tandem fuit, anno 1192, Herberti, Redonensis episcopi, et Mainerii, Salmuriensium abbatis, de procuratione paciscentium.

V. Haymo vineam accepit, anno 1196, ab Yvone de Jallia, et a Geoffrido, Castri Brientii domino, centum solidos annuales, in præsentia Mauricii, Nannetensis episcopi, D ante scilicet 29 Novembris 1197. Eidem concessit Guillelmus *de Teille* decimam *Cornud.* Testis fuit, anno 1201, datorum Buzaii monachis a Guillelmo *de Syun*, et ab Harscoidio, Radesii domino. Anno 1212, litem composuit inter monachos Pontis Octranni et Geoffridum de S. Martino. Anno denique incerto, Geoffrido quidem ecclesiam Nannetensem regente, ab Olivario Castri Fromundi plures decimas accepit; e Pontis Octranni chartul.

VI. Stephanus I post Haymonem; ex Albor. Mantell. codice 36.

E VII. Andreas, anno 1218, sedente Nannetibus Stephano episcopo.

VIII. Rainaldus; ex Albor. Mantell. codice 36.

IX. Matthæus; ex eodem.

X. Joannes I pactus est, anno 1259, cum Reinerio, senescallo Nannetensi.

XI. Robertus; ex Albor. Mantell. codice.

XII. Yvo, anno 1282, judex litis inter Castri Brientii et Ancenisii toparchas.

XIII. Guillelmus I, anno 1283, concessit canonicis Omnium Sanctorum, Andegavi

degentium, decimas quas habebat in parœcia Verensi; apud *Housseau*, t. XIII. Occurrit in schedulis annorum 1290, 1291, 1292.

XIV. Geoffridus II; ex Albor. Mant. codice.

XV. Radulfus; ex eodem.

XVI. Daniel; ex eodem.

XVII. Dionysius; ex eodem.

XVIII. Joannes II, anno 1347, paciscens occurrit cum Geoffrido, Ancenisii domino.

XIX. Petrus II, anno 1379, jurgium composuit inter monachos Pontis Octranni et Panis Pontis canonicos.

XX. Olivarius; e domestico catalogo.

XXI. Guillelmus II, anno 1405; e variis chartulis.

XXII. Joannes III, 1413, 1430.

XXIII. Joannes IV *Labourel* primus mitra honestatus est. Decessit anno 1460.

XXIV. Joannes V *Le Verrier* electus anno 1460. Occurrit anno 1461, in tabulis quas contraxit *de Gaignières*, num. 659. Abbas B. Mariæ de Precibus electus est anno 1475.

XXV. Carolus *Gaignart* reperitur apud Moricium, 6 Aprilis 1464. Unde conjicit antecedentem munere semet eo anno abdicavisse. Huic vero conjecturæ adhærere non tutum. Erronea ergo videtur hujus Caroli mentio, nisi ab anno 1475 per menses aliquot abbatiam rexerit.

XXVI. Guillelmus III *Moricet* occurrit ab anno 1478 ad annum 1487.

XXVII. Guillelmus IV *Bouquerel* electus anno 1487. Superstes reperitur anno 1495.

XXVIII. Franciscus *Mellet*, anno 1510.

XXIX. Petrus III *de la Haye* ab anno 1520. Anno 1529, paciscebatur cum monialibus Ronecreii de quodam prædio; apud *Housseau*, t. XII. Sedit in comitiis Nannetensibus, anno 1539, et juramentum coram rege fecit anno 1540.

XXX. Stephanus II *de Brezé*, protonotarius apostolicus et Delphino a secretioribus consiliis, commendatariorum primus fuit. Fidem regi dedit anno 1544.

XXXI. Adrianus *de Boucard*, anno 1551.

XXXII. Jacobus *de Savonnières*, filius Joannis *de la Bretesche* et Olivæ *de Mathefelon*, anno 1556. Vacans abbatia legitur anno 1559; apud *Padioleau*, p. 158. Idem abbas erat Caduini, fraterque Mathurini, Baiocensis episcopi, necnon Joannæ, Cordilionis abbatissæ.

XXXIII. Ludovicus *du Buat*, alias *Buet*, ab anno 1570. Sedebat, 26 Julii 1574, in comitiis Redonibus habitis. Regi fidem dedit anno 1575. Præfuit clero in comitiis annorum 1575 et 1583, decessurus Augusto mense 1590.

XXXIV. Joannes VI *Juhel*, major vicarius ecclesiæ Venetensis, creatus abbas anno 1590, se regi fidum juravit anno 1594. Aderat comitiis Redonensibus, 18 Maii 1598.

XXXV. Joannes VII *Giraud*, doctor decretorum et canonicus Nannetensis, se sacramento regi obligabat annis 1602, 1617. Idem sedebat in comitiis annorum 1609 et 1623.

XXXVI. Claudius *Herlat*, doctor theologiæ et canonicus Nannetensis, occurrit annis 1626, 1628.

XXXVII. Antonius *Binet de Montifrai*, archidiaconus Nannetensis. In comitiis Vitreii occurrit, anno 1671. Decessit anno 1689.

XXXVIII. Michael Joannes-Baptista *Olier de Verneuil*, renuntiatus abbas 24 Decembris 1689, adfuit comitiis Venetensibus anno 1691, et sedem tenuit usque ad annum 1738.

XXXIX. N. *Boulain* ab anno 1738 usque ad annum 1754.

XL. N. *Leborgne de Kermorvan*, frater Trecorensis episcopi, ab anno 1754.

XLI. Renatus Augustinus *Le Mintier*, Trecorensis præsul, ab anno 1776 ad annum 1790.

ECCLESIA CORISOPITENSIS.

Corisopitum civitatem, in agro Armoricano, inter præcipuas urbes tertiæ Lugdunensis recenset vetus Galliarum Notitia quam Sirmondus edidit. Eademne aliis in pergamenis Consulitum, vel, in secundo Commentariorum libro, Curiosolitum urbs nuncupata? Ambigua res est : quidam enim inter Curiosolites et Corisopitenses nullum interesse discrimen asserunt; alii vero perantiquam Curiosolitum civitatem *Corseul* interpretantur, vicum Dinanno contiguum, in Macloviensi diœcesi. Unde cæteri conjecerunt vicum hunc *Corseul*, qui plurima nunc etiam Romanæ occupationis vestigia exhibet, episcopalem olim sedem fuisse, eamque a Cornogallensi, vel Cornubiensi episcopatu prorsus differre dixerunt. Ut ut ea se res habuit, ab undecimo certe sæculo iidem episcopi Corisopitenses vel Cornubienses veterum in tabulis memorantur, nec dubium est eosdem in urbe nunc *Quimper* appellata consedisse (1). Hunc nos morem sequemur : de quo si deflecteremus, inexplicabilis sermo noster esset. Eorum tandem rejicienda videtur conjectura, qui Ossismios, Oceano quidem finitimos, eosdem ac Corisopitenses Curiosolitesve fuisse contendunt. Ossismios enim, quorum Cæsar, Pomponius Mela Straboque meminere, a Corisopitensibus expresse discernit Notitia quam Sirmondus edidit præ laudata, et Felicis insuper, Corisopitensis episcopi, Liberalisque Oximensis, vel Ossismiensis, aperta distinctio legitur in Indiculo de gestis Nomenoii tyranni, quem post eumdem Sirmondum domnus *Bouquet* publici juris fecit; Rer, Gall. Script., t. VII, p. 288. Urbs tandem *Quimper* non semel *Aquilonia civitas* undecimo sæculo decurrente dicitur. Summam ejus administrationem principio comites habuere. Eamdem postea Britonum duces sibi vindicavere, dumque de ducali corona inter æmulos decertaretur, sævam obsidionem, dein expugnationem sæviorem experta est.

Cornubiensis, quem postea Corisopitensem vocaverunt, episcopatus, quinto decurrente sæculo institutus memoratur. Nec desunt de primis hujus ecclesiæ pastoribus priscorum diptychorum testimonia; ea vero, ut infra dicendum, admodum dubia, quorum fidem rara diplomata tuentur, infirmant plura. Amplum quondam fuit Corisopitensis diœcesis territorium : postea vero, ut Trecorenses Briocensesque proprios episcopos habuere, arctioribus terminis contractum est. In eo quidem, sub exitum postremi sæculi, 173 parochiæ, 90 viculi, 3 ecclesiæ collegiatæ, 6 virorum abbatiæ, puellarum 1, 6 virorum conventus, monialium 8. Cathedralis ecclesia, S. Mariæ et S. Chorentino præsuli sacra, temporis injuria fatiscebat, cum, 26 Julii 1424, ædificii novi Bertrandus episcopus fundamenta posuit. In capitulo cathedrali sex dignitates, decanus scilicet, archidiaconus Cornubiæ, cantor, thesaurarius, archidiaconus *Pochaër*, et theologus; in eodem insuper undecim canonicorum præbendæ. Non autem separatim de Corisopitensibus decanis, seu de primo Corisopitensis capituli munere, infra disserendum. Id enim munus (2) implevit abbas B. Mariæ *de Daoulas*, qui proximus episcopum in cærimoniis sequebatur, et sub eodem aulæo sedebat.

(1) His de jurgiis, inter hodiernos scriptores, fuse disseruit D. *Bizeul*, in libellis quorum tituli sunt : *Alet et les Curiosolites*, et *Des* Osismii.

(2) Ante conditam B. Mariæ abbatiam Corisopitenses inter decanos, ut videtur, recensendi : Martinus, anno circiter 854, ex chartula *Hepuvon* pro Landevenecho; Guigonus, frater Benedicti, Corisopitensis episcopi, undecimo sæculo desinente, in litteris Budici Kemperlegio *les Vinadou* conferentis; *Roderch*, anno 1112, in litteris Benedicti præsulis pro eisdem Kemperlegiensibus.

EPISCOPI CORISOPITENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Chorentinus.

Primus inter Cornubienses episcopos Chorentinus in veterum indicibus nuncupatur. Eumdem nonnulli opinantur ac Chariatonem, tertiæ Lugdunensis episcopum, ad quem, anno circiter 453, missa Leonis, Victurii et Eustochii epistola de tuendo quoad res ecclesiasticas episcoporum jure, quique, eo anno 453, Andegavensi concilio interfuit. Verum enim vero nullam de temporibus S. Chorentini fidem facit ejus Vita, quondam ab anonymo conscripta. Nam tot scatet mendis, tot inter se pugnantibus commentis, ut ferme despicienda domno *Lobineau* visa sit.

ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI

II. S. Guennocus.

Innotescit *S. Guennoc* e veteribus Corisopitensis ecclesiæ tabulis. Eumdem vocant Suenum, Gueneganuum, Conoganum, Venecandum et Venerandum. Venerandus enim quidam, alias Verandus, incertæ sedis episcopus, Jucundinum misit, anno 461, ad concilium Turonense primum. Alii tandem autumant *Albinum* Latinorum lingua idem quam *Guennoc* idiomate Britonum exprimere; isque Albinus anno circiter 462 in Venetico concilio reperitur. Tot dubia solvere non licuit.

Post *S. Guennoc* Litharedum, episcopum Ossismiorum, qui sedit anno 511 in Aurelianensi concilio, nonnulli collocant. Eumdem antecessores nostri alia conjectura Sagiensibus episcopis annumeravere; sed perperam, ut videtur, Ægidio Menagio teste. Qui potius inter episcopos Leonensis agri ponendus. De Lithared quidem nulla in Cornubiensibus tabulis mentio reperitur; in eis vero post *S. Guennoc* leguntur S. Allorus, *Bundic*, *Gunthebed*, *Harnotaothen*, alias *Harnguethen*, *Morguethen*, *Tremerun*, *Ragan*, *Salamun*, *Abaret*, alias *Alvret*, *Golohet*, alias *Culhoet*, nuda nomina, et barbarum æque sonantia. S. Allorum *Déric* admisit, cujus obituaria nomen præbent 26 Octobris; cæteros autem rejecit, ut quorum non alia Cornubiensis ecclesiæ monumenta meminerint. Post Allorum quidam alii S. Renanum, S. Chorentinum numero secundum, S. Menulfum, S. Alanum Davidemque recensuerunt, quorum gesta veteres hagiographi tradidere. Num autem firmior hagiographis quam dipthycis fides adhibenda? Moricius seriem alterutram eodem calami signo interlevit, dubiisque nominibus certiora, ut ea authentica diplomata præbent, subdidit. Quo duce adeo obscurum iter ingredi placet. Animadvertendum vero quod nomina diptychorum diplomatumque plura quamdam inter se similitudinem habeant.

III. Felix.

Memoratur Felix anno 835, in vita S. Con-
746 woioni. Annum circa 846, cum Nomenoius, dux Britanniæ, regis munus et nomen affectaret, episcopos suæ ditionis, veluti simoniæ reos, in cœtum coegit a testibus accusandos. Hi judicem papam postulaverunt. Itaque missus est Romam Felix, cum Susanno Venetensi et Conwoiono Rotonensium abbate: qui responsum a papa nimis ambiguum tulerunt. Illis diem alterum dedit Nomenoius anno 848, et rursus auditos e sedibus ejecit. Felix ad Carolum regem exsul confugit. Quidam ejusdem nominis episcopus reperitur, anno 859, in concilio Tullensi. Eum domnus *Bouquet* Cornubiensem antea sedem tenuisse conjicit; Rer. Gall. Script., t. VIII, p. 583. Nihil quidem obstat quin huic conjecturæ adhæreamus. Tota via tamen aberrare *Déric* videtur, qui Felicem, anno circiter 859, Cornubiensi cathedræ a Salomone duce redditum asserit; Hist. Eccl. Brit., t. II, p. 412.

IV. Anawetenus.

Aneweten, *Huarnuethen*, is forsan quem veterum tabulæ *Harnguethen* nuncupavere, nominatur, anno 853, in charta Erispoi, 853
Britonum principis, qua liberæ jus electionis monachis Rotonensibus conceditur. Idem, anno 854, discordantibus tamen chronicis notis, probavit *Hepwou* Landevenecho ecclesiam *Saincts* condonantem; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 337. Anno 860, Salomonis tertio, Salomonis litteris subscribit quibus Rotono datum Agulacum in agro *Fulkeriac*; ibid., col. 300.

Anawetenum et Huarnuethenum *Déric* distinxit, et duos ex uno præsules finxit. Mendam hanc denuntiare satis est.

V. Salvator.

Una cum Budico, Cornubiæ comite, subscripsit Salvator chartæ qua *Junargant*, nobilis matrona, Landevenecho villam *Dineule* largita est; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 338.

VI. Benedictus I.

Filius Budici comitis, Benedictus reperitur, anno circiter 906, in Budici chartula villam *Edern* Landevenecho condonantis; ibid. Ad eumdem spectare plures putant quæ Lethaldus, Miciacensis monachus, sub annum circiter 940, de Benedicto quodam Britonum episcopo tradit, quæque jam supra relata sunt, t. VIII, col. 1530.

Post Benedictum Moricius Blenlivetum et Josephum ponit. Blenlivetus sub id temporis in Venetensi cathedra reperitur. De Josepho nihil certi comperimus. Argumentum vero quod Moricius adducit, ut eum Blenliveto in Cornubiensi cathedra successisse comprobet, omni fide caret.

VII. Salomon.

Salomon, incertæ sedis episcopus, occurrit, cum Hesdrenno Nannetensi, anno 958, in episcoporum conventu Verrore habito; Prob. Hist. Brit., t. I, p. 346. Is est forsitan qui *Salanum*, alias *Salamun*, in veteribus Corisopitensis ecclesiæ tabulis nuncupatur.

VIII. Horatius.

Horatius, Sammarthanis ignotus, occurrit, v cal. Augusti 990, in litteris Conani du-

ANNI CHRISTI

cis pro monasterio S. Michaelis in Periculo
maris; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 351.

IX. Benedictus II.

Episcopus et comes Cornubiensis, Benedictus in pluribus chartulis memoratur. Quin etiam hæc duo munera simul administravit, ut constat diversis e decretis quibus ecclesiam *Kernorlizan* monialibus B. Mariæ, et capitulo S. Chorentini villam *Kaereri* tradidisse legitur. Quinque liberos habuit, inter quos Alanum comitem, Guehenocum et Orscandum recensere satis est. Infulas postea deponens, Orscandum supra memoratum episcopatu donavit, anno circiter 1022.

X. Orscandus.

Orscandum Benedicto successisse patet ex
eo quod subscripsit ejus litteris de loco *Tref-*
Julit abbatiæ S. Gingualoei tradito; Prob.
Hist. Brit., t. I, col. 347. Memoratur Orscan-
1029 dus, anno 1029, abbatem Kemperlegii pri-
mum Gurloesium consecrans; ibid. col. 366.
Vicit, anno 1030, comes Alanus turmas Re-
donenses quæ Cornubiam invaserant: quam
ob victoriam Deo grates agens, Orscando sua-
dente, Kemperlegiensibus tradidit ecclesiam
S. Ronani, peractæ stragis testem; ibid., col.
368. Idem sub eumdem annum memorat
Briocense Chronicon. Subscripsit Orscandus,
anno, ut opinantur, 1032, chartæ fundatio-
1037 nis S. Georgii Redonensis, et, anno 1037, in-
strumento satis notabili, quo filius Berengarii
Huelin Kemperlegio largitus est insulam *Tan-*
guethen. Episcopales etsi gerens infulas Or-
scandus uxorem duxit, filiam nempe *Rivelen*
de Croozon. Quod testatur Guillelmus epi-
scopus, paciscens de possessionibus ecclesiæ
Corisopitensis cum Constantia, Geoffridi
ducis vidua; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 376.
Prædictus insuper Guillelmus refert locum
S. Mariæ sacrum a comitissa Juditha occupa-
tum fuisse, ob id scilicet quod ei ecclesiam S.
Chorentini adeunti non assurgens, debitum
comitis uxori morem uxor episcopi junioris
negaverat. Orscandi præsulis uxori legitimæ
nomen erat *Owen*, ut legitur in chartula de
villa *Kaerconnum*. Sentiens mortem Ors-
candus, ecclesiæ suæ tradidit, in commune
canonicorum stipendium, tertiam partem
decimæ *Brisiac*, et « terram trium mensura-
rum mellis, » nomine *Kallastruc;* quibus
junxit prædium nomine *Bo-Locooc;* ibid.,
col. 378. De cujus decessu infra scripta de-
sumuntur e chartulario Kemperlegiensi :
« Vixit consul Alanus, cognomento *Cainard*,
« postquam construxit abbatiam in honore
« S. Crucis apud *Kemper-ele*, xxx annis,
« et mortuus est. Post mortem vero comitis
« et domini sui, religiosa comitissa Judith
« vixit sex annis, sepultaque jacet in ecclesia

A « S. Guingaloei. Sequenti quoque anno, vir
« venerandus Orscandus episcopus univer-
« sæ carnis viam ingressus est; ibid., col.
« 366. » Conditum Kemperlegiense monasterium anno 1029. Obiit igitur Orscandus anno 1065. Non enim, e laudatis chartularii Kemperlegiensis verbis, Orscandum anno sequente post Alanum decessisse conjicias. Legitur nempe, apud Moricium, col. 378, Orscandus a *Juzeth*, aut Juditha, novissimum exhalante spiritum, centum solidos, viginti equas, totidem boves, villasque nonnullas accipiens. Gurhedenus monachus, a chartu-
B larii Kemperlegiensis fide parum deflectens,
Orscandi decessum anno 1064 adscribit.

XI. Benedictus III.

Veterum tabulæ necnon Sammarthani fra-
tres Benedictum Orscandi præsulis filium,
Alani comitis e fratre nepotem memorant :
eumdem ex Alano comite genitum alii dixe-
runt. Posterior autem opinio falsa est. Jam
enim supra de Benedicto, Alani comitis
filio, inter episcopos Nannetenses disse-
ruimus. Adverte præterea quod Benedictus,
C abbas S. Crucis idem et episcopus Nanneten-
sis, ab altero Benedicto, Corisopitensi præ-
sule, in multis diplomatibus aperte distin-
guatur. Benedictus tandem Orscandi *patris*
sui successor, remotis quibuscumque verbo-
rum ambagibus, dicitur in chartula de villa
Kallastruc. Hic, calendis Augusti 1088, lit- 1088
teris Constantiæ comitissæ, ab Alano con-
juge Kemperlegio data confirmantis, sub-
scripsit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 464. Anno
1105, testis fuit Benedicti Nannetensis, re-
gulares canonicos in ecclesia S. Medardi in-
stituentis. Anno tandem, ut videtur, 1112,
D ingravescente corporis ægritudine, Kemper-
legiensibus monachis villam quamdam pro-
priam concessit; ex Albor. Mant. cod. 45,
p. 230. Obiit anno sequenti, 2 Januarii; e
variis obituariis.

XII. Robertus.

Robertum Nicolaus *Travers* conjecit ex archidiacono Nannetensi sæculari militiæ nomen dedisse, postea eremiticam vitam Lucuviæ, rustice *Locuvan*, suscepisse, denique Nannetensem cathedram anno 1110, et Cori-
E sopitensem anno 1112 conscendisse. His autem conjecturis adhærere non licet. Benedictus enim, Corisopitensis præsul, anno, ut diximus, 1113 decessit. Unde Robertus Nannetensem cathedram usque ad hunc annum tenuisset. Briccius autem anno 1112 Nannetibus reperitur. Si quis igitur Robertus Nannetensis præsul exstitit, ab eo distinguendus est qui Corisopitensem ecclesiam rexit post annum 1113. E diptychis vero Cornubiensibus, hic revera ex eremo Lucuviensi ad

ANNI CHRISTI

Corisopitensem cathedram accessit. Anno 1117, coram summo Pontifice Kemperlegiensium causam tuens super insula *Guedel*, a Girardo legato litteras accepit quibus materia litis Kemperlegiensibus adscripta est. Eodem anno, Robertus testis fuit Guillelmi, Pictaviensis episcopi, monialibus S. Sulpicii ecclesiam B. Magdalenæ de Fulgerosia concedentis.
1118 Turones venit anno 1118, deditque monachis Majoris Monasterii ecclesiam S. Tutuarni, necnon et propriam domum quam idiomate vernaculo Britones *Hamoth* dicebant. Quo et anno testis fuit, Rotoni, Conani ducis, Bellam Insulam Kemperlegiensibus monachis restituentis. Confirmavit, anno 1124, monialibus S. Sulpicii prioratum S. Mariæ, Locmariam nuncupatum. Idem postea memoratur, v cal. Februarii 1126, vel 1127, secundum recentem calculum, in Kemperlegiensibus tabulis, audiens *Kenou*, filium *Duenerth*, monachis prædium *Gleudaern* largientem. Eo anno 1127, 23 Octobris, Hildeberto ministravit majus altare Rotonensis basilicæ consecranti. Tandem, anno 1128, interfuit concilio Dolensi; Prob. Hist. Brit.,
1130 t. I, col. 558. Obiit Robertus anno 1130; e Chronico Gurhedeni monachi.

XIII. Radulfus I.

Reperitur Radulfus anno 1140 in chartula quadam Kemperlegiensi. Annos inter 1142 et 1145, adstantibus sedenim Guillelmo, Cenomanorum pontifice, et Odone, S. Vincentii abbate, Cenomani Radulfus percelebri synodo interfuit, in qua Droco Mala Musca super ecclesia S. Medardi cum Culturensibus pactus est. Idem, 25 Martii 1151, interfuit Andegavi recognitioni corporis S. Renati.
1152 Mense Septembri 1152, monialibus S. Sulpicii prioratum Locmariensem confirmavit. Confirmavit idem Majoretanis, anno incerto, ecclesiam S. Tutuarni. Obiit iv non. Martii 1158, e chronico Kemperlegiensi, et sepultus est in Langonii capitulo.

XIV. Bernardus I.

Bernardus, *Moelan* natus, in Corisopitensi territorio, Carnotensis tamen ecclesiæ cancellarius, anno 1159 ordinatur; e supra laudato Chronico. Occurrit anno 1161, arbiter sedens controversiæ inter monachos Kemperlegienses exortæ et canonicos ecclesiæ Nannetensis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 644.
1164 Testis idem fuit, anno 1164, Odonis comitis plura Majori Monasterio condonantis; ibid. col. 653. Anno 1166, Confluentiam deveniens, probavit, in ecclesia S. Chorentini, jura monachis Kemperlegiensibus jam ab
Ch. vi, col. 196. Orscando, Benedicto, Roberto Radulfoque data. Quo et anno subscripsit litteris Guillelmi, Carnotensis electi, litem dirimentis

A inter Hugonem Castridunensem et Ivonem Novigenti priorem. Legitur tandem litteras laudans, quibus, anno incerto, Conanus dux S. Crucis Guingampensis possessiones stabiliverat. Obiit anno 1167; e chronico Kemperlegiensi : die 2 Augusti, ut plerique memorant, e martyrologio Carnotensis ecclesiæ. Eum Corisopitensia diptycha *bonum clericum tempore suo* nuncupant.

XV. Geoffridus I.

B Geoffridus, anno 1170, litteris Conani ducis pro S. Michaelis monasterio subscripsit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 662, Eodem, ut videtur, anno, ejusdem Conani, abbatiam S. Mauricii condentis, diploma laudavit. Præsens insuper memoratur in tertio Lateranensi concilio. Obiit anno 1184; ex Appendice Roberti de Monte, apud Rer. Gall. Script., t. XVIII, p. 337. Sammarthanis vero 13 Augusti 1185 extremum diem clausisse visus est. 1170

XVI. Theobaldus I.

C E monacho, ut aiunt, Kemperlegiensi Theobaldus Geoffrido sufficitur. Anno 1187, electus etiam tunc, nondum igitur consecratus, litem inter Macloviensem episcopum et abbatem Majoris Monasterii, jussu domini papæ diremit; e chartul. Majoretano. Majus Monasterium ipse devenit, anno 1190, ubi Nivelonem de Nerleio cum monachis paciscentem audivit; ex eodem. Obiit, e Sammarthanis, 18 Maii 1192.

XVII. Guillelmus I.

D Electus est Guillelmus anno 1192, mense forsitan Junio, ut constat ex ejus charta super augendis capituli reditibus, has quæ notas præbet : « Anno gratiæ MCCXVI, mense « Maio, pontificatus autem nostri vicesimo « quarto ; » in Max. Par. Biblioth., Chartul., num. 31, fol. 5. Idem testantur ejusdem litteræ, quarum Moricius meminit, de rebus ecclesiæ S. Renani datis. Subscripsit, anno 1204, litteris Guidonis de Thoarceio cum monachis Kemperlegiensibus paciscentis. Eodem anno, edictum promulgavit de rebus E S. Michaelis monasterio datis a Roberto, Alani filio. Anno 1208, plures Guillelmus locos et plura jura dedit monachis B. Mariæ de *Daoulas*, Prob. Hist. Brit., t. I, col. 837. Quo etiam anno, nonnulla capitulo Corisopitensi, ut ipsi justa annuatim solverentur, largitus est; e chartulario supra laudato, fol. 9. Ex hac luce migravit 15 Decembris 1218; tam e vetere chronico, quam ex obituario Landevenechi. 1192

ANNI CHRISTI

XVIII. Ranulfus.

Electus est Ranulfus, alias Renoldus, aut
Raimaldus, anno 1219. Quo anno, nondum
ut nos charta docet ordinatus, pepigit de ju-
ribus cum *Cadoret,* presbytero, ecclesiam
Moelou curante, et cum Guidone, Alani filio;
inter Chartularia quæ servat Max. Paris. Bi-
blioth., cod. 31, fol. 1. Ordinatus dicitur Fe-
bruario mense 1220. Lege 1221, nam Julio
mense 1220, die Veneris aute festum B. Mag-
dalenæ, electus etiam tum vocatur in chartula
qua reditus auget Corisopitensis capituli.
Die Veneris post Assumptionem B. Mariæ
1223 1223, tres capitulo præbendas adjunxit;
Prob. Hist. Brit., t. I, col. 850. Eodem anno,
secundum veterem computum, nempe die
Martis post Epiphaniam, pactus est super
ecclesia S. Tudii, tam cum Herveo de Ponte
quam cum abbate S. Gildasii Ruiensis. Inter-
fuit, VIII cal. Decembris 1225 consecrationi
1228 Villæ Novæ. Anno 1228, die festo B. Catha-
rinæ, cum in eo esset ut iter faceret ad S.
Nicolaum de *Bari,* plura canonicis legavit, ut
memoriam suam annuis precibus cohonesta-
rent; ex eodem chartul., fol. 42. Inchoavit
anno 1233 cœnobium Corisopiti Francisca-
num. Magna inter eum et Landevenechi mo-
Ch. IV, col. 190. nachos dissidia : de quibus, anno 1233, Gre-
gorius papa ad episcopum Macloviensem
Ch. V, col. 191. scripsit. Anno tandem 1236, inter se solen-
nem compositionem fecere. Anno 1239, pa-
ciscitur cum abbatissa S. Sulpicii Redonen-
sis, de procuratione a monialibus B. Mariæ
solvenda. Eodem quoque, in octava Ascen-
sionis B. Mariæ, fatiscentem S. Chorentini
basilicam restaurari jussit, et in susceptum
opus plurimarum ecclesiarum fructus con-
1242 tulit; ibid. Auxit, anno 1242, decaniæ redi-
tus. Quo et anno, XV cal. Maii, possessiones
Bonæ Quietis confirmavit. Rursus addixit
Ranulfus, mense Julio 1243, capitulo Coriso-
pitensi terram *Lanueloc* sitam; e Chartular.
56, fol. 18. Eo etiam anno, subsidium con-
cessit Juhello metropolitæ Romanum iter in
consiliis habenti; ibid. Decessit III non. Maii
1245, ex obituario fratrum Minorum Coriso-
pitensium; V non. Maii, eodem anno, e ne-
crologio B. Mariæ de *Daoulas.*

XIX. Hervæus.

Hervæus, e vico quem *Landeleu* vocant
1245 oriundus, eligitur anno 1245. Quo anno,
secundum veterem computum, die scilicet
Sabbati post Conversionem S. Pauli, char-
tam edidit de denariis a Daniele, *Anbols*
filio, traditis; inter Chartularia Max. Paris.
Bibl., num. 31, fol. 9. Aberat tamen mense
Martio, secundum eumdem computum, ut
testantur litteræ capituli pangentis cum Guil-
lelmo *de Polgelou.* Corisopitenses forte fines
consecrandus transiverat. Anno 1253, idibus

A Maii, ab Innocentio papa litteras accepit,
quibus inter eum et Kemperlegienses mona-
chos controversia de plurimis juribus sopita.
In eis vero litteris Henricus perperam nun-
cupatur. Ipse chartam edidit, Augusto mense
1246, de rebus ecclesiæ Corisopitensi tradi-
tis a Guillelmo *Godoc,* canonico; e chartul.
supra laudato, fol. 10. Inter Hervæum et
monachos S. Crucis de Kemperlegio acerba
lis de quarumdam ecclesiarum patronatu :
quam anno 1250, III idus Maii, mandato do-
mini papæ solvit Petrus, titulo S. Marcelli
cardinalis; e chartul. prælaudato, fol. 30.
B Decessit Hervæus, 9 Augusti 1260, et sepul- 1260
tus est in medio cathedralis ecclesiæ choro,
cum hoc epitaphio :

Hic jacet magister Hervæus de Landeleu, quondam episcopus Corisopitensis, qui decessit in vigilia B. Laurentii martyris, anno 1260 :

Hervæus cineri datus est, laus normaque cleri,
Cum cura celeri solitus sua jura tueri.
Qui legis hæc ora requiescat hic, et tua plura
Crimina commemora, sic eris absque mora.

Chronicas hujus epitaphii notas quoad
C diem confirmant litteræ Guidonis de anni- Ch. VII, col. 197.
versario antecessoris sui celebrando; ejus-
dem vero annua commemoratio 8 Augusti
celebrabatur in ecclesia B. Mariæ de *Daou-
las.*

XX. Guido I.

Electus est Guido anno 1261, ut comper- DE PLOUNEVEZ.
tum habemus ex ejus litteris de justis Hervæo
defuncto annuatim persolvendis; has enim
exhibent notas : « Anno Dom. MCCLXIII,
« mense Augusti, pontificatus nostri anno 2. »
D Transegit de pluribus juribus, Octobri mense Ch. XI, col. 193.
1262, cum Eveno, Kemperlegiensium abbate.
Mense Maio 1264 cum capitulo composuit de 1264
præsentando administratore Domus Dei; e
Chartul. 56, fol. 34. Occurrit eodem anno in
tabulis Majoretanis. Quo etiam obiit, IV idus
Julii; e necrologio fratrum Minorum Cori-
sopitensium. Obitum autem ejus falso Mori-
cius adscribit anno 1266 : nam anno 1267,
2 Maii, cum Corisopitensi capitulo de variis
reditibus pactus est.

XXI. Yvo I.

E Vir Yvo bonæ vitæ, ut in veteri Corisopi- CABELLIC.
tensis ecclesiæ catalogo legitur, jam sedebat
die Veneris post synodum S. Lucæ 1267, 1267
quo Guidonis nuper defuncti supra memo-
ratum de quibusdam reditibus decretum lau-
davit. Aliud decretum edidit anno 1275,
de rebus capitulo datis ab Henrico, cantore
Briocensi; in Max. Paris. Biblioth., Chartul.
31, fol. 42. Eodem anno, probavit anniver-
sarium Petri de Roma, canonici. Die Jovis

ANNI CHRISTI

post festum Omnium Sanctorum 1276, Yvo cum Joanne duce de prædio juxta *Kaernanten* pactus est; e cod. Regio 8357³, f. 43. Assensum præbuit suum, die lunæ post Purifica-
1278 tionem B. Mariæ 1278, Henrico Toro, canonico, anniversarium suum condenti; e Chartular. 56, fol. 26. Incertus quidem est annus quo ad alteram vitam Yvo transierit. E dictis vero satis patet quod nulla fides adhibenda sit necrologio B. Mariæ de *Daoulas*, obitum ejus V id. Martii 1276 collocanti. Verius, ut videtur, a Sammarthanis anno 1280 decessisse memoratur.

XXII. Evenus.

DE LA FOREST. Yvone defuncto, canonici convenere: quorum pars major Guillelmum de Locmaria, archidiaconum Pochaeriensem, elegit; minor Evenum, Corisopitensem canonicum. Hi vero quibus acceptus erat Evenus Guillelmo morem detrectaverunt, eumque legis contemptorem asserentes, utpote qui simul diœcesana duo munera, absque Romanæ sedis auctoritate, detineret, dominum papam
Ch. VIII, col. 197. appellaverunt. Re vero pendente, Guillelmus debitum naturæ persolvit. Evenum tunc
1283 bullis Martinus IV donavit, II id. Maii 1283. Qui eodem anno confirmatur, die Dominica post festum B. Clementis. Ejus de gentilitio nomine non ambigitur; nuncupatur enim Evenus de Foresta, canonicus, anno 1278, in litteris de Henrici Tori anniversario. Ille, die Jovis post synodum S. Lucæ 1284, cum Joanne, abbate Landevenechi, de quadam
Ch. IX, col. 198. domo transegit. Anno 1286, decanatum *Capcavall* dictum suppressit. Decessit 14 Martii 1290, secundum recentem usum, ut comperimus e litteris capituli Corisopitensis ad Burchardum, Turonensem archipræsulem.

XXIII. Alanus I.

MOREL. Electus est Alanus die Jovis ante Pascham 1290, et consecratus circa Februarium mensem 1291. Quo et anno ipse interfuit consecrationi Guillelmi Majoris, Andegavensis
1293 episcopi. Anno 1293, sancivit capituli Corisopitensis decreta de præsentatione vicariarum; e Chartul. 51, fol. 25. Die Veneris post festum B. Chorentini 1295, decimas prædiales ecclesiæ *Glomael* in usum capituli Corisopitensis convertit; in Max. Paris. Bibl., Chart. 31, f. 37. Idem occurrit, die Jovis post syno-
1300 dum B. Lucæ 1300, augens reditus archidiaconatus Cornubiensis; ex cod. Chart., fol. 22.
Ch. X, col. 199. Anno 1301, anniversarium suum condidit. Anno 1302, Parisios petiit, opem regi præstiturus adversus Bonifacium VIII; e Gestis Guillelmi Maj. Quo scilicet anno absentem eum memorat, die Jovis post festum B. Lucæ, chartula de Eveni præsulis obitu celebrando; et revera, 20 Octobris, Parisiis adhæsit sen-

A tentiæ contra Bonifacium latæ. Anno 1309, sedem occupans reperitur in litteris de anniversario Mauciæ, viduæ Danielis *Kichouclart*, et, anno 1310, in litteris de obitu Alani *Dogan*; e Chartul. 51, fol. 62, 79. Anno tandem
1317, pacem fecit inter cantorem ecclesiæ 1317
suæ et Olivarium vice-comitem, litigantes de capella S. Jacobi, in viculo *Merliac*; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1276. Decessit, ex obituariis Landevenechi et Kemperlegii, die 1 Decembris, anno, ut videtur, 1320.

Duos nonnulli id circa tempus ponunt Alanos, quorum prior anno 1299 obiit, anno
B 1319 posterior, et inter eos, anno scilicet 1300, Reginaldum quemdam sedere jubent. Eorum error satis patet. Hujusce Reginaldi, quem allucinans forte quidam finxit eclogarius, nullam fecit mentionem vetus ecclesiæ Corisopitensis catalogus, et licet ab Alberto et fratribus Sammarthanis acceptum submovere decet.

XXIV. Thomas.

Thomas ex Andegavensi decano Alano D'ANAST.
sufficitur litteris Joannis papæ XXII, XII cal.
C Martii 1321; e Suaresio. Episcopalem rite 1321
cathedram conscendit XII cal. Aprilis, paulo post ex hac luce migraturus, 19 Junii 1322. Ejus in tumulo incisum fuit sequens carmen:

Pontificis Thomæ, lector, præconia prome.
Fama probat castum, cui dat cognomen Anastum,
Justum, facundum, sine fastu, jure profundum.
Judex Lemovicus fuit hic, et pacis amicus,
Sobrius, urbanus, pius, Andegavisque decanus.
Hinc sublimatus est ad thronum pontificatus.
Corisopitensis fuit in grege pastor et ensis.
Aspera mors talis notis dolor est generalis.
D Patria quem plangit, quia multos mors sua tangit.
Dux dolet et Britones, Cornubia tota, barones.
Anno milleno bis quater octuageno,
Gervasii festo, tumulatus funere mœsto.
Ad veniam præsto, Deus, illi, te precor, esto! (1)

Ejusdem meminit, XIII cal. Julii, necrologium S. Mauricii Andegavensis.

XXV. Bernardus II.

Professus erat Bernardus regulam S. Francisci antea quam in Corisopitensem cathedram litteris Joannis papæ XXII vocaretur,
E XIV cal. Augusti 1322. Nec multo post, siqui-
dem mense Junio 1324, Nemausensibus infu- 1324
lis a Joanne papa idem donatus est. Falso dicitur a quibusdam, pro Nemausensi, Noviomensis episcopus. Has quidem temporis notas Sammarthani et Moricius præbent. Attamen Veneris die ante festum B. Barnabæ 1323, vacans legitur sedes in litteris de anniversario

(1) Pone primo mille, dein quater ductum numerum octoginta, et binos tandem annos, erit annorum tota summa 1322.

ANNI CHRISTI

Ivonis *de Couc;* e Corisopit. Chart., cod. 51, fol. 59.

XXVI. Guido II.

DE LAVAL. Filius Guidonis VII de Valle et Thomasiæ *de Mathefelon,* Guido, canonicus Parisiensis, litteris apostolicis in Corisopitensem
1324 sedem elatus est x cal. Julii 1324; e Suaresio. Quam deseruit, anno 1326, in Cenomanensem traductus. Electus etiam tum dicitur Corisopitensis, in litteris Joannis XXII: unde comperimus eum nondum consecratum fuisse.

XXVII. Jacobus.

Ex episcopo Zagrabiensi Jacobus, professione Dominicanus, ecclesiæ Corisopitensi
1326 præficitur a Joanne papa XXII, anno 1326, et urbem episcopalem ingreditur eodem anno, die Dominica ante festum B. Magdalenæ. Desinente Novembri 1326, memoratur curiæ præses episcopalis, in litteris de obitu Gormaeloni de Stagno; e Chartul. 51, fol. 61. Translatus est in sedem Telonensem anno 1330.

XXVIII. Yvo II.

DE BOISBOISSEL. Episcopus antea Trecorensis, Corisopitensis Ivo dictus est a Joanne papa, II cal. Septembris 1330. Commutavit, anno 1333, cum Alano, Macloviensi præsule.

XXIX. Alanus II.

CONTINIER. Macloviensem abdicans sedem Alanus Corisopitensem accepit, anno 1333 ineunte. Reperitur enim, eo anno, 5 Martii, in curiæ Romanæ regestis, Obligationum libro. Anno dein eodem, idibus Augusti, a Joanne papa XXII litteras accepit, quibus de doctrina Joannis, Landevenecensium abbatis, inquisitionem facere jussus est. Die Jovis post
1335 Pentecosten 1335, de reficiendis canonicorum domibus decretum edidit; e Chartul. 31, fol. 35. Quo vivere desinit anno, secundum Chronicon Britannicum. Anno postea 1337, Eudo Conani, faber, et uxor ejus Hadevisia anniversarium Alani Guntherii condidere; e Chartul. 51, fol. 12.

XXX. Alanus III.

ANGALL. Alanus *Angall,* natus *Riec,* in Corisopitensi diœcesi, canonicus Corisopitensis reperitur anno 1326 in litteris de anniversario Guillelmi archidiaconi; Chartul. 51, fol. 63. Ut episcopalem sedem aggreditur, statuta
1336 condit, 10 Aprilis 1336. Ea servat Chartularium sub num. 31 collocatum, fol. 13. Idem, die Jovis ante festum Omnium Sanctorum, A eodem anno, capellam novam in episcopali domo fundat; e Chartul. 51, fol. 81. Litteras dein edit, 31 Decembris 1347, de compositione inter Corisopitense capitulum et vicarium *Glomael* inita; ibid., fol. 84.

XXXI. Geoffridus II.

Ex abbate S. Petri de Cultura fit Corisopitensis præsul Geoffridus, anno incerto. DE COETMOISAN. Litteris dein Innocentii papa VI in Dolensem cathedram transfertur, cal. Aprilis 1357; apud Suaresium.

B

XXXII. Geoffridus III.

E Constantiensi canonico Geoffridus Corisopitensis episcopus instituitur litteris Innocentii papæ VI, XIII cal. Aprilis 1357. Id 1357 LEMARHEC.
Suaresii schedæ ad verbum præbent, adduntque, ne forte quid erroris subrepsisse putes, Geoffridum *Lemarhec* alteri Geoffrido ad Dolensem cathedram transeunti tunc temporis in Corisopitensi cathedra suffectum. Quo testimonio domni Moricii catalogus infirmatur. Caroli Blesensis partibus Geoffridus ad-
C hæsit. Quocirca Joannes, Montis Fortis dynasta, Corisopitum obsidione cinxit. Joanni vero fortuna favente, cum eo Geoffridus, quem Ch. XII, col. 204.
ad id peragendum cives urgebant, invitus licet coactusque pactus est. Eidem deinde per Geoffridum licuit, 11 Augusti 1365, ut ab 1365
episcopatu Corisopitensi vectigal victor exigeret; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1603. Auget Geoffridus, anno 1376, capituli reditus. Anno 1379, 26 Octobris, capellaniam S. Ægidii condit. Obiit desinente anno 1383. Præ- Ch. XI, col. 200.
sentationes quasdam, sede vacante, capitulum excepit, 26 Februarii 1384; e Chartul.
D 31, fol. 65.

XXXIII. Theobaldus II.

Ex episcopo Trecorensi Corisopitensis effectus apostolicis litteris, III non. Decembris DE MALESTROIT.
1383, fidem Theobaldus Joanni duci juravit 5 Martii 1384, secundum recentiorem usum. Quo anno, 6 Maii, Andegavi testis erat Ludovici, Neapolitanorum regis, ratum habentis connubium Ludovici, filii, et Luciæ *Visconti;* apud *Housseau,* t. XXVII. Occurrit,
18 Aprilis 1387, Nannetibus sedens in epi- 1387
E scoporum celebri conventu, testansque semet Joannis ducis litteras vidisse de Joannæ Navarreæ dote. Idem, 26 die Januarii 1392, fœdus probavit initum inter Joannem ducem Britanniæ, Joannemque Penthevriæ comitem. Subscripsit, 25 Februarii 1395, litteris 1395
Britonum ducis de capella S. Michaelis condenda; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 661. Civilis gladii minas strenue despexit anno
1400, cum Joannes de Malestricto, locum 1400
ducis tenens in agro Corisopitensi, vectiga-

ANNI CHRISTI

libus mercatores novis præter modum gravasset; (A) tunc enim ad episcopalem domum populi turba ruente et iniquam detrectante legem, Theobaldus, pontificiis indutus insignibus, in medium forum tetendit, et alta voce sub excommunicationis pœna prohibuit ne adeo detestata tributa colligerentur. De qua re Joanna ducissa metropolitanam sedem appellavit. Legantur Theobaldi litteræ adversus Joannem de Malestricto, datæ 17 Februarii 1400, secundum recentem computum, in Reg. cod. 8357². Theobaldi reliquiæ tumulo traditæ sunt 4 Maii 1408, et, 7 ejusdem mensis, congregati canonici statuerunt ut in eodem, (B) die 31, novi præsulis electio fieret; ex originali instrumento quod servat Max. Paris. Bibl., chart. capsa 1194.

XXXIV. Gatianus.

DE MONCEAUX. Nannetibus natus, e thesaurario Redonensi Gatianus Corisopitensem cathedram
1408 obtinuit 31 Maii 1408. Eodem anno, procuratorem ad concilium Pisanum misit. Non magni, ut videtur, momenti res fuere quibus manum admovit. Decessit Filgeriis 16 Octobris 1416, et in ecclesia cathedrali sepultus fuit cum hoc epitaphio : (C)

> Omnibus urbanus de Moncellis Gatianus
> Præsul Cornubiæ jacet hic, servusque Mariæ.
> Sagax, facundus, de Nannetis oriundus.
> Ipse chori vostas fieri fecit magis altas.
> Rexit subjectos octo cum mense per annos :
> Post hæc milleno bis et octo C. quater anno,
> Octobris sexta decima, migravit ad alta.
> Quisque Deum poscat cum sanctis pace quiescat,
> Ac felix agmen sanctorum concinat Amen !

XXXV. Bertrandus.

DE ROSMADEC. (D) Præsul confirmatur Turonibus Bertrandus Februario mense 1417, secundum recentiorem calculum; apud J. *Maan*, p. 160. Qui filius erat Guillelmi et Margaritæ *du Chastel*.
1424 Incœptum 26 Julii 1424 cathedralis ecclesiæ occidentale pinnaculum, incœptæque turres, quarum primum lapidem Bertrandus posuit. Idem postea templum sacrario, pneumaticis organis, statuis, aliisque ornamentis auxit. Promulgata jamdudum apostolica sententia, qua interdictum ecclesiasticum, ob exstructum a Joanne duce castellum, urbi Corisopitensi impositum fuerat. Eo per multos (E) annos jam suspenso, Martinus papa V, scri-
Ch. XIV, col. 206. ptis ad Bertrandum litteris, 14 Augusti 1429, ut in quinquennium rursus procrastinaretur permisit. Munere semet abdicans Bertrandus,
1444 anno 1444, ut in regestis curiæ Romanæ legitur, successorem suum designavit Alanum, Dolensis ecclesiæ præsulem. Hanc vero postquam cessionem summus Pontifex cassam fecerat, Bertrandoque Jacobum, Landevenechi abbatem, subrogaverat, Jacobum ipse Britonum dux rejecit. Prævaluit igitur Alani adlectio. Obiit Bertrandus 7 Februarii 1445. Ejus sub hanc diem obituarium B. Mariæ de *Daoulas* meminit.

ANNI CHRISTI

XXXVI. Alanus IV.

E Dolensi cathedra translatus in Corisopitensem, ab Eugenio papa commendatur Alanus Francisco duci, IX cal. Septembris 1444; DE LESPERVEZ. e Regio cod. 8357². Cæsareanus, anno 1451, dictus est episcopus, abdicata sede Corisopitensi in gratiam sequentis. Dein decessit 17 Martii 1455, et sepultus est in basilica fratrum Minorum Corisopiti degentium.

Perperam antecessores nostri, t. I, col. 828, et t. VI, col. 641, Alanum *de Coetivy*, sub annum 1444, episcopis Corisopitensibus annumeraverunt. Hunc errorem adnotare satis est.

XXXVII. Joannes.

Antecedentis e fratre nepos Joannes, filius siquidem Caroli et Guillelmæ *Paynel*, protonotarius erat apostolicus, cum, Alani DE LESPERVEZ. patrui cessione peracta, litteris pontificiis Petro, Britonum duci, Corisopitensis episcopus denuntiatus est, XVIII cal. Februarii 1451; e cod. Regio 8357². Interfuit, 4 Aprilis 1456, recognitioni corporis B. Vincentii Ferrarii. Non autem sedit, 10 Junii 1462, in comitiis Venetensibus : Romæ sedenim tunc erat. Obiit anno 1472. Quo anno, 18 Maii, in episcopales reditus ducalis palatii ministri manus injecere.

XXXVIII. Theobaldus III.

Corisopitensi cathedra Theobaldus donatur 16 Julii 1472, et se ducis clientem profitetur 22 Januarii 1473. Sedit, anno 1476, DE RIEUX. 1476
in synodo Rotonensi, ubi de stipendio sacerdotum ferales exsequias celebrantium decretum est. Obiit, ut quidam aiunt, desinente Januario 1479. Cæteri vero decessum ejus 18 Februarii adscribunt.

Mortuo Theobaldo, Joannem *le Bailli*, canonicum, Corisopitense capitulum elegit. Dux autem cassam hanc electionem dixit, et ipse Guidonem sequentem infulis donavit.

XXXIX. Guido III.

Thesaurarius antea B. Magdalenæ Vitreiensis, in consiliis ducis sedens, et apud eum DU BOUCHET. cancellarii munus implens, in Corisopitensem cathedram Guido litteris apostolicis elatus est pridie cal. Aprilis 1479; e Reg. cod. 8357². Qui, promissa duci fide, 18 Maii, in episcopalem urbem deinde ingressus est 14 Octobris 1480; Prob. Hist. Brit., t. III, col.
374. Ultima die Junii 1481, cum Petro Nan- 1481

ANNI CHRISTI

netensi et Joanne Macloviensi episcopis querelas ad curiam Romanam deferebat de Bargio, papæ nuntio, qui vectigalia petiverat ea tenus inaudita; ibid., col. 402. Decessit Nannetibus, 10 Januarii 1484.

A

XL. Alanus IV.

LEMAOUT. E Leonensi sede in Corisopitensem translatus est Alanus, VIII id. Martii 1484; e litteris Sixti papæ, quas servat Regius codex 8357[2]. Qui fidem duci juravit 3 Junii. Eumdem pluribus Britonum dux legationibus honestavit. Anno 1490, in Tornacensi conventu, missus ab Anna ducissa, sedit. Obiit 2 No-
1493 vembris 1493; e necrologio B. Mariæ *de Daoulas.*

B

XLI. Radulfus II.

DE CALVY. Radulfus *de Calvy*, alias *le Moël*, Britannico sedenim idiomate *moël* calvum significat, ex eleemosynario Caroli regis præsul eligitur 22 Novembris 1493, et fidem regi jurat, Turonibus, 28 Januarii 1494, apud Alb. *Padioleau*, Tract. de Jurisd. Cameræ Comput., p. 26. Urbem dein solemniter ingressus est, 16 Octobris 1496; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 376. Interfuit exsequiis Caroli regis anno 1498; quo et anno subsignavit tabulis nuptialibus Ludovici XII et Annæ reginæ. Obiit 31 Maii 1501.

C

XLII. Claudius.

DE ROHAN. Ch. XV, col. 208. Audita Radulfi morte, scripsit, 10 Junii, Alexander papa VI ad Corisopitenses canonicos, vetans ne pastorem novum ipsi eligerent, statuensque ut Anna regina fidum quemdam sibi clientem suo arbitrio vacante cathedra donaret. Annos igitur 22 natus et ad minores ordines vix submotus e decano *Porhoet,* in diœcesi Venetensi, Claudius præsul Corisopitensis ab Anna creatur 25 Junii 1501,
1510 consecrandus 6 Aprilis 1510. Episcopale palatium exstruxit, et cathedralem ædem consummavit. Vir bonus erat, sed fraudi patens: qui ne cunctas patrum opes dissiparet, prudentioris cujusdam consilia sequi jussus est, et, ne ipsius ecclesiæ res pessumdaret, adjutorem in obeundo munere pati. Obiit mense Julio 1540.

D

XLIII. Guillelmus II.

EDER. Abbas S. Gildasii de Nemore et B. Mariæ de Boquiano Guillelmus, e Claudii antecedentis coadjutore præsul creatus, regi fidem jurat 8 Aprilis 1541; apud *Padioleau*, p. 116. Urbem ingressus est 29 Aprilis 1545, decessitque 22 Maii 1546.

E

XLIV. Philippus.

DE LA CHAMBRE. Sabaudus patria Philippus, jam cardinalis episcopusque Tusculanus, necnon Corbeiensis abbas, Corisopitensibus insuper infulis a summo Pontifice donatur 9 Julii 1546. Obiit, ut quidam aiunt, 20 Februarii 1550; ut aliis 1550
placet, IX cal. Maii. De eo plura, t. X, col. 1287.

XLV. Nicolaus.

CAIETANO SERMONETTA. Annos natus undecim, ut erat Bonifacio VIII sanguine propinquus, purpura Nicolaus donatur. Eumdem, Philippo mortuo, Julius papa Corisopitensibus infulis ornavit. Qui, anno 1555, omisso, ut aiunt, medio, priusquam scilicet regi semet fidum juraverat, munus adire voluit. Camera vero Computorum prohibente, sacramentum Nicolaus suum fecit 25 Februarii 1556; apud *Padioleau,* p. 148. Episcopalem, ut videtur, urbem nondum ingressus, munere semet abdicavit anno 1560. Archiepiscopus postea Ca- 1560
puæ factus est.

XLVI. Stephanus.

BOUCHER. Patria Trecensis Stephanus, Tristani *Boucher,* equitis, filius, et Catharinæ *Prévost,* ex abbate S. Firmerii, in ecclesia Vasatensi, episcopus Corisopitensis creatur 5 Aprilis 1560, et, eodem anno, abbas S. Mariæ Virtudensis, in ecclesia Catalaunensi. Fide pro Corisopitensi cathedra regi data 24 Octobris, urbem episcopalem ingreditur 23 Februarii 1561. Anno 1563, in concilio Tridentino sedens reperitur. Testamentum postquam suum condiderat 17 Augusti 1573, obiit 20 ejusdem mensis; apud *Padioleau*, p. 198, e regestis cameræ Computorum.

XLVII. Franciscus I.

DE LA TOUR. Guillelmi filius et Joannæ *de Goaqriant*, e monacho B. Mariæ de Reliquiis Franciscus præsul fit Corisopitensis, a Nic. *Langelier,* Briocensi præsule, consecrandus 20 Decembris 1574; apud Sammarthanos. Erravit *Pa-* 1574
dioleau, eum qui cathedra Corisopitensi donatum memoravit 7 Novembris 1575: legendum forsan 1573, aut 1574. Fidem regi dedit 1 Martii 1576, ex eodem, et in Trecorensem sedem anno 1583 translatus est.

XLVIII. Carolus.

DU LISCOET. Fidem regi dedit Carolus 10 Augusti 1583; quo etiam anno concilio Turonensi interfuit. Idem annis 1586, 1588, 1598, 1601, 1604, in Britanniæ comitiis reperitur; ubi clero præfuit annis 1586, 1598, 1601. Eo episcopatum tenente, Corisopitensis civitas, dum

ANNI CHRISTI 1614 fervérent bella ob religionem mota, obsessa est. Decessit Carolus 14 Martii 1614; ex ejus epitaphio. Procuratoris vero de regalibus rationes deductæ sunt ab undecimo die Martii; apud *Padioleau*.

XLIX. Guillelmus III.

LE PRESTRE. Ludovici filius, Corisopitensis proconsulis, Guillelmus creatus est episcopus anno 1614, et fidem regi dedit 7 Februarii 1616; apud *Padioleau*. Quo etiam anno, 23 Octobris, Britanniæ comitiis interfuit. In eisdem postea comitiis reperitur, annis 1617, 1618, 1619, 1625, 1626, 1628; in quibus clero præfuit, annis 1626, 1628. Eo clavum tenente, Capucini, Ursulinæ, Calvarianæ, necnon moniales S. Elisabethæ in urbe Corisopitensi consedere. Ejusdem sub auspiciis, anno 1624, P. Societatis Jesu regendum urbis episcopalis collegium suscepere. Obiit 8 Novembris 1640, ætatis anno 53.
1640

L. Renatus.

DU LOUET DE KERGUILLIO. E cantore Leonensi Renatus Corisopitensis præsul a rege creatur Decembri mense 1640, consecrandus Parisiis, in Calvarianarum monialium ecclesia, 1 Februarii 1643. Anno 1645, majus altare Landevenechi consecravit. Ejus laudantur mores; laudatur et doctrina. Obiit Corisopiti, 11 Februarii 1668, ætatis anno 84. Adjutores vicissim habuit Franciscum *Visdelou*, Leonensem dein episcopum, et Franciscum *de Coëtlogon*.
1668

LI. Franciscus II.

DE COETLOGON. Ludovici filius, domini *de Mejusseaume*, et Ludovicæ *Lemeneust*, natus erat Franciscus 3 Junii 1631 in diœcesi Briocensi. Uti Corisopitensis præsul fidem regi dat 23 Aprilis 1668. Obiit 6 Novembris 1706; ex ejus epitaphio.

LII. Franciscus III Hyacinthus.

Corisopitensis præsul Franciscus Hyacinthus creatur anno 1707 et eodem anno consecratur. Statuta condidit anno 1710, obiitque 6 Januarii 1739, ætatis anno 77. DE PLOEUC DE TIMEUR.

LIII. Augustus Franciscus Annibal.

Brito genere, sed in agro Andegavensi natus anno 1707, Corisopitensis præsul e thesaurario Trecorensi Augustus Franciscus consecratur 8 Novembris 1739. Jansenii sequacibus adversatus, obiit 28 Junii 1771. DE FARCY DE CUILLE. 1739

LIV. Emmanuel Ludovicus.

E Carnotensis ecclesiæ vicario generali Emmanuel Ludovicus fit Corisopitensis præsul 8 Julii 1771, et consecratur 18 Januarii 1772. Anno vero sequente Petrocoras transfertur. DE CROSSOLLES DE FLAMARENS. 1771

LV. Tussanus Franciscus Josephus.

Redonensis canonicus et postea B. Mariæ de Langonio abbas commendatarius, in Corisopitensem cathedram Tussanus Franciscus invehitur 1 Maii 1773, consecraturque 29 Augusti. Nec solum abbatiam B. Mariæ de Langonio, susceptis infulis, retinuit; imo vero mensam Landevenechi abbatialem, permittente rege, episcopatui reditibus univit, anno 1781. Obiit 20 Septembris 1790. CONEN DE S. LUC.

VETERA CORISOPITENSIS DIŒCESIS MONASTERIA.

I. S. Ninnoca. Ea puellaris abbatia condita memoratur, anno circiter 450, juxta Corisopitum, in loco dicto *Plœmeur*, a S. Ninnoca, filia *Brech-Han*, insulani Britonis, quem e regia stipe deductum referunt. Vetustior igitur abbatia S. Ninnocæ quovis alio Gallicano parthenone, ut Dericus animadvertit, t. I, p. 309. Nobis vero suadet *de Bréquigny* ut nullam adhibeamus fidem diplomati Guerechi ducis, fundationem supra memoratam adamussim enarranti; Diplom., Chartæ, t. I, p. 14. In quo doctissimus vir satis est consilii. Olim quidem S. Ninnocæ domus clara fuit; postea vero monasterio S. Crucis Kemperlegiensis adscripta reperitur.

II. S. Tudius. Insula S. Tudii, juxta *Combrit*, a S. Tudio nomen sumpsit, qui, quinto sæculo decurrente, monasterium in ea constituit antiquitus dictum *Enez-Tudi*. An diu, post S. Tudii decessum, ea domus floruerit incompertum habemus. Sub initium tamen duodecimi sæculi occurrit quidam armiger, nomine *Guiguen*, dictusque *abbas S. Tudii*, subscribens Alani ducis chartulæ de pomario juxta *Castellin* monachis Landevenechi tradito: idem, paulo post, quasdam Conani ducis litteras pro Kemperlegiensibus testimonio suo firmavit; e cod. Reg. 8357³, fol. 23. Unde manifestum est abbatiæ dominium ab ascetis ad laicos labentibus annis transiisse. Distinguatur insula S. Tudii ab ecclesia S. Tudii, britannice *Loctudi*, de qua pactum est, annis 1220, 1223, inter Corisopitensem episcopum, monachos Ruienses et Hervæum de Ponte. Vicus enim *Loctudi* in terra firma situs.

III. Locmaria. Puellaris ea abbatia, in ipsa urbe Corisopito, undecimo decurrente sæculo florens reperitur. Monialibus Locmariæ tunc temporis Benedictus, episcopus et comes, ecclesiam *Kernolizan* concedit; nec multo post Alanus comes, Benedicti supradicti filius, villam *Caergueun*, et decimam villæ *Chelen*. In ea quæ ad *Chelen* spectat chartula occurrit Juditha, Alani uxor : edita igitur fuit post annum 1026, quo Juditham Alanus uxorem duxit. Ibidem insuper memoratur Hodierna, Alani filia, eademque Locmariæ abbatissa. Postea vero Conanus comes Mariæ, S. Sulpicii Redonensis jam abbatissæ, Locmariense monasterium contulit; quod ab eo tempore dignitate dejectum prioratus evasit. Donationem Conani Robertus, Corisopitensis præsul, anno 1124 confirmavit. Stabilita deinde rursus fuit, anno 1152, a Radulfo, Roberti successore.

IV. B. Maria de Daoulas. Memoratur hæc abbatia in litteris Geoffridi, Corisopitensis episcopi, a Guidomaro Leonensi condita, anno 1173, ab eoque multis ditata prædiis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 669. In quam protinus, præfati Guidomari permissu, quatuor canonici S. Augustini regulam observantes ingressi sunt. Suppressa domus anno 1692, ut infra dicendum. Ea fuit abbatis B. Mariæ de *Daoulas* prærogativa, ut decani munere in ecclesia Corisopitensi fungeretur. Seriem abbatum describentibus non minimum contulit auxilium Albor. Mantellorum codex 45. Hi sunt :

I. Rivallonus obiit anno 1180, secundum Moricium.

II. Guillelmus I; ex eodem. Decessit anno 1199.

III. Hervæus I obiit v id. Maii 1200; ex abbatiæ necrologio.

IV. Evenus, electus anno 1200, abdicavit anno 1233, et obiit 25 Aprilis 1246; e Moricio.

V. Daniel I occurrit anno 1242 inter Corisopitenses decanos, testis Raginaldi præsulis decanatus reditus augentis; e Corisopit. chartulis, in Max. Paris. Biblioth., Chart. 30, fol. 1.

VI. Glegmannus, anno 1251, laudavit litteras Henrici, regis Angliæ, apud Moricium. Idem, anno 1259, testis occurrit in charta quæ S. Mauricii fundationem refert.

VII. Hervæus II *de Guicastel* decessit vi id. Novembris; ex abbatiæ necrologio.

VIII. Daniel II, dictus Calvus, obiit pridie id. Aprilis 1285; ex eodem necrologio.

IX. Daniel III *Le Chevalier* obiit idibus Septembris 1287; ex eodem.

X. Guido Potarius adhæsit, 3 Decembris 1303, sententiæ adversus Bonifacium VIII latæ. Obiit vi idus Aprilis 1309; ex abbatiæ necrologio.

XI. Hervæus III *de Forquily* accepit res A quasdam ab Hervæo de Leonia, anno 1317. Obiit, e necrologio, iv nonas Augusti 1325.

XII. Alanus *de Forquily*, Sabbati die ante Pentecosten 1331, concordiæ subscripsit quam iniverant Hervæus et Olivarius de Leonia; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1356. Die 10 Septembris 1337, tres jubet quotidie missas celebrari pro cœnobii conditoribus. Eodem anno, sigillo munit suo pactum inter Joannam *de Montmorency* et ejus natum Hervæum de Leonia; ibid., col. 1391. Occurrit præterea annis 1338, 1339, decessurus vi cal. Maii 1351; ex abbatiæ necrologio.

B XIII. Hervæus IV *Poulmic* rexit abbatiam per unum annum et decessit xvii cal. Junii; ex eodem necrologio.

XIV. Joannes I *Guérand* obiit anno 1398; e necrologio.

XV. Ludovicus I *de la Palue* decessit anno 1399; e recentioribus abbatiæ chronographis.

XVI. Stephanus *Le Petit*, Filgeriis oriundus, litteris jam donatus fuerat apostolicis ab Alexandro papa V, eum cum Joanni duci commendavit Joannes papa XXIII, viii cal. Junii 1410. Occurrit, anno 1418, in tabulis C Corisopitensibus. Decessisse videtur anno 1425.

XVII. Guihomarchus, alias Guido *Manfuric*, licentiatus in jure canonico, reperitur annis 1453, 1454, 1465. Decessit xi cal. Junii 1468, abbatiali munere donatus ab annis septem et viginti; ex abbatiæ necrologio.

XVIII. Guillelmus II *Lelay*, ab anno, ut videtur, 1468, nominatur 9 Martii 1489 in charta quæ conditam memorat domum Fratrum Minorum apud *Landernau;* Prob. Hist. Brit., t. III, col. 598. Cœnobium postquam per 35 annos rexerat, obiit ix cal. Julii D 1502; e necrologio.

XIX. Joannes II *du Largez* reperitur anno 1502. Abbatiale vero munus dimisit anno 1520, decessurus 6 Novembris 1533. Ei Claudius, Corisopitensis episcopus, ecclesiæ suæ administrationem demandaverat.

XX. Carolus I *Jegou* clavum abbatiæ tenuit per quindecim annos, et obiit 10 Januarii 1536; ex ejus epitaphio.

XXI. Olivarius *du Chastel*, filius Tanguidi et Mariæ *de Juch*, munus adiit anno 1536, moriturus 1 Novembris 1550.

XXII. Joannes III *le Prédour* fidem regi deE dit anno 1556, obiitque 10 Octobris 1573.

XXIII. Joannes IV *de Kerguisiau*, alias *de Kergousiou*, bullas obtinuit anno 1573, munus adiit anno sequente, et, postquam fidem juraverat anno 1576, naturæ debitum persolvit 29 Septembris 1581.

XXIV. Renatus I *du Louet*, regularium ultimus, electus est anno 1581. Ante princeps altare sepultus est, cum hoc epitaphio : *Hic jacet frater Renatus* du Louet, *abbas hujus cœnobii de Daoulas, qui quidem acqui-*

sivit ei silvam de Daoulas et plura alia bona, et rexit illud annis sexdecim. Obiit autem 12 Julii anno 1598; cujus anima pace fruatur.

XXV. Renatus II *de Rieux*, reginæ ab eleemosynis, abbatiam B. Mariæ sortitus est anno 1600. Obiit VIII id. Martii 1651, Leonensis tunc episcopus.

XXVI. Carolus II Mauricius *le Tellier,* filius Michaelis, B. Mariæ reperitur abbas ab anno 1651, tunc novem annos natus. Is abdicavit anno 1668, e manibus regiis abbatiam S. Stephani Cadomensis accipiens. Archiepiscopus dein Remensis fuit.

XXVII. Ludovicus II *de la Motte Vilbray-d'Apremont,* clericus Parisiensis, Carolo abdicante creatur abbas 20 Januarii 1668; e regestis Vaticani : qui litteris apostolicis donatur 5 Septembris 1670. Ut autem adolescentulus erat, prohibitus est a domino papa ne ante canonicam ætatem spiritualem abbatiæ curam adiret. Ea tunc erat canonicorum A paucitas, ut debita Deo non persolverentur. Quare Franciscus de Aspero Monte, Ludovici pater, quinque proprio motu in abbatiam presbyteros sæculares intromisit : eos vero prior claustralis ætate provectiores, et ad vitam intemperatam procliviores æstimavit ut pro novitiis haberentur, intrusosque admittere noluit. Unde orta lis. Anno tandem 1692, 5 Aprilis Augustive, jussit rex ut incolis propemodum vacua domus seminario classiariorum sacerdotum Bresti degentium uniretur. Abbatis nomen Ludovicus, ea licet unione peracta, aliquantisper retinuit. B Quod tamen anno 1707 dimisit, et a rege prioratum quemdam in Rotomagensi diœcesi situm opulentosque reditus accepit. Anno 1710, decedente Carolo Mauricio, archiepiscopo Remensi, necnon Britulii, in ecclesia Bellovacensi, abbate, Britulium Ludovico de Aspero Monte a rege datur. Vide supra, t. IX, col. 807.

ABBATIÆ SUPERSTITES [1].

Sunt illæ numero septem.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

S. Guingaloeus de Landevenecho, *Landevenech.*
S. Crux de Kimperlegio, *Quimperlé.*

ORDINIS CISTERCIENCIS.

Virorum.

Langonium, *Langonet.*
B. Maria de Silva Mellonis, *Coetmalouen.*
S. Mauricius Carnoetensis, *Carnoet.*
Bona Requies, *Bonrepos.*

Feminarum.

B. Maria *de Kerlot, Kerlot.*

S. GUINGALOEUS DE LANDEVENECHO.

In Oceani peninsula situm hoc monasterium, altis nemorosisque collibus circumcinctum, ob aeris amœnitatem et floridam adjacentis agri speciem vel ab antiquis scriptoribus laudatur. Ejus fundamenta posuit S. Guingaloeus, Fracani filius. Fracanum, E insulanum patria Britonem, in Armoricam quinto decurrente sæculo secessisse, natosque suos Guingaloeum, Guethonocum et Jacutum in insulam Lauream, ubi Budoco docente sacras litteras discerent, misisse memorant; e quibus postea Guingaloeus, duodecim secum assumptis Budoci discipulis, C Landevenechum devenit, et a Gradlono rege locum obtinuit in quo novam conderet abbatiam. Ea prolixe quidem, nec sine commentitiis ornamentis, enarrat Gurdestinus abbas, qui circa finem noni sæculi floruit. Usitatam apud Scoticæ gentis ascetas vivendi normam S. Guingaloei sodales primum observavere; qui, pro more Scotorum, strictim ab una aurium ad alteram in sincipite tondebantur, nec laneis vestibus lineisve, sed pellibus caprinis induti incedebant. Quam vivendi rationem Rogerus *Twisden*, annuente Derico, parum ab Orientalium monachorum institutis dissimilem asserit. Nono tamen sæculo, D Ludovicus imperator, in Britanniam delatus, abbati Landevenechi propria manu mandatum direxit, jubens ut semet suosque socios ad S. Benedicti regulam componeret. Non semel monachorum rem Normanni pessumdedere, ipsosque monachos fugavere. Quorum incursibus iterum iterumque prostrata domus jacuit, donec Alanus dux, cognomento Barta Torta, eam restauraverit. Ea fuerat antiquitus abbatis auctoritas, ut ab episcopi Corisopitensis tutela quasi prorsus liber esset. Anno tandem 1233, ad Macloviensem episcopum scripsit Gregorius papa, Corisopitensem præsulem a monachorum atriis prohibitum fuisse, acerrimamque inde contentionem de legitimis, commentitiis, aut saltem antiquatis immunitatibus subortam esse, cujus eidem componendæ provinciam dabat. His super jurgiis multus utrinque sermo. Anno tandem 1236, Roberti Nannetensis et Cadioci Venetensis episcoporum sententia, decretum est ut Corisopitensi præsuli novus

Ch. 1, col. 189.

(1) Usque ad annum circiter 1790.

quilibet abbas præsentaretur, idemque semel quotannis monachorum limina subeuntem episcopum apertis januis exciperet, reservatis tamen quibusdam abbati juribus, ne pristinæ libertatis recordatio prorsus aboleretur. Sic a prænemoratis judicibus imperatum, ut, vacante sede Corisopitensi, cæteris utriusque ordinis clericis præpollens, abbas Landevenechi diœcesanæ synodo præesset. Anno circiter 1383, Angli, postquam Brestensem obsidionem solverant, circumjacentes agros et ipsa Landevenechi tecta variis affecerunt cladibus. Nec minora deinde iidem monachi damna tam a Calvinistis, quam a commendatariis abbatibus, passi sunt : quamobrem, rebus omnibus exhausti, Casalinos patres, anno 1612, evocarunt, eversæ disciplinæ simul et indiligentium agrorum restitutionem ab eis deposcentes; ii vero, post quadriennium, Societati Britannicæ nuper ipsis traditam abbatiam concesserunt, loci penuria, ut fertur, deterriti. Acciti tandem S. Mauri sodales, 10 Augusti 1602. Anno 1781, abbatialis mensa episcopatui Corisopitensi unita est.

S. Guingaloci de Landevenecho compendiosam scripsit historiam anonymus, cujus schedas servat Albor. Mantell. codex 86 C. Consule de ejusdem abbatiæ varia fortuna authenticum instrumentum quod servat Monast. Bened., t. XLVI.

SERIES ABBATUM.

I. S. Guingaloeus obiit 3 Martii, secundum Gurdestinum. Incertior autem annus, cum anni 488, 504 et 529 a scriptoribus diversis proponantur.

II. S. Guenhael S. Guingaloco successit, abbatiamque per septem annos administravit; quibus elapsis, ex Armoricano littore solvit, et in Britanniam insularem transfretavit, ipse post tres annos, ut aiunt, in monasterium suum rediturus, ibique 3 Novembris decessurus.

Post S. Guenhaelem conjectura ponuntur, tam e veteri catalogo quam ex hagiographorum narratiunculis, S. Judulus qui cum S. Tadeco trucidatus est, Matmunocus, Segneus, Ælamus, Gurdestinus, Benedictus, Gurdileeus, Joannes, tres deinceps Clementes, Joannes alter, et Gurlohetus. Ea sunt abbatum nomina inordinate digesta. Quos autem ex eis abbatibus indubia præbent monumenta in congruum locum reponemus.

III. Matmunocus, anno, ut conjicere fas est, 818, a Ludovico imperatore litteras accepit, quibus S. Benedicti leges sequi jussus est. (Ch. 1, col. 189.)

IV. Ælamus, alias Alanus. Eum post Matmunocum quidam chronographus collocat, « eo « quod ejus hortatu Clemens monachus di« catur hymnum *Alme dignanter supplicum* « S. Guingaloco cecinisse : in eo quippe « mentio fit Salomonis regis, et auctor sanc« tum precatur ut locum a gentilium, id « est Normannorum, liberet incursibus. »

V. Benedictus, anno, ut aiunt, 854, discordantibus vero chronicis notis, a quodam *Hepwou*, filio *Rivelen*, ecclesiam dictam *Saincts* accipit. Quam probavit donationem Anawetenus, Corisopitensis præsul; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 337.

VI. Gurdestinus, anno circiter 870. Superstes erat anno 884. Sociorum votis annuens, vitas S. Pauli et S. Guingaloei scripsit. De quo Hist. Galliæ Litter. consule, t. V, p. 625.

VII. Cadnous, anno circiter 906, episcopante Benedicto, ab hujus patre Budico villam *Edern* accepit; inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 338. Obiit XIX cal. Septembris.

VIII. Joannes I a Normannis captus fuerat et trans mare ductus. Quem postea Alanus Barba Torta monachis Landevenechi præfecit. Is occurrit ab Alano, annos videlicet inter 900 et 952, monasterium S. Medardi et ecclesias S. Crucis necnon S. Cyrici accipiens; e Prob. Hist. Brit., t. I, col. 345.

IX. Blinlivedus, alias Blenliguetus, testis occurrit, anno 1031, in litteris Alani, Cornubiæ comitis, quibus Kimperlegiensi monasterio adscribitur ecclesia S. Ronani. Obiit idibus Junii.

X. Heliseus testis reperitur, anno 1037, *Huelin* insulam *Tanguethen* Kemperlegio tradentis. Obiit anno 1055; e Chronico Gurhedeni : III non. Julii; ex abbatiæ necrologio.

XI. Killas eligitur anno 1056; e Chronico Gurhedeni monachi. Ex eodem decessit anno 1085 : ex abbatiæ vero necrologio, V id. Junii.

XII. Justinus, e monacho Rotonensi S. Guingaloei gregi præfectus, memoratur, circa Natalem Domini diem 1089, judex litis inter capellanos Britonum ducis et monachos Rotonenses. Per eumdem Justinum licuit ut in gratiam peregrinorum prioratus B. Mariæ de Garfronte erigeretur; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 467. Obiit, e necrologio, IV id. Novembris.

XIII. Guillelmus I, eo die quo regimen suscepit, ab Alano duce, pomarium accepit juxta *Castellin* situm. Compertum autem est Alanum anno 1112 principatu semet abdicavisse. Decessit Guillelmus III cal. Maii.

XIV. Lancelinus obiit VIII cal. Januarii.

XV. Orscandus, cujus necrologium abbatiæ sub eamdem diem meminit, post Lancelinum conjectura ponitur.

XVI. Elinarius, e monacho Kemperlegiensi, in tabulis, ut aiunt, occurrit anno 1142. Obiit VI cal. Junii.

XVII. Gradlonus I, annum circa 1160, litteris Conani ducis pro Templariis subscrip-

sit. Notatur vi id. Martii, in abbatiæ necrologio.

XVIII. Rivallonus I deinde sub annum 1163 memoratur. Rivallonus *de Broerech* in necrologio occurrit iv idus Novembris, Rivallonus *du Faou* xviii cal. Decembris. Incertum est an hic aut ille anno 1163 vixerit.

XIX. Gradlonus II *de S. Enogat* post Rivallonum ponitur, qui obiit nonis Novembris.

XX. Jacobus I post Gradlonum, xvi cal. Octobris extinctus.

XXI. Rivallonus II acerrime eum episcopo Corisopitensi de juribus litigavit. Quæ sopita est controversia die Martis proxima post festum S. Bartholomæi 1236. Ch. v, col. 191.

XXII. Tadicus memoratur anno 1240, qui obiit iii cal. Julii.

XXIII. Rivallonus III *de Ploemergat* pactus est de decimis, anno 1249, cum capitulo Corisopitensi; inter Chartularia quæ servat Max. Paris. Bibl., cod. 31, fol. 2. Decessit iii id. Aprilis.

XXIV. Rivallonus IV *de Treflès*, quem memorant anno 1256, in necrologio notatur vi cal. Martii.

XXV. Bernardus I *de Edern* obiit viii id. Augusti 1271.

XXVI. Bernardus II *de Kerlauré*, Leonensis patria, reperitur anno 1282. Obiit die Sabbati ante festum Ascensionis.

XXVII. Riocus recensetur anno 1283. Naturæ debitum solvit vii id. Januarii.

XXVIII. Joannes II *du Parch*, in Rosnohensi pago juxta Corisopitum natus, curavit, anno 1293, ut Guillelmus Redonensis, Landevenechi monachus, domesticum martyrologium conscriberet.

XXIX. Alanus I Piezresii Joanni successit; ex abbatiæ catalogo.

XXX. Joannes III adhæsit, 4 Decembris 1303, sententiæ contra Bonifacium VIII latæ; e Max. Gall. Archivo, J, 480. Reperitur idem anno 1308. Obiit x cal. Aprilis 1317.

Mortuo Joanne, suffragia monachorum inter se partiti sunt Yvo, prior domus *Batz*, in Nannetensi diœcesi, et Guillelmus patria Redonensis, S. Guingaloei monachus. Guillelmum vero summus Pontifex arcuit, et Yvonem apostolicis litteris donavit. Guillelmi Redonensis martyrologium S. Guingaloei meminit, v non. Octobris : qui perperam inter abbates a nonnullis recensetur.

XXXI. Yvo I, de quo supra, cognomine dictus *de Gormon*, patria Leonensis, ad abbatiæ regimen Joannis papæ XXII bullis vocatus est, xvi cal. Septembris 1317; apud Suaresium. Eum Yvo *de Boisboissel*, Corisopitensis episcopus, hæreticæ pestis labe contaminatum dixit, et ad Romanum judicem detulit. Quamobrem Joannes papa XXII ad Alanum præsulem scripsit, idibus Augusti 1333, jubens ut de rei doctrina inquisitio fieret; apud eumdem Suaresium. Obiit Yvo *de Gormon* anno 1344, 17 Junii.

XXXII. Joannes IV *de Langoueznou*, e nobili stirpe *de Bignon*, apud Leonenses, Salaonis eremicolæ vitam scripsit, ejusque corpus in sacellum B. Mariæ de Follcoato transferri curavit, anno 1360.

XXXIII. Artzmelus de Villanova, gallice *de la Villenean, Langueux* natus, in Briocensi diœcesi, obiit xi cal. Augusti 1362.

XXXIV. Alanus II *de Daoulas* ex abbatiæ camerario abbas fit Urbani papæ V litteris, idibus Martii 1363; apud Suaresium.

XXXV. Guillelmus II de Partenayo memoratur anno 1389; obiit v id. Augusti.

XXXVI. Yvo II *de Poulmic*, annos 54 tunc temporis natus, testis occurrit, anno 1410, in inquisitione de juribus vice-comitis Leonensis; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 850. Idem, anno 1418, in Corisopitensibus tabulis reperitur. Obiit nonis Aprilis anni 1425, aut 1426.

XXXVII. Henricus *Morillon* jam abbas erat, ut quidam aiunt, 27 Augusti 1425. Decessit viii cal. Martii 1442.

XXXVIII. Jacobus II *de Villeblanche*, canonicus Lucionensis, abbas Landevenechi renuntiatur ab Eugenio papa IV, anno 1443, 21 annos natus. Eumdem mox idem Pontifex in Corisopitensem cathedram transtulit. Huic vero translationi Britonum dux obstitit. Occurrit Jacobus anno 1477, in Corisopitensis ecclesiæ tabulis. Dein, 14 Octobris 1480, solennibus interfuit Guidone episcopo Corisopitensem urbem ingrediente celebratis. Obiit, ut aiunt, viii id. Maii 1490. Ante obitum vero cesserat, nam

XXXIX. Matthæus *Hemery* consecratus legitur anno 1489. Occurrit dein anno 1496. Obiit iii nonas Septembris.

XL. Joannes V de Veteri Castello æmulum habuit Turnelanum, Roffiacensem priorem, in quem nonnullorum fratrum suffragia convenerant. Ut vero, sedatis de præsidatu jurgiis, Joannes secure clavum tenuit, ædificiorum parietinas resarcivit, ecclesiam abbatialem sacellis, chorum exhedris, sacrarium vestibus et figuris instruxit, obiturus xiv cal. Novembris 1522. Regularium postremus fuit. Idem prior Conqui legitur, 28 Octobris 1512, in thesaurarii Britannici rationibus; inter chart. capsas Max. Parisior. Bibliothecæ, caps. 1194.

XLI. Thomas *Leroy*, Dolensis idem et episcopus, commendatariorum primus fuit.

XLII. Alanus III *de Trégain*, archidiaconus Corisopitensis, a Clemente papa bullas accepit anno 1524.

XLIII. Ludovicus *de Kerguern* occurrit anno 1531. Obiit Junio mense 1534. Eo tempore Alanus *de Pencoet*, a monachis electus, abbatiæ regimen sibi vindicabat.

XLIV. Mauricius *Briand* abbatiæ fructus

percipere jussus est 14 Aprilis 1535. Obiit anno 1538.

XLV. Arnulfus *Briand*, e decano B. Mariæ de Cleriaco, bullas obtinuit mense Septembri 1538, et juramentum regi præstitit 30 Aprilis 1541; apud *Padioleau*. Ecclesiæ chorum ædificavit, decessurus 15 Septembris 1555. Jamdudum vero munere semet abdicaverat.

XLVI. Mauricius *de Commacre*, superioris e sorore nepos, ei adjutor datus a Paulo papa anno 1540, abbatis munus integrum adiit anno 1542, quod, anno 1577, sequenti tradidit. Idem fuit abbas B. Mariæ de Boquiano.

XLVII. Petrus I *Lorgan*, vel *Loargan*, presbyter, abbas nomine solum, fiduciarius exstitit nobilis viri marchionis de Rupe. De Petro sic anonymus chronographus : « Paucis nummis contentus, omnia marchionis arbitrio emungi sinebat, eoque dedecoris processit res, ut, anno 1597, Laurentius *Lansulien*, monachus et prior monasterii titulum abbatis gesserit, quem servavit ad annum 1601, vitæ postremum. Cujus rei fidem facit necrologium, his verbis : *Ob. frater Ludovicus* Lansulien, *abbas monasterii B. Wingaloei, die 20 mensis Martii* 1601. Non tamen reditibus potiebatur, quorum utique dominium penes marchionem erat. Ludovico mortuo, vanum abbatis nomen resumpsit Petrus *Lorgan* ad annum 1608. » Eo sedenim anno Petrus cessit.

XLVIII. Joannes VI *Briand*, doctor legum et Corisopitensis archidiaconus, bullas obtinuit anno 1608, munusque aggressus est 9 Junii 1609, fidem regi daturus anno 1618. Joannem cuncti laudant, qui, abbatiali domo exstructa, hortos et viridaria arbustavit, murisque communivit. Eo insuper auspice, incœpta abbatiæ reformatio. Obiit XIII cal. Junii 1632, postquam vero jam diu officium dimiserat.

XLIX. Petrus II *Tanguy*, Joannis cessione 1 Martii 1627 peracta, possessionem adipiscitur 21 Februarii 1630. Is congregationis Benedictinæ patres accivit, et anno 1665 abdicavit, anno 1669 decessurus.

L. Jacobus III *Tanguy*, antecedentis e fratre nepos, ab anno 1665 patruo suffectus, in comitiis Britanniæ sedit anno 1673, obiitque anno 1695.

LI. Petrus III *de Leneboux de la Brosse*, episcopus Leonensis, possessionem adiit 6 Aprilis 1696, decessitque anno 1700.

LII. Balthasarus *de Rousselet de Châteauregnauld* abbas idem Fontanarum Albarum et Pornidii, nominatur 4 Januarii 1701, in possessionem invehitur 12 Martii 1702 et moritur 27 Aprilis 1712.

LIII. Carolus Maria *Duplessis d'Argentré*, doctor Sorbonnicus, Tutelensis episcopi frater, nominatur abbas 14 Maii 1712, et obit paulo post aditum abbatiæ regimen, 25 Novembris 1713.

LIV. Jacobus IV Philippus *de Varennes*, regius capellanus, creatur abbas 24 Decembris 1713, et obit anno 1745.

LV. Joannes-Baptista Maria *Champion de Cissé* nominatur anno 1745, Trecensis postmodum episcopus, dein Autissiodorensis. Superstes erat anno 1781.

S. CRUX KEMPERLEGIENSIS.

Monasterium S. Crucis, in finibus diœcesis Corisopitensis, qua parte Venetensem attingit, præcipuum Kemperlegiensis urbis decus erat. Ea quidem urbs olim *Anaurot* nuncupata est, deinde *Quimper-Elé*, ubi scilicet Elegium Idolaque fluvii, efformata peninsula, æmulas permiscent aquas. Quis vero cœnobii conditor exstiterit incertissimum relinquitur. Nec desunt qui S. Guthiernum, ex insula migrantem, quinto sæculo decurrente, cucullatæ cuidam catervæ in eodem loco præfuisse memorent. Invalidis tamen argumentis ea conjectura innititur. Alia insuper plura eadem de fundatione proferuntur, quæ non minorem dubitationem habent. Quod si vero ad minus ambigua veniamus, occurrit Alanus, Cornubiæ comes, anno circiter 1029, instaurationem Kemperlegiensis monasterii aggrediens, monachisque a semet accitis Gurloesium, Rotonensem ascetam, præficiens, quem, eodem anno, VIII id. aprilis, Orscandus, Corisopitensis antistes, confirmavit. Duodecimo certe sæculo veteris, si quæ fuerat, abbatiæ recordatio prorsus exciderat : Bernardus enim præsul, monachorum, anno 1166, jura recensens, Ch. VI, col. 196
primam hujusce domus *fundationem* Orscandi temporibus palam adscribit. Rotoni observata S. Benedicti instituta : sic et S. Crucis incolæ Benedictini monachi fuere. Abbatiæ basilicam, IV non. Maii 1083, Benedictus abbas consecrari curavit. Ratas monachorum possessiones habuerunt Gregorius VII, Urbanus II, Pascalis II, Calixtus II, Innocentius II et Martinus IV. Diuturna et acerrima lis fuit inter Corisopitenses antistites et Kemperlegienses monachos, de juribus quæ tam in ipsum monasterium, quam in prioratus ecclesiasve ad id spectantes, sibi Corisopitensis antistes vindicabat. Quæ sopita tandem fuit anno 1262, ut ex amplissima charta Ch. XI, col. 293
comperimus. Locum subierunt S. Mauri sodales 25 Martii 1665.

Compendiosam S. Crucis historiam, a domno *Germain* digestam, servat Monastici Bened. tomus X. Chronicon Kemperlegiense præterea imprimisque consulas, a Gurhedeno monacho conscriptum.

SERIES ABBATUM.

I. S. Gurloesius, Rotonensis prior, consecratur primus abbas Kimperlegii ab Orscando, Corisopitensi episcopo, VIII idus Aprilis 1029. Ei plura concesserunt Alanus comes et Judith, uxor comitis; apud Sammarthanos. Anno 1037, ab *Huelin*, Berengarii filio, insulam dictam *Tanguethen* et plures ecclesias accepit; inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 373. Obiit 25 Augusti 1057; e Chronico Gurhedeni monachi. Idem per annos quinque et viginti cœnobio præfuisse legitur, in instrumento litis super Bella Insula. Anno igitur 1053, vel 1054, munus dimiserat. Gurloesii canonisationem poposcit Benedictus abbas a Gregorio papa VII, undecimo sæculo desinente; nec tamen obtinuit.

II. Joannes I Gurloesio succedens memoratur et per undecim annos præsidens, in chartula de Bella Insula. Abdicavisse videtur; nam, ex abbatiæ Chronico, decessit anno 1081, XVII cal. Julii.

III. Vitalis per novem annos abbatiam rexit; e supra laudata chartula. Huic *Altfret*, cognomine *Mab*, plura concessit.

IV. Jungomarus, alias S. Vingonianus, Vitali succedens reperitur, « cujus corpus in « ecclesia Dei genitricis, apud Kemperlegium, « suavissimo redolens odore, aperto sepul« chro totum integrum conspicitur. » Electus est anno 1059, et abdicavit anno 1066, anno 1088 decessurus; ex abbatiæ Chronico. Cui testimonio chartula de Bella Insula jam sæpe laudata minime suffragatur. Annos enim quos Gurloesio Joanni et Vitali tribuit si computes, abbatiale clavum Jungomarus anno 1073 circiter assumpsit. Certior tamen Chronico fides adhibenda. Jungomarus enim occurrit in chartulis annorum 1069, 1074, 1075; sed una cum Benedicto sequente. Unde eum munere cessisse comperitur ante annum 1069. Brevior igitur Joannis Vitalisque præsidatus fuit, quam in chartula de Bella Insula memoratur.

V. Benedictus, Alani filius, frater Hoelli, Cornubiensis comitis, et Quiriaci, Nannetensis episcopi, monachus primo fuit Landevenechi. Electus abbas Kemperlegii, anno, ut aiunt, 1066, quam plurimis donatus est prædiis, ut diversæ testantur chartæ nomen ejus exhibentes. Anno 1069, IV id. Aprilis, ab Hoello comite S. Amandi prædium obtinet; ab eodem, II id. ejusdem mensis et ejusdem anni, aliud prædium dictum *Loc-degui de Keberoen*. Reperitur, anno 1074, testis Hoelli comitis Kemperlegiensibus vineam Pictavini, sacerdotis, condonantis. Anno sequente, a Bertha comitissa ecclesiam B. Mariæ, infra muros Nannetum sitam, accepit: anno 1076, a Quiriaco, fratre suo, plura prædia. Exstant Gregorii papæ VII litteræ ad Benedictum, quibus, anno 1078, abbatiam pro-

A tegendam suscipit. Salutatus dein Benedictus, anno 1079, Nannetensis episcopus, assumptis licet infulis abbatis nomen munusque retinuit. Sic, episcopus idem et abbas, anno 1082, ab Harcoidio jura plura in vico *Caër* percipienda impetravit. Similiter, cal. Augusti 1088, Constantiam, Britanniæ comitissam, excepit Kemperlegio rursus condonantem ea quæ monachi ab ejus conjuge Alano jam antea acceperant. Plura ad eumdem ab Alano Fergando collata, anno 1089, exhibent Prob. Hist. Brit., t. I, col. 464, 465. Nec silendum de insula *Corber* eidem B a Matthia, Nannetensi consule, anno 1091 concessa, apud Bal. arm. 2, fasc. 1, n. 1, t. II, et de prædio *Calnes* ab Alano dato, VI cal. Augusti 1096; ibid. Benedictus dein occurrit abbas Kemperlegiensis II id. Aprilis 1107, necnon episcopus Nannetensis, in Alani charta, Kemperlegiensibus prædium dictum *Killicaduc* in *Elgent* tribuentis. Anno tandem 1111, ut plerisque videtur, senio confectus, abbatiam et episcopatum simul abdicavit, anno 1115 decessurus; ex abbatiæ Chronico.

Asserunt quidam Benedictum, ab anno C 1079, quo Nannetensis ecclesiæ clavum arripuit, quosdam e grege monachorum Kemperlegio præfecisse, qui et ipsi abbates dicti sunt. Hoc autem mendose enarratur. Killaeus enim abbas, quem una cum Benedicto Kemperlegio præfuisse memorant, abbas erat Landevenechi, non autem Kemperlegii.

VI. Gurhandus, vel Gurvandus, Kemperlegiensis monachus, abbatiæ præficitur ab ipso Benedicto, anno, ut aiunt, 1111, alias 1114, et ordinandus ad Turonensem metropolitam ab eodem mittitur; e chronico Gurhedeni. Memoratur Gurhandus, VI id. De- D cembris 1119, cæteris vero discordantibus notis, a Calixto papa II possessionum ad abbatiam spectantium confirmationem obtinens. Ch. II, col. 189. Munere semet, ut videtur, abdicavit, VIII cal. Februarii 1131 decessurus, ut Gurhedenus refert.

VII. Hemericus obiit anno 1130; e Gurhedeno monacho. Eum ante Gurhandum quidam ponunt. Ab aliis secundarius abbas notatur, cui Benedicti absentis temporibus abbatiæ cura demandata. Hæ vero conjecturæ fide carent.

VIII. Adonias abbas eligitur III non. Julii E 1130; ex eodem. Et ipse antequam debitum naturæ persolveret, munus dimiserat; namque obiit anno 1143, e Chronico, et V non. Martii, e necrologio, ei dum jam anno 1139 successerat

IX. Roengallonus, qui, eo anno, XV cal. Maii, ab Innocentio papa II litteras impetravit, quibus abbatiæ tutelam Romana sedes suscepit. Idem pactus est cum Ivissa, Haelgomarchi filia, et a Conano duce obtinuit, ut Kemperlegienses a tributo quod *cibus canum*

vocabatur immunes fierent; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 580. Obiit III non. Octobris.

X. Rodaudus ordinatur anno 1147; e Gurhedeno.

XI. Riocus obiit anno 1160; ex eodem.

XII. Donguallus, alias Donvallonus, ordinatur anno 1160, obiturus anno 1163; ex eodem : IV non. Octobris; e necrologio.

XIII. Rivallonus I Dornvallono succedens memoratur anno 1163, in Gurhedeni chronico. Unde conjicimus chartam Conani pro Templariis, cui subscribens Rivallonus legitur, Prob. Hist. Brit., t. I, col. 638, anno mendose 1160 adscriptam fuisse. Idem, anno 1166, a Bernardo, Corisopitensi præsule, confirmatas obtinuit ecclesias jam Kemperlegiensium sub patronatu positas. Ruallendus ab amanuensi quodam scriptus est, anno 1170, in litteris Conani ducis S. Michaeli villam *Querver* condonantis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 662. Eidem denique, anno 1184, Constantia, Conani filia, confirmatas abbatiæ possessiones tradidit; e cod. Regio 8357³. Abdicavit, ut videtur, anno 1187 decessurus. Ejusdem IV id. Decembris martyrologium meminit.

XIV. Evenus benedicitur anno 1186, teste Gurhedeno. Ei, anno 1190, *Gorguothen* et uxor ejus *Anguant, simul et ibidem* monachicum habitum induentes, prædii cujusdam mediam partem tradiderunt; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 560. Anno 1205, a Guillelmo, Galli filio, villam *Lanmorgant* accepit. Eidem Guido de Thoarcio, anno 1206, possessiones ab avis Kemperlegio datas confirmavit; e cod. Regio 8357³. Munere dein semet Evenus abdicavit, et obiit anno 1210 : IV non. Januarii; e necrologio.

XV. Savaricus ordinatur anno 1209 et moritur anno 1211; apud Gurhedenum : calendis Octobris; e necrologio.

XVI. Daniel I benedictionem suscipit anno 1212, anno 1237 sequenti clavum transmissurus. Eo abbate, *Sorboz*, contra monachos litigans, in causa cecidit. Munere cessit, ut aiunt, anno 1237. Obiit autem XVIII cal. Julii 1249, secundum Kemperlegiense necrologium; anno 1244, secundum Landevenecense.

XVII. Rivallonus II *Saligog* ordinatur anno 1237. Obit anno 1239, IV non. Januarii.

XVIII. Urbanus decessit VII id. Julii 1247.

XIX. Evenus de variis litigans cum Guidone, Corisopitensi præsule, cum eo tandem pactus est, Octobri mense 1262. Obiit 13 Februarii 1263. Ch. VI, col. 193.

XX. Daniel II, dictus *Broth* de Belsia, eligitur anno 1263, et obit 31 Augusti 1269.

XXI. Daniel III *Blanchart* eligitur 2 Septembris 1269. Anno 1277 depositus, montes pertransiit ut de causa sua coram summo Pontifice sermonem haberet; qui Viterbii decessit, III id. Septembris 1279.

XXII. Cadiocus, Danieli anno 1277 subrogatus, obiit 20 Aprilis 1296.

XXIII. Alanus *de Kerudierne*, e monacho S. Martini de Campis eligitur abbas anno 1296, et benedicitur Parisiis 6 Januarii 1297. Obiit 4 Maii 1324.

XXIV. Herbertus, alias Albertus, ex abbate Kemperlegii fit abbas Ebronii, apud Cenomanos, IV id. Junii 1356; e litteris Innocentii papæ VI, quas Suaresius contraxit.

XXV. Yvo *de Quillihouc'h* ex abbatiæ camerario abbatis munus, post Herberti translationem, annuente Innocentio papa, aggreditur. Memoratur 27 Aprilis 1370, in litteris Joannis ducis. Decessit 10 Julii 1381.

XXVI. Guillelmus I eligitur anno 1381; qui, jubente Joanne, Britonum duce, Kemperlegium deseruit anno 1384, et Rotonensibus monachis præfectus est; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 449.

XXVII. Robertus *Pepin* Britonum duci a Clemente papa VII commendatur, VII cal. Junii 1384. Is monachos rebelles expertus est: quos tamen, auxilio Joannis ducis fretus, carcerum minis composuit. Testatur, 18 Aprilis 1387, se vidisse Joannis ducis litteras de concessis reditibus Joannæ Navarreæ. Reperitur etiam 10 Junii 1397. Ch. XIII, col. 205.

XXVIII. Henricus I *de Lespervez*, frater Alani, Corisopitensis episcopi, occurrit annis 1409, 1422. Obiit 2 Maii 1434, vel 1433. Æmulum quemdam expertus est, nomine Joannem, qui pluribus in chartulis occurrit abbatem semet ferens.

XXIX. Hervæus *Morillon* eligitur anno 1434, decessurus anno 1453; e Moricio. Hic Hervæus in veteribus indicibus deest, qui Henrici decessum anno 1453 adscribunt.

XXIX. Guillelmus II *de Villeblanche*, eligitur anno 1453. Anno 1455, a Nicolao papa litteras accepit quibus Bellæ Insulæ deprædatores excommunicati. Annis 1463, 1472, reperitur. Anno dein 1480, 15 Octobris Guidoni, Corisopitensi episcopo, cathedralem ecclesiam ingredienti ministravit. Occurrit etiam anno 1481. Obiit V id. Septembris 1483. Aquilonalem ecclesiæ partem construxerat.

XXXI. Sebastianus *du Pou*, Rotonensis monachus, eligitur ultima die Octobris 1483, et moritur 12 Decembris 1499. Cujus post obitum Robertus, Trecorensis præsul, ab Alexandro papa, commendæ titulo, abbatiam obtinuit; prohibentibus vero monachis, apostolico dono potiri non valuit.

XXXII. Petrus I *de Kergus* e Landevenechi monacho S. Crucis abbas electus est anno 1500. Abdicavit anno 1520, paulo post decessurus 29 Augusti. Idem cancellariæ Britannicæ consiliarius fuerat.

XXXIII. Daniel IV *de S. Alouarn* abbas fit, resignatione præcedentis admissa, idibus Junii 1520, et fidem regi dat annis 1541,

1549. Obiit VIII cal. Julii 1553. Ultimus fuit regularium.

XXXIV. Odetus *de Coligny*, episcopus Bellovacensis et cardinalis Castellionensis, commendatariorum primus, munus adiit per procuratorem 21 Novembris 1553. Occurrit usque ad annum 1566. Ad Calvinistarum vero partes defecit, et senatus consulto cunctis suis beneficiis privatus est anno 1569.

XXXV. Ludovicus *de Vallory*, alias *de Ballery*, vel *de Vallery*, protonotarius apostolicus et eleemosynis regiis præfectus, fidem dedit anno 1566, et bullas anno sequente obtinuit. Æmulum habuit Stephanum *Boucher*, Corisopitensem episcopum, quem superavit. Memoratur, 25 Septembris 1571, in Redonicis comitiis. De Bella Insula cum Alberto *de Gondy* dein transegit, 5 Februarii 1573, secundum recentem usum. Quia vero multas jam deprædationes abbatia passa erat, in ea tunc temporis tres tantum monachi reperiuntur, quibuscum tres presbyteri sæculares mercede conducti.

XXXVI. Petrus II *de Gondy*, episcopus Parisiensis, 1573, 1574.

XXXVII. Petrus III *Delabessée*, canonicus Parisiensis, reperitur annis 1575, 1579, 1584.

XXXVIII. Silvius *de Pierre-Vive*, doctor theologus, 1584, 1585.

XXXIX. Henricus II *de Gondy*, episcopus Parisiensis, abbas idem plurium locorum, inter quos Calmam, Buzaium, Coronamque hic memorare satis est, S. Cruci præfuit ab anno 1600, obiitque 3 Augusti 1622.

XL. Joannes II Franciscus Paulus *de Gondy*, cardinalis, abbatiali pedo potitur 10 Augusti 1624. Quod deposuit anno 1668. Eo sedenim anno, ad ejus postulationem, sequentem rex nominavit.

XLI. Guillelmus III *Charrier*, clericus Lugdunensis, possessionem adiit 23 Junii 1668. Obiit 5 Septembris 1717.

XLII. Christophorus Ludovicus *Turpin de Crissé de Sanzay* possessionem adiit 23 Aprilis 1718. Episcopus idem Redonensis et mox Nannetensis. Decessit anno 1746.

XLIII. N. *de Goyon-Vaurouault* nominatur 23 Aprilis 1746.

XLIV. N. *Berthelot*, theologiæ doctor, erudiendis regis filiis præpositus, ab anno 1758 usque ad annum 1785.

XLV. Guillelmus IV *Davaux*, patria Delphinas, reperitur anno 1790.

LANGONIUM.

Ea Cisterciensis abbatia, cujus hortos *Ellé* fluvius irrigabat, condita est, 20 Junii 1136, a Conano duce III. Ex eadem, ut aiunt, duodecimo sæculo, S. Mauricii Carnoetensis, et, anno 1338, Landævallis monachi deducti sunt. Lamentabilem Langonium cladem experitur, dum Fæderati, Mercæuro duce, vicinos campos occupant. Deperditis jamdudum hujusce domus tabulis, ablatum pauca nomina colligere licuit. Ea tamen sunt quæ ad nos pervenere :

ALIQUOT ABBATES.

S. Mauricius occurrit, anno 1161, judex litis de ecclesia B. Mariæ Nannetensis, inter Kemperlegienses monachos et canonicos Nannetenses; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 644. Idem testis fuit, anno 1166, Bernardi, Corisopitensis episcopi, Kemperlegiensium possessiones confirmantis. (Ch. VI, col. 193.) Anno circiter 1170, S. Mauricius juxta silvam *Carnoët* abbatiam exstruxit, ejus quæ postea nomen assumpsit, cujusque abbas ipse fuit. Obiit anno 1191.

Hervæus *de Cabocel*, alias Herscomarus, tam Langonio quam S. Mauricio *de Carnoet* præfuisse memoratur anno 1220.

Guillelmus, die lunæ post Ascensionem Domini 1307, Hervæum de Leonia in precum consortium admittit.

Henricus *de Kergoet* occurrit anno 1477, in tabulis ecclesiæ Corisopitensis. Idem, 14 Octobris 1480, in litteris quibus solemnis ingressus Guidonis, episcopi Corisopitensis, in urbem episcopalem posterorum memoriæ traditur.

Vincentius *de Kergoet*, 1510, 1504.

Yvo *de Bouteville*, adversus Yvonem *de Vaucouleur* de præsidatu litigans, sententiam obtinuit 13 Aprilis 1518. Obiit anno 1536.

Joannes *Nicolas*, anno 1541.

Franciscus I *de Buonacorsi* fidem regi dat anno 1549, apud *Padioleau*, p. 131.

Laurentius *de Buonacorsi* sacramentum præstat 25 Julii 1574. Is patria Florentinus, et Catharinæ Mediceæ sanguinis vinculo junctus, minime regularis fuit, nam equestrem turmam ducebat.

Paulus *de Buonacorsi* fidem dat annis 1590 et 1607. Reperitur in Britanniæ comitiis annis 1596, 1603, 1604, 1607, 1608, 1609, 1611, 1617, 1619, 1624; in quibus, anno 1624, clero præfuit. Munere semet abdicavit. Abdicationem ejus testantur litteræ, publicis senatus Britannici commentariis consignatæ, 2 Junii 1638. Paulus, deposita militari veste, monachum induerat.

Isaacus *de Marbœuf* instituta Carmelitanorum antea professus, sedit in Venetensibus comitiis anno 1649.

N. *de Montenay*, e clerico sæculari monachus. Anno 1647 abdicavit.

Claudius *de Marbœuf*, antecedentis nepos, occurrit anno 1674. Obiit anno 1723.

Renatus Augustus *de Marbœuf*, reginæ ab eleemosynis, et major Rotomagi vicarius, ab anno 1724. Sedebat etiam anno 1754.

N. *de Lesquen*, canonicus Redonensis, ab anno 1754. Decessit 10 Novembris 1765.

Tussanus Franciscus Josephus *Conen de S. Luc* nominatur anno 1767. Qui Corisopitensis fit episcopus 1 Maii 1773. Abbatiali munere semet abdicavit anno 1785.

Franciscus II Carolus *Chevreuil*, cancellarius ecclesiæ Parisiensis, superstes erat anno 1790.

B. MARIA DE SILVA MELLONIS.

Abbatiam hanc Cisterciensem, in viculo *S. Gilles-Pligeaux* sitam, instituit, ut aiunt, Alanus comes, 27 Junii 1142, quam Conanus IV postea confirmavit. Parva loci fama, exigui reditus, eaque chartarum ad monachorum rem spectantium paucitas, ut seriem abbatum imperfectam relinquere cogamur.

ABBATES.

I. Daniel temporibus Conani IV reperitur.

II. Eudo I, ante Augustum mensem 1167, cum eo sedenim subscribente Bernardo, Corisopitensi præsule, testis fuit Conani ducis possessiones S. Crucis Guimpampensis confirmantis.

III. J. laudavit, anno circiter 1188, litteras Alani ducis abbatiam S. Rioni condentis.

IV. Eudo II reperitur, anno 1202, in Alani edicto plures ecclesias in Anglia sitas monasterio Belli Portus concedentis; e Monastico Anglic., t. VI.

V. Geoffridus I reperitur Junio mense 1309, e chartario S. Albini.

VI. Geoffridus II, dictus *Pligeaux*, obiit 23 Maii 1385; ex ejus epitaphio.

VII. Bertrandus, 1478, 1489.

VIII. Jacobus *de Kerbihan* litteris apostolicis abbatia donatur anno 1502.

IX. Tristanus *Dolo*, provincialis fratrum Prædicatorum, abbas electus est anno 1510; quo, mense Septembri, Turones, jussu regis, deveniens, negavit se jure vocatum ad ecclesiæ Gallicanæ comitia, cum pars esset ecclesiæ Britannicæ; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 896.

X. Joannes I *Rolland* occurrit 19 Aprilis 1518.

XI. Hervæus *de Lannion* procuratorem instituit qui pro ipso fidem regi det, 21 Novembris 1524; e Max. Gallor. Arch., J, 818.

XII. Ludovicus *Guinemene*, electus a monachis et a Clemente papa VII confirmatus, reperitur, 14 Aprilis 1535, sententiam obtinens adversus Reginaldum *Bouchetel*, archidiaconum Andegavensem, qui sibimet abbatiale pedum vindicabat.

XIII. Joannes II *de Gaigny*, commendatarius abbas, 1537, 1539.

XIV. Franciscus I *de Maulny*, 1543. Obiit anno 1545. Eo anno vacans sedes legitur apud *Padioleau*, p. 125.

A XV. Franciscus II *de la Tour*, e monacho B. Mariæ de Reliquiis episcopus Corisopitensis, abbas reperitur anno 1574, quo apocham sigillo suo munivit; ex arch. Cleri Gallic., Alienat. Coris. diœces. Regi semet fidum juravit anno 1576. Obiit anno 1593, Trecorensem tunc sedem occupans.

XVI. Erricus *de Lorraine*, Virdunensis episcopus, in gratiam sequentis munere semet abdicavit.

XVII. Carolus I *de Lorraine*, episcopus et comes Virdunensis, pro B. Maria fidem regi dedit anno 1620.

B XVIII. Carolus II *d'Acigné* nominatur anno 1636. Elapsis vero tribus annis, matrimonium contraxit.

XIX. Franciscus III *de Lorraine*, antecedentis Caroli I germanus, et ipse Virdunensis præsul, creatur abbas anno 1641. Obiit anno 1661.

XX. Joannes III *du Val Broutel*, reginæ ab eleemosynis et canonicus Virdunensis, nominatur anno 1662, moriturus anno 1673.

XXI. Franciscus IV *Gobelin*, doctor Sorbonnicus, ab anno 1674 usque ad annum 1691.

C XXII. Petrus *Ogier de Cavoie* schedulas accepit regias 2 Junii 1691. Decessit anno 1708.

XXIII. Joannes IV Josephus *Languet*, abbas ab anno 1709. Ad Suessionensem ille cathedram promotus fuit anno 1715, postea traductus ad Senonensem metropolim die Natali Domini 1730. Abbas æque commendatarius S. Justi. Obiit Senonis 11 Maii 1753.

XXIV. Antonius Josephus *des Laurents*, episcopus dein Macloviensis, munus aggreditur 24 Augusti 1753, decessurus anno 1785.

XXV. N. *de Goyon*, canonicus Redonensis, sedem tenebat anno 1790.

D

S. MAURICIUS.

Hanc abbatiolam condidit S. Mauricius, abbas Langonii, juxta silvam *Carnoët*, in prædio quod ei contulerat Conanus IV, Britonum dux, annum circiter 1170. Eo scilicet adductis duodecim Langonii monachis, instituitur pius cœtus, cui Mauricius ipse præest. Sanctissimi viri summa, labentibus annis, fama fuit : quamobrem abbatia, sub patronatu B. Mariæ quondam erecta, Mauricium sibi patronum æque vindicavit. Ibi
E septem olim monachi. Domesticam abbatum seriem præbet Albor. Mantell. codex 45.

SERIES ABBATUM.

I. S. Mauricius obiit anno 1191; e chronico Gurhedeni monachi.

II. Hervæus *de Cabocel*, alias Hescomarus, occurrit, VI cal. Junii 1220, in charta Gradloni, eremitæ, oratorium suum, cellam, hor-

tum duoque jugera terræ S. Mauricio tradentis; inter Probat. Hist. Brit., t. I, col. 845. A

III. Guillelmus I accepit, 30 Augusti 1225, litteras Honorii III, quibus abbatiæ privilegia confirmata.

IV. Bertrandus post Guillelmum legitur in abbatiæ catalogo.

V. Rivallonus *Posthec* inter vivos numerabatur anno 1276.

VI. Albericus, alias Cariocus, decessit 10 Octobris 1295; ex obituario Kemperlegii.

VII. Simon; ex abbatiæ catalogo.

VIII. Henricus I *de Pochaer;* ex eodem.

IX. Guillelmus II, auctor vitæ S. Mauricii, B anno 1323.

X. Guillelmus III *de Kerester* basilicæ chorum exstruxit anno 1407.

XI. Guillelmus IV *de Keranguen* sedebat 22 Aprilis 1421.

XII. Guillelmus V *Derrien*, vel *de Ruyen*, annis 1453, 1458, 1464.

XIII. Henricus II *de Quoistren*, vel *de Coistren*, annis 1468, 1472, 1478.

XIV. Joannes I *de Kerdeffrech* ab anno 1479. Comes fuit, 15 Octobris 1480, Guidonis, Corisopitensis episcopi, in episcopalem urbem ingredientis. Reperitur etiam C anno 1492.

XV. Bizianus *de Kerampuil*, annis 1500, 1505.

XVI. Petrus I *Corze*, alias *Corre*, baccalaureus in theologia, ab anno 1509 ad annum 1520, quo decessit.

XVII. Ludovicus *Dupont*, alias *du Pou*, litigavit anno 1521 cum Ivone *de Bouteville* abbatialem baculum sibi vindicante. Utriusque abbatis nomina tabulæ simul præbent. Opinatur Moricius Yvonem in ea causa cecidisse. Ludovici nempe meminit catalogus D abbatiæ, non autem Yvonis.

XVIII. Joannes II *de Kerdeffrech*, qui competitorem habuit Michaelem *de Coëtlogon*, post Ludovicum a Moricio ponitur. Fidem dedit 8 Julii 1541, et eodem anno decessisse refertur.

XIX. Joannes III *du Staer*, commendatarius abbas, ab anno 1541. Hujus e manibus baculum avellere plures e monachorum cœtu frustra conati sunt. Decessit anno 1543.

XX. Michael *Jacob* regi fidem dedit anno 1543, apud *Padioleau*, p. 124, et obiit anno 1553.

XXI. Tussanus *Barin*, anno 1554. E

XXII. Joannes IV *Eude* fidem juravit anno 1557, et anno 1578 munus dimisit.

XXIII. Richardus *Eude*, antecedentis germanus, ab anno 1578. Obiit 22 Octobris 1583.

XXIV. Petrus II *de Vieuxchastel*, ab anno 1583. Occisus fuit, Septembri mense 1590, a rusticis armatis.

XXV. Guillelmus VI *de Launay*, ab anno 1593. Fidem regi juravit anno 1595. De eo sic abbatiæ catalogus : « Post commendatarios regularis abbas successit, ex ordine « Fratrum Prædicatorum, venerabilis pater « *de Launay*, dominique ducis *de Mercœur* « confessarius ac prædicator, de quo Henricum, regem Galliæ, quidam dixisse ferunt « magis eum sibi obstitisse suis concionibus, « quam dominum ducem *de Mercœur* suis « tormentis bellicis. Captus ab hostibus cum « eum quidam a S. Luca dictus apud Kemperleium bene captum diceret, acute re- « spondisse fertur : *Optime secundum Lu-* « *cam, at non secundum Joannem.* » Dum captivus teneretur Guillelmus, sequentis in gratiam munere semet abdicavit.

XXVI. Olivarius *de Mur*, monachus Begardi, Guillelmo abdicante clavum arripit. Paulo post vero vinculis liber Guillelmus dimissum munus sibi vindicat.

XXVII. Guillelmus VI *de Launay*, postquam, pacatis regni dissidiis, regis in gratiam redierat, ejus a consiliis et eleemosynis fuit. Eidem mox S. Mauricii regimen rursus collatum. Eo sedenim pro munere fidem regi dedit anno 1604, apud *Padioleau*, eoque fungens sedit in comitiis Redonensibus anno 1608.

XXVIII. Nicolaus *Druays*, ipse, ut videtur, regularis, decessit anno 1616.

XXIX. Guillelmus VII *Riou* creatur regularis abbas anno 1616. Interest, anno 1619, Britanniæ comitiis, et obit 30 Septembris 1641.

XXX. Andreas *Gaudesche*, monachus Fontis Danielis, ab anno 1641. Strictam Cisterciensis legis observantiam in abbatiam intromisit. Obitus ejus 23 Septembris 1650 adscribitur.

XXXI. Petrus III *Chevé*, regularium ultimus, abbatiali munere donatus est anno 1650.

XXXII. Petrus IV Guillelmus *de la Vieuville-Pourpris*, ab anno 1681. Sedit, anno 1681, in comitiis Nannetensibus. Briocensem cathedram conscendit anno 1721.

XXXIII. N. *de la Bourdonnaye*, ab anno 1727 ad annum 1742.

XXXIV. N. *du Page de Reignon*, canonicus Nannetensis, ab anno 1742.

XXXV. N. *de Keroulas*, archidiaconus et vicarius generalis Leonensis, ab anno 1780. Sedebat anno 1790.

BONA REQUIES.

Cisterciensem hanc abbatiam, in viculo *S. Gelvin* sitam, Alanus, vice-comes *de Rohan*, et ejus uxor Constantia condidere, ab octo monachis incolendam. Quod vero sub tempus initium habuerit ambigitur. Antiquior sane fuit anno 1184, is licet annus a Moricio probatus fuerit : Lucas enim, secun-

dus abbas, Herberti, archimandritæ Clari-A montani, coævus infra legetur, ante scilicet hunc annum 1184. Hujus abbatiæ tecta qui primi subierunt hospites, Boquiani, jam Cisterciensium instituta professi erant. Anno 1387, Nicasius, abbas Eleemosynæ, eam reformat.

SERIES ABBATUM.

I. Gualterius primus abbas nuncupatur in Alani charta, qua donatur ecclesia *Fuleburne* in Anglia. Non vero diu præfecturam abbatiæ tenuit, nam B

II. Lucas occurrit cum Herberto, Clari Montis abbate, testis Savigneio datorum ab Alano *de Zouche;* Prob. Hist. Brit., t. I, col. 656. Herbertus autem supra memoratus anno 1184 Clarum Montem deserebat, in fastigium ecclesiæ Redonensis evectus.

III. Guillelmus I post Lucam; e domno Moricio.

IV. Richardus, anno 1207, in litteris Innocentii papæ III. Idem a Joscelino *de Rohan* incrementum quoddam abbatialis rei accepit. Testis tandem occurrit cum Mauricio, abbate Veteris Villæ, in Alani de Rohan C chartula, quinque marcas argenti Veteri Villæ tradentis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 775.

V. Geoffridus anno 1221; ex abbatiæ catalogo.

VI. Valtus anno circiter 1238; ex eodem catalogo.

VII. Guillelmus II post Valtum, ex eodem, annum circa 1246.

VIII. Rivallonus ab anno circiter 1248. Pactus est, anno 1274, cum Guidone *Droadren*. Idem memoratur anno 1288. Legitur per annos quadraginta pedum abbatiale tenuisse. D

IX. Aufredus de juribus componit, anno 1323, cum Alano *de Quebriac*. Reperitur idem anno 1330.

X. Henricus I *David* annis, ut videtur, 1356, 1359. Obiit anno circiter 1362.

XI. Guillelmus III *de Quimper* abbas instituitur, post obitum Henrici, litteris Innocentii papæ, datis III non. Maii 1362; apud Suaresium. Accepit Guillelmus, 2 Maii 1373, Joannis *de Rohan* chartulam de duobus missis quaque hebdomade celebrandis. Idem reperitur 28 Augusti 1381.

XII. Yvo I *de Quimper* agnovit, lunæ die E post *Lætare* 1392, abbatiam sub jure vicecomitis *de Rohan* esse positam. Nominatur idem, 5 Februarii 1407, curator testamenti quod condit Olivarius, Clissonensis toparcha; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 782. Occurrit usque ad annum 1410.

XIII. Yvo II *Malescot* fidem juravit in camera Computorum 8 Octobris 1425. Occurrit, teste Moricio, usque ad annum 1443.

XIV. Henricus II *Le Barbu* abdicavit 9 Martii 1464, secundum recentem usum, in gratiam Alani sequentis; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 65.

XV. Alanus *de Penguily*, abbatiæ professus, dein prior, abbas occurrit anno 1464. Ei per ducem licuit, 31 Maii 1465, bullas pontificias exsequi. Reperitur anno 1476, in apocha. Abdicavit tandem anno 1483, in gratiam Ludovici *de Rohan*. Hæc vero cessio, cui monachorum cœtus obstitit, irrita evasit.

XVI. Henricus III *du Boisberthelot* occurrit abbas anno 1484. Decessit 5 Augusti 1502.

XVII. Guillelmus IV *Lefeuvre*, annis 1505, 1507.

XVIII. Hervæus *de Lannion*, idem et abbas Silvæ Mellonis, procuratorem instituit a quo regi fides juretur, 21 Novembris 1524; e Max. Gall. Arch., J, 818. Adest, 15 Junii 1526, electioni Guillelmi *de Kernevenoi*, abbatis Begardi. Decessit desinente anno 1533, et, eo mortuo, ad commendatarios abbates administratio domus transiit.

XIX. Reginaldus *Bochetel*, supremus archidiaconus Andegavensis ecclesiæ, a Francisco rege creatur abbas. Possessionem adiit Januario mense 1535 et obiit anno 1536, vel 1537. Post ejus quidem decessum Joannem *du Quellenec* fratres elegere, sed incassum, et commendatarium regimen prævaluit.

XX. Guillelmus V Lateranus, gallice *du Costé*, regis eleemosynarius et decanus Aurelianensis ecclesiæ, abbatiam, litteris regiis munitus, ingressus est 3 Octobris 1537. Regi fidem deinceps dedit, annis 1541 et 1556. Vacans legitur sedes 4 Novembris 1562; apud *Padioleau*. Guillelmo mortuo, Renatus *de Rohan* abbatia potitus est. Hunc autem rex submovit.

XXI. Joannes I *Rousselet*, regi ab eleemosynis, clientelaris obsequii professionem fecit annis 1565, 1575, et sedit in Venetensibus comitiis 25 Septembris 1567.

XXII. Joannes II *de Pluguemenel*, abbas nomine, aliquantisper fuit, ut aiunt, *custodinos* Troili *de Mezgouer*, marchionis *de la Roche*.

XXIII. Franciscus I *Levy*, canonicus Leonensis, creatus est anno 1579, et fidem dedit anno 1580, *custodi-nos* et ipse marchionis *de la Roche*, qui commenda semet abdicavit anno 1606.

XXIV. Antonius *de Morri*, alias *de Mornay*, et ipse sæcularis, ab anno 1606.

XXV. Guillelmus VI *du Peyrat*, ab anno 1608 ad annum 1612.

Post eum Michael *Leroy* litteris donatus est regiis, non autem munus adiit.

XXVI. Claudius I *de Guiller*, senior, Cisterciensis monachus, e priore Silvæ Mellonis abbas Bonæ Requiei eligitur 6 Novembris 1613. Interest anno 1620 Briocensibus comitiis, et Nannetensibus anno 1623, sequenti resignaturus anno 1628.

XXVII. Claudius II *de Guiller*, junior, antecedentis nepos e fratre, sedit in Nannetensibus comitiis anno 1645, obiturus anno sequente.

XXVIII. Michael *Mazarini*, cardinalis S. Ceciliæ et archiepiscopus Aquensis, reperitur anno 1647.

XXIX. Olivarius I *Euzenac*, alias *Luzenac*, recensetur anno 1652. Sedit, anno 1653, in Filgeriensibus comitiis.

XXX. Olivarius II *le Barbu*, anno 1656.

XXXI. Henricus IV Franciscus *de Rougé du Plessis-Bellière* Dinannensibus comitiis interfuit anno 1669; qui munere semet abdicavit, ut gladio latus cingeret.

XXXII. N. *Rougé du Plessis-Bellière* fratri suo successit.

XXXIII. Philippus Alexander *de Montault-Navailles de S. Genicz*, ab anno 1680 ad annum 1734.

XXXIV. Jacobus David *de Menou*, major Nannetensis ecclesiæ vicarius, ab anno 1734. Obiit 28 Septembris 1760.

XXXV. Franciscus II *Allaire*, patria Briocensis, abbas etiam Orionis, in Catalaunensi diœcesi, ab anno 1761 Bonæ Requiei præfuit.

XXXVI. N. *de la Biochaye*, vicarius generalis Dolensis ecclesiæ, ab anno 1776 usque ad annum 1790.

B. MARIA DE KERLOT.

Juxta Corisopitum, in viculo *Plomelin*, conditur abbatia B. Mariæ *de Kerlot*, 26 Martii 1652, a Petro *de Jegado*, domino *de Kerholein*, in qua moniales Cistercienses degerent. Eam Cisterciensis ordinis supremus moderator fundationem 10 Junii 1653 confirmavit. Translatæ dein eædem moniales intra Corisopitensis urbis pomœrium, anno 1668.

ABBATISSARUM SERIES.

I. Elisabetha I *de Jegado*, conditoris soror, nondum pontificiis regiisve litteris donata obiit, Decembri mense 1657.

II. Anna *Le Coigneux*, a rege nominata et a summo Pontifice probata, adversus hæredes domini *de Jegado*, qui abbatia potiti erant, acerrime litigavit. Decessit 12 Decembris 1693.

III. Elisabetha II *Sachot* nominatur 24 Decembris 1693; e Gallia Sacra. Obiit Decembri mense 1714.

IV. Maria Anna *de Goesbriant* a 6 Januarii 1715 usque ad 6 Julii 1738.

V. Renata *Rogier du Crevy* a 12 Augusti 1738 usque ad annum 1759.

VI. N. *de Quélen* ab anno 1759 in annum 1787.

VII. N. *de Kergu* superstes erat anno 1790.

ECCLESIA VENETENSIS.

Venetorum non semel Cæsar meminit, quos, ut fœderis nomine non pacem otiumve, servitutem vero afferri intellexerunt, repetundæ libertatis studiosissimos expertus est. Urbs olim eorum præcipua Dariorigum, eadem, ut nonnullis placet, ac Venetia Venetumve. Venetorum autem Cæsaris temporibus inaccessæ latebræ, quas æstus maritimi abluebant: prohibitus igitur eas ne terreno itinere aggrederetur, Romanam classem admovit, nec Dariorigo potitus est priusquam totam gentem navali prælio obtrivisset. Prorsus vero alius Venetiæ status. Quocirca recentiorem hanc urbem alii autumant, et quæ de Dariorigo certa dubiave enarrantur ad *Locmariaker* spectare contendunt. Ea sane conjectura potior videtur. Tandiu vero disputatam rem amoveamus. Ut Venetiæ nomen historici veteres memoriæ commendant, ea quidem urbs legitur a Britonibus vicissim et a Francis oppugnata, et horum illorumque, prout belli fortuna decernebat, temporaria sedes. Anno 786, Venetici tractus incolæ, sub Francorum regum imperio tunc temporis positi, jugum excusserunt, solitumque vectigal solvere destiterunt. Quem gentis sibi nimis confisæ motum compescere jussus Audulfus, regiæ mensæ præpositus, rebelles celeriter ad obsequium revocavit, et complures ex hujus regionis optimatibus Wormatiam ad Carolum regem captivos duxit. Inter quos memorantur quidam non tantum e dignitatibus suis eversi, sed ipsis etiam oculis; ut Barbarorum mos erat, privati, dum pauci conjurationis crimine absoluti dimittebantur. Hæc Moissiacense Chronicon, auctorque Annalium qui sub Eginhardi nomine circumferuntur. Anno dein 818, ut Theganus refert, semper inquieti Britones Morvannum regem salutant, et, eo duce, regnum quoddam nemini mancipatum constituere aggrediuntur. Eam vero non ferre valens contumaciam, Ludovicus imperator Armoricæ fines occupat, et Venetiam paucis castris pervenit. Denique Britonibus obviam tenditur, qui, Morvanno inter pugnandum interfecto, et prædiis igne ferroque vastatis, in Francorum ditionem redeunt. Postmodum vero Nomenoius, eadem ac Morvannus regni cupiditate inductus, cum Francorum res aliorsum pessum irent, in castello *Coëtlouc* dicto, prope Venetiam, coram Britonum proceribus, tanti facinoris non modo consciis, sed etiam suasoribus, regem ipse semet denuntiavit. Opportunitate quidem temporis strenue Nomenoius usus erat: qui postea populi vires non minus bellandi arte quam consiliorum suorum audacia firmavit. Venetiæ tunc summum decus, ubi Britannorum regum aula frequens, et non semel conciones gentis habitæ. Peculiaribus tamen comitibus paruit. E Venetorum comitum stirpe deductus Alanus ille, cognomento Magnus, qui totius Britanniæ principatum feliciter sibi vindicavit, et a quo Britannorum ducum clara series exordium cepit.

Quem sub annum Venetensis episcopatus erectus sit incertum est. Nonnulli vero dubium aliquid habere nescivere, utque ad eos vel e remotissimis ætatibus quantulæcumque nubes procedere visæ sunt, præter modum exterriti fuere. Hi tot commentorum artifices exstiterunt, inter quæ nobis nunc iter agere difficillimum. Quinto quidem decurrente sæculo Paternus occurrit, quem ex authenticis testimoniis Venetensem episcopum fuisse comperimus; sexto, Modestus, Macliavus, Eunius Regalisque innotescunt; late vero patentem septimus lacunam præbet. In eo fastorum publicorum silentio ad hagiographos plerique confugiunt: quibus adhærere non tutum, nec prorsus renuntiare licitum. Unde fit ut is qui veritatem solam nudamque consectatur, dum metuat ne cum ludibrio credulitatis aut ignorantiæ repellatur, e tam multis implicationibus semet extricare non valeat. Nec segniores ad credendum, nec promptiores esse statuimus, quos de dubiis dubitare non pudet. In Venetensi diœcesi recensebantur 171 ecclesiæ parochiales, 47 viculi in quibus minora altaria, 2 collegiatæ, 4 virorum abbatiæ, 1 puellarum, 19 virorum conventus, et feminarum 17. Ecclesia Rupis Fortis collegiata initium sumpserat 1 Junii 1527, a quinque canonicis, præter decanum cantoremque, et quatuor capellanis habitanda. Dignitate parem Guemeneii ecclesiam condiderat, anno 1529, Maria *de Rohan*, annuente Clemente papa VII, in eaque sex canonicos quatuorque capellanos, sub præpositi cujusdam regimine, constituerat. Tertia denique collegiata quondam exstiterat, S. Michaeli sacra, quam debellatis Caroli Blesensis copiis, Joannes Montifortensis in ipso prælii campo exstruxerat. Carthusiani vero S. Michaelis canonicos anno 1480 exceperant. In episcopali urbe 4 parochiæ, S. Petrus, B. Maria, S. Paternus, S. Salomon. Ecclesia cathedralis, quæ S. Petri patronatu superbit, varia, progrediente ætate, incrementa accepit. In eadem urbe monasticæ sodalitates 11, Capucini ab anno 1613, Discalceati Carmelitæ ab anno 1628, Carmelitæ a Bono Dono anno 1624 reformati, Dominicani ab anno 1633, Carmelitanæ Nazarenæ ab anno 1467, Patri Æterno addictæ matronæ, Franciscanæ, moniales a Visitatione ab anno 1635, et Ursulinæ ab anno

1632. In capitulo Venetensis ecclesiæ sedebant, anno 1270, 40 canonici et 20 capellani, ut comperimus ex anniversario a Guidone *de Conleu* condito; postea vero imminutus eorumdem canonicorum numerus, adeo ut, sub exitum postremi sæculi, 19 tantum superessent, inter quos dignitatibus prædititi eminebant summus archidiaconus, thesaurarius, cantor, scholasticus et supremus pœnitentiarius.

EPISCOPI VENETENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Paternus I.

Paternum, alias Patricium, quem et Tatheum vocant, inter Venetenses episcopos primum ponunt; quem anno circiter 448 obiisse memorant. Idem fuit, quorumdam e conjecturà, ac clarissimus hic Patricius qui doctrinam christianam Hibernos docuit. Id autem exoptatur plus quam probatur.

II. S. Paternus II.

Annum circa 462 Paternus II in synodo Venetico consecratur. Unius tantum Paterni Venetense Proprium meminit, 16 Aprilis. Sunt tamen qui, post secundum hunc Paternum, tertium quemdam in Venetensi cathedra sedisse referunt. His vero non tute confidas.

Paterno primo, secundo tertiove suffecti postea recensentur S. Dominicus, S. Clemens, S. Amandus et S. Saturninus. Sed a cautioribus criticis submoventur.

Quidam tandem, inter quos *Ogée*, eodem ac Paternum tempore Mansuetum ponunt, quem episcopum Britannorum, sine designatione sedis, præbent acta Turonensis concilii, anno 461. Eumdem, admodum incertæ sedis episcopum, R. P. *Lelarge* Alethensibus episcopis annumerat.

III. S. Guenninus.

Post S. Saturninum S. Guenninum nonnulli collocavere. Hujus quidem Proprium Venetense 19 Augusti mentionem facit.

IV. S. Modestus.

Aurelianensi concilio S. Modestus interfuit, anno 511. Super eo nihil aliud traditur.
511

V. Macliavus.

Macliavus Chanaonis germanus erat. De eo sic Gregorius Turonensis, Hist. lib. IV, c. 4 : « Chanao, Britannorum comes, tres « fratres suos interfecit. Volens adhuc Ma- « cliavum interficere, comprehensum atque « catenis oneratum in carcere retinebat, qui « per Felicem, Namneticum episcopum, a

A « morte liberatus est. Post hæc juravit fratri « suo ut ei fidelis esset, sed nescio quo casu « sacramentum irrumpere voluit. Quod Cha- « nao sentiens, iterum eum persequebatur. « At ille, cum se evadere non posse videret, « post alium comitem regionis illius fugit, « nomine Chonomorem. Is, cum sentiret per- « secutores ejus adpropinquare, sub terra « eum in loculo abscondit, componens desu- « per ex more tumulum, parvumque ei spira- « culum reservans, unde halitum resumere « posset. Advenientibus autem persecutori- « bus ejus, dixerunt : *Ecce hic Macliavus*

B « *mortuus, atque sepultus jacet.* Quod illi « audientes atque gaudentes, et super tumu- « lum illum bibentes, renuntiaverunt fratri « eum mortuum esse. Quod ille audiens, re- « gnum ejus integrum accepit... Macliavus « autem de sub terra consurgens, Veneticam « urbem expetiit, ibique tonsuratus et episco- « pus ordinatus est. » Sed mox eum infulas suscepisse pœnituit, ut refert Gregorius, his verbis : « Mortuo Chanaone, hic (nempe « Macliavus,) apostavit, et, demissis capillis, « uxorem quam post clericatum reliquerat « cum regno fratris simul accepit. Sed ab

C « episcopis excommunicatus est. » Decessit Macliavus annum circa 577, ut Cointio placet, occisus a Theodorico, filio Budici ducis, quem, mortuo patre, e regno exsulem dejecerat. De Warocho, Macliavi filio, mentio servatur apud Gregorium; Hist. Franc., lib. V, c. 27

Maracharii cujusdam meminit Fortunatus qui, anno 568, consecrationi Nannetensis ecclesiæ interfuit. Maracharium hunc antecessores nostri eumdem ac Mererium, Engolismensem episcopum, conjectura dixere; t. II, col. 980. Cointius Mererii loco Roma-

D charium, Constantiensem præsulem, proposuit. Is autem Maracharius, ex egregiis domni Lironii argumentis, nec Constantiensis, nec Engolismensis, Venetensis autem antistes fuit. Errasse tamen Lironius videtur, in eo quod Maracharium Macliavo successisse referat. Maracharium enim Macliavumque unius viri nomina duo conjicimus; præsertim cum Maracharius Fortunati versum impleat, quem Macliavus dissolvisset :

> Domnolus hinc fulget meritis, Maracharius inde,
> Jure sacerdotii, cultor uterque Dei.

ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI

VI. Ennius.

Ennius, vel Eunius, innotescit e Chronicis Aimoini et Gregorii Turonensis. De eo sic Aimoinus, Rerum Gall. Script., t. III, p. 77 : « Pictavenses et Bagasseni, conjuncti Andegavensibus, Warocum, comitem Britonum, repentino impetu opprimere moliebantur. Quorum prævenit insidias Warocus, circa medium noctis super eos irruens, et maximam ex eis stragem faciens. Tertia vero die, cum ducibus Chilperici fœdus pepigit... Venetum quoque urbem ea conditione refudit, ut si ex gratia Regis eam tenere mereretur, tributa quotannis solvere non moraretur. Aliquanto autem interjecto tempore, a fide desciscens, Eunium, Veneticæ urbis episcopum, ad regem dirigit, pro quibusdam causis responsa laturum : quem rex cum ira objurgatum direxit in exsilium. » Idem Ennii refert exsilium Gregorius, Hist. Franc., lib. v, c. 27, quod anno 578 adscribit. De eodem sic in eodem libro,
580 c. 41, ad ann. 580 : « Eonius episcopus, quem legatum Britannorum supra meminimus, ad civitatem suam regredi non permissus, ut Andegavis pasceretur de publico a rege præceptum est. » Quidam Ennium episcopis Andegavensibus annumerant; sed perperam, ut dictum est. Ejusdem mores Gregorius his verbis descripsit : « Nimium vino deditus erat, et plerumque ita deformiter inebriebatur, ut gressum facere non valeret. »

VII. Regalis.

Regalis meminit Gregorius Turonensis, disserens de pace inter Waroclum et Ebracharium ducem, annum circa 590; Hist. lib. x, c. 9.

Series Venetensium episcoporum post Regalem admodum confusa legitur apud Sammarthanos, e codice S. Crucis Kemperlegiensis. Horum quidem præsulum nomina nonnulla chartæ præbent; quæ ideo magis congruenti loco ponere licebit. Quædam conjectura dubiis temporibus adscribemus. Cætera vero uti fictitia corruptave prætermittere, diu pensata re, statuimus.

VIII. Budocus.

Post Regalem Budocus conjectura recensetur. Ejus 9 Decembris Proprium Venetense meminit.

IX. S. Hinguetenus.

S. Mercadocum S. Hinguetenus sacris initiavit. Eumdem quidam opinantur ac S. Guengantonum.

A

X. S. Mereadocus.

Colitur S. Mereadocus 6 Junii; e Proprio Venetensi.

XI. S. Gobrianus.

Memoratur decedens S. Gobrianus 3 Novembris 725.

S. Cadocus, quem post S. Gobrianum quidam ponunt, S. Paterni coævus legitur apud Usserium.

B

XII. S. Bilus.

S. Bili nomen commendatur 23 Junii.

XIII. Agus.

Temporibus Caroli Magni Agus floruit.

XIV. Isaacus.

Memoratur Isaacus Venetensis ecclesiæ gubernaculo præsidens, *in ipso anno* quo Carolus imperator *spiritum emisit ;* e chartular. Rotonensi. 814

C

XV. Winhelocus.

Winhelocus non semel occurrit in Rotonensibus chartulis. Sic ibi testis occurrit Catweteni sorori suæ, nomine *Roiantken*, plura vendentis; e Roton. tabulario. Ea enim charta data legitur *tertio anno postquam exivit domnus Ludovicus de Britannia ante Morman ;* quæ scilicet verba annum 821 significare videntur. 821
Sedem igitur Venetensem Winhelocus ante Reginarium tenuit. In eo

D quidem omnes fere consensere. Doctissimus tamen vir D. *de Bréquigny* plures chartulas, in quibus Winheloci nomen reperitur, sub annum 839 conjectura collocavit; Ind. Dipl., t. I, p. 197. Infelix ea sane fuit, præter morem, cautissimi viri conjectura.

XVI. Raginarius.

Raginarium nonnulli Rainardum, Romarum, Kermanumve nuncupavere. Is, anno Ludovici decimo septimo, Christi 830, episcopatum Venetensem tenens legitur in char- 830

E tula qua *Broen* Rihoweno presbytero villam *Loutenoc* vendit; e chartul. Rotonensi. Idem occurrit anno imperantis Ludovici vicesimo, Christi 833, 9 Februarii, in chartula qua *Rethwalart* villam *Weiniau* Rotono dedit; eodem anno, in litteris Gurvili, Broini et Condeloci plura Rotonensibus largientium; eodem, 8 Octobris, in litteris *Rethworet*. Subscripsit dein, anno 834, chartæ Nomenoii pro eisdem monachis. Eodem anno, 17 Junii, reperitur in Ratuili diplo-

ANNI CHRISTI

mate de *Treb-Moëtcar* Convoiono condonato. Venetensem etiam episcopatum tenens legitur 24 Januarii 837, in instrumento cujusdam *Agun* nonnulla *Langdegon* sita Rotono tradentis.

XVII. Susannus.

Memoratur Susannus in pluribus Rotoni chartulis quæ notis chronicis carent. Occurrit insuper, anno 841, in charta qua *Ridgen*
841
S. Salvatori *Ran-Rïwort* concedit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 272 : idem, 19 Junii 842, in litteris Januvobrii cum Drivallono paciscentis. Urbs Nannetum, a Normannis funditus vastata, cum pastorem exoptaret, Gunhardo interempto, reduces in patriam captivi et quilibet e tanta strage superstites Susannum adierunt, rogantes ut Nannetes veniens, basilicam a paganis fœdatam Deo reconciliaret. Quorum votis annuens Susannus, petitam rem fecit, pridie cal. Octobris 843. Annum
846 circa 846, Nomenoius, dux Britanniæ, Susannum et alios Armoricani tractus episcopos simoniæ reos dixit. Quibus papam judicem postulantibus, Susannus cum Felice Corisopitensi et abbate Conwoiono Romam missus est. Nec redierunt omni lite discussa. Eosdem igitur Nomenoius, anno 848, congregat et Susannum, simoniæ veluti convictum, exsulare jubet. Ejus crimen erat, ut nonnulli referunt, tyranno non segniter obstitisse. Confugit ad Carolum regem Susannus, semet infulis vi spoliatum clamitans. Cui Courantgenus protinus suffectus est. Inter vivos superstes erat Susannus anno 866, quo synodus coacta Suessionensis. De eo fidem facit episcoporum ad Nicolaum papam epistola.

XVIII. Courantgenus.

Subscripsit Courantgenus, anno 852, Rotonensi chartulæ, qua *Pascwetenus* monachis plures villas concessit; apud D. Aurel. *de Courson*, Popul. Brit. Hist., t. I, p. 401. Idem occurrit, anno 853, in charta Erispoii, Britonum principis, liberæ jus electionis monachis Rotonensibus condonantis. Nec multo post a Normannis captus est, ut legimus in Rotonensi chartula, qua *Vinuuethen* monachus sibi traditum ab Erispoio monasteriolum ad Convoionum, Erispoio probante, transtulit. Ab eisdem postea libertate donatus, anno 854, Caroli regis decimo quinto
854
et Erispoii tertio, memoratur in chartula cujusdam Oremi, presbyteri, salinam Rotonensibus conferentis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 296 : eodem insuper anno, in schedula qua Convoionus cum Cowellico et Brithaele de villa *Trebhinoi* transigit; e chartul. Roton. Idem, anno 856, legitur in Erispoii litteris pro eisdem monachis Rotonensibus; Anno dein 857, vel 858, Salomonis primo,

A villam *Ursuvalt* eisdem ab *Hoiarscoit* datam probavit. Anno 866 reperitur in litteris Salomonis eisdem *Ran-inis-Lowen* largientis. Quod circa tempus eisdem ipse monachis Rotonensibus, post Normannicam occupationem dispersis, facultatem concessit ut abbatem haberent a quolibet episcopo consecratum; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 298.

XIX. Herenna.

Herenna, quem nonnulli codices Hieremiam appellant, missus reperitur, anno circiter 869, cum archidiacono Venetensi Felice, ad Adrianum papam II, a Salomone Britonum duce, ut constat ex ipsius Salomonis epistola; Rer. Gallic. Script., t. VII, p. 596. Herennam, vel Hieremiam, cujus sedem Salomon non designavit, Courantgeno Sammarthani, inter cæteros, sufficiunt. Nec improbabile quidem videtur hunc recens electum Romam tetendisse, eique Salomonem litteras donaque Adriano offerenda credidisse. Alia est *Déric* sententia, qui, etymorum curiosus indagator artifexve temerarius, inter Courantgenum et Hieremiam nullum
C personarum discrimen admisit; Hist. Eccles. Brit., t. II, p. 452. Huic autem conjecturæ fidem adhibere non tutum. Dilus post Herennam a quibusdam ponitur, sed perperam. Idem est ac Bilus de quo infra.

XX. Cenmenocus.

Memoratur Cenmenocus abbas, anno circitir 872, in chartula qua sopita lis inter Alfredum *mactiern* et Rotonenses monachos. Abbatem hunc incerti loci *Déric* in Veneten-
D sem cathedram postea translatum conjicit. Certe Cenmenocus, vel, ut alias legitur, Kenmunocus, Venetensis tunc temporis præsul, subscripsit, VIII id. Martii 878, chartæ cui- 878
dam qua *Widnimet*, presbyter, Rotoni rem auxit, et eodem anno, II id. Junii, litteris Alani villam *Ardon-Rowis*, in insula Ruiensi, Rotonensibus monachis condonantis. Denique eumdem annum et Kenmunoci nomen præbent Alani diploma de *Buluvron*, et Loiesvallonis chartula de *Ran-Anaumonoc*. Exstat insuper Joannis papæ VIII ad Kenmunocum epistola, de sacerdote quodam homicidii reo.

E Post Cenmenocum quidam S. Justocum, Jacutum et Calgonum recensent. Dubia autem ea sunt Venetensium episcoporum nomina.

XXI. Bilus.

Occurrit Bilus, VI non. Maii 892, in instru- 892
mento de jurgiis inter Justum et Wesilloci filium; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 331. Idem,

ANNI CHRISTI

anno 894, in litteris quibus lis refertur composita inter Rotonenses monachos et filios Treithiani. Anno incerto, post annum vero 896, sedente sedenim in Nannetensi cathedra Fulcherio, testis reperitur Alani Magni S. Sergium S. Mauricio condonantis. Subscrip-
900 sit, anno 900, chartulæ Roberti de cellula S. Clementis restauranda. Post annum tandem 907, cum enim *Gurmehailon* principatum Britanniæ teneret, Rotonenses monachos pluribus auxit prædiis. Hujus meminit martyrologium Venetensis ecclesiæ, 24 Martii.

Incertissima post Bilum Venetensium episcoporum series. Lucthuarnum vetus index et postea Cunadanum nuncupat. De utroque tamen ea tenus servatæ chartulæ prorsus silent.

XXII. Blenlivetus.

Blenlivetus, vel Bleviliguetus, subscripsit, annum circa 950, litteris Alani ducis, quibus monachis Landeveneчhi cella S. Medardi tradita. Corpus ejus in ædes S. Juliani Turonensis postea fuit translatum, ut memorat auctor Chronici rhythmici quod D. Andr. *Salmon* edidit, Collect. Chr. Turon., p. 239.

Perperam Blenlivetum quidam Corisopitensibus episcopis annumeravere.

XXIII. Alveus.

Sammarthanis, Moricio cæterisque ignotus transiit Alveus. Ejus vero nomen exhibet pristinus index quem Baluzius transcripsit; inter Baluzii schedas, arm. 2, fasc. 1, num. 1, t. II. Advertendum insuper quod auctor Chronici supra laudati, sic Blenlivetum commemoret :

Fuit hic Venetensium
Præsul, et splendor præsulum;
De quo pontifex Morvannus
Sic nobiscum est locutus :
« Sum, « inquit, » ab hoc septimus,
« Qui, ut vere cognovimus,
« Præsul fuit sanctissimus.... »

Coætaneus erat Morvanni scriptor rhythmicus, qui cum eo verba de Blenliveto fecit : ejus igitur certum est testimonium. Si autem Alveum prætermittas, Morvannus a Blenliveto quintus erit, sextusve, minime vero septimus.

XXIV. Auriscandus.

Auriscandus, aut Orscandus, episcopus, ut opinantur, Venetorum, aderat Andegavi
970 x cal. Junii 970, vel potius 971, ea die Alberto, abbati S. Albini, salinam tradens, quam hæreditario jure ea tenus possederat. Legitur idem, v cal. Augusti 990, ad calcem instrumenti quo plura monachis S. Michaelis Conanus dux tribuit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 351. Uxoratus Orscandus erat : reperitur enim *Rudalt* ejus filius, quasdam res S. Catvodo largiens; ibid., col. 360.

XXV. Judicael.

Judicael, filius Conani ducis I, sedit in Venetensi cathedra ante 27 Junii 992, qua die Conanum Andegavensis gladius neci dedit; una sedenim pater filiusque leguntur in tabulis Rotonensibus, Theobaldo Rotonum
regente (1). Anno 1008, ex actis S. Gildasii, 1008
reparandis pluribus monasteriis Judicael curam impendit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 354. Ibi frater Geoffridi ducis Judicael memoratur. Reperitur anno 1027, chartæ subscribens qua Rotonensibus ecclesia S. Guthuali adscripta. Ea autem charta falsas notas præbet. Certius, anno circiter 1032, litteris subscripsit ad fundationem S. Georgii spectantibus. Coætaneus insuper dicitur Gualterii, Nannetensis episcopi, in litteris de rebus Rotono datis a Brientio, et ab Airardo confirmatis. Obiit idibus Junii.

XXVI. Budicus.

Testis occurrit Budicus, anno 1037, in 1037
charta super insula *Tanguethen* monachis Kemperlegii tradita; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 373.

XXVII. Maengius.

Filius Goscelini proconsulis Maengius, alias Mengisus, legitur in ejusdem Goscelini litteris de prioratu S. Crucis Rotonensibus condonato. Eum in Venetensi cathedra se-
dentem memorat, anno 1066, Rotonensis 1066
chartula de Morvanno monachum induente. Dein, cal. Aprilis 1068, in Burdigalensi concilio reperitur, subscribens congregatorum patrum sententiæ de S. Clemente Credonensi. Anno tandem 1082, testis fuit Harcoidii plura Kemperlegio concedentis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 456.

XXVIII. Morvannus.

Ex archidiacono præsul Morvanus sedavit,
circa Natalem Christi diem 1089, controver- 1089
sias de quibusdam oblationibus exortas inter monachos Rotonenses et capellanos Alani ducis; e chartul. Rotonensi. Memoratur, anno 1092, in charta comitis Odonis decimas

(1) Emendandus hic non levis error D. Car. *Guimart*, qui, D. *Tresvaux* immerito castigans, Auriscandi episcopatum in annum 1031 ducit, testem Alani chartulam exhibens quæ legitur inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 368. Orscandus enim episcopus, qui chartam hanc sigillo suo firmavit, in Corisopitensi cathedra, nuntiquam in Venetensi, consedit.

ANNI CHRISTI Ch. v, col. 213. eidem monasterio condonantis. Anno sequente, cum Justino, Rotonensium abbate, de juribus litigans, ipse paci viam aperuit. Anno 1096 Turones venit, ut Urbano papæ morem præberet; cujus litteris subscripsit de Cormaricensium abbatum electione. Nan-
1105 netes postea pergens, anno 1105, litteras approbavit Benedicti præsulis de institutione canonicorum in ecclesia S. Medardi; apud Martenium, Thes. Anecd., t. I, col. 315. Sancivit, anno 1115, cuncta Majoretanorum in urbe Venetensi jura; e chartul. Majoris Mo-
1116 nasterii. Quibus, anno 1116, ecclesiam S. Petri Querdiuensis ipse concessit. Acerrime coram domino papa contra Kemperlegienses litigavit, *Guedel* insulam sibi vindicans, et in ea causa cecidit, anno 1117. Anno sequente, Rotonum deveniens, testis fuit Conani ducis prædictam insulam Kemperlegiensibus monachis restituentis. Eodem anno in Engolismensi concilio sedit. Ejus mortem anno 1128 adscribunt. Tota igitur via Sammarthani aberravere, eum qui anno 1088 debitum naturæ persolvisse memorant.

XXIX. Jacobus I.

Consecratur, ut aiunt, Jacobus anno 1128.
1129 Non semel occurrit anno 1129, in chartulario Majoris Monasterii, monachis confirmans capellam *Rohan*, necnon ecclesiam S. Petri Querdinensis a Morvanno datam. Obitum ejusdem ad annum 1132 referunt.

Ivonem quidam post Jacobum collocant, quem una cum Hildeberto metropolita in conventu Rotonensi sedisse memorant anno 1135. Hildebertus vero jam anno 1133 decesserat. Quod si tamen nudum Ivonis nomen supersit, adverte quam parum ab Eveno differat. Hunc igitur Ivonem, veteribus ignotum, hodiernorum plerique scriptorum prætermisere.

XXX. Evenus.

1137 Sedit Evenus, 30 Decembris 1137, in Majoretanorum generali capitulo; apud Martenium, Hist. Maj. Monast. Obiit anno 1143; e Chronico Ruiensi.

XXXI. Rotaldus.

Rotaldus, Cisterciensis monachus, ex abbate B. Mariæ Landævallensis Venetensis antistes electus est anno 1143. Testis est, anno
1151 1151, Richardi, Eleemosynæ abbatis, prædium quoddam vendentis; supra, t. VIII, col. 1397. Idem Andegavi reperitur, die 25 Martii 1152, ut hodie computamus, quo repræsentatum est effossum e tumulo corpus B. Renati. Anno, ut videtur, 1158, interfuit Cenomani consecrationi S. Juliani; Anal., t. III, p. 370. Quod circa tempus composi-

A tioni subscripsit, quam Rotonenses monachi et Eudo de Rocha pepigerunt. Obiit VI cal. Julii, e necrologio Venetensi: anno 1177, ex Appendice Sigeberti. Chronicas easdem notas præbet Rotaldi epitaphium anno 1746 conditum. Sepultus fuerat in Landævallensis basilicæ sacrario. ANNI CHRISTI 1177

XXXII. Geoffridus.

Inter obitum Rotaldi et Guethenoci præsulantis initia anni quinque præteriere. Vacuane per hoc temporis intervallum sedes
B permansit? Nonnulli quidem Rotaldo Geoffridum successisse referunt, Ruiense Chronicon citantes, et eum in ipso consecrationis anno decessisse confitentur. Deest tamen hic Geoffridus tam in veterum indicibus quam in plerisque recentiorum scriptorum commentationibus. Adde quod perperam Moriceus ea de sedis vacuitate litteras ad Juhellum metropolitam scriptas memoret; quippe cathedram Turonensem Juhellus non ante annum 1228 adiit.

XXXIII. Guethenocus.

C

Guethenocus, quem Chronicon Ruiense Guezonicum vocat, ordinatus est, hujus Chronici pro fide, anno 1182; Rer. Gall. Script., t. XVIII, p. 332. Reperitur VII id. Augusti 1183, inter præsules qui Mellereii ecclesiam dedicaverunt; Prob. Hist. Brit., t. I, 1183
col. 696. Anno 1184, testis est Petri, Macloviensis episcopi, bona Majoretanorum in diœcesi sua confirmantis; ibid., col. 709. Eodem, eodem anno, in Redonensi capitulo sedente, cum monachis S. Cyrici pactus est
D Geoffridus, Guierchiæ dominus; ibid., col. 699. Quo etiam anno, Kemperlegiensis hospes conventus, audivit Constantiam, Conani comitis filiam, monachorum possessiones juraque sancientem; e cod. Regio 8357[3]. Majus Monasterium anno 1187 adiit, probavitque monachos et episcopum Macloviensem de prioratu Lehonensi paciscentes. Eo anno Nannetibus natus est Arturus, Geoffridi comitis filius, quem litteris informandum et ab inimicorum telis defendendum Guethenocus suscepit, ut, libro Philippidos quinto, Guillelmus Brito memorat, his verbis de Arturo
E disserens:

> Quem Guedenocus, Venetensis episcopus, illo
> Tempore servabat puerum, regique Philippo
> Postea restituit sanum.

Anno igitur 1199 Guethenocus præsulibus annumeratur Britannicis, qui, Richardo mortuo, partes Arturi secuti sunt. Domesticis autem insidiis oppressus, mox Arturus cecidit. Nonnulli tunc temporis in Britannia, et in diœcesi præcipue Venetensi, hæretico-

ANNI CHRISTI rum dogmatum artifices fuere, qui sacerdotum mores plurimis conviciis insectabantur.
Ch. viii, col. 214. De quibus solennem Innocentius papa III, anno 1206, epistolam scripsit. Magna Gue-
1208 thenocus jurgia movit, annum circa 1208, cum monachis Rotonensibus, quoniam ei clientelaris obsequii professionem abbas recens electus facere noluerat. De qua singulis diebus incalescente discordia sententiam ediderunt Nannetensis et Briocensis episcopi, et ipse Innocentius papa III, jus quod sibi Guethenocus vindicabat conseerare pariter recusantes. Hortatus est idem, xi cal. Maii
1214 1214, Guidonem de Thoarcio ad pacem cum Kemperlegiensibus monachis ineundam, his intercedentibus ne castrum prædictus miles in eorum territorio construeret; e cod. Regio 8357[5]. Dein, anno 1218, decretum promulgavit quo morientium canonicorum hæredes, expeditis nominibus, pauperes instituti. Obiit Guethenocus anno 1222; e Chronico Ruiensi, apud Rer. Gallic. Script. t. XVIII, p. 333. In eo tamen chronographus erravit, aut antequam vitæ metam attingeret Guethenocus pastorali munere semet abdicaverat, ut ex actis Roberti sequentis compertum erit.

XXXIV. Robertus I.

1220 Nominatur Robertus anno 1220, in charta Pagani de Malestricto cum monachis Malestricti degentibus concordiam ineuntis; e chartul. Majoris Monast. Eo dein præsente consecrata fuit, viii cal. Decembris 1225, ecclesia Villæ Novæ; Rer. Gall. Script., t. XVIII, p. 331. Episcopale munus postquam Robertus dimiserat, in Landesii apud Bituricas abbatiam, ut aiunt, secessit, ubi anno 1232 reperitur; supra, t. II, col. 202. Quo tamen decesserit anno dubium.

XXXV. Guillelmus I.

Guillelmi meminit Moricius sub annum 1232. Idem anno 1233 recensetur in Albor. Mantell. cod. 41, p. 424. Quidam vero idem circa tempus quemdam Eudonem ponunt. Eam opinionum diversitatem componere non licuit.

XXXVI. Cadiocus.

Occurrit Cadiocus, die Sabbati post fes-
1235 tum S. Thuriavi 1235, ratam habens capellæ fundationem in ecclesia B. Mariæ de Ponte *Scorf;* Prob. Hist. Brit., t. I, col. 894. Die Martis post festum S. Bartholomæi 1236, Nannetes accitus, pacem fecit inter episcopum Corisopitensem et monachos Landevenechi de variis juribus litigantes; ibid., col. 900. Concilio Cenomanensi intererat, 4 Novembris 1237, in quo probavit institu-

A tionem canonicorum in ecclesia Cenomanensi. Eodem anno transegit cum monachis Castri Joscelini; e Major. Monast. chartulario. Eodem denique pactus est in quindecim annos cum monachis Rotonensibus pro sua libertate conflictantibus; e chartul. Roton. Anno 1240, Majoris Monasterii tabulæ Cadiocum et monachos Joscelini rursus componentes exhibent. Ad eumdem missæ, xiii cal. Martii 1245, Innocentii papæ IV litteræ, 1245
quibus inter Corisopitensem episcopum et Kemperlegii monachos annosam litem sopire jubetur; e Collect. D. *La Porte du Theil.* Pro-
B bat, Epiphaniæ sacro die 1250, condendam abbatiam B. Mariæ de Precibus. De qua jam condita mandatum edit, die Mercurii post Epiphaniam 1252, et, eodem anno, prævia die festi Omnium Sanctorum, Geoffridum abbatem in consummatam abbatiam introducit. Novissimam testatus est voluntatem anno 1254. Quo anno decessit, idibus Maii, ex obituario B. Mariæ de *Daoulas.*

XXXVII. Guillelmus II.

E diacono Venetensi Guillelmus eligitur DE QUELENEC.
C die lunæ ante Nativitatem S. Joannis-Baptistæ 1254. Per duos tantum menses ecclesiæ 1254
Venetensis gubernaculum tenuit. In ecclesiæ suæ martyrologio vii cal. Septembris memoratur.

XXXVIII. Alanus.

Consecratus fuit Alanus anno 1255, ut compertum habemus e litteris Andreæ, Briocensis episcopi, ad Turonensem metropolitam. Occurrit, mense Maio 1260, pacem faciens inter Rupis Fortis priorem et Guido-
D marum presbyterum; e chartul. Maj. Monast. Idem, eodem anno, die Mercurii post festum B. Laurentii, testatus est se vidisse litteras Guidonis de Thoarcio; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 809. Eo tempore summa fervebant inter Joannem ducem et Britannicum clerum dissidia. De quibus componendis Romam missus, inter eundum Alanus obiit, xii cal. Martii 1262, secundum hodiernum calculum.

XXXIX. Guido.

E Guido, alias Guidomarus, quem ecclesiæ CONLEU.
suæ martyrologium gentilitio nomine *Conleu* nuncupat, Franciscanorum fratrum basilicam dedicavit 31 Maii 1265; ex ipsius Fran- 1265
ciscanæ domus necrologio. Obiit xii cal. Novembris 1270. E Guidone et Guidomaro duos perperam episcopos Sammarthani confinxere. Vacua diu post Guidonem sedes fuit : quam, ut Moricius animadvertit, nemo etiam anno 1274 occupabat.

ANNI CHRISTI

XL. Petrus I. A

Anno 1276, Petrus e chartula Majoris Monasterii innotescit.

XLI. Hervæus.

BLOC. Hervæum, Venetensem canonicum, Venetensibus infulis donavit Nicolaus papa III, anno pontificatus sui secundo; Christi, ut videtur, 1279. In ecclesiæ suæ tabulis non
1280 semel reperitur anno 1280. Anno sequente, pactum inter Hervæum Leonensem abbatissamque Gaudii sigillo suo munivit. Obiit XI B
cal. Aprilis 1287, secundum recentiorem calculum. Eumdem quidam Henricum nuncupant.

XLII. Henricus.

TORS. E Venetensi thesaurario Henricus *Tors*, alias *Tore*, præsul eligitur mense Junio 1287. Quo memoratur anno ecclesiam *Plœmeur* capitulari mensæ uniens. Anno 1288, reparando Motensi castello summam operam im-
1290 pendere cœpit. Reperitur, anno 1290, inter curatores testamenti quod Joannes dux con- C
diderat. Die Martis post Inventionem S. Crucis 1292, urbem *Ploermel* una cum Guillelmo, Redonum antistite, ingreditur. Condit, anno 1302, capellaniam S. Joannis in viculo *Grand-Champ*, e quo ipse oriundus erat. Adhæret,
1303 20 Octobris 1303, sententiæ contra Bonifacium VIII latæ. Quod vero sub tempus decesserit non plane notum. Obitum ejus anno 1310 nonnulli adscribunt : hoc anno certe superstes erat, quo capellaniam, a Joanne archidiacono nuper conditam, confirmavit.

Yvo post Henricum a domno Moricio, anno 1310, ponitur. Hujus autem Yvonis, de quo D
nihil comperimus, erronea mentio videtur. Nec isti locus relinquitur Geoffrido *de Rochefort*, quem Henrici successorem Sammarthani nuncupavere.

XLIII. Joannes I.

LE PARISI. Testamenti quod condiderat Arturus II Joannes curator legitur, anno 1312, in bulla Clementis papæ V. Anno 1315, notum fecit Carolum comitem, regis filium, integram sibi Venetensis urbis jurisdictionem reservavisse. Cultus divini studiosus, quem ut au- E
1322 geret Joannes, anno 1322, capellanias S. Sacramenti, S. Martini, necnon S. Salvatoris instituit; annis 1327, 1328, capellanias S. Cornelii et S. Michaelis. Reperitur tandem, anno 1332, cum Rotonensibus monachis de prioratuum quos regebant visitatione componens. Obiit 20 Januarii 1334; ex obituario Venetensi.

XLIV. Geoffridus I.

Eligitur Geoffridus anno 1334; quo anno, DE S. GUEN.
26 Februarii, in Vaticanis regestis memoratur. Plurium capellaniarum fundationem probavit annis 1335, 1336, 1340.

Alanum Geoffrido succedere Moricius et sub annum 1356 vivere jussit. Id ex actis Gualterii sequentis falsum comprobatur. Si tamen anno 1356 annum 1256 sufficias, ea confirmatio, cujus Moricius meminit, Alano revera tunc temporis Venetensium episcopo sincere tribuetur.

XLV. Gualterius.

Reperitur Gualterius 27 Septembris 1347, DE S. PERN.
in Vaticani tabulis. Idem memoratur, anno
1350, in quadam Villæ Novæ chartula, et, 1350
anno 1357, in schedis ad Monasteriolensem prioratum spectantibus. Obiit anno, ut videtur, 1359. In necrologio Redonensis ecclesiæ XII cal. Junii et VIII id. Octobris memoratur.

Post quem, ut conjicere licet, Joannes *de Locminé* canonicorum suffragia obtinuit, et ab Angliæ rege confirmatus est. Is vero Joannes, bullis apostolicis minime donatus, cathedram Venetensem nunquam occupavit, ut satis patet ex Innocentii VI litteris ad Geoffridum sequentem. Moricius igitur Joannem episcopis Venetensibus perperam annumeravit.

E Venetensium episcoporum serie similiter arcendus quidam Guillelmus, quem Sammarthani fratres annis 1350, 1357, memorant. Non alius enim ille Guillelmus ac Gualterius supra dictus.

XLVI. Geoffridus II.

Geoffrido, Macloviensi canonico, vacan- DE ROHAN.
tem per obitum Gualterii sedem confert In-
nocentius papa VI, x cal. Maii 1360; apud 1360
Suaresium. Qui cameræ apostolicæ debitos nummos solvit 3 Novembris 1361. Filius dicitur Olivarii vice-comitis et Joannæ Leonensis vice-comitissæ. Eo sedem occupante, 29 Aprilis 1371, Joannes dux in ecclesia Venetensi duo anniversaria condit. Anno circiter 1372, Briocensi cathedra donatur. Nec tamen, ut videtur, Venetensis ecclesiæ curam ab eo tempore dimisit; geminis vero illigatus nuptiis simul fuit. Eum quidam decessisse ferunt anno 1375; alii verius, ut videtur, anno 1377.

XLVII. Joannes II.

Inter decanos ecclesiæ Turonensis Joan- DE MONSTRELAIS.
nes recensetur anno 1376. Cui Venetensis episcopatus reditibus frui licitum 16 Martii 1378. Eodem anno, capellaniam S. Joannis condidit. Subscripsit 4 Aprilis 1381, secun-

ANNI CHRISTI

dum recentem usum, fœderi Guerrandiæ; A
Prob. Hist. Hist. Brit., t. II, col. 273. Fit
Joannes, anno 1382, episcopus Nannetensis,
permutatione facta cum Simone.

XLVIII. Simon.

E cathedra Nannetensi Simon per viam
hujus permutationis in Venetensem transfertur,
anno 1382. Memoratur 27 Februarii
1383, in Vaticani tabulario. Mox vero senio
prægravatus abdicavit, petens ut in orbatam
pastore sedem Henricus sequens traduceretur.
Cujus votis annuit Clemens papa, litteris
Avenione datis, x cal. Februarii 1383. Obiit
Simon anno, ut opinantur, 1384.

XLIX. Henricus II.

LE BARBU. Abdicante Simone, Thomas, archiepiscopus
Neapolitanus, Venetensem instituit episcopum,
mandato domini papæ, Henricum,
Ch. XIII, col. 220. abbatem B. Mariæ de Precibus, die 3 Augusti
1383. Degebat tunctemporis Henricus in hospitio
Lavallensi, uti nos Thomæ prædicti litteræ
monent. Sedit eodem anno in consiliis
Britanni ducis; Probat. Hist. Brit., t. II, col.
1388 481. Testis fuit, 15 Februarii 1388, secundum
recentem usum, Joannis ducis et hujus uxoris
Joannæ mutuam donationem constituentium;
ibid., col. 547. Nannetensibus adfuit
comitiis anno 1389. Quem postquam Britonum
dux cancellarium suum dixerat, eum
secutus est Henricus Turones pergentem, ut
pacem feriret cum comite Penthevriæ, 26 Januarii
1392, secundum Gregorianum computum;
ibid., col. 578. Reperitur idem, 24 Januarii
1395, in instrumento ratæ pacis inter
eos, col. 641, et, eodem anno, 18 Julii, testis
Radulfi Montifortensis Britonum duci semet
fidum fore jurantis. Anno tandem 1396, 25
Februarii, litteris Britanni ducis subscripsit
quibus condita capella S. Michaelis; ibid.
col. 661. Translatus est in Nannetensem ca-
1404 thedram 18 Maii 1404.

L. Hugo.

LESTOQUER. Hugo, Trecorensis episcopus, in Venetensem
cathedram traducitur VIII cal. Septembris
1404, litteris Benedicti papæ XIII; e
Regio codice 8357². Quem idem papa, v idus
Septembris 1404, obsequium promittere jussit
coram Nannetensi et Corisopitensi præsulibus;
Prob. Hist. Brit., t. II, p. 742. Episco-
1405 pale munus adiit Hugo 1 Januarii 1405. Ad
eum dein summus Pontifex scripsit, XI cal.
Aprilis 1405, jubens ut Romam tenderet:
cui tamen mandato non, ut videtur, paruit.
Decessit 10 Octobris 1408. Cancellarius et
ipse Britonum ducis fuerat.

ANNI CHRISTI

LI. Amalricus.

Amalricum Britonum duci commendavit DE LA MOTTE.
Alexander papa V, 18 Decembris 1409; e codice
Regio 8357². Is quidem Amalricus antea
Macloviensis decanus erat. Anno 1418, 1418
S. Vincentium Ferrarium Venetiæ morientem
excepit. Quo etiam anno ecclesiam vici *Seguilian*
consecravit. Anno sequente, de rebus
S. Vincentii sepulcbro oblatis cum capitulo
Venetensi pactus est. Amalricus postea Trecense
fœdus ratum habuit, in Britanniæ comitiis
sedens, 8 Septembris 1427; Prob. Hist.
B Brit., t. II, col. 1201. Plures quoque probavit
capellanias, inter quas capellaniam S. Yvonis
14 Septembris 1432. Eo tandem anno,
Macloviensem cathedram Eugenii papæ IV
litteris adire jubetur.

LII. Joannes III.

E sede Leonensi in Venetensem Joannes VALIDIRE.
transfertur IX cal. Novembris 1432. Ecclesiæ
reficiendæ manum admovit; nec minus stabiliendam
curans disciplinam, statuta synodalia
condidit, Jovis die ante Pentecosten
C 1433. Anno 1442, Franciscum ducem et Isa- 1442
bellam connubii vinculis junxit. Nonnulli
Joannem anno 1444 decessisse memorant:
quorumdam tamen e testimonio, anno 1448
superstes erat.

LIII. Yvo II.

Yvo, stirpe satus nobili, in vico *Plougouvelen*, DE PONTSAL.
militiæ S. Dominici primo nomen dedit.
Dein thesaurarius fuit ecclesiæ Venetensis.
Joanni postquam successerat, fuuus
Francisci ducis comitatus est, anno 1449.
D Eo præsente, Petrus dux regi fidem dat, 3
Novembris 1450; e cod. Regio 8357². Inter- 1450
fuit, 4 Aprilis 1456, recognitioni corporis
S. Vincentii Ferrarii. Audivit, 5 Septembris
1457, Petrum ducem ultimæ voluntatis decreta
dictantem; Prob. Hist. Brit., t. II, col.
1709. Sedens tandem reperitur, 10 Junii
1462, in Venetensibus comitiis. Obiit 7 Januarii
1475.

LIV. Petrus I.

Petrus de Fuxo, filius Gastonis IV, comitis, DE FOIX.
E et Eleonoræ Aragonnensis, inter episcopos
Adurenses supra recensetur, t. I, col. 1163.
Adurensis ecclesiæ regimen jam adeptus,
Venetensis præsul electus est 17 Maii 1575,
et apostolicis litteris confirmatus v id. Martii
1476: nec tamen Adurensem sedem dese- 1476
ruit. Electus nominatur Venetensis, anno
1476, in actis synodi Rotonensis. Duci vero
fidem juravit eo anno, 13 Maii. Purpuratorum
dein collegio adscriptus est. Infensus
autem thesaurario *Landais*, ac in eum insi-

ANNI CHRISTI dias ausus moliri, iratum pertimuit; quare Venetiam relinquens Romam tetendit, ibique reliquos vitæ dies vixit. Obiit 8, vel 10 Augusti 1490.

LV. Laurentius I.

CIBO. Audita Petri morte, Venetenses canonici Robertum *Leborgne* elegere, cantorem Nannetensem. Innocentius vero papa, pro suo quidem jure, quia scilicet in curia Romana Petrus decesserat, ei Laurentium suffecit, patria Genuensem, ipsius nepotem, jamque cardinalem et Beneventanum episcopum. Litteræ, quibus Venetensi capitulo Laurentius præsensatus est, datæ sunt xv cal. Novembris
1490 1490; ei vero protinus Anna ducissa viam interclusit, remque domino papæ mandavit, 23 Octobris; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 677. Compositis tandem his dissidiis, Laurentius per procuratorem munus adiit, 3 Junii 1491. Quo annuente, 27 Aprilis 1495, ecclesia *Ploegomelin* capitulari mensæ unita fuit. Decessit 22 Decembris 1502.

LVI. Jacobus II.

DE BEAUNE. Post Laurentii decessum, canonicorum suffragia Jacobum designavere, protonotarium apostolicæ sedis, canonicum S. Martini Turonensis, necnon Porhoetensem archidiaconum thesaurariumque Venetensem, dum sub idem tempus Ameneum *d'Albret*, S. Nicolai in carcere Tulliano cardinalem, eadem sede summus Pontifex donabat. Hunc vero Gallorum rex admittere noluit. Ideo, regi obsequens, Ameneo suasit ipse papa ut Venetensibus infulis semet abdicaret, et procuratorem is instituit a quo prædicta abdicatio denuntiaretur, 11 Septembris 1504; e cod. Regio 8357[2]. Canonicorum votis palam
1503 adhæserat Jacobus, 1 Februarii 1503. Ad eum, peracta Amenei cessione, apostolicæ bullæ missæ sunt, pridie cal. Octobris 1504. Eumdem igitur regina litteris suis iterum commendavit 1 Decembris. Obiit mense Januario 1511, ætatis anno 26. Idem erat abbas Psalmodii, decanusque Turonensis ecclesiæ.

LVII. Robertus II.

GUIBÉ. Episcopus jam Nannetensis Venetensis ecclesiæ administrator Robertus creatur, 26 Februarii 1511. Munus autem hoc Romæ degens non implevit, Romæque decessit 13 Novembris 1513.

LVIII. Laurentius II.

PUCCI. Laurentius, patria Florentinus, titulo Quatuor Coronatorum cardinalis, ut erat apud Leonem papam acceptissimus, ab eo Venetensibus infulis donatur xi cal. Decembris 1513. Qui munus adiit 30 Julii 1514. Eodem anno, suadentibus Francisco rege et Claudia regina, cessit in gratiam Andreæ Hamonis, episcopi vero nomen et pleraque jura retinens.

LIX. Andreas.

Pontificias litteras Andreas obtinuit III id. Decembris 1514. Nec multo post, 8 Decembris 1518, Laurentius eamdem Venetensem ecclesiam in Geoffridum Strabonis, gallice *Leborgne*, professione Carmelitam, necnon Tiberiados episcopum, transtulit; e cod. *de Gaignières* 659. Eane recentior translatio effectum sortita est? Ambigua quidem res est: sunt enim qui prædictum Andream Venetensibus episcopis etiam anno 1522 annumerant. Andrea vero, vel Geoffrido, præsulatus insignia præ se ferente, ecclesiam Laurentii vicarii generales administravere. HAMON.

LX. Antonius I.

Antonio cardinali, theologo, oratori et poetæ insigni, Laurentii e fratre nepoti, per Franciscum regem, anno 1528, patruo succedere licuit. Idem litteris pontificiis in Venetensem cathedram, Laurentio abdicante, translatus est x cal. Augusti 1529. Decessit Laurentius anno 1531, Antonius vero anno 1544. PUCCI. 1528

LXI. Laurentius III.

Antonii nepos e fratre coadjutorque a 10 Junii 1541, Laurentius cathedram conscendit anno 1544, obiitque anno 1547, ut testantur rationes a procuratore collatæ; apud *Padioleau*, p. 126. PUCCI.

LXII. Carolus I.

Claromontanus patria Carolus, in legationibus apud Anglos et Turcas stipendia fecerat. Quibus egregie functus, summa apud Franciscum Henricumque reges æstimatione floruit. Audita igitur Laurentii morte, cum Henricus ex abbatia S. Petri Melodunensis Venetensem cathedram adire jubet, nominatumque probat summus Pontifex 20 Octobris 1550. In Viennensem metropolim deinde translatus est, 24 Martii 1557. DE MARILLAC. 1550

LXIII. Sebastianus I.

Filius Claudii et Margaritæ *le Berruyer* Sebastianus, abbas jam Bassi Fontis, Masciaci et S. Martini Pontisarensis, creatur Venetensis episcopus 21 Junii 1557, et in Lemovicensem cathedram transfertur 1 Octobris 1558. De eo plura quære supra, t. II, col. 540. DE L'AUBESPINE.

ANNI CHRISTI

LXIV. Philippus.

A

DU BEC. E decano S. Mauricii Andegavensis Philippus Venetensis præsul creatur 17 Aprilis 1559. Filius erat Caroli, inter aulicos potentissimi, et Magdalenæ *de Beauvilliers S. Ai-*
1562 *gnan*. Reperitur Nannetibus, 16 Julii 1562, Mariam Luciliburgensem, Sebastiani filiam, e sacro fonte suscipiens. Ad concilium Tridentinum dein viam fecit, in quo primum sedit eodem anno, 4 Novembris. In eum, 6 Decembris 1564, Antonius *de Créquy* Nannetenses infulas per viam cessionis transtulit, eumdemque, donec bullas obtineret, vicarium generalem Nannetensis ecclesiæ denuntiavit 12 ejusdem mensis. Bullas vero postulantem diu summus Pontifex distulit; quas non impetravit Philippus ante Martium mensem 1566.

LXV. Joannes IV.

LEFEBVRE. Joannes, *Lefebvre*, alias *Fabry*, e Venetensis ecclesiæ cantore, cessione Philippi bullas impetrat idibus Martii 1566. Postquam munus adierat 14 Augusti sequentis, regi fidem
1567 dedit 27 Julii 1567. Is quidem, antecedentium ad exemplar minime se componens, in ecclesia sua constanter commoratus est. Obiit anno 1570.

LXVI. Petrus III.

DE S. MARTIN. Gente Vasco Petrus sedem moriente Joanne obtinuit, et regi fidem dedit 8 Junii 1572; apud *Padioleau*. Bullas vero frustra postulavit; quarum tandem impetrandarum spem abjiciens, munere semet, nondum consecratus, abdicavit. Eum præsentaverat prætoriæ cuidam cohorti præfectus N. *de S. Colombe*, cui codicillis regiis in Venetensis ecclesiæ reditus summum jus fuerat adscriptum.

LXVII. Joannes V.

DE LA HAYE. Monachus Benedictinus, doctor insuper theologiæ et summus antecedentis vicarius, Joannes bullis donatur XI cal. Aprilis 1574, et possessionem adit 31 Maii. Augusto vero mense veneno sublatus est.

LXVIII. Ludovicus I.

DE LA HAYE. Antecedentis frater, Ludovicus episcopus fit anno 1575. Eo regente conditur Venetense collegium. Interest, anno 1583, Ande-
1588 gavensi concilio, obitque 26 Januarii 1588. Adeo pauper erat, ut funeris sumptus capitulum Venetense susceperit. Ludovicus enim, Joannes Petrusque procuratorio quasi nomine episcopalia prædia administraverant, eorumque fructus in prædictum N. *de S. Colombe* transtulerant.

ANNI CHRISTI

LXIX. Georgius.

Renati filius et Claudiæ *de Queho*, Georgius nascitur anno 1562. D'ARADON. Senator dein fit Britannicus 14 Augusti 1587. Mortuo Ludovico, cum bella civilia ferverent, Venetensis ecclesia aliquantisper orbata pastore permansit. Fœderati vero, quorum partibus Georgius adhæserat, eum in vacuam cathedram evexerunt. Electus a capitulo 13 Februarii 1590, fidem regi dedit 20 Septembris 1591, et bullas obtinuit anno 1592; quo et anno 1592
Parisiis consecratus est. In eadem urbe re-
B peritur anno 1593, quo trium ordinum cœtui interfuit. Episcopale munus tandem aggressus est eo anno, 6 Augusti, decessurus 31 Maii 1596.

Post eum per tres annos et amplius sedes vacua fuit.

LXX. Jacobus III.

Patria Burdigalensis, Jacobus episcopus MARTIN DE BELASSIZE. Venetensis litteris apostolicis creatur VIII id. Novembris 1599, annos circiter viginti natus. Per procuratorem munus adiit 4 Janua-
C rii 1600, et personaliter anno 1601. Sedit 1601
annis 1601, 1603, 1607, 1608, in Britanniæ comitiis. Memoratur egregius episcopalis rei administrator, qui statuit ut clerici Venetenses quindecim Parisiis scientias artesque discerent, eisque ex ære proprio reditus annuos addixit. Pluribus insuper ecclesiæ cathedralis supellectilem auxit ornamentis. Abbas jam Boni Loci, in ecclesia Burdigalensi, cathedram Venetensem dimittit anno 1622, et 1622
abbas fit Panis Pontis, permutatione facta cum sequente. Obiit 12 Januarii 1624, et sepultus est in ecclesia Cœlestinorum Pari-
D siensium, cum hoc epitaphio: *Hic jacet reverendissimus in Christo pater dom. Jacobus* Martin de Belassize, *Venetensis episcopus, insignis dum viveret pietate vir, qui, relictis intra diœcesis illius fines ulteriusque suæ virtutis insignibus, ut cultui divino commodius inserviret orationique vacaret, episcopalem dignitatem deposuit; sed dum hoc anno Romam iter facere, loca sacra invisendi gratia, denuo meditabatur, immatura morte præventus defecit, ibique sepultus, fundationibus perpetuis testamento suo ordinatis,*
E *post mortem præclara religiosæ vitæ vestigia felicisque obitus ab omnibus imitanda reliquit.*

LXXI. Sebastianus II.

Ex abbate Panis Pontis Sebastianus præ- DE ROSMADEC. sul Venetensis litteris apostolicis creatur XVIII cal. Decembris 1622, Parisiis consecrandus in abbatia S. Germani Pratensis 11 Februarii 1624, et episcopalem dein urbem ingressurus 30 Martii. Eo sedem occupante,

ANNI CHRISTI

Venetiæ instituuntur Carmelitæ Excalceati, Jesuitæ, Fratres Prædicatores, Ursulinæ, Hospitalariæ, et Visitationis puellæ; Pontivii, Ursulinæ et Recollecti; Hennebonte, Capucini et Ursulinæ, etc., etc. In Britanniæ comitiis clero præfuit, annis 1629, 1643. Ad comitia Galliæ generalia missus est, annis 1629, 1640. Parisiis reperitur, 5 Octobris 1642, Victori, Turonensi metropolitæ, ministrans Eustachium, Massiliensem episco-
1646 pum, consecranti. Anno denique 1646, postquam in gratiam sequentis munere semet abdicaverat, die 29 Julii decessit.

LXXII. Carolus II.

DE ROSMADEC. Mathurini et Joannæ de Trogo filius, ex abbate B. Mariæ de Troncheto Carolus episcopus fit Venetensis anno 1647; qui Parisiis consecratur 11 Octobris 1648, a Renato, Leonensi antistite. In comitiis Britannicis clero præfuit annis 1649, 1667; idem in cleri Gallicani cœtu reperitur, annis 1655, 1660. Turones transfertur anno 1671. Panis Pontis abbas quoque fuit.

LXXIII. Ludovicus II.

CASET DE VAUTORTE. Ex antistite Lactorensi Ludovicus Venetensis renuntiatur 5 Januarii 1671, et eodem anno Britanniæ comitiis Vitreii interest. De-
1687 cessit mense Decembri 1687.

LXXIV. Franciscus.

D'ARGOUGES. Eodem mense, Franciscum Venetensibus infulis rex donavit; qui Parisiis ante Sorbonnicum altare consecratus est, 30 Martii 1692, ab Augustodunensi episcopo. Statuta condidit anno 1693. Annis 1693, 1695, 1699, 1703, cleri præses fuit in Britanniæ comitiis. Anno
1708 1708, 26 Decembris, cum nimia esset feriatorum dierum frequentia, ferias sexdecim edicto suppressit. Obiit 15 Martii 1716.

LXXV. Ludovicus III.

DE LA VERGNE DE TRESSAN. Eleemosynis Aurelianensis ducis præfectus, episcopus Venetensis Ludovicus creatur mense Martio 1716. Antequam vero bullas obtineret in Nannetensem cathedram translatus est.

A

LXXVI. Joannes VI Franciscus Paulus.

LEFEBVRE DE CAUMARTIN. De Joanne Francisco Paulo fuse supra dictum est, inter Blesenses episcopos, t. IX, col. 1344. In Venetensem cathedram promotus 17 Septembris 1717, ab episcopo Macloviensi Dinanni inunctus est 17 Julii 1718. In Blesensem dein sedem transfertur, 27 Augusti 1719. 1719

Post eum, ut videtur, Carolus Guillelmus *de Maupeou* episcopus Venetensis denotatus est. Non autem eam sedem tenuit, et postmodum, anno 1721, episcopus factus
B est Lombariensis; supra, t. XIII, col. 328.

LXXVII. Antonius II.

FAGON. Primogenitus Guidonis Crescentis, celebris archiatri, filius, ex episcopo Lombariensi Venetensis Antonius fit mense Novembri 1719, et regi fidem jurat 12 Maii 1720. Missus dein a Britanniæ comitiis, coram rege verba fecit 3 Februarii 1722. Landatur culpaturve, ea enim est studiorum diversitas, ut qui sedulo curaverit, ne, objecto Jansenianæ hæreseos crimine, Dolensis ecclesiæ
C ministri vexarentur. Obiit 16 Februarii 1742, 1742
annum agens 77.

LXXVIII. Joannes VII Josephus.

DE S. JEAN DE JUMILHAC. Abbas antea Bonæ Vallis, in diœcesi Carnotensi, Joannes Josephus episcopus Venetensis consecratur 12 Augusti 1742, et Aprili mense 1746 archiepiscopus Arelatensis nominatur.

LXXIX. Carolus III Joannes.

BERTIN.
D Consecratur Carolus Joannes 27 Septembris 1746. Qui, dum tanta inter theologos jurgia fervebant, pro Jesuitis stans et Jansenianæ doctrinæ sequaces crebris molestiis urgens, a Britonum senatu pecunia mulctatus est. Interfuit, 18 Decembris 1758, Briocensibus comitiis. Obiit 23 Septembris 1774, ætatis 62.

LXXX. Sebastianus III Michael.

AMELOT. Consecratur Sebastianus Michael 23 Aprilis 1775. Superstes erat anno 1790.

ARCHIDIACONI VENETENSES.

Integram archidiaconorum Venetensium seriem condere studentibus pauca veterum tabulæ nomina suppeditaverunt. Hi tamen sunt quos asseculi sumus:

I. Felix reperitur, anno circiter 869, cum Harenna præsule ad Adrianum papam a Sa-
E lomone missus; Rer. Gallic. Script., t. VII, p. 596. Subscripsit, inter annos 872 et 876, sententiæ qua rata pax inter Alfredum *mactiern* et Liosicum, Rotonensium abbatem.

II. Bilus testis legitur, anno 1027, in charta qua Rotonensibus ecclesia S. Guthnali ad-

scripta. Id vero diploma falsas quoad tempus notas exhibet.

III. Morvannus archidiaconus Venetensis memoratur anno 1082, in litteris Harscoidii plura Kemperlegio concedentis. Idem Venetensis præsul fit anno circiter 1089.

IV. Briccius, alias Franciscus, anno circiter 1108, in conventu Nannetensi sedit; Rer. Gallic. Script., t. XIV, p. 153. Eumdem quidam episcopum Nannetensem postea fuisse contendunt. Consule Alb. Mant. cod. 86 D, p. 64.

V. Radulfus, temporibus Briccii, Nannetensis episcopi; e chartul. Majoris Monasterii, t. III, fol. 372.

VI. Guethenocus ex archidiacono Venetensis præsul fit, anno circiter 1182.

VII. J., anno 1219, judex a papa designatur in causa inter Joscelinum *de Rohan* et abbatem Bonæ Requiei.

VIII. D. occurrit Roberto episcopalem sedem occupante, ex Albor. Mant. cod. 41, fol. 826.

IX. Yvo I, annis 1266, 1268, 1269, cum Guidone antistite de juribus paciscitur.

X. Tevinus *Conleu*, præsulis germanus, Ivoni successisse videtur. Nummos capitulo assignavit.

XI. Joannes I de Bosco capellaniam S. Joannis, anno circiter 1310, condidit.

XII. Silvester *le Parisi*, Joannis præsulis frater, anniversarium ejus condit anno 1334.

XIII. Joannes II *de Locminé* in Venetensem cathedram, anno 1359, litteris Anglorum regis evehitur. Episcopale vero munus implere non valuit. De eo consule Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1546.

XIV. Pregentius *Monssi* reperitur temporibus Petri de Fuxo, præsulis.

XV. Yvo II *de Quirisec* anno 1512 occurrit, eo tempore major Roberti præsulis vicarius.

XVI. Joannes III *Danielo* memoratur anno 1514, Laurentii episcopi, Romam incolentis, eodem nomine vices explens. Decessit mense Julio 1540 Idem abbas erat S. Gildasii Ruiensis.

XVII. Petrus I *Danielo* Joanni successit. Idem erat presbyter S. Juliani *de Vouvantes*, quo nomine ecclesiæ ipsi demandatæ reditus adscribit gymnasio S. Clementis in urbe Nannetensi, anno 1555; apud N. *Travers*, Hist. Nannet., t. II, p. 337. Carolo *de Marillac* præsule, ejus inter vicarios generales Petrus recensetur. Synodo diœcesanæ præfuit anno 1557.

XVIII. Petrus II *du Maz* occurrit, anno 1593, vicarius generalis Georgii præsulis.

XIX. Joannes IV *Juhel*, alias *Jusel*, e scholastico archidiaconus post Petrum fit. Interfuit, anno 1604, Britanniæ comitiis. Idem vicarius generalis fuit Jacobi *Martin* episcopi.

XX. Claudius *Gouault* in Britanniæ comitiis reperitur annis 1610, 1611, 1613, 1614, 1616, 1619, 1620, 1623.

VETERA VENETENSIS ECCLESIÆ MONASTERIA.

I. MORIACUM. Moriacum vetus est vici nomen; recentius, *Lochmenech;* hodiernum, *Locminé*. *Lochmenech* vero *locum monachorum* interpretantur. Hunc enim locum antiquitus monachi coluere, quibus abbatis titulo præerat Tanethus, nono decurrente sæculo, dum Pasquetenus Gurvandusque de Britanniæ principatu decertabant. Memoratur enim Tanethus, advenientibus Normannis, una cum Daioco, Ruiensium abbate, fugam arripiens, et cum eo in Bituricensem agrum secedens. Vacua Moriaci tecta Normanni occupavere. Anno 1006, Felix, Floriacensis monachus, S. Gildasium Ruiensem et Moriacum restauravit : imminutione vero dignitatis Moriacum ab illo tempore prioratus fuit, S. Gildasio subjectus.

II. S. MELANIUS IN PLACIO. Eo de monasterio mentio fit in actis S. Melanii; quod S. Melanius condidisse memoratur, antequam Redonensem cathedram conscenderet. Vicum a veteribus *Platz* dictum recentiores *Brains* nuncupavere, Visnoniæ propter aquas situm. Confer *Ogée*, Lexic. Hist., t. I, p. 100. Incertum est an, abeunte Melanio, abbatia diu permanserit. Ecclesiam *Brains* Nomenoius, anno 846, et Erispoius, anno 854, Rotonensibus monachis dedere.

III. BALLON. Monasterium hoc in agro Cenomanensi quidam posuere; sed infelici conjectura. Verius ab *Ogée* aliisque dictum est Venetia Redonibusque spatio utrinque pari distans, et juxta ripas *Oust* fluvii positum. Hujus monasterii chartularium Rotonense meminit, annum circa 844. Ejusdem juxta muros acerrime Franci Britonesque pugnaverunt anno 845. Consule *Ogée*, verbo *Bains*. Ch. II. col. 209.

IV. BUSALT. Abbas monasterii *Busalt* una cum abbate monasterii *Ballon* memoratur in supra laudata tabularii Rotonensis chartula. Non altera tamen de *Busalt* mentio reperitur. Quam forsan domum antiquitus Normanni diruere.

V. SUCINIO. *Sucinio* recens nomen est castelli, quod in peninsula Ruiensi, juxta *Sarzeau*, Joannes Rufus, anno circiter 1236 condere cœpit, et anno 1249 absolvit. Eumdem vero amœnissimum locum monachi quondam incoluerant. Quos an Joannes Rufus alio miserit incompertum habemus. Ve-

risimilius tamen videtur dirutas et vacuas ædes monasterii nomen usque ad id temporis A retinuisse. De eo monasterio nihil aliud ad nos pervenit.

ABBATIÆ SUPERSTITES [1].

Sunt illæ numero quinque.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

S. Salvator de Rotono, *Redon.*
S. Gildasius Ruiensis, *S. Gildas de Rhuis.*

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Virorum.

B. Maria Landævallensis, *Lanvaux.*
B. Maria de Precibus, *Prières.*

Feminarum.

Gaudium, *La Joie.*

S. SALVATOR DE ROTONO.

Rotonense S. Salvatoris monasterium, ad Visnoniæ ripas situm, conditorem agnoscit Convoionum, Armoricanum presbyterum, qui mundi gloriam et strepitum alacri fugiens animo, ibi cellulam ædificare constituit, favente Ratuilo tyranno, ut memorat ipsius Ratuili charta, anno Ludovici Pii decimo nono data. Quædam vero de fundationis die dubia moventur. Hanc refert Argentræus ad primos Ludovici Pii imperantis annos. Occurrit, ex altera parte, hujusce Ludovici præceptum, annum tertium et vicesimum imperii præ se ferens, quo monemur Convoionum Rotonense monasterium nuper a fundamentis exstruxisse. Ut ea quidem secum discrepantia pro viribus ad concordiam revocemus, dicamus Convoionum annum circa 825 his in locis tabernaculum posuisse sacrum, dein, auctoritate Ratuili, ibi cellulas anno 832 condidisse, a plurimis habitandas vitæ sociis eremiticæ, et tandem, anno 836, a Ludovico imperatore confirmationem obtinuisse rerum ipsi jam a Ratuilo traditarum.

Anno 848, Nomenoius dux, regis nomen mentiens, Britonum episcopos quoscumque Rotoni congregavit. Unde non parum aucta hujus loci fama. Sed quotidie succrescentem fortunam protinus intercœpit nemini, nec Deo, parcens Normannorum furor : quibus vicinos agros deprædantibus, tutiorem locum Convoionus petiit, *Plebelan* scilicet, castrum, ut aiebant, regium, et ibi reliquos vitæ dies exegit. Initium unde cœpit monasterium S. Maxentii *de Plelan*, alias monasterium Salomonis, qui postea, monachis in Rotonensia claustra restitutis, prioratus fuit constanter Rotono subjectus. Alia dein Rotonum habuit incrementa, procerum et ipsorum principum favore. Nec tamen defuerunt qui Rotoni monachis insidias struerent. His præ cæteris infesti fuere Petrus, quem Malum Clericum nuncupant, et filius ejus Joannes. B Abbatiam occupavit Joannes, et, in monasticam supellectilem injecta manu, locum militibus tradidit. Reduces memorantur monachi anno 1256, et, quasi penitus eversa domo, fundationem novam aggredientes. Postea Franciscus I, Britonum dux, de erigenda in episcopatum abbatia cogitavit, et, ejus votis obsequens, Nicolaus papa V episcopatum hunc Rotonensem condidit, IV id. Junii 1449. Illico tamen auditæ vehementes cæterorum antistitum querelæ, et, tantam ut procellam compesceret, ipse Nicolaus litteras nuper editas aliis litteris, XIII cal. Januarii, revocavit. Patres Societatis Britannicæ C in Rotonense monasterium acciti sunt VIII id. Octobris 1618. Elapsis autem decem annis, eadem domus alterum correctorum gregem, fratres videlicet S. Mauri præceptis arctius adstrictos, excepit. Rotoni basilicam anno 1784 incendium sustulit : cui protinus reficiendæ manum admoverunt; ædes autem nova vetere minor fuit.

Eximiis Rotonum gaudebat privilegiis. Illud Romanæ sedi, nullo mediante, subjectum denuntiavit Gregorius VII, anno circiter 1075. Gregorio postea suffragati sunt Honorius II ad Hildebertum scribens, Innocentius III, D Honorius III, Innocentius IV, et alii summi Pontifices. Abbas Rotonensis, in comitiis generalibus, inter abbates Venetensis diœcesis primas tenebat. Eidem novissimis temporibus concessum jus exercendæ justitiæ in quatuor vicis *Redon, Baings, Langon et Brain.* Nullum tandem ab eo vectigal ipse Britonum dux, nullum, sub census nomine, subsidium, vel publicis in calamitatibus, pro jure suo unquam requisivit.

Rotonensium abbatum seriem plures jam, præter Sammarthanos domnumque Moricium, condidere. Consulendus imprimis Mi- E chael *Germain*, Rotonensis auctor historiæ quæ legitur in Sangerman. cod. 583[2]. Nec despice Rotoni Chronicon Breve, quod præbent, a domno Michaele *le Boutheiller* conscriptum, Sangerm. codex 585, et fasciculus 107 Residuarum S. Germani schedarum. Chartularium Rotonense inter Miscellaneos Colberti codices reperitur, t. XLVI.

(1) Usque ad annum circiter 1790.

SERIES ABBATUM.

I. S. Convoionus patre satus Conono, senatorio viro, ordinatus deinde presbyter a Ragenario, tunc temporis Venetensis antistite, et ab eodem mox archidiaconus acceptus, in Rotonensem eremum, Deo se totum condonans, exsulavit, et ibi monasterium exstruxit. Exsilii pii comites primos habuerat Louhemellum, Condelocum, Wincalonemque presbyteros : quibus mox sese *Conhajarn*, *Riouven*, Tethicus, et Conanus adjunxere. Eos exceperat benigne Ratuilus miles, loci dominus, ut legitur in chartula ab eo data 4 Junii 832. Sed non multo post venientibus aliunde presbyteris et opus ædificandæ abbatiæ suscipientibus multa insidiati sunt nobiliores et iidem potentiores indigenæ. De quibus componendis ad Nomenoium, Britanniæ ducem, misit Convoionus fratrem Louhemellum. Favit Nomenoius supplicibus, sibique gratos propalans hospites quos secum Convoionus adduxerat, hostiles compescuit insidias. Ipse Rotonum venit, humaniterque a monachis exceptus, eis non pauca tradidit, anno 834, quorum confirmationem mox Convoionus a Ludovico Pio impetravit, locum scilicet *Ros* et loculum *Langdegon*. Beneficiorum quidem non immemor, venerabilis abbas magnos animi perpessus est angores, simul ac inter Ludovicum imperatorem et Nomenoium ducem jurgia plusquam civilia exarsere, episcopis plerisque Britonum, necnon archipræsule Turonensi, excommunicationis minas adversus Nomenoium intorquentibus. Nomenoio demum adhæsit; quo jubente, ivit ad Leonem papam IV, episcopos Britanniæ, simoniæ reos, ad supremum delaturus judicem. Incertum relinquitur an adeo Britanni ducis consilia quæcumque Convoionus probaverit, ut ipse suaserit episcoporum, vel ante canonicum judicium, ejectionem. Eum hoc de probro postulare videtur auctor Indiculi quem Sirmondus edidit in Analectis ad Capitula Caroli Calvi; domnus vero *Bouquet* testimonia nonnulla congessit, quibus adstruere conatus est Convoionum in falsam ob id insimulationem vocatum; Rer. Gallic. Script., t. VII, p. 288. Nomenoio Erispoius successit juvenis, qui erga monachos Rotonenses se præbuit studiosissimum. Annum circa 850, plura, inter quæ *Baings*, *Langdegon* et *Plaz*, cum villanis et adjacentibus terris, silvis, aquisve, Carolus rex Rotonensibus confirmavit; eisdem mox Erispoius jus concessit eligendi quoscumque vellent abbates, eorumque rem auxit salinis in insula *Bafinontroi*. Anno 854, cum Cowellico et Brithaele Convoionus de villa *Trebhinoi* transegit. Alii quoque tunc temporis Britannici tractus proceres, aut presbyteri, Convoionum adierunt et ampla nascenti monasterio bona contulerunt. Singula vero, vel summatim, referre

Ch. I, col. 209.

A longum esset. Pauca tantum subjungere juvat de calice aureo patenaque aurea, quæ, solidos septem et sexaginta pondere suo æquantia, tradiderat *Winweten* monachum induens. Ea Convoionus ad Normannos tulit, ut redimeret *Pasquiten* comitem in eorum manus delapsum : amissa tamen postea recuperavit, dans Normannis salinas quas vocabant Barnahordiseam, et villam dictam *Burbrii*. Erispoio sub annum 857 necato, Britannicæ res non mediocriter turbatæ. Unde Rotonensibus monachis quam plurimas intulerunt molestias vicini tractus tyranni. Illis B autem opem subministravit Salomon, Erispoii successor idem et occisor. Plures tunc in jus Rotonensis monasterii ecclesiæ necnon villæ venerunt. Salomon ipse, anno principatus sui tertio, *Agulac* dedit in agro *Fulkeriac*; mox infensum monachis ad se vocavit primatem quemdam nomine *Ratfred*, et ablata reddere coegit; legitur præterea Convoiono tradens *Schiriou*, *Lanleuther et Tigrantis*, anno Christi 863, et, anno 866, *Macoër* in agro Redonico. Plurima eodem tempore, a privatis viris data, ad Convoionum Rotonensesque monachos confluxerunt. Me- C moretur primo pia matrona *Cleroë*, omnia sua bona Convoiono tradens, anno Salomonis primo : quod circa tempus eidem *Hoiarscoit* villam *Ursuvalt*, cum omnibus in ea degentibus colonis, largitus est, et Pascuetenus integrum *Bronaril* sine tributo, sine censu. Quarum donationum memoriam domus chartularium servavit. Habemus insuper nobilem quemdam militem, nomine *Warhsoju*, monasteriolum ad ripam fluminis *Vet* Convoiono concedentem. Neque multo post Thedaldus et Adeltrudis uxor, prædia quædam prope Grandicampum hæreditaria eisdem D obtulerunt. Sed ea quæcumque rabies Normannica vastavit. Legimus enim, annum circa 866, monachos ex æde cœnobiali passim dejectos, misisse tres legatos ad Courantgenum, episcopum Venetensem, et ab eo facultatem impetravisse ut ubicumque, a quolibet episcopo, novi ordinarentur fratres, ad Rotonense monasterium olim forsitan appulsuri. S. Convoionus, post regimen quadraginta quatuor annorum, in monasteriolum *Plelan* dictum secessit, ibique obiit, ut ferunt, nonis Januarii 868.

II. Ritrandus præerat Rotonensibus anno E 868, ut constat e Salomonis charta, IV cal. Septembris data, qua confirmatur monachis liberæ jus electionis ab Erispoio jam concessum : inter Probat. Hist. Brit., t. I, col. 304. Eodem et anno, Ritcandus Alfredum *mactiern*, monachorum jura deturbantem, ante Salomonem compulit, et, orata causa, vicit; ibid., col. 308. Salomonis decretum, XV calendas Maii 869, abbati Ritrando aulam *Plelan* tradidit, in quam sancti Maxentii corpus jam transferri curaverat, ibidem postea sepe-

liendus et ipse, quamque pretiosissima ditaverat supellectile, aureo scilicet calice, aurea cruce, eborea capsa, necnon libris ebore, auro argentoque mire circumtextis; ibid., col. 305. Eadem insuper charta S. Salvatoris monachis eleemosynas condonavit amplas et jura non mediocria. Eo anno Ritrandus impigre requirebat a *Pritient*, filio Maeloci, insulam Ambonem, quam, Rotono datam ab Erispoio, prædictus miles occupaverat; ibid., col. 307. Ritrando concessit, anno 870, Juhael, Berengarii filius, Redonensis comes, insulam nuncupatam *Enesmur*. Meritissimam dein lucratus famam obdormivit in Christo Ritrandus anno 870.

III. Liosicus, aut Liosocus, occurrit anno 872, testis adlectus a Salomone Rotonensibus monachis condonante omnia prædia *Penwas* presbyteri, in agro *Cadoc;* inter Probation. Hist. Brit., t. I, col. 308. Alfredum et ipse compulit, sub idem tempus, ad forum Salomonis, et vicit Rotonensibus insidias impigre molientem. Dicitur Liosicus abbas S. Salvatoris et S. Maxentii, Plelanensis scilicet monasterii, in charta Gurvandi, dimidiam partem villæ *Pleschatel* Rotonensibus tradentis, cum alteram ejusdem villæ partem jam eisdem Salomon anno 874 largitus esset. Salomonem oppresserant propinquum Gurvandus et *Pascwiten*, vel *Pasquiten*, perduelles utrique. Patrati dein sceleris memoriam delere conatus et ipse *Pasquiten* Rotonum venit, obtulitque monachis auream crucem, vestimentaque valde pretiosa, necnon prædium *Vanhocar*, in agro *Guerran*, juxta mare. Memoratur præterea Liosicus, ejusdem *Pasquiten* tempore, in charta qua *Deurhoiarn Acturec* corpus suum basilicæ S. Maxentii tradit; inter Probat. Hist Brit., t. I, col. 328. Hæc ad annum 875 circiter referenda.

IV. Roenvallonus innotescit, XIII cal. Julii 876, e charta qua *Pasquiten* Rotonensibus condonat villas *Mordan* et *Hoethloretz;* ibid., col. 329.

V. Liberius, quem Ratuili filium credunt, ab ipso patre S. Salvatori traditum. Ei *Vidnimet* presbyter, VIII idus Martii 878, confirmavit jam a se datam partem prædii quod vocabant *Conc-hinoc;* Prob. Hist. Brit., t. I, col. 330. Eidem Alanus, comes Warrochiæ, in sanitatis recuperatæ memoriam, eodem anno, II idus Junii, restituit vicum Ardonem Rowis, quem, olim Rotonensibus a Ludovico Pio concessum, invaserat; ibidem. Jam idem Alanus, V nonas Maii, S. Salvatori donaverat prædium *Buluvron;* ibid. Memoratur præterea Liberius, eodem anno, VIII cal. Februarii, in instrumento quo *Loiesvallon* dedit *Ran-Anaumonoc*, in pago *Poutrocoët*, ibid., col. 331.

VI. Fulchricus, VI idus Novembris 888, accepit ab Alano vicum *Marczac;* ibid. Idem, VI nonas Maii 892, memoratur pars celebris conventus, in quo Justi filius adversus filium *Wesilloc* litigavit; ibid. Landranno successisse dicitur in cathedra Nannetensi.

VII. Bernardus I legitur, temporibus Alani ducis et Bili Venetensis episcopi, puerulum viri cujusdam nomine *Keuric* veste monachicha induens; inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 331. Obiit, ut aiunt, Alanus dux anno 907.

VIII. Ritwaldus fratrem suum *Ritwalart* monachum excepit.

IX. Catluwantus, alias Catlviantus, legitur Rotonenses monachos regens, cum Bilus præsul in Venetensi ecclesia sederet, et *Gurmehailon* in solio, ut jebant, Britannico; e pluribus instrumentis quæ Moricius in unum coegit, t. I, col. 339.

X. Adhemarus, frater Haimerici, Thoarcensium vice-comitis, corpus S. Maxentii Ebulo Pictonum comiti restituit, anno 924. Hujus translationis historiam enarravit quædam chartula, quam, post Beslium, prælo dedimus. Cum autem in ea memoretur Adhemarus abbas monasterii cujus e sacrario sanctissimi viri corpus ad Pictones delatum est, omnes qui Rotonensium rerum historiam scripsere Adhemarum inter Rotonenses abbates recensuerunt. Idem vero Adhemarus, Haimerici frater, reperitur ipsi monasterio S. Maxentii apud Pictones præfectus, ab anno 924 usque ad annum 928: vide supra, t. II, col. 1247. Perperam igitur Rotonensibus archimandritis annumeratur, nisi, sicut conjicere fas est, abbas fuerit laicus, ac plures simul abbatias gubernaverit. Ch. III, col. 120.

XI. Heroicus post Adhemarum ponitur, vir artis medendi peritissimus, quem adiit, anno 988, Conanus, Redonensis comes, precans uti veloci veneno tolleret filium Alani ducis, nomine Warochum, qui Nannetensem una comitatum et Nannetensem ecclesiam occupabat. Alano, ut referunt, operam ministravit Heroicus, et mortuo Warocho, Conanus Britanniæ principatum invasit. Ille quidem Heroicus monachus et medicus dicitur; ejus vero abbatiale pedum gerentis nulla Rotonensis tabularii chartula meminit. Anno quin etiam 990 Rotono præerat abbas ab Heroico plane diversus, quem Michael *Germain* et Moricius prætermisere.

XII. Arufus enim, V cal. Augusti 990, reperitur Redones accitus a Conano comite, et ejus chartæ subscribens qua plura monasterio S. Michaelis dona concessa; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 351.

XIII. Theobaldus vixit anno circiter 991: occurrit enim in Rotonensibus tabulis una cum Conano duce et Judicaele Venetorum episcopo. Ei Gundiernus et *Glast*, milites, mediam villam *Treffingar* dedere.

XIV. Maynardus innotescit e charta qua memoratur Geoffridus, Britanniæ dux, monachis Rotonensibus, ante annum 1008, quo

vitam exuit, insulam *Guedel* concedens. Quam protinus occupaverunt Rotonenses, duce Catvalono, Geoffridi ducis, ut memorant, filio. Geoffrido successit Alanus, qui, Maynardi precibus obsequens, cœnobium S. Salvatoris omni tributo exemit; Probat. Hist. Brit., t. I, col. 356. Maynardum eumdem plures opinantur S. Michaelis abbatem fuisse et anno 1009 obiisse. Eorum vero conjecturæ non plus quam decet adhæreas.

XV. Catvalonus, post Maynardum electus, tantum primo recusavit honorem, fratres insulanos relinquere nolens. Renitentem vero tandem vicerunt Alani germani preces. Occurrit primum anno 1021, in charta Judicaelis, Venetensis episcopi, jura Rotonensis abbatiæ prisca sancientis; inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 162. Quam tamen corruptam, sin prorsus fictitiam, opinamur, cum legatur Catvalonus Rotonensis abbas salutatus eo die quo frater ejus Alanus III insulam *Guedel* et prædium *Ardon* monachorum sub jure confirmavit. Hujus enim confirmationis instrumentum annum exhibet 1026, cyclum lunæ 1, epactam nullam; quæ chronicæ notæ inter se plane concordant. Eodem anno 1026, Simon, filius Bernardi, abbatiam S. Gildasii de Nemore fundavit. Litteris hanc fundationem attestantibus Catvalonus subscripsit. Idem nominatur abbas in charta Droaloii, Migronis toparchæ, filium suum Judicaelem S. Salvatori tradentis, et nobilem Frociacum cellam; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 391. Catvalonus insuper obtinuit ab Alano peninsulam S. Gutuali, quam occupabat vir quidam, nomine *Gurki*, genere Normannus, animo ferox, indutus semper, ut apud Normannos moris erat, albis vestibus et pura lana contextis. Eum vero Catvaloni clara sanctitas non reluctantem ad dimittendam insulam impulit; inter Probat. Hist. Brit., t. I, col. 363. Hujus autem dimissionis annus perperam legitur 1027; chartæ siquidem Alani subscripsit Mainus, Redonensis anno 1027 nondum episcopus. Catvaloni tempore supra dictus Simon, Bernardi filius, *Pembé* prioratum auxit, et Budicus, comes Nannetensis, colonos S. Salvatoris consuetudinibus iniquis exemit. Testis reperitur Catvalonus, VIII idus Aprilis 1029, in charta quæ fundationem abbatiæ Kemperlegiensis describit. Ei præterea Junkeneus, Dolensis episcopus, villam *Guernidell* dono dedit, cum silvis, terris, et aquis circum decurrentibus; inter Prob. Hist., Brit. t. I, col. 383. Litteræ proferuntur Leonis papæ IX ad Catvalonum, Rotonensem abbatem, quibus cœnobii jura prædiaque confirmata. Has quidem sub annum 1050 Moricius edidit, t. I, col. 396. Spuriæ vero et forsitan ex integro fictitiæ sunt, cum Leo sedere cœperit ab anno 1048 desinente, Catvalano jam diu curis terrenis exempto. Narrandarum id ordo rerum demonstrabit. Obiit Catvalonus XVIII cal. Februarii; e Roncercii martyrologio. Annus vero incertus relinquitur; nam erronea certe delusus fuit conjectura Gurhedenus monachus, qui Catvaloni obitum anno 1041 adscripsit.

XVI. Hogonannus prior S. Salvatoris dicitur, anno 1021, in Judicaelis, episcopi Venetensis, instrumento de juribus abbatiæ Rotonensis, necnon in Junkenei Dolensis litteris de villula *Guernidell*. Catvalono successisse refertur ab auctore Chronici Kemperlegiensis, qui ei grates agit ob id quod observantissimus fuerit fœderis cum Kemperlegiensibus initi. Perenesium tamen Rotonensis abbatiæ gubernaculum ab ipso Catvalono, idque nullo intermedio, accepisse tradit chartula de rebus a Brientio quondam datis, et a Gualterio, Budico, Airardo, Nannetum præsulibus, confirmatis.

XVII. Perenesius, e priore S. Salvatoris abbas electus, jam cœnobium regebat, quum, Alano duce III mortuo, Conanus puer novum auspicatus est consulatum. Legitur enim prædictum Conanum, die quo comes Redonibus factus est, Perenesio abbati confirmasse datam a Radulfo presbytero ecclesiam *Mont-Altor;* inter Probat. Hist. Brit., t. I, col. 395. Quæ ad annum 1040 referenda. Eodem, ut videtur, anno, Perenesius a Gualterio, Nannetensi episcopo, confirmationem obtinuit rerum quas Brientius Garneriusque milites Catvalono quondam concesserant. Perenesium ad se vocavit, anno incerto, Joscelinus, filius Guethenoci proconsulis, qui, jam Rotonensibus a patre data sanciens, ad eos præterea contulit monasterium S. Crucis ac SS. Cornelii et Cypriani, cum veteri suburbio, necnon prædiis adjacentibus; ibid., col. 399. Eidem largitus est, anno circiter 1051, Rodoaldus de Peregrino, miles, quartam partem *Her* insulæ; ibid., col. 410. Hujusce quidem donationis schedula præbet annum MLX, indict. IV, existente Erardo, Nannetensis ecclesiæ præsule. Cum autem inter se pugnent hæ chronicæ notæ, levis ope correctionis MLI pro MLX legatur. Erardus ille, Nannetensis præclarus antistes, Rotonum id circa tempus venit, et monachis traditam a Gleviano Beconensi ecclesiam S. Mariæ de Frociaco confirmavit; ibid., col. 408. Anno 1055, Harscoidius, Radesii dominus, tertiam partem Calmariæ ita concessit, ut ibi conderetur monasterium abbatiæ Rotonensi subjectum. Hujus e donationis schedula novimus Quiriacum, Nannetensem episcopum, una monachis Rotonensibus dedisse oratoria duo juxta Calmariam, sub nomine B. Mariæ et S. Joannis constructa. Decessit Perenesius, ut volunt, 21 Maii 1060.

XVIII. Almodius, vel Almodus, e priore Rotonensi abbas fuit. Ei concessit, anno 1062, Quiriacus, Nannetensis episcopus, ecclesias

B. Mariæ de Fuciaco, B. Mariæ de Marnis, B. Mariæ de Cellario, S. Dionysii de Castellione, S. Benedicti de *Macerac*, S. Salvatoris de Moya et S. Martini de *Marczac*, in Nannetensi diœcesi; Probat. Hist. Brit., t. I, col. 417. Idem circa tempus, Goscelinus, filius Droaloii, quædam prioratui Frociacensi liberaliter addidit. Andegavum Almodius venerat, v idus Februarii 1062, causam oraturus suam adversus Albertum, Majoretanorum abbatem, quocum super ecclesia S. Salvatoris de Bairiaco litigabat. Rotonenses ea in causa Majoretani vicere. Consule Rer. Gallic. Script., t. XIV, p. 149. Almodium adiens memoratur eremita quidam, nomine Gundiernus, et monachis cellulam suam tradens, quæ Juiniacensis prioratus origo fuit. Anno 1066, Morvannus, miles, cucullum poposcit pluraque gratus dedit; e chartul. Roton. Circa eumdem annum, Judicael et ejus uxor Wascelina Almodio largiti sunt terram *Goüent*, cum capella adjacente; e qua sumpsit initium prioratus S. Salvatoris de *Lohéac*. Memoratur postea noster Almodius insidians, anno 1067, abbati Bartholomæo, et sententiam de Bairiaco jam latam abolere studens. Vana tamen in ea re molitus est; Rer. Gall. Script., t. XIV, p. 151. Debitum monachis Rotoni vectigal S. Salvatoris incolis detrectantibus, adiit Almodius Conanum, et ab eo litteras obtinuit quibus firmiter sancita jura de quibus jam diu lis erat. Inter Probat. Hist. Brit., t. I, col. 405, legitur illud notabile diploma, sed, pace doctissimi viri, perperam a domno Moricio fastis anni 1055 adscriptum. Dein occurrit Almodius, annum circiter 1075, a Gregorio papa VII rescriptum accipiens, quo Rotonensis monasterii libertates confirmatæ; apud Moricium, Probat. Hist. Brit., t. I, p. 442. Spuriam autem hanc chartam supra demonstravimus, de Rodulfo disserentes, Turonensium archipræsule. Ad eumdem exstat amplior ejusdem Gregorii bulla de juribus Rotonensis cœnobii, quam, e codice S. Michaelis desumptam, anno 1080 domnus Moricius adscripsit; ibid., col. 449.

XIX. Olivarius I Almodio successisse videtur; e chartula Gundierni eremitæ donum referente; apud D. Aurelianum *de Courson*, Hist. Popul. Brit., t. II, p. 371.

XX. Bilus, abbas e Rotonensi priore, sicut testatur charta Judicaelis de terra *Goüent*, præsens fuit, ut aiunt, anno 1083, recognitioni corporis B. Gurloesii. Anno 1084, ab Hervæo et Evrardo, militibus, necnon ab Hamone, Thethaldi filio, Castelli Burgi cellam accepit; Probat. Hist. Brit., t. I, col. 459.

XXI. Robertus I, Bili successor e Kemperlegiensi tabulario, anno 1086, in die Decollationis S. Joannis-Baptistæ, innotescit abbatiam S. Salvatoris regens, ex instrumento de venditione prædii *Rainalt Merlet;* inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 462. Ejusdem temporibus, circa Natalem diem 1089, sedatur controversia nuper exorta de quibusdam oblationibus, inter Rotonenses monachos et capellanos Alani ducis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 465. Nec multo post Rotonensium regimen abdicavit. Occurrit enim Robertus dictus *olim abbas*, inter Rotonenses monachos qui post annum 1111 compositioni de Bairiaco subscripsere. Rei Rotonensis curator quidem legitur, anno 1095, in charta de Normanno et Daniele S. Salvatori prædium aggeremque vendentibus; e tabul. Rotonensi. Erroneus autem est hujus diplomatis annus, ut infra patebit.

XXII. Justinus memoratur anno 1092, cui decimas Odo comes tradit : anno sequente, cum Morvanno, præsule, de Venetensium episcoporum in Rotonenses monachos jure transigit. Eumdem, anno 1100, adiit Hurvodius, clericus, Rivaloni filius, et, Deo semet offerens, hæreditaria juxta Frociacum prædia dimisit; ibid., col. 503 : quod donum Benedictus, Nannetensis præsul, probavit, anno 1104. Justino præterea Rioerus, filius Judicaelis, concessit quidquid juris habebat in parochia B. Mariæ de *Guypri*. Qui decessit Rioerus, vexillum crucis gerens, Hierosolymitanis in oris, et exquisitissimas moriens ad Rotonenses suos reliquias misit. Obtulit eas Gualterius, Rioeri frater, anno 1101, præsentibus quibusdam optimæ notæ viris, inter quos Robertus Arbrisellensis legitur. Requirens idem Gualterius ut constituerentur monachi in cella quam pater ejus S. Salvatori dederat, paternum auxit donum; ibid., col. 505. Eodem anno, Justinum adlocuta est Odicia, quæ conjugem, Bastardum nomine, suum relinquens, et Deum amplexa, S. Salvatori plures decimas contulit; ibid., col. 504. Memoratur tandem Justinus anno 1105, Nannetibus sedens in percelebri conventu, et subscribens chartæ Benedicti, Nannetensis episcopi, de institutione canonicorum in ecclesia S. Medardi.

XXIII. Gualterius ab Alano *Fergant*, Britanniæ duce, dimissum habuit, anno 1108, vectigal quod is monachorum colonis indixerat ad erigendum castellum *Blaing;* Probat. Hist. Brit., t. I, col. 515. Idem accepit Gualterius a Rodoaldo, Hamonis filio, cucullum suscipiente, mediam decimam S. Majoci. Beneficum insuper expertus est Tangicum vicecomitem, ut chartula testatur a Benedicto, Corisopitensi episcopo, confirmata; ibid., col. 514.

XXIV. Hervæus regebat S. Salvatorem anno 1111, cum hoc anno memoretur testis adlectus a Benedicto, Alethensi episcopo, ecclesiam S. Petri Dinanensis S. Nicolao condonante. Benedicto postquam Judicael successerat, pactus est Hervæus cum Majoretanis de Bairiaco; Rer. Gall. Script., t. XIV, p. 152. Anno 1112, Alanus *Fergant*, gravi

morbo laborans, pœnitentia duci cœpit illatarum Rotonensibus injuriarum. Absolvit eum quidem Hervæus. Tunc Alanus cingulum ducale exuit, et inter Rotonenses monachos voluit adscribi. Quamobrem Rotonensi monasterio vectigal concessit, quod exigere solebant Britanniæ duces ab incolis Guerrandiæ, necnon Penheuriaci; Probat. Hist. Brit., t. I, col. 527. Elapsis septem annis, Rotoni moritur Alanus, magna cum pietatis laude. Id circa tempus, gravis exorta est inter Kemperlegienses et Rotonenses monachos controversia, de possessione *Guedel* insulæ, quam ex Alani, Cornubiæ comitis, Kemperlegienses, ex Geoffridi vero Britonum ducis concessione Rotonenses sibi vindicabant. Jurgii delectus arbiter summus Pontifex rem Engolismensi præsuli Gerardo cognoscendam demandavit. Qui Rotonenses non molliter redarguit respondere renuentes, anno 1117; Rerum Gall. Script., t. XIV, p. 192. Hujus historiam controversiæ scripsit Gurhedenus, monachus Kemperlegiensis, nec Rotonensibus, quod non miraberis, ipse pepercit. Anno 1118, Conanus, dux Britonum, supra memoratam Insulam sub Kemperlegii tutela pro consulari auctoritate stabilivit. Cujus e litteris comperimus Hervæum, ob damnum Kemperlegiensibus illatum, ultra spatium unius anni excommunicatum fuisse. Solvendi præterea Kemperlegiensibus a Rotonensibus nummi, e Gerardi legati sententia. Ad quos numerandos Hervæum tergiversantem monuit Calixtus papa II, 3 Augusti 1119. Vide Rer. Gall. Script., t. XV, p. 231. Anno 1122, Hervæus testis est Donoaldi præsulis S. Melanii possessiones in Alethensi diœcesi confirmantis. Hervæo concessit, IV non. Junii 1123, nobilis vir Riocus *de Musselac*, duas villas *Quirglay* et *Branquassez*, ipse monasticum induens pannum. Nec multo post Olivario de Ponte Castelli cæterisque proceribus in Rotonensem abbatiam infestissimas molientibus insidias, afflicti cœnobii vigilem patronum Conanus dux se præbuit, qui deprædatores oppugnavit latebras in ipsa Rotoni basilica quærentes, captosque Nannetes duxit. Dein ad dominum papam litteras misit Conanus, quas Hervæus ipse, cum Guillelmo, Rotonensis claustri priore, Romam tulit. Auditis tanti tumultus nuntiis, summus Pontifex vices suas Hildeberto, Turonensium metropolitæ, Girardoque Engolismensi commisit, qui adeo perturbatas res ad meliorem statum coercerent. In Britanniam tetendit Hildebertus, et Rotonensem ecclesiam S. Salvatori, sanctæ Dei genitrici, sanctoque Marcellino reconciliavit, IX calendas Novembris 1127. (Rer. Gall. Script., t. XV, p. 259.) Cujus consecrationis solemnitate non leviter commotus Olivarius de Ponte, postera die ecclesiam adiit, et Rotonensibus monachis prædium *Ballac*, in parochia *Pyrric* obtulit.

A Eodem tempore, prædium idem *Ballac* nobilis miles Alfredus Rotonensibus liberum integrumque condonavit, et ipse, conjuge liberisque remotis, cœnobialem vitam amplexus est sub Hervæo abbate. Alia quidem fuit Olivarii de Ponte fortuna. Occurrit, anno 1131, patratis cujuscumque generis facinoribus, tum demum ad altare S. Salvatoris rediens et Hervæo dans prædium *Brengoen*, pro delenda male gestorum memoria. Hervæus tandem reperitur, nonis Februarii 1133, in charta Guegoni de Blaigno ab Oliverio de Ponte data confirmantis; apud Mo-B ricium, Prob. Hist. Brit., t. I, col. 568. Hervæi de interitu epistolam ad omnes fideles edidit Reimbaldus, Leodiensis canonicus, quam reperies inter Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 366. Quo tamen anno scripta fuerit non liquet.

XXV. Guillelmus I, semel in tabulis laudatus, occurrit recipiens donationem duodecim jugerum terræ a Risione, filio Alfredi.

XXVI. Yvo I, V cal. Julii 1144, arbiter electus dissidii inter Affredum, Maroci filium et (Ch. VI, col. 213) Hervæum de *Syum*, secundum Affredum sententiam fert, et ab eo stipulatum senten-C tiæ pretium accipit. Præclaræ exstant Eugenii papæ II ad Yvonem litteræ, quibus ille Rotonensi monasterio protectionem spondet supremæ sedis, agnoscitque monachorum privilegia. Hæ datæ sunt litteræ VIII cal. Julii 1147; apud Marten., Thes. Anecd., t. I, p. 403. Anno 1148, Ermengardem, Alani *Fergant* uxorem, Yvo mariti tumulo conjunxit. Impetravit idem a Boscherio, milite, monachum induente, prædium in agro *Plelan* situm, et cum Odone, Rociæ domino, pactus est de navibus ad Rotonenses pertinentibus, quas Odo deprædatus fuerat. Jam D ea de re litigatum erat inter abbatem et militem coram summo Pontifice, qui causam Joscio Turonensi archiepiscopo demandaverat rite enodandam, ut legitur inter Probat. Hist. Brit., t. I, col. 605. Cum vero Turonensi cathedra potitus sit Joscius anno 1157, pro certo habemus usque ad hunc annum Rotonensis abbatiæ regimen Ivonem retinuisse. Id circa temporis Yvo missus in exsilium fuit, et, Andegavum secedens, in claustro S. Albini delituit, Albinianos Guillelmo regente, post annum scilicet 1157. Innotes-E cit res e litteris Silvestris sequentis, quas (Ch. VII, col. 214.) prælo damus : quæ fuerit autem Yvoni fugæ causa non comperimus.

XXVII. Silvester Guillelmum, abbatem S. Albini, Rotoni excepit, eique castellum Seii concessit. Memoratur idem, anno 1164, in Odonis comitis pro Joscelini monachis diplomate. Obiit forsitan, ut quidam opinantur, anno 1169.

XXVIII. Vivianus adstipulavit, anno 1187, litteris Petri, Alethensis episcopi, quibus collationes beneficiorum monachis S. Melanii

confirmatæ. Eodem anno, in capitulo Majoris Monasterii, sedit inter testes diremptæ litis de procuratione quam Petrus, Macloviensis episcopus, a Lehonensibus monachis exigebat.

XXIX. Geoffridus occurrit anno 1199, die 18 Aprilis, aut, secundum hodiernum usum, 1200, Pontem Oetranni deveniens, cum Arturo duce, et chartæ subscribens qua monachis Pontis Octranni duodecim Andegavenses libras largitus est quotannis percipiendas; e Thesauro Chartarum.

XXX. Joannes I abbatiæ regimen difficillimis temporibus sortitus est. Huic enim monachorum suffragiis electo obstitit Venetensis præsul Guethenocus, abbatis morem sibi detrectantis cassam electionem clamitans. Res ad Nannetensem et Briocensem episcopos primum perlata fuit, cum Guethenocus subjectum sibi monasterium Rotonense diceret, et Joannes responderet Rotonenses monachos plenam libertatem a summis Pontificibus adeptos, salvo jure S. Petri. Arbitrariam emiserunt sententiam, xvi calendas Decembris 1208, Nannetensis et Briocensis episcopi, abbatiam ab episcopali subjectione liberam pronuntiantes, præcipientesque ut Joannem electum Guethenocus confirmaret. Iisdem fere verbis, anno 1210, Innocentius III latam sententiam firmavit. Nec his tamen decretis, quantæcumque auctoritatis essent, animi penitus compositi; nam paulo post Joannes abbas et Guethenocus præsul inter se contenderunt de mulctis ecclesiastico foro persolvendis, et super novis his jurgiis scripsit Honorius papa III ad episcopum Briocensem et archidiaconum Redonensem. Abbati Savigneii dedit Joannes, anno 1209, aream quæ Petri vicarii res fuerat; e Savigneii chartario. Subscripsit idem, anno 1210, chartæ qua nobilis vir Eudo de Ponte nonnulla monachis Albæ Coronæ restituit; Probat. Hist. Brit., t. I, col. 817. Quandiu præfuit Joannes, tam crebra perturbatione quassata disciplina defecit. Britonum præsules ea de re scripserunt ad Honorium papam, qui Cenomanensi episcopo munus impertiit, anno 1223, Rotonensium mores emendandi.

XXXI. Daniel novis procellis afflictus est. Guethenoco mortuo successerat Cadiocus, non minus libertati Rotonensium infestus; quocum pactus est Daniel inducias in quindecim annos. Hujus fœderis instrumentum annum 1237 præ se fert. Sed aliunde mox in Rotonense monasterium hostis ruit multo pejor; Joannes scilicet consul, filius Petri Mali Clerici, qui sæviens in totam Armoricanam ecclesiam, S. Salvatoris monachos e propriis ædibus exsules dejecit. De cujus detestatis rapinis non pauca refert Rotonensis cœnobii Breve Chronicon, inter Sangermanenses codices asservatum. Exsules in Turoniam monachi secessere, ut comperimus e litteris Alexandri papæ, datis anno 1254; apud *Housseau*, t. VII. Obiit Daniel iii id. Septembris; ex abbatiæ necrologio.

XXXII. Henricus I *de Rigoert* a domno Moricio post Danielem conjectura ponitur. Obiit, ex abbatiæ necrologio, v cal. Novembris.

XXXIII. Petrus I coætaneus fuit Clementis papæ IV, qui sedem apostolicam tenuit a 26 Februarii 1265 ad 29 Novembris 1269. Coram prædicto Clemente Petrus litigavit adversus Britonum ducem, de jurisdictione exercenda in quibusdam locis ad Rotonenses pertinentibus. Dum vero causam hanc jam sæpius agitatam Petrus agebat, Romæ decessit. Ejus abbatiæ necrologium meminit iii non. Martii.

XXXIV. Robertus II *Bibel* Petro successisse dignoscitur, temporibus Gregorii papæ X; e litteris Honorii IV de causa prædicta. Obiit, ex eisdem, Nicolao cathedram S. Petri occupante, ante scilicet 22 Augusti 1280. Roberti in abbatiæ necrologio mentio reperitur v non. Martii.

XXXV. Joannes II *de Guypri* memoratur, anno 1285, in litteris Honorii papæ IV. Ch. xii, col. 217.
Idem, anno 1288, cum Guillelmo de Rivis, gallice *de Rieux*, litigavit, qui tributum quoddam a Rotoni colonis exigebat. Alteram compositionem pactus est, anno 1289, cum Joanne II, Britanniæ duce, de juribus Rotonensis monasterii forensibus. Assensum præbuit, anno 1303, sententiæ contra Bonifacium VIII latæ; e Max. Gall. Arch., J, 482. Decessisse videtur anno 1307, ut legebatur in ejus lapide sepulchrali :

M. datis annis, C. ter et ἑπτὰ, Joannis
Funere patroni plebs doluit Rotoni.
Simplex, pacificus, humilis, facundus, honestus,
Justus, munificus, mitis, honorificus.

Occurrit in necrologio pridie idus Februarii.

XXXVI. Olivarius II de Berno transegit, anno 1332, cum Joanne, Venetensi præsule, de visitatione prioratuum S. Salvatoris in diœcesi Venetensi sitorum. Decessit xvii cal. Octobris.

XXXVII. Joannes III *de Tréal*, ab anno circiter 1340. De Britonum principatu contendentibus Joanne de Monte Forti et Carolo Blesensi, Carolo Rotonensis abbas adhæsit et bello captus est. Exstant Innocentii litteræ, quarum Suaresius meminit, de captivitate Joannis, anno datæ 1355. Tandem fœdus pepigit, anno 1364, cum Joanne de Monte Forti : auctoritatis magnæ documentum, quo Rotonensis monasterii privilegia quæcumque confirmantur; apud Moric., Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1583. Interfuit, anno sequente, in ecclesia S. Albini de Guerrandia, inito pacto prædictum inter ducem et Joannam de Britannia, comitissam *de Penthièvre;* ibid.,

col. 1597. Decessit III non. Martii, anno incerto.

XXXVIII. Matthæus *Le Bar* ratum habuit pactum Guerrandiæ, 23 Junii 1381; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 280.

XXXIX. Guillelmus II *de Trebiguet,* abbas antea Kemperlegiensis, Rotonensibus a Joanne, Britanniæ duce, præficitur. Eumdem postea fratres elegerunt, et peractam duci denuntiaverunt electionem, 9 Maii 1384. Eam deinceps ratam habuit Clemens papa, eodem anno, VII cal. Junii. Sedit Guillelmus in Nannetensibus comitiis anno 1389.

XL. Radulfus I se subjicit, anno 1396, Joanni, Britonum duci. Itidem notatur in tabulis anno 1402.

XLI. Joannes IV *de Pontbrient* Parisiis comes reperitur Joannis ducis, Francorum regi fidem profitentis, 7 Januarii 1404; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 735.

XLII. Radulfus II *de Pontbrient* occurrit anno 1419. Adiit Joannem ducem in urbe Rotono monetam cudere parantem, ab eoque, IV calendas Julii 1422, litteras obtinuit, quibus nullo modo se jura privilegiaque monasterii Rotonensis affectaturum spopondit. Novimus Radulfum 18 Decembris 1423 decessisse. Sepultus est in sacello B. Mariæ de Pietate.

XLIII. Guillelmus III *Bodart,* duci a consiliis, ut patet e multis ipsius ducis litteris, ab eo, XII cal. Martii 1427, impetravit ut Rotonensis moneta aboleretur. Vixit, ut fertur, in annum 1428.

XLIV. Simon innotescit, ut aiunt, anno 1429, e syngrapha datæ pecuniæ, in qua recens abbas dicitur.

XLV. Guillelmus IV *Chesnel,* nuper electus, litteris apostolicis donatur XVI cal. Octobris 1429. (Ch. XIV, col. 223.) Idem Britonum duci fidem jurat 12 Januarii 1432; e Nannetensis castri chartulario. Ab eodem duce, cujus consiliarius erat, obtinuit, nonis Maii 1434, vectigal in quaslibet merces Rotoni venales, ut hos ad construendum novum pontem reditus impenderet. Exstat ejusdem Guillelmi charta, 15 Martii 1438 data, qua facultatem dedit Rotonensibus civibus ædificandi capellam et altare in infirmorum xenodochio. Hanc concessionem non multo post, VI scilicet idus Aprilis 1439, approbavit Ludovicus, legatus Basileensis concilii. Eidem Guillelmo, hoc anno 1439, 10 Aprilis, tradidit Britanniæ dux confirmationem privilegiorum quorumdam S. Salvatoris.

XLVI. Yvo II *le Seneschal* Simoni subrogatur a monachis, et a Basileensi concilio confirmatur. Interea vero Eugenius papa IV Joannem, quem quidam gentilitio nomine *de Sesmaisons,* alii *du Tertre* nuncupant, Britonum duci præsentabat, IV non. Decembris 1349; e cod. Reg. 8357². Unde lis exorta. Audita vero tam Yvonis quam ducis querimonia, summus Pontifex Joannem amovit electumque abbatem confirmavit, anno 1441. Anno 1449, votis Francisci ducis obsequens, Nicolaus papa V Rotonensem ecclesiam ex abbatiali et monastica episcopalem et cathedralem effecit, Ivonemque Rotonensem episcopum instituit. Sed scripta non res secuta est. Anno 1461, Yvo Ludovicum XI, Galliæ regem, in ædibus Rotonensis monasterii excepit. Semet deinde a munere, anno 1462, abdicavit, pedumque in Arturum de *Montauban* transtulit. Arturum papa admisit Octobri mense; sed Franciscus dux eum rejecit. Romam accivit Arturum Nicolaus cardinalis, 9 Martii 1463. Quamobrem invitus abbatiam Yvo retinuit, et obiit III nonas Januarii 1467; secundum nonnullos, anno 1464.

Occurrit quidam *Brenet de Vyaite,* 22 Januarii 1471, abbas dictus Rotonensis, inter Ludovici regis asseclas Nannetensem urbem ingredientis; apud *Travers,* Hist. Nannet., t. II, p. 148. De eo tamen domesticæ Rotoni tabulæ silent.

XLVII. Alanus *de Coëtivi,* sanctæ Praxedis titulo presbyter cardinalis, necnon episcopus Dolensis, abbas S. Salvatoris Rotonensis primus fuit commendatarius. Idem erat prior commendatarius Beriaci, nec non quorumdam aliorum beneficiorum caupona, ut subridens ait chartularii Majoretani compilator. Alanus terrenam deposuit sarcinam XII calendas Augusti 1474.

XLVIII. Odetus *de Ripvièro,* fratrum calenlis electus anno 1474, litteris apostolicis donatus est XIII cal. Augusti. Sub idem tempus a Sixto papa Buzaii commendam accepit. Quædam Rotonensibus dona contulit, inter quæ pastorale pedum argenteum. Interfuit, anno 1476, Rotonensi conventui, ubi de stipendiis ruricolarum pastorum decretum est. Obiit 7 Septembris 1492.

XLIX. Guillelmus V *Gueguen* cleri suffragiis in cathedram Nannetensem vocatus fuerat anno 1487. Eam autem tunc temporis conscendere non valuit, prohibente domino papa. Per quem tamen ei licuit, anno 1492, ut Rotonensis abbas fieret. Eo subscripsit anno litteris Joannis *Brete* de incundo matrimonio inter Carolum VIII Annamque ducissam. Eumdem, anno 1494 ineunte, summus Pontifex Mirapincensem episcopum creavit. Cui tamen Guillelmus decreto non adhæsit, Nannetenses infulas sibimet constanter vindicans. Eas tandem assecutus est anno 1500, 23 Novembris 1506 obiturus.

L. Philippus de Lastellio memoratur abbas Rotoni 8 Junii 1499, idem et mensæ reginæ matris administrationi præpositus; ex indice chartarum Nannetens., arm. *A*, caps. *g*.

LI. Petrus II *de Brignac*, nuper abbas S. Gildasii, præfuit Rotonensibus ab anno 1506 ad annum 1514.

LII. Ludovicus *de Rossi*, protonotarius apostolicæ sedis, cardinalis diaconus titulo S. Clementis, obiit, ut quidam ferunt, VII calendas Septembris 1519. Sedentem hunc Moricius memorat usque ad annum 1520. A

LIII. Joannes V *Salviati*, cardinalis, munere semet abdicavit anno 1524; e litteris Francisci regis Clementem instituentis.

LIV. Clemens *Champion*, regius cubicularius, abbatiam obtinuit a rege 20 Novembris 1524; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 961.

LV. Joannes iterum *Salviati*, litteris regiis instituitur 14 Maii 1528. Is Bernardum, fratrem suum, coadjutorem suscepit, anno 1551. B

LVI. Bernardus II *Salviati*, præcedentis frater, presbyter cardinalis sub titulo S. Priscæ, fidem regi dedit 10 Januarii 1557, et abbatiam anno 1567 dimisit.

LVII. Joannes VI Paulus Hector *Scotti* præcedentis per cessionem abbatiam recepit, 25 Septembris 1567. Fidem juravit regi anno 1575. Fœderatis dein adhærentem rex temporalibus mulctavit, anno 1591. Obiit 18 Januarii 1596.

LVIII. Arturus *d'Espinay* possessionem abbatiæ Rotonensis per procuratorem accepit V idus Januarii 1600. Eodem anno se fidum regi juravit, 26 Aprilis. Reperitur annis 1616, 1618, 1619, 1620, in Britanniæ comitiis. Abbatialem domum construxit, et patres societatis Britannicæ in monasterium reformandum accivit, VIII idus Octobris 1618. Idem abbas fuit Relleii. Massiliensis postmodum nominatus est episcopus. C

LIX. Armandus Joannes, cardinalis dux *de Richelieu*, possessionem adiit per procuratorem III nonas Octobris 1622. Hujus tempore sodales S. Mauri in Rotonense monasterium vocati sunt, Octobri mense 1628. Primus Rotonensium prior fuit Thomas *Baudry*, qui obiit calendis Januarii 1630. Devixit ipse Armandus Joannes 4 Decembris 1642. D

LX. Cæsar *de Choiseul du Plessis-Praslin* abbatia potitur VIII idus Augusti 1643. Obiit mense Julio, anno 1648.

LXI. Alexander *de Choiseul*, Cæsaris frater, ei successit eodem anno, XIII calendas Octobris. Sed, transactis duobus annis, postquam frater ejus Carolus, comes *du Plessis*, in prælio ceciderat, abbatiale munus Alexander dimisit, et militiæ nomen dedit.

LXII. Augustus *de Choiseul*, Melitonensis eques, abbas jam Bonæ Vallis, antecedentis Alexandri necnon Cæsaris germanus, Rotonum accepit gubernandum anno 1650. Abbatiale pedum gerens non gladio Augustus abstinuit. Abdicavit tandem a rege collata beneficia, et uxorem duxit 30 Julii 1681, nempe Ludovicam Gabriellam *de la Beaume-le-Blanc*, neptim ducissæ *de la Vallière*. E

LXIII. Emmanuel Theodosius *de la Tour*, filius Frederici Mauricii I, Bullonii ducis, et Eleonoræ Catharinæ Febroniæ *de Bergh*, Cluniacensium generalis, cardinalis, et quasi numero carentibus donatus abbatiis, dimisit Rotonum anno 1692 in gratiam sequentis.

LXIV. Henricus II Oswaldus, filius Frederici Mauricii II *de la Tour d'Auvergne* et Henricæ Franciscæ *de Zollern*, antecedentis nepos, abbas et ipse Cluniacensis et Conchensis, Rotono donatur a rege 23 Augusti 1692. Turonensis archiepiscopus ab anno 1719, Viennensis autem ab anno 1721, abbatiam nihilominus haud dimisit. Decessit 23 Aprilis 1747.

LXV. Henricus III Ludovicus Renatus *Desnos*, natus anno 1716 in diœcesi Cenomanensi, Rotonensis abbas ab anno 1747, consecratur Redonensis episcopus 16 Augusti 1761, Virdunensis anno 1770. Rotonensem abbatiam usque ad annum 1790 retinuit.

S. GILDASIUS RUIENSIS.

Vidit et laudavit, anno 1502, Anna regina duas perveteres, ut dicebant, chartulas, quæ, fundationem S. Gildasii particulatim enarrantes, tunc pro sinceris habebantur. In priore quidem, quæ præbet annum 389, occurrit Grallo rex monasterium S. Gildasii condens, annuente Judicaele, Venetorum episcopo: hoc autem diploma prorsus fictitium est, ut satis patet ex eo quod S. Gildasius natus sit quinto sæculo ad exitum decurrente. Posterior vero Geoffridum ducem exhibet, anno 1001, Grallonis litteras, rogante Felice, sancientem: quæ non minus adulterina ipsius Felicis nomine comprobatur. Missus enim fuit in Britanniam Felix a Gauzlino, Floriacensium abbate, et Gauzlinus ab anno tantum 1004 Floriaco præfectus est. Hanc si falsarum farraginem chartarum attentius expendere te juvat, consule Regium codicem 8357^5, p. 173. Easdem qui jam fraudes detexere, abbatiam S. Gildasii annum circa 527 conditam opinati sunt, eorumque conjecturæ tutius est adhærere. Quam vero a suis exordiis regulam Ruienses amplexi fuerint incertum relinquitur. Scoticas, aut Hibernicas, ut videtur, usque ad nonum sæculum leges observaverunt, et ab eo tempore S. Benedicti institutis, quæ vix ea tenus fama noverant, semet addixerunt. Floruit primum, ut fertur, domus, multorum sanctorum reliquiis dives. Ex actis autem S. Gildasii comperitur, devenientibus Normannis, translatas fuisse in securiorem Galliæ tractum sanctissimi viri exuvias, et dispersos aliorsum aufugisse monachos, donec, anno 1008, Floriaco missus fuerit in Britanniam Felix, qui reparandis cœnobii parietinis egregiam operam navavit. Hujus dein restaurationis consilium Geoffridus, Britonum dux,

aperuerat : prohibente vero morte ne propositam rem ad effectum ipse perduceret, ejus conjux Advisia et filii, Odo Alanusque, jam feliciter inchoatum opus impigre prosecuti sunt. Basilicam, cujus inviolata quædam malleo fragmenta usque ad nostra tempora permansere, Judicael, Venetensis episcopus, anno circiter 1032, consecravisse fertur. Varias a regiis ministris et agri circumjacentis proceribus Ruienses damna passi sunt : nullum majus quam cum, districtis adversus Calvinistas gladiis, nummorum ingentem copiam reges ab uniuscujusque diœcesis ecclesiis monasteriisque, quos armatorum stipendiis impenderent, iterum iterumque postulaverunt. Tunc enim Ruiensis abbas vicos villasque et opulentissima cœnobii prædia, ut petitam numeraret pecuniam, vendere coactus est. Ita dissipatis in bellicos apparatus monasterii possessionibus, neglecta ædificia ruinam dedere, et aliquantisper monachi tutiorem alio sedem quæsivere. Anno 1649, acciti S. Mauri congregationis alumni, a quibus intra quinque annos restauratur disciplinæ regularis observantia, et quæ semirutæ jacebant ædes reædificantur.

Abbatum series non lacunis caret. Pleraque enim chartarum instrumenta, in quibus rerum ordo ad hanc abbatiam spectantium pro more descriptus, nobis ætas invidit. De ea præsertim consule Monasticon Benedictinum, t. XII.

SERIES ABBATUM.

I. S. Gildas, cognomine Sapiens, qui Badonicus etiam nuncupatur, ex insulari Britannia oriundus, patriis agris, anno circiter 527, derelictis, in eos dum Saxonum Anglorumque æmulus furor desæviret, insulam *Houat* primo incoluit; unde in Ruiensem peninsulam secessit, et monasterium ibi constituit, obiturus, ut opinantur, anno 570. De eo Bollandum consule, 29 Januarii.

II. Generosus post S. Gildam ponitur; ex actis S. Paterni.

III. Daiocus memoratur in Actis S. Gildasii, monachos eo regens tempore quo Normanni, per totam Britanniam vagantes, nulli cœnobio pepercerunt. Eos fugiens Daiocus apud Biturigas exsul secessit, et pretiosissima sanctorum virorum corpora, S. Patricii, S. Albani, S. Paterni, ne singulos recenseamus, secum asportans, juxta Dolense monasterium abbatiam novam exstruxit, cui S. Gildasii nomen addixit. Vide supra, t. II, col. 153. Ruienses jacuerunt ædes incolis vacuæ, donec, temporibus Alani comitis et Judicaelis episcopi, Felix, Floriacensis monachus, rem S. Gildasii funditus collapsam restaurare curaverit.

IV. Felix, circa annum 1008, ex Actis S. Gildasii, missus est a Gauzlino, Floriacensium abbate, e S. Gildasii parietinis novam abbatiam suscitaturus. Consummato postea opere, anno 1025, Floriacum Felix rursus petiit, Britannicis oris, ut animo destinatum erat, æternum vale dicens. Ut vero in civitatem Biturigum devenit, cujus tunc ex abbate Floriacensi præsul erat Gauzlinus, is eum abbatem benedixit, jussitque ad Britannos remeare : vide supra, t. II, col. 39. Anno 1037, subscripsit Felix litteris *Huelin* insulam dictam *Tanguethen* Kemperlegiensibus monachis tradentis. Obiit IV non. Martii; e Roncereii martyrologio : anno 1038; e Chron. Kemperlegiensi.

V. Vitalis perperam dicitur abbas S. Gildasii apud Biturigas, supra, t. II, col. 155 : Ruiensis enim abbas fuit. Plura de eo narrantur, corpus S. Gulstani ab Isembardo, Pictaviensi præsule, requirente; apud Mabillonium, Annal. Bened., t. IV, p. 426. Subscripsit Vitalis, annum circa 1065, chartæ Conani ducis de Rotonensium juribus; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 406. Idem, V id. Martii 1067, testis fuit initæ concordiæ inter canonicos monachosque Salmurienses. Obiit circa annum 1069, et sepultus est in claustro.

VI. Radulphus occubuit anno 1085; e Monastico Benedictino.

VII. Fravalus testis assumitur, anno 1092, ab Odone comite decimas monachis Rotonensibus tradente.

Hervæus perperam a quibusdam post Fravalum ponitur. De illo infra, sub annum 1219.

Idem sub tempus Monasticon Benedictinum Guethenocum et Jacobum nuncupat. Nil certi de Jacobo comperimus : Guethenocus vero infra recensendus.

VIII. Petrus I Abælardus, nulli inter philosophos ætatis suæ secundus, cujus lamentabilem vitam inter hodiernos scriptores clarissimi DD. Victor *Cousin* et Carolus *de Rémusat* nuper doctissime, necnon elegantissime, descripserunt, eligitur abbas Ruiensis anno, ut opinantur, 1125. Quæ quidem conjectura non fundamento caret. Narrat enim ipse Petrus Abælardus semet monachorum Ruiensium suffragiis abbatiali pedo donatum fuisse, antequam de parthenonis Argentoliensis possessione inter Sugerium, abbatem S. Dionysii, et Heloissam abbatissam decertatum esset. Sugerius autem, e libello de rebus a se gestis, Argentolium suo juri sub annum 1127 vindicavit. Consule notas Andr. Quercetani in Epist. Abælardi primam. Reperitur dein Petrus Abælardus, anno 1128, litteris subscribens Conani ducis, Roncereio ecclesiam S. Cyrici et S. Julittæ restituentis. Multa scilicet ille de moribus Ruiensium monachorum in supra laudata epistola questus est; qui jam optimatis cujusdam exactionibus profligatum cœnobium, ut dissolutæ vitæ commodis subvenirent, miserrime de-

prædati sunt, et eo dein arrogantiæ venerunt A
ut ipsi non semel abbati mortem intentarent. Elapsis vero aliquot annis, eorum asperam indolem mitigare non valens, S. Gildasium Petrus clam deseruit, et ad Cluniacenses migravit. Catalaunum prope degens, in prioratu S. Marcelli, ibi obiit 21 Aprilis 1142. Diversis priscorum scriptorum de Petro Abælardo testimoniis, quæ jam in lucem prodierunt singulare hoc Gerardi de Alvernia fragmentum adjungamus, e cod. Regio 4910 : « Eo tempore fuit Petrus Abælardi, celeberrimus in opinione scientiæ, sed de fide dogmatisans perfide. Fuit autem nigro- B
manticus et dæmoni familiaris. »

IX. Guillelmus I Petro Abælardo successit; e Chronico Ruiensi.

X. Guethenocus, anno 1161, judex sedit litis inter canonicos Nannetenses et monachos Kemperlegii. Testis postea fuit, anno 1164, Odonis comitis jura plurima monachis Majoris Monasterii condonantis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 653.

XI. Tanguidus post Guethenocum, sed conjectura ponitur. Ejus obituarium Landevenechi meminit. Cave ne sub id temporis Ruiensis abbatiæ rectoribus annumeres Ste- C
phanum, cujus nomen occurrit in chartula Dionysiæ de Calviniaco, apud Martenium, Ampliss. Collect., t. I, col. 1035. Is enim S. Gildasio apud Biturigas præfuit.

XII. Hervæus, anno 1218, transigit cum G., abbate S. Melanii. Idem missus est Cori-
Ch. IX, col. 215. sopitum a fratribus, ut de ecclesia S. Tudii cum Ranulfo, electo Corisopitensi, componeret. Initum fuit pactum Aprili mense 1220.

XIII. Rivaldus, anno 1231. Obiit 5 Octobris; ex obituario Landevenechi.

XIV. Petrus II occurrit, Aprili mense D
1257, B. Mariæ de Precibus prædium dictum Celtas concedens; e cod. Regio 8357[2], fol. 62. Munere semet Petrus abdicavit 16 Novembris 1259.

XV. Eudo Petro successit, decessurus 14 Januarii 1281; ex obituario Kemperlegii.

XVI. Alanus reperitur anno 1306, numeratæ pecuniæ syngrapham tradens.

XVII. Petrus III anno 1313 recensetur.

XVIII. Joannes I *Lepard*, vel *Le Bart*, translatus est, XIV cal. Augusti 1357, in abbatialem sedem S. Melanii.

XIX. Laurentius *Blondel*, prior antea E
claustralis, abbas instituitur anno 1358, litteris Innocentii papæ VI; e Suaresio.

XX. Guillelmus II Laurentio successisse memoratur.

XXI. Petrus IV anno 1383; e Monastico Benedictino.

Adverte quod Hervæus post Guillelmum a nonnullis recenseatur. Hervæus autem is S. Gildasio de Nemore præfuit.

XXII. Olivarius *Predic* aporham dat 22 Octobris 1387. Idem anno 1389 occurrit in Monastico Benedictino.

XXIII. Guillelmus III *de Moncontour* institutus est litteris Joannis papæ, 30 Octobris 1413, e franc. Regis codice, sub num. 8357[2].

XXIV. Petrus V Britonum duci commendatur a Martino papa, XII cal. Decembris 1430; e Regio codice supra laudato.

XXV. Joannes II *de Kermen* occurrit 24 Augusti 1441.

Hervæum *de Beaubois* pace Moricii prætermittimus; is enim S. Gildasium de Nemore sub id temporis regebat.

XXVI. Henricus I, annis 1456, 1457; e Monastico Benedictino.

XXVII. Petrus VI *de Brignac* e monacho Rotonensi fit abbas S. Gildasii, anno 1502, apud *Padioleau*. Anno deinde 1506, Rotonensis abbatiæ clavum regere jussus est.

XXVIII. Robertus *Guibé*, cum juventutis annos nondum esset egressus, purpura donatur, fitque Trecorensis, deinde Redonensis, postremo Nannetensis episcopus. Abbatias S. Melanii, S. Matthæi et S. Gildasii simul adeptus, obiit Romæ anno 1513, ætatis 47.

XXIX. Andreas *Hamon*, antecedentis nepos e sorore, idem qui Venetensis electus ecclesiæ dictus est, abbatias S. Gildasii Ruiensis et S. Gildasii de Nemore una rexit. Occurrit 30 Decembris 1525.

XXX. Joannes III *de la Motte* reperitur annis 1529, 1533, 1534. Idem coadjutor creatus fuit episcopi Corisopitensis, et abbas B. Mariæ de Boquiano. Obiit anno 1537.

XXXI. Joannes IV *Danielo*, archidiaconus Venetensis, abbatia donatur anno 1537, decessurus anno 1540; mense Julio.

XXXII. Philippus, cardinalis Bononiensis, fidem regi dat 17 Septembris 1540. Dein reperitur annis 1542, 1547.

XXXIII. Joannes V *Stuart*, regi et reginæ ab eleemosynis, fidem promisit anno 1552.

XXXIV. Joannes VI *de Quilfistre* semet regi fidum juravit 10 Maii 1564, necnon anno 1576. Sedebat, 6 Martii 1572, 30 Martii 1573, 25 Septembris 1577, in comitiis Britannicis.

XXXV. Joannes-Baptista *de Guadagne*, patria Florentinus, Margaritæ reginæ eleemosynis præfectus, Turpiniaci una et S. Gildasii recens regimen auspicatus, moram obtinuit ut regi fidem daret 9 Novembris 1582, decessurus anno 1594. Antea vero munere semet abdicaverat; nam

XXXVI. Guillelmus IV *d'Avançon de S. Marcel*, Ebredunensis archipræsul, ab anno 1593 S. Gildasium rexit usque ad Maium mensem 1598.

XXXVII. Constantinus *Chevallier* abbatiæ possessionem adit anno 1599, fidem regi sponsurus 7 Junii 1603.

XXXVIII. Carolus I *de Montigny*, annis

1609, 1613, 1615. Societati Jesu postea nomen dedit.

XXXIX. Carolus II *de Clermont-Thoury* se fidum regi juravit anno 1617, et decessit anno 1626, postquam monasterio plurima damna intulerat. Idem abbas erat S. Audoeni Rotomagensis.

XL. Henricus II *de Bruch*, ab anno 1626. Præerat anno 1634. Decidit, ut aiunt, e dignitate quam a Carolo antecessore non ita bene consecutus fuerat.

XLI. Michael *Ferrand*, regi a consiliis, ab anno 1638. Anno 1649, sodales S. Mauri in abbatiam intromisit. Obiit 24 Decembris 1676.

XLII. Jacobus *Berthot* occubuit penultima die Aprilis 1681.

XLIII. Henricus III Emmanuel *de Roquette*, doctor Sorbonnicus, a Junio mense 1681. Obiit mense Martio 1725.

XLIV. Joannes VII Josephus *de Villeneuve* ab anno 1725. Litigavit, anno 1741, adversus Venetensis seminarii præfectum, de jurisdictione in *Hezo* prioratu exercenda. Anno 1772, abbatialis S. Gildasii mensa episcopatui Venetensi unita fuit.

B. MARIA LANDÆVALLENSIS.

Alanus, Landævallensis toparcha, Cisterciensem hanc abbatiam condens memoratur, anno 1138, et in recentia claustra monachos instituens e B. Maria de Langonio deductos. Parva domus semper fortuna fuit. Ea, anno 1661, reformationem admisit. Abbatum nomina pleraque desiderantur.

ALIQUOT ABBATES.

I. Rotaldus ex abbate Landævallis eligitur Venetensis episcopus anno 1143. In Landævallensi basilica sepultus est.

II. Radulfus I Rotaldo successisse dicitur. Coætaneus fuit Guethenoci, Venetensis episcopi.

III. Odo, anno 1205, secundum Augustinum a Passu.

IV. Gestinus memoratur anno 1224.

V. Yvo I, anno 1400.

VI. Joannes *Girouare, Gilonard*, vel etiam *Griouart*, reperitur annis 1409, 1410. Idem, anno 1411, vice-comiti *de Rohan* obsequium promittit; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 846.

VII. Guillelmus I, anno 1430.

VIII. Yvo II *du Manheis*, anno 1449.

IX. Radulfus II cum Ægidio *le Grest*, sacerdote, 3 Octobris 1460 transegit. Idem reperitur anno 1470.

X. Th., forsan, ut Moricius conjecit, Thomas I, obsequium jurat anno 1478.

XI. Olivarius *Mello* ædificavit, anno 1488, abbatiæ chorum. Idem reperitur anno 1496.

A XII. Thomas II, anno 1503.

XIII. Petrus I *Heligon* quædam commutavit, anno 1515, cum Olivario *de Lanvaux*.

XIV. Joannes *Ordreneau*, alias *de Coedneant*, abbatiam commendæ titulo obtinuit 27 Januarii 1528. Idem reperitur anno 1530.

XV. Bertrandus *de Bréel*, alias *de Broel*, fidem regi dat 25 Maii 1540; apud *Padioleau*.

XVI. Petrus II *Marigo*, alias *Nanielo*, ex abbatiæ priore eligitur abbas anno 1549. Idem anno 1552 memoratur.

XVII. Guillelmus II *Textois*, anno 1557.

B XVIII. Joannes *de Coëtlagut*, 1565.

XIX. Nicolaus *Brissot*, 1571.

XX. Petrus *Brinon*, 1578.

XXI. Ludovicus *Leclerc*, 1585.

XXII. Carolus *de Rancé*, 1600.

XXIII. Joannes *le Gauchois*, alias *du Cocheru*, sedit, 27 Septembris 1610, in Venetensibus comitiis.

XXIV. Joannes *Auffray*, e toparchis *de la Ville-Aubry*, reginæ matri a consiliis et ab eleemosynis, thesaurarius Briocensis, anno 1614 abbatia donatur, et sacramentum
C præstat anno 1617. Eodem anno, Redonensibus comitiis interest; Venetensibus dein, anno 1619; Briocensibus, anno 1620, et Nannetensibus, anno 1622.

XXV. Melchior *Rouxel*, 1640, 1661.

XXVI. Claudius Philippus *de Caurel de Tagny* creatur abbas Novembri mense 1680, interest anno 1681 Nannetensibus comitiis, et moritur anno 1695.

XXVII. Matthæus *des Champs*, Annæ, Palatinæ comitissæ, ab eleemosynis, nominatur 8 Septembris 1695, et munus dimittit 14 Maii 1712; e Gallia Sacra.

XXVIII. Henricus Bernardus *de Volvire*,
D anno 1713.

XXIX. Joannes Jacobus *Gomer de Luzancy*, ab anno 1717 ad annum 1734.

XXX. Guillelmus, alias Henricus Maria *du Breil de Pontbriand*, theologiæ doctor et præcentor Redonensis, abbas ab anno 1735 ad annum 1767. Filius erat Josephi Ivonis et Angelicæ *Murat de la Grange*.

XXXI. Franciscus *Guillot de Montjoie*, canonicus Parisiensis, ab anno 1767. Obiit anno 1779.

XXXII. N. *d'Alais Montalet*, ab anno
E 1780 usque ad annum 1784.

XXXIII. Franciscus Carolus *Chevreuil*, cancellarius ecclesiæ Parisiensis, ab anno 1784 usque ad annum 1786.

XXXIV. N. *de Corsin*, canonicus Redonensis, reperitur anno 1790. Idem forsan ac ejusdem cognominis B. Mariæ de Precibus abbas.

B. MARIA DE PRECIBUS.

Abbatia B. Mariæ de Precibus in vico olim *Beler*, nunc *Billiers*, nuncupato conditur, anno 1250, a Joanne, Britanniæ duce, ab eoque Cisterciensibus Buzaii monachis addicitur. Quia vero Joannes excommunicationis sententiam nuper passus erat, prohibitus est ne Cadiocum, Venetensem antistitem, litteris quidem aggrederetur, fundationisque episcopalem probationem ejus uxor, Blancha nomine, Richemundiæ comitissa, postulavit. Res tamen prout exoptabat cessit : Cadiocus enim, Blanchæ votis annuens, ad Cisterciense capitulum scripsit, Epiphaniæ festo die 1251, sibi gratam rem expressis verbis denuntians, juraque recentibus claustris concessa definens. Undique tamen fremitus tota diœcesi obstrepebat querentium, suadentiumque ne religiosæ domus constitutio, sumptibus excommunicati ducis peracta, a supremis ecclesiæ rectoribus probaretur. Hanc igitur difficultatem summus Pontifex apostolica auctoritate submovet, eoque consentiente, quin imo jubente, Ægidius, abbas Buzaii, abbatem conventumque B. Mariæ de Precibus episcopo Venetensi præsentat 6 Januarii 1252. Eodem anno, 31 Octobris, intromittuntur monachi, et, mense Novembri, dux Britanniæ publicis litteris quæcumque B. Mariæ de Precibus incolis jam concesserat adamussim recenset. Eamdem abbatiam Innocentius papa apostolico gladio protegendam excipit, XIII cal. Augusti 1253. Ibi Joannes dux sepultus est, 8 Octobris 1286. Per eum quidem licuerat ut in abbatia B. Mariæ triginta monachi degerent. An hunc semper numerum expleverint incertum est. Commendatariis abbatibus, anno 1501, parere jussi sunt. Anno vero 1630, Strictam, ut dicunt, Observantiam admisere, et ab eo tempore usque ad exitum postremi sæculi regulares abbates habuere. Recentioris basilicæ fundamina 1 Aprilis 1716 posita sunt, eamque 20 Julii 1720 Antonius præsul consecravit.

SERIES ABBATUM.

I. Geoffridus memoratur anno 1266.

II. Salomon, anno 1270.

III. Rivallonus, anno 1275. In domesticis tabulis expresse tertius abbas dicitur.

IV. Tanguidus transegit, anno 1289, cum curatoribus testamenti quod Joannes Rufus condiderat. Idem occurrit in apocha, die Veneris post Ascensionem Domini 1292.

V. Rollandus *de Coetlez* Tanguido successit.

VI. Judicael obiit 9 Januarii 1300.

VII. Evenus, anno 1306, in apocha.

VIII. Guidomarus moritur 10 Maii.

IX. Guillelmus I *Elean*, alias *Elen*, filius A Guidomari et Catharinæ *de Prenigou*, theologiæ doctor, superstes erat 19 Maii 1372.

X. Henricus *le Barbu* singulari dicitur vir eruditione conspicuus. Testis erat, Guerandiæ, 4 Aprilis 1381, initæ pacis inter Francorum regem Britonumque ducem; Probat. Hist. Brit., t. II., col. 302. Dein, 10 ejusdem mensis, ratum habebat pactum Guerrandiæ; ibid., col. 275. Occurrit 16 Februarii 1383, in charta Joannis comitis de fundatione ecclesiæ collegiatæ S. Michaelis; ibid., col. 446. Simone Venetensem episcopatum resignante, ei suffectus est Henricus, 3 Augusti B 1383. Degebat tunc temporis Henricus Lavalle, ut e litteris Thomæ, archiepiscopi Neapolitani, comperitur.

XI. Joannes I *Raoul* plura commutavit annis 1394, 1405.

XII. Joannes II *Raoul*, antecedentis e fratre nepos, agnoscit, 17 Decembris 1414, quot a monachis B. Mariæ pro ducibus Britanniæ missæ celebrandæ sint. Sedit anno 1415 in Constantiensi concilio. Redibat ad suos VIII idus Februarii 1418, ut legimus in epistola Martini papæ ad Joannem, Britonum ducem. His enim verbis sermonem Martinus C inchoat : « Proficiscitur ad propria dilectus « filius Joannes abbas, qui a longis tempo« ribus in hac sacrosancta synodo Constan« tiensi pro lucubranda pace et unione in « Ecclesia Dei diligentissime laboravit... » Anno 1430, Basileensi concilio interfuit. Dein, 3 Martii 1431, decretum edidit de rebus abbatiæ condonatis a Joanne, Britonum duce. Obiit 28 Julii 1439, et in abbatiæ capitulo sepultus est, cum hoc epitaphio :

Dignus prælatus Joannes Radulfi vocatus,
Sacræ Scripturæ doctor, claræ genituræ,
D Vir custos morum, miserûm spes, lux monachorum,
Abbas de Precibus, vermibus ecce cibus.
Cui benedicendi populo mitramque gerendi
Gratia primo datur, huic cœlica pax tribuatur.

XIII. Guillelmus II *de la Landelle* reperitur anno 1443; cui sub id tempus per Ludovicum episcopum, Basileensis concilii nuntium, licuit ut altari, ut aiebant, *portatili* uteretur. Deinde Guillelmi domesticæ tabulæ meminerunt, annis 1448, 1452.

XIV. N. *de Villeblanche* Guillelmo successit; ex abbatiæ catalogo.

E XV. Olivarius *Blanchard* transegit anno 1460 cum Joanne, Briocensi præsule, obiitque 9 Octobris 1467.

XVI. Vincentius *de Kerleau*, abbas antea Begardi, insimul abbas B. Mariæ de Precibus et Leonensis creatur episcopus, anno 1472. Utriusque abbatiæ regimen, annuente papa, aliquantisper retinuit.

XVII. Joannes III *Le Verrier*, abbas antea Mellereii, bullis pontificiis donatus est 20 Februarii 1474, et eadem die Britonum duci

commendatus; e Regio cod. 8357². Eumdem, A
15 Martii 1480, Sixtus papa jussit inquisitionem facere de moribus Jacobi, Redonensis episcopi. Occurrit anno 1483, reformator tune temporis dictus et visitator generalis Cisterciensium in Britannia abbatiarum, nullam faciens nominationem Jacobi *Hus*, monachis Veteris Villæ recens præfecti. Obiit 23 Junii 1498.

XVIII. Carolus I *de Hangest*, episcopus Noviomensis, ab anno 1498. Vide supra, t. IX, col. 1022.

XIX. Joannes IV *de Rieux*, Briocensis episcopus, abbatiali munere semet abdicavit B anno 1533.

XX. Guillelmus III *Car*, abbatiæ professus, obiit anno 1536.

XXI. Guido *Droillart*, idem et prior Ambonis et Ysseronis, apud Nannetes, fidem dat regi 28 Junii 1540. Reperitur eodem sacramento erga Henricum II semet obligans annis 1548, 1551, anno 1552 decessurus.

XXII. Carolus II Lotharingus, cardinalis, archiepiscopus Remensis, ab anno 1552 in annum 1571.

XXIII. Bertrandus *Guillaudon*, alias *Gaillandon*, clericus Pictaviensis, cameram Com- C
putorum ingreditur sacramentum præstiturus, anno 1574. Obiit anno 1586. Abbas ille confidentiarius fuit, qui abbatialis mensæ reditus matronæ cuidam nobili, nomine *d'Acerac*, numeravit.

XXIV. Jacobus I *Landry*, presbyter, ad Bertrandi vices accessit, annuente similiter Joanne *de Rieux*, prædictæ matronæ nato, cujus confidentiarius exstitit.

XXV. Joannes V *Bouchard*, theologiæ doctor, regi fidem dat anno 1608, et interest Britanniæ comitiis annis 1625, 1626. Anno 1624, cum pluribus Cisterciensis ordinis ab- D
batibus, ad regem litteras mittit, Cistereiensium monasteriorum reformationem postulans.

XXVI. Guillelmus IV *Jamet*, abbas præter morem regularis, obiit 23 Januarii 1631.

XXVII. Joannes VI *Jouaud*, domus antea prior, abbatiali pedo donatur anno 1631. Reperitur anno 1636 gymnasium Bernardinorum, Lutetiæ, provisoris titulo regens. Partibus Joannes eorum adhæsit quos Abstinentes nuncupabant, ideoque generalem Cistercii abbatem, Communis Observantiæ patronum, libellis insecutus est. Lutetiæ de- E
cessit 2 Junii 1673.

XXVIII. Hervæus *du Tertre*, antecedentis adjutor ab anno 1657, abbas confirmatur anno 1673. Idem visitator abbatiarum Cisterciensium fuit tam in Britannia quam in Normannia. Obiit 8 Decembris 1680.

XXIX. Josephus Melchior *de Serent* nominatur 7 Martii 1681. Postquam abbatiæ novam ecclesiam exstruxerat, munere semet abdicavit anno 1726.

XXX. Jacobus II *Nouet*, ex abbate Charmeiæ, ab Augusto mense 1726. Obiit Parisiis 2 Septembris 1741.

XXXI. Claudius Maria *de la Fruglaye* nominatur 24 Septembris 1741. Vicarius generalis ordinis fuit. Decessit anno 1766.

XXXII. Abel *de Baule*, ab anno 1766 ad annum 1768.

XXXIII. Ludovicus *de Maux* obiit anno 1787.

XXXIV. Prudentius Carolus *de Corsin* sedebat anno 1790.

GAUDIUM.

Abbatiam B. Mariæ de Gaudio propter *Hennebond* sitam, Blancha ducissa anno 1252, vel, ut aliis placet, anno 1260 ædificavit, et Cisterciensibus puellis addixit, ipsa in eo loco, anno 1283, sepelienda. Anno 1510, 25 Julii, majorem tectorum partem ignis consummavit. Paulo post vero restaurata fuere. Monialibus semper frequens ea domus fuit.

E tabulis Gaudii quædam excerpta præbet cod. *de Gaignières* 182.

ABBATISSARUM SERIES.

I. Sebilla *de Boisgency*, ducissæ Blanchæ neptis, e moniali S. Antonii juxta Parisios, paciscitur de quodam censu, anno 1281, cum Hervæo de Leonia; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1059. Eadem, anno 1282, transigit de rebus ejusdem momenti cum Geoffrido *de la Rochemoysan*; ibid., col. 978. Superstes erat, ut ferunt, anno 1310.

II. Joanna I *Bizian* reperitur annis 1323, 1337.

III. Joanna II *Amaury* recensetur anno 1349.

IV. Amicia *de Kergroaezes*, ab anno 1349 usque ad annum 1363; e quodam domestico catalogo.

V. Joanna III *de Pestivien*, ab anno 1363 usque ad annum 1367; ex eodem.

VI. Joanna IV *de Castelgall*, anno 1370 electa, moritur anno 1390.

VII. Aalicia I *le Barbu* memoratur annis 1391, 1392, 1399.

VIII. Margarita I *le Barbu*, annis 1414, 1416, 1417. Obiit anno 1446.

IX. Margarita II *Gouyon*, ab anno 1446 usque ad annum 1450.

X. Aalicia II *de Couventizan* electa anno 1450, decessit anno 1452.

XI. Joanna V *de Coëtivy*, electa anno 1452, anno 1465 reperitur.

XII. Isabella I *de Bellouan* 24 Novembris 1469 occurrit.

XIII. Anna *de Kergroaezes* annis 1474, 1482.

XIV. Guillelma *Riouallen*, alias *Rivallen*,

filia Joannis et Mariæ *de Kergroaezes*, patria Leonensis, reperitur anno 1489. Ea præsidente, 25 Julii 1510, ignis abbatiam fere totam destruxit. A

XV. Maria I *Omnes* innotescit annis 1523, 1526. Transigit, anno 1534, cum Joanne *d'Espinay*, et fidem regi spondet 8 Julii 1541.

XVI. Francisca *Omnes*, 1546, 1548. Fidem regi dedit 29 Aprilis 1556, quæ superstes memoratur anno 1561.

XVII. Maria II *de Carné*, 1581; ex abbatiæ catalogo.

XVIII. Catharina I *de Carné* transegit, anno 1581, cum Renato *de Theillac*. Reperitur dein anno 1582. B

XIX. Catherina II *de Kermorvan*, ab anno 1590 usque ad annum 1595, secundum Sammarthanos.

XX. Catharina III *Geoffroy*, anno 1599.

XXI. Thomasia *de Rieux*, filia Guidonis et Magdalenæ *d'Espinay*, a rege nominatur anno 1605. Eadem occurrit anno 1608. Dein regi sacramentum præstat anno 1618, et munere semet abdicat anno 1626.

XXII. Ludovica *Robert*, Annæ causidici filia, e monacha S. Antonii Parisiensis abbatissa consecratur, anno 1626, a Sebastiano præsule. Obiit 9 Julii 1647. C

XXIII. Isabella II Ludovica, alias Magdalena *Le Coigneux*, filia Jacobi, in senatu Parisiensi præsidis, et Mariæ *de Cerisier*, nominatur anno 1647, et consecratur 15 Augusti 1648. Obiit 2 Decembris 1688.

XXIV. Suzanna *de Plœuc de Timeur*, ex abbatiæ priorissa creatur abbatissa 25 Decembris 1688, moritura 7 Octobris 1705.

XXV. Joanna VI *Roger de Blanchefort* nominatur 1 Novembris 1705, et bullis donatur IV non. Januarii 1706. Quo etiam anno, 22 Junii, postquam 24 Maii consecrata fuerat, abbatiale munus adiit. Decessit 4 Martii 1719.

XXVI. Antonia Joanna *du Faye d'Athis de Silly* nominatur 11 Martii 1719. Obiit Redonibus 12 Augusti 1731.

XXVII. Maria III Guillelma *de Langle*, ex abbatiæ priorissa abbatissa creatur 2 Decembris 1731, moritura 13 Novembris 1738.

XXVIII. Theresa *du Boetiez de Kerorguen* nominatur 18 Januarii 1739.

XXIX. N. *Bertin*, ab anno 1756 usque ad annum 1776.

XXX. N. *de la Bourdonnaie* superstes erat anno 1790.

ECCLESIA LEONENSIS.

Agrum Leonensis diœcesis finibus postea circumseptum Ossismii quondam occupavere. De Ossismiis apud vetustissimos scriptores frequens est sermo. Eorum enim Strabo, Pytheæ Massiliensis vestigia secutus, meminit. De eisdem insuper Cæsar, Pomponius Mela, Plinius Ptolemæusque consulendi. Quorumdam quidem e sententia, Sagiense territorium, Cenomanorum terminis contiguum, Ossismiorum clara gens incoluit : sed explosa jamdudum est ea justo levior conjectura. Princeps Ossismiorum civitas, teste Ptolemæo, Vorganium; quam posterius edita Imperii Romani Notitia, eodem ac ipsam gentem nomine designans, Ossismios nuncupat. Alia autem et magis animosa inter hodiernos criticos de Vorganii situ controversia. Hanc enim civitatem nonnulli *Carhaix*, ceteri *Concarneau*, ne singulas super eadem re vulgatas opiniones referamus, fuisse contendunt (1). Labentibus autem annis, Ossismiorum caput evasit urbs Leonia, S. Pauli nomine nunc insignita, eo vero antiquior, vel recentior. Leonensis tractus imperium diu tenuit dynastarum series quos vice-comites dixere, quique sæpius adversus ipsos Britonum duces vexilla movere. Joannes vero dux, cognomento Rufus, anno 1275, cum privatæ vice-comitis res pessum abirent, occasionis momentum arripuit, et Leonense territorium numeratis nummis comparavit. Eo pacto Leonensis ager sui juris esse desinit.

Quam sub ætatem Ossismii christianam fidem edocti sint dubium relinquitur. Sexto tamen sæculo ineunte, Litharedus Ossismiorum episcopus occurrit, cujus incerta, forsan instabilis sedes. Eodem circiter tempore, S. Paulus quamdam Leoniæ fidelium societatem instituens memoratur. Non æque profecto temnenda quæcumque e populari traditione comperimus : attamen narratiuncularum illarum, quas Vitas Sanctorum vocant, non adeo certa fides; eas enim qui serius scripsere, nimia elate dicendi consectatione, antiquissimos quosque verbi christiani præcones non modo sanctis intercessoribus, sed etiam ipsis episcopis ullo sine discrimine annumeraverunt, et ex eo fonte errorum copia defluxit. Hos autem errores, in eo præsertim quod ad Leonensem ecclesiam spectat, emendare difficillimum : pauca nempe ad nos diplomata actave publica pervenerunt, quæ indubia priscorum Leoniæ episcoporum nomina præbeant. Quin imo recentiorum memoriam ætas consequens propemodum perdidit, ut quorum gesta in levi habuerit. Postremo exeunte sæculo, 115 ecclesiæ parochiales minorave altaria in Leonensi diœcesi memorantur, ecclesiæ collegiatæ 2, 2 virorum abbatiæ, 12 eorumdem conventus, 6 puellarum. In episcopali urbe una parochia, *Minihy* dicta, domusque Carmelitis ab anno 1348, Capucinis ab anno 1621, Minimis ab anno 1626, Ursulinisque monialibus ab anno 1630 addictæ. Ecclesia cathedralis, S. Paulo Aureliano sacra, duabus turribus superbit, tertio decimo sæculo, ut aiunt, erectis : navis postea fornicem Guillelmus de Rupeforti consummavit. In Leonensi capitulo quinque dignitates, cantor scilicet (2), tres archidiaconi thesaurariusque, canonicos præter sexdecim et septem vicarios.

(1) Totam hujus dissidii materiam doctis commentariis illustravit D. *Bizeul*, in opusculo cui titulus : *Des* Ossismii.
(2) Cantorum Leonensium rarior in tabulis mentio, quam ut eorum seriem describere licuerit.

EPISCOPI LEONENSES.

ANNI CHRISTI

I. Litharedus.

Oxomensis Litharedus episcopus nuncupatur, anno 511, in actis Aurelianensis concilii primi. Oxomensis, Oximensis, Ocismorensisque tractus vocabula sunt quæ Ossismiorum patriam tellurem æque significant. Unde minime, dubitandum est quin Litharedus quasdam episcopalis officii partes apud Ossismios eo tempore expleverit. Quam vero urbem potissimum coluerit incertum est.

A

II. S. Paulus.

S. Paulus, cognomento Aurelianus, e majore Britannia profugus, ad Ossismiorum littus appulit. Qui primum in insula *Batz* monasterium ædificavisse, et inde, populi votis necnon Childeberti regis jussu, episcopi munere insignitus, in urbe Leonia sedem instituisse memoratur, anno circiter 529. Ea vero ex adespotis rumoribus narrat auctor vitæ S. Pauli, qui exeunte nono sæculo floruit. Eodem teste, in monasterium a se conditum

ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI

S. Paulus postea secedens, S. Joevinum, Tiernomaelem, et Cetomerinum Leonensi ecclesiæ vicissim præfecit, ipse decessurus, ut Dericus conjecit, 12 Martii 573. Admodum autem ea dubia sunt.

Alii tandem post Cetomerinum S. Tenenanum, S. Houardonem, S. Goueznovium, Gilbertum, Omeneum, Guiomarchum et Leonorum ponunt. Nec forsitan hanc seriem describentes tota via aberravere : adeo tamen incerta est ætas S. Tenenani, ut eum Dericus non sexto, sed decimo sæculo vixisse conjecerit, Gilbertusque fictitius episcopus comperitur, cujus nomen unice præbet falsissimum Alani diploma de emendandis regni sui gravaminibus. Consule Dipl. Chart., t. II, p. 206. Late patens post Cetomerinum apud domnum Moricium lacuna reperitur. Hic sane Armoricanarum rerum fortunam præ cæteris apprime noverat : quia vero dubia refugit, et certis tantum aut saltem verisimilibus adhæsit, summam prudentiæ laudem assecutus est. Ex eo igitur exemplum cepimus, ideoque a S. Paulo ad Liberalem concito gressu, nec in intervacanti spatio consistentes, iter facere decrevimus

III. Liberalis.

Ossismiorum Liberalis episcopus, anno
848 848, iras Nomenoii metuens, sedem suam, deposito annulo, deseruit, et ad Carolum regem secessit. Eumdemne postea Salomon revocavit et episcopatu rursus donavit? Id quidem Dericus, sed sine teste, enarravit.

Nihil tandem obscurius quam Leonensium episcoporum series a Liberali usque ad Hoctronnum.

IV. Isaias.

Liberali secundum Joannem *Maan*, cui Dericus propemodum adhæret, Isaias successit. Id autem non satis compertum est.

V. Hinworetus.

Hinworetus post Isaiam a quibusdam recensetur, cui Wormonocus, Landevenechi monachus, Vitam S. Pauli nuncupavit.

VI. S. Golvenus.

S. Golveni vitam hagiographi scripsere, qui, ut aiunt, Eveni vice-comitis coætaneus fuit. Ille quidem Evenus contra Normannos circa finem noni sæculi bellavit. Conjecit vero D. Car. *Guimart* S. Golvenum eumdem esse ac Garurbrium, memoratum anno 859, in synodi Tullensis epistola. Levis ea conjectura videtur.

VII. S. Paulinus.

S. Paulinus in Italiam corpus S. Matthæi, quod in ecclesia Leonensi ea tenus servatum fuerat, post mortem Salomonis transtulit, et ipse translationem hanc scripto posteris notam fecit. Decessit vero Salomon anno 874, et, si cuidam e veteribus chronographis confidendum, S. Matthæi reliquias ineunte decimo sæculo Leonensis ecclesia desiderare cœpit.

VIII. Conanus.

Conanum deinde memorant, de quo non plura certioraque quam de antecedentibus testimonia. Eumdem post Mabbonem quidam ponunt, alii post S. Golvenum.

IX. Hoctronnus.

Episcopus S. Pauli legitur Hoctronnus,
anno 939, quo Alanus Barbatorta, Normannis fugatis, Nannetes se recepit. Alanum tunc 939
adiens Hoctronnus ab eo regendam accepit ecclesiam Nannetensem; Rer. Gallic. Script., t. I, p. 276. Nec tamen S. Pauli cathedram omnino deseruit; at contra, Nannetibus, elapsis aliquot annis, valedicens, ad Leonenses rediit.

X. Jacobus.

Transmarinus abbas Jacobus in Galliam transierat, ubi Miciacense monasterium ab Ermenthæo pretio comparaverat. Dein episcopatu Leonensi ab Alano duce donatus est. Miciaci tamen reliquos vitæ dies duxit, ibique obiit, ut ferunt, anno 950. Quære supra, t. VIII, col. 1530.

XI. Mabbo.

Mabbo reperitur, anno circiter 950, sub- 950
scribens Ragenfredi litteris pro monachis S. Petri Carnotensis. Anno Lotharii regis
octavo, Christi 962, corpus S. Pauli, ne præ- 962
da Normannorum fieret, ad Floriacense monasterium idem detulit; apud Rer. Gallic. Script., t. VIII, p. 307. Adeo pretiosum onus ferentem benigne Wulfadus abbas excepit : dein prohibentibus Normannis ne cathedram e qua cesserat rursus inviseret, infulas Mabbo deposuit, et sub monachica veste Floriaci occubuit.

Post Mabbonem ad conjecturas redeundum. Drescandus a nonnullis anno 990 electus dicitur. Quidam enim Drescandus eo anno, v cal. Augusti, subscripsit litteris Conani ducis pro S. Michaele. Ea autem chartula nullam fidem habet, ut sæpe diximus. Adverte præterea quod in eadem Drescandus, Constantinus, Rethwalatrusque incertarum

ANNI CHRISTI

sedium episcopi reperiantur, e quibus ille aut ille Leonensibus episcopis eadem verisimilitudine annumerandus.

Eudo tandem anno 995 a quibusdam, sed e sublesto testimonio, ponitur.

XII. Salomon I.

Salomon occurrit, annum circa 1032, in litteris Alani ducis monasterium S. Georgii instituentis. Quo duce mortuo, post annum
1039 scilicet 1039, reperitur in charta Berthæ, Alani viduæ, villam quamdam eidem cœnobio largientis.

XIII. Omnes.

Memoratur Omnes, Leonensis episcopus, in Kemperlegiensi chartula, de rebus a Guditha, Alani uxore, prædicto monasterio collatis. Idem ille forsan ac Omeneus, de quo supra inter dubios episcopos post S. Paulum mentionem fecimus.

XIV. Galo.

Galonem quidam opinantur Landevenechi C monachum : alii vero S. Florentii professum. Occurrit primum episcopali pedo jam
1108 donatus, anno 1108, in charta Leodegarii, Bituricensis archiepiscopi, ecclesiam S. Stephani S. Florentio condonantis; apud *Housseau*, t. IV. Idem, 7 Decembris 1111, testis fuit Joannis, Aurelianensis episcopi, eisdem S. Florentii monachis ecclesias S. Florentii et S. Stephani confirmantis; supra,
1112 t. VIII, col. 1446. Anno 1112, sedit in Viennensi concilio. Anno 1119, Andegavi consecratur B. Maria de Caritate : quo Galo tetenderat, ut pars esset nobilissimi cœtus qui D solemnia peregit. Cenomani reperitur, anno 1127, inter judices qui pacem fecerunt inter Joannem, Sagiensem episcopum, et Odonem, Majoretanorum abbatem; e Maj. Monast. chartular. Eodem anno, cooperantem eum habuit Hildebertus metropolita, ecclesiam Rotonensem S. Salvatori reconcilians; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 557. Sedit deinde, anno 1128, in concilio Dolensi, ubi subscripsit litteris Hervæi vice-comitis, Majoretanæ rei Montem Relaxum adjungentis; ibid., col. 558. Anno postea sequente, idibus Martii, testis fuit Conani ducis Roncereio E S. Cyricum restituentis. Obiit 9 Septembris; e necrologio Landevenechi.

XV. Guido I.

Guido sedit, inter annos 1142 et 1145, in Cenomanensi concilio, et ibi subscripsit litteris Droconis Malæ Muscæ super ecclesia S. Medardi. De cujus concilii tempore in notis ad Hugonis archiepiscopi gesta disserimus.

A Idem, anno 1145, testis fuit Alani comitis erga Hervæum, S. Melanii abbatem, benefici.

XVI. Salomon II.

Memoratur Salomon II anno 1149; e Sulpiciana chartula. 1149

XVII. Hamo.

Hervæi, Leonensis dynastæ, filius, Hamo, vi id. Julii 1157, jus quoddam S. Matthæi monachis a patre suo condonatum sancivit.
B Anno 1163, prædictus Leoniæ vice-comes 1163
ejusque filius Guidomarus dolo capti sunt, et in carcerem detrusi. Ut vero rei nuntius ad Hamonem pervenit, nihil ille cunctatus gladium arripuit, armatasque catervas secum ducens, Castellum Lini, in quo Hervæus custodiæ mancipatus fuerat, rapido cursu petiit. Hamoni subsidium præbuit Conanus Parvus, Britanniæ dux : quorum consociatis armis Castellum Lini captum est, Hervæusque liber evasit, ut Guillelmus Armoricanus enarrat. Dein autem, Hervæo mortuo, inter Guidomarum Hamonemque, germanos, dissidia exarsere. Quæ cum maxime ferverent, Hamonem e sede sua Guidomarus expulit. Amicissimus autem Hamoni Conanus. Ambo igitur, Leonense territorium cum validis turmis ingressi, Guidomaro obviam tetenderunt, quem in loco *Mechouet* dicto vicerunt. Occurrit Hamo, recuperata sede, anno 1170, litteris subscribens Conani S. Michaeli villam *Querver*
confirmantis. Anno vero 1172, 25 Januarii, 1172
Hamonem Guidomarus, in loco *Rengar* dicto, ferro sustulit : quod ut scelus lueret abbatiam B. Mariæ de *Daoulas* postmodum condidit.

XVIII. Guido II.

Hamone mortuo, canonici Leonenses convenere. Consulendus autem ea super electione Robertus de Monte. Cujus hæc verba sunt : « In loco Haimonis episcopi Leonen« sis, electus est quidam archidiaconus ejus« dem ecclesiæ, non canonice, sed simoniace, « et, cum haberet gratiam tam cleri quam « populi, non promeruit consecrationem, « morte impediente Joscii, archiepiscopi « Turonensis. » Decessit quidem Joscius anno 1174, secundum Robertum : ejus autem obitum Guillelmus de Nangiaco anno 1173 adscribit. Nec mirum si præmemoratus archidiaconus, anno 1172 electus, nondum anno 1173 consecratus esset. Erronea igitur eorum conjectura qui per tres annos ab Hamonis interitu sedem Leonensem vacuam permansisse contendunt. At vero longius a recta via declinaverunt illi qui Bartholomæum, decanum Turonensem, Hamoni suc-

ANNI CHRISTI

cessisse retulerunt. Bartholomæus enim, ex indubiis testimoniis, eo anno 1174 in Turonensi cathedra sedere cœpit, et ad Joseii vices, minime vero Hamonis, accessit. Legitur Guido, anno 1179, in Lateranensi concilio. Proximus igitur ab Hamone Guido Leonensium præsul fuit; de eo tamen nihil aliud ad nos pervenit.

XIX. Yvo I.

Ivo, cujus Albertus Magnus meminit, coævus Henrici II, Anglorum regis, legitur; qui, anno circiter 1180, judex sedit litis inter Geoffridi ducis ministros et monachos S. Melanii, de furno quodam indictivo in urbe Monte Relapso. Redonibus obiisse fertur, anno 1186.

XX. Joannes I.

Jam præsul erat Joannes anno 1202, quo Venetensibus comitiis interfuit. Idem a chronographo S. Matthæi anno 1204 memoratur.
1216 Anno 1216, S. Sulpicii puellis ecclesiam S. Michaelis de *Lesneven* tradit. Dein, VIII cal. Decembris 1225, ecclesiam Villæ Novæ subit consecrandam; Rer. Gallic. Script., t. XVIII, p. 331.

XXI. Derrianus.

Dictus ille Derrianus in Chronico S. Matthæi, alias autem Barius, occurrit anno 1234.
1237 Abdicavit anno 1237, corporis impotentiam causans. Gregorius autem papa, XI cal. Augusti, scripsit ad archiepiscopum Turonensem, eum jubens investigare an ista abdicatio admittenda esset. Quam is non protinus probavit; nam Leonensis idem præsul sedit, 4 Novembris 1237, in concilio quo sancita fuit, Juhello præside, institutio canonicorum in ecclesia Cenomanensi. (Ch. III, col. 225.)

XXII. Guido III.

Consecratus Guido memoratur anno 1238. Hic, anno 1246, Majoretanis concedit patronatum ecclesiæ S. Martini, Monte Relapso; e chartul. Maj. Monast., t. III, p. 258.

XXIII. Yvo II.

E canonico Leonensi Yvo præsul eligitur, ut referunt, anno 1262. Reperitur mense Novembri 1265, fœdus sanciens inter Britonum ducem et Hervæum de Leonia initum, de vectigalibus in portu S. Matthæi percipiendis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 994. Idem, anno
1272 1272, cuidam sacerdoti, quem prior Lehonensis commendaverat, ecclesiam S. Martini, nuper a Guidone Majoretanis, ut diximus, traditam, administrandam committit.

XXIV. Guillelmus I.

Guillelmus, quem Guillelmum de Leonia vocant, idem forsitan, littera G. designatus, qui, 20 Octobris 1303, sententiæ subscripsit contra Bonifacium VIII latæ. Superstes anno 1306 memoratur. Obiit 27 Junii.

XXV. Guillelmus II.

A Joanne papa XXII ad Guillelmum litteræ missæ sunt de Isabellæ Castillanæ absolutione. Idem, die Mercurii ante festum B. Mariæ Magdalenæ 1324, inter Hervæum de Leonia et Leonense capitulum de quibusdam decimis pacem fecit. Landatur capellæ S. Martini sacræ, in ecclesia Leonensi, conditor. Obiit, secundum Sammarthanos, anno 1327. (DE KERSAUSON. Ch. IV, col. 226.)

XXVI. Petrus I.

E decano rurali Castri Brientii Petrus in Leonensem ecclesiam evehitur a Joanne papa XXII, XV cal. Junii 1328; e schedis Suaresii. Cameræ is apostolicæ obsequium 10 Junii juravit. Testis reperitur, die lunæ post Translationem B. Benedicti 1332, Guillelmi, S. Matthæi abbatis, decernentis ut conventualium precum beneficio Hervæus de Leonia frueretur. Quo Petrus decesserit anno prorsus ignotum est. (BERNARD. 1328. Ch. V, col. 227.)

XXVII. Guillelmus III.

Obscura valde post Petrum Leonensium episcoporum series. Petro tamen Guillelmum successisse comperimus, ex ipsius Guillelmi litteris ad Turonense capitulum, anno 1335, 1335
vacante metropolitana sede, quibus synodum provincialem adire non valens, absentiam suam excusare conatur; inter schedas domni *Housseau*, t. XV. Isne Guillelmus gentilitio nomine *Ouvrouin* nuncupatus est? Guillelmi siquidem *Ouvrouin* plures meminere. Caveas autem ne, quod nonnullis contigit, eumdem cum arbitreris ac Guillelmum alterum *Ouvrouin* qui Redonensis episcopus anno 1345 obiisse videtur.

XXVIII. Yvo III.

Yvo sæculari militiæ primo nomen dederat, et sub Joannis Montifortensis vexillis contra Carolum Blesensem pugnaverat. Dein, deposito gladio, sacris initiatus est creatusque Leonensis episcopus. Carolo Blesensi, susceptis infulis, amicus fuit, anno 1342; apud Suaresium. (DE TRESIGUIDY.)

XXIX. Guillelmus IV.

Apostolicam cameram adiit Guillelmus 25 Junii 1349. Non illico tamen consecratus est. (DE ROCHEFORT.)

ANNI CHRISTI 1354 Ad Guillelmum enim scripsit Innocentius papa VI, vi non. Maii 1354, eumdem olim a Clemente papa Leonensibus infulis donatum expresse memorans, permittens vero ut ipse, qui tunc temporis electus tantum dicebatur, a quocumque vellet antistite consecrationis munus deposceret; apud Suaresium. Interfuit Guillelmus, anno 1366, Andegavensi concilio. Occurrit dein, anno 1373, in Melaniensi chartula; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 33. In ista vero temporis nota forsan peccatum est.

XXX. Joannes II.

DE JUCH. Guillelmum anno 1366 obiisse, eique Joannem protinus successisse Albertus Magnus refert. Idem Joannes, eodem teste, anno 1369 occurrit. Domnum vero Moricium nosque aliud omnino super eo Joanne testimonium fugit.

Dubie post eum recenseantur Petrus *Ouvrouin* Thomasque, quorum insuper Albertus Magnus et *Ogée* meminerunt.

XXXI. Guido IV.

LE BARBU. Henrici frater, Venetensis episcopi, Guido a Clemente papa VII Britonum duci commen-
1385 datur, xi cal. Aprilis 1385; e cod. Regio 8357². Quo anno, 7 Junii, Joannis ducis quoddam donum ratum habuit; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 379. Anno 1385, in capella S. Andreæ funeream sibi sedem exstrui jussit. Dein reperitur in conventu Nannetensi, 18 Aprilis 1387. Obiit, ut videtur, anno 1395.

XXXII. Joannes III.

Joannes duci fidem dedit 22 Augusti 1395. De eo tamen nullus e recentioribus chronographis præter *Ogée* mentionem fecit.

XXXIII. Guido V.

Subscripsit Guido, 25 Februarii 1396, instrumento de condenda capella S. Michaelis, et eodem anno, vel sequente, 3 Aprilis, procuratorem instituit qui vice-comiti *de Rohan* obsequium clientelare promitteret. Ipse inter legatos ducis Britanniæ legitur, qui cum Richardo II, mense Maio 1396, de restituendo Brivatum portu fœdus iniere; ex Epistolis Regum a D. *Champollion-Figeac* editis, t. II, p. 282. Per procuratorem dein,
1409 anno 1409, concilio Pisano interfuit, decessurus 5 Decembris 1410, ut testantur procuratoriæ rationes ad Britonum ducem delatæ.

XXXIV. Alanus I.

DE KERAZRED. Canonicus Nannetensis et utriusque juris doctor Alanus, quem latine de Vico, Britannice *de Kerazred*, gallice *de la Rue*, nuncupant, electus est, ut aiunt, 2 Januarii 1411. Hunc 8 Januarii Joannis papæ litteræ Britonum duci commendabant; e cod. Regio, sub num. 8357². Anno 1413, Florentiæ commorans, in Aquitania, litteras promulgat domini papæ, de prioratu Alpicii abbatiæ S. Wandregesili uniendo; in cod. D. *de Gaignières*, num. 139. Sedit anno 1415 in Constantiensi concilio, transferendus in cathedram Briocensem a Martino papa, 18 Septembris 1419. ANNI CHRISTI Ch. VI, col. 228. 1415

XXXV. Philippus.

Alano successor Philippus datus est, e clara Leonensis agri domo natus, qui summam eloquentiæ scientiæque laudem jamjam promeruerat. Roma rediens memoratur 9 Februarii 1420, quo die quadringenas libras a Carolo, regis filio, accepit, ei qui apud dominum papam utilem operam præstiterat; e cod. *de Gaignières* 139. Urbem episcopalem Philippus solenniter ingressus est 17 Martii 1422. Idem a Martino papa V in Ebredunensem cathedram, et paulo post in Turonensem translatus est, 29 Julii 1427. DE COETQUIS. 1420 Ch. VII, col. 228. 1422

XXXVI. Joannes IV.

Joannes, doctor theologiæ, dein e Fratrum Prædicatorum grege accitus ut confessiones Joannis ducis V audiret, Leonensis episcopus creatur 30 Julii 1427. Sedit in Nannetensi concilio 23 Aprilis 1431, in Venetensem cathedram transferendus IX cal. Novembris 1432. VALIDIRE.

XXXVII. Olivarius.

Canonicus antea Macloviensis Olivarius præsul electus est 18 Novembris 1433; e regestis Vaticanis, apud Moricium. Sedit, anno 1434, in Basileensi concilio, legatus a Britonum duce. Transvectus dein in Briocensem cathedram, ab Eugenio papa Joanni duci commendatur, pridie nonas Julii 1436. DU TILLET.

XXXVIII. Joannes V.

Joannes ex archidiacono Leonensi præsul
creatur 4 Julii 1436. Quem in Briocensem 1436
cathedram anno 1439 translatum Moricius et *Ogée* memorant. Eorum testimonio si quæ fides deberetur, is Joannes gentilitio cognomine *l'Epervier* nuncupandus esset. Si vero, prout dixerunt, eidem Joanni cognomen *Prégent* fuit, Joannes *Prégent*, Leonensis antistes, a Joanne *Prégent*, qui Briocensem cathedram anno 1450, neutiquam anno 1439, conscendit, distinguendus videtur.

ANNI CHRISTI

XXXIX. Guillelmus V.

LE FERRON. Ex archidiacono Mediæ, in ecclesia Nannetensi, Guillelmus præsul Leonensis fit 20 Martii 1439, et, eodem anno Florentino concilio interest. Eo præsente, 4 Aprilis
1456 1456, corpus S. Vincentii Ferrarii recognitum est. Æger et absens denuntiatur 10 Junii 1462, in comitiorum Venetensium instrumento; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 5. Obiit anno 1472, Romæ tunc temporis degens.

XL. Vincentius.

DE KERLEAU. Abbas antea Begardi, litteris Sixti papæ Britonum duci Vincentius renuntiatus est Leonensis episcopus, IV non. Maii 1472; e Regio cod. 8357². Eodem anno, B. Mariam de Precibus commendæ titulo regendam accepit, et obsequium duci juravit 1 Julii. Cancellarius ejusdem ducis exstitit, ab eoque plurium negotiorum curam suscepit. Sedit, anno 1476, in conventu Rotonensi; quo etiam anno, Romæ quadam legatione fungens, ex hac luce migravit.

XLI. Michael.

GUIBÉ. Canonicus antea Nannetensis, creatus est episcopus Michael litteris Sixti papæ, IX cal. Februarii 1477; e Regio cod. 8357². Eo etiam anno, 16 Aprilis, fidum duci obsequium promisit. In Dolensem cathedram translatus est anno 1477.

XLII. Thomas.

JAMES. Natus Thomas in vico quem dicunt S. Albinum de Cormerio, patre Petro, S. Angeli Romæ castellano, et Francisci, Britonum ducis, oratore, utriusque juris doctor renuntiatus, in Leonensem cathedram evectus est
1478 litteris Sixti papæ, XIX cal. Februarii 1478; e cod. Regio 8357². Eo anno, ultima die Septembris, procuratores instituit qui Francisco duci clientelaris officii professionem jurarent; ibid. Dolum translatus est 28 Martii 1482.

XLIII. Alanus II.

LEMAOUT. E canonico Corisopitensi præfectus est Alanus ecclesiæ Leonensi, et a Sixto papa commendatus Francisco duci, IV cal. Aprilis
1482 1482; e cod. Regio 8357². Cui fidem dedit eodem anno, 2 Augusti. Translatus est, VIII idus Martii 1484, in Corisopitensem cathedram.

XLIV. Antonius.

DE LONGUEIL. Joannis *de Longeuil*, in senatu Parisiensi præsidis, et Mariæ *de Morvilliers* filius, Antonius Britonum duci commendatur a Sixto papa IV, III non. Maii 1484, eidemque sacramentum præstat 12 Julii. Eodem anno, 11 Septembris, Andegavum pergit, qui coram rege verba faciat et de injuriis duci nuper illatis queratur. Eodem, 20 Decembris, in Angliam proficiscitur, ut ejus industria vetera inter Britanniam Angliamque fœdera confirmentur. Altera legatione deinde functus est apud Maximilianum imperatorem, anno 1487. Unde redux, cancellarius eleemosynariusque Annæ reginæ fuit, et ab ea in Austriam, in Hispaniam, in Sabaudiam, in Angliam, necnon in inferiorem Germaniam missus. Obiit juxta Parisios, 5 vel 25 Augusti 1500, sepultusque fuit in ecclesia Franciscanorum Parisiensium.

XLV. Joannes VI.

E Nannetensi cathedra in Leonensem Joannes transfertur litteris Alexandri papæ VI, 25 Septembris 1500. Obiit anno 1503. D'ÉPINAY. 1503

XLVI. Joannes VII.

Post illum Joannes *de Kermavan*, *de Kermorvan*, alias *de Carman*, eligitur anno 1503 et fidem regi dat mense Martio 1504, decessurus anno 1514. DE KERMAVAN.

XLVII. Guido VI.

Ex abbate B. Mariæ de Rota et S. Jacobi de Monte Forti Guido Leonensis episcopus fit anno 1514. Urbem ingreditur 13 Maii 1520; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 950. Abdicavit autem anno sequente, et Rotæ decessit 11 Maii 1523; ex obituario S. Jacobi. Diœcesanum Breviarium emendaverat. LECLERC.

XLVIII. Christophorus.

Christophorus canonicus Cenomanensis legitur anno 1519, in Philippi Lucilburgensis testamento: dein Leonensis creatur præsul 3 Junii 1521, et Ambiani fidem regi dat eo anno, 12 Novembris; apud *Padioleau*, p. 73. Anno vero 1554, in gratiam Rollandi, e fratre nepotis, munere semet abdicavit. DE CHAUVIGNÉ. 1521

XLIX. Rollandus I.

Clericus et ipse Cenomanensis Rollandus, Christophoro abdicante, cathedra Leonensi donatur 6 Aprilis 1554, et fidem regi promittit 1 Octobris. Abdicavit anno 1562. DE CHAUVIGNÉ. 1562

L. Rollandus II.

Brito patria, e toparchis *du Plessis-Bardoul*, Rollandus abbas S. Jacobi primo fuerat. Ejus in gratiam postquam Rollandus DE NEUFVILLE.

ANNI CHRISTI antecedens abdicaverat, ad Stampensem ducem ipse litteras misit, 1 Januarii 1563, initum jam pactum denuntians, postulansque ut id rex ratum haberet; inter cod. D. *de Gaignières*, n. 659. Transierat igitur annus 1562, antequam infulis donaretur. In qua temporis nota plures peccavere. Fidem juravit Rollandus 20 Octobris 1565. In Britanniæ comitiis dein memoratur annis 1576, 1578, 1587, 1588, 1600, 1603, 1608. Idem Turonensi, vel Andegavensi concilio interfuit anno 1583. In ejus laude consenserunt: erat enim observandæ disciplinæ quam maxime studiosus. Redonibus decessit 5 Februarii 1613, ætatis anno 83; ex ejus epitaphio. Idem testantur procuratoriæ rationes, quarum *Padioleau* meminit, p. 303. Memoratur tamen 28 Januarii in S. Jacobi obituario. Vacans legitur sedes eo anno, 7 Novembris, in comitiorum regestis.

LI. Renatus.

DE RIEUX. Renato pater Renatus *de Rieux de Sourdéac*, in Brivatum portu proconsulare munus agens; mater, Susanna de S. Melanio. Ut erat avis atavisque clarus apud Mariam Mediceam acceptissimus fuerat, cum quî, Rollando mortuo, Leonensibus infulis protinus, ut ferunt, donavit. Muneris tamen aditum diu distulit; annis enim 1617, 1618, etiam tum vacans sedes legitur in comitiorum Britannicorum instrumentis. Obsequium tandem regi promisit 25 Octobris 1619, et comitiis Guerrandiæ interfuit anno 1625. Eo anno, plures occurrit et acerrimas lites sequens. Carmelitanas enim puellas nuper domini papæ decretum Oratorianis patribus subjecerat; Montis autem Relapsi Carmelitanæ, Renato instigante, apostolicam legem perfringere ausæ erant, et, nedum ab usitata consuetudine recederent, episcopo Leonensi constantis obsequii fidem dederant. Ea materia litis fuit. Audita causa, Stephanus, decanus Nannetensis, cui eam rem cardinales *de la Rochefoucauld* et *de la Vallette* investigandam demandaverant, non tantum moniales damnavit, sed etiam episcopum Leonensem per quoddam temporis spatium sacris interdixit. Parisiis vero tunc temporis congregati ecclesiæ Gallicanæ legati, qui, ubi sententiam in Renatum latam cognoverunt, eam sine mora temerariam, impiam, cassamque denuntiaverunt, 16 Junii 1625, utque ipse Stephanus, inanditi facinoris auctor, parem delicto pœnam daret postulaverunt. Ejus quidem, sed incassum, partes domini papæ legatus amplexus est. Noxam enim publice expiare jussus, huic mandato Stephanus paruit 29 Decembris. Rursus in judicium Renatus iit, anno sequente. Ut enim B. Mariæ de Reliquiis commendatarius abbas erat, non modo in ea abbatia stabilem et fixam sedem sibi fecerat, ibidem vero episcopalis muneris officia quælibet adimplere statuerat, Cisterciensibus monachis quasi vicariis generalibus usurus. Hac de re canonici Leonenses vehementer conquesti sunt, 26 Martii 1626, ut eorum litteræ testantur, inter S. Germani francicos codices, num. 174. Eo anno sedit, 29 Aprilis et 11 Julii, in Nannetensibus comitiis. Anno 1635 edictum in eumdem majoris momenti judicium. Accusatus enim læsæ majestatis, quippe qui, Mariæ Mediceæ adhærens, cum ea in Germaniam inferiorem secesserat, coram Joanne Arelatensi, Victore Cenomanensi aliisque episcopis ad vadimonium venit; a quibus 31 Maii munere remotus est.

Quæ ut palam edita est sententia, episcopatu Leonensi rex Carolum Franciscum *Talon* donavit, S. Gervasii Parisiensis curionem, et, 31 Julii 1635, ad comitem *de Noailles*, qui Romæ legati munere fungebatur, scripsit uti litteras apostolicas in gratiam prædicti Caroli impetraret. Ea autem regia Caroli nominatio nullum effectum habuit.

LII. Robertus.

CUPIF. Deinde Ludovico regi cardinalis *de Richelieu* Robertum, summum archidiaconum et officialem Corisopitensem, commendavit: qui Leonensis præsul a rege renuntiatus est 25 Martii 1637, ab Urbano papa confirmatus anno 1639, et Parisiis consecratus, 25 Martii 1640, in ecclesia S. Germani Pratensis. Sibi creditam paulo post Robertus ecclesiam adiit, eique vigilem curam impendens, diutius incustoditas episcopatus res in meliorem statum reduxit. Interea vero Renatus Leonenses infulas pertinaciter repetebat. Ille quidem, Ludovico rege superstite, operam perdidit: vix autem in Annam Austriacam translata reipublicæ cura, tum ad reginam matrem, tum ad dominum papam missæ litteræ, quibus expostulabatur ut altera de negotio Leonensis episcopi inquisitio fieret. Novos Renato judices Innocentius dedit 23 Decembris 1645; qui, 6 Septembris 1646, Parisiis congregati, in conventu fratrum Eremitarum S. Augustini, sententiam anno 1635 prolatam omnimode irritam fecere. Tunc Robertus vice sua queri, dumque Renatus, constituto vicario, in episcopalis mensæ reditus manus protendebat, senatum Parisiensem appellare. Senatus Parisiensis secundum Robertum, 12 Octobris, decrevit. Eo decreto jam currentibus æmulis admota sunt calcaria. Ipsi quidem aberant: utrinsque vero partes in urbe episcopali vicarii generales sustinebant. Synodum diœcesanam Renatus congregari jubet, 22 Octobris 1648. Indicta vero die, Rollandus *Poulpiquet*, Roberti vicarius, præsidis in synodo munus sibi vindicans, ecclesiam cathedra-

ANNI CHRISTI

lem ingreditur, et ad sacrum pulpitum coram populo concionem habiturus incedit. Tunc in eum pars Renato favens irruit, pugnisque certatur. His tandem dissidiis rex finem imposuit, translato in Dolensem cathedram Roberto.

LIII. Renatus.

DE RIEUX. Ad suos redux Renatus episcopalem urbem ingreditur 24 Decembris 1648. Elapsis vero paucis annis, in abbatia B. Mariæ de Reliquiis moritur, 8 Martii 1651.
1651

LIV. Henricus.

DE LAVAL DE BOIS-DAUPHIN. Ex abbate Perredii Novi Leonensis Henricus antistes creatur anno 1651, et consecratur 17 Augusti 1652. Quo et anno munus adiit. Anno 1654, commendatarius fit abbas S. Martini Turonensis, et anno 1661 Rupellensis episcopus. Annis 1654, 1656, in conventu cleri Gallicani sederat.

LV. Claudius.

JOLY. Henrico succedere jubetur, 1 Julii 1661, Claudius, S. Nicolai de Campis curio. Nondum vero consecratus in Aginnensem cathedram translatus est.

LVI. Franciscus.

VISDELOU. Joannis *de la Goublaye* filius et Franciscæ *de Guellonde*, Annæ Austriacæ Franciscus primo concionator fuerat Madauræque episcopus, deinde Corisopitensis episcopi adjutor. Leonensis antistes ab anno 1665, obiit 18 Maii 1668; ex ejus epitaphio.

LVII. Joannes VIII.

DE MONTIGNY. Reginæ ab eleemosynis Joannes infulis Leonensibus donatur anno 1668, mox quadraginta Academiæ Francicæ sodalibus adscribendus. Sedem episcopalem adiit anno 1671; quo decessit anno, 26 Septembris, ætatis 35.

LVIII. Petrus II.

DE NEBOUX DE LA BROSSE. Nominatus anno 1671, et anno sequente consecratus, comitiis Britannicis Petrus interfuit annis 1673, 1675, 1691; cœtui vero cleri Gallicani, annis 1695, 1696. Obiit 18 Septembris 1701.

LIX. Joannes IX Ludovicus.

COTTON DE LA BOURDONNAIE. Præsul Leonensis nominatus 31 Octobris, vel 4 Novembris 1701 consecratur Parisiis Joannes Ludovicus 23 Aprilis 1702, et eodem anno, mense Maio, obsequium regi promittit. Antea Nannetensis ecclesiæ summus vicarius erat. Cœtui cleri Gallicani interfuit anno 1710, decessurus 22 Februarii 1745.
1702
1745

LX. Joannes X Ludovicus.

DE GOUYON DE VAUDURAND. E Constantiensis ecclesiæ vicario generali Joannes Ludovicus præsul Leonensis creatur 24 Aprilis 1745, consecraturque 12 Octobris. Munere semet abdicavit anno 1763.

LXI. Josephus Franciscus.

D'ANDIGNE DE LA CHASSE. Vicarius antea generalis Rotomagensis ecclesiæ, Josephus Franciscus Leonensis præsul Parisiis consecratur 21 Augusti 1763. In Cabillonensem ecclesiam anno 1772 transfertur.

LXII. Joannes XI Franciscus.

DE LA MARCHE. Ex abbate S. Albini de Nemore Leonensis episcopus Joannes Franciscus fit anno 1772. Superstes erat anno 1790.

VETERA LEONENSIS ECCLESIÆ MONASTERIA.

I. Kerlouan. *Kerlouan* vicus est Oceano contiguus, sex circiter leucis Leonia distans, in quo sanctus vir, *Seni* dictus, patria Scotus Erigena, monasterium instituisse fertur, anno 477. In eodem postea loco S. Paulus, Leoniæ patronus, recentiora claustra, ut ferunt, exstruxit, quæ postea Normanni diruere. Ea autem, a solis hagiographis enarrata, nonnihil dubitationis habent.

II. Lanpol. Monasterium *Lanpol* appellatum, in insula *Ouessant* erexit, ut memorant, idem S. Paulus, e patriis littoribus exsul. Monachorum ædes, ut quibusdam placet, nono sæculo Normanni funditus evertere. Aliorum vero e sententia, hujus fortuna domus vel decimo decurrente sæculo stabat. Sunt tandem qui monasterium hoc *Lanpol* in vico *Lampaul* exstitisse contendunt, juxta *Plouarzel*.

III. Batha. Batha, Barsave insula, vulgo *Ile de Batz*, ab hagiographis quoque memoratur, ut quæ S. Paulum ab insula *Ouessant* venientem exceperit, piaque ejus industria ædificatum monasterium olim habuerit. Iidem insuper ibi S. Paulum obiisse, 12 Martii 573, asserunt.

IV. LANHOUARNEAU. S. Hervæus in eo loco constitit, anno circiter 560, et in eodem mortuus est. Anno postea 878, sancti viri reliquiæ in Brestense castrum translatæ sunt. Nec A tantum ecclesiam Hervæus ibi constituisse refertur, sed etiam monasterium a Normannis eversum, de quo Dericus consulendus, t. I, p. 427. Incerta tamen nobis ea res est.

ABBATIÆ SUPERSTITES [1].

Sunt illæ numero duæ.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

S. Matthæus, *S. Mahé.*

ORDINIS CISTERCIENCIS.

Virorum.

B. Maria de Reliquiis, *Relec.*

S. MATTHÆUS.

Ad extremam Galliæ totius oram, in Oceanum procurrit peninsula, ubi S. Matthæo sacrum hoc cœnobium veteres exstruxere. Quod C si vetustatem hujusce domus certam habere non tibi sufficiat, et, rem altius perpendens, a quo quove temporis puncto condita sit perscruteris, densissimæ occurrent tenebræ, e quibus non emergere licebit. Quidam enim hoc cœnobium sæculo sexto, alii septimo sæculo conditum asserunt. Cæteri denique tibi suadent ne ejus ante nonum sæculum exordia ponas. S. Tanguido fundationem vulgi fides adscribit. Lobinæus autem Moriciusque S. Tanguidum circa septimum sæculum vixisse ferunt. Nec id etiam satis constat. Toties a Saxonibus, Normannis, D Anglisque angulus is terrarum vastatus est, ut paucissima de florente quondam cœnobio monumenta supersint. Devenerunt Angli annis 1295, 1375 et 1404, atque, expugnato S. Matthæi castello, monasterium invaserunt et diripuerunt. Tantis cladibus Benedictinus quidam scriptor commendatariorum abbatum administrationem assimilat; quibus ad eam inopiam abbatia redacta est, ut fere cunctis eversa bonis vix duobus monachis victum suppeditaret. Incolis locus omnino vacuus erat anno 1639, ut ex instrumento cujusdam visitationis comperimus, et ipse Dei cultus interruptus. Tandem, 24 Decem- E bris 1655, sub arctiore norma S. Mauri congregati sodales fœdus quoddam inierunt, ex quo spiritualis rei curam paulo post susceperunt. Fœdus hoc commentariis senatus Britannici inscriptum est 21 Februarii 1656. Ultimis temporibus in remotissima S. Matthæi claustra relegabantur exsules monachi, quos, ob spretam legem, ordinis Benedictini superiores pœna quadam plecti jusserant.

Nonnulla ad historiam S. Matthæi spec- B tantia servat tomus XXV Monastici Benedictini, inter quæ infra laudatas Simonis *Letort* schedas. Consule insuper Sangerm. cod. 583, et Albor. Mantell. cod. 86. Hi sunt abbates S. Matthæi quorum quidem nomina necrologia præbent, quorum vero ætas incerta relinquitur :

Eudo, VIII cal. Junii.
Curio, V id. Junii.
Inisanus, VII cal. Novembris.
Evenus, XIV cal. Januarii.
Turrithianus, III cal. Junii.

ALIQUOT ABBATES.

I. S. Tanguidus inter abbates S. Matthæi primus a plerisque nomenclatoribus recensetur : qui decessit, ut aiunt, 12 Martii 594.

II. Simeon, abbas dictus Leonensis, occurrit in charta Rotonensi 25 Augusti 870. Hunc S. Matthæi abbatem fuisse Moricius conjicit.

III. Gurhædius, annum circa 1104, si fides Simoni *Letort*, in compendiosa S. Matthæi historia.

IV. Daniel, anno 1110, annuente Radulfo episcopo Trecorensi, cum Hervæo de Leonia pactum fecit cujus mentio apud Moricium servatur.

V. Perenesius memoratur, VI id. Julii 1157, ab Hervæo, Leonensi comite, obtinens ne quis in dominium S. Matthæi temporale aliquam administrationem appetere præsumeret, nisi quem abbas probavisset.

VI. Hervæus memoratur 11 Decembris 1218, in Kemperlegii necrologio.

VII. Rivalonus, filius Haelci, moriens legitur 14 Januarii 1229; ex obituario Landevenechi.

VIII. Yvo I, 2 Decembris 1303, laudavit sententiam a conventu Parisino contra Bonifacium VIII latam; e Thesauro Chartarum, J, 481, n. 148. Obiit 22 Junii 1315.

IX. Guillelmus I, die lunæ post Translationem B. Benedicti 1332, Hervæum de Leonia in societatem precum admittit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1361.

X. Philippus, mense Octobri 1343, chartulas ad abbatiam spectantes in unum colligi jussit.

XI. Yvo II *de la Pallu*, senior, decessit

(1) Usque ad annum circiter 1790.

9 Martii; anno 1390, ex Albor. Maut. cod. 86. A

XII. Ivo III *de la Pallu*, junior, antecedentis consanguineus, vivebat anno 1417; e codice prælaudato. Obiit 12 Junii.

XIII. Joannes I *Roussel* thesaurarius generalis erat Britanniæ anno 1408, et cameræ Computorum anno 1420 præsidebat. Ejus insuper mentio fit, anno 1422, in schedis ad hoc S. Matthæi cœnobium spectantibus.

XIV. Guillelmus II *de Kerlec'h*, anno 1430 memoratur.

XV. Guillelmus III *de Kerlec'h*, antecedentis e fratre nepos, avunculo suo successit. B

XVI. Joannes II *Noüell* occurrit anno 1476. Regularium ultimus fuit.

XVII. Antonius de Grassiis, Thuilensis episcopus, a domino papa nominatur. Abdicavit anno 1486, suadente Britonum duce, qui summopere sequenti favebat.

XVIII. Joannes III *de la Forest*, confessionibus ducis audiendis præpositus, abbatia potitur anno 1486, et obiit, ut ferunt, circa 1499.

XIX. Joannes IV *Brunet* occurrit annis 1499, 1512. Decessit 6 Junii 1515.

XX. Henricus *Le Jacobin*, theologiæ doctor, legitur 15 Junii 1515, impetrans ut ipsi abbatiæ reditus traderentur. Procuratorem instituit, qui regi fidem daret, 12 Novembris 1524; e Max. Gall. Arch., J, 818. C

XXI. Hamo *Le Barbier*, canonicus Nannetensis et Leonensis, aliisque jam fungens muneribus, abbatiam obtinuit, commendæ titulo, anno 1533. Adversus eum litigavit Hervæus *de Kermeno*, sed infeliciter. Memoratur Hamo, ad majorem forsitan cautelam, veteres quæ supererant in armario S. Matthæi chartulas in castellum gentis suæ dictum *Kerian* transferens. Ea vero translatio in damnum cessit, namque ablatam sibi rem monachi nunquam recuperare valuerunt. Fidem regi dans Hamo reperitur 7 Octobris 1541. Sepultus est in ecclesia Leonensi. Tot dignitatibus dives erat, ut, eo moriente, dominus papa per jocum quæsiverit an omnes Britanniæ beneficiarii eodem die decessissent. D

XXII. Claudius I *Dodieu*, canonicus in ecclesia collegiata S. Justi Lugdunensis, necnon Romanæ sedis protonotarius, quem Ludovicus *Dodieu*, e toparchis *de Rivas*, habuerat a Maria *Rousselet*, domina *d'Espercieu*, occurrit annis 1552, 1553, 1554, 1555, 1571. Anno 1553, fidem regi dederat. Vicarius erat, anno 1557, alterius Claudii *Dodieu*, Redonensis episcopi. Anno 1567, missus est ad regem, monita comitiorum Britanniæ ferens. In eisdem comitiis sedit 26 Novembris 1570 et 25 Septembris 1571. Anno 1570, in eis clero præfuerat. E

XXIII. Franciscus *de Kernechriou;* e quibusdam nomenclatoribus.

XXIV. Cosmas *Ruggieri*, natione Florentinus, prior idem S. Nicolai in castro Joscelini, fidem regi dedit anno 1607. Hic in aula degens, et inter astrologos sui temporis nominatissimus, decessit 28 Martii 1615. Quia vero in odium vulgi venerat, sepultura post mortem privatus est, ejusque insignia, Parisiensis senatus jussu, e monasterii parietibus avulsa fuere. Consule Thes. Chronolog. Petri a S. Romualdo.

XXV. Andreas *de Liza*, ab anno 1615 usque ad annum 1617, quo munere semet abdicavit.

XXVI. Joannes V Rogerus *de Foix* munus adiit anno 1617.

XXVII. Ludovicus I a Joanne, gallice *de Jau*, alias *de Jouhan*, memoratur anno 1624.

XXVIII. N. *Labat*, patria Burdigalensis, obiit anno 1633.

XXIX. Ludovicus II *de Fumée des Roches de S. Quentin* fidem regi promisit anno 1634, congregationem S. Mauri in cœnobium introduxit anno 1655, et 7 Aprilis 1657 decessit.

XXX. Ludovicus III *de Menou*, prædicti nepos, munus per procuratorem adiit 20 Septembris 1658, et obiit anno 1702. Anno 1664, in claustrum S. Matthæi secessit dominus Gabriel *Gerberon*, tam doctrina quam animi constantia clarus.

XXXI. Claudius II *de Menou*, antecedentis germanus et canonicus Lochensis, abbatia donatur 16 Julii 1702 et moritur 24 Novembris 1721.

XXXII. Leonorius *de Romilly*, doctor Sorbonnicus et vicarius generalis ecclesiæ Parisiensis, creatur abbas Octobri mense 1723, decessurus 4 Augusti 1739.

XXXIII. Joannes VI Ludovicus *de Gouyon de Vaudurant*, ab anno 1739. Anno 1745 Leonensis creatur episcopus. Obiit anno 1780.

XXXIV. N. *de Robien*, vicarius generalis Autissiodorensis ecclesiæ, ab anno 1780 ad annum 1790.

B. MARIA DE RELIQUIIS.

Cisterciensis ea domus, in parochia *Plouneourmenez* sita, condita est, ut aiunt, XII cal. Augusti 1132. In eodem loco, Tanguidus, aut Gurguidus, sexto decurrente sæculo, monasterium ædificavisse dicitur nomine *Gerber*, cujus veteres hagiographi meminere; apud Dericum, t. I, p. 215. Recentioris autem domus conditores ignoti pertransierunt, paucaque admodum supersunt abbatum vestigia.

ALIQUOT ABBATES.

I. David I, temporibus Bernardi, Corisopitensis episcopi, subscripsit litteris Conani ducis, quibus possessiones Guingampensis abbatiæ confirmatæ; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 661. Idem memoratur, anno 1184, a Majoretanis villam *Lanvane-Ploherin* impetrans.

II. Ivo, Novembri mense 1265, testis est Hervæi Leonensis vectigalia in portu S. Matthæi colligenda Joanni duci, inita pactione, condonans. Idem, anno 1279, cum præ memorato Hervæo de decimis juribusque transegit.

III. Alanus, anno 1300, paciscitur cum Hervæo de *Penhoët* de jurisdictione quam sibi prædictus miles in familiam monachorum vindicabat; apud Moricium, t. I, col. 894.

IV. Joannes reperitur anno 1309.

V. Guillelmus I jubetur, anno 1389, abbatiam B. Mariæ de Precibus reformare. Idem, anno 1392, servum quemdam Leonensi vicecomiti tradit; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 616.

VI. Olivarius obiit 1 Julii 1437; ex ejus epitaphio.

VII. Conanus *de Kerenborgne*, anno 1479.

VIII. Guillelmus II *Lespervier* bullas obtinet anno 1487. Idem abbas Begardi fuit.

IX. Petrus *de Kerleau*, Guillelmo abdicante, reperitur anno 1511, qui etiam Begardum rexit.

X. Ludovicus I *d'Acigné*, Lambaliensis quoque decanus priorque Lehonis et Comburnii, munus adiit anno 1526. Idem reperitur, anno 1530, in Penthevriæ tabulis. Nannetensis præsul creatur mense Februario 1532.

XI. Sebastianus *Thomé* fidem regi dat annis 1541, 1547; apud *Padioleau*.

XII. Jacobus de Tresulis, alias de Torsulis, decesserat anno 1550.

A XIII. Ludovicus II *Le Bouteiller*, doctor theologus et eleemosynis reginæ matris præfectus, anno 1550, post Jacobi decessum, ab Henrico II nominatur. Fidem regi dedit Octobri mense 1564, obtinuitque, 6 Aprilis 1565, ut manus injectio solveretur.

XIV. Philippus *de Lenoncourt*, cardinalis et archiepiscopus Remensis, obiit anno 1592.

XV. Renatus I *de Rieux* reperitur fidem regi spondens anno 1606, idem qui Leonensis antistes fuit. Obiit anno 1651, abbatiam B. Mariæ tunc temporis incolens.

B XVI. Renatus II *Potier de Blancmenil*, Bellovacensis episcopus, sacramento semet erga regem obligavit anno 1608, apud *Padioleau*. Obiit anno 1616.

XVII. Franciscus I *de Pas de Feuquières*, abbas quoque S. Petri, in Cabilonensi diœcesi et Belli Loci in Argona, abbas erat B. Mariæ de Reliquiis anno 1659. Decessit anno 1691.

XVIII. Harduinus *Rouxel de Medavi de Grancey* litteris donatur regiis 22 Aprilis 1691. Idem abbas S. Petri de Prulliaco et S. Benedicti supra Ligerim. Obiit 8 Septem-C bris 1706.

XIX. David II Nicolaus *de Berthier*, Blesensis episcopus, obiit 20 Augusti 1719.

XX. Franciscus II Elias *de Voyer de Paulmy d'Argenson*, Burdigalensis archiepiscopus, B. Mariam de Reliquiis accepit anno 1719. Qui jam Prulliaco donatus fuerat anno 1706. Decessit 25 Octobris 1728.

XXI. Antonius *Charpin de Genetines*, Lemovicensis olim episcopus, ab anno 1729. Obiit Parisiis anno 1740.

XXII. N. *du Vivier de Lansac*, a Septembri mense 1740. Moritur anno 1784. Eo de-D cedente, procuratoribus abbatialis mensæ administratio demandatur.

ECCLESIA MACLOVIENSIS.

Antiquior in agro quem Macloviensem nunc appellant episcopalis sedes Alethum. Civitas non ignobilis Armoricæ, in tertia Lugdunensi, Alethum, britannica lingua *Quid Aleth*, vel *Guich Alet*, cujus, meridiem versus, Rinctius rivus mœnia subluit, quæque, versus Aquilonem, freto dividitur ab insula S. Maclovii nomine insignita. Alethi Notitia Imperii Romani meminit his verbis : « Sub dispositione spectabilis « ducis tractus Armoricani et Nervicani... præfectus militum Martensium, Aletho. » Quosdam reperies a quibus ævi Trojani coætanea, et a *grandævo Alethe* condita memoratur. Amotis autem hujusmodi ludis, seria quæramus. In controversiam vertitur quam sub ætatem Alethensis episcopatus incœperit. Nonnulli, inter quos R. P. *Lelarge*, in media quinti sæculi parte exordium ejus collocant, et primis Alethi episcopis Cariatonem, Mansuetum, Riocatum, Adumalum, S. Lunarium et S. Samsonem annumerant. Is enim hesternis scriptoribus mos erat, ut e levissimis conjecturis quam maxime incertas res pro certis sumerent. Hodierni vero, prorsus dissimili studio, quæcumque dubitationis aliquid habent pure negant. Sic Alethensem episcopatum non ante Nomenoii tempora, annumve 840, institutum hodie quidam asserunt. Id autem non aliud est quam prudentiæ modum excedere. Compertum enim habemus plures Nomenoio seniores episcopos Alethensis tractus ecclesias gubernavisse. Non fieri quidem solet ut historicis hagiographi cautiores sint. Hi tamen post mediam sexti sæculi partem episcopatus Alethensis primordia descripserunt, rei auctore B. Maclovio. Ambigere sane licet an revera B. Maclovius, prout posterior lex expressis verbis imperavit, consentientibus principe, clero populoque adlectus, ovilis assignati curam a metropolita rite susceperit, posteaque muneris episcopalis quæcumque officia impleverit. Eum saltem popularis fides Alethensium antistitum numero adscribit, desuntque adeo valida argumenta quibus ea fides evellatur.

Pristinos quosque Britonum antistites regionales nonnulli dixere. Quorum opinioni, exceptis excipiendis, libenter adhæremus. In eo quod ad Macloviensem episcopatum spectat, verisimile est hujus tractus episcopos in ea civitate frequentiores fuisse quam publice denuntiata præfecti Romani mansio antiquitus totius agri præcipuam satis declarat; verumtamen ex eis nonnullos novimus alibi quam Alethi consedisse. Saxum enim Aletho proximum, quod insulam Aaronis, vel S. Machutum, S. Maclovium de Insula, veteres nuncupavere, quosdam episcopos, etiam remotis temporibus, hospites excepit. Hamon, anno 1032, episcopus S. Machuti in authenticis diplomatibus legitur, et Alexander papa, anno circiter 1163, litem de possessione S. Maclovii inter Majoretanos monachos et episcopos Alethenses dirimens, S. Maclovium episcopalem olim sedem fuisse apertis verbis exprimit. Tandem aliud forsan vel Aletho, vel S. Maclovio, domicilium habuere nonnulli præsules qui semet, ut infra legetur, nec Alethenses, nec Macloviienses, sed Porhoetanos dixere. In ea insuper Armoricani tractus diœcesi singularius aliquid deinde evenit. Ab anno sedenim 1062 usque ad annum 1116 duo reperiuntur episcopi, penes quos regionis ejusdem eodem tempore spirituale regimen. Insuetatæ vero prorsus rei, ea, ut quidam aiunt, causa fuit. Eudoni comiti credita Conani junioris tutela. Quis autem inimicitior quam tutor pupillo? Inter eos ut bellum, quotidianis jurgiis conflatum, exarsit, Eudo Martem adversum passus est. Victus autem captivusque eam tamen apud Alethenses oppidanos auctoritatem retinuit, ut eos ad fidissimum sibi præsulem eligendum induceret, quem Dolensis episcopus confirmavit. Interea vero Conanus, Eudonis clientem aversatus, ut alter a sequacibus suis præsul designaretur imperavit, eumque aditis suffragiis cooptatum, necnon a metropolita Turonensi consecratum, in episcopali vico constituit quem S. Maclovium de Bidamono, alias de Baignone, tunc temporis appellabant. Hujus quidem schismatis causam, prout a R. P. *Lelarge* evolvitur, minime certam pace nostra reputare licet. Nec minus tamen indubium est duos insimul episcopos in eodem terrarum tractu exstitisse. Sedatis tandem his aut aliis quibuscumque dissidiis, Joanni de Castellione placuit Alethum deserere, sedemque episcopalem in proximam insulam, S. Maclovio, ut diximus, sacram, in perpetuum transferre. Hujusce translationis consilium ceperat ex eo quod civium Alethensium numerus jam multis ab annis decrescere, et frequentior in insulana S. Maclovii strata multitudo concurrere videretur. Res vero multum difficultatis habuit. Ecclesiam enim S. Vincentii, in saxo Macloviensi exstructam, Majoretanis Benedictus præsul olim dederat, et monachis eo ex agris Turoniæ felicioribus transvectandis amplissima, quibus eos alliceret, jura concesserat. Ut igitur ad abbatem Majoris Monasterii nuntius pervenit, Joannem enarrans ecclesiam S. Vincentii monachis abstulisse, eamque decreto episcopali cathedralem effecisse, summum Pontificem abbas adiit, vehementer obsecrans ut pro læso jure satisfaceretur, et, orata causa, sententiam obtinuit.

Postea vero, nempe elapsis octo plusquam decem annis, quandoquidem Joanni Henricus, regis frater, et Bernardus Claraevallensis summa ope et industria essent patrocinati, secundum episcopum Macloviensem Romana sedes decrevit. Ab eo tempore Alethensium antistitum series finem fecit.

Macloviensis civitatis temporale dominium penes episcopos olim fuit. Anno vero 1393, non tantum a Britonum duce, sed etiam ab Anglis, crebras perpessus injurias, Robertus præsul, annuente domino papa, regi Francorum S. Maclovium tradidit. In Macloviensi diœcesi, sub exitum postremi sæculi, abbatiæ virorum 5, 161 parochiæ, 24 minorum vicorum altaria, 20 virorum conventus, et puellarum 27. In urbe episcopali seminarium, conventualis Benedictinorum conventus ab Anglis institutus (1), Recollectorum duæ domus, Capucini, Benedictinæ puellæ, Ursulinæ, moniales S. Thomæ de Villanova, Calvarianæ, Crucis filiæ et a Bono Pastore dictæ puellæ. Sexdecim in capitulo Macloviensi canonici, supra quos peculiaribus dignitatibus præditi sedebant decanus, archidiaconus Dinannensis, archidiaconus Porhoetanus et summus cantor. Regulares aliquandiu fuere. Hoc statuerat Joannes de Castellione, ejusque decretum Eugenius III et Adrianus IV firmaverant. Parisiis igitur tunc temporis acciti Victorini sodales, Augustinianorum institutorum observantia conjuncti, qui, præter cæterarum ecclesiarum consuetudinem, diœcesanæ administrationis consortes exstitere, ipsi a jurisdictione episcopali immunes, et nullo medio Romanæ sedi obnoxii. Anno vero 1319, Joannes papa XXII eosdem sæculares fieri jussit.

Alethensium necnon Macloviensium episcoporum historiam a R. P. *Lelarge* conscriptam servat Alborum Mantellorum codex 86 D. Quam non sine fructu consuluimus.

(1) Hunc S. Benedictum Macloviensem appellabant; de quo paucis disserendum. Quidam e Benedictinis congregationis Anglicanæ sodalibus, patria extorres, in Galliam secesserant, et ibi plures jam domos constituerant. Eis vero cum arrideret sedem quamdam Oceani juxta littus habere, non tam ab Anglicanis oris remotam, duos anno 1611 e cœtu suo fratres S. Maclovium miserunt, quorum unus erat Gabriel a S. Maria, gentilitio nomine Giffordus, prior S. Laurentii *Dieu le Ward* in Lotharingia, necnon totius congregationis visitator. Ei Macloviensis quidam oppidanus capellam S. Maclovio vix una leuca distantem, sed admodum pauperem, concedit. Quam juxta Giffordus cellulas ædificat. Mox autem, annis 1616, 1619, 1620, episcopo canonicisque annuentibus, domos in ipsa urbe Anglicani sodales emunt, et, mense Julio 1626, litteras Ludovici regis obtinent quibus eis ecclesiam ampliorem ædificare licitum. Qua exstructa, Macloviensis præsul ne consecraretur obstitit. Anno postea 1659, reformationem S. Mauri Benedictini Maclovienses amplexi sunt. Inter priores Anglicos recensentur Gabriel a S. Maria, qui decessit anno 1629, tunc Remensis archiepiscopus, Joscelinus a S. Maria, Paulinus *Grendword* anno 1620, Joscelinus a S. Maria, iterum, N. *de Dieudonné* anno 1629, N. *Girou* a Cruce 1642, Paulus *Robinson* 1645, Gabriel *Bret* 1647, Joscelinus a S. Maria, tertio, 1651, Bernardus *Ribertiere* 1653, Gabriel *Bret*, iterum, 1658, Benedictus *Nelson* 1669. Consule t. V Monast. Benedictini.

EPISCOPI MACLOVIENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Maclovius.

Primus Alethensium episcopus S. Maclovius memoratur. Quem circa mediam sexti sæculi partem e Majore Britannia Armoricanas in oras delatum hagiographi referunt, et anno 612 vel 627 mortuum. Ejus necrologia 15 Novembris meminere.

II. S. Gurvalus.

S. Gurvalum, alias Guidgualum, S. Maclovii discipulum, post S. Maclovium ponunt. Nullum de eo nisi hagiographorum testimonium.

III. S. Coalfinithus.

Quoad S. Coalfinithi, alias Colaphini, præsidatum iidem testes. Eum, ut ferunt, S. Gurvalus præsulem salutaverat, munus ipse dimittens.

IV. S. Armaelus.

S. Armaelus, alias S. Armagilus, a nomenclatoribus plerisque recensetur. Asserit quiA dem Dericus nullam ejus mentionem in Alethensis ecclesiæ diptychis reperiri. Corrupta vero ad nos ea diptycha pervenere.

ANNI CHRISTI

Incertior etiam a S. Armaelo ad Helocarum Alethensium episcoporum series. Hi sunt quos eo ordine Albertus Magnus recenset: S. Enogatus, S. Maelmon, S. Gotofredus, Oedmalus, Hamon, Noedius, Riatuvalus, Tutamenus, Ravilius, Bilius, Moenus, Ebonus, Guibundus, Cadocavanus, Rivallonus, Judicael, Reginaldus, Menfenicus, Benedictus, Idomelus, Joannes, Gualterius. Horum episcoporum plerosque Dericus consulto B prætermisit: ne unus quidem certo testimonio confirmatur. Insuper animadvertendum est quod eadem ecclesia per unum dimidiumque circiter sæculum tot vicissim pastores habuisse nequiverit. Quidni vero ea series corrupta, permixtaque nlla sine temporum ratione, nomina exhiberet? Sic S. Enogatus Helogarus forsitan esset, Oedmalus Armaelus, Hamon alter Hamon qui Radulfo successit, Riatuvalus Rethwalatrus, Ravilius Ratuilus, Bilius Bilius alter qui post Ratuilum a quibusdam ponitur, Moenus Maenus, etc., etc. Ea nobis conjectura arrideret. C Ocius tamen istis e tenebris emergamus.

ANNI CHRISTI

V. Helogarus.

Vixit Helogarus temporibus Caroli Magni et Ludovici Pii : qui simul abbatiam S. Mevennii et episcopatum Alethensem gubernavit. Id nobis testatur nulli suspectum diploma, quo jam eidem a Carolo patre data Ludovicus imperator confirmat, VII cal.
Ch. 1, col. 233.
817 Aprilis 817.

VI. Ermorus.

Ermorus *episcopus in Poutrecoët*, alias *in pago Pordcoët* (1), bis reperitur in chartula-
833 rio Rotonensi, anno 833, ubi *mactiern* nuncupatur; id est, secundum usitatam interpretationem, tyranni comitisve cujusdam filius. Consule D. Aurel. *de Courson*, Popul. Britan. Hist., t. I, p. 396, 397. Theodonis Villæ conventui insuper interfuit anno 835; ex actis S. Convoioni.

VII. Jarnuvaltus.

835 Occurrit Jarnuvaltus, 11 Novembris 835, in chartula qua Ranridwallonem dat *Jarnithin* monasterio Rotonensi; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 265. Anno sequente, reperitur in litteris Retwobri eidem monasterio *Ran-helmunoc* tradentis; ibid., col. 270.

VIII. Maenus.

Maenum, aut Mainonem, reperies, 4 Februarii 840, in charta qua *Catworet* Rotonensibus monachis patrimonium suum integrum tradit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 272. Idem, anno sequente, testis fuit *Catweten*, filii *Treloœen*, a patre jam Rotono data sancientis. Denique reperitur, anno circiter
843 843, in litteris Wenerdonis quoddam prædium Sulcomino presbytero vendentis, et, anno circiter 844, in sententia contra *Merchrit* lata; ibid., col. 265.

Post Maenum Salaconem quidam ponunt. Is autem Dolensis erat episcopus.

IX. Rethwalatrus.

Innotescit *Rethwalatr*, anno 853, e litteris Erispoii, Britanniæ ducis, jus liberi suffragii Rotonensibus monachis concedentis. Idem, *episcopus* dictus *Poutrocoët*, subscripsit,
863 anno 863, litteris Salomonis, quibus *Schiriou, Lanleuther* et alia Rotono collata.

Ratuilus.

Ratuilum eumdem diplomata, Ravilium index vetus Alethensium episcoporum, et Rivalinum auctor vitæ S. Convoioni nuncupant. Ex Alethensi archidiacono factus, ut ferunt, præsul, occurrit anno 866, in chartula qua Salomon monachis Rotonensibus *Ran-inis-Lowen* tradidit; idem sub tempus testis fuit *Roiant-dreh*, regiæ matronæ, Salomoni Seminiacam villam condonantis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 304. Idem, IV cal.
Septembris 868, Salomonis edicto de Roto- 868
nensium libertate subscripsit; anno 869, ejusdem Salomonis litteris de aula *Plelan* Ritcando abbati tradita; et, anno circiter 872, sententiæ in Alfredum *mactiern*, contra Rotonenses litigantem, latæ; ibid., col. 309. Ratuilus Convoiono defuncto justa persolverat.

A Ratuilo ad Salvatorem plurium episcoporum nomina desunt. Bilius quidem a nonnullis post Ratuilum collocatur. Is vero Venetensis sub idem tempus præsul erat.

X. Salvator.

Salvator reperitur, anno circiter 950, Alani ducis diplomati subscribens quo S. Guingaloei monachis ecclesia S. Medardi collata. Idem, anno, ut opinantur, 965, Normannos fugiens, Parisios tetendit, cum Junano, S. Maglorii Lehonensis abbate. Neutri patrios agros rursus videre datum. Qui Parisiis decessere anno 1000, si veteri scriptori tuta fides, et una sepulti sunt in ecclesia S. Maglorii. Vide supra, t. VII, col. 307 et 309.

Anno 990, reperiuntur litteris Conani subscribentes pro monachis S. Michaelis Rethwalatrus et Roaldus, incertarum sedium episcopi. Inter Alethenses præsules Rethwalatrum hunc, nomine secundum, plures ponunt. Aliis Roaldus idem videtur ac Radulfus sequens, qui, prout conjiciunt, Alethensis ecclesiæ clavum Salvatore superstite arripuerat.

XI. Radulfus I.

Occurrit Radulfus, anno 1008, testis re- 1008
rum S. Mevennio datarum ab Alano et Eudone; e S. Brioci Chronico. Idem, ut videtur, inter annos 1014 et 1022, subscripsit litteris de Livriaco a monachis S. Florentii repetito; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 382.

XII. Hamon.

Subscripsit Hamon, anno 1032, chartulæ 1032
quæ fundationem S. Georgii Redonensis memorat. Eum obiisse referunt anno 1058. Antea vero, veluti simoniæ reus, a Leone papa IX, anno videlicet 1049, e sede sua depulsus fuerat.

(1) Nunc *Porhoet* : late patens tractus est in Alethensi diœcesi.

ANNI CHRISTI

XIII. Martinus.

1054 Interfuit Martinus, anno 1054, dedicationi Cormaricenæ ecclesiæ, apud *Housseau*, t. II, et, anno 1056, Cabilonensi concilio.

XIV, XV. Daniel I, Reginaldus.

Daniel episcopus Alethensis occurrit anno 1079 1079, in chartula ad prioratum S. Martini de Comburnio spectante. Obiit, ut aiunt, anno 1085.

Joannem in Alethensi cathedra tunc temporis sedisse quidam asserunt. Joannes revera episcopus S. Maclovii, Joannis, Dolensis episcopi, coætaneus legitur, anno incerto, in chartula qua Majoris Monasterii et S. Florentii monachi de capella Landæ consecranda pacem fecerunt; inter Baluzii schedas, arm. 3, fasc. 2, num. 3. Attentius vero rem ponderanti manifestum erit supra memoratam chartulam ad Joannem de Craticula, qui duodecimo sæculo vixit, pertinere.

Reginaldus *episcopus de S. Masloo de Bidamono* nuncupatur, anno 1062, in Majoretanis tabulis, subscribens judicio litis inter Majoretanos et Rotonenses super ecclesia S. Salvatoris de Bairiaco; Rer. Gall. Script., t. XIV, p. 150. Testis fuit, idem circa tempus, Judicaelis prædium *Gouen* Rotono condonantis. S. Maclovii *de Bidamono* degens Alethensem Reginaldus sedem sibi vindicavisse videtur. Scribens enim ad Radulfum metropolitam, anno circiter 1074, his verbis rem aggreditur : *R., Aletandus utcumque episcopus;* apud Rer. Gallic. Script., t. XIV, p. 588. Reperitur dein, 7 Januarii 1079, qua die Odo comes vita functus est. Obiit, e Chronico Nannetensi, anno 1081. Perperam, ut infra videbitur, cum usque ad annum 1091 vixisse quidam putant. Ejusdem xv cal. Decembris martyrologium Montis S. Michaelis meminit.

XVI, XVII. Benedictus, Judicael.

Reperitur Benedictus Alethensis præsul, anno 1092, in charta comitis Odonis decimas monasterio Rotonensi condonantis. Anno 1098, Guegonus, vicarius, Herhardi filius, quæ Alethensi ecclesiæ damna attulerat redimere studens, Benedictum adiit, eique prædium quoddam aliaque jura tradidit. Anno sequente, Benedictus occurrit initam inter Rivalloni filios et monachos Comburnienses pacem sanciens. Anno 1108, annuente Geoffrido, Dinanni toparcha, monachis Majoris Monasterii, quibus ecclesiam S. Maclovii de Insula jam dederat, tribuit insuper ecclesiam S. Maclovii de Dinanno. De eodem mentio fit in Majoretanis tabulis anno 1110, quo Majori Monasterio collatam a Joscio vice-comite quartam ecclesiæ Joscelini partem confirmavit. Legitur tandem, anno 1111, in ædibus S. Nicolai Andegavensis hospes exceptus, et abbati Lamberto ecclesiam S. Petri Dinannensis tradens. Quo obiit anno, e Chronico Nannetensi; Prob. Hist. Brit., t. I, p. 5. Superstes tamen videtur anno 1112.

Judicael interea æmulam cathedram tenebat. Is, e clara gente deductus, illius Geoffridi germanus erat qui e Cenomanensi decano factus est, anno 1111, Rotomagensis archipræsul. *Episcopus S. Machuti* Judicael legitur, S. Maclovii, ut videtur, de Bidamono, anno 1089, in litteris quibus Alanus dux monachis S. Florentii silvæ Livriaco contiguæ partem quamdam largitus est. Idem, anno 1101, testis fuit Gualterii reliquias a Riocro fratre missas in ecclesia *Lohéac* collocari curantis. Nannetibus dein reperitur, anno 1105, Benedicti, Nannetensis episcopi, litteris subscribens de institutione canonicorum in ecclesia S. Medardi. Testis est, 15 Maii 1108, Marbodi, Redonensis episcopi, S. Sergii possessiones confirmantis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 516. Nannetes redux, anno circiter 1109 (1), Rotonenses audivit et Majoretanos de Bairiaco rursus paciscentes. Obiit Judicael, Chronicorum ad fidem, anno 1112.

XVIII, XIX. Rivallonus, Daniel II.

Ex archidiacono *Lohéac* Alethensis episcopus Rivallonus ab archiepiscopo Turonensi consecratus memoratur, anno 1112. Anno 1116, inter castri Joscelini monachos et Geoffridum, *Porhoët* toparcham, de rebus a Joscio vice-comite relictis pacem fecit. In ea legitur charta S. Maclovii necnon Alethi præsul. Unde conjicere licet duas id circa tempus sedes in unam tandem convenisse. Anno 1118, prædictus Geoffridus, in eo ut supremum spiritum ederet, monachicam vestem, Rivallono suasore ac teste, induit. Rivallonum versibus laudavit Marbodus, Redonensis præsul.

Sub idem tempus Daniel, e cœnobio Rotonensi accitus, alteri ecclesiæ præerat. Non semel Danielis nomen legitur in instrumentis quæ spectant ad eam de juribus Dolensis ecclesiæ inquisitionem, Bartholomæo archipræsulante peractam. Reperitur etiam, anno 1114, in chartula Panis Pontis. Decessit 23 Junii, anno incerto. Post ejus obitum, ut videtur, æmulæ sedes unitæ sunt.

(1) Hanc chartam supra, col. 215, anno 1111 circiter adscripsimus, Judicaelem Benedicto in Alethensi cathedra successisse conjicientes. In ea certe conjectura peccavimus, nam ab Alethensi cathedra Judicael semper prohibitus est.

ANNI CHRISTI

XX. Donoaldus.

Ex abbate S. Melanii Alethensis fit episco-
1120 pus Donoaldus, anno, ut videtur, 1120. Quo
tempore Dolum tetendit a Baldrico conse-
crandus. Baldricus autem, ob præbendam
cuidam canonico ablatam, ab ecclesiæ Ro-
manæ legato nuper suspensus fuerat. Quo-
circa, nobilis matronæ, consanguineæ suæ,
suasu, Donoaldus Turones se recepit, et ab
archiepiscopo Turonensi consecratus est.
Eodem anno, ecclesiam B. Mariæ Combur-
niensis, quam laici occupaverant, et alia quæ-
dam altaria Majori Monasterio condonavit.
Ad eumdem conventum ecclesiam S. Petri
Hilphintic transfert, VI id. Octobris 1122. In
eorumdem monachorum claustro degens
etiam reperitur die festo B. Martini æstivalis
1123, eisque tradens mediam ecclesiam S. Pe-
tri *Corsolt*, quæ hæreditario jure ad quem-
dam Joannem, clericum, devenerat. Quo
etiam anno, Radulfo, S. Melanii abbati, ec-
clesiam S. Petri *Plelan* restituit. Turones
1124 redierat VII cal. Januarii 1124, qua die, Ma-
joretanorum hospes, eis ecclesiam S. Maclo-
vii Dinannensis firmius adstrinxit. Comes ad-
fuit, anno 1127, Hildeberto archipræsuli
Rotonensem ecclesiam S. Salvatori reconci-
lianti. Anno 1128, VII cal. Junii, in capitulo
sedens S. Maclovii Dinannensis, inter Ma-
joris Monasterii et S. Jacuti monachos super
ecclesia *Corsolt* litem diremit. Erga eosdem
Majoretanos constanter beneficus, eis, anno
1129, capellam S. Nicolai condonat. Quibus
1130 etiam, XVII cal. Julii 1130, postquam in cas-
trum Joscelini semet receperat, jura non-
nulla tradi permittit. Interest concilio Re-
mensi anno 1131, ubi monachos S. Jacuti
Majorisque Monasterii de jure quodam pis-
catorio inter se contendentes litteris suis con-
ciliat. Comburnium pergens, anno 1133,
una cum Odone, Majoretanorum abbate,
finem dat liti quam Buterius, filius Guitmun-
di, in ecclesiam B. Mariæ moverat. Ceno-
1137 mani memoratur, XVI cal. Novembris 1137,
transferendis S. Juliani reliquiis operam
suam ministrans; dein, 31 Decembris, Ma-
joretanos rursus invisens, ac eis, quos caris-
simos fratres amicissimosque expressis ver-
bis nuncupat, capellaniam *Guer* conferens.
Donoaldum omnes anno 1144 decessisse refe-
runt. Ejus martyrologium S. Michaelis XIV
cal. Septembris meminit.

XXI. Joannes I.

DE CHATILLON. Ex abbate S. Crucis Guingampensis, ut
reperitur in farragine testimoniorum pro
ecclesia Dolensi allatorum, eligitur insimul
1144 Joannes, anno 1144, Trecorensis et Alethen-
sis episcopus. Alethensis vero fieri maluit,
Romamque protinus ad consecrationem sus-
cipiendam tetendit. Unde redux in insulam
Aaronis, quo frequentior quotannis incola-
rum numerus conveniebat, episcopalem se-
dem transtulit. Huic vero translationi Ma-
joretani non segniter obstiterunt, Aaronis
insulam suo sub jure positam asserentes. Pri-
mum, ut videtur, Romano Pontifici Majore-
tanorum causa potior visa est. Quare Joan-
nes, ad Bernardum Clarævallensem scribens,
non satis caute potentibus adversariis obviam
ivisse confessus est : « Duram, ait, provin-
« ciam nactus sum, homo minimi census et
« sensus minoris, illos aggredi et cum illis
« ingredi causam qui confidunt in virtute
« sua, et in multitudine divitiarum suarum
« gloriantur; » apud Rer. Gall. Scriptores,
t. XV, p. 608. Deinde vero ante judices, qui-
bus investigandæ rursus rei operam summus
Pontifex dederat, monachi cecidere. Exor-
tam temporibus Lucii querelam, sub Euge-
nio summopere fervidam, Alexander pa- Ch. III, col. 235.
pa III tandem diluit, anno, ut opinantur,
1163. Memoratur Andegavi Joannes, anno
1149, apud S. Nicolai monachos, eis al- 1149
tare S. Paterni confirmans. Eumdem Ande-
gavi rursus reperies 25 Martii 1151, qua die
recognitioni corporis S. Renati interfuit. Re-
formandæ postea ecclesiæ curam impendens,
regulares canonicos in Macloviensi capitulo
constituit; et ab Eugenio papa III, anno Ch. II, col. 234.
1152, necnon ab Adriano IV, anno 1157,
rerum eam mutationem probantibus, insu-
per decretum est ut Maclovienses episcopi
in posterum eligendi ipsi regulares essent.
Oleo sacro sparsit Joannes, 16 Octobris 1156, 1156
ecclesiam S. Jacobi de Monte Forti. Anno
deinde 1158, Cenomani interfuit consecra-
tioni S. Juliani; ex Analect., t. III, p. 370.
Obiit Joannes anno 1163, e Chronico Nan-
netensi, ubi legitur « vir miræ scientiæ et ri-
« gidæ justitiæ. » Tantam enim sibi laudem
asperitate morum et consiliorum suorum
auctoritate comparavit, ut eum pia Maclo-
viensium oppidanorum memoria sanctorum
intercessorum gregi adscripserit. Joannes a
Craticula dictus est a clathris ferreis quæ circa
tumulum ejus posita sunt. Per Leonem pa-
pam X, anno 1517, licuit, ut festum S. Joan-
nis a Craticula singulis annis celebraretur,
quanquam justam canonisationem nondum
adepti.

XXII. Albertus.

Ex archidiacono Macloviensi in episcopa-
lem cathedram evectus fuit Albertus anno
1163; quo anno, testis occurrit S. Jacobo 1163
collatorum a Petro, Loheacensi toparcha;
Prob. Hist. Brit., t. I, col. 648. Eodem, Tu-
rones consecrandus deveniens, Joscium Ver-
noii degentem adiit, isque controversiam
inter Majoretanos Albertumque motam super
ecclesiis S. Petri de *Tadden* et S. Brioci de
Ploasno solennibus litteris composuit. Sua

ANNI CHRISTI jura firmiter contra Majoretanos Albertus defenderat : eis vero, anno sequente, ecclesiam B. Mariæ de Becherello concessit; ibid., col. 655. Anno 1166, e chartulario S. Michaelis, hujus monasterii monachos et S. Melorii rectorem conciliat. Redonibus reperitur, anno 1169, Geoffridum, Henrici regis filium, excipiens. Jura condonat Comburniensibus monachis, vii cal. Junii 1172; eorumdem in manibus, anno 1174, a Roberto
1178 *de Herlant* data firmat. Anno 1178, una cum Rotrodo, Rotomagensi archipræsule, et Richardo, Abrincensi episcopo, exortam inter abbates S. Michaelis et Lucernæ contentionem sedat. Testis est, anno 1180, initæ compositionis inter Geoffridum de Monte Forti abbatemque S. Jacobi; ibid., col. 822. Inter eumdem abbatem et moniales S. Sansonis, anno sequente, litem sopit. Quo etiam anno, peractam inter Majoris Monasterii et S. Maglorii Parisiensis monachos permutationem
1182 approbat. Anno 1182, Cainonem deveniens, in regis Henrici curia sedit, Hervæoque, Majoretanorum abbati, summum jus in Lehonenses monachos attribuit. Quo obiit anno, ut quidam memorant. Incertissima autem ea temporis nota. Nam ex Appendice Roberti de Monte moritur anno 1183; ex obituario S. Jacobi, 5 Julii 1184; e Chronico Panis Pontis, anno 1185. Certe Panis Pontis chronographus erravit, ut ex infra dicendis manifestum erit.

XXIII. Petrus I.

GIRALD. E canonico Redonensi Petrus Macloviensis fit episcopus anno 1184. *Electus* nuncupatur eo anno, Veneris die ante Pascham. Anno
1185 1185, *Plelan* S. Melanio confirmat. Cum ejusdem cœnobii monachis paciscitur, anno 1187, super ecclesia *Irridoir*. Eo etiam anno, cum Majoretanis transigit quoad pransorium jus, vel procurationem, in prioratu Lehonensi, et eisdem confirmat cuncta quæ in Alethensi diœcesi bona possidebant. Anno
1191 1191, cum monachis S. Michaelis litigans super decimis S. Melorii et S. Mevennii, controversam remdimittit. Anno 1197, a Constantia comitissa mercatum obtinuit, quinta cujusque hebdomadis feria frequentandum. Andegavum, anno 1198, se recepit, et, Innocentii papæ III mandato, controversiam inter Albinianos et Geoffridum *de Auvers* sedavit; e chartul. Guilcii. Anno 1200, Nannetibus reperitur, ubi sedit inter judices qui S. Melanii monachis patronatum ecclesiæ *Brehant*
1206 adscripsere. Petro præsente, anno 1206, Guerchiæ collegiata ecclesia fundatur; Prob. Hist, Brit., t. I, col. 806. Mense Februario 1211, vel 1212, procurationem a Lambaliæ monachis exigens, cum eis componit. Occurrit tandem, anno 1216, in chartula ad S. Maglorium spectante, ubi semet Petrus *servum crucis Christi* nuncupat. Eum 10 Septembris 1218 Panis Pontis martyrologium decessisse refert. ANNI CHRISTI 1218

XXIV. Radulfus II.

Ex archidiacono *Porhoët* Radulfus præsul eligitur. Hic, anno 1218, ordinationis suæ primo, ecclesiam *Plomeloc* confert. Inter eum et Victorinos sodales de juribus mutuis exorta contentione, non multo post tamen, anno Ch. iv, col. 237.
1219, his dissidiis finis imponitur. Anno 1222, litteras edit Radulfus de Guillelmo quasdam decimas monachis Lehonensibus largiente. Eodem, chartam Alani de Belloforti, monachis S. Maclovii de Dinanno jura condonantis, sigilli sui munimine firmat. Interest, viii cal. Decembris 1225, dedicationi Villæ Novæ. Tunc lis erat inter Guillelmum *de Coëguen* et monachos Becherellum incolentes super decima *Meguerit* : quos Radulfus, Aprili mense 1226, Dinannense castrum adiens, conciliavit. Memoratur, eodem anno, confirmatis Veteris Villæ bonis, crucem suscipiens, ad Albigensium agros iturus. Obiit 8 Octobris; ex obituario S. Jacobi : anno 1230; e Chronico Nannetensi.

1225 — Ch. vi, col. 238. — 1230

XXV. Petrus II.

Radulfo, ut ferunt, Petrus anno 1230 successit, qui anno 1231 obiit. De eo tamen præsule nihil certi enarratur.

XXVI. Geoffridus.

Occurrit Geoffridus, anno 1231, de decimis *Brons* paciscens. Non diu vero episcopale ministerium securus exercuit. Fervente sedenim inter Armoricanos præsules ducesque Britanniæ discordia, civilis gladius pastorali baculo prævaluit, et, a militibus civitate occupata, direptis ecclesiæ prædiis, exsul Geoffridus abiit, atque in Rotomagensem provinciam seressit, ut comperimus ex epistola Gregorii papæ IX ad episcopum Aurelianensem. E quo redux exsilio confirmat, die Martis post festum B. Thomæ 1236, quæ S. Albino de Nemore Gervasia Dinannensis dederat; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 902. Eodem anno memoratur in tabulis S. Michaelis de Monte. Eodem, ei per Gregorium papam licuit causarum diœcesanarum cognitionem officialibus demandare. Aderat Cenomani, 4 Novembris 1237, ubi litteras Geoffridi, Cenomanensis episcopi, de canonicorum San-Julianeorum libertatibus laudavit. Eodem anno, Gervasiæ Dinannensis aliam chartam sigillo suo munivit. Annis 1240, 1242, 1243, Lehonenses eumdem chartulæ præbent. Eo anno 1243, jura canonicis Panis Pontis a Geoffrido de Poenceio concessa confir-

1231 — Ch. v, col. 237. — 1236 — Ch. vii, col. 239. — 1243

ANNI mavit. Obtinuit ab Innocentio papa, II non.
CHRISTI Aprilis 1245, ut duobus una beneficiis colle-
Ch. VIII, col. 239. gii Macloviensis canonicos ornare posset.
1250 Junio mense 1250, abbati Veteris Villæ decimam contulit. Ejus memoriam imprimis commendat Domus Dei fundatio, cui con-
Ch. IX, col. 239. dendæ pluribus edictis consuluit, Octobri mense 1252. Anno 1253, inter Bellilocenses et Dinannenses monachos controversiam dirimit. Romam anno 1254 tetenderat, adversus Britonum ducem de controversis juribus verba laturus. Ibi dum morabatur, episcopatu semet abdicavit, ideoque Innocentius papa IV ad episcopum Andegavensem scrip-
Ch. X, col. 240. sit, II id. Junii 1254, jubens ut episcopo sponte cedenti Geoffridum, abbatem Majoris Monasterii, sufficeret. Ea quidem, ut diximus, cessio nullum effectum sortita est. Non tamen Geoffridus a proposito destitit, et, V cal. Maii 1255, Turonensem metropolitam Innocentius papa jussit ejus abdicationem admittere, eique pensionem congruam assignare. Obiit XV cal. Octobris; ex obituario Panis Pontis.

XXVII. Nicolaus.

DE FLAC. Nicolaus e canonico Cenomanensis ecclesiæ Geoffrido successit. Occurrit primum,
1259 die Purificationis B. Mariæ 1259, prioratum S. Melorii visitans, agnoscensque nullam sibi procurationem in ea domo deberi. Laudavit, anno 1260, litteras Guidonis de Thoarceio quædam ecclesiæ Nannetensi largientis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 809. Quo etiam anno ad episcopos Armoricanos scripsit, eos adhortans ad fœdus ineundum adversus duces clericis civibusque infestos. Memoratur tandem anno 1262, quo obiit, Octobri mense. In martyrologio Cenomanensis ecclesiæ legitur: « V id. Octobris, obiit mag. « Nicolaus *de Flac*, episcopus S. Maclovii « de Insula, qui, primo hujus ecclesiæ canonicus, dedit quadraginta libras Turonen« ses, ut de illis emerentur reditus ad suum « anniversarium in ista ecclesia annis sin« gulis celebrandum. » Idem memoratur 12 Octobris in obituario S. Jacobi; 11 vero ejusdem mensis, ut in martyrologio Cenomanensi, in obituario Panis Pontis.

XXVIII. Philippus.

DE BOUCHALANPE. Mortuo Nicolao, canonicorum suffragia inter duos æmulos divisa. Utroque vero peragendam electionem ad dominum papam deferente, summus Pontifex, 18 Octobris 1263, Philippum, abbatem Clarævallensem, Macloviensem cathedram adire jussit. Is vero Romam protinus tetendit, precibusque obtinuit ut Claram Vallem, amotis infulis, reverteret. De eo supra, t. IV, col. 807.

A

XXIX. Simon.

Simon, professione S. Dominici sodalis, e conventus Parisiensis priore præsul Macloviensis a domino papa creatur, et Turonibus consecratur a Vincentio metropolita, die festo apostolorum Petri et Pauli 1264; Prob. 1264
Hist. Brit., t. I, col. 993. Eodem anno, die Veneris post festum S. Nicolai hiemalis, inter episcopum Carnotensem et priorem S. Martini de Valle litem diremit. Occurrit dein Simon, anno 1266, in Lehonensibus tabulis; ex Alb. Mant. cod. 39, p. 213. Anno
B sequenti, pacem facit inter abbatem Panis Pontis et Eudonem de Monte Forti. Die Sabbati infra octavas Pentecostes 1268, suadet 1268
abbati S. Michaelis et capitulo Dolensi ut super decima S. Columbani transigant. Sedit Parisiis, anno 1271, in senatu Parisiensi, mense Junio; Rer. Gallic. Script., t. XXI, p. 424. Anno 1272, cum priore *Infindic* de novalibus composuit; e chartul. Maj. Monast. Mense tandem Junio 1280, reperitur ecclesiam vici *Ploer* archidiaconatui Macloviensi uniens. Obiit 2 Februarii, ex obituario Panis Pontis, vel 3 ejusdem mensis, ex obituario
C S. Jacobi, anno 1285, et Dinanni sepultus est in Fratrum Prædicatorum ecclesia.

(ANNI CHRISTI. DE CLIÇON.)

XXX. Robertus I.

Robertus primo memoratur, anno 1287, DU PONT.
cum Joanne de Plessiaco super decimis *Ploubalay* paciscens. Anno 1290, fundatum re- 1290
cens a Guillelmo *de Lohéac* Panis Pontis sacrarium approbat. Turonibus, anno sequente, electioni Reginaldi metropolitæ interfuit. Parisiis reperitur, festo die Dominicæ Passionis 1302, in episcoporum conventu 1302
D adversus Bonifacium VIII coacto; e Gestis Guillelmi Majoris. Latæ contra eumdem sententiæ adhæsit, 20 Octobris 1303. Ad Robertum missæ, 15 Junii 1304, regis litteræ, Ch. XI, col. 241.
quibus immunitates nonnullæ clero Macloviensi concessæ. Legitur denique anno 1309, 1309
in chartulis ad temporale Montis Fortis dominum spectantibus. Quo, ut aiunt, anno decessit.

XXXI. Petrus III.

Petrus inter Macloviensés episcopos a
E R. P. *Lelarge* sub annum 1309 recensetur. De quo nihil aliud reperimus. Eumdem vero Moricius, cui forsan tutior in eo fides, prætermisit.

XXXII. Radulfus III.

Philippo regi a consiliis Radulfus, gente ROUSSELET.
Brito, Macloviensi cathedra anno incerto donatur. Anno 1312, de decimis S. Eligii cum Olivario *de Montauban* transigit; Prob.

ANNI CHRISTI Hist. Brit., t. I, col. 1242. Anno 1314, inter capitulum Redonense et abbatem Panis Pontis pacem facit; ex Alb. Mant. cod. 39,
1316 p. 421. Annis 1314, 1316, supremæ senatus Parisiensis cameræ præfuisse legitur. Transfertur dein Radulfus in episcopatum Pampilonensem a Joanne papa XXII, anno 1317. Laudunensis episcopus eodem anno factus est; supra, t. IX, col. 545.

XXXIII. Alanus.

CONTRIER. Testis est Suaresius, e litteris Joannis papæ, Alanum, commendante Philippo rege, in Macloviensem cathedram apostolicis lit-
1317 teris vocatum fuisse vi non. Martii 1317. Obtinuit is ab eodem Joanne papa, 27 Octobris 1319, ut in capitulo Macloviensi regularibus canonicis sæculares sufficerentur. Anno 1330, a priore Lehonensi nummos accepit; e chartul. Maj. Monast. Anno 1333 ineunte, ei Corisopitensem cathedram, permutatione peracta, adire licuit.

XXXIV. Yvo.

DE BOIS-BOISSEL. Alani vices Yvo, Corisopitensis antea præsul, excepit, annuente Joanne papa XXII, vi vel xi cal. Februarii 1333. Ille, anno 1336, inquisitionum cameræ præfuit. Anno 1340, memoratur in chartula de condenda juxta Lehonium Haiæ capella; e chartul. Maj.
1347 Monast. Anno 1347, de duobus capellis cum Macloviensibus canonicis transegit. De eodem vero postea chartæ silent. Quare eum anno 1348 obiisse conjiciunt.

XXXV. Guillelmus I.

MAHÉ. E canonico Redonensi salutatus præsul Guillelmus, apostolicæ cameræ obsequium juravit 17 Novembris 1348. Eodem anno, Parisiis inquisitionum cameræ præfuit. Obiit xiii cal. Aprilis; e necrologio Redonensis ec-
1350 clesiæ: anno, ut palam est, 1350.

XXXVI. Petrus IV.

Petrus a Macloviensibus chronographis *Benoist* nuncupatur; a Redonensibus vero *de Guéméné*. Certissimum tamen est eumdem Petrum ecclesiæ primum Macloviensi, deinde Redonensi præfuisse. Dubium omne solveret qui Petrum hunc e loco *Guéméné* oriundum comprobaret. Quoad Petri genus, non is procul dubio gentilitio nomine *de Guéméné* dictus est, cum ea gens, apud Britones clarissima, initium sumpserit a Carolo *de Rohan*, qui decessit 29 Decembris 1438. Ut ut ea se res habuit, obsequium cameræ apostolicæ Petrus promisit 14 Julii 1350. Eodem anno, 21 Octobris, diœcesanam synodum coegit, et, Parisiis, in inquisitionum camera

A præsidis cathedram occupavit. Litteris tandem Innocentii papæ VI, xix cal. Februarii 1359, in Redonensem cathedram transfertur; apud Suaresium. ANNI CHRISTI

XXXVII. Guillelmus II.

Ex episcopo Redonensi Macloviensis fit POULART.
Guillelmus, xix cal. Februarii 1359. Mox au- 1359
tem a Britonum duce lacessitur, qui jura quædam episcopalia rescindere tentat. Civitatem igitur interdicto Guillelmus supponit. Eo tamen aliquod iter non multo post aggre-
B diente, capitulum Macloviense præ memo- Ch. sur. col. 242.
ratum interdictum abrogat, 15 Januarii 1362. Deinde Guillelmus cum Joanne duce,
20 Junii 1365, de tributis episcopo persol- 1365
vendis transigit. Sedit, 12 Martii 1366, secundum recentem usum, in Andegavensi concilio. Confirmavit, 5 Martii 1368, secundum eumdem calculum, fundationem capellæ S. Michaeli sacræ. Memoratur, 17 Novembris 1372, in excerptis e tabulario Panis Pontis; Alb. Mant. cod. 39, p. 421, 473. Obiit vii cal. Martii; ex obituario Belli Portus.

Geoffridus ei quidam, cognomento *Par-*
C *gas*, successisse memoratur, qui fidem, ut aiunt, duci juravit 4 Februarii 1371. De eo tamen ambigere licet.

XXXVIII. Joscelinus.

E Macloviensi canonico et priore S. Lazari DE ROHAN.
Montifortensis eligitur præsul Joscelinus, 7 Julii 1375. Quem deinde in tutelam Franco-
rum rex recipit, 20 Februarii 1381. Occurrit, 1381
anno 1382, prioratum B. Mariæ Magdalenæ restaurari jubens. Joscelini clara potensque domus, et par natalibus animus. Qui ut in
D Macloviensi cathedra consedit, urbem ipsam in agro ad ecclesiam pertinente conditam fuisse asseruit, ideoque ducis imperio non subesse. Nihil illo tempore multitudini gratius, quam, conculcata temporalium dominorum tyrannide, aliquantulum libertatis assequi. Maclovienses igitur cives, audita voce præconis a quo jurisdictioni ducum minime subjecti pronuntiabantur, arma capescere, urbemque munimentis quam citius cingere, metuentes ne improvisus hostis adesset. Ipse interea dux non tantum episcopi, sed etiam civium possessiones inva-
E dere. Joscelinus, 30 Augusti 1382, eo de jurgio litteras edit, quibus excommunicationis in ducem minæ intenduntur. Mox autem Macloviensem insulam ducis vires occupant. Nec postquam ducis partes rex fuerat amplexus, ad finem tantæ controversiæ ventum est. Episcopus tandem Neapolitanus, a domino papa missus, paci viam aperuit, oblatisque conditionibus dux manus dedit 8 Junii
1384; quas post eum Joscelinus, 13 Junii, 1384
comprobavit. Occurrit dein Joscelinus, 7 Ju-

nii 1385, rerum datarum Joanni *du Fou* a Joanne duce testis, et, 18 Aprilis 1387, litteras ejusdem ducis laudans de reditibus Joannæ Navarreæ assignatis. Obiit 21 Martii; e necrologio Montis Fortis : anno 1389. A chronographo tamen Briocensi refertur Joscelinum, 26 Januarii 1392, Turonensi conventui interfuisse, in quo Joannes Britanniæ dux et Joannes Penthevriæ comes fœdus fecere. Erronea vero videtur Joscelini in eo conventu sedentis mentio.

XXXIX. Robertus II.

DE LA MOTTE.

Commendatur Robertus a Clemente papa, v id. Novembris 1389. Qui eodem anno consecratus est, et apostolicæ cameræ obse-
1390 quium juravit 8 Januarii 1390. Is quoque temporalem ducis jurisdictionem diu recensavit, et ob id prohibitus est ne reditibus episcopatus frueretur, donec eumdem Macloviensis ecclesiæ patronum agnosceret. Anno 1394, adhærentes Angli partibus Bonifacii IX ad portum S. Maclovii frequentes devenere, et nonnullis civium domibus exitiales tædas intulere. Scripsit ad Robertum Clemens papa VII, II non. Junii 1394, se Macloviensem civitatem Carolo regi VI de-
1396 disse. Anno 1396, 25 Februarii, Robertus reperitur in episcoporum conventu, qui fundatam probaverunt capellam S. Michaelis de Campo. Occurrit dein, 14 Novembris 1397, pacem faciens inter abbatem Panis Pontis et rectorem ecclesiæ *Gueguen*. Roberto, 14 Decembris 1406, Margarita *de Rohan* suum testamentum exsequendum demandavit. Eamdem eidem provinciam Olivarius Clissonensis dedit, 5 Februarii 1407. Permisit, anno 1412, ut in ecclesia *Infindic* capella conderetur; e chart. Maj. Monast. Acerba inter eumdem et Radulfum de Monteforti jurgia, anno 1412, de juribus in silva *Brecilien* exercendis : qui tandem, anno 1416, ea de re transegere. Per eumdem licuit, 22 Maii 1420, ut Radulfus *Boisserel* in insula *Sezembre* altare construeret, ibique eremiticam vitam duceret. Obiit 5 Augusti
1423 1423; e necrologio Panis Pontis. Vacans reperitur sedes, eo anno, 10 Augusti.

XL. Guillelmus III.

DE MONTFORT.

Radulfi, Montisfortis toparchæ, filius, eligitur Guillelmus præsul anno 1423. Eodem anno, 13 Octobris, litteris pontificiis donatur. Habemus eum, 16 Junii 1424, inter auctoritatis summæ viros, quibus Alanus VIII *de Rohan* testamentum suum curandum tradit. Anno 1429, Stephano, Dolensi præsule, mortuo, Guillelmum in vacantem cathedram Martinus papa transtulit, et ad eum, uti Dolensem jam episcopum, scrip-
1430 sit, III cal. Julii 1430, jubens ut Isabellæ Britanniæ et Ludovici Siculi matrimonium dirimeret; e Reg. cod. 8357². Guillelmus autem, Macloviensibus infulis cinctus, Dolenses detrectavit. Anno 1431, 10 Augusti, decretum edit de condita capella S. Antonii de *Ploermel;* e cod. Regio 8357². Deinde memoratur, die ultima Februarii 1432, in eo ut iter Romanum ageret, Macloviensi capitulo mitram baculumque pastoralem committens. Andegavum devenerat, 11 Martii, cum litteras Eugenii papæ IV accepit, quibus purpuratorum gregi adscriptus erat; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 1250. Inceptum iter prosequens obiit Senis, 27 Septembris
1432. Memoratur 1 Aprilis in obituario S. Jacobi. 1432

Post ejus mortem convenientes canonici Guillelmum *Boutier* ex abbate Belli Loci S. Maclovii præsulem dixere. Summus vero Pontifex irritam hanc electionem denuntiavit, et Guillelmo Amalricum suffecit.

XLI. Amalricus.

DE LA MOTTE.

E Venetensi cathedra Macloviensem conscendere jussus Amalricus, ab Eugenio papa Britonum duci commendatur 1 Novembris 1432. Synodum coegit 3 Julii 1433. Testamentum postquam suum eodem anno condiderat, 5 Octobris, jubens ut in ecclesia S. Maclovii sepeliretur, obiit 6 Augusti 1434. Sedes vacans legitur 11 Augusti.

Eo defuncto, canonici Guillelmum *Boutier* iterum elegere. Papa vero in Macloviensem cathedram Trecorensem episcopum transtulit. De qua translatione Britonum dux ad Basileense concilium questus est. Vanus vero ea de re in prædicto concilio sermo fuit, et domini papæ jussa prævaluere.

XLII. Petrus V.

PIEDRU.

Ex episcopo Trecorensi Petrus Macloviensis fit, 27 Augusti 1435. Hanc enim diem apostolicæ litteræ præbent. Eodem anno, mense Junio, electus jam, nondum vero confirmatus, in Basileensi concilio Petrus sedebat, quo personam ducis impleturus tetenderat.
Anno 1439, cum canonicis ecclesiæ cathe- 1439
dralis de jurisdictione in civitate Macloviensi exercenda litigavit, et inter eos, 10 Maii, Guillelmus, abbas S. Jacuti, pacem fecit. Sedit Petrus, anno 1448, in Andegavensi concilio, eodemque anno statuta condidit a Guillelmo *le Gouverneur* laudanda. Obiit 24
Novembris 1449. 1449

XLIII. Jacobus.

D'ESPINAY.

Jacobus, protonotarius apostolicus, filius Roberti et Margaritæ *de la Courbe*, electus est 7 Januarii 1450, et postmodum bullas accepit pontificias. Mox, sede Redonensi va-

ANNI CHRISTI cante, in eam translatus est a Nicolao papa. Quæ cassa evasit translatio, nam Petrus dux Jacobum Ægidii, fratris sui, occisoribus favisse perhibens, ne primam Britanniæ sedem conscenderet acerrime prohibuit.

XLIV. Joannes II.

L'ESPERVIER. E Briocensi sede Joannes in Macloviensem litteris apostolicis transfertur 15 Julii 1450,
1451 et fidem duci jurat 21 Septembris 1451. In eum vero mox litem movit Jacobus antecessor, qui irrita enixus opera ut Redonensem cathedram conscenderet, in Macloviensem recuperandam incubuit. Joannis tamen jus prævaluit. Anno 1452, acerrima inter Joannem episcopum et Britonum ducem dissidia, ob quemdam civem a Joannis ministris in ædium propatulo Dinanni comprehensum. De qua re veniam Joannes a duce petiit 3 Maii. Eodem anno memoratur diœcesanam synodum cogens. Interfuit, anno 1456, recognitioni corporis S. Vincentii Ferrarii.
1457 Occurrit dein, 5 Septembris 1457, testis Petri ducis novissimum dictantis testamentum. Synodum congregavit 23 Octobris 1459, et in ea statutum edidit adversus rectores extra parochiarum suarum terminos discurrentes. Dein Romam ivit, Francisci ducis legatus. Ubi dum morabatur, anno 1460, litteras a Pio papa II obtinuit, quarum ex auctoritate Universitas Nannetensis condita. Sedit, 10 Junii 1462, in Venetensibus comitiis, et anno 1476 in Rotonensi conventu qui de stipendio ruricolarium sacerdotum statuit. Anno 1481, queritur de Bargio, domini papæ legato. Anno dein 1482, exsequendum ei deputatur testamentum Isabellæ Scoti-
1486 cæ. Obiit anno 1486. Idem in camera computorum præses fuerat.

XLV. Petrus VI.

DE LAVAL. Archipræsul Petrus Remensis, regendam gubernandamque Macloviensem ecclesiam ab Innocentio papa accepit, XIX cal. Septembris 1486; e cod. Regio 8357[a]. Eo dein nomine sacramentum duci præstitit, 14 Novembris. Commendatarius ergo fuit S. Maclovii episcopus. Decessit Andegavi 14 Augusti
1493 1493. Abbas idem S. Albini, S. Nicolai et S. Mevennii.

XLVI. Guillelmus IV.

BRIÇONNET. Filius Joannis, thesaurarii, et Joannæ *Berthelot*, civilem primo Guillelmus vitam amplexus est, uxoremque duxit Radulfam *de Beaune*, e qua plures liberos habuit. Ea vero defuncta, sacerdos efficitur, dein canonicus, posteaque plurium abbas locorum. Macloviensi cathedra regiis donatur litteris 10 Oc-

A tobris 1493, et, eodem anno, regi fidem jurat, 6 Novembris; per Mauricium *de Champagne*, procuratorem suum, munus obiturus 13 ejusdem mensis. Cardinalis titulo S. Potentianæ creatur 8 Januarii 1495, archiepiscopus Remensis anno 1497, et Narbonnensis anno 1507. Per idem tempus Telonensem et Nemausensem ecclesias tenuit. Nec infulas Maclovienses, Remenses adeptus, exuit, ante diem 18 Augusti 1513, quo in Dionysium, filium suum, curam Macloviensis gregis transtulit, decessurus anno sequente, 14 Decembris. Romæ legati munus implens, domino papæ B semet infensum præbuerat, dum Gallorum regis commodis inserviret. Pisano dein concilio interfuerat, ubi contra Julium papam II acerbe locutus erat. Ideo purpuram deponere jussus. In gratiam vero Romanæ sedis sub Leone papa X redierat; a quo Prænestensi episcopatu fuerat donatus. Multa de Guillelmo a coætaneis scriptoribus enarrantur. Qui quidem minimam Macloviensi ecclesiæ curam impendit, in maximis vero regni negotiis assidue laboravit. Memoratur inter cætera Carolum regem in Italiam secutus anno 1495, et, celebratissimo juxta Forno- C vium prælio, episcopum oblitus et militis memor, arrepto gladio in hostiles turmas animose ruens.

XLVII. Dionysius.

Antecedentis filius Guillelmus, canonicus Macloviensis ab anno 1502, receptus dein BRIÇONNET.
Telonensis episcopus 1 Februarii 1512, litteris apostolicis Macloviensi cathedra post abdicationem Guillelmi donatur, XV cal. Septembris 1513. Creatus, anno 1516, Lente- 1516
vensis episcopus, Macloviense gubernaculum D verumtamen retinuit. Romæ, anno 1517, reperitur Gallorum regis legatus. Roma redux anno 1519, Cormaricensis abbas fit anno 1520. Diœcesanam synodum coegit annis 1515, 1522, 1525, 1531. Ejus curis, anno 1518, prælo datur Rituale Macloviense. Properante dein senectute, ut animis aliquam remissionem daret, in Cormaricenum cœnobium secessit, in Cormariceno prædio, quod Montem Caninum vocabant, decessurus 15
Decembris 1535. 1535

XLVIII. Franciscus I.

E

Turonensis ecclesiæ jam decanus abbas- BOHIER.
que Bernaici, Dionysio Franciscus adjutor datus fuerat 30 Decembris 1534 : quam dignitatem adeptus, regi fidem juravit 5 Januarii 1535. Memoratur 7 Aprilis 1538, Matthæum Gualterium, Euboicum præsulem, in ecclesia S. Petri Burguliensis consecrans. Postquam vero, Dionysio defuncto, Macloviensibus infulis donatus fuerat, in Germaniam a Francisco rege missus est, qui

ANNI CHRISTI

legati munus impleret. Elapsis aliquot annis, occurrit de vectigalium quorumdam perceptione cum Macloviensibus oppidanis litigans : adversus quos regiam ille sententiam obtinuit, 26 Decembris 1553. Colloquio Pisciacensi interfuit anno 1561, et Parisiis, 4 Martii 1565, Mathurinum, Aurelianensem episcopum, consecravit, ibidem decessurus
1569 Septembri mense 1569. Vacans legitur sedes 5 Octobris.

XLIX. Guillelmus V.

BUZÉ. E Navarrei gymnasii alumno Guillelmus regiis confessionibus audiendis præpositus fuerat. Creatus, anno 1570, Macloviensis
1572 episcopus, cessit anno 1572, bullas nondum adeptus, et in cathedram Andegavensem transiit. Pensionem tamen quingenarum librarum, sibimet a Francisco sequente persolvendam, retinuerat.

L. Franciscus II.

THOMÉ. Post Guillelmum sedes aliquantisper vacua fuit. Franciscus enim, in cujus favorem abdicaverat, Veteris Villæ etiam tum abbas, in Redonensibus comitiis reperitur 30 Martii 1573. Bullæ tandem ad Franciscum missæ sunt 16 Novembris 1573; qui fidem regi juravit 3 Februarii 1574, 28 ejusdem mensis Parisiis consecratus est, et, eodem anno, 26 Julii, sub nomine Macloviensis episcopi, in Britanniæ comitiis clero præfuit. In eisdem deinde sedit annis 1576, 1577, 1578, 1579, 1580, 1581, 1582, 1584. Annis iterum 1577, 1580, 1581, 1582, 1584, cleri præses reperitur. Anno 1577, in percelebri Blesarum conventu idem occurrit. Munere tandem se-
1586 met abdicavit anno 1586. Ea vero abdicatione jam litteris sancita regiis, Macloviensès rursus infulas ambiit. Quas autem adipisci non valens, Caroli sequentis vicarius generalis tantum fuit, et in eo munere decessit, 12 vel 17 Februarii 1590.

LI. Carolus.

DE BOURGNEUF DE CUSSÉ. Renati filius, *Cucé* toparchæ, et in Britonum senatu præsidis, Carolus bullis donatur 6 Decembris 1586, et per procuratorem munus adit 25 Februarii 1587. Urbem episcopalem dein ingressus 7 Julii 1590, infensos expertus est cathedralis capituli canonicos, utpote qui in Sanctæ Unionis edicta juraverat. Eo tamen postulante, ut admitteretur
1591 canonici statuerunt, 4 Februarii 1591. Nannetes dein, fervente discordia, semet recepit, Decembri mense 1593. Dinanni quidem memoratur 25 Junii 1594 : S. Maclovium tamen adire rursus non potuit. Nannetibus ei magis tuta jucundaque sedes, unde Fœderati Philippum præsulem, qui pro rege stabat, ejecerant. Nannetensem igitur ecclesiam, ex auctoritate capituli Nannetensis, aliquantisper procuravit. Quiescentibus tandem lamentabilis hujus ævi discordiis, libentissime sedem Macloviensem permutavit, 30 Octobris 1596, cum Joanne, Nannetensi præsule, 1596
quem æque canonici Nannetenses arcebant.

LII. Joannes III.

DU BEC. Peracta permutatione cujus supra meminimus, Joannes semet fidum regi juravit 11 Maii 1598, et Parisiis consecratus est, Sabbati die ante Ramos Palmarum 1599, non multo post episcopalem urbem ingressurus, 4 Aprilis. Memoratur 5 Maii 1607, altaria plura consecrans. Sedit in Britanniæ comitiis, anno 1608. Testamentum suum condidit 16 Januarii 1610, jubens ut defuncti corpus in 1610
abbatiam Mortui Maris traduceretur, obiitque 20 ejusdem mensis. Mortui Maris commendatarius abbas erat.

LIII. Guillelmus VI.

LE GOUVERNEUR. E decano Macloviensis ecclesiæ præsul Guillelmus nominatur 29 Januarii 1610, et bullis donatur 30 Augusti. Eodem anno Britanniæ comitiis interest, 27 Septembris. Unde Parisios tendit consecrandus : quem adeptus est honorem 20 Februarii 1611. Episco- 1611
palem dein civitatem subiit 20 Martii, et, 8 Maii, duo Macloviensis ecclesiæ altaria consecravit. Per eum licuit, eodem anno, ut Benedictini patres, Anglicanæ sodalitati aggregati, sedem in Macloviensi diœcesi constituerent. Britannicis comitiis interfuit annis 1611, 1612, 1613, 1616, 1617, 1618, 1619, 1620, 1621, 1625 : in quibus, annis 1618, 1619, 1625, clero præfuit. In comitiis Galliæ generalibus reperitur anno 1615. Memoratur 28 Maii 1617, Henricum *Boyvin*, Tarsensem episcopum, in ecclesia Abrincensi consecrans. Diœcesanorum statutorum duo volumina publici juris fecit, annis 1612, 1620. Obiit tandem 25 Junii 1630. 1630

Guillelmo defuncto, Octavianum *de Marillac*, Capucinum, cathedra Macloviensi rex donavit. Is autem, cucullum mitra potiorem habens, oblatum munus detrectavit. Vacans tamen legitur sedes usque ad supremam Octaviani diem 30 Julii 1631.

LIV. Achillis.

DE HARLAY. Occurrunt pauci quibus magis varia quam Achilli vitæ ratio. Ex opulenta domo ortus sacris primum initiatus est, et abbas creatus Villælupensis, Floriacensis, etc., etc., necnon Vaurensis præsul. Hujus autem muneris minime studiosus, infulas suscipere noluit; imo, clericum exuens, sæcularium procerum catervæ nomen dedit, dictus tunc temporis marchio *de Morainvilliers*. Exinde Constan-

ANNI CHRISTI

tinopolim petiit, regius apud Turcas legatus, mox futurus, veste rursus mutata, R. P. *de Bérulle* assecla, deinde supremus Oratoriani sodalitii moderator. In Sabaudiam postea iter fecit; unde redux, in Angliam. Postquam denique tot inconstantis vitæ commutationibus jactatus fuerat, Macloviensem
1631 episcopatum a rege impetravit, anno 1631: quem per procuratorem adiit 27 Februarii 1632, episcopalem urbem ipse ingressurus 29 Maii. Reperitur Dinannensium comitiorum præses anno 1634. Anno 1635, Aprili mense, inter legatos Britannicæ gentis facile præcipuus, regem eo nomine alloquebatur. Anno tandem 1639 factus abbas S. Mevennii, in eam abbatiam, spreta monachorum intercessione, sodales S. Lazari intromisit. Obiit
1646 20 Novembris 1646, ætatis anno 65.

LV. Ferdinandus.

DE NEUFVILLE.

Caroli *de Villeroy* filius et Jacobæ *de Harlay,* antecedentis e matre Ferdinandus nepos erat. Qui abbas Fontanellæ ab anno 1622, Achillisque adjutor ab anno 1644, eidem in episcopatu Macloviensi necnon in abbatia S. Mevennii successit. Interfuit Pari-
1651 siis, 30 Aprilis 1651, consecrationi Annæ *de Levis,* archiepiscopi Bituricensis, et, 8 Decembris 1652, consecrationi Nicolai *de Vallavoire,* Regensis episcopi. Idem, Lugduni, 29 Junii 1654, consecrationi Camilli, fratris sui, cooperat. Reperitur dein, 15 Aprilis 1655, altare B. Mariæ in ecclesia Macloviensi
1657 consecrans. Anno 1657, in Carnotensem cathedram transfertur. De eo plura, t. VIII, col. 1194.

LVI. Franciscus III.

DE VILLEMONTÉE.

Postquam ab uxore Franciscus discesserat sacris initiandus, a Ludovico rege creatus est Macloviensis episcopus anno 1657, consecratusque Parisiis 29 Junii 1660. Clero præfuit in Britanniæ comitiis, 26 Septembris 1669. Parisiis dein obiit, 16 aut 18 Octobris 1670.

LVII. Sebastianus.

DE GUÉMADEUC.

Thomæ filius et Ægidiæ *de la Fresnais,* eleemosynis reginæ matris Sebastianus primo præpositus fuerat, abbas S. Joannis de Pratis futurus ab anno 1650, posteaque, anno 1670, Vaurensis episcopus. Audita vero Francisci morte, regem adiit Vaurenses infulas depositurus, ut ab eo Macloviensem cathedram postularet. Macloviensis igitur

A creatur episcopus 31 Octobris 1670, consecrandus anno 1671, et urbem episcopalem ingressurus, eodem anno, 28 Octobris. Anno 1677, parthenonem Montis Cassinensis in 1677
Joscelini castro constituit, eique sororem suam præfecit. Parisiis, anno 1682, in cleri Gallicani conventu reperitur. Annis 1675, 1685, clero, in comitiis Britannicis, præfuit. Obiit in villa *Baignon,* 2 vel 4 Martii 1702.

LVIII. Vincentius Franciscus.

DESMARETS.

B Filius Joannis *Desmarets* et Mariæ *Colbert,* germanus etiam Nicolai, ærario publico præpositi, et Jacobi, Regensis episcopi, Vincentius Franciscus, centurionis gradum adeptus, arma deposuerat, et, postquam ecclesiasticæ militiæ nomen dederat, canonicatu donatus fuerat in ecclesia Rotomagensi. Macloviensis creatur episcopus 15 Aprilis 1702, 1702
et Parisiis consecratur 17 Septembris. Laudatur ab his, ab illis vituperatur, ut qui Jansenii sequacibus patrocinatus sit; quam ob rem et ob alia minoris momenti acerba lis inter eum et capitulum Macloviense fuit. His
C de dissidiis, multus apud *Ogée* sermo. De eisdem Vincentii ad Parisinum archipræsulem epistolam infra prælo dabimus. Clero, in Britannicis comitiis, præfuit annis 1707, 1711, 1713, 1717. Obiit 27 Septembris 1739, ætatis anno 81.

Ch. XIII, col. 241.

LIX. Joannes IV Josephus.

DE FOGASSE DE LA BASTIE.

Ex archidiacono Pinciacensi et abbate *Josaphat,* in Carnotensi ecclesia, nominatur Macloviensis præsul Joannes Josephus 14 Novembris 1739, consecrandus Parisiis 27 No-
D vembris 1740. Obiit 29 Januarii 1767. In Jansenistas, quibus antecedens Vincentius adhæsisse dicitur, is acerbe desæviit.

LX. Antonius Josephus.

DES LAURENTS.

Joanni Josepho vicarius ejus generalis Antonius Josephus successit: qui Parisiis consecratur 21 Augusti 1767. Abbas idem erat S. Jacuti et Silvæ Mellonis. Anno 1785, cœ- 1785
tui cleri Gallicani Parisiis interfuit, eoque anno, 15 Octobris, episcopalem urbem ingrediens, nervorum stupore sideratus cecidit.
E

LXI. Gabriel.

CORTOIS DE PRESSIGNY

Consecratur Gabriel 15 Januarii 1786. Qui anno 1790 superstes erat.

DECANI MACLOVIENSES.

Ex antiquis Alethensis vel Macloviensis ecclesiæ decanis pauci innotescunt. Imo incertum est an ipse decanus in Macloviensi capitulo primas olim tenuerit. Ab anno sane 1152, quo, Eugenio papa annuente, Victorinis canonicis capitularis auctoritas collata, suprema capituli dignitas penes Victorinorum priorem fuit. Hos inter Victorinorum priores occurrunt, anno 1152, Albertus, ad quem missæ Eugenii papæ litteræ, et B., forsan Bernardus, qui, anno 1219, cum Radulfo præsule de juribus pactus est. Anno tamen 1319, ut diximus, rerum ille status mutatur, et, juxta normam Turonensis ecclesiæ, sæcularium canonicorum cœtui decanus præesse jubetur. Ab eo tempore reperiuntur :

I. Philippus Redonensis, anno 1329, capellaniam B. Mariæ in ecclesia cathedrali condens.

II. Olivarius de Castellis, alias de Castellario, legitur 15 Januarii 1362, in litteris de relaxato interdicto quod in cives Maclovienses promulgatum fuerat. Idem, 3 Octobris 1384, subscripsit inito pacto inter episcopum Macloviensem et Joannem Britonum ducem; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 468.

Ch. xii, col. 242.

III. Amalricus *de la Motte* testis est, 14 Decembris 1406, Margaritæ *de Rohan* testamentum suum condentis; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 778. Eamdem eidem provinciam Olivarius Clissonensis demandavit, 5 Februarii 1407. Fit, anno 1409, Venetensis episcopus.

IV. Guillelmus *de Malestroit* e decano Macloviensi Briocensis episcopus eligitur, anno 1432 ineunte. Prohibuit vero Britonum dux ne ea dignitate potiretur. Itaque reperitur decani munere etiam tunc fungens 13 Januarii 1435.

V. Ægidius *de Québriac*, anno 1492, idem et abbas S. Jacobi.

VI. Antonius *Le Riche*, 13 Octobris 1513, contra Maclovienses cives litigabat; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 909.

VII. Franciscus *de Champ-Girault*, idem et abbas Sparnaci, in ecclesia Remensi; supra, t. IX, col. 286. Obiit anno 1538.

VIII. Servannus, alias Servatius, *May*, decanus jam Macloviensis, instituitur, 11 Junii 1574, vicarius generalis Francisci *Thomé*, episcopi. Obiit anno 1592. Post ejus mortem Jacobum *Charpentier* canonici elegerunt. Exhibuit vero Guillelmus *le Gouverneur* cessionem quam in ipsius gratiam Servannus fecerat, et pervicit.

IX. Guillelmus *Le Gouverneur* interest Britanniæ comitiis annis 1596, 1597, 1598, 1600, 1601, 1602, 1603, 1606, 1607. Turonibus reperitur, 15 Martii 1605; unde in generalem cleri Gallicani cœtum mittitur; ex arch. cleri Gallic., Alien. Turon. prov., t. II. Eadem legatione, anno 1608, functus est. Fit, anno 1610, Macloviensis præsul.

X. Guillelmus *Blanchart* comitiis Britannicis interest annis 1616, 1619, 1626.

XI. N. *Goret de la Villepepin* reperitur annis 1782, 1785, 1756.

VETERA MACLOVIENSIS ECCLESIÆ MONASTERIA.

I. S. Lunarius. S. Lunarius, Brito insulanus, in Armoricam appulsus, vicum *Pontual*, S. Maclovio de Insula proximum, ut aiunt, incoluit, in eoque monasterium exstruxit. Quod sub tempus ascetarum ea societas dissipata fuerit, incompertum habemus. Locus tamen hucusque S. Lunarii nomen retinuit, ibique sanctus vir peculiarem cultum habet.

II. S. Moakus. S. Moaki, vel, ut aliis placet, S. Machuti monasterium suppositis flammis evertit, octavo sæculo decurrente, Rivallonus, adjacentis agri toparcha. Id memorant qui vitam S. Thuriani scripsere. His autem minime certa fides adhibenda.

III. Danguernense Monasterium. A S. Maclovio conditum refertur, in loco postea *Guer* dicto. E Danguernensi quidem monasterio S. Maclovius in Alethensem cathedram transiit; eam postea Gurvalus, qui S. Maclovio successerat, deseruit, et Danguernensis eremita factus est. Ea autem admodum dubia: Abbatiæ S. Mevennii prioratus *Guer* deinde collatus est.

S. Maglorius Lehonensis. In ea domo, Dinanni sita, sex monachi degebant, anno 850, quorum misertus est Nomenoius dux, quosque nummis prædiisque simul auxit. Sub idem tempus unus ex his monachis in Sargiensem insulam tetendit, et ex ea corpus S. Maglorii detulit. Quare Nomenoius terrenas sancti viri exuvias cohonestare studens, præ memoratos monachos rebus amplioribus donavit, et sub abbatis proprii tutela vivere permisit. Qui primi fuerint S. Maglorii IV.

Lehonensis abbates, incertum relinquitur. His vero anno circiter 965 præerat Junanus, qui, Normannos fugiens, una cum Salvatore, Alethensi episcopo, Parisios se recepit, et in capella S. Bartholomæi, ex Hugonis ducis auctoritate, translatas e Britannia reliquias reposuit. Monachos ea quidem capella excipiens, ab eo tempore abbatia fuit S. Maglorio sacra, et ipse Junanus primus S. Maglorii Parisiensis abbas reperitur; supra, t. VII, col. 309. Nec multo post Lehonense monasterium Normanni occupavere : unde frequens olim incolis domus vacua permansit, donec, regnante Roberto, S. Maglorii Parisiensis possessionibus a Berengario comite adjungeretur. Tunc eo sex Parisiis missi sunt monachi, qui diu neglectas ædes reficerent. Deinde pristinam dignitatem affectaverunt Lehonenses, et, propemodum excussa Parisiensium tutela, quemdam abbatem sibimet præfecerunt. Memoratur Durandus abbas S. Maglorii Lehonensis, annum circiter 1170, in litteris Alberti, Macloviensis episcopi, super composita controversia inter Rollandum de Dinanno et Guillelmum abbatem S. Melanii; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 701. Anno vero 1182, ea de re inter Parisienses Lehonensesque acerrime litigatur. Ad quos conciliandos adhibita jam multorum opera, animorum majus dissidium fuit. Sub his tan-
A dem conditionibus deferbuerunt, ut S. Maglorii Lehonensis incolæ, a Parisiensium dominatu soluti, Majoretanis in posterum subjicerentur. Eam compositionem episcopus Macloviensis, Turonensis archipræsul et Henricus, Anglorum rex, probavere. Non parvum quidem fuit ab eo tempore Lehonensis prioratus nomen. Huic, anno 1186, Alanus vice-comes jura nonnulla tribuit : eidem, anno 1223, Gervasia, Dinannensis matrona, ecclesiam S. Maclovii Dinannensis contulit. Hujusmodi plura Majoris Monasterii chartularium præbet. In ea postea domo
B exordium sumpsit, anno 1604, clara Benedictini status reformatio, sub domni Natalis *Mars* auspiciis, cujus gregales Societatem Britannicam effecere. Historiam Societatis Britannicæ exhibet cod. S. Germ. Residuus, fasc. 121, n. 5.

MONS CASSINENSIS. Ea virginum Benedictinarum abbatia regiis litteris instituitur anno V.
1677, in castro Joscelini, secundum vota Sebastiani *de Guemadeuc*, Macloviensis episcopi. Prima hujus loci abbatissa fuit Suzanna *de Guemadeuc*, Sebastiani soror primogenita. Post eam reperitur Suzanna
C Eleonora *de Guemadeuc*, antecedentis neptis. Non multo post vero ea abbatia in prioratum desinit, a viginti circiter puellis habitatum.

ABBATIÆ SUPERSTITES [1].

Sunt illæ numero quinque.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

S. Mevennius, *S. Meen.*

ORDINIS S. AUGUSTINI.

Virorum.

S. Jacobus de Monte Forti, *Montfort.*
S. Joannes de Pratis, *S. Jean des Prés.*
Bellus Locus, *Beaulieu.*
B. Maria de Pane Pontis, *Painpont.*

S. MEVENNIUS.

S. Mevennius, Brito insulanus, in Armoricam venisse refertur una cum S. Sansone, primo Dolensis ecclesiæ pastore, et optimum sub eximii magistri disciplina monachicæ vitæ tirocinium posuisse. Hæc aliaque de S. Mevennio veteres recentesque hagiographi memorant : ea autem, seu vera, seu commentitia sint, hic transcribere operæ
D pretium non est; id solum ad nostram rem spectat, Mevennium scilicet, postquam e Dolensi monasterio facesserat, in eremum *Gael*, alias *Wadel* nuncupatum secessisse, et adjutore *Cadvou*, loci domino, monasterium ibi novum ecclesiamque S. Joanni-Baptistæ sacram ædificavisse. Eo tempore Judicael, Hoelli regis filius, supremi imperii pertæsus, habitum monachicum induit, seque S. Mevennio discipulum addixit. Benedictini dicuntur antiquiores domus hospites, e litteris præ memorati Judicaelis eorum possessiones augentis. Hæ vero litteræ fide prorsus
E carent. Obiisse fertur Mevennius 20 Junii 617. Qui post eum primi fuerint abbates incompertum habemus. Nec certiores sumus quos sub annos, ante noni sæculi initium, primæva monasterii tecta ruinam fecerint. Anno, ut opinantur, 816, Ludovicus rex ecclesiam S. Mevennii et S. Judicaelis (nam Joanni-Baptistæ loci patronatum populus abrogaverat, et ipsis ecclesiæ conditoribus contulerat) Helogaro dono dedit, jamque Ch. I, col. 233
resurgentis monasterii bona confirmavit. Hæ quidem Ludovici litteræ nos docent dirutarum ædium restaurationem temporibus Caroli Magni inchoatam fuisse, eamque anno

(1) Usque ad annum 1790.

853 consummatam novimus e chartula Erispoii de præcipuis Rotonensium juribus, quæ in ipso S. Mevennii cœnobio data legitur. Deinde vero Alethensem agrum Normanni occupavere, et S. Mevennio cladem alteram attulere. Anno tandem 1008, Geoffrido duce mortuo, Alanus Eudoque, ejus filii, hæreditarium imperium gladio tueri coacti sunt, qui, in eo ut cum hostibus manus consererent, Hinguethenum, abbatem S. Jacuti, vocaverunt, eique SS. Mevennii et Judicaelis ecclesiam condonaverunt, ea sub lege ut eo monachos acciret S. Benedicti instituta professos; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 358. Tertium tunc temporis domus exordium habuit. Quæ, labentibus annis, fortunam potius faventem quam adversam experta est. Anno 1626, 5 Novembris, Petrus *Cornulier*, episcopus Redonensis abbasque S. Mevennii, Societatis Britannicæ sodales in abbatiam introducit. Mox autem, dissipata Societate Britannica, congregationi S. Mauri anno 1628 unitur. Ab eodem abbate constructum hospitium, ubi pauperes peregrinique exciperentur, qui usque eo terrarum S. Mevennium intercessorem oraturi e remotissimis regionibus deveniebant. Achilles vero *de Harlay,* Petro succedens, S. Lazari fratres, monachis S. Benedicti ablegatis, in ea domo constituit, Augusto mense 1645. De qua rerum mutatione vehementissime litigatum est, ut legere est in S. Germani Residuo cod., fascicul 112, num. 7. Abbatis vero, disputata sæpius causa, auctoritas prævaluit, et, mense Martio 1646, litteris publicis ædes, claustra bonaque monachorum S. Lazari sodalibus addicta fuere. Nec tamen is fuit tanti dissidii finis, namque monachi, quibus senatus Britannicus favebat, rursus in S. Mevennii claustra fractis januis rediere. Iterata tamen sententia exinde expulsi sunt. Abbatum nihilominus series usque ad exitum postremi sæculi ducitur : pastoris enim mensa, vel post gregis discessum, integra permansit.

Obituarium S. Mevennii digessit Joannes *de Vignac,* sexto decimo decurrente sæculo. Quod præbet Max. Paris. Bibliothecæ spectabilis codex, Suppl. Lat., num. 253². Nec sinu fructu seriem abbatum a R. P. *Lelarge* descriptam consuluimus, in Albor. Mantell. cod. 86 C.

SERIES ABBATUM.

I. S. Mevennius, abbatiæ conditor, accitis ab ipso monachis præfuit. Obiit 21 Junii; e Proprio Venetensi.

II. Helogarus episcopus Alethensis et abbas S. Mevennii temporibus Caroli Magni fuit, ut constat e litteris a Ludovico imperatore datis, anno 817.

Non multo post vero irruere Normanni, a quibus eversa domus. Ea deinde a Geof-
A fridi filiis restaurata, novam abbatum seriem inchoavit

III. Hinguetenus, vel Hinguestinus, abbas S. Jacuti, qui, anno 1008, ecclesia S. Mevennii donatus, monachos in ecclesiam sibi traditam vocavit, et sublapsas ædes refecit. Aprili mense decurrente decessit; ex obituario S. Mevennii.

IV. Robertus I memoratur abbas loci secundus, in obituario S. Mevennii, Januario mense.

V. Eudo conjectura post Robertum ponitur, qui in obituario reperitur mense Sep-
B tembri.

VI. Judicael I, ante annum 1052, testis fuit *Glevian,* Beconensis optimatis, Rotono altare B. Mariæ de Fossaio condonantis. Ejusdem Petrus *Lebaud* meminit, sub annum 1065. In obituario S. Mevennii Septembri mense legitur.

VII. Gelbaudus, ex eodem obituario, obiit mense Decembri. Nec tamen certum est hunc abbatem Judicaeli successisse.

VIII. Hervæusne ipse sub id temporis collocandus? Ejus obituarium abbatiæ meminit, Januario mense.

C IX. Brientius occurrit, anno 1092, in charta qua comes Odo decimas quasdam Rotonensi monasterio largitur. Obiit mense Decembri; ex abbatiæ necrologio.

X. Guillelmus I memoratur XIII cal. Julii 1101, testis Gualterii reliquias a fratre Riocro missas in ecclesia *Lohéac* collocantis; e Clyp. Fontebr. ord., t. I, p. 121. Anno 1111, mense Novembri, Andegavi reperitur, litteris Benedicti, Alethensis episcopi, subscribens, quibus S. Nicolao S. Petri Dinannensis altare condonatum.

XI. Jostho temporibus Donoaldi præsulis
D et Guarnerii, Majoretanorum abbatis, inter annos 1137 et 1144, præ memorati episcopi litteris subscripsit, quibus Majori Monasterio data tertia pars ecclesiæ S. Grualdi.

XII. Henricus e sede sua dejectus a monachis, necnon a Joanne præsule, refertur. Cui postquam Robertum suffecerant, peractam rem Turonensis metropolita primo probavit. Dein autem idem archipræsul semet infensum Roberto præbuit, eumque pedum deponere jussit. Unde lis ad forum apostolicum delata, de qua consulendus Petrus
E Cellensis, Epist. lib. 1, epist. 6. Composuere tamen, ut videtur, duo abbates, quorum Henricus dictus est abbas S. Judicaelis, Robertus abbas S. Mevennii. Eo nomine subscripsit Henricus, anno 1163, litteris Joscii Turonensis archiepiscopi, inter magistrum Templi Aufredum et monachos S. Melanii litem dirimentis; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 84.

XIII. Robertus II, anno 1163, occurrit in supra laudata Joscii charta. Testis idem legitur in sententia de jurgiis inter monachos

S. Michaelis et Bernardum presbyterum, una testibus Stephano, Redonensi præsule, et Rollando, Abrincensi decano, inter annos scilicet 1169 et 1177; ex Alh. Mant. cod. 86 B, fol. 579. Anno 1184, bullam a Lucio papa obtinuit, qua confirmata cœnobii bona. Non nnius Roberti abbatis martyrologium S. Mevennii meminit.

XIV. Rollandus confirmationem domesticarum rerum a Cœlestino papa obtinuit, xvii cal. Junii 1192. Decessit Januario mense; ex abbatiæ necrologio.

XV. Petrus I subscripsit, anno 1206, chartæ Guillelmi qua condita ecclesia Guerchiæ collegiata; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 806.

XVI. R., quem Robertum III conjectura nuncupant, reperitur anno 1220, in schedula Pagani de Malestricto cum Majoretanis paciscentis; e chartul. Maj. Monast.

XVII. Bartholomæus obiit mense Julio; ex abbatiæ necrologio.

XVIII. Radulfus I *Laese* in eodem necrologio memoratur Decembri mense. Dubium tamen videtur an Bartholomæus Radulfusque sub id temporis ponendi.

XIX. Judicael II, dictus *de Tremoray*, societatem fecit anno 1296 cum abbate S. Michaelis. Obiit 16 Augusti; e necrologio Landevenechi.

XX. Olivarius I *de S. Maloo* pepigit, anno 1312, de decimis S. Eligii; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1242. Idem, anno 1314, inter optimæ fidei viros reperitur quibus Montifortensis toparcha testamentum suum exsequendum crediderat. Nominatur, 22 Decembris 1320, in litteris Alani, Macloviensis episcopi; ibid., col. 1297. Obiit 10 Junii 1330; ex obituario S. Jacobi.

XXI. Jacobus I *Payen* decessit Decembri mense; ex eodem.

XXII. Guillelmus II, e priore Vitreii, a Clemente papa VI commendatur 29 Januarii 1344.

XXIII. Radulfus II sub id temporis forsan collocandus, cujus necrologium S. Jacobi 27 Octobris meminit.

XXIV. Alanus *Le Roux*, alias *Rufy*, innotescit anno 1369 ex instrumento cujusdam fundationis a Guillelmo *Levesque* peractæ. Obiit 29 Augusti 1374; e necrologio S. Jacobi de Monte Forti.

XXV. Petrus II Alano, ut videtur, successit. De eo sic, Augusto mense, S. Mevennii necrologium : « Petrus abbas hujus loci, et « post episcopus Dolensis. »

XXVI. Guillelmus III *Glé* ratum habebat, 24 Aprilis 1381, pactum Guerrandiæ initum; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 276. Anno 1385, cum Radulfo Montifortensi de quodam aggere litigavit. Anno dein 1391, in abbatialem S. Melanii sedem translatus est.

XXVII. Guillelmus IV *Le Roux*, alias *Ruffier*, obiit mense Martio 1400; e S. Mevennii

A necrologio. Idem fuit abbas Troncheti.

XXVIII. Guillelmus V *Servot* decessit 18 Martii 1431; e necrologio supra laudato.

XXIX. Olivarius II *Servot* obiit 7 Martii 1441; ex abbatiæ necrologio.

XXX. Robertus IV *de Coëtlogon*, filius Olivarii, domini *de la Gaudinaye*, abbatiam per annos quinquaginta, commendatariorum primus, rexit. Memoratur, 19 Augusti 1443, in absolutoriis tabellis pro Matthæo, abbate S. Melanii. Eum, anno 1484, Joannes præsul coram duce compulit variis criminibus impetitum. Quibus ut videtur, semet

B purgavit. Ditissimus erat, et ejus divitias thesaurarius *Landais* nimio studio conquisiverat. Ut vero Robertus, thesaurarii industria nummis suis spoliatus evasit, nullus ab eo tempore ejus de delictis sermo fuit. Obiit 30 Aprilis 1492; e necrologio. Abbatiam supellectili pretiosissima ornaverat, et fere regularem vitam etsi commendatarius vivens, summam apud monachos laudem comparaverat, adeo ut *bonus abbas* vulgo, vel post mortem, nuncuparetur. Lege Residuum S. Germani codicem, qui, in fascic. 112, sub

C num. 7 inscribitur.

XXXI. Petrus III *de Laval*, archiepiscopus Remensis et Macloviensis episcopus, obiit 14 Augusti 1493.

XXXII. Robertus V *Guibé*, Nannetensis præsul, ab anno 1493 usque ad annum 1513.

XXXIII. Franciscus *Hamon*, episcopus Nannetensis, occurrit anno 1515. Vicario usus est Andrea, germano, electo Venetensi. Obiit anno 1532.

XXXIV. Renatus *du Bellay* ab anno 1532. Episcopus Cenomanensis fuit.

XXXV. Joannes I *Jouvenel des Ursins* se fidum regi juravit, Parisiis, 6 Novembris

D 1540; apud *Padioleau*, p. 117. Idem postea Trecorensis fuit episcopus.

XXXVI. Ponthus *de Brie*, abbas S. Mevennii et Lucheii prior, transegit 18 Novembris 1542, cum Theobaldo *de Jonchères*; e chartulis ad S. Albinum spectantibus. Semet fidum regi juravit anno 1543. Idem reperitur 24 Septembris 1554, prior commendatarius S. Petri de *Mées*, in Andegavensi diœcesi.

XXXVII. Carolus I *de Bourbon*, archiepiscopus Rotomagensis, anno 1560; qui cessit in gratiam sequentis.

XXXVIII. Jacobus II *Heluis*, dictus *de la*

E *Roche-sur-Yon*, qui, favore Caroli de Borbonio, ad suprema Gallicanæ ecclesiæ munera pervenit. Hunc quære inter episcopos Lingonenses; supra, t. IV, col. 635. Perperam antecessores nostri obitum ejus in anno circiter 1568 conjectura collocaverunt. Sedes enim S. Mevennii recenti Jacobi decessu vacua legitur 4 Augusti 1565, in litteris regiis quas *Padioleau* publici juris fecit. Non prorsus aliter in obituario S. Mevennii 26 Martii 1565 decessisse memoratur.

XXXIX. Carolus I *de Bourbon* post Jacobum rursus abbatia potitur. Occurrit annis 1572, 1573, 1574.

XL. Petrus IV *de Raganne* reperitur in Nannetensibus comitiis 25 Septembris 1579. Eodem anno regi fidem dederat.

XLI. Joannes II *Heluis* occurrit anno 1585.

XLII. Joannes III *Picaut* decessisse fertur anno 1592.

XLIII. Joannes IV *d'Espinay* reperitur anno 1600. Cessit anno 1601.

XLIV. Petrus V *Cornulier* ex abbate S. Crucis fit abbas S. Mevennii, 6 Julii 1601. Memoratur annis 1604, 1605, 1606, 1607, 1608, 1609, 1610, 1616, in Britanniæ comitiis. Eo anno 1616 Trecorensis præsul creatur, futurus dein Redonensis. Obiit anno 1639.

XLV. Achilles *de Harlay*, episcopus Macloviensis, S. Mevennio donatur Augusto mense 1639. Per Ludovicum regem ei licitum, 20 Octobris 1643, ut in abbatia seminarium ecclesiasticum conderet, quod sub regimine sodalium S. Lazari constituit. Obiit 20 Novembris 1646.

XLVI. Ferdinandus *de Neufville*, Macloviensis et dein Carnotensis episcopus, ab anno 1646. Munere semet abdicavit, anno 1675, in gratiam sequentis.

XLVII. Carolus II Ferdinandus *de Champlais de Courcelles*, antecedentis nepos e sorore, abbatiam obtinuit 17 Septembris 1675; ex Indice beneficiorum Turonensium. Obiit Parisiis 8 Julii 1698.

XLVIII. Antonius *Fagon*, archiatri celebris filius, ab anno 1698; idem abbas Boheriarum, in ecclesia Laudunensi, ab anno 1705. Evectus fuit non multo post in Lombariensem cathedram, dein in Venetensem. Decessit 16 Februarii 1742.

XLIX. Gilbertus Gaspardus Blasius *de Chabannes*, summus vicarius Nivernensis et Lingonensis ecclesiarum, anno natus 1712, S. Mevennium obtinuit anno 1742, quo se abdicavit anno 1745, et transiit ad Bonum Portum, in Ebroicensi diœcesi.

L. N. *de Guersans*, Redonensis ecclesiæ generalis vicarius, a Junio mense 1745 usque ad annum 1764.

LI. N. *de Mostuéjols* ab anno 1764. Anno sequente abdicavit.

LII. N. *Vendomois de S. Aubin*, scholasticus Redonensis, ab anno 1765 usque ad annum 1771.

LIII. N. *Descognets*, summus Corisopitensis ecclesiæ archidiaconus, sedebat anno 1790.

S. JACOBUS DE MONTE FORTI.

Bedensem parochiam, juxta fluvium Modonem, nec longe a castro Montis Fortis, monachi S. Melanii suo sub jure tenebant. Anno autem 1152, postulante Guillelmo, Montis Fortis toparcha, Guillelmus, abbas S. Melanii, ut in eo loco canonicorum conventus fieret concessit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 613. Surgentem domum Guillelmus Montifortensis opulentis prædiis postea donavit. Cujus ad exemplum plures laici clericive, in circumjacentibus agris degentes, eisdem fratribus alia sub idem tempus tradidere, ut ex instrumento totam rem enarrante comperimus; ibid. Ecclesia dein B. Jacobo sacra hoc initium sortita est: 1 Maii 1152, Geoffridus, junior Guillelmi dynastæ filius, primum lapidem posuit; secundum Radulfus, ejusdem filius major natu; tertium ipse Guillelmus; quartum Amicia, uxor ejus. Accitis eo canonicis Bernardus, præ memorati optimatis capellanus, prioris nomine ab exordio præfuit. Elapsis dein quatuor annis, Joannes, episcopus Macloviensis, ecclesiæ majus altare consecravit, Bernardumque e priore abbatem instituit; ibid., col. 615. Idem eo tempore Guillelmus Montifortensis canonicorum vestem induit, et in abbatia ipsiusmet curis et sumptibus erecta extremum spiritum exhalavit. Sex eam domum canonici inhabitasse memorantur, quibus ipse Bernardus regulam Aroasiæ, apud Atrebatenses, observatam imposuerat. Hanc regulam Martenius edidit.

Seriem abbatum S. Jacobi, a R. P. *Lelarge* conscriptam, exhibet Alb. Mantell. codex 86 *C*. De eisdem insuper consulendus ejusdem armarii codex 41.

SERIES ABBATUM.

I. Bernardus abbas salutatur a Joanne, Macloviensi episcopo, annum circa 1156. Ipse memorat Bernardus se plura a Joanne supradicto dona accepisse, in chartula quam præbet Albor. Mantell. codex 41, p. 420. Adfuit Redonibus Bernardus, 24 Februarii 1169, qua die sopita lis a Stephano episcopo inter capitulum Redonense et monachos S. Melanii; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 659. Obiit 22 Septembris; ex abbatiæ necrologio.

II. Joannes I de Valnosya, e nobili stirpe oriundus, pacto cuidam subscripsit inter Rollandum de Dinanno et Guillelmum, abbatem S. Melanii; ante annum, ut videtur, 1180, post quem nulla Guillelmi inter chartulas S. Melanii mentio reperitur. Idem Joannes in chartulario Majoris Monasterii memoratur una cum Alberto, Alethensi episcopo. Dein subscripsit, anno 1185, litteris Petri præsulis S. Melanio ecclesiam *Ploilan* confirmantis. Anno 1186, Andegavi reperitur, litem, mandato sedis apostolicæ, dirimens inter episcopum Andegavensem et monachos S. Sergii; e Sergianis chartulis. Occurrit tandem, anno 1187, testis sedati jurgii inter Ma-

joretanos et Macloviensem episcopum; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 709. Nec multo post Dolensis episcopus electus est.

III. Tualdus e priore Panis Pontis, Benedictinus monachus, a Cœlestino papa Joanni suffectus est. Eum autem ægre canonici susceperunt, et successive duos abbates, amoto aliquantisper Tualdo, Brescellum scilicet et Guillelmum de S. Malgando, pastorali baculo donaverunt. Brescellus memoratur 22 Aprilis in obituario S. Jacobi. Guillelmus de S. Malgando accepit, anno incerto, a Joanne Dolensi præsule, ecclesiam *Lamnoas*. Guillelmi tempora novimus e litteris Joannis alterius, Dolensis identidem episcopi, qui, anno 1220, ab antecessore suo Joanne datam ecclesiam *Lamnoas* confirmat. Illa igitur confirmatio a Joanne *de La Mouche* edita fuit; donatio vero Joannem *de Vaunoise* auctorem sibi vindicat. Ex his chartulis, quas servat Albor. Mant. codex 41, p. 425, concludimus Guillelmum ante annum 1190 jam S. Jacobo præfuisse. Reperitur dein Guillelmus, anno 1198, in chartula Geoffridi de Castro Brientii pro canonicis S. Michaelis. Ejus martyrologium abbatiæ meminit 20 Januarii. Tualdus igitur diu prohibitus est, ne, mandato parens apostolico, abbatiæ clavum moderaretur. Anno tandem 1199, Redonibus occurrit, chartulæ subscribens qua ecclesia *Guer* Amalrico de Monte Forti adscribitur; e tabulis Panis Pontis, in Albor. Mant. cod. 39, p. 469. Nannetibus inde, anno 1200, sententiam edidit, qua monachis S. Melanii adscriptus ecclesiæ *Brehant* patronatus; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 72. Eodem anno, testis est Guillelmi, Montis Fortis toparchæ, damnum compensantis quod monachis S. Melanii intulerat; ibid., p. 84. Prioratum Tualdus Panis Pontis, qui S. Mevennio subjectus erat, ex auctoritate apostolica in abbatiam convertit, et in eam canonicos intromisit. Decessit VI cal. Martii, anno incerto; e martyrologio Panis Pontis: 11 Maii; e S. Jacobi necrologio.

IV. R. occurrit, anno 1210, querelam sopiens inter Radulfum de Monte Forti et filium ejus Eudonem. Abbatem hunc, de quo silet vetus catalogus, Robertum opinamur qui sedit anno 1220. Vide infra.

V. Guillelmus I de Ponteuneto super Britoneria capella pactus est, anno 1216, cum monachis S. Melanii; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 91. Obiit 26 Martii; ex abbatiæ necrologio.

VI. Evenus reperitur 3 Novembris 1217. Obitus ejus diei 12 Aprilis adscribitur.

VII. Robertus I *de S. Goulay* transegit, anno 1220, cum Joanne de Dolo. Memoratur insuper in tabulis annis 1224, 1227. Anno dein 1235, societatem precum iniit cum canonicis Omnium Sanctorum. Obiit 27 Septembris.

VIII. Radulfus I, antecedentis nepos, anno 1265, prædictam societatem iterum sancivit cum Guarino, Omnium Sanctorum abbate. Decessit 31 Octobris.

IX. Geoffridus *Le Maynart* occubuit 21, aut 22 Octobris 1296.

X. Joannes II *de Belleville* occurrit anno 1296 in tabulis S. Melanii. Anno 1303, latam contra Bonifacium VIII sententiam probavit. Eodem anno, arbiter fuit cujusdam jurgii inter Guillelmum de S. Ægidio et canonicos Maclovienses. Obiit 2 Januarii 1328.

XI. Radulfus II *Le Molnier*, e priore Bretoneriæ, Joanni successit. Ille, decedente Radulfo, Montis Fortis toparcha, curator ejus testamenti dicitur, anno 1314; ex Alb. Mantel. codice 36. Inceptam ab antecessore suo ecclesiam Radulfus continuavit. Occurrit in apochis annorum 1321, 1322. Decessit 13 Junii 1332.

XII. Radulfus III *Dolnoir*, doctor decretorum, laudatur et ipse consummandæ ecclesiæ curam impendens. Legitur pratum sub census conditione tradens, anno 1343. Decessit 27 Junii 1360.

XIII. Radulfus IV *Quernon*, e Baulonensi priore abbas institutus est litteris apostolicis II id. Octobris 1360; apud Suaresium. Obiit anno 1362.

XIV. Petrus *Adeline*, electus anno 1362, quo vidit litteras Guillelmi de Monte Forti usuarium jus abbatiæ tribuentis in nemore *Coullon*. Occurrit insuper annis 1363, 1366, 1374, 1376, 1382, 1385, prædia complura sub lege census tradens. Idem, anno 1379, conciliat abbates Panis Pontis et Pontis Octranni, et, anno 1395, reperitur in instrumentis ad Universitatem Andegavensem spectantibus; *Ordonn. des Rois de France*, t. VIII, p. 253. Andegavi Petrus decessit, 12 Septembris 1401.

XV. Guillelmus II *Guiho* ex abbate Panis Pontis in abbatiam S. Jacobi transfertur anno 1401. Occurrit in tabulis, annis 1406, 1409, decessurus V id. Novembris 1410; e necrologio Panis Pontis.

XVI. Bertrandus I *Harel*, antea prior Roullcii, in Macloviensi diœcesi, Joanni, Britonum duci, litteris commendatur apostolicis, II id. Februarii 1411. Quo transegit anno cum Guillelma, Capellæ domina. Occurrit idem annis 1415, 1416, 1419, 1423, 1424, 1425. Bertrando cœnobium moderante, anno 1428, Guillelmus, Macloviensis episcopus, monachorum ecclesiam consecravit. Decessit 28 Januarii 1448.

XVII. Robertus II *Hubert* ab Alano, cardinali sub titulo S. Praxedis, pontificalium insignium usum obtinuit anno 1456. Obiit 23 Novembris 1463.

XVIII. Joannes III *de la Douesnelière* decessit 13 Octobris 1472.

XIX. Bertrandus II *de la Douesnelière*, avunculus supradicti Joannis, occurrit, an-

no 1477, litigans ante senescallum Montis Fortis ob ruptum aggerem; ex Alb. Mantel. codice 36. Memoratur idem 20 Maii 1483, obiturus 26 Aprilis 1484.

XX. Brientius *de la Douesnelière*, Joannis e fratre nepos, litteras exhibuit pontificias 16 Augusti 1485. Elegerant canonici Guillelmum *Piedevache*, cujus electionem Macloviensis episcopus ratam habuerat. Pro sua parte Britonum dux administrationem abbatiæ Ægidio *de Coëtlogon* detulerat. Inde lites intervenerunt. Quibus compositis, ipse Brientius anno 1487 abdicavit.

XXI. Ægidius *de Québriac*, decanus S. Maclovii, abbas S. Jacobi commendatarius creatur ab Innocentio papa VIII. In tabulis anno 1492 reperitur. Dein obiit, ut quidam memorant, 16 Decembris 1508. Hujus autem 1 Aprilis et 1 Maii meminit necrologium S. Jacobi.

XXII. Guido *Le Clerc de Juigné*, jam abbas Rotæ, commendatarius abbas S. Jacobi dictus est anno 1509. Translatus est in Leonensem cathedram anno 1514.

XXIII. Guillelmus III *de Cacé*, alias *de Tacé*, regi ab eleemosynis, electus est a canonicis. In pontificiis vero bullis commendatarius dictus est. Litigavit cum Francisco *de Laval*, episcopo Dolensi, qui abbatiam S. Jacobi sibi vindicabat, obiitque 8 Julii 1535.

XXIV. Carolus *Pineau*, doctor theologiæ et S. Dominici gregi adscriptus, S. Jacobo a Francisco rege dein præficitur. Bullas vero pontificias non nisi veste mutata obtinuit. Consecratus est, 28 Aprilis 1538, a Joanne, Andegavensi præsule, et fidem dedit 21 Maii 1541. Idem fuit summus Dolensis ecclesiæ vicarius et episcopus Castoriæ. Decessit mense Martio 1550.

XXV. Rollandus *de Neufville*, filius Reginaldi, domini *du Plessis-Bardoul*, et Carolæ *Ruffier*, abbatia donatus est anno 1550. Reperitur fidem regi spondens, anno 1561. Clavum abbatiæ rexit usque ad annum 1609, quo abdicavit in gratiam sequentis. Idem fuit Leonensis episcopus. Ex ejus epitaphio desumitur eum per annos unum et sexaginta abbatiæ S. Jacobi præfuisse.

XXVI. Joannes IV *de Tarnouarn*, antecedentis nepos, bullas obtinuit anno 1609 et possessionem adiit 10 Januarii 1610. Postquam is reformationem Canonicorum Regularium in abbatiam introduxerat anno 1637, vel 1638, decessit 17 Septembris 1663. Interfuerat Britanniæ comitiis annis 1613, 1616, 1617, 1618, 1619, 1620, 1621, 1622, 1623, 1628, etc, etc. In eis clero præfuit 4 Decembris 1640.

XXVII. Joannes V Jacobus *d'Obeilh*, doctor Sorbonnicus, necnon episcopus Arausicanus. Munus adiit 26 Februarii 1665, et obiit Augusto mense 1720.

XXVIII. N. *de Marbœuf* creatus memoratur abbas 8 Januarii 1721.

XXIX. N. *de Champlais* ab anno 1725. Decessit anno 1786.

XXX. Claudius *Fauchet*, nominatissimus divini verbi præco, ab anno 1787 usque ad annum 1790.

S. JOANNES DE PRATIS.

Abbatia S. Joannis, in castello Joscelini, duodecimo sæculo condita refertur. Eam nonnulli a *Porhoët* toparchis exstructam asserunt. Dubia autem res est. Quinimo incertum relinquitur an primum monachos canonicosve exceperit. Abbatiam castri Joscelini eam veteres nuncupaverunt. Annis vero 1168 et 1175, irruentibus Anglis, castellum hoc funditus subversum est. Ab illo tempore quis fuerit abbatiæ status ignoratur, donec, tertio decimo sæculo exeunte, in ea canonici reperiantur S. Augustini regulam professi. Exigua semper ea domus fuit et incolis parum frequens. Anno 1779, duos tantum in ea superstites canonicos *Ogée* memorat. Mense Julio 1663, S. Genovefæ reformationem admiserat.

Jam seriem abbatum e schedis R. P. *Lelarge* descripsit R. P. *des Hayes*. Consule Albor. Mant. codicem 86 *(*.

SERIES ABBATUM.

I. Jud., forsan Judicael, sedit inter judices, qui, cum Joanne Macloviensi et Guillelmo Cenomanensi præsulibus, monachos Trenorchienses et episcopum Nannetensem conciliavere.

II. Guido I reperitur, anno 1163, in charta Joscii, Turonensis archiepiscopi, inter abbatem S. Melanii et Aufredum, magistrum Templi, pacem facientis; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 84. Testis idem fuit, anno 1172, Alberti, Macloviensis episcopi, plura monachis Comburnii jura condonantis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 667.

III. A. occurrit in tabulis Panis Pontis, anno 1199; ex Alb. Mant. cod. 39, p. 469.

IV. Nicolaus, anno 1303, adhæsit sententiæ contra Benedictum VIII latæ; e Max. Gall. Arch., J, 483. Obiit 17 Januarii; ex obituario Montis Fortis.

V. Matthæus obiit, ut videtur, anno 1354.

VI. Petrus I Matthæo defuncto sufficitur litteris Innocentii papæ VI, VI non. Maii 1354; apud Suaresium. Gentilitio cognomine *le Bart* a quibusdam dicitur.

VII. Robertus I *Lescuyer* occurrit anno 1405 claustrum ædificans. Memoratur etiam anno 1447.

VIII. Guido II *de Coëtlogon* transfertur in abbatiam Panis Pontis anno 1452.

IX. Joannes I *de la Bouère* desumitur e tabulis Panis Pontis anno 1454; Alb. Mant. cod. 39, p. 464. Summi vicarii munus implevit in ecclesia Macloviensi. Superstes erat, ut ferunt, anno 1471.

X. Robertus II *de Brede* Joanni successit; e catalogo R. P. *Lelarge*.

XI. Petrus II *Bihoulier* ab anno 1476 usque ad annum 1492; ex eodem.

Eo defuncto, canonici Mathurinum *Delorme* elegerunt; summus vero Pontifex Joannem *Bohier*, jam abbatem S. Gildasii de Nemore, nominavit. Unde lis; qua, ut videtur, pendente, dubium jus Joannes in Ægidium sequentem transtulit.

XII. Ægidius *de Coëtlogon*, Montis Fortis canonicus, bullas obtinuit 9 Novembris 1495. Commendatarium eum papa declarat abbatem. Nuper defunctus legitur in litteris pro Philippo *de Montauban*, Britanniæ cancellario, adversus canonicos S. Joannis litigante, datis 13 Aprilis 1507; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 885.

XIII. Guillelmus *Grimaud*, idem et decanus S. Juliani Andegavensis, abbatiam titulo commendæ, anno 1507, obtinuit. Anno 1526, testamentum Jacobi *de Rohan* ei exsequendum demandatur.

XIV. Ludovicus I *Grimaud*, antecedentis e fratre nepos, ejusdem adjutor ab anno 1533, abbatia potitur anno 1536.

XV. Ludovicus II *de Pommeleuc* ab anno 1540. Reperitur anno 1541.

XVI. Antonius *de Senecterre*, Arvernus, anno 1545 occurrit. Multis jam beneficiis dives in Aniciensem cathedram Junio mense 1561 promotus est. Jam vero S. Joannem dimiserat.

XVII. Joannes II, alias Jacobus *de Senecterre*, abdicante fratre, regi fidem dedit anno 1561. Vacua legitur abbatia anno 1565; apud *Padioleau*, p. 177.

XVIII. Martinus *de Beaune de Semblançay* ab anno 1565. Abdicavit anno circiter 1567 in gratiam sequentis, quo vicario usus erat.

XIX. Petrus III *Foullé de Marzy*, eleemosynis reginæ matris præfectus, fidem regi dedit 6 Aprilis 1568, et 25 Februarii 1576. Occurrit in Venetensibus comitiis, anno 1577; in Ploermelensibus, anno 1580; in Redonensibus, anno 1588. Obiit Parisiis anno 1594.

XX. Samuel *Cyrano* nominatus anno 1594 protinus abdicavit in gratiam sequentis.

XXI. Petrus IV *Pigueray*, alias *Pigray*, possessionem adiit anno 1595. In Britannicis comitiis sedit annis 1600, 1601, 1602, 1604, 1606, 1607, 1608, 1609, 1610, 1612, 1613, 1616, 1617, et 22 Octobris 1618. Obiit anno 1619. Fidem regi spoponderat anno 1602.

XXII. Claudius *Blondeau*, cleri Franciæ syndicus ac regis eleemosynarius, ab anno 1620 usque ad annum 1643, quo decessit. Idem abbas fuit Ungiaci in ecclesia Augustodunensi. Reperitur anno 1624 in Britanniæ comitiis.

XXIII. Octavius *de Blanchefort*, archidiaconus Senonensis, nominatur in ecclesia S. Laurentii 4 Novembris 1643. Bullas obtinuit nonis Aprilis 1644. At jure suo cessit in favorem sequentis.

XXIV. Sebastianus *de Guemadeuc*, dein Macloviensis episcopus, ab anno 1650. Obiit 2, vel 4 Martii 1702.

XXV. Joannes III Ernestus *de Loweinsteyn*, ab anno 1702. Possessionem adiit 28 Novembris 1703. Episcopus Tornacensis fuit ab anno 1713 et obiit anno 1731.

XXVI. N. *de Brilhac* filius Petri, qui senatui Britanniæ præerat, creatur abbas mense Novembri 1731. Sedit usque ad annum 1784.

XXVII. N. *Jacquelot du Bois-Rouvray*, thesaurarius ecclesiæ Venetensis, ab anno 1784 usque ad annum 1790.

BELLUS LOCUS.

Abbatiam hanc, ab octo canonicis Augustinianis incolendam, anno circiter 1170, Alberto Macloviensem cathedram occupante, Rollandus de Dinanno condidit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 663. Eo jam tempore prædium a Rollando canonicis traditum Bellus Locus nuncupabatur : id tamen Pons Pilardi veteribus in chartulis non semel vocatur. Conanus dux Bellilocensibus hospitibus favit. Deinde Constantia, Conani filia, a Rollando, Alano Geoffridoque, Dinannensibus dynastis, data confirmavit; e diplomat. castelli Nannetensis, arm. *R*, caps. *c*. Reformationem S. Genovefæ Bellus Locus admisit 21 Augusti 1659. Ibi tres tantum canonici anno 1790 memorantur.

Seriem abbatum Belli Loci, a R. P. *Lelarge* conditam, servat Albor. Mantell. cod. 86 *C*.

SERIES ABBATUM.

I. E. occurrit anno 1199 in tabulis Panis Pontis; Alb. Mant. cod. 39, p. 469.

II. Guillelmus I, anno 1209, cum Macloviensi præsule super decimis pepigit. Memoratur insuper annis 1212, 1213. Is erat Guillelmus Stephani Tornacensis discipulus, et, Stephano abbatiam S. Genovefæ Parisiensis regente, ipse prioris munus in eadem abbatia impleverat. Vide supra, t. VII, col. 725.

III. B. decimam *Listernoc* accepit, mense Maio 1226, a Geoffrido de Rocha. Idem, anno 1231, jussu domini papæ, arbiter sedit inter Macloviensem episcopum et Hamonem *de Querhiriac*.

IV. Joannes I sub id tempus conjectura ponitur, cujus necrologium S. Jacobi 11 Novembris meminit.

V. Guillelmus II subscripsit, anno 1298, pacto cuidam inter Lehonensem priorem et Geoffridum *Mengui;* e chartul. Maj. Monasterii. Is est forte Guillelmus, cognomine *de Poër,* cujus necrologium S. Jacobi 8 Maii meminit.

VI. Robertus innotescit anno 1307, ex apocha. Idem, die Martis post Domin. Palmarum 1322, litigabat cum Becherellensi priore, de juribus quæ ad alterutrum pertinebant in nundinis *Plemaudan;* e chart. Maj. Monast. Decessit 29 Septembris; e Relleii necrologio.

VII. Joannes II *Lebon,* 1361, 1363.

VIII. Guillelmus III *de Lesquen,* 1374.

IX. Guillelmus IV *Duval* ab anno 1391. Sedit in Britanniæ comitiis anno 1398, et obiit anno 1405.

X. Guillelmus V *Le Flo,* nuper bullis donatus pontificiis, Joanni, Britanniæ duci, commendatur a Benedicto papa XIII, idibus Augusti 1406. Abdicavit anno 1426.

XI. Guillelmus VI *Boutier,* consiliarius idem et eleemosynarius Britonum ducis, litteris pontificiis donatur anno 1426. Anno 1432, post obitum Guillelmi *de Montfort,* Guillelmum *Boutier* in cathedram Maclovien- sem canonicorum suffragia vocavere. Sed ea electio irrita fuit. Anno 1434, decedente Amalrico *de la Motte,* canonicorum Macloviensium vota rursus in Guillelmum *Boutier* convenere. Ea autem iterum Romana sedes sprevit. De qua re multus sermo in concilio Basileensi, ubi Guillelmo nostro strenue patrocinatus est Philippus, Turonensis archipræsul, 18 Junii 1435, sic verba ferens : « A principio suæ ætatis inter nobiles Britanniæ educatus est, et in arduis atque maximis negotiis semper versatus, et huc- usque in omnibus sibi commissis bene, legaliter atque fideliter se gessit... » In eodem concilio sedebat Petrus *Pichon,* cantor Macloviensis, necnon abbatis Guillelmi procurator. Guillelmus deinde memoratur annis 1448, 1450, 1467.

XII. Marcus *Gruel,* Guillelmo antecedenti sanguinis fœdere junctus, occurrit annis 1470, 1473, 1476.

XIII. Guido *le Leonnays,* canonicus Redonensis, commendatarius abbas Belli Loci reperitur anno 1477. Eligitur episcopus Redonensis 4 Martii 1504. Anna vero regina electum arcere jussit. Postea Guido abbatiæ regimen abdicavit, anno 1517. Huic quidem abdicationi Leo papa X annuens, decrevit ut abbatis commendatarii nomen et stipendium, dimisso officio, retineret. Abbas commendatarius et perpetuus administrator legitur anno 1519, quo sacrarii munus in abbatia instituit. Decessit Guido 18 Junii 1528.

XIV. Mathurinus *Glé,* jam antea *Megrit* et *Corseult* prior, antecedentis e sorore nepos, litteris donatur pontificiis 23 Januarii 1517. A supra memorato Guidone, eum qui procuratorem suum vocat, in comitia Britanniæ mittitur, 20 Septembris 1522. Redonibus interfuit, 14 Augusti 1532, coronationi Francisci, Britonum ducis, et fidem dedit anno 1540, obiturus anno 1545. Idem abbas fuit Genestonii.

XV. Simon *de Maillé de Brezé* ex abbatiæ procuratore fit abbas, anno 1546 ineunte. Fidem regi dedit anno 1551. Sub idem tempus abbas erat Belli Portus. Nominatus, anno 1554, Turonensis archipræsul, abbatiam dimisit anno, ut opinantur, 1571.

XVI. Urbanus *de Rotays,* patria Andegavensis, reperitur annis 1571, 1595.

XVII. Claudius I *Glé,* e Britanniæ senatoribus, occurrit abbas Belli Loci anno 1599. Fidem regi juravit anno 1600. Ejus usque ad annum 1605 monasterii tabulæ mentionem faciunt.

XVIII. Carolus *de Bourgneuf,* Nannetensis episcopus, reperitur annis 1608, 1616. Obiit anno 1617.

XIX. Ægidius *Gasselin,* eleemosynis Mariæ Mediceæ reginæ præpositus, et canonicus sæcularis in ecclesia S. Guillelmi Moretoniensis, bullis donatur 18 Decembris 1617. Obiit anno 1624.

XX. Franciscus *Langlois de Prémorvan* ab anno 1625. Mox autem Richelii jussu in castellum *Bastille* nuncupatum captivus ducitur. Anno 1628 abdicavit.

XXI. Claudius II Philippus *Le Clerc du Tremblay,* canonicus Parisiensis, idem et abbas Montis Dei, in Lexoviensi ecclesia. Avunculum habebat P. Josephum hunc Parisiensem, qui tot rebus operam dedit, regnum administrante cardinale Richelio. Possessionem Belli Loci Claudius adiit 18 Junii 1628, quindecim annos natus. Obiit 4 Septembris 1704.

XXII. Eduardus *Bargedé,* cantor Nivernensis, abbas nominatur a rege 1 Novembris 1704. Anno sequente, Nivernensis creatus episcopus, abbatiam dimisit.

XXIII. N. *Boterel de la Bretonnière,* ab anno 1705.

XXIV. N. *Tiercent de Ruellant,* ab anno 1738.

XXV. N. *de Montlouet,* summus Dolensis ecclesiæ vicarius, ab anno 1749.

XXVI. N. *de Pontrial,* Venetiæ generalis vicarius, ab anno 1755 usque ad annum 1789, quo decessit.

PANIS PONTIS.

Abbatia B. Mariæ de Pane Pontis, in silva cujus nomen accepit condita, antiquissimam originem sibi vindicat. Videamus tamen ne pro certis incerta habeamus. Quocumque tempore erecta domus ad monachos S. Mevennii, prioratus titulo, pertinebat, cum per

sedem apostolicam Tualdo, S. Jacobi archimandritæ, licuit ut in eisdem ædibus abbatiam, canonicis S. Augustini adscribendam, institueret. Id Chronicon abbatiæ anno 1211 peractum memorat; Rer. Gallic. Script., t. XVIII, p. 332. Hanc autem temporis notam conjectura, ut videtur, chronographus adduxit; nec ei tuta fides. Undecim domum canonici coluere, de quibus infrequens in Britonum annalibus mentio reperitur. Anno 1649, reformationem S. Genovefæ admisere.

Seriem abbatum Panis Pontis condidit R. P. *Lelarge*, quam exhibet Alb. Mantell. codex 86 *C*. Martyrologium abbatiæ servat ejusdem armarii cod. 39.

SERIES ABBATUM.

I. Geoffridus I *le Porc* abbas Panis Pontis primus reperitur. Obiit XIV cal. Februarii; ex abbatiæ martyrologio.

II. Joannes I *Le Bouc* secundus abbas in supra laudato martyrologio nuncupatur. Obiit idibus Februarii.

III. David, tertius, ut videtur, abbas, 9 Junii in martyrologio memoratur. Eumdem vero nonnulli post Guillelmum sequentem clavum tenuisse opinati sunt.

IV. Guillelmus I *de Vezins* pactus est, mense Martio 1231, secundum recentem calculum, de capella *Trescoit*. Idem reperitur anno 1242. Obiit 12 Februarii.

V. Robertus *Goujon* a quibusdam post Guillelmum ponitur. Eum memorat martyrologium, XIV cal. Octobris. Potiorne R. P. *Lelarge* sententia, qui eum tertium domus abbatem fuisse conjicit?

VI. Joannes II *de Bocat*, alias *de Boxat*, vel *de Boczat*, occurrit, anno 1285, in ædibus S. Florentii Veteris, Joannem, Arturi ducis filium, de sacro fonte suscipiens. Ejus martyrologium Panis Pontis 15 Maii meminit; necrologium vero S. Jacobi, 16 Maii.

VII. Guillelmus II *de Coycinadre*, post Joannem, ut videtur, ponendus, reperitur in martyrologio idibus Octobris. Idem 16 Octobris, in obituario S. Jacobi.

VIII. Matthæus cum capitulo Redonensi super decimis *Meczac* paciscitur, Julio mense 1314; ex Alb. Mant. cod. 39, p. 421. Idem occurrit, die Martis ante festum S. Georgii 1316, in excerptis ex ejusdem abbatiæ tabulis. Obiit cal. Septembris.

IX. Geoffridus II de Plessiaco reperitur, anno 1342, Radulfo de Monte Forti per syngrapham nummos credens. Obiit V cal. Augusti; ex abbatiæ martyrologio.

X. Thomas *Montauban*, e priore S. Bartholomæi et *Trohoronteuc*, Geoffrido defuncto litteris Innocentii papæ VI sufficitur, II cal. Martii 1356; apud Suaresium.

XI. Guillelmus III *Guiho* transegit, anno 1379, cum Albino, Pontis Octranni abbate. A Idem, anno 1389, in comitiis Nannetensibus sedit, et, anno 1397, in episcopali domo S. Maclovii, de quadam lite cum *Guiguen*, ecclesiæ rectore, composuit. Nonnullas tandem res locitavit anno 1401; quo Panis Pontis regimen relictum habuit, et abbas S. Jacobi factus est.

XII. Radulfus *Guiho* occurrit ab anno 1402. Is sententiam obtinuit adversus Radulfum, Montis Fortis toparcham, anno 1405. Obiit, ex abbatiæ necrologio, XV cal. Junii; ex obituario S. Jacobi, 28 Maii 1407.

XIII. Olivarius *Guiho* eligitur anno 1407, B transigit cum Guillelmo *de Brenéan* anno 1408, et duci fidem spondet anno 1411. Ejus martyrologium VIII cal. Februarii meminit: anno 1452.

XIV. Guido *de Coëtlogon* ex abbate S. Joannis fit abbas Panis Pontis anno 1452. Memoratur XII cal. Aprilis, et pridie cal. Septembris in abbatiæ martyrologio. Obiit anno 1472.

XV. Petrus I, cardinalis sub nomine S. Sixti, post Guidonis obitum abbatiam accepit. Hunc Sixtus papa IV motu proprio elegerat. Protinus autem abdicavit.

C XVI. Michael *Le Seneschal*, filius Radulfi et Catharinæ *de Coëtlogon*, Britonum duci litteris commendatur apostolicis IV cal. Maii 1473; e cod. Regio 8357². Tornacum ivit, anno 1490, Annæ ducissæ legatus. Obiit, e necrologio, 20 Martii 1500; lege, secundum recentem usum, 1501.

XVII. Renatus *Hamon*, protonotarius apostolicus, abbatiam commendæ titulo obtinuit 16 Aprilis 1501, anno 1521 decessurus. Adversus eum litigavit Petrus *du Plexis*, quem monachi, suffragiis aditis, elegerant. Lite tandem Petrus destitit, anno 1502, ea D conditione ut ipsi pensio numeraretur.

XVIII. Ludovicus *du Tertre* bullas exhibuit publicis commentariis consignandas, 16 Novembris 1521. Reperitur dein, procuratores instituens, 16 Novembris 1524, ejus qui locum in Nannetensibus comitiis tenerent; e Max. Gallor. Arch., J, 818. Abdicavit, ut videtur, anno 1530, decessurus mense Maio 1535.

XIX. Franciscus I *de Laval*, Dolensis episcopus, possessionem adiit 11 Novembris 1530, et obiit 1 Julii 1554; ex abbatiæ necrologio. Idem Truncheto præfuit.

E XX. Germanus *le Vaillant de Guellis*, alias *de Quelis*, abbatia donatur anno 1554 et fidem dat annis 1561, 1577. Occurrit in apocha 5 Januarii 1580; in Max. Paris. Biblioth., chart. capsa 1473. Munere semet abdicavit anno 1586, quo desinente cathedram Aurelianensem conscendit. Quære supra, t. VIII, col. 1489.

XXI. Dionysius *Hurault de Chiverny*, Aurelianensis episcopus, permutavit, anno 1586, cum antecedente Germano, et ab eo

tempore usque ad annum 1590 Panis Pontis domum rexit.

XXII. Petrus II *Hervé* ab anno 1590. In gratiam sequentis cessit 4 Octobris 1608.

XXIII. Sebastianus *de Rosmadec*, e monacho S. Germani Pratensis, ab anno 1608. Reperitur, annis 1610, 1611, 1612, 1616, 1619, 1620, 1621, in Britanniæ comitiis. Cleri legatus Britannici in comitiis Franciæ generalibus sedit anno 1614. Fit, anno 1622, Venetensis episcopus.

XXIV. Jacobus *Martin* ex episcopo Venetensi, permutatione facta, Panis Pontis regimen aggreditur anno 1622, et obit Parisiis 12 Januarii 1624.

XXV. Bernardus *de Sarjac*, comiti *de Brienne* sanguinis fœdere junctus, eo usus patrono abbatiam obtinuit anno 1624 ineunte, ea tamen sub conditione ut N. *de S. Germain* pensionem annuam solveret. De qua sæpius litigatum est, ut nos supradicti *de S. Germain* litteræ, ad cancellarium *Seguier* scriptæ, docent; inter S. Germ. Prat. franciscos codices, cod. 174. Clero Britannico

A Bernardus præfuit in provinciæ comitiis 12 Januarii 1645. Reformationem dein in abbatiam introduxit, anno 1649.

XXVI. Carolus I *de Rosmadec*, ab anno, ut aiunt, 1649, episcopus idem Venetensis, dein Turonensis archiepiscopus : decessit anno 1672.

XXVII. Franciscus II *Robert*, senator Parisiensis, ab anno 1672; e Gallia Sacra.

XXVIII. Henricus Constantius *de Lort de Serignan de Valras* ab anno 1722. Matisconensem assecutus est cathedram anno 1732, abbatia non tamen dimissa, quam servavit

B usque ad annum 1742.

XXIX. N. *de Rais du Breil* nominatur 8 Septembris 1743. Sedit usque ad annum 1772. Idem erat vicarius generalis ecclesiæ Trecorensis, et abbas S. Jacuti.

XXX. N. *le Dall de Tromelin*, archidiaconus Trecorensis, ab anno 1773 usque ad annum 1781.

XXXI. Carolus II Guillelmus Cardinus *Morin du Marais*, canonicus Parisiensis, ab anno 1781. Superstes erat anno 1790.

ECCLESIA DOLENSIS.

Nonnulli, etiam apud veteres, Dolensem episcopatum a Nomenoio conditum, anno circiter 848, asseruerunt. Quippe hæc fuit chronographi Nannetensis sententia, a quo Nomenoius Dolense, Briocense et Trecorense monasteria in episcopales sedes sub id temporis convertisse memoratur. Hujus autem chronici levis auctoritas, uti decurrente undecimo sæculo scripti. Certior est, antiquior enim, testis Nicolaus papa I, qui quidem, in suis ad Salomonem ducem regemve litteris, Dolensem ecclesiam non ab hesterna die, sed multis jam ab annis erectam profitetur. Turonensis insuper ecclesia plusquam per tria sæcula cum Dolensi contendit. Exercebatur autem quæstio de juribus quæ, nisi prisca sint, omni carent fundamento. Nunquam vero Turonensis metropolita e sedis Dolensis novitate argumentum instituit : cujus sane afferendi, si licuisset, non adeo segnis fuisset. Adde quod alia occurrant de veteribus Dolensis ecclesiæ antistibus testimonia, quæ diligenter expendere, non autem summatim et inconsulto respuere decet. Prorsus quidem dissimili Dericus consilio ejusdem episcopatus originem ad remotissima tempora submovens, de Sarmatione, Viventio, Mansueto, Liberali, et Seniore fabulose disserit. Inanes autem sunt Derici conjecturæ, quarum fidem nulla documenta tuentur. Nihil, ut aiunt, in vulgo modicum ; hic tamen proverbium falsi res arguit; mediam enim inter contraria historicorum instituta viam legens popularis pietas, S. Samsonem, qui sub sæculum sextum vixit, Dolensis episcopatus conditorem renuntiat. Tunc scilicet S. Samson, Brito insulanus, Armoricanum in hunc tractum appulit ubi postea nobilis Dolum civitas exsurgere visa est. Qui in eo loco, Hibernorum Britonumque pro more, tecta primum exstruxit a monachis habitanda ; et revera de monasterio S. Samsonis Dolensibus in tabulis mentio reperitur. Abbatem igitur S. Samsonem fuisse existimant. Nec inficias ibimus. Abbatem vero eumdem et episcopum dicere non dubitamus : nam si non constet S. Samsonem omnia episcopalis dignitatis, prout hodie describuntur, munia implevisse, pro certo tamen tenemus eum magnum sibi nomen, magnam item auctoritatem, conciliavisse, et ecclesiæ Dolensi, vel Dolensium fidelium cœtui, vigilem hanc curam, quæ peculiare episcopi officium est, impendisse.

Episcopatus ergo Dolensis institutio Nomenoio minime adscribenda. Eo tamen episcopo, magna in eadem ecclesia commutatio rerum facta est. Postquam enim, labentibus annis, Briocensis agri, necnon Trecorensis, populi sub Dolensis episcopi custodiam magisteriumve transiverant, quasi de improviso adfuit Nomenoius, qui, regem semet gerens, et non minus ecclesiasticis negotiis quam civilibus, ut olim erat regia consuetudo, manum admovens, Briocensem Trecorensemque civitates episcopis singulis donavit, Dolensemque sedem Britannici totius regni metropolitanam esse jussit. Unde magna diuturnaque exorta sunt dissidia. Turonensis archipræsulis parva tunc in remotioribus Britanniæ ecclesiis potentia : ut igitur Dolensis archipræsulatus erectio vulgata est, Redonensis quidem, Nannetensis præcipue, necnon Venetensis episcopi, ut erant natione Franci, aut saltem ad gubernacula Francicarum ecclesiarum sedentes, de Nomenoio palam et acerbe queri, omnis disciplinæ eversore. Britonum vero gens, pio patriæ studio, plaudere, et clerus æque Britannicus, suasoribus Macloviensi, Corisopitensi, Leonensi, Briocensi et Trecorensi episcopis, gentili metropolitæ morem lætanter præbere, alienum veluti jugum detrectans. Interea Turonensis archipræsul, ad summum Pontificem appellat, et novæ metropolis adoptationi vehementer intercedit. Nec sane prout a Nomenoio postulabatur solenniter adoptatus est; Turonensis tamen ecclesiæ prærogativam tam molli brachio Roma defendit, ut, jam sæpius orata causa, iteratam ejusdem rei investigationem non semel exoptaverit, et pluribus Doli episcopis pallium, controversæ dignitatis signum, ipsam imo dignitatem expressis verbis concesserit. Unde consertæ litibus lites, quarum narrationem authenticis litteris mandavit Innocentius papa III, ad extremum denique jubens, anno 1199, ut Dolensis archipræsulatus prorsus aboleretur, utque Britonum episcopales quæcumque sedes Turonensi metropolitæ parerent.

Postea vero vel minimas eversæ rei reliquias Dolensis præsul colligere semper studuit, et, prohibitus ne metropolita diceretur, vel certe primum inter Turonensis metropolitæ suffraganeos locum sibi constanter vindicavit, ejusque votis annuens Bonifacius papa VIII, anno 1299, sequens edidit decretum : « In signum prærogativæ specialis honoris, ob me« moriam archiepiscopalis dignitatis, quæ olim in ecclesia Dolensi fuisse dignoscitur, ex « more et consuetudine longius retro temporibus inibi observata, cum archiepiscopus Tu« ronensis suffraganeos suos ex aliqua causa vocat, Dolensem episcopum non cum aliis « suis suffraganeis in eisdem litteris, sed per speciales debeat litteras evocare; et si forsan « cum aliis in eisdem litteris evocetur, expresso suæ nomine dignitatis debeat omnibus aliis

« suffraganeis anteponi. » Attente pensanda Bonifacii verba. Sententiæ quidem secundum Turonensem metropolitam demum latæ libentissime adhærentes, Dolensis ecclesiæ pastorem episcopum nuncupabimus. Ab ipso tamen Bonifacio papa palam renuntiatum habes archiepiscopalis dignitatis decus, curia Romana, ut videtur, consentiente, eidem antiquitus fuisse collatum. Gregorius enim papa VII, anno 1076, Evenum, ab ipsomet pallio insignitum, Turonensi tutela exemerat, ejusdemque propemodum tenoris epistolæ aliis Dolensis ecclesiæ rectoribus tam ab Adriano IV quam a Lucio III missæ fuerant. In ea siquidem re parum sibi Romana sedes constitit, cujus sententiam sæpius Britannorum dynastarum affectus, aut Francorum regum timor variavit. Ideo Britones, etiam omni contentione sopita, amissi decoris diu desiderio gemuerunt, isque Dolensium episcoporum erga Turonensem metropolitam animus semper fuit, ut, si quando plusquam stricte debitum posceret, nullam resistendi occasionem prætervolare paterentur. Sic, anno 1400, audita fama Hamelinum archipræsulem advenire, ei canonicam Doli visitationem aggredienti ipsius civitatis aditum prohibere deliberatum est; quamobrem ut urbis mœnia, sicut revera decreverat, subiit, non tantum clausis januis exceptus est, sed etiam ab armatis canonicorum copiis contumeliose repulsus, et turpem in fugam versus; tantumque apud Romanam curiam eo tempore Dolensis episcopi auctoritas valuit, ut apostolica sententia vetitum fuerit ne plus quam semel per totius vitæ suæ curriculum Turonensis quisque metropolita Dolensem diœcesim visitaret. Anno dein 1452, postquam partes ad novam pactionem accesserant, a Nicolao papa V sedis metropolitanæ jus in ea re adeo auctum est, ut eisdem propemodum obsequii conditionibus quam cæteri Turonensis provinciæ præsules Dolensis obtemperare jussus fuerit. Postrema, ablatis vicissim aliis, episcopo Dolensi prærogativa fuit, in conciliis provincialibus altiorem et ornatiorem aliis suffraganeis et archipræsulis ex adverso sedem tenere. Tunc tamen, ecclesiasticis dejectus, civiles affectavit honores. Antonius igitur *de Revol*, pristinum sedis suæ splendorem commemorans, pro jure Dolensis episcopi in comitiis Britannicis præsidis munus postulavit. Cui Redonensis antistes, anno 1604, posteaque Nannetensis obstitere, et quod sibi arrogabat jus, partibus auditis, cæteri Britanniæ præsules non satis communitum edixere. Unde novæ lites; quibus sopitis, invaluit mos, ut, reclamitante licet Dolensi præsule, diœcesanus quisque episcopus comitiis in sua urbe congregatis pro tempore præsideret. Eum Dolensis archiepiscopatus fortuna exitum habuit.

Tria sub occasum postremi sæculi virorum monasteria in Dolensi diœcesi recensebantur. In episcopali civitate civibus infrequenti una tantum ecclesia, B. Mariæ et S. Samsoni sacra. In eadem præterea Carmelitarum grex, quos anno 1401 Joannes dux eo acciverat, necnon tres feminarum conventus, Benedictinarum scilicet, filiarum Sapientiæ, et monialium S. Thomæ de Villanova institutis addictarum : seminarium insuper diœcesani cleri, cujus administratio Eudistis sodalibus anno 1701 deputata. In capitulo Dolensi sexdecim, ut quidam ferunt, canonicatus, ut aliis placet viginti, et quatuor insuper dignitates, cantor, scholasticus, archidiaconus et thesaurarius. Cantorem instituere dominum papam penes erat.

Præcipua quæ ad rem Dolensem spectant instrumenta præbet episcopi Dolensis Chartularium, inter Regios codices, sub num. 5211 *C*.

EPISCOPI DOLENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Samson.

Doli monasterium ecclesiamque S. Samson sexto sæculo condidisse fertur. Qui ex insulana Britannia deveniens, a Dubricio missus, et, ut aiunt, consecratus, multos agri Dolensis incolas eo adduxit, ut, rejectis ethnicorum superstitionibus, Christi legem profiterentur, et in eorum cœtu custodis, pastoris, episcopive dignitatem assecutus est, aut saltem munus exercuit. In concilio Parisiensi memoratur S. Samson anno 557 : quem anno
557
565, aut anno 576 obiisse contendunt. Obitus ejus celebratur 28 Julii, ordinatio vero XII non. Septembris. Plura de eodem apud hagiographos, magna ex parte dubia, legere licet.

A

II. S. Maglorius.

Discipulus S. Samsonis Maglorius huic in sede Dolensi successit. Eam postea quam aliquantisper tenuisset, abiit in Sargiensem insulam et ibi monasterium exstruxit, in quo sexaginta monachis præfuit. Hunc supremum diem explevisse ferunt 24 Octobris 585. Ejus, Nomenoii temporibus, in cellam Lehonensem translatæ sunt exuviæ; postea vero, imminentibus Normannis, eas Salvator, Alethensis episcopus, Parisios transvexit et in ecclesia collegiata S. Bartholomæi deposuit. Consule
B
Mabillonium, Annal., t. III, p. 655. Vita S. Maglorii apud eumdem Mabillonium legitur, Acta SS. ord. S. Ben., sæcul. 1, p. 223.

ANNI CHRISTI

III. S. Budocus.

Judicaelis dynastæ filius et S. Maglorii discipulus, S. Budocus, ut refertur, pastoritiam Dolensis gregis post eum tutelam sortitus est. Obiit 8 Decembris.

IV S. Leucherus.

Post S. Budocum S. Leucherus recensetur; ex actis S. Samsonis.

V. Tigerinomalus.

Tigerinomalo nuncupata S. Samsonis Vita fuit. Is ad S. Leucheri vices accessit, e quorumdam conjectura, quam nec impugnare, nec propugnare valemus.

VI. S. Geneveus.

S. Geneveus obiit 29 Julii. Ejus corpus Julioduni, in ecclesia Pictaviensi, diu servatum est. S. Geneveum veterum testimonia S. Budoco, prætermissis Leuchero et Tigerinomalo, successisse memorant. Occurrit insuper S. Genevei nomen, anno 689, in famosa Alani de gravaminibus regni sui charta. Sed hujus chartæ falsitas certissimis probatur argumentis.

VII. Restoaldus.

Restoaldus memoratur temporibus Severini papæ in litteris Nicolai I ad Festinianum; Rer. Gallic. Script., t. VII, p. 413. Sedit autem Severinus a 29 Maii ad 1 Augusti 640.

VIII. Armaelus.

Restoaldo, ut aiunt, successit Armaelus, cujus in ecclesia *Ploermel* exuviæ diu jacuere. De eo consule Prob. Hist. Brit., t. I, col. 753.

IX. Jumaelus.

Jumaelus post Armaelum in veterum scriptis nuncupatur. De quo nihil certi ad nos pervenit.

X. S. Thuriavus.

S. Thuriavi, vel Thuriani, mores factaque hagiographi posteris tradidere. Qui in Dolensi monasterio, ut ferunt, litteris instructus, episcopus postea factus est. Ejus Corisopitense, Landevenecense, Pontileviense cæteraque martyrologia III idus Julii meminere. Annus mortis incertior. Quidam tamen annum 749 proponunt. Sæculo sequente in monasterium S. Andoeni apud Ebroicen-

ANNI CHRISTI

A ses, et dein in abbatiam S. Germani Pratensis Thuriavi reliquiæ translatæ sunt. Quarum partes, anno 1454, ecclesiæ *Naintré*, et, anno 1599, Hilario *Giraudy*, abbati Lerinensi, monachi S. Germani tradidisse memorantur.

XI. Juthinaleus.

Juthinaelus, quem et Junemenum appellant, Adriani papæ I coætaneus legitur in epistola Nicolai ad Festinianum. Adrianus vero S. Petri cathedram tenuit a 9 Februarii 772 ad 25 Decembris 795. B Inter Juthinaelum et Jumaelum, cujus supra meminimus, sunt qui nullum personarum discrimen fuisse opinentur.

XII. Salaco.

Perperam Alethensibus episcopis nonnulli Salaconem annumerant. Dolensis enim fuit.
Qui, anno 848, in conventum a Nomenoio 848
coactum accitus, utpote qui indebitam e sacerdotibus ab ipsomet ordinatis mercedem exegisset, objectum, ut aiunt, crimen confessus est, et, derelicta cathedra, exsul abiit. C Secessit primum in Flaviniacense monasterium, ubi cucullum suscepisse refertur: unde Jonas, Augustodunensis episcopus, eum eduxit, fecitque pastoralis curæ participem in ipsa Æduensi ecclesia. Reperitur enim Salaco vices Jonæ gerens, XII cal. Aprilis 864, in Histor. Translat. S. Reginæ; apud Rer. Gall. Script., t. VII, p. 362. Ibidem, p. 248, e Chronico Virdunensi, hoc anno 864 vitæ metam attigit. In eo tamen chronographus erravit: nempe Salaco superstes expressis verbis dicitur anno 866, in epistola Suessionensis concilii ad Nicolaum D papam. Quære supra, t. IV, col. 365.

XIII. Festinianus.

Fastrarius nominatur in epistola quam
synodus Tullensis, anno 859, ad episcopos 859
Britanniæ scripsit, Fastrariumque hunc omnes critici Dolensem cathedram, vel, ut veterum verbis utamur, *episcopatum S. Samsonis* occupavisse contendunt. Quorum quidem sententiæ libenter assentimus. Æque probanda videtur domni *Bouquet* conjec- E tura, qui Fastrarium eumdem asserit alio eoque castigatiori nomine in apostolicis litteris Festinianum nuncupari; Rer. Gall. Script., t. VII, p. 596. Festianus tandem dictus reperitur, usitatissima contractione, in diplomate quo Salomon dux, anno 860, Rotono villam *Agulac* largitur; Prob. Hist. Brit.,
t. I, col. 300, et, anno circiter 866, in litte- 866
ris *Roiant-dreh*, nobilis matronæ, Salomoni Seminiacam villam largientis; ibid., col. 304. Scripsit Festinianus ad Nicolaum papam, pallium requirens, idque honoris antecesso-

ANNI CHRISTI

ribus quibusdam suis concessum asserens. Ei Salomon dux, cujus in eo res etiam agebatur, summo cum studio patrocinatus est: exstant vero apostolicæ litteræ, annis 865 et 866 datæ, quibus Nicolaus adeo non petitam rem concedit, ut contra allatum jus neget; Rer. Gall. Script., t. VII, p. 408, 412. Mortuo quidem Nicolao, Festinianus ab Adriano pallium, ut aiunt, obtinuit, et Adriani revera litteras, arrogantiæ Dolensi suffragantes, sub annum 870 Argentræus, Baronius et Martenius edidere. Advertendum vero quod, anno 1199, Innocentius papa III nullum referat ea de pallii collatione scriptum authenticum ab ipsa Dolensi ecclesia, inter instrumenta tam diuturnæ litis, allatum.

XIV. Mahenus I.

A Joanne papa VIII Mahenus litteras accepit super Helocaro, abbate, qui novitios plures, episcopale sibimet officium vindicans, inferioribus ordinibus adscripserat.
878 Idem ad eumdem papa scripsit, anno 878, jubens ut Adalardo, Turonensi metropolitæ, debitum obsequium præberet; Rer. Gallic. Script., t. IX, p. 174. Eodem anno, Mahenus, quem Maynonem quidam hagiographi nuncupaverunt, Aureliam corpus S. Samsonis, irruentibus Normannis, detulit; Acta SS. ord. S. Bened., t. I, p. 185.

Post Mahenum Melanienses chronographi Joannem quemdam ponunt, ex abbate S. Melanii Dolensem antistitem, ad quem spectare putant Baldrici versus de Joanne, Eveni, ut infra dicemus, successore. Nihil igitur incertius quam ista Joannis Maheno succedentis mentio.

Memoratur Aganus, episcopus S. Samsonis, mense Maio 930, ab Hugone Magno abbatiam S. Symphoriani Aureliæ sitam obtinens. Hunc igitur Aganum, quanquam de eo Dolenses tabulæ sileant, Dolensibus episcopis Moriciis, Dericus aliique confidenter annumeravere. Attentius autem Hugonis lege diploma, supra, t. VIII, Instr., col. 484, et tibi manifestum erit præmemoratum Aganum non S. Samsonis apud Dolenses cathedræ præfuisse, canonicos vero S. Samsonis rexisse, Aureliæ degentes. Ea fuit antecessorum nostrorum de hac ipsa re sententia; t. VIII, col. 1516.

E dictis palam est Dolensium episcoporum seriem a Maheni decessu latam lacunam præbere. Quam, censura notatis aliorum conjecturis, non sane pro libito nostro explebimus. Flodoardus enarrat Dolensem quemdam episcopum a Normannis, anno circiter 944, in ipsa cathedrali basilica interfectum. Quod si Flodoardi testimonium non fide careat, animadvertendum tamen quod sublatum adeo crudeli nece præsulem nullo teste Guidomarchum *Ogée* vocaverit.

XV. Wichohenus.

Wichohenum, Dolensis gregis episcopum, Gualterii, Nannetensis episcopi, patrem ipsi veteres dixere; apud Nicol. *Travers*, Hist. Nannet., t. I, p. 172. Gualterius autem annum circa 960 Nannetensem cathedram conscendit; unde plures opinati sunt hunc Juthovenum, qui litteris Alani ducis Landevenecho S. Medardum largientis una cum Hesdrenno, Nannetensi præsule, subscripsit, anno videlicet circiter 950, non alium ac Wichohenum præmemoratum fuisse. Quæ duorum nominum in eumdem virum coadunatio licet nonnullis displicere videatur, eam non improbamus, sæpius experti quam negligenter et mendose veteres librarii propria virorum nomina scripserint. Gisloenus insuper, *Britannorum episcopus*, Turonibus reperitur anno 967, testis Giraldi prædium monachis S. Juliani tradentis. Idem, IV id. Aprilis 969, subscripsit Hugonis ducis chartulæ, qua Otberto sacerdoti vinea quædam concessa, et, eodem anno, ejusdem Hugonis diplomati de prædio sub lege census Haimoni collato; apud *Housseau*, t. I. Gisloenus et Wichohenus vocabula quidem sunt inter se parum discrepantia. Quidni Wichohenus Dolensis, una cum Salvatore Alethensi aliisque Britannici cleri proceribus, a Normannis anno circiter 965 expulsus fuisset, et, Salvatore Parisios petente, ipse Turonibus tutas latebras habuisset? Hanc non sine aliqua fiducia conjecturam proponimus.

XVI. Mahenus II.

Anno 990 Mainus, vel Mahenus, legitur in chartula Conani ducis pro S. Michaelis monasterio; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 351. De eo nihil aliud compertum habemus. 990

XVII. Rollandus I.

Rollandum, S. Michaelis monachum, Dolensem cathedram temporibus abbatis Mainardi conscendisse memorant, et postea, in monasterium Abrincense reducem, ibi anno 1004 decessisse: supra quære, t. XI, col. 514. De eo tamen Rollando chartæ Dolenses silent.

Quidam Rollando Guidomarchum et Guidomarcho Lanfrancum successisse referunt. Hos autem *Ogée* rejecit. Alia et prorsus singulari conjectura, Rollandum, Guidomarchum et Lanfrancum Dericus unum eumdemve virum diversis nominibus appellatum fuisse autumavit; t. II, p. 584. His e tricis evadere difficillimum. Si quis autem, inter Rollandum et Junkeneum ponendus, ad Dolense gubernaculum accesserit, nulla de eo in litteris publicis mentio reperitur.

ANNI CHRISTI

XVIII. Junkeneus.

Junkeneus, alias dictus Jungeneus, villam *Guernidell* Rotono tradens, fratres suos ipse denuntiavit, Haymonem scilicet, Dinannensem vice-comitem, Goscelinum, atque Rivallonum, Britanniee *Ruellen*. Rivallonum hunc instrumentum inquisitionis anno 1181 peractæ Capram Canutam cognomento nuncupat, ac Comburniense castellum a Junkeneo conditum refert, eidemque Rivallono dono datum. Ibidem insuper agitur de quodam Salomone, fratre Junkenei notho. E clara igitur stirpe deductus, Junkeneus in authen-
1008 ticis codicillis primum occurrit, anno 1008, testis rerum S. Mevennio datarum ab Alano et Eudone. Idem, ante annum 1022, præsente nempe Geraldo, Salmuriensium abbate, subscripsit Alani ducis chartulæ de ecclesia Livriacensi monachis S. Florentii tradita;
1026 anno 1026, ejusdem Alani litteras laudavit de insula *Guedel* monachis Rotonensibus firmius adscripta. Sub idem tempus eumdem exhibent Alani diplomata de monasterio S. Petri, necnon de ecclesia *Pluhiban*, S. Georgii monialibus condonatis. Reperitur,
1030 tandem, anno 1030, in Alani litteris, quibus complura prædia monachis S. Michaelis collata, et, anno 1032, in ejusdem chartula super ecclesiis SS. *Melver* et *Mewen* eisdem traditis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 372. Quo circiter anno, ut supra diximus, testis fuit Odonis comitis in Majus Monasterium benefici. Laudatur Junkeneus a Nannetensi chronographo uti vir prudentia et auctoritate pollens, qui inter Budicum, comitem Nannetensem et Gualterium episcopum pacem fecit.

Junkeneum igitur usque ad annum 1032 authenticæ chartæ memorant. Ex altera parte Juhellus, cujus infra mentio fiet, ante exitum anni 1040 electus comprobatur. Junkeneone nullo intermedio Juhellus successit? Ambigua quidem res est. Haymonem nonnulli post Junkeneum collocant; sed falsa forsan conjectura : de eo certe diplomata silent.

XIX. Juhellus.

Juhellus, quem alii Juhaelem, Jehonem et Johovæum nuncupant, ab Alano consule numeratis nummis Dolensem cathedram obtinuit. Rei testem habemus Gregorium papam VII, in suis ad Guillelmum, Anglorum regem litteris. Decessit autem Alanus anno 1040 : Juhellus igitur ante hunc annum ecclesiæ Dolensi præesse cœpit. Idem, Alano mortuo, subscripsit litteris Berthæ, Alani viduæ, pro S. Georgio; e Monast. Bened.,
1049 t. XV, p. 290. Juhellus dein anno 1049 memoratur apostolica sententia perculsus, ob detrectatum morem metropolitæ Turonensi.

Rer. Gall. Script., t. XIV, p. 596.

A E præ laudata Gregorii papæ epistola compertum habuisti quibus artibus in vacantem cathedram Juhellus irrepserit. Eadem Juhelli episcopantis mores acerbissime culpat. « Qui etiam, ait Gregorius papa, nec hoc « scelere contentus, iniquitatem super ini« quitatem apposuit, et, quasi simoniacum « esse parum et pro nihilo deputaret, Nico« laita quoque fieri deputavit. Nam in ipso « tam perniciose adepto episcopatu nuptiis « publice celebratis, scortum potius quam « sponsam ducere non erubuit, ex qua et « filios procreavit (1); ut qui jam spiritum
B « suum animarum corruptori per simoniaca « commercia prostituerat, per fœdæ libidinis « incestum corpus suum ita in contumeliam « diabolo consecraret... » Nec mirum igitur si Juhellus, tantorum delictorum reus, non tantum a Gregorio papa, sed etiam a Dolensibus oppidanis e gubernaculo Dolensis ecclesiæ dejectus fuerit. Exsul vero, ut ferunt, in Normanniam secessit, et inde mox rediit armatas post se trahens catervas, quibuscum ipse campos Dolo contiguos deprædatus est. Interea vero Dolensis populus Gilduinum, Rivalloni dynastæ filium, præ-
C sulem salutaverat, et ad summum Pontificem miserat consecrandum. Gilduino Romam petenti comes Evenus, abbas S. Melanii Redonensis, virtutum et scientiæ fama præ cæteris Britanniæ archimandritis conspicuus. Qui ut coram Gregorio VII stetere, Gilduinum papa consecrare noluit, vetante, ut ait, lege ne quis adolescentiæ fines nondum egressus pontificiis infulis donaretur : Evenum vero, Gilduini comitem, in vacante cathedra constituit. Hæc ipse Gregorius, in diversis ad Guillelmum regem et ad clerum
D Dolensem scriptis epistolis, adamussim enarrat, 27 Septembris 1076. De Gilduino supra mentio facta est, t. VIII, col. 1222, qui, Roma reversus, apud monachos S. Petri Carnotensis secessit, ibique paulo post prætnatura morte occubuit, VI cal. Februarii 1077, vel, secundum hodiernum calculum, 1078.

XX. Evenus.

Ad se delatam dignitatem Evenus primo recusavit. Ut vero, mandato summi Pontificis demum obsequens, submissioribus humeris
E pallium accepit, Melaniensis tamen gregis regimen nullatenus deseruit, sed una potius abbas præsulque fuit. Tunc autem Juhellus, semet jure spreto depulsum clamitans, papam appellavit, et nos Gregorii litteræ docent Evenum sub idem temporis Romam ivisse, uti causam ibi suam oraret. Hæ Gregorii litteræ ad Hubertum subdiaconum missæ, 22 Maii 1078. Cujus quidem litis exitum 1078

Rer. Gall. Script., t. XIV, p. 620.

(1) In inquisitionis instrumento quæ anno 1181 adscribitur, Juhellus dicitur filiæ cujusdam pater quam Guihenoco justis nuptiis univit.

ANNI CHRISTI ea tenus servata diplomata non memorant: indubie vero comperitur Evenum in cathedra Dolensi remansisse. Eo tamen sopito jurgio, Radulfus, Turonensis archipræsul, Eveno diem dixit, cui pallium injuriose irrogatum asseruit. Romæ primo utriusque partis oratores auditi sunt, et secundum Radulfum Romanum tribunal statuit. Congregatum postea fuit Santonibus concilium, quod rem iterum cognovit, et Turonensis metropolis jus iterum sancivit. Decessit paulo post Evenus, vi cal. Octobris 1081. Aliam temporis notam, nempe xv cal. Decembris, Chronicon quoddam Britannicum præbet, inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 4.

XXI. Joannes I.

DE DOL. Joannem, e Dolensi consule præsulem, anno 1082 electum consecratumque opinantur. Certe, annos inter 1083 et 1093, Achardo nempe S. Sergii abbate, judex fuit litis inter S. Sergii et S. Jovini monachos de capella Braellensi; e chartul. S. Sergii. Quo defunctus sit anno dubium. Antequam episcopus esset Joannes uxorem duxerat: Rivallonus enim, Dolensis castri toparcha, filius Joannis archiepiscopi memoratur, anno 1095, in chartula de rebus Majori Monasterio ab Haimone datis. Ejus laudes his carminibus Baldricus cecinit:

Splendidus ex atavis, atavorum splendor et ipse,
Gente Britannus homo, conditur hoc tumulo.
Hic armis, patria, natis cum matre relictis,
Dux modo, continuo de duce fit monachus.
Metropolitanæ sedi, quia vixit honeste,
Cui Dolus est nomen, præsul hic eligitur;
Ut quibus exstiterat consul, de consule præsul,
Præsul quam consul consuleret melius.
Ad papam venit, sacrari poscit ab ipso.
Quod dum differtur, in Domino moritur.
Ponitur hic cultor et relligionis amator,
Quemque dolent Britones sancta sophia fovet.
Si quæras nomen, nomen sibi scito Joannem,
Sique diem mortis, da decimam decimi.

XXII. Rollandus II.

1093 Rollandus anno 1093 ad Urbanum papam iter fecit, ab eoque pallium uti Britonum archiepiscopus expetivit. Pallium quidem, inane simulacrum, summus Pontifex libens concessit; expressis vero verbis Turonensis metropolitæ antiqua jura rursus recensuit et stabilivit. Audita re, Radulfus, Turonensis archipræsul, ipsam meramque pallii concessionem Rollando plus æquo tribuisse asseruit, et, Beneventum tendens, ut nova litis cognitio fieret postulavit. Indicta igitur utrique dies: vadimonium autem Rollandus deseruit, et in causa cecidit. Reperitur, anno 1097, in Santonensi concilio; anno 1098, in Burdigalensi. Eum Albertus Magnus anno 1107 obiisse contendit.

Ch. I, col. 245.

Nonnulli post Rollandum Joannem quemdam Dolensem, nomine secundum, ponunt, quem Joannis antecedentis e Rivallono nepotem autumant, eumque ante consecrationem adeptam defunctum. Rivallonus autem, in gentilitio Dolensium dynastarum stemmate, quod *Ogée* delineavit, nullius Joannis pater comperitur. Ex uno igitur Joanne, Rollandi antecessore, duos perperam finxerunt.

XXIII. Baldricus.

Mortuo Rollando, canonici Dolenses convenerunt, et Wulgrimum, ecclesiæ Carnotensis cancellarium, elegerunt. Quem protinus Pascalis papa II confirmavit. Ipse vero Wulgrinus ad summum Pontificem scripsit, tanti muneris onus detrectans, ejusque deprecationi Yvo, Carnotensis præsul, aliis subserviit litteris, ut qui bonæ frugis virum ecclesiæque suæ perutilem amittere non sustineret; Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 140. Ideo, annuente domino papa, Wulgrino, aditis iterum suffragiis, subrogatus est Baldricus, abbas Burguliensis, quem paulo post Girardus, Engolismensis præsul, consecravit. Redones semet receperat Baldricus 15 Maii 1108, ubi reperitur subscribens litteris Marhodi præsulis de Sergianorum possessionibus in Redonensi diœcesi. Unde Romam tetendit, palliumque a summo Pontifice impetravit. Romæ vero paulisper commoratus, ad suos rediit: quo in itinere, S. Florentii Salmuriensis monachos invisit, eorumque hospes per triduum fuit. Id ejus testantur litteræ, datæ xiv cal. Maii 1109, quibus Salmuriensium bona in Dolensi diœcesi sita confirmat; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 517. Anno 1112, testis fuit Petri, Pictonum episcopi, plures ecclesias S. Nicolai Andegavensis cœnobio restituentis: quo et anno litteras Henrici, Anglorum regis, in Savigneii gratiam laudavit; supra, t. XI, Instr., col. 111. Interfuit, anno 1116, concilio Lateranensi, in quo diplomati Pascalis papæ subscripsit de juribus ecclesiæ S. Stephani Bisuntinæ; Rer. Gall. Script., t. XV, p. 60. Anno sequente, Engolismæ reperitur in episcoporum cœtu, a quibus Vallensis Lemovicensisque abbates ad jurandam pacem adacti sunt; supra, t. II, col. 1114. Adfuit concilio Remensi, anno 1119: quo, ut videtur, habito, Engolismam iterum se recepit, ubi testis fuit compositæ litis inter Burgulii et Monasterii Novi monachos, super ecclesia Magniacena. Ipse paulo post memoratur cum Salmuriensibus ascetis de quorumdam altarium possessione contendens. Qui postquam a Salmuriensibus petivisset ut authenticis argumentis jus suum comprobarent, ipse, contemptis causam nimis ampliantium querelis, in præ-

ANNI CHRISTI 1108 1109 1119

ANNI CHRISTI dictas ecclesias manus injecerat. De qua re S. Florentio tunc temporis præfectus abbas ante curiam Romanam questus est. Anno tandem 1123, super his jurgiis composuere; apud *Housseau*, t. IV. Quo etiam anno, Guencampi, fundationem prioratus S. Salvatoris sacri approbavit. In Angliam anno incerto transmigravit: unde redux in Normannia subsedit; quem monachi Becci Fiscannique hospitio excepere. Per ultimos autem vitæ dies, Normannicum viculum, S. Samsonem supra Rislam, ubi plura Dolensis episcopus possidebat, incoluit. Ecclesiam S. Samsonis consecravit VIII id. Decembris 1129, et, VI id. ejusdem mensis, ecclesiam S. Laurentii de Marisco. Ex ejus epitaphio, quod in æde S. Samsonis plures legere, sequentia depromere operæ pretium est: *Qui Baldricus rexit Dolensem ecclesiam 22 annis et 44 diebus. Trigesimo autem die post consecrationem hujus præsentis ecclesiæ, obiit in Christi confessione, et Pratellis dormit;* Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 326. Obiit igitur
1130 Baldricus 5 Januarii 1130, qui 24 Novembris 1107 ordinatus fuerat. Memoratur tamen III cal. Januarii in obituario S. Juliani Turonensis. Ejus decessum Honorio papæ Hildebertus, Cenomanensis præsul, denuntiavit. Sacras quidem profanasque litteras apprime Baldricus didicerat, et nonnulla scripsit quorum pleraque desiderantur. Ejus de scriptis et vita disseruit Hist. Gall. Litter., t. XI. Advertendum quod Baldrici temporibus Turonensis metropolitæ auctoritas in extrema Armorica prorsus invalida fuerit: Baldricus enim, ex ipsis Innocentii III litteris, quatuor suffraganeos habuisse probatur.

XXIV. Geoffridus I.

LE ROUX. Mortuo Baldrico, in Geoffridum, antea Dolensis ecclesiæ archidiaconum, suffragia convenere. Qui re vera archidiaconatum semet olim tenuisse testatur, in charta de ratis Salmuriensium monachorum in Dolensi diœcesi possessionibus. Aliunde vero comperitur eum gentilitio nomine Rufum appellatum fuisse; e schedula scilicet qua memoravit a Guillelmo Rufo, fratre suo, Veteri Villæ data; Probat. Hist. Brit., t. I, col. 682. Anno 1130 electus est: quo, nondum consecratus, impulit Jordanum, Alani filium, ad restituenda Majori Monasterio cœmeteria, quæ velut hæreditario jure possidebat; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 564. Anno 1131, Remensi concilio interfuit, Briocensem Trecorensemque episcopos, quibus suffraganeis utebatur, secum ducens. Eum quidem pallio Innocentius papa donavit; ad eumdem vero scripsit,
1133 8 Novembris 1133, jubens ut ad Pisanum concilium iter faceret, suam adversus Turonensem metropolitam causam oraturus. Subscripsit, VI id. Augusti 1137, anno ordinationis suæ septimo, chartæ qua fundatio Veteris Villæ memoratur: eidem abbatiæ a Guillelmo, fratre suo, data probavit Septembri mense 1141. Iterum, anno 1144, Lucio Romanam sedem occupante, Romæ secundum metropolitam Turonensem de sedis utrinsque juribus decernitur: qua sententia Dolenses episcopi post Geoffridum pallio exuuntur, jubenturque Briocensis Trecorensisque præsules Turonensi metropolitæ obtemperare. Geoffridus postea, ut qui dignitatis imminutionem ferre non posset, aliam cathedram exoptavit, et, annuente papa, Capuanus archipræsul factus est. Eum canonici Dolenses enarrant Capuanas infulas, dum sub judice lis erat, jam exoptantem, Dolensis ecclesiæ jura segniter defendisse. ANNI CHRISTI Ch. II, col. 248 1144

XXV. Olivarius.

Olivarius Geoffrido successit, ea tamen sub conditione omnium votis adlectus, ut, Romanæ sedis decreto non obtemperans, semet archiepiscopum Dolensem utcumque ferret. Nec eorum spem Olivarius fefellit; qui scilicet Turonensis cathedræ mandata constanter se contemnere professus est, novosque rei judices appellans, e sæpius agitata lite iterum iterumque, pontificantibus Eugenio III et Anastasio IV, cecidit. Obiit, ut videtur, anno 1153 desinente.

Guillelmus, Cisterciensis monachus, post Olivarium eligitur. Ea autem electio, læsis Cisterciensium, ut aiunt, institutis peracta, cassa permansit.

XXVI. Hugo.

E priore S. Crucis Nannetensis, ut in Majoris Monasterii chartulario legitur, t. III, p. 398, episcopus Dolensis Hugo litteris Anastasii papæ IV instituitur, 13 Februarii 1154. Huic longe alia mens quam Olivario. Aliquantisper enim Turonensis metropolitæ jurisdictione recusatæ, eum adiit, petiitque ut ab eo, remotis quibuslibet jurgiis, rite consecraretur. Hugonem igitur Engelbaldus 5 Decembris consecravit. Ea tamen a tantis dissidiis cessatio temporaria fuit, ecclesia Dolensi quam pastor fecerat pacem minime comprobante. Exsul in monasterium S. Michaelis Hugo secessit, et deinde Romam tetendit. Anastasium Adrianus exceperat, Dolensis libertatis plusquam Turonensis auctoritatis studiosus. Qui, audita cleri Britannici querimonia, ad Engelbaldum scripsit, 20 Decembris 1155, jubens ut eum 1155
Hugone de suffraganeis episcopis componeret, eademque die prædictus papa, missis ad clerum populumque Dolensis ecclesiæ litteris, sententiam ab Hugone latam in ecclesiasticorum bonorum invasores confirmavit. Memorantur tunc temporis ut qui in Dolensis

LE ROUX Rer. Gal. Script., t. XV, p. 659

ANNI CHRISTI ecclesiæ res, inito quasi consilio, certatim impetum fecerant Joannes Dolensis, Rollandus Dinannensis, Radulfus vice-comes, Guillelmus Montifortensis, Radulfus Filgeriensis, Hervæusque Leonensis comes. Eos iteratis Adrianus litteris de restituendis quæcumque abstulerant admonuit, 21 Maii et 27 Decembris 1158. Eodem anno, monachis S. Michaelis Hugo capellam Montis Doli contulit.
1161 Munere dein semet abdicavit anno 1161, secundum Robertum de Monte. Hæc sunt Roberti verba, sub hunc annum : « In capite « jejunii, apud Cenomanos, Hugo, archiepi- « scopus Dolensis, cæcitate debilitatus, præ- « sentibus Henrico rege Anglorum et duo- « bus legatis Romanæ ecclesiæ, Henrico « de Pisis et Guillelmo de Papia, reddidit « archiepiscopatum quem fere per sex annos « tenuerat, et in ejus reparatione plurimum « laboraverat. »

XXVII. Rogerus.

DE HUMEZ. Rogerus, quem nonnulli Richardum vocant, ex archidiacono Briocensi in Dolensem cathedram transfertur anno 1161, secundum Roberti Chronicon. Alexander vero papa III ad Dolenses clericos scribebat, 12 Julii 1161, ut succedentem successurumve Hugoni pontificem Turones ire cogerent, a Turonensi metropolita consecrandum. Sub hanc igitur diem summus Pontifex an electus esset Hugonis successor ignorabat. Jam non superstes erat Rogerus anno 1163, ut quæ de Joanne memorantur fidem faciunt. (Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 771.)

XXVIII. Joannes II.

Nuper electus memoratur Joannes, in chartula qua per Majoretanos Salmuriensibus licitum capellam Landæ Hugonis exstructam consecrare. Eidem autem schedulæ subscribit Joannes, Macloviensis præsul, qui anno 1164 decessit. Perperam igitur Robertus de Monte Rogeri antecedentis mortem in anno 1164 collocat. Ecclesiæ suæ jura Joannes ab Alexandro papa rata obtinuit
1177 anno 1174, obiitque anno 1177.

XXIX. Rollandus III.

Patria, ut aiunt, Pisanus, ex Abrincensi decano Rollandus Dolensis præsul eligitur
1182 anno 1177, qui in Scotiam, anno 1182, a Lucio papa III, teste Rogero Houvedenensi, missus est. Nondum vero consecratus erat.
Ch. III, col. 248. Dolensis enim etiam tunc electus, anno 1184, monachis S. Michaelis insulam *Lillemuer*, allias *Ile-Mer* dictam concessit. Eum scilicet hoc anno Alexander papa consecravit. Idem postea fuit cardinalis S. Mariæ in Porticu. Obiit 4 Martii, anno, ut videtur, 1187.

A
XXX. Henricus I.

ANNI CHRISTI Henricum Rollando successisse memorat Rogerus Houvedenensis; qui, postquam Romam consecrandus iter fecerat, in ea urbe peste interemptus obiit, anno 1187, vel 1188.

XXXI. Joannes III.

Ex abbate S. Jacobi Joannes Dolensis præsul consecratur anno 1188; qui anno 1190, vel anno 1192, decessisse videtur. Tres cum Joannes vicissim illo tempore Dolensis eccle-
B siæ gubernaculo præfuerint, eorum adventus eorumque decessus secessusve sub dubios annos caute ponendi. DE VAUNOISSE.

XXXII. Joannes IV.

Is Joannes, qui Turonensi metropolitæ cunctis viribus adversatus est, semet electum inscribens primum occurrit, ut videtur, anno 1194, quo dimidiam partem ecclesiæ B. Mariæ sacræ, in urbe Dolo, monachis S. Florentii condonat. Idem, anno 1196, cum Veteris Villæ conventu de prædio *Tual*
C pactus est, et anno 1197, monachos Lehonenses ecclesiarum S. Judoci et Keredeloci patronos esse jussit. Electus etiam tunc, consecratione nondum impetrata, dicebatur. Deinde Romam petiit, ut pallium deposceret. Hoc autem consilium ei Dolensisque ecclesiæ perniciosum fuit. Occasionis enim momentum Innocentius arripiens, adeo diutinam de archiepiscopatu Dolensi contentionem edicto notabili tandem sopivit, 1 Junii 1199. Nec multo post Joannes obiit. DE LA MOUCHE. 1194 Ch. IV, col. 249.

D
XXXIII. Joannes V.

Joannem hunc tabulæ Dolenses *de Lisanet* nuncupant, necrologium Dolense *de Lesenech;* a quibusdam tandem *de Lesonet*, vel *de Lisonet* vocatur. Turonensi metropolitæ morem gerens, ab eo consecrationem poposcit. Dein, anno 1205, in synodo Turonensi sedit. Anno 1207, initæ compositionis inter 1207
Lucernensem conventum et Abrincense capitulum testis reperitur; supra, t. XI, Instr., col. 116. Anno 1208, Espiniacenam ecclesiam canonicis Dolensibus concedit. Anno
E 1213, inter idem Dolense capitulum et S. Florentii Dolensis priorem pacem facit. Anno 1220, ab antecessore suo Joanne datam ab- 1220
batiæ S. Jacobi *Lamnoas* ecclesiam confirmat, eodemque canonicis cathedralis ecclesiæ totum jus tradit quod antea in domibus Radulfi *de Argentoin* possidebat. His de domibus chartula, quam contractam exhibet Albor. Mantell. codex 45, gentilitium Joannis cognomen posteris commendavit; ibi sedenim *de Lisanet* inscribitur : in manifesto igitur errore versantur qui Joannem *de Lisa-* DE LISANET.

ANNI CHRISTI *net* anno 1199 obiisse, eique Joannem *de la Mouche* successisse retulerunt. Memoratur Joannes, Septembri mense 1221, Radulfo, S. Michaelis abbati, dimissa condonans jura quæ antea in quosdam Dolensis territorii prioratus sibimet vindicaverat. Ejusdem votis Rotomagensis archipræsul anno 1222 annuens, reliquias S. Samsonis et S. Maglorii, quæ in Normanniam delatæ fuerant, ecclesiæ Dolensi restituit. Anno dein 1223 Joannes occurrit rursus in capitulum suum beneficus, cui totam ecclesiam *Plubihan* tunc temporis condonavit. Anno tandem 1231, tam in libro qui dicitur *Alanus* quam in chartulario Majoretano memoratur, t. III, p. 240 : quo decessit anno, idibus Novembris ; e Dolensis ecclesiæ necrologio.

Ch. v, col. 257.

1223

XXXIV. Clemens.

DE COETQUIS. Secunda feria post S. Lucæ sacrum diem 1231, archiepiscopo Turonensi canonici Dolenses nuntiant se Clementem, nuper archidiaconum, in vacantem cathedram erexisse; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 877. Qui coram Gregorio papa IX questus de parochiarum rectoribus, sub prætextu theologiæ discendæ ecclesias suas animarumque curam deserentibus, ab eo litteras obtinuit ubi inter docibiles et indocibiles clericos distinctio

Ch. vi, col. 257.

1237 reperitur. Legitur Clemens, anno 1236, Fresneiensis ecclesiæ patronatum ad Majoretanos pertinere testans. Anno sequente, 4 Novembris, concilio Cenomanensi interfuit, laudavitque Geoffridi litteras de libertatibus San-Julianei collegii. Mense Maio 1238, prioratum S. Broeladii, quem Ludovicus de Joncheriis, baillivus regius, occupaverat, monachis S. Michaelis restituit. Dein proditur, mense

1241 Januario 1241, testis Geoffridi de Poenceio plura prædia filio suo matrimonium contrahenti largientis. Paulo post in abbatiam S. Petri Carnotensis secessit, ibique supremum diem exspectavit. Appellatur Clemens de Vitreio, vii id. Octobris, in necrologio Dolensis ecclesiæ.

XXXV. Stephanus I.

1243 Stephanus, anno 1243, ecclesiam S. Keredeloci confert. Idem, Bellum Portum postquam devenerat, anno 1244, ibi, die Mercurii post Ascensionem Domini, Henricum *de Alvagor* incolasque insulæ *Briat*, ob detrectatum vectigal, excommunicationis virga ferit; apud Car. *Guimart*, instr. Brioc. eccles., p. 181. Cum capitulo transegit, anno 1247, de collatione vicariæ *Pleuhiden;* eidem tradidit, anno 1249, omnes decimas villæ *les Reages*. Anno 1252, perpetuas duas capellanias instituit. Mense Maio 1263, colligendas ex ecclesia S. Solemnis decimas trifariam dispertivit, earumque tertiam partem ecclesiæ Dolensi assignavit. Memoratur tandem, anno 1265, statutum de vestibus clericorum edens, atque, ut divini cultus pompam augeret, quatuor addictos choro pueros ex episcopali comitatu segregans, et ecclesiæ cathedrali famulari jubens. Eo denique anno, die Sabbati post festum S. Catharinæ, mortem ejus canonici Dolenses archiepiscopo Turonensi denuntiant; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 199.

ANNI CHRISTI

Ch. vii, col. 258.

XXXVI. Joannes VI.

MAHE. Canonicus antea Dolensis et archidiaconus Transligeranus in ecclesia Turonensi, Joannes electus est die lunæ post Circumcisionem 1266, secundum recentem usum; e litteris capituli ad archiepiscopum Turonensem, inter Probat. Hist. Brit., t. I, col. 1000. Quo pactus est anno cum Dolensibus canonicis, de vicaria perpetua in ecclesia *Ros* instituenda. Anno 1267, fundationem monasticæ domus approbat apud *la Dauphinaye,* 1267
in parochia B. Martini de Romagneio; e chartul. Maj. Monast. Occurrit, anno 1268, judex litis inter monachos S. Michaelis et capitulum Dolense super decimis S. Columbani. Mense Decembri 1269, contentionem diremit inter Guillelmum *Quoyquen* et Nicolaum, rectorem capellæ B. Mariæ in ecclesia S. Samsonis. Anno sequente, die Jovis post 1270
Dominicam qua cantatur *Jubilate,* eumdem Guillelmum canonicosque Dolenses conciliat litigantes de decimis S. Solemnis. Die lunæ post B. Hilarium 1272, pacem facit inter eosdem canonicos et Agatham de Barra, super decimis in parochia *Pleuhiden* exactis; anno 1274, inter Guillelmum *Blandin* et Lehonensem priorem : e chartul. Maj. Monast. Idem, anno 1279, in minimi momenti chartulis occurrit. Joannis mortem archiepiscopo Turonensi deferebant canonici Dolenses die Sabbati post dominicam qua cantatur *Jubilate* 1280; e Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1053. Anniversarium ejus in ecclesia Dolensi et in monasterio S. Michaelis celebrabatur 13 Maii.

XXXVII. Theobaldus I.

E Canonico Dolensi et Briocensi decano DE POUSCE.
Theobaldus (1) electus est Martis die ante festum S. Margaritæ, Julio scilicet mense 1280; 1280
Probat. Hist. Brit., t. I, col. 1053. Vixdum electus de criminibus nonnullis impetitus est ab episcopo Briocensi : quamobrem ad curiam Romanam tetendit, ut causam oraret suam; sed cum inter eundum audivisset Nicolaum papam obiisse 22 Augusti, retro protinus viam fecit, scripsitque, 14 Septembris,

(1) Eum, ex anonymo Chronico, rex, anno 1276, in Germaniam miserat, qui sagam quamdam de morte Ludovici, regis filii, et de moribus reginæ consuleret; Rer. Gall. Script., t. XI, p. 95.

ANNI CHRISTI ad archiepiscopum Turonensem, petens ut ab eo consecraretur; ibid., col. 1057. Exstant capituli Dolensis ad Turonensem metropolitam litteræ, quibus eadem consecratio postulatur; ibid., col. 1058. Memoratur Theobal-
1283 dus, anno 1283, inter regni administros quos Guillelmus, Matisconensis episcopus, rogavit ut abbatissæ S. Austrebertæ regalium copiam facerent. Interfuit eodem anno judicio quo Pictaviensis comitatus Philippo regi adjudicatus est; e Thesauro Chartarum. Quocirca, die Mercurii post festum S. Clementis, ad Turonensem archipræsulem epistolam mittebat, referens semet regiorum negotiorum cura foris teneri, nec ipsi licere ut adesset consecrationi Corisopitensis electi; e Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1070. Testis fuit, anno 1284, compositionis inter regem et decanum S. Martini Turonensis initæ; e The-
1287 sauro Chartarum. Mandatum edit, anno 1287, ut de finibus parochiarum S. Columbani Dolensis et S. Melorii inquiratur. Anno 1291, die Veneris ante festum S. Sebastiani, scripsit ad capitulum Turonense se rebus arduis impeditum ne pergeret Turones, ubi mox erat peragenda consecratio Alani, Corisopitensis electi; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1094. Anno
1292 1292, præbendam novam instituit in capitulo Dolensi, eamque dedit Alano de Castro Gironis. Eodem anno memoratur sedens in Lugdunensi concilio. Anno 1293, Turonibus consecrabat Reginaldus archipræsul Henricum, Nannetensem episcopum : Theobaldus autem a cœtu comprovincialium episcoporum abstinuit, quoniam, ut aiebat, peculiaribus litteris non fuerat invitatus. Quæ legere licet apud *Maan*, qui Theobaldum nostrum de Poencejo *Moreacum* perperam nuncupat. Ante Romanam sedem ea de re fuit litigatum, et Bonifacius papa VIII, XII cal.
1299 Julii 1299, Theobaldo favens, illum a juramento fidelitatis, quod archiepiscopo præstare debebat, absolvit; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1139. Decessit III cal. Aprilis; ex obituario Dolensis ecclesiæ. Memoratur autem II nonas Januarii in martyrologio Remensi, ut legit D. *La Porte du Theil* in Ottobon. codice. Canonici tamen Dolenses non ante diem II Octobris ab archiepiscopo Turonensi alium episcopum eligendi facultatem poposcerunt; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1173. Annum Bonifacii papæ VIII septimum et indict. XV præbent capituli Dolensis litteræ; quæ chronicæ
1301 notæ annum 1301 desinentem concordes designant.

XXXVIII. Theobaldus II.

DE MOREAC. Eligitur Theobaldus anno 1301 desinente. Anno 1302, vacantium ecclesiarum fructus novo partitus est decreto; 1303, de quibusdam decimis cum N. *de Quoyquen* pactus est; 1304, inter Guillelmum, abbatem S. Mi-

A chaelis, prioremque S. Broladii fœdus fecit; 1305, inter Dolense capitulum prioremque *Bagar Morvan* pacem firmavit; 1307, capitulum suum et Nicolaum *Heichevoul*, sacerdotem, conciliavit; 1310, Petro de Acigneio, thesaurario Dolensi, domum S. Lazari sub census conditione tradidit. Ulmis, episcopali prædio, decessit, die Veneris post festum B. Hilarii 1312, secundum recentem calcu- 1312
lum, e capituli litteris ad archiepiscopum Turonensem; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1235 (1). Idem comprobant officialis Dolensis litteræ de Godelino presbytero, datæ die
B lunæ ante festum S. Petri ad Vincula 1312, sede vacante. *Dudum* tandem episcopus legitur anno 1313, in charta de ejus anniversario celebrando; e chartul. Corisop. quod num. 51 præbet, fol. 68.

XXXIX. Joannes VII.

Joannes, patria Cenomanensis, doctor DU BOIS.
utriusque juris, canonicus Andegavensis, et in senatu Parisiensi causidicus, electus est anno 1312. Per illum canonicis licuit
C peccantes clericos castigare, anno 1314. 1314
Eodem anno, eleemosynariam domum S. Michaelis Andegavi condidit, ut in ea tredecim pauperes alerentur; apud *Housseau*, t. VIII. Eodem, pactus est cum Joanne *Le Bouteiller*, milite, circa præstationem quæ de vasibus vinariis Doli percipiebatur. Occurrit, anno 1315, testans omnem jurisdictionem in locis in eleemosynariam construendam a se collatis ad comitem Andegavensem pertinere; e Thesauro Chartarum. Ex eodem Thesauro, testamentum edit, 16 Februarii 1317, secundum recentem usum, de rebus 1317
quæ non semel memorato hospitio dederat.
D Reperitur et anno 1319, monachis S. Michaelis concedens ut oratorium supra montem Ruaudi condant. Anno vero 1320, III id. Januarii, Joannes papa XXII ad Abrincensem episcopum scribit a certis testibus ad se delatum Joannem, Dolensem antistitem, senio prægravari, et incurabili cæcitate laborare : quare prædictus papa quemdam optimæ frugis clericum requiri jubet, in quem infirmus præsul præcipuam episcopalis officii curam transferat. Ejusdem postea papæ litteris, cal. Junii 1321, Radulfus, archidiaconus Dolensis, adjutor Joanni datur; e Suaresii sche-
E dis. Occurrit tamen Joannes, anno 1322, prædia plura capitulo suo conferens. Decessit 25 Januarii 1324, secundum recentem 1324
calculum, et sepultus est in capella S. Samsonis, cum hoc epitaphio : *Hic jacet Johannes de Bosco, quondam episcopus Dolensis, de Cenomannia natus, utriusque juris doctor excellens, et fuit in Parlamento regis ad-*

(1) Obituarium S. Mauricii Andegavensis ejus meminit VIII id. Februarii. Certior sane litterarum capitularium fides.

ANNI CHRISTI *vocatus, qui obiit anno Dom. MCCCXXIII, die Mercurii, festo Convers. S. Pauli. Orate pro eo.* Ejus meminit IX cal. Februarii necrologium ecclesiæ Redonensis, et calendis ejusdem mensis obituarium S. Mauricii Andegavensis. De eodem tandem mentio V id. Februarii in necrologio Dolensis ecclesiæ reperitur.

XL. Guillelmus I.

MESCHIN. Trecensis episcopus Guillelmus in Dolensem cathedram translatus est litteris Joannis papæ XXII, VI cal. Maii 1324; e schedis Suaresii: qua die apostolicam cameram adiit, ut refertur supra, t. XII, col. 510. Legitur
1325 munus implens 18 Januarii 1325, secundum recentem usum, curamque S. Broladii presbytero cuidam tradens; e chartular. S. Michaelis. Pactus est anno 1327 cum Britonum duce de juribus ecclesiæ Dolensis, et deces-
1328 sit 15 Martii 1328.

XLI. Joannes VIII.

D'AVAUGOUR. E Briocensi præsule Dolensis fit Joannes. Quam probavit translationem Joannes papa XXII, V cal. Maii 1328; apud Suaresium. Eodem anno, obsequium cameræ apostolicæ Joannes spondet, 8 Junii. Memoratur, paulo post festum S. Lucæ 1329, in S. Michaelis tabulis. Quo et anno, IV non. Septembris, votis ejus annuens, Joannes papa capitularis unius præbendæ fundationem a Theobaldo
1335 de Poenceio factam sancit. Mense Junio 1335, ad capitulum Turonense scripsit Joannes, Guidonis, Briocensis electi, consecrationi interesse non valens; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1375. Quod sub tempus absens legitur in ipsis Dolensis ecclesiæ tabulis, ejus dum vicarius esset Joannes *Plusquepeus*, sigillifer
1340 curiæ Dolensis. Decessit 8 Maii 1340; e litteris archiepiscopi Turonensis de novo episcopo eligendo; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1399.

XLII. Henricus II.

DU BOIS. Ex archidiacono Dolensi præsul Henricus eligitur 30 Maii 1340; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1402. Quod sub tempus, Andegavi degens, in domo Maheti de Bello Monte, electioni suæ consensit, 5 Junii; ibid., col. 1401. Sedis vero Turonensis sanctione postulata die Veneris ante Pentecosten, commissarios instituit Petrus metropolita, die Mercurii post Pentecosten, a quibus electio prædicta prout decebat investigaretur; ibid., col. 1400. Quam primum Petrus cassam habuit; dein, deprecante papa, ratam. Occurrit
1348 Henricus, Februario mense 1348, secundum recentem usum, de decimis Villæ Arturi paciscens. Mense Martio obiit, e necrologio S. Mevennii, ubi legitur: « Martio, « obiit D. Henricus, episc. Dolensis, pro « quo tenemur quater in anno obitum suum « facere, pro eo quod dedit centum scuta « auri ad redemptionem monachorum hujus « loci captorum per Anglicos. »

XLIII. Simon.

Ex abbate Majoris Monasterii Simon in Dolensem cathedram transfertur, post Augustum mensem 1352. Anno 1355, Romæ degens reperitur, summumque Pontificem honore debito prosequens. Qui litteris Innocentii papæ VI Carnotensem sedem adire jubetur, calendis Aprilis 1357. Quære supra, t. VIII, col. 1176. LE MAIE. 1355

XLIV. Geoffridus II.

Ex episcopo Corisopitensi Dolensis fit Geoffridus cal. Aprilis 1357; ut novimus ex Innocentii papæ VI litteris quas Suaresius contraxit. Occurrit dein anno 1364, in chartulario S. Michaelis in Periculo maris, et, 12 Martii 1366, Andegavensi concilio interfuit. Obiit XV cal. Maii; ex obituario Culturensi. DE COETMOISAN. 1364

XLV. Joannes IX.

Joannes, cognomento de Passibus, eligitur anno 1366, bullasque obtinet 7 Junii 1367. Memoratur die lunæ post festum B. Samsonis 1373, reditus canonicorum Dolensium augens. DESPAS. 1373

Quis ergo tribuendus locus illi Nicolao, quem D. *Tresvaux* anno 1366 decessisse refert?

XLVI. Geoffridus III.

Memoratur Geoffridus in variis chartulis anno 1374, et anno 1378, quo capellæ cujusdam administrationem contulit; e libro qui inscribitur *Alanus*. Idem, ut aiunt, anno 1375 in senatu Parisiensi sedit. Plerosque præteriit Geoffridum hunc, Joannis successorem, a Geoffrido *de Coetmoisan* prorsus differre. Quamobrem confusa perturbataque reperitur sub id tempus Dolensium episcoporum series. Adde quod antecessores nostri, t. XIII, col. 1226, 1227, Joannem de Dampetra ex ecclesia Virdunensi in Dolensem translatum referant anno circiter 1375: unde novæ nebulæ exortæ sunt. Is forsan Joannes anno 1374 Dolensem cathedram adire jussus est; nec tamen ea potitus est. Aut Joanni perperam antecessores nostri sedis commutationem adscripserunt, quam revera Guido, Virdunensis præsul, anno 1379 exsecutus est.

ANNI CHRISTI

XLVII. Guido.

DE ROYE. E Virdunensi præsule Guido in Dolensem cathedram transfertur anno 1379, et obsequium apostolicæ cameræ jurat 9 Augusti
1382 1381. Anno vero 1382 Turonensis archipræsul salutatur. De eodem plura inter episcopos Virdunenses, Castrensesque, ac inter archiepiscopos Turonenses et Remenses.

XLVIII. Petrus.

Petrus, ex abbate S. Mevennii Senogaliensis episcopus, apud Urbanum papam VI acceptissimus erat. Guidone igitur in Turonensem metropolim translato, Urbanus Dolensi cathedra Petrum donat, eumque Gallorum regi commendat, XVI cal. Julii 1382; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 420. Eodem anno forsan obiit, Natali die, nam procuratoris ab eo die rationes ductæ memorantur usque ad diem 22 Decembris 1383; e sched. castri Nannet., arm. G, caps. *e*.

XLIX. Eberardus.

DE TRENICON. Utriusque juris doctor posteaque Carnotensis ecclesiæ decanus, non semel in Hispaniam Eberardus a rege missus fuerat. Apud quem probatissimus Dolensi cathedra post Petrum, ut videtur, donatus est. Die lunæ post Ramos Palmarum 1384, secundum recentem computum, Eberardus in Luparæ palatio obviam iit Guillelmo *de Chamborant*, regio scutifero, eumque fratris sui, ferro nuper sublati, occisorem clamitavit. Sed, Guillelmo rem negante et de falsa accusatione appellante, mulcta mulctatus est Eberardus 30 Junii 1384; Prob. Hist. Brit., t. II, col.
1385 472. Occurrit idem, 7 Junii 1385, testis rerum Joanni *du Fou* a Joanne duce confirmatarum; ibid., col. 379. Anno 1386 obiit, aut in aliam sedem, secundum *Ogée*, migravit.

L. Guillelmus II.

Guillelmum *de Bris*, Redonensem episcopum, non unius scriptoris pro fide diximus anno 1386 decessisse. Quorumdam tamen e sententia idem ille Guillelmus e Redonensi cathedra in Dolensem eo anno translatus est, 27 Augusti, et obsequium cameræ apostolicæ juravit 15 Aprilis 1387. Ab aliis tandem Dolensis præsul Guillelmus gentilitio cognomine Melchini, gallice *Mechin*, nuncupatur. Ut ut ea se res habuit, idem alterve Guillelmus Dolensem cathedram occupabat 18
1387 Aprilis 1387, qua die, Nannetibus, litteras Joannis ducis de dotalibus Joannæ Navarreæ reditibus laudavit; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 661. Paulo post vero decessit, 2 Februarii 1391, ut testantur rationes coram duce Britonum eodem anno relatæ, 22 Martii; e schedis castri Nannet., arm. G, caps. *e*.

A

LI. Richardus.

Commendatur Richardus a Clemente papa, XII cal. Martii 1391. Turonibus reperitur 26 Januarii 1392, initum comprobans fœdus inter Joannem, Britonum ducem, Joannemque alterum, Penthevriæ comitem; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 538. Audivit, 18 Julii 1395, Radulfum de Monte Forti Britonum duci clientelare officium promittentem. Fundatam dein S. Michaelis capellam probavit, 25 Februarii 1396, in percelebri Britannorum episcoporum conventu. Memoratur 25 3961 DE LESMENEZ.
B Maii 1400, acerrime contendens cum Amelio metropolita. Cum enim hic Dolum tenderet, provinciali lustratione fungens, urbis portas claudi jussit Richardus, ipsumque metropolitam multis injuriis lacessitum repulit. Indicta igitur rebelli dies; qui non comparuit, de crimine diluendo parum curans. Quare, 27 Julii, excommunicationis flagello cæsus est. Anno 1401 Carmelitas Dolum accivit. Obiisse videtur Richardus 26 Maii 1405; e 1405
procuratoriis tabulis, inter schedas castri Nannet., arm. G, caps. *e*. Ejus tamen Dolensis ecclesiæ necrologium VIII cal. Februarii
C meminit.

LII. Stephanus II.

E Briocensi præsule Stephanus in Dolensem cathedram, 1 Decembris 1405, a Benedicto papa translatus est; e cod. Regio 8357[2]. COEUVRET.
Qui bullas ad se missas Britonum duci exhibuit 24 Martii 1406, et tunc ex ejus autoritate muneris reditibus potitus est. Eodem 1406
anno, penultima Julii die, Nannetibus conjugales tabulas approbat quibus Blanca Britanna et Joannes Armeniacus uniti. Scrip-
D serat Richardus ad summum Pontificem, nullum esse Mendicantium fratrum gregem in ecclesia Dolensi asserens, postulansque ut Carmelitis liceret in præcipua diœcesis urbe consistere. Quod per Benedictum papam licitum est XV cal. Martii 1407, ut ejus ad Stephanum litteræ testantur. Nondum vero, ut videtur, Stephanus consecratus fuerat: ad eum enim electum Dolensem scriptæ Benedicti litteræ. Interfuit concilio Pisano, anno 1409; Constantiensi, anno 1415; comitiis Britannicis, 8 Septembris 1427. Obiit 6 Decembris 1429; e cathedralis ecclesiæ necro- 1429
E logio.

Audita Stephani morte, Martinus papa Guillelmum, Macloviensem antistitem, in Dolensem cathedram transtulit. Hanc vero translationem Guillelmo deprecante, aliquantisper Dolensis sedes vacua permansit.

LIII. Joannes X.

Tandem e Trecorensi cathedra Joannes vocatus est in Dolensem litteris Martini papæ, DE BRUC.

ANNI datis II non. Octobris 1430; e cod. Regio
CHRISTI 8357[2]. Vacans quidem dicitur Dolensis sedes 23 Aprilis 1431, in actis Nannetensis concilii; adverte vero quod usque ad 15 Maii Joannes possessionem inire distulerit. Anno
1433 1433, Petrum *Chesnel*, rei viariæ Doli præfectum, excommunicationis flagello cædit. Capitulum dein generale cogit anno 1434,
1437 obitque anno 1437, XI cal. Junii; e Dolensis ecclesiæ necrologio.

LIV. Alanus I.

DE LESPERVEZ. Joannis, ex Armoricæ optimatibus et ducum consiliariis, Alanus filius erat, qui, militiæ nomen dans ecclesiasticæ, Franciscanorum primo funiculum lateri accommodaverat. Creatus est Dolensis episcopus 11 Decembris 1437, et postea in Corisopitensem
1444 sedem translatus, IX cal. Septembris 1444.

LV. Radulfus.

DE LA MOUSSAIE. Ex apostolico protonotario Radulfus præsul Dolensis electus est. Qui solemniter a canonicis receptus est 25 Decembris 1444. Redonibus reperitur 14 Octobris 1448, qua die Mathurinus Melaniensium abbas salutatus est. Jam diu Turonensis metropolita Dolensisque antistes de visitationibus contendebant. Inter eos componendæ pacis de-
1450 lineata ratio, 16 Novembris 1450 : res tamen nullum tunc temporis effectum sortita est. Anno sequente, 17 Martii, his de dissidiis tandem fœdus fecere, quod Nicolaus papa ratum habuit 20 Januarii 1452. Missam unam perpetuo celebrandam condidit Ra-
1456 dulfus XI cal. Aprilis 1456. Quo etiam anno adscribitur, 4 Aprilis, numero præsulum qui Venetiam ad recognoscendum S. Vincentii Ferrarii corpus convenerunt, paucisque diebus elapsis, nempe 16 ejusdem mensis, obiit. Memoratur XVI cal. Augusti, in Dolensis ecclesiæ necrologio.

LVI. Alanus II.

Alanus, episcopus Avenionensis, cardinalis S. Praxedis et Uceticensis ecclesiæ administrator, a summo Pontifice in Galliam missus, primas tenuerat inter præsules quorum in conspectu S. Vincentii Ferrarii corpus e terra effossum fuerat. Ei, 17 Junii 1456, episcopatum Dolensem commendæ titulo regendum dominus papa concessit. Cum tamen Doli fixam sedem habere non posset, adjutore usus est Ambrosio de Camerato,
1474 Electensi episcopo. Obiit 22 Julii 1474.

LVII. Christophorus.

DE PENMARCH. In eo ut decederet Alanus cardinalis, episcopatu Dolensi Christophori, e sorore nepo-

A tis, in gratiam semet abdicaverat. Filius enim is erat Henrici *de Penmarch* et Aloisiæ *de Coetivy*. Scripsit ad Britonum ducem Christophorus, requirens ut ab eo veluti fidus cliens benigniter exciperetur. Antequam vero ducis responsum Romam pervenisset, obiit Alanus, protinusque, non diutius expectatis ducis litteris, summus Pontifex vacantem cathedram Christophoro contulit. Qui deinde repulsam a duce passus est, et prohibitus est ne juramentum ei præstaret. Exstat Sixti papæ ad Dolensem episcopum epistola, data IV non. Januarii 1474, qua
B eum hortatur ne majoris censuræ flagro Ch. XI col. 260.
Franciscum ducem, ob pertinaciter denegatam provisionem, castigare tandem aggrediatur, spondetque se mox his dissidiis finem daturum. Eorum quidem decisio facta est 14 Januarii 1477, Christophoro in Briocen- 1477
sem cathedram translato.

LVIII. Michael.

Ex episcopo Leonensi Dolensis Michael GUIBÉ.
efficitur anno 1477, et eodem anno fidem jurat, 4 Augusti. Anno 1480, Venetensibus
C comitiis interest; subscribit, 27 Octobris 1481, Francisci ducis litteris nothi sui Francisci dominium augentis. Mox autem, desinente Martio mense 1482, in Redonensem 1482
cathedram Michael transfertur.

LIX. Thomas I.

Ex episcopo Leonensi Dolensis fit Joannes JAMES.
28 Martii 1482. Romæ tunc temporis degens, procuratorem instituit 13 Aprilis, cujus opera fidem duci juret. Roma tamen redux videtur anno 1484, quo S. Jacobi ecclesiam, 1844
D in diœcesi Nannetensi, a fundamentis restitui curans legitur; apud Nic. *Travers*, Hist. Nannet. eccles., t. I, p. 308. Hujusce prioratus, S. Jacobo sacri, commendatarius prior Thomas erat. Idem, 5 id. Aprilis 1493, ab Alexandro papa crucis ante se deferendæ solemne privilegium obtinuit. Laudatur Thomas assiduus egenorum viduarumque patronus; qui multis flebilis occidit nonis Aprilis 1504; ex ejus epitaphio. 1504

LX. Mathurinus.

E Eligitur Mathurinus 12 Junii 1504, a ca- DE PLÉDRAN.
pitulo Dolensi recipiendus 18 Junii 1507. Falso dicitur ab *Ogée* præsul factus e Nannetensi decano. Joannes vero, Mathurini germanus, tunc temporis decanatum Nannetensem tenebat. Fidem Ludovico regi Mathurinus jurans reperitur 1 Februarii 1514
1514. A quibusdam scribitur 10 Decembris 1521 defunctus. Alii vitam ejus in annum 1523 ducunt, sed erronea quadam conjectura.

ANNI CHRISTI

LXI. Thomas II.

LEROY. Thomas, utriusque juris doctor, apud Julium II et Leonem X acceptissimus, Romæ commorabatur, legati munere fungens, aliisque insuper in ipsa Romana curia dignitatibus ornatus, cum eo pervenit tabellarius Mathurini decessum renuntians. Eum confestim summus Pontifex Mathurino succedere jussit. Cathedram vero Dolensem nunquam adiit, vetante Francisco rege. Ferventibus igitur his inter papam regemque de episcopatuum collatione dissidiis, Dolensis sedes vacua permansit. Reperitur Romæ Thomas, 10 Julii 1524, qua die, mandato domini papæ, litteras edit in gratiam Bertrandi *de Marnix,* in abbatialem S. Vincentii Bisuntini sedem evecti. Obiit quidem Thomas eo anno 1524, eique papa Joannem de *Staphileo* suffecit, 25 Octobris. Sed ea quoque nominatio nullum effectum habuit, reperiunturque canonici Dolenses, 23 Novembris 1524, procuratorem instituentes, sede vacante, in Britanniæ comitia mittendum; e Max. Gall. Archivo, J, 808. Qui rerum status per plures annos permansit, nam sedes
1528 etiam tunc vacabat 22 Junii 1528, qua die Lucas *Legrand,* capituli Dolensis procurator, concilio Turonensi interfuit.

LXII. Franciscus.

DE LAVAL. Naturalis filius Guidonis Lavallensis et Annæ *d'Espinay,* Franciscus, abbas idem Troncheti et Panis Pontis, Dolensis episcopus anno 1528 creatur, et consecratur 10 Decembris 1530. Qui postea, mense Martio 1539, ingenuitatis jure donatus est; quo etiam mense sacramento semet erga regem obliga-
1554 vit. Obiit 2 Julii 1554, e necrologio Panis Pontis, vel eodem anno, 11 Junii, ut quibusdam placet. Nonnulli tandem eumdem anno 1556 decessisse referunt.

LXIII. Joannes XI.

DU MAZ DE MATHEFELON. Filius Renati, domini *de Mathefelon* et *de Durctal,* et Margaritæ *de la Jaille,* ex Andegavensi decano Joannes, quem perperam *Ogée* Thomam vocat, Dolensis cathedræ
1557 possessionem adit 25 Septembris 1557, decessurus eo anno 12 Octobris (1).

(1) Ejus epitaphium, ex ecclesiæ Duristallensis funereo lapide desumptum, exhibet his verbis codex *de Gaignières* 245 :

Piété, vertu et bonheur,
Passant, ornoient le noble cœur
Qui fut pressé de cette lame,
Soudain au sortir de son âme;
Et si tu t'enquiers trop soigneux
Pourquoi le tombeau somptueux
Qui le reste du corps assemble
Ce cœur ne retient tout ensemble,
On te dira qu'aultre tombeau
Ne luy a pas semblé si beau
Qu'estre dedans sa propre terre,
Laquelle autrement ne l'enserre
Qu'attendant que la déité
Le tire à l'immortalité.

LXIV. Carolus.

Guidonis Spinaii filius et Ludovicæ *de* D'ESPINAY.
Goulaine, abbas jam S. Gildasii de Nemore, Carolus in cathedram Dolensem evehitur anno 1558. Anno 1563, interest concilio Tri- 1563
dentino, nondum vero consecratus; ejus enim consecratio ad 16 Septembris 1565 dilata. Anno 1564, litteris supremi Franciæ eleemosynarii munitus, cameram computorum adit, fidem regi juraturus. Repulsam vero passus est 27 Januarii, et jussus est ut litteris regiis donatus accederet. Sacramentum dein præstitit 15 Julii; apud *Padioleau.* Annis 1578, 1579, 1585, 1588, cleri præses in Britanniæ comitiis occurrit. Idem, anno 1583, interest concilio Turonensi. Obiit 12
Septembris 1591. 1591

LXV. Edmundus.

Dolensis episcopatus reditibus Edmundo DE REVOL.
frui licuit Septembri mense 1593, ut testari 1593
videntur schedæ a *Padioleau* contractæ. Quibus ille, ut videtur, contentus, bullas nequidem postulavit, in gratiam Antonii, e fratre nepotis, retentis quatuor millibus librarum, anno 1603 abdicaturus.

LXVI. Antonius.

Ex abbate S. Rufi Antonius Dolensis præ- DE REVOL.
sul renuntiatur anno 1603, Parisiis consecrandus 4 Januarii 1604, urbemque episco- 1604
palem ingressurus 20 Februarii. Qui, ut erat honorum appetens, diu contra cæteros Britonum episcopos litigavit, dum præsidis munus in comitiis postularet. In qua scilicet causa victor victusque alternis vicibus fuit. His interfuit comitiis annis 1604, 1605, 1606, 1607, 1612, 1614, 1616, 1626; in quibus clero præfuit annis 1605, 1606, 1607, 1612, 1614, 1626. Occurrit 28 Maii 1617, in ecclesia Abrincensi, collaborans consecrationi Henrici *Boyvin,* episcopi Tarsensis. Dein
obiit 6 Augusti 1629. Dictas a Visitatione 1629
puellas Doli instituerat. Verum eo mortuo recessere : quarum in domum Edmundus *de Revol,* Antonii nepos e fratre, cantorque Dolensis, Benedictinas moniales accivit.

LXVII. Hector.

Hector ex abbate S. Memmii, in ecclesia DOUVRIER
Catalaunensi, et Mariæ Mediceæ eleemosynario episcopus Dolensis nominatur 1 Septem-
bris 1629, et consecratur 2 Augusti 1630. 1630
Elapsis vero aliquot annis cum sequente permutavit, in Nemausensem cathedram transferendus.

ANNI CHRISTI

LXVIII. Anthymius Dionysius.

COHON. Supra memoratam permutationem rex sancivit 19 Februarii 1644, et illico Anthymius Dionysius ex episcopo Nemausensi Dolensem sedem adiit. Anno vero 1648, alio
1648 pacto Dolenses infulas sequenti transmisit, ad Nemausensem ecclesiam postea rediturus. De eo plura t. IX, col. 461, et Hist. Cenomaniæ Litter., t. IV, p. 57.

LXIX. Robertus.

CUPIF. E Leonensi præsule in Dolensem cathedram regiis litteris Robertus transfertur 24 Novembris 1648. Eum vero summus Pontifex bullas postulantem distulit : a sacro sedenim concilio non adoptatus fuit ante 26
1650 Octobris 1650. Munus tandem adiit 16 Februarii 1653, et Parisiis, 21 Junii 1654, consecrationi Joannis Dominici, Glandavensis episcopi, collaboravit. Eum obiisse quidam ferunt anno 1657, alii anno 1660.

LXX. Matthæus.

THOREAU. Decanus antea Pictaviensis ecclesiæ Mat-
1660 thæus Dolensibus infulis donatur anno 1660. Interfuit, anno 1665, cœtui cleri Gallicani. Qui Jansenistis adeo non favit, ut contra, mandato domini papæ, inter judices a quibus damnati fuerunt consederit. Obiit pri-
1692 die cal. Februarii 1692, et in capella S. Samsonis sepultus est (1).

(1) Cum hoc epitaphio :

Hoc marmore tegitur
R. in Ch. pater et dominus D.
Mathæus *Thoreau*,
Episcopus et comes Dolensis,
Regi a sanctioribus consiliis,
Clero Gallicano quondam rebus ab universis,
Genere inter Pictavienses illustris,
Pietate inter præsules conspicuus,
In regendo prudens,
In defendendo sagax,
Quem postquam Venetiis Armorici
Generalium comitiorum
Præsidem integerrimum habuerunt,
Non multo post vita functum
Mœstissimi viderunt.
Anno redemptæ s. h. 1692, ætat. 80, pont.
32, pridie kal. Febr.

A

ANNI CHRISTI

LXXI. Joannes XII Franciscus.

Ex abbate Fontis Gombaudi Joannes Franciscus episcopus Dolensis consecratur 5 Aprilis 1692. Exstructum est ab eo Dolense seminarium. In Silvanectensem dein cathedram 16 Aprilis 1702 transfertur. De eodem fusius supra dictum est, t. X, col. 1454. DE ÇHAMILLART. 1702

LXXII. Franciscus II Elias.

Franciscum Eliam, S. Germani Antissiodorensis apud Parisios decanum, Joanni DE VOYER DE PAULMY D'ARGENSON.
B Francisco rex succedere jussit Aprili mense 1702. Qui Parisiis quoque consecratus est 18 Martii 1703. Nec ipse erga Jansenistas mitis fuit. Anno postea 1715, Ebredunensis 1715
archipræsul salutatus est.

LXXIII. Joannes XIII Ludovicus.

Nominatur præsul Joannes Ludovicus, ex abbate Troarnensi, 12 Januarii 1715, et consecratur 12 Julii 1716. De cujus administratione nihil compertum habemus, nisi quod, antecedentium vestigia ingressus, BOUCHET DE SOURCHES.
C Jansenianæ doctrinæ fautoribus minime pepercerit. Obiit 23 Junii 1748. 1748

LXXIV. Joannes XIV Franciscus.

E vicario generali Venetensis ecclesiæ Joannes Franciscus Dolensis præsul Parisiis consecratur 16 Februarii 1749. Obiit Januario mense 1767. DONDEL. 1767

LXXV. Urbanus Renatus.

Meduanæ natus 6 Februarii 1726, Urbanus Renatus vicarius generalis erat Nanne- DE HERCÉ.
D tensis ecclesiæ, cum in Dolensem cathedram evectus est. Parisiis consecratur 5 Julii 1767. Comitiis Britanniæ præfuit anno 1787, et 1787
eodem anno Parisios se recepit inter regni proceres sessurus. Quod sub tempus regem alloquens, ne Calvinistæ ab exsilio reducerentur vehementibus verbis efflagitavit : ut qui vero liberiorem sermonem fecerat, in ecclesiam suam abire jussus est. Superstes erat anno 1790.

CANTORES DOLENSES.

Integram Dolensium cantorum seriem condere studentibus non sufficientia testimonia authenticæ chartæ præbuere. Sequentes tamen nobis innotuerunt :

CANTORUM SERIES.

I. Radulfus I subscripsit, anno 1032, post Junkeneum præsulem, Conani litteris pro
E S. Michaelis monasterio; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 372. Eum vero conjectura solum Dolensis ecclesiæ cantoribus adscribere licet.

II. Guillelmus I innotescit, anno 1122, e chartula Baldrici præsulis de Dolensibus ecclesiis S. Florentii monachis restitutis.

III. Robertus I memoratur in instrumento controversiæ de consecratione Dolensium episcoporum. Illum dixerunt jurati testes

totis viribus insudavisse, ne recens episcopus Hugo Turones tenderet ad Engebaldum, et fœdus faceret ecclesiæ Dolensi damnosum. Hæc ad annum 1154 referenda. Testis idem legitur ad calcem litterarum quibus S. Maglorio Lehonensi traduntur ecclesiæ S. Judoci et S. Scophili, anno circiter 1160; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 633.

IV. Geoffridus, anno, ut videtur, 1170, litteras edit de mina frumenti Veteri Villæ a Joanna, Alani uxore, condonata; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 666. Geoffridum de Monteferrandi, Dolensem cantorem, necrologium Dolensis ecclesiæ mense Februario memorat. Isne alius aut idem fuerit, incertum relinquere cogimur.

Ch. III, col. 248.

V. Joannes I de Musca testis occurrit, anno 1184, in charta Rollandi præsulis qua S. Michaelis monasterio insula *Lillemuer* condonata.

VI. O. legitur, anno 1232, in litteris capituli de Clementis præsulis electione.

VII. Andreas *de Vitré* obiit XVIII cal. Februarii 1250; e Dolensis ecclesiæ necrologio.

VIII. Thomas I de Tusca occurrit, anno 1265, inter Dolenses canonicos qui archiepiscopo Turonensi Joannis *Mahé* electionem nuntiaverunt; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1000. Idem postea Thomas cantoriam assecutus est; cantor enim nuncupatur, X cal. Novembris, in necrologio Dolensis ecclesiæ.

IX. Radulfus II, anno 1280, mandato Dolensis capituli, Theobaldum episcopum eligit et præsentat; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1053.

X. Nicolaus I *le Vicomte*, anno 1314, transegit cum Joanne *Le Bouteiller*, equite; e chartular. Dolensis episcopi.

XI. Petrus I *Lebart*, anno 1337; ex Alb. Mant. cod. 45, p. 101.

XII. Matthæus *Lebart* interfuit, 30 Maii 1340, electioni Henrici de Bosco, præsulis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1406.

XIII. Reinfredus *Le Veier*, alias *Le Veir*, annis 1355, 1356 memoratur, Carolum Blesensem in Angliam secutus, et cum eo in Galliam rediens; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1498, 1508.

XIV. Guido I *de Cleder*, doctor legum, memoratur in quadam Dolensium cantorum nomenclatura, quam ad Sammarthanos Dolenses, ut videtur, canonici misere, quamque servant S. Maglorii codices, num. 1, t. III. Is Guido, anno 1364, a Joanna ducissa missus est, de pace ineunda cum legatis Montifortensis comitis collocuturus; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1587.

XV. Guido II *le Charpentier* Guidoni *de Cleder* successit; e supra laudata nomenclatura.

XVI. Nicolaus II *de Malestroit;* ex eadem.

XVII. Petrus II *de Beauchène;* ex eadem.

XVIII. Joannes II *Morel* post Petrum; ex eadem.

XIX. Olivarius *Rolland;* ex eadem.

XX. Robertus II Ruallus, cantor Dolensis et canonicus Nannetensis, necnon cubicularius Nicolai papæ, memoratur, anno 1451, in instrumento de composita controversia inter Turonensem metropolitam et Dolensem episcopum. Idem, anno 1462, Amalrico, Nannetensi præsuli, suadet ut latam in Britonum ducem sententiam suspendat.

XXI. Robertus III *Guibé* Trecorensis episcopus factus est anno 1483.

XXII. Franciscus *Vitrou*, nepos Thomæ, Dolensis episcopi, decretorum doctor, sedit per quatuor annos.

XXIII. Henricus *Lampezé* legitur, 6 Octobris 1503, in chartula quæ ingressum Joannis, vice-comitis *de Rohan* memorat; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 860. Idem, 7 Februarii 1505, in litteris capituli Leonensis; ibid., col. 871.

XXIV. Joannes III *de Plédran*, frater episcopi Dolensis, reperitur annis 1509, 1521.

XXV. Thomas II *Faverel*, senior.

XXVI. Thomas III *Faverel*, junior, antecedenti successit. Is, uti capituli sui procurator, regi fidem dat anno 1574; apud *Padioleau*. Idem præsens reperitur in Britanniæ comitiis, 6 Maii et 25 Septembris 1579, et annis 1582, 1583, 1587, 1588, 1598, 1600, 1603, 1604; ubi clero præfuit anno 1587.

XXVII. Petrus III *Le Boutheiller*, idem et abbas Troncheti.

XXVIII. Petrus IV *Guillemois* obiit anno 1607.

XXIX. Guillelmus II *Ibert* occurrit 1 Januarii 1610. Idem Britanniæ comitiis interest annis 1612, 1617, 1625, 1626.

XXX. Edmundus *de Revol*, Antonii episcopi Dolensis e fratre nepos, et Romanæ sedis protonotarius.

XXXI. Thomas IV *Boulain*, patria Macloviensis, in jure canonico licentiatus, anno 1637.

XXXII. N. *Le Biliais* reperitur anno 1756.

VETERA DOLENSIS ECCLESIÆ MONASTERIA.

De veteribus Dolensis ecclesiæ monasteriis infrequens etiam apud hagiographos mentio. Quinimo nonnullorum nomina supersunt, quorum ipsa sedes incertissima. Summatim igitur recensenda Tauraeum, quod S. Samson, ut aiunt, restauravit, et cui Similianum, patria Erigenam, abbatem imposuit; *Vallon*, in vico *Lanvollon*, a Normannis forsan

eversum; *Locquirec* tandem et *Peros-Guirec* monasteria a Guevroco, vel Guirecko, insulano monacho, condita. De sequentibus paulo certiores sumus.

I. Monasterium S. Samsonis. In urbe Dolo, ut videtur, a S. Samsone conditum, vel post Normannicas vastationes superstes memoratur in diplomate Conani ducis rei S. Michaelis plura prædia adjungentis, anno 990: datum enim legitur « in monasterio S. Samsonis Dolensis, in die festivitatis ejus. » Hoc S. Samsonis cœnobium ecclesiam S. Samsoni sacram postea fuisse plerique contendunt; addunt iidem S. Samsonem ascetas a se Doli primum congregatos extra Dolum postea in ea domo constituisse, quam imminutione dignitatis in prioratum conversam Joannes *Chamillart*, anno 1701, Eudistis tradidit.

A Insulæ Laureæ monasterium. Insula Laurea, quam recentiores Insulam Viridem nuncupavere, ad Dolensem diœcesim pertinens, in Briocensi quanquam inclusa, monachos sexto sæculo excepit, quibus præerat Budocus, doctrinæ fama notissimus. Ibi tunc temporis instituta schola, in quam inter cæteros Budocum audituri devenerunt Jacutus, Guethenocus et Guingaloeus, germani, Fracani filii. Landevenecensis quidam chronographus insulam Lauream S. Guingaloeo a Gradlono rege datam memorat. Unde conjicere liceret insulæ Laureæ monachos, duce B Guingaloeo, in terram firmam secessisse, et, exstructis Landevenechi claustris, insulanam abbatiam in prioratum Landevenecho subjectum mutatam fuisse. II.

ABBATIÆ SUPERSTITES [1].

Sunt illæ numero tres.

Ordinis S. Benedicti.

Virorum.

S. Jacutus, *S. Jacut.*
Tronchetum, *Tronchet.*

Ordinis Cisterciensis.

Virorum.

Vetus Villa, *La Vieuville.*

S. JACUTUS.

S. Jacuti monasterium, Dolo septem leucis distans, in ipso maris Oceani littore, conditorem, ut aiunt, habuit S. Jacutum, Fracani filium, S. Guingaloei germanum, et S. Budoci discipulum. Dominium abbatiæ peninsula quædam arenosa, in qua surgebat olim ecclesia, B. Maria *de Landouar* appellata: unde nonnunquam ipsa abbatia eodem nomine nuncupatur. De priscis domus hospitibus chartæ silent. Eamdem Benedictini monachi, duodecim numero, postea incoluere, quorum possessiones Alexander papa III, anno 1163, et Clemens III, anno 1188, confirmavere. Anno 1642, Benedictinos Anglicos Petrus *de Francheville*, abbas, intromittere aggressus est: obstitit vero senatus Britannicus, extraneos hos monachos e quibuscumque Armoricanæ telluris monasteriis arcens, 7 Julii 1643. Idem postea Petrus, anno 1647, cum monachis S. Mauri legem observantibus pactum fecit, eisque abbatiæ suæ C reformationem demandavit. Legitur Germanus *Morel*, S. Melanii prior, sodales S. Mauri in S. Jacuti claustris constituens 29 Martii 1647.

Hujus monasterii historiam gallice digessit Natalis Mars, monachus Benedictinus, quam servat Monastici Benedict. t. XVIII, inter Residuos S. Germani codices.

SERIES ABBATUM.

I. S. Jacutus abbatiæ quam condiderat primus abbas fuit. Quinto decurrente sæculo D decessit.

Post eum nullus abbas S. Jacuti memoratur, usque ad tempora Geoffridi ducis I.

II. Hinguetenus, anno 1008, idem S. Mevennii restitutor et abbas.

III. Guidomarus subscripsit, anno 1092, litteris Odonis *de Porhoët* prioratum S. Crucis de Joscelino augentis.

IV. Marchenus, quem quidam Marcherium nuncupant, testis fuit Geoffridi *de Porhoët* monachum induentis, anno 1118, ind. XI, epact. XXVI; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 589.

E V. Guillelmus I coætaneus memoratur Danielis, Macloviensis episcopi, et Guillelmi, Majoretanorum abbatis.

VI. Mainon aderat, anno 1131, concilio Remensi, litigans de quibusdam juribus cum monachis Majoris Monasterii; apud Marten., Thes. Anecd., t. I, col. 139.

VII. Henricus ab Hugone, Dolensi præsule, consecratur. Quo postulante, anno 1163, Alexander papa III abbatiæ bona confirmavit; Thes. Anecd., t. III, p. 919. Anno 1165, paciscitur Henricus cum abbatiæ famu-

(1) Usque ad ann. 1790.

A lis de præpositura S. Trinitatis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 656. Anno 1180, mandato domini papæ, litem diremit inter monachos Veteris Villæ et Geoffridum *Gaiglip*, et ad eum, anno 1188, missæ Clementis papæ litteræ de confirmatis abbatiæ bonis. Idem testis juratus occurrit, in inquisitione de bonis episcopi Dolensis, ibid., col. 686. Qui etiam a Geoffrido, Trecorensi episcopo, ecclesiam S. Petri de *Lenguennam* accepit.

VIII. D., anno 1201, cum Hervæo, Rotonensium abbate, de domo S. Trinitatis paciscitur.

B IX. Nicolaus reperitur, anno 1210, in Hugonis, Constantiensis præsulis, sententia.

X. Alanus, anno 1230, testis fuit cujusdam fœderis inter Juhellum de Monte Forti et S. Albini monachos. Is Alanus antea S. Mevennii monachus fuerat, cujus obituarium S. Mevennii Octobri mense meminit.

XI. Matthæus memoratur, anno 1251, cum Petro *de Chemillé* transigens. Idem occurrit, anno 1254, in tabulis S. Albini de Nemore.

XII. Simon, anno 1266, litem solvit inter Dolensem episcopum et Dolense capitulum, de perpetuo ecclesiæ *Ros* vicariatu litigantes. Idem, anno 1274, precum societatem C pangit cum Petro, abbate Troncheti, et compositionem denuntiat inter abbatem S. Melanii et Guillelmum Nigrum initam; ex instrum. Brioc. ecclesiæ quæ DD. *Geslin de Bourgogne* et A. *de Barthelemy* edidere, p. 375.

XIII. Geoffridus, anno 1303, duos in Trecorensi diœcesi sitos prioratus abbatialis camerarii rei adnectit.

XIV. Guillelmus II reperitur, ut ait Natalis Mars, annis 1309, 1329. Ejusdem anno 1315 tabulæ S. Albini de Nemore meminerunt.

XV. Eudo, annis 1336, 1349.

XVI. Guillelmus III *de Rais*, vel, ut alibi legitur, *de Rayes*, reperitur die Sabbati post festum Omnium Sanctorum 1352. Paciscitur, Septembri mense 1379, cum Petro, S. Albini abbate. Idem occurrit in minimi momenti schedulis, annis 1383, 1386.

XVII. Joannes I *Mensiau*, Joanni duci a consiliis, eligitur anno 1405. Anno 1406, Joannis precibus obsequens, Benedictus papa XIII abbati S. Melanii mandavit ut alienata illicite monachorum bona, sub potestatem S. Jacuti reduceret. Obiisse fertur Joannes anno 1417. (Ch. VIII, col. 259.)

XVIII. Guillelmus IV *Millon* primum occurrit Martis die post festum Omnium Sanctorum 1417. Qui, Joannem ducem beneficum expertus, ejus anniversarium denuntiavit quotannis celebrandum 17 Februarii 1424. Idem, 20 Aprilis 1438, ab Alano *de Rohan* amplam nummorum copiam accepit, et, 10 Maii 1439, inter Macloviense canonicos et Petrum præsulem de jurisdictione contendentes pacem fecit. Auctoritate non mediocri, ut videtur, pollebat. Qua forsitan eo adductus est ut modesti sermonis usum dedisceret : occurrit enim 8 Junii 1440, semet, ut episcoporum mos erat, *Dei et Sanctæ Sedis apostolicæ gratia* abbatem nuncupans. Eidem per Nicolaum papam, anno 1449, pontificalia ornamenta induere licuit. Dinanni, in capitulo fratrum Minorum, anno 1450, archiepiscopum Turonensem et episcopum Dolensem ineundæ paci præludentes audivit. Tandem subscripsit, anno 1452, instrumento quo præ memorati præsules mutuis jurgiis finem imposuere.

Duos hic Guillelmos Natalis Mars collocat, quorum priorem ab anno 1417 memorat, posteriorem post annum circiter 1442, et inter utrumque quemdam E. adducit, cujus nomen, sub annum 1442, in media conventualis ecclesiæ campana incisum legisse contendit. Addit tamen Natalis Mars non aliam in tabulis domesticis de hoc abbate mentionem reperiri. Conjicimus, leviter mutata temporis nota, præ memoratum E. non alium esse ac Eudonem, qui anno 1342 S. Jacuti monachis præfuit.

XIX. Olivarius *Péan*, alias *Payan de Pontfili*, ex abbatiæ monacho et procuratore abbas reperitur die Dominica post diem Domino sacrum 1387. Idem, 18 Junii 1390, cum Trehano Juhello paciscitur. Occurrit etiam in instrumentis annorum 1394, 1398, 1399, 1402, 1404. Ejus sumptibus et curis campana major conventualis basilicæ ornamentis addita.

XX. Bertrandus *de Brons*, vel *de Bréant*, eligitur, ut aiunt, anno 1461. Occurrit in tabulis 6 Octobris 1464, decessurus anno D 1471.

XXI. Stephanus *Millon*, protonotarius apostolicus, commendatarius abbas S. Jacuti reperitur 8 Novembris 1475, quo fidem duci promisit. Sedit anno 1476 in Rotonensibus comitiis, et obiit Augusto mense 1498.

Simul ac Stephani mortem S. Jacuti conventus cognovit, litteras edidit, 25 Augusti 1498, quibus electionis peragendæ dies indictus. Si vero sub id temporis suffragia collecta, eorum lex cassa evasit.

XXII. Joannes II, Tarsensis episcopus, S. Jacuti commendatarius abbas occurrit E annis 1498, 1499.

XXIII. Antonius I, cardinalis sub titulo S. Praxedis, commendatarius abbas S. Jacuti legitur anno 1507. Vicario usus est Joanne *des Cognets*.

Post quem fratres elegerunt, 12 Maii 1511, supra dictum Joannem *des Cognets*, abbatiæ monachum : summus autem Pontifex instituit Bernardum, cardinalem S. Mariæ in Porticu. Potitus est abbatia Joannes : ei vero diem Bernardus dixit, et causam obtinuit.

XXIV. Bernardus igitur post Antonium A supponendus. Is vero mox demandatam abdicavit præfecturam, Leoque papa, Joanni demum favens, quem Claudia regina clientem uti suum commendaverat, vacantem ei sedem tradidit nonis Decembris 1516.

XXV. Joannes III *des Cognets* fidem duci juravit 8 Februarii 1517. Obiit 24 Junii 1520, postquam Thomam Regis procuratorem suum ad munus abdicandum delegaverat.

XXVI. Georgius *de Guemadeuc*, prior *Henansal* et *Escoublac*, post obitum Joannis eligitur a fratribus, 16 aut 20 Augusti 1520. Idem sub tempus Anna regina Joan- B nem, cognomine *Dello*, S. Jacuti creavit abbatem. Eum vero, aliquanto post, sæcularem esse cognovit: quamobrem, sententia mutata, curiæ Romanæ Georgium 7 Decembris commendavit. Summus interea Pontifex Joannem quemdam alium, cognomine *Cinthio*, eadem S. Jacuti præfectura donaverat. Unde magna rei implicatio fuit. Georgium tandem instituit Leo, IV nonas Maii 1521, ut nobilem ex utroque parente, ætate licet minorem, nam duodevicesimum annum vix attigerat, et monasticam vitam nondum erat professus. Antequam autem ad Georgium C apostolicæ litteræ directæ fuissent, Leonem commune fatum rapuit. Ideo bullas quibus institutio Georgii memoratur habemus ab Adriano VI sigillatas, pridie cal. Septembris 1522. Fidem regi dedit 25 Maii 1540, et postea, sacris ordinibus initiatus, consecratus est, anno 1546, a Francisco, Briocensi antistite, munere semet abdicaturus anno 1559.

XXVII. Ludovicus I *de S. Meloir*, e domo *de la Ville Loüalan*, bullis Pii papæ IV donatus est IV idus Martii, anno, ut videtur, 1560. Cum autem is cameram computorum D Nannetensium adiret fidem daturus, 7 Septembris 1561, repulsam primo passus est, quoniam, litteras exhibens pontificias, nondum regiis munitus erat. Eo tamen anno juravit; apud *Padioleau*. Dein benedictionis abbatialis munus accepit a Bertrando, episcopo Redonensi, 4 Decembris 1569. Occurrit anno 1573 in Dinannensibus comitiis; in quibus clero præfuit. Memoratur idem anno 1577. Abdicavit anno 1584 in gratiam Roberti sequentis.

XXVIII. Robertus *Harens*, filius Bertrandi et Thominæ *Gautier*, professionem fecit in E claustro S. Jacuti 25 Martii 1582: dein in abbatialem sedem vocatus est fratrum suffragiis 15 Maii 1584, et bullis Gregorii papæ XIII, 5 Decembris. Reperitur annis 1586, 1587, 1593, 1599. Decessit in castello *Québriac*, anno 1600. Post cujus decessum rex Antonio *de Bréhant*, domino *de la Roche*, abbatiam contulit ab ejus filio Ludovico possidendam.

XXIX. Ludovicus II *de Bréhant*, tertium decimum circiter ætatis annum agens, ab Henrico rege, vi cujusdam indulti, S. Jacuto præficitur, anno 1600. Quem, litterarum studiis in urbe Parisina etiam tum incumbentem, abbatem nihilominus instituit Clemens papa VIII, cal. Martii 1603, ea tamen sub conditione, ut tertiam partem redituum abbatiæ reparandis ædibus impenderet. Jam vero Jacobo *de Brehant*, domino *de la Brétesche*, abbatiæ administrationem œconomi titulo occupante, ab eo plurimas molestias monachi passi sunt. Munere postea Ludovicus semet abdicavit.

XXX. Petrus *de Francheville*, rector olim Comburnii, dein cantor Briocensis, apostolicis litteris ad S. Jacuti præfecturam vocatur 29 Septembris 1615. Fidem regi dat anno 1617, et eodem anno in Redonensibus comitiis sedet. Idem in comitiis annorum 1621, 1623, reperitur. Qui Benedictinos Anglicos in abbatiam introducere voluit; nec potuit, obstante Britannico senatu. Attamen monachos Reformationem S. Mauri professos libentius postmodum admisit, anno 1646. Hi S. Jacutum ingressi sunt 29 Martii 1647. Munus abdicavit Petrus anno 1651.

XXXI. Ludovicus III Hercules *de Francheville*, cedente Petro, litteris pontificiis donatus est anno 1651, et fidem regi promisit 29 Decembris 1661, dein abdicaturus ut matrimonium contraheret.

XXXII. Renatus *Fouquet du Breil* idem et abbas S. Eusebii, in ecclesia Aptensi, regique ab eleemosynis, abbatia S. Jacuti donatur desinente Novembri mense 1686. Obiit 15 Januarii 1706.

XXXIII. Joannes IV *Rousseau de l'Aubanie* nominatur 3 Aprilis 1706; e Gallia Sacra. Bullas dein accepit 14 Junii 1707, decessurus anno 1760.

XXXIV. Yvo Alexander *de Marbœuf*, ab anno 1761. Episcopus Augustodunensis consecratur 12 Julii 1767, et proinde abbatis munere semet abdicat.

XXXV. N. *de Rays* ab anno 1767 usque ad annum 1772. Idem vicarius generalis Trecorensis ecclesiæ.

XXXVI. Antonius II Josephus *des Laurents*, episcopus jam Macloviensis et abbas Sylvæ Mellonis, obiit 15 Octobris 1785. Post eum, per unius anni spatium, abbatialis muneris reditus procuratores cleri Gallicani percepere.

XXXVII. Bartholomæus Philibertus *d'Andrezel* ab anno 1786. Reperitur anno 1790.

TRONCHETUM.

Abbatia B. Mariæ de Troncheto, non procul Dolo, conditorem habuit Alanum, Jordanis filium, Dolensis civitatis senescallum. Hanc autem Alanus inter annos 1133 et 1147 extulisse videtur, nam Tronchetinorum fratrum temporibus Hugonis archipræ-

sulis Joannes Dolensis meminit, in tractatu de miraculis Bartholomæi, Majoretanorum abbatis, sicut Sammarthani narravere. Postmodum vero, ut arctiorem Benedictinæ regulæ observantiam eo induceret, sub tutela Tironensis abbatiæ locum Alanus posuit. Ea confirmavit Alexander papa III, anno, ni fallor, 1177. Ab anno 1399, frequentia inter Tironenses et Tronchetinos jurgia, his semet liberos asserentibus, illis autem pristinæ donationis legem tueri conantibus. Nec supra memoratæ contentiones finem habuerunt, priusquam, suffragiorum proculcato jure, commendatario nomine abbatiale Troncheti pedum a Romana sede traderetur. « Postea, ut ait Michael *Germain*, subse« cutis, Calvinianæ hæreseos appendicibus, « intestinis bellis, nullus propemodum ob« servationi regulari patuit locus, monachis « ad summam egestatem redactis. Actum « erat de Tronchcto, ni Lehonensis cellæ « prior aliquos e suis direxisset, qui collap« sam disciplinam excitarent. Ab illis con« flata Benedictinæ regulæ sectatorum Bri« tannica Societas, quæ Troncheti permansit « ad annum 1628, quo tota congregationi « S. Mauri unita est. » Hactenus domnus Michael *Germain*. Tronchetum patres congregationis Britannicæ subierunt 9 Octobris 1607.

Exstant Michaelis *Germain* de Troncheto commentationes in Sangerman. codice 583². Idem servat volumen alteram ejusdem cœnobii historiam ab anonymo conscriptam. Nonnulla præterea reperies ad Tronchetum spectantia in Albor. Mantellor. cod. 36.

SERIES ABBATUM.

I. Gualterius I innotescit e tractatu de miraculis Bartholomæi abbatis. Gualterius hic erat, ut dicitur, *magister* fratrum Troncheti degentium, antequam e paludosa surgens arena in abbatiam cella mutaretur. Non ergo nomen abbatis ad magistrum Gualterium proprie pertinet. Eum tamen non prætermittere licet, qui pii ductor agminis fuit.

II. Radulfus I coævus erat Stephani, Redonensis episcopi, et Rollandi, Abrincensis decani, anno circiter 1169; e chartula ad monasterium S. Michaelis spectante. Consule Alb. Mant. codicem 86 B, fol. 579.

III. Guillelmus I testis reperitur Joannæ, unam frumenti minam Veteri Villæ condonantis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 666. Hanc autem donationem Joannes, Dolensis præsul, anno 1170 confirmavit. Idem, anno 1177, ab Alexandro papa III bonorum et jurium confirmationem accepit. Æqualis idem memoratur Petri, Macloviensis episcopi, quocum litem diremit inter Guillelmum *Jourdain* et Veteris Villæ monachos.

IV. Gualterius II, die 16 Augusti 1207, testatus est cellam B. Mariæ de Troncheto per Tironensem abbatem in abbatiam mutatam fuisse; Probat. Hist. Brit., t. I, col. 809.

V. Joannes I occurrit, ut ferunt, ab anno 1228. Augusto mense 1234, paciscitur cum Majoretanis de prædio juxta Comburnium; e chartular. Maj. Monasterii. Mense Julio 1244, tradit capitulo Dolensi decimas datas a Mathilde *de Landal;* anno 1246, Thomæ de Rupe Forti nonnulla jura confert.

VI. Nicolaus, die Sabbati ante *Lætare*, anno 1258, agnovit electionem abbatum Troncheti ex arbitrio Tironensis abbatis pendere; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 970.

VII. Martinus precum societatem pangit, mense Januario 1259, cum abbate S. Melanii. Decessit 14 Maii; ex obituario fratrum Minorum Andegavensium.

VIII. Petrus I *Mahé* simile fœdus fecit, anno 1274, alias 1277, cum Simone, abbate S. Jacuti. Obiit VII cal. Septembris; ex obituario S. Florentii.

IX. Thomas, die Jovis post festum S. Martini hiemalis 1282, visitatur a Joanne, Tironis abbate; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1062. Idem reperitur in tabulis Tironensibus 9 Julii 1294, et anno 1297.

X. Joscius, alias Jocerandus, occurrit ab anno 1301. Subscripsit, 16 Novembris 1303, sententiæ contra Bonifacium VIII latæ, et decessit anno 1309, ut testantur litteræ monachorum ad Tironensem abbatem, datæ die Sabbati ante *Invocavit me* 1309.

XI. Matthæus in chartulis Tironensibus occurrit annis 1334, 1337, 1339, 1340.

XII. Guillelmus II *Pepin*, annis 1343, 1353. Eum decessisse ferunt Decembri mense 1354.

XIII. Guillelmus III *Hutier* litteris Innocentii VI instituitur IV cal. Decembris 1356, post mortem alterius Guillelmi; apud Suaresium. Reperitur in Tironensibus chartulis eo anno 1356. Obiit anno 1367, ut testantur litteræ monachorum ad Tironis abbatem, 3 Decembris.

XIV. Guillelmus IV *Galiot*, electus a Tironis abbate post Guillelmi supra dicti decessum, litteras obtinuit pontificias ab Urbano papa V, II id. Decembris 1369; e Suaresio. Obiit, ut ferunt, mense Junio 1374.

XV. Petrus II *Belin* a Joanne, Tironis abbate, vacantem adire sedem jubetur, 21 Junii 1374. Incertum vero relinquit Moricius an munus adierit.

XVI. Robertus *Pepin* a quibusdam memoratur ab anno 1371, sed perperam. Eumdem reperimus annis 1378, 1383.

XVII. Radulfus II *Tournevache*, electus, ut apparet, ab ipsis Troncheti monachis, non autem assentiente Tironis abbate, adversus hunc litigavit annis 1399, 1402. Idem sub tempus legitur abbas Troncheti Guillelmus Rufus, qui tunc insimul S. Mevennio

præerat, quique obiit anno 1400. Series hic abbatum Tronchetinorum non leviter perturbata, dum Tironis Tronchetique monachi inter se discordantes æmulis partibus haud impari studio patrocinarentur.

XVIII. Joannes II moritur anno 1420. Post quem Theobaldus quidam *de Baulon* litteras pontificias obtinuit, haud secus ac si Joannes in ejus gratiam abdicavisset. Mox autem Stephanus, Dolensis episcopus, postquam rem, domini papæ mandato, attentius investigasset, allatam cessionem fictitiam denuntiavit.

XIX. Alanus I *Costard*, electus a Tronchetinis anno 1422, contra Tironensem abbatem litem movit. Hujus instrumenta litis annum præbent 1424. Alano favit Dolensis præsul, cui judicium dissidii papa demandaverat.

XX. Ægidius *Raguenel* electus est anno 1436, Tironensibus inconsultis. Memoratur anno 1452, subscribens initæ concordiæ inter Joannem archiepiscopum Turonensem et Radulfum episcopum Dolensem. Prioratum S. Petroci contulit anno 1457.

XXI. Alanus II anno 1473 reperitur recens electus. Decessit circa 1478.

XXII. Franciscus I *de Beauchesne* præfecturam consequitur anno 1478. Ei per Joannem, Andegavensem cardinalem, pontificalibus ornamentis uti licuit, 22 Julii 1479. Superstes reperitur VIII id. Julii 1484, qua die Joannes, Albanensis episcopus, ei concessit jus altare portatile habendi.

XXIII. Guillelmus V *du Chastellier*, abbas ipse salutatus a Troncheti monachis, in jus vocatur a Tironis abbate. Obiit 6 Octobris 1496. Ejus post obitum abbas Tironis elegit Hugonem *de Malezier*, præcipuum collegii Majoretani Parisiis administratorem. Monachis eum autem excipere nolentibus, contentio nova exarsit. Vicit primum Hugonis causa; postea vero victa fuit. Guillelmus regularium postremus evasit.

XXIV. Raphael, cardinalis diaconus sub titulo S. Georgii ad Velum aureum, ferventibus discordiis commendatarius creatus est abbas; sed, bullis nondum acceptis, sequentis in gratiam abdicavit.

XXV. Tristanus *de Vendel*, canonicus Dolensis, thesaurarius ecclesiæ B. Magdalenæ Vitreiensis et protonotarius apostolicus, acerrime litigavit cum Hugone *de Malezier* supra memorato. Causam tandem obtinuit, ei domino papa semet patronum exhibente. Hujus instrumenta litis annum præ se ferunt 1498. Laudatur Tristanus in monachos sui prodigus. Decessit anno 1533.

XXVI. Franciscus II *de Laval*, episcopus Dolensis, abbas Troncheti creatus est anno 1534. Obiit anno 1554. Idem Panis Pontis abbas fuit.

XXVII. Ludovicus I *d'Espinay*, protonotarius apostolicus, cantor S. Petri Redonensis et prior B. Mariæ de Vitreio, abbatiam obtinuit favente cardinali de Borbonio, cujus inter domesticos clientes recensebatur. Sedens occurrit anno 1558. Cum autem cardinalis ipse de Borbonio abbas Troncheti memoretur anno 1560, et id sub tempus abbatiæ silvas cædi jusserit, Ludovicum opinamur ejus fiduciarium fuisse.

XXVIII. Renatus *Masse*, annis 1567, 1572, 1584.

XXIX. Carolus I *d'Espinay*, cantor Redonensis, episcopus postea Dolensis, abbatia potitur anno 1586, et moritur anno 1591.

XXX. Petrus III *Le Boutheiller*, cantor Dolensis, abbatiam a Mercœuro duce obtinuit, dum Fœdus quod Sanctum dicunt omnia misceret. Ad Petrum apostolicæ missæ fuerunt litteræ III id. Novembris 1592. Tunc vero rex idem munus Danieli *Plumereau* tradidit, cui senatus Britanniæ favit. Postquam civilibus armis data quies, Petrus regi fidem juravit anno 1596.

XXXI. Franciscus III *Le Prévost*, thesaurarius S. Petri Redonensis, ab anno 1597. Regi fidem dedit anno 1598. Quo et anno sedit in Redonensibus comitiis, 18 Maii. In Venetensibus dein reperitur, annis 1597, 1600; in Briocensibus, 1602.

XXXII. Joannes III *Le Prévost*, antecedentis germanus, regi ab eleemosynis, et ipse aliquantisper, ut videtur, thesaurarius Redonensis, Tronchetum regebat 26 Novembris 1604, qua die Redonensibus comitiis interfuit. In Briocensibus dein sedit anno 1605, et obsequium regi promisit anno 1607. A Joanne in abbatiam intromissi fuerunt patres Congregationis Britannicæ, 9 Octobris 1607. Decessit anno 1608.

XXXIII. Franciscus IV *de Montmorency*, filius Annæ, marchionis *de Thury*, et Mariæ *de Beaune*, Troncheto donatus est a rege XV cal. Aprilis 1608, dum quartum et vicesimum ætatis annum agebat. Idem abbas fuit Molismi, in ecclesia Lingonensi. Sed utramque dein abbatiam dimisit ut matrimonium contraheret.

XXXIV. Carolus II *de Rosmadec* occurrit in Redonensibus comitiis anno 1640. Idem abbas Panis Pontis, Venetensis episcopus et postea Turonensis archipræsul.

XXXV. Anthymius Dionysius *Cohon*, inter sacros oratores notissimus, Nemausensis præsul et postea Dolensis, cardinalis Mazarinæi cliens assiduus, in abbatiam ingressus est 23 Aprilis 1649. Obiit 7 Novembris 1670.

XXXVI. Ludovicus II *Berryer*, canonicus Parisiensis, Tronchetum obtinuit anno 1671, annos sexdecim natus. Sedit usque ad diem 13 Januarii 1679, quo, permutatione facta cum sequente, Longiledo potitus est, in ecclesia Cenomanensi. Conditor legitur prioratus S. Ludovici de Torciaco, in ecclesia Parisiensi; t. VII, col. 652.

XXXVII. Julius *de Goih de Roillac d'Epernon*, abbas antea Longiledi, possessionem adiit lunæ die post Pentecosten 1680.

XXXVIII. N. *de Gournay* ab anno 1701.

XXXIX. Claudius *Fiot de Vaugimois*, patria Divionensis, abbas creatus est 14 Maii 1712; e Gallia Sacra. Obiit anno 1753.

XL. N. *Colin de la Briochais*, archidiaconus Dolensis, ab anno 1753.

XLI. N. *de Boisbilly*, canonicus Corisopitensis, ab anno 1776 usque ad annum 1786.

XLII. N. *de S. Sauveur*, summus Venetiæ vicarius, ab anno 1786 usque ad annum 1790.

B. MARIA DE VETERI VILLA.

Nobile prædium, in *Espignac* parochia, quod Veterem Villam nuncupabant, suo sub jure tenebat Gelduinus, filius Hamonis. Ch. II, col. 216. Hoc, VI idus Augusti 1137, monachis Savigneii Gelduinus dedit, ut in ea conderent abbatiam, Savigneii filiam, a Cisterciensibus idcirco monachis incolendam. Mox operi manus admotæ, quod paucos post annos consummatum est; anno quippe 1141, primum abbatem hujus loci consecrabat Geoffridus, Dolensis episcopus, monachorum res auctas referens a Guillelmo Rufo, fratre suo. Anno 1233, Petrus dux, urbe Dolo capta, milites in monasterio Veteris Villæ constituit, a quibus monachi eorumque coloni vexati sunt. Reformationem Sebastianus Josephus *du Cambout* anno 1664 eo intromisit.

Plura ad abbatiam Villæ Novæ spectantia servant Baluzianus codex, arm. 2, fasc. 2, num. 3, t. II, et Alborum Mantellorum volumen 41. In eo Alb. Mant. volumine domesticus abbatum index occurrit.

SERIES ABBATUM.

I. Robertus I consecratus est, mense Septembri 1141, a Geoffrido, Dolensi episcopo; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 596. Idem occurrit, Septembri eodem mense, in chartula prædicti Geoffridi, Veteri Villæ data a Guillelmo, fratre suo, confirmantis; ibid., col. 582. Plures ibidem lege chartas, col. 596, 597, chronicis notis carentes, in quibus memorantur Roberto tradita a Joanne, filio Gilduini Dolensis. Hic insuper Joannes, anno 1145, Roberto totum nemus *Borgoth* contulit; e Baluziano codice Dein a Lucio II et Alexandro III litteras Robertus obtinuit, quibus abbatiæ bona confirmata.

Post Robertum catalogus pristinus ponit Obernum et Richardum, anno 1154. Obernus, aut Osbertus, non alius sane a Roberto. Nec Richardo locus anno 1154; Robertus enim anno saltem 1159, quo sedere cœpit Alexander papa, superstes comprobatur.

A II. Lucas stetit, anno 1167, coram Joanne de Soligneio, et querelam movit adversus quosdam milites, qui, nemus *Borgoth* invadentes, Joannis supra memorati donum abrogare conabantur. Auditis testibus, abbatis Lucæ causa potior visa est, ut legitur in Joannis de Soligneio diplomate, apud Baluzium. Anno 1169, Redonibus sedit in cœtu judicum qui litem sopiverunt inter Redonense capitulum et monachos S. Melanii. Memoratur anno 1174, de decimis componens cum W., presbytero Spiniacensi, et Dolensis ecclesiæ decano. Eodem anno, VII cal. B Decembris, testis fuit adlectus a Guillelmo, abbate S. Melanii, cum Savigneii monachis transigente.

III. Gualterius legitur anno 1170, testis initæ pacis inter Guillelmum S. Melanii et Juslenum Savigneii abbates. Erroneam hanc anni mentionem Moricius aperte declaravit, annum vero 1060 infeliciter proposuit. Anno sedenim 1060 Joslenus Savigneii monachis nondum præfectus erat. Nota quod in eadem chartula reperiatur Girardus, Longivillaris abbas, quem anno 1177 Petrus exceperat. In eadem denique charta lege nomen C Guillelmi de Tolosa, etiam tunc ex abbate monachi, qui tamen hoc anno 1177 Savigneii præfecturam rursus adiisse memoratur. Quibus collatis, errorem ipsius Moricii castiga, et prælibatam adscribe chartam anno circiter 1175.

IV. Moyses electus est anno 1179. Anno sequente, abbatiæ possessiones confirmatas habuit a Zacharia, Gelduini filio. Litigavit Moyses de Bigoteriana villa cum Guillelmo, Alani filio: quod jurgium summus Pontifex Guillelmo, Cenomanorum episcopo, necnon abbati Clari Montis mandavit enodandum. D Adscriptis tandem coram judicibus partes composuere, uti legimus in Guillelmi præsulis diplomate quod servat Baluzianus codex. Occurrit Muyses, anno 1180, Frenciam rursus accipiens a Geoffrido *Caiglip;* Prob. Hist. Brit., t. I, col. 679. Anno denique 1183, juribus nonnullis a Rollando, Dolensi electo, donatur.

V. Reginaldus I a Clemente papa III litteras impetravit quibus abbatiæ jura confirmata. Idem occurrit, anno 1190, in Juhelli Mednanensis charta pro monasterio Savigneii; in Maximo Gallorum Archivo. Eidem E Joannes, Dolensis episcopus, 10 Februarii 1191, secundum recentem calculum, litteras concessit in quibus sancitæ memorantur Veteris Villæ possessiones.

VI. Mauricius res quasdam Bellæ Insulæ sitas obtinuit a Geoffrido Farsi, Januario mense 1196; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 726. Idem occurrit, anno 1210, in charta Joannis Dolensis, et, anno 1214, in chartulario Majoris Monasterii, inter Regios codices, t III, fol. 76. Plura insuper Mauricio concessa tam

a Guillelmo de Machua, quam a Guillelmo de Albigneio, Hasculfo de Soligneio et Guillelmo de Monte Sorello : chartæ vero quibus hæc dona referuntur notis chronicis carent. Occurrit tandem testis Guillelmi, Saviniacensis abbatis, Boceium Roberto Salsario tradentis; e Max. Gall. Arch., L, 1146[16].

VII. Joannes I laudavit, anno 1219, litteras Joannis de Dolo; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 556.

VIII. Reginaldus II, anno 1235, litem dirimit inter Robertum *Anquetil*, canonicum Dolensem, et incolas prædii *Senz;* e libro Dolensi qui dicebatur *Alanus*. Idem, eodem anno, testis juratus aderat in inquisitione de damnis quæ Petrus Malus Clericus attulerat ecclesiæ Dolensi, et audiebatur referens Normannum *de Quebriac*, ducis senescallum, postea quam Veteris Villæ prædia deprædatus esset, ipsam cum armatorum turma abbatiam occupasse, abstulisse nummos, nonnullosque monachorum colonos captivos secum duxisse; e Prob. Hist. Brit., t. I, col. 889.

IX. Robertus II memoratur, anno 1245, in schedula Dolensi; ex Albor. Mant. codice 45. Idem, Octobri mense 1253, in chartular. Fontis Danielis, p. 53. Hujus tandem meminit Moricius ad ann. 1255. Robertus forsitan non alius ab Heberto cujus vetus meminit catalogus.

X. Theobaldus I, anno 1263.

XI. Philippus, die Veneris post *Reminiscere* 1266, in quadam concordia cum capitulo Dolensi.

XII. Geoffridus; e veteri catalogo.

XIII. Radulfus I; ex eodem.

XIV. Guillelmus I; ex eodem, ulla sine anni mentione.

XV. Richardus transegit cum capitulo Dolensi super decimis *Espignac*, die Veneris post festum S. Martini æstivalis 1307; ex Albor. Mantell. cod. 45.

XVI. Eudo *Le Paumier*, annis 1307, 1319. Anno 1323, testis occurrit in charta Joannis episcopi.

XVII. Petrus *Quedelaye;* e veteri catalogo.

XVIII. Radulfus II *Augier*, 8 Maii 1366, litteras obtinuit quibus rata quædam Radulfi de Albigneio donatio.

XIX. Robertus III *Fanchal* post Radulfum; e veteri catalogo.

XX. Joannes II Bibardi de Tinteniaco; ex eodem. Is memoratur in tabulis anno 1408.

XXI. Radulfus III *du Four* de Tinteniaco; ex eodem.

XXII. Guillelmus II *Fainel* occurrit 7 Aprilis 1429, et 23 Martii 1430. Munus dein dimisit.

XXIII. Guillelmus III *Jouassin;* e veteri catalogo. Memoratur Guillelmus, anno 1448, inter abbates qui Alano, Savigneii abbati, suaserunt ut Joannem, Chalocheii abbatem, confirmaret.

XXIV. Theobaldus II *Le Petit* litteras scripsit, anno 1460, ad Joannem, Comburnii dominum, hujus patrocinio testans semet usum pedi mitræque obtinuisse. Reperitur idem 2 Septembris 1463.

XXV. Jacobus I *Hus* is est quem præfecit monachis S. Albini Guillelmus, abbas Begardi, anno 1483; Joannes vero, abbas B. Mariæ de Precibus, exsulantem Olivarium revocavit, et Jacobum dejecit.

XXVI. Bonabes *du Chalonge* occurrit annis 1511, 1512.

XXVII. Guido *du Chalonge* reperitur 7 Septembris 1517. Per procuratorem sedit anno 1524 in Britanniæ comitiis; his autem ipse comitiis præsens fuit anno 1539. Obiit 4 Februarii 1540. Ultimus regularium memoratur.

XXVIII. Franciscus I *Thomé* fidem regi juravit annis 1558, 1561. Interfuit Britanniæ comitiis annis 1567, 1569, 1570, 1571, 1572, et 1573, 30 Martii. Macloviensis dictus est episcopus eo anno 1573.

XXIX. Jacobus II *Plenguen*, post Franciscum; e veteri catalogo.

XXX. Renatus *de Boursault*, nepos forsitan abbatis S. Melanii; ex eodem.

XXXI. Amalricus *le Guidart* fidem regi promisit anno 1600; apud *Padioleau*.

XXXII. Guillelmus IV *Bonhomme* occurrit obsequium regi spondens anno 1608; ibidem.

XXXIII. Franciscus II *du Cambout* post Guillelmum in veteri catalogo ponitur.

XXXIV. Sebastianus Josephus *du Cambout de Pontchâteau* sedit, anno 1657, in comitiis Nannetensibus. Abdicavit postea, anno 1666, in gratiam sequentis.

XXXV. Guillelmus V *Cheruel*, doctor theologiæ, jamque prior Prulliaci in Bria, regularis fuit abbas Veteris Villæ, peracta sub antecedente Sebastiano reformatione. Adfuit ille Venetensibus comitiis anno 1667, et decedens memoratur Parisiis 10 Januarii 1688.

XXXVI. Jacobus III Vincentius *de Bidal d'Asfeldt*, natione Suecus, Hamburgi Francorum regis legatus, Veteris Villæ gubernaculum adiit anno 1688. Abdicavit anno 1706; e Gallia Sacra.

XXXVII. N. *d'Illiers d'Entragues*, canonicus et comes Lugdunensis, doctor Sorbonnicus, regi ab eleemosynis, Villam Novam accepit anno 1706, et dimisit anno 1707; e Gallia Sacra.

XXXVIII. Franciscus III *Fagon*, Guidonis Crescentii, celebris archiatri, frater, abbatia donatur anno 1707; ibidem.

XXXIX. Joannes III Ludovicus *de Gouyon de Vaudurand* ab anno 1726. Leonensis fit episcopus anno 1745.

XL. N. *Thomas de la Vallée* abbatiam

obtinuit 26 Aprilis 1746, et decessit 21 Aprilis 1750.

A

XLI. Raymondus *de Durfort*, ab anno 1750. Abrincensis ille fuit episcopus anno 1764, et mox, anno 1766, Montem Pessulanum translatus est. Archiepiscopus tandem Bisuntinus evasit. Superstes erat anno 1790.

ECCLESIA BRIOCENSIS.

Inter veteres fidei christianæ in ea regione præcones, nullus S. Brioco clarior. Qui ex insulana Britannia ad littus Armoricanum appellens, sexto, ut opinantur, sæculo, in ipsis Rigwali comitis ædibus, inter valles *Goet* et *Gouëdic*, monasterium incolis olim frequens instituit. De eo tamen monasterio pauca et justo leviora testimonia supersunt. Sunt qui S. Briocum episcopum fuisse dixerunt : eorum vero jamdudum explosa sententia. Episcopatum S. Brioci Nomenoius, anno circiter 848, condidit. Quem autem inter sibi faventes clericos ex humiliori gradu in recentis ecclesiæ fastigium evexerit prorsus ignotum est. Occurrit quidem Clutwoion, incertæ sedis, ut videtur, episcopus, qui, anno circiter 853, Erispoii chartulæ pro Rotonensibus monachis subscripsit, quemque Dericus et *Ogée* Briocenses inter episcopos collocant. Id autem probatione caret. Recensentur post Clutwoionem Garurbrius, qui potius Redonensis ecclesiæ pastor fuit, et Roaldus, idem forsan ac Radulfus Alethensium episcopus. In eo recentiores scriptores consentiunt, ut nullum ante Adamum in Briocensi cathedra præsulem fuisse existiment. Nec in præcipua Briocensis diœcesis civitate ea antiquitatis effigies, ut tuguriolis quæ S. Briocus exstruxit vetustior videatur. Ecclesiasticam igitur præter auctoritatem, civilem quoque Adami successores in pristinos monachorum colonos semper habuere, iidemque episcopi comitesque S. Brioci exstitere.

In Briocensi diœcesi, sub exitum postremi sæculi, 113 parochiales ecclesiæ, 13 minorum vicorum altaria, 4 collegiatæ, 4 virorum abbatiæ recensebantur. Ecclesia S. Guillelmi collegiata, juxta muros episcopalis urbis sita, a S. Guillelmo *Pinçon*, vel *Pinchon*, qui sub tertium decimum sæculum vixit, nomen suum deduxisse videtur. Ibi 19 canonicis decanus præerat. Collegiatam S. Quintini Geoffridus, loci toparcha, anno 1405 condidit : Lambalensem Joannes dux, anno 1435 : Matignonensem, S. Mariæ sacram, quidam e Matignonensibus dynastis, anno tamen incerto. In episcopali civitate, virorum et feminarum conventus plures. Franciscani quidem ab anno 1451 acciti, Capucini ab anno 1615, Ursulinæ et Calvarianæ ab anno 1624, puellæ S. Crucis ab anno 1706, moniales sanctissimæ Caritatis ab anno 1711. Parochialis una tantum ecclesia, S. Stephano sacra, ibidem ante tertium decimum sæculum reperitur. Tunc vero, anno scilicet 1223, Juhellus archipræsul eo deveniens, S. Stephani basilicam, utpote cathedralem, omni parochiali cura exemit, et S. Michaelis parochiam instituit. In capitulo Briocensi, anno 1233, 12 præbendæ numerabantur; in eodem postea 14 fuere, et tandem, sub finem ultimi sæculi, 20 reperiuntur, præter 6 dignitates, decanum, thesaurarium, archidiaconos Penthevriæ et *Göelo*, scholasticum et cantorem. Decani munus et jura in ecclesia Briocensi Philippus, Briocensis episcopus, definiendo explicavit, et ab eo decreta Alexander papa, v id. Octobris 1255, litteris apostolicis stabilivit.

Briocensium episcoporum historiam habemus a D. Carolo *Guimart* recens et eximie quidem digestam. Eamdem non tantum in breve coegerunt, sed etiam nonnullis novissime inventis DD. *Geslin de Bourgogne* et A. *de Barthélemy* locupletaverunt. Qui cum nobis optatissimum auxilium obtulerint, eis par officio gratia referatur.

EPISCOPI BRIOCENSES.

ANNI CHRISTI

I. Adamus.

Adamus, anno circiter 1032, in chartula quæ fundationem S. Georgii memorat, reperitur. De eo nihil aliud, præter Alberti Magni commenta.

II. Hamon.

Incertum relinquitur cujus temporis æqualis fuerit Hamon, quem quidam Salomonem vocant. Hunc enim Sammarthani fratres anno 1004 electum referunt, et anno 1069 defunctum : Moricius autem eumdem in Briocensi cathedra sedere jubet ab anno 1077 usque ad annum 1088. Nec aliæ desunt conjecturæ. Occurrit certissime Hodiernæ temporibus, S. Georgii abbatissæ, annum scilicet circiter 1075, in charta Geoffridi comitis monialibus Regale Pratum concedentis. Anno dein 1084, prioratui S. Martini Lamballensis tunc temporis condito nonnulla concessit, obiturus anno 1088, si Chronico

ANNI CHRISTI Britannico, quod Moricius edidit, fides adhibenda; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 5.

III. Guillelmus I.

1090 Anno 1090, Guillelmus præsens memoratur in abbatia S. Melanii exsequiis Constantiæ, Alani ducis quondam uxoris. Idem oc-
1092 currit, anno 1092, in Odonis chartula pro monachis S. Crucis de Joscelino; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 480. Obiit, ut opinantur, anno 1099. Admodum autem dubia res est.

Post Guillelmum nonnulli Robertum quemdam ponunt, quem, lectis attentius veterum testimoniis, D. Car. *Guimart* jure removisse videtur.

IV. Joannes I.

1109 Salmurium Joannes se recepit, anno 1109, comes addictus Baldrico Dolensi, et, 18 Aprilis, S. Florentii monachis confirmavit quidquid in Briocensi diœcesi possidebant. Anno 1116, sedit in Lateranensi concilio; Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 60. Memoratur ante annum 1127, Radulfo, S. Melanii abbati, ecclesiam *Bréhant* tradens. Plures, anno
1128 1128, Majori Monasterio concessit ecclesias, prohibens ne deinceps corpora defunctorum juxta cruces in quadriviis sepelirentur; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 559. Confirmavit, anno 1129, a prædecessoribus data S. Martino de Lamballa. Præsens refertur, anno 1131, concilio Remensi. Joannis meminerunt, anno
1132 1132, Majoris Monasterii tabulæ, quandoquidem hoc anno monachis Rupem Tanguidi ecclesiamque S. Michaelis, erectam in ejusdem rupis cacumine, largitus sit; ibid., col. 569. Quo etiam anno possessiones omnes monachorum S. Melanii in diœcesi sua recensuit. Andegavi tandem reperitur, XVII
1133 cal. Februarii 1133, secundum Gregorianum calculum, testis Ulgerii de sepultura morientium trans Brionem decretum edentis. Dies quo Joannes decesserit ignoratur. Legere quidem est in S. Melanii tabulis hunc, anno 1138, ind. VI, monachis ecclesiam *Plouguenoal* concessisse. Annus autem 1138 non fuit indictionis sextus. Animadverte præterea quod eadem charta Guillelmi nomen abbatis præbeat, quodque Hervæus tunc temporis S. Melanium regeret. Quamobrem corrupta videtur charta, nec facile corrigenda.

V. Rollandus.

Rollandus in inquisitione de juribus ecclesiæ Dolensis memoratur, temporibus Innocentii papæ II, ab episcopo Dolensi consecratus; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 741. Sedit autem Innocentius in S. Petri cathedra a 23 Februarii 1130 usque ad 24 Septembris
1144 1143. Occurrit Rollandus, anno 1144, Majo-
A retanis ecclesiam S. Aaronis tradens, a Joanne quodam, armigero, quem abbatem S. Aaronis dicebant, hæreditario jure occupatam. Obiit anno 1147; e Chronico Britannico.

VI. Geoffridus I.

Rollando Geoffridus anno 1147, ut videtur, successit. Subscripsit, anno circiter 1149, Eudonis comitis diplomati, quo erecta 1149
B. Mariæ Lantenacensis abbatia. Nec ejusdem alia chartula memoriam servavit.

B VII. Joscius.

Joscius, quem Josthonem alii nuncupant, quemque alii perperam eumdem ac Geoffridum antecedentem dixere, Briocensis salutatur episcopus anno 1150 desinente. Interfuit 1150
Joscius, XIII cal. Octobris 1151, matrimonio Henrici comitis et Mathildis Vindocinensis; qua die subscripsit litteris Guillelmi, Trecorensis episcopi, abbatiam S. Salvatoris Guingampensis Majori Monasterio condonantis. Idem, mandato domini papæ, anno 1155, litem diremit quæ super ecclesia *Ver* 1155
C inter canonicos S. Maurilii et Majoretanos monachos exarserat. Ad rem cognoscendam Joscius Andegavum, sede vacante, semet contulerat. Anno dein 1157, in metropolitanam Turonorum cathedram transfertur.

VIII. Judicael.

Occurrit Judicael, anno incerto, monachorum S. Melanii possessiones in agro Briocensi confirmans; apud D. Car. *Guimart*, p. 163. Idem a Petro præsule ante Geoffridum sequentem memoratur, in chartula de Ch. II, col. 262.
D eisdem S. Melanii bonis. Qui decessit anno 1161, e Britannico Chronico; Prob. Histor. Brit., t. I, col. 5.

Olivarius *du Tillet* post Judicaelem a plerisque, sed incredibili quadam allucinatione, ponitur. Hic Olivarius e Leonensi cathedra in Briocensem anno 1436 translatus est: de quo infra mentio fiet.

IX. Geoffridus II.

Geoffridus primum legitur, anno 1164, 1164
in chartula ad S. Albinum de Nemore spec-
E tante; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 655. Idem, anno 1179, in Lateranensi concilio sedit. Ante annum 1187, Hervæo, Majoretanorum abbati, patronatum S. Martini de Lamballa confirmavit (1). Quod circa tempus litteris ejusdem Alani subscripsit, quibus condita

(1) Chartulam quæ ad hanc confirmationem spectat Guillelmo præsuli tribuit D. Car. *Guimart*, et sub annum 1206 edidit. In qua conjectura graviter peccavit. Hervæus enim, cujus nomen charta præbet, Majoris Monasterii curam abdicavit anno 1187.

ANNI CHRISTI

S. Rioni abbatia. Probavit tandem, ut aiunt, anno 1202, fundationem Belli Portus; ea autem confirmatio Goscelino, vel Joscelino, sequenti forsan tribuenda. Certe Geoffridus ante finem anni 1202 decesserat.

X. Joscelinus.

Incertum an Geoffridi Joscelinive nomen præbeant chartulæ ad fundationem Belli Portus spectantes, quæ datæ leguntur anno
1202 1202 ineunte. Certe calendis Octobris 1202, anno Innocentii papæ quinto, Joscelinus, patronatum ecclesiæ *Plouguenoal* adversus S. Melanii monachos sibi vindicans, ex ea causa victus evasit; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 72. Eodem anno in variis minoris momenti chartulis, quarum domnus Moricius meminit, reperitur. Anno tandem 1206, abbatiæ Belli Portus datam ab Henrico comite ecclesiam *Ploozoc* confirmat. Quo decessit anno, ut constat ex epistola Eudonis *Herland*, canonici, apud D. Car. *Guimart*, p. 166. Eamdem temporis notam Britannicum Chronicon comprobat; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 6.

XI. Guillelmus II.

1207 Eligitur Guillelmus anno 1207. Qui in pluribus chartulis occurrit, quas D. Car. *Guimart* exhibet, annis 1207, 1208. Hoc autem anno 1208 obiit. Isne Guillelmus antequam episcopus decanus fuerat? Certe Joscelino episcopalem sedem occupante, Guillelmus quidam inter Briocensis ecclesiæ decanos recensetur.

XII. Petrus I.

Reperitur Petrus anno 1208. Quo anno, judex electus ab episcopo Venetensi necnon a monachis Rotonensibus, sententiam edidit, xvi cal. Decembris, in plerisque Venetensi negans episcopo jura quæ sibi tenaciter
Ch. 17, col. 262. is vindicabat. Eodem anno, monachis S. Melanii confirmavit ecclesias *Brehant* et *Plouguenoal*. Denique eodem tempore occurrit testans Olivarium *de Matignon* semet suaque cœnobio S. Vallerici dedisse. Solemnius est
1210 quod de Petro sub annum 1210 memoratur. S. Brioci exuvias, Andegavum olim translatas, monachi S. Sergii sollicite custodiebant, et Briocenses episcopi, assidui depositæ rei repetitores, omnem operam eatenus perdiderant. Ab infidis tandem sequestribus quædam sancti viri membra Petrus obtinuit, eaque, 18 Octobris, magna populi corona stipatus, ecclesiæ Briocensi restituit. Anno dein 1211, paciscitur Petrus cum priore B. Martini Lamballensis; quo etiam anno Belli Portus possessiones confirmat. Obiit viii cal. Septembris 1212; ex obituario S. Sergii. Eidem anno ejus obitum chronographus Bri-

A tannicus adscribit, a quo laudatur « vir vitæ « venerabilis et amabilis valde. »

XIII. Silvester.

Ab anno 1213 Silvester e diversis chartulis innotescit. Is, anno 1216, Belli Portus 1216
abbatiæ data a Mathilde, Hervæi uxore, recenset; anno 1217, pactum approbat quod Petrus cum Lamballæ priore fecerat, e chart. Maj. Monast., t. III, p. 111, et Salmuriensium monachorum possessiones in Briocensi diœcesi iteratis litteris sancit; anno tandem
B 1219, ecclesiam *Plouguenoal* confert, ex 1219
Albor. Mant. cod. 41, p. 98, et abbatiæ Belli Portus a quibusdam cruciferis collata confirmat, apud D. Car. *Guimart*, p. 171. Moritur anno 1220; e Chronico Nannetensi.

XIV. S. Guillelmus III.

Numero sanctorum adscribendus, ortum PINCHON.
sumpsit Guillelmus ex humili stirpe, anno 1184. Hujus patrem Olivarium vocant, S. Albani accolam, matrem Joannam *Fortin*. Clericali militiæ postquam nomen dederat,
C sacris initiatus est a Joscelino episcopo. Canonicus deinde fuit Briocensis ecclesiæ, et indolis eximiæ, infragilis animi, necnon optimæ vitæ famam consecutus, salutatus est a concanonicis episcopus post Silvestris
decessum, anno 1220. Hujus anni chartæ 1220
plures illum exhibent, quarum meminit D. Car. *Guimart*, aut quas Majoris Monasterii chartularium præbet. Adfuit, anno 1225, Honorii papæ decimo, viii cal. Decembris, dedicationi ecclesiæ Villæ Novæ; Rer. Gall. Script., t. XVIII, p. 331. Eodem anno, confirmavit res S. Martino Lamballensi datas a
D Lucia, domina *de Matignon*; e D. Car. *Guimart*, ch. 18. Adfuit Turonibus, anno 1228, electioni Juhelli archiepiscopi; apud eumdem, p. 173. Nec multo post, ferventibus inter Petrum cognomine Malum Clericum, et episcopos Britanniæ dissidiis, Guillelmus Petri, cujus in offensionem strenuus incurrerat, iras metuens, Pictavium, ut aiunt, secessit. Ad suos redux litem diremit, anno 1231, inter Lamballæ priorem et Guillel-
mum Joannis; ex eodem, p. 174. Anno 1233, 1233
Conanum Clericum, Belli Portus canonicis
E infestissimum, ad emendandas quas illis fecerat injurias compulit. Ejusdem anni Octobri mense, Juhellus, Turonensis archipræsul, episcopalem diœcesis Briocensis urbem ingressus, ibi dubias quasdam quæstiones decreto notabili solvit, cui ipse sigillum suum Guillelmus apposuit; e Lucæ Acherii
Specileg., t II, p. 606. Decessit Guillelmus 1234
iv cal. Augusti 1234, eam apud omnes laudem meritus, ut protinus de illo sanctis intercessoribus annumerando sermo multus esset. Non tantum enim e mediocri loco

ANNI CHRISTI ade summa ecclesiasticæ rei fastigia evectum pia recordatione plebs cohonestabat, sed etiam eumdem, tot ærumnas ob jura commodave Ecclesiæ tuenda perpessum, ceteris Galliæ præsulibus exemplum instituere summus Pontifex utilissimum judicabat. Quare, XVII cal. Maii 1247, Innocentius pa-
Ch. III, col. 263. pa IV ad metropolitam Turonensem ejusque suffraganeos scripsit, se, patriarchæ Constantinopolitani consilio, Guillelmum, Briocensem episcopum, martyrum albo adscripsisse, mandavitque ut feralis ejus dies rite quotannis celebraretur.

XV. Philippus.

Guillelmo defuncto, non leve de successore eligendo dissidium exarsit. Ancipite diu lege scrutinii, canonici tandem in Nicolaum, magistrum scholarum Briocensium, convenere. Quia vero jus aliquo modo violaverant, Theobaldus, archidiaconus Goeloiæ, adhibitis in consilium quibusdam canonicæ rei peritis, electionem sibi devolutam asseruit, elegitque Alanum, canonicum Briocensem, necnon thesaurarium Venetensem. Neutrum autem archiepiscopus Turonensis probavit, C Nicolaumque compellens ad munus abdicandum, excepit mox quosdam e canonicis ab ipso pastorem, suffragiorum jure contempto, poscentes. Quorum petitioni libens annuit 13 Novembris 1234, ut testantur illius litteræ a D. Moricio ex archivo capituli Turonensis desumptæ, Philippumque, Guillelmi familiarem, designavit. Sedebat Phi-
1235 lippus anno 1235, ut testantur illius litteræ de pacto quodam inter abbatem Belli Portus et Olivarium *le Veier;* apud D. *Guimart,* D p. 179. Pluries occurrit in tabulis anni 1237. Quo scilicet anno, 4 Novembris, Cenomanum deveniens, laudavit Geoffridi Cenomanensis episcopi litteras, jura canonicorum S. Juliani sancientes. Ad Philippum scripsit
1244 Stephanus, Dolensis episcopus, anno 1244, eum monens de promulganda excommunicationis sententia in incolas insulæ *Briat;* apud D. Car. *Guimart*, p. 181. Agnovit, mense Maio 1247, jura canonicorum Belli
1248 Portus. Anno 1248, ablatas a se decimas monachis S. Melanii restituit; ex Albor. Mant. cod. 41, p. 93. Eo Philippus unno, dum ad Hierosolymitanas oras iter agebat, intereumdum decessit. E

XVI. Andreas I.

1251 Occurrit primum Andreas, anno 1251, pactum sanciens initum inter Alienoram *de Porhoët* et S. Trinitatis priorem, de Mohonis emporio. Eodem anno, Innocentius papa IV ad Constantiensem cantorem scripsit, jubens ut jurgia inter Andream et priorem Belli Portus mota componeret. Mense Martio A 1253, probat Andreas canonicis Belli Portus data a Ruallano *de Pordic;* apud D. *Guimart*, p. 184. Anno 1254, pacem facit inter eosdem Belli Portus canonicos et Eudonem *Dollou;* ibid., p. 185. Reperitur tandem Andreas, VI cal. Decembris 1255, Guillelmum Danielem rectorem S. Aaronis instituens. Sedes legitur vacans, mense Martio 1256, in litteris Eudonis de Langourla, Briocensis officialis, de rebus abbatiæ Belli Portus ab Eudone *Picart* et aliis nuper condonatis.

(Right margin: ANNI CHRISTI 1253; Ch. V. col. 166.)

XVII. Radulfus I.

B

Andrea mortuo, anno 1256, ut videtur, desinente, canonici Briocenses tribus ex eorum grege eligendi præsulis negotium demandarunt. Qui quidem Radulfum, officialem Briocensem, commendatum ab ipsis præsentavere. Ut vero ille votis omnium adlectus est, et salutatus antistes, eum Turonensis archipræsul consecrare diu distulit; quamobrem Romam Radulfus se recepit, papam appellans. In ea urbe commorabatur, VI id. Ch. VI, col. 266.
Februarii 1257, cum ei per dominum papam licuit æs alienum, ob onera tam longinquæ peregrinationis, contrahere. Nec multo post, nempe VII cal. Martii, scripsit ad Briocenses Ch. VII, col. 267.
canonicos Alexander papa IV, semet suis manibus Radulfum consecravisse. Occurrit Radulfus ad suos redux, eo anno, mense Junio, res canonicorum Belli Portus confirmans; apud D. *Guimart*, Hist. Brioc. Episc., p. 188. Anno dein 1259 in Angliam iter facit, 1259
a Joanne duce missus, qui nuptias inter Joannem, ducis filium, et Beatricem, Henrici regis natam, moliretur. Ea legatione felicem exitum sortita, Radulfus obiit.

XVIII. Simon.

Simonis nomen chartula S. Vallerici præbet anno 1260; apud Marten., Anecd., t. III, p. 963. Inter eum quoque et canonicos Belli Portus acerba dissidia : de quibus judices a summo Pontifice delegati non secundum Simonem decrevere. Is igitur, anno sequente, 1261
Bellum Portum litteris donavit, in quibus canonicorum jura diutius disputata palam recognovit. Quod circa tempus episcopalem urbem Simon aliquantisper deseruit. Die sedenim lunæ ante Cathedram S. Petri 1263, officialis Briocensis absentem Simonem denuntiat, postulatque ut consecrationi Nannetensis electi interesse non valens excusetur. Idem, anno 1264, ejusdem tenoris litteras misit, peragenda mox Macloviensis episcopi consecratione. Annis tandem 1268 et 1270 in variis schedis minimi quidem momenti Simon occurrit; qui decessisse videtur anno 1271 ineunte.

ANNI CHRISTI

XIX. Petrus II.

Defuncto Simone, capitularium major pars Petrum elegit, canonicum Briocensem; minor vero Petrum Bili, ejusdem etiam ecclesiæ canonicum. Inter quos de præsidatu lis primum exarsit, utroque confirmationem suam a vicariis generalibus Joannis, Turonensis electi, deposcente. Ab ea tandem contentione Petrus Bili destitit, alterque Petrus, dictus Venetensis, consecratus est Turonibus die Dominica post annum novum, nempe mense Januario, vel potius 1 Maii
1272 1272; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1024. Ea
Ch. VIII, col. 267. quidem fuse narrant litteræ Gregorii papæ X ad Petrum missæ, VI cal. Junii 1273. Occurrit Petrus annis 1272, 1276, 1280, 1284, in minimis chartis quas D. Car. *Guimart* integras edidit, vel contractas recensuit. So-
Ch. IX, col. 268. lemniori, anno 1274, decreto, compositionem denuntiavit initam inter Guillelmum Nigrum, armigerum, et S. Melanii monachos.
1278 Pacem idem fecit, anno 1278, inter Vitreii priorem et Mauricium, Redonensem episcopum. Reperitur, mense Martio 1279, in capitulo Nannetensi considens, et absolutionem audiens Rivallono de Templo concessam.
1290 Anno tandem 1290, curator designatur testamenti quod Joannes, dux Britonum, condiderat. Decessit 8 vel 11 Februarii, anno incerto.

XX. Geoffridus III.

1295 Occurrit primum Geoffridus anno 1295, die lunæ ante Cathedram S. Petri, pacem faciens inter abbatem Belli Portus et Geoffridum *Menguidy Coyston*; apud D. Car. *Guimart*, Hist. Brioc. Episc., p. 194. Interest, die Christo patienti sacra 1303, conventui Parisiensi, quem Philippus rex coegerat de Bonifacio papa acerrime questurus, et, 20 Octobris, sententiæ subscribit adversus eumdem Bonifacium latæ. Anno 1308, ratam habet compositionem inter Geoffridum *Tournemine* et Ivonem, abbatem S. Albini. Anno 1310, bullam Lucii papæ III pro Cisterciensibus laudat. Nuper defunctus legitur Briocensis episcopus, die Veneris post
1312 Ascensionem 1312, in instrumento cujusdam litis inter Eudonem Natalemque Mercatoris; e regestis *Olim*, quæ doctissimus vir D. *Beugnot* publici juris fecit, t. III, p. 774.

XXI. Alanus I.

E Catalaunensis ecclesiæ thesaurario Briocensis episcopus Alanus fit anno 1313. Idem reperitur, anno 1316, in litteris Anglorum regis quas Rymerus edidit, Act. Publ., t. II. Anno sequente, Tolosonam provinciam missus regius peragrat, et quorumque spretum jus conclamantium querelas audit. Plura de
A eodem apud D. *Guimart*, e regestis *Olim* excerpta. Obiit, ut videtur, anno 1320. ANNI CHRISTI

XXII. Joannes II.

Henrici filius et Mariæ *de Brienne*, Briocensis Joannes episcopus fit anno 1320. Ad D'AVAUGOUR.
eum Joannes papa XXII litteras misit, eodem anno, VI non. Julii, permittens ut a quo vellet consecraretur; apud Suaresium. Eodem, 18 Maii, obsequium cameræ apostolicæ juraverat. Nullus igitur superest locus isti Ludovico *d'Avaugour*, quem inter Alanum
B Joannemque quidam ponunt. Anno sequente, in synodo Langesiensi, metropolitæ fidem spondet. In tabulis Briocensibus dein occurrit, annis 1322, 1325. Eum dein in Dolensem cathedram transtulit Joannes papa XXII, V cal. Maii 1328.

XXIII. Matthæus.

Vacantem cathedram Joannes papa XXII FERRAND
Andreæ de Florentia, canonico Remensi, dederat. Is autem oblatum munus detrectavit. Tunc in Guillelmum de Roseio summi
C Pontificis conversa mens. Qui non secus ac Andreas eamdem dignitatem deprecatus est. Andream demum Ferrandi, canonicum Cenomanensem, prædictus papa nominavit 11 id. Julii 1328. Hæc Suaresius e regestis pon- 1328
tificiis decerpsit: opportune quidem, nam de præsulatu Matthæi nonnulli dubitabant. Obsequium is apostolicæ cameræ promisit eodem anno, 5 Octobris, postmodum munere semet abdicaturus in gratiam sequentis.

XXIV. Radulfus II.

D Radulfus, patria Fixensis et canonicus Andegavensis, litteris apostolicis, Matthæo abdicante, donatus est, X cal. Februarii 1329; e Suaresio: qui eodem anno, 2 Maii, apostolicam cameram adiit, et, Septembri mense, Parisino conventui, jussu Philippi regis, interfuit. Is est Radulfus qui cum Olivario *de Tournemine*, amico suo, Augustinianum Lamballæ conventum fundavit. Obiit anno 1335; e Britannico chronographo, inter Prob. 1335
Hist. Brit., t. I, col. 7.

E

XXV. Guido.

Consecratur Guido, Turonibus, Dominica DE MONTFORT.
prima post octavas SS. Petri et Pauli 1335; Probat. Hist. Brit., t. I, col. 1375. De eo pauca referuntur, quæ D. Car. *Guimart* singulatim recensuit. Falso tamen ejus obitum anno 1358, vel anno 1359, præ laudatus scriptor adscribit. Decessit enim Guido anno 1357, ut ex Innocentii papæ litteris ad Hugonem sequentem comperimus.

ANNI CHRISTI

XXVI. Hugo I.

DE MONTRELAIS. Ex episcopo Trecorensi Briocensis Hugo fit XII cal. Septembris 1357, ut Innocentii
1357 papæ VI litteræ testantur; apud Suaresium. Qui Carolo Blesensi, æstuante bellorum procella, constanter addictus, non semel episcopalem sedem invitus libensve deseruit. Cathedra potitus primum occurrit anno
1364 1363. Anno 1364, Pictavii reperitur, quo, fœdus ut pangerent, æmuli proceres convenerant. Anno 1365, Carolo mortuo, Guerrandiam semet Hugo recepit, interque optimi consilii viros, quorum industria pax tandem condita est, non minimum locum tenuit. Unde, ut qui summam prudentiæ laudem assecutus erat, Britanniæ cancellarius evasit. Parisiis memoratur, 13 Decembris 1366, ubi pro duce ante Carolum regem verba facit. Ad Joannis Montifortensis partes, post obitum Caroli ducis, Hugo transierat : cui fidem dedit mense Maio 1371 ; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 33. Mox autem ab eo discessit, et An-
1372 dium duci litteras scripsit, 22 Octobris 1372, in quibus Caroli memoriam se pio semper cultu prosecutum esse professus est. His, ut conjiciunt, missis, ut Joannis invidiam contraxerat, Avenionem confugit. Eum vero, elapso triennio, Gregorius papa XI purpura donavit. Inter decanos Cameracensis ecclesiæ etiam ab anno 1377 recensetur.

XXVII. Geoffridus IV.

DE ROHAN. Anno, ut videtur, 1372, Geoffridus, Venetensis jam episcopus, in cathedram Briocensem, jubente Britonum duce, evectus est. Certa quidem, sed pauca, super eo testimonia supersunt. Dum vero Briocensem regebat ecclesiam, Hugoni per Gregorium papam licuit exsuli Briocensis episcopi titulum retinere. Quare, sicut conjicimus, ipse Geoffridus Briocenses infulas potius ducis favore quam canonicis viis adeptus, non Venetenses tamen dimisit. Si Venetensibus adhibenda fides chronographis, ejus qui interitum anno 1377 adscribunt, Briocensis ecclesiæ regimen ante postremos vitæ dies abdicaverat. Adde quod in excerptis e curiæ Romanæ regestis, quæ ad Sammarthanos Ughellus misit, quæque in Max. Paris. Bibl. servantur, Hugoni succedens quidam Robertus memoretur, habita nulla Geoffridi mentione. Geoffridi igitur a Venetensibus ad Briocenses translationem adeo non Gregorius papa XI probavit, ut contra Briocensis ecclesiæ curam Roberto crediderit. Is tamen Robertus Briocensem, ut videtur, cathedram, prohibente forsan Britonum duce, Geoffridi patrono, nunquam adiit.

ANNI CHRISTI

XXVIII. Laurentius.

Laurentius, patria Turonensis, regi a supplicibus libellis, fidem apostolicæ cameræ DE FAYE.
promittit 26 Januarii 1375; e notis ab Ughello ad Sammarthanos missis. Qui in Abrincensem cathedram traducitur anno 1379. 1379

XXIX. Guillelmus IV.

Laurentio abeunte, episcopus electus est BESCHARD.
Guillelmus Beschardi, thesaurarius antea S. Martini Turonensis, ut e regestis S. Martini desumpsit Baluzius; arm. 3, fasc. 2, num. 3. Obsequium is suum apostolicæ cameræ significavit 3 Februarii 1379; ex Ughelli notis : deinde confirmatus legitur 25 Octobris, in regestis S. Martini supra laudatis. Pactum Guerrandiæ ratum habuit, 28 Aprilis 1381 ; Probat. Hist. Brit., t. II, col. 276. Decessit anno 1385; e regestis curiæ Romanæ.

Nonnulli inter recentiores chronographos Guillelmum *Beschard* prætermiserunt, ut quem pseudo-Pontifex irritis donaverat litteris, et Guillelmum *Anger* sequentem cameræ apostolicæ fidem anno 1379 juravisse conjecerunt. De Guillelmo *Beschard* S. Martini tabulæ jam fidem faciunt. Adde quod in iisdem curiæ Romanæ regestis Guillelmus, scilicet Guill. *Beschard*, legatur 3 Februarii 1379, et dein Guillelmus *qui Guillelmo successit*, scilicet Guillelmus *Anger*, occurrat 17 Julii 1385. Erronea igitur conjectura ii quos reprehendimus opinati sunt Guillelmum *Beschard* a Clemente VII et Guillelmum *Anger* ab Urbano VI sub idem tempus institutos. Unum enim et alterum Urbanus VI Romæ tunc temporis sedens eadem dignitate vicissim ornavit.

XXX. Guillelmus V.

Filius Theobaldi de Plessiaco et Margarite de Castro Brientii Guillelmus obsequium, ANGER.
ut diximus, apostolicæ cameræ promisit 17 Julii 1385. Occurrit, 18 Aprilis 1387, in litteris de rebus Joannæ concessis a Joanne IV; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 660. Reperitur anno 1388, custos dictus privilegiorum ecclesiæ Redonensis. Anno 1389, Januario mense, sedit in Britannicis comitiis; ibid., col. 557. Turonibus, 26 Januarii 1392, litteras laudavit quibus inter Joannem Britanniæ ducem et Joannem Penthevriæ comitem pax inita. Andivit, 18 Julii 1395, Radulfum de Monte 1395
Forti Britonum duci clientelare obsequium promittentem. Subscripsit 25 Februarii 1396, pro recenti computo, litteris Britonum ducis capellam S. Michaelis condentis; ibid., col. 661. Memoratur, 1 Januarii 1401, pacti testis initi inter Britanniæ ducissam et Clissoniensem toparcham. Tandem, 7 Januarii 1404, audivit Parisiis, in hospitio S. Pauli,

ANNI CHRISTI

Joannem, Britonum ducem, regi semet fidum fore promittentem; ibid., col. 735. Decessit 22, aut 23 Martii 1405; e Briocensis ecclesiæ necrologio. Ut erat e clara stirpe deductus arrogantius quam decebat Guillelmus Briocensis ecclesiæ gubernaculum tenuerat, aspera fronte tantulum indociles, leni subjectos excipiens.

XXXI. Stephanus I.

COEUVRET. Stephanus, Filgeriis oriundus, officialis primo fuit Parisiensis, dein archidiaconus Nannetensis et cancellarius Joannis ducis V. Cathedra Briocensi donatus anno 1405, sedit, 25 Septembris, in comitiis Redonensibus; apud Car. *Guimart*, p. 84. Mox in Dolensem sedem transvectus est, 1 Decembris, a Benedicto papa XIII.

XXXII. Joannes III.

DE MALESTROIT. Joannes, filius Joannis *de Châteaugiron* et Joannæ *de Combourg*, præses sedebat in camera computorum Nannetensium, cum
1406 Briocensis episcopus electus est anno 1406. Eodem anno reperitur exsequendum curans testamentum quod condiderat Margarita *de Rohan;* Prob. Hist. Brit., t. II, col. 778. Similem ei curam demandavit 5 Februarii 1407, secundum recentem usum, Olivarius *de Clisson*, novissimum ipse testamentum edens; ibid., col. 782. Venetico conventui interfuit 14 Decembris 1408. Memoratur anno 1409 per procuratorem præsens in concilio Pisano. Cancellarius idem erat Britonum ducis : quo nomine, 27 Decembris 1410, litteras accepit regias quibus ei data potestas in Angliam commeandi; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 846. Infeliciter Joannes, anno
1414 1414, cum Belliportensibus canonicis litigavit; quo et anno, 22 Septembris, Briocensis ecclesiæ capitulo prædium Redonibus contiguum dono dedit. Testis fuit, anno 1417, Ludovici Andegavensis et Isabellæ Britannæ connubiale fœdus pangentium. Anno tandem
1419 1419, 24 Augusti, in Nannetensem cathedram transfertur.

XXXIII. Alanus II.

DE KERAZRED. Alanus e Leonensi fit episcopus Briocensis. Translatum nuper in Briocensem cathedram commendavit Britonum duci Martinus papa, 23 Septembris 1419; e cod. Regis francico, sub num. 8357². Consiliarius idem Joannis ducis in pluribus chartulis legitur, anno 1420, et non minus in republica quam in Ecclesia pollens. Ei tamen haud segnius quam antecessoribus ejus canonici Belli Portus obstitere, cum eorum in ecclesias *Goëlo* jura superbe conculeare ausus est. Adversantem ille quidem carceri mandavit abbatem, aliaque canonicis minatus est. Dein vero Reginaldus *de Brancas*, cardinalis, mandato domini papæ, Alano sub excommunicationis pœna jussit ut captivum abbatem libertate donaret; apud D. Car. *Guimart*, p. 90. Obiit 4 Junii 1424, postquam ecclesiam suam multis 1424
donis auxerat.

XXXIV. Guillelmus VI.

In Briocensem sedem, Alano mortuo, Britonum dux Joannem de S. Leone, confessionibus suis audiendis præpositum, provexit : Guillelmum vero suffragiorum lex designavit, 24 Junii 1424. Ab eo gesta pauca memorantur. Nec prætereundum tamen quod ejus nomine Petrus *Marion*, vicarius ejus generalis, Trecense fœdus ratum habuerit, 8 Septembris 1427. Litteris apostolicis in Re- 1427
donensem cathedram Guillelmus, eodem Septembri mense 1427, translatus est. BRILLET.

XXXV. Guillelmus VII.

E Nannetensi decano et Martini papæ referendario Guillelmus promotus est, 15 Martii 1428, in Briocensem cathedram. Sedit, 23 Aprilis 1430, in Nannetensi concilio. Eodem anno, pridie Nativitatis Domini, ultimæ voluntatis suæ testamentum dictavit, et interjectis aliquot diebus decessit. EDER.

XXXVI. Hervæus I.

Celebratis Guillelmi exsequiis, baculo pastorali donarunt canonici Briocenses Joannem de Malestricto, Macloviensem decanum, qui tricesimum nondum attigerat annum. Joannes vero, dux Britonum, posthabitis canonicorum suffragiis, Hervæum, Redonibus oriundum, quo consiliario utebatur, ecclesiæ vacanti præfecit, 29 Januarii 1431, 1431
secundum recentem usum. Pluribus in chartulis annorum 1433, 1434, Hervæus occurrit. Anno 1435, per Joannem ducem licebat ut, quæ recens in ecclesia Lamballæ collegiata instituerat, Hervæus beneficia conferret. Adversus Belliportenses canonicos et ipse coram summo Pontifice litigavit; in ea vero causa cecidit, ut litteris Eugenii papæ IV docemur, 23 Maii 1436; apud D. Car. 1436
Guimart. Hervæus testamentum suum condiderat eo anno, 17 Martii, postmodumque decessit. HUGUET DE BOISBOHIN.

XXXVII. Olivarius I.

E cathedra Leonensi translatus est Olivarius in Briocensem 4 Julii 1436. Exstant Eugenii papæ litteræ quibus commendatur, 6 Julii datæ; e cod. Regis francico, sub num. 8357². Obiit anno 1438 desinente. DU TILLET.

ANNI CHRISTI

XXXVIII. Joannes IV.

L'EPERVIER. E cancellario Britonum ducis Joannes præsul Briocensis eligitur anno 1439 ineunte. Quo anno, Aurelianensi conventui, a duce
1440 missus, interfuit. Sequente, in Angliam iter fecit, cujus industria Britones quidam mercatores, in medio Oceano ab Anglis lacessiti, illati compensationem damni obtinerent. Anno 1442, tam exsequiis Joannis V, quam inaugurationi Francisci I, ducum, interfuit. Eo etiam anno Franciscum secutus est, cum is Cainonem se recepit, Francorum regi clientelare obsequium promissurus. Ei
1449 tandem, anno 1449, hæc a summo Pontifice provincia demandata, ut omnem Rotonensis episcopatus rem curaret, et, postquam Redonensis, Macloviensis Dolensisque antistites indemnes semet essent professi, Rotonensem institueret. Id autem, ut diximus, consilium effectum nullum habuit. Supersunt Nicolai papæ ad Joannem litteræ, datæ XIII cal. Januarii 1449, quibus Rotonensis episcopatus erectio cassa renuntiatur. In Macloviensem sedem Joannes, 15 Julii 1450, translatus est.

XXXIX. Joannes V.

PRESENT. Electus est a Briocensibus canonicis Joannes, 29 Augusti 1450, e Romanæ sedis protonotario. Hujus autem electionem plures impugnaverunt, inter quos Jacobus *Peurel*, alias *de Pencoet*, doctor utriusque juris, quem Nicolaus papa V motu proprio Briocensem episcopum creaverat. Ex alia parte, Britonum dux idem munus Jacobo *de Penhouedic*, consiliario suo, tradidit, eoque præsente, dictoque *electo Briocensi*, ipse regi fidem dedit, 3 Novembris 1450; e cod. Regio 8357⁴. Unde non parva tres inter æmulos de præsidatu dissidia. Quæ dum fervebant, dux in temporales ecclesiæ fructus manus injecit.
1455 Occurrit tamen Joannes, anno 1455, episcopalem sedem, superatis competitoribus, in comitiis Venetensibus occupans; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 1570. Anno dein sequente, 4 Aprilis, Venetiæ interfuit recognitioni corporis S. Vincentii Ferrarii. Episcopatus tamen reditus sibi dux Britonum vindicaverat. Quos postea quam aliquandiu collegerat, eum facti pœnituit, ideoque, anno 1460, inique perceptos nummos publicis operibus impendit, ut litteræ Pii papæ II referunt. Matrimonio Joannes junxit, 8 Martii 1462, Joannem, filium Alani comitis, et Mariam de Britannia; ibid., col. 1766. Eodem anno, 10 Junii, Rotomagi reperitur, in senatu tunc temporis coacto præsidis munere fungens; ibid., t. III, col. 5. Cui præfuit etiam annis 1463, 1464, ut compertum habemus ex ejusdem apocha, quam servat chart. caps. 1433, in Max. Paris. Biblioth. Civilibus dein se-

A met quibuscumque muneribus abdicavit, ut ecclesiæ suæ rebus totus incumberet. Obiit anno 1471 desinente, vel anno 1472 incipiente. De Jacobo *Peurel*, alias, ut diximus, *de Pencoet*, testimonium aliud superest a D. *La Porte du Theil* collectum. Dictus enim ad extremos vitæ dies electus Briocensis, insuperque sacri palatii cardinalis auditor, Romæ decessit anno 1462, et in capella S. Yvonis sepultus est; Excerpt. e cod. Romæ manuscript., t. II, p. 40.

B

XL. Petrus III.

Episcopus Briocensis Petrus creatur 28 Februarii 1472, et duci fidem dat eodem anno, 12 vel 14 Junii. Anno sequente, 8 Octobris, in metropolitanam Remorum sedem transfertur. Per dominum tamen papam ei licuit ut, commendæ titulo, episcopatum Briocensem retineret. Sic eo nomine, anno 1476, synodo Rotonensi interfuit, ubi de stipendio rusticanorum rectorum statutum est. Mox autem eversam ea commendarum collatione disciplinam clerus Britannicus clamitavit, et, annuente Francisco duce, apud C quem pristinum jus præ novis moribus valebat, Christophorus Petro successor a canonicis datus est, qui abrogatis, ut videtur, concessis Petro litteris, ab ipso Sixto papa rite approbatus est. DE LAVAL.

XLI. Christophorus.

Filius Henrici *de Penmarch* et Aloysiæ *de Coëtivy*, Christophorus e Dolensi cathedra in Briocensem translatus est litteris Sixti papæ, XIX cal. Februarii 1477; e cod. Regio 8357². Occurrit fidem jurans Britonum duci D 30 Junii 1478. Protinus autem inter eum et Petrum Lavallensem lis exarsit. Mense nempe Septembri editæ Petri litteræ, qui, archiepiscopus et dux Remensis, necnon scholaris tunc temporis, ut dicitur, studens in universitate Parisiensi, Briocensis ecclesiæ perpetuum commendatarium semet insuper asserebat, Christophorumque loco cedere jubebat; ex eod. cod., p. 273. Petro datum ab ipso papa responsum : qui, Aprili mense
1479, sub excommunicationis pœna vetuit 1479
ne diutius, spreta ducis auctoritate, spreto E Romanæ sedis imperio, de Briocensis cathedræ possessione contenderet. Non is tamen a suo proposito destitit; cujus quidem causam omnes palam improbabant, rex vero clam adjuvabat. Quare Sixto succedens Innocentius papa VIII regem exoravit, ut, juris plusquam amicitiæ studiosus, ipse Christophoro
patrocinaretur. Tandem, 8 Augusti 1485, 1485
prædictus papa ad cardinalem Fuxensem scripsit, imperans ut, pendente lite, ante omnia Christophorum in integram muneris possessionem induceret. Antea Christopho- DE PENMARCH.

ANNI CHRISTI

rus, 27 Octobris 1481, litteris Francisci ducis, Francisci, nothi sui, dominium augentis, subscripserat. Matrimonium dein Ludo-
1498 vici XII et Annæ, anno 1498, sigillo suo confirmavit. Sodales quoque S. Francisci in episcopali civitate constituit. Novissimas tandem voluntates suas testatus est 6 Decembris 1505, et paulo post, 17 Decembris, obiit. Vacans legitur sedes 1 Januarii 1506, in officialis mandato ad executionem præ memorati testamenti spectante.

XLII. Olivarius II.

DU CHASTEL. Olivarius, patria Leonensis, filius Olivarii et Mariæ *de Poulmic*, protonotarius dicitur Romanæ sedis et S. Brioci canonicus in testamento Christophori antecedentis. E litteris Briocensis officialis hoc de testamento aperiendo noscitur neminem jam Christo-
1515 phoro suffectum 1 Januarii 1506. Anno 1515, Franciscanorum ecclesiam Olivarius consecravit. Palatii quoque episcopalis reparator laudatur. Testamentum suum condidit 14 Maii 1525, et decessit die 16 ejusdem mensis; e necrologio Belli Portus.

XLIII. Joannes VI.

DE RIEUX. Filius Joannis alterius et Isabellæ *de Brosse* Joannes abbas B. Mariæ de Precibus primum fuit, postea Briocensis ecclesiæ administrator. In quo munere vicariis usus est Alano *de Penmarch* et Geoffrido, Tiberiados episcopo. An consecratus unquam fuerit
1544 ambigitur. Anno tandem 1544, in Trecorensem cathedram transiit.

XLIV. Franciscus Michael.

DE MAUNY. Patria Cenomanensis Franciscus Michael Briocensi cathedra regiis litteris donatur 20 Septembris 1544. Anno sequente, Trecorensis episcopus reperitur. Unde plures eum in Trecorensem cathedram translatum fuisse, postquam Briocensem per unum circiter annum rexerat, asseruerunt. Alii vero conjecerunt eumdem duas sedes una tenuisse, nec Briocensem deseruisse ante annum 1553, quo Burdigalensis episcopus salutatus est. Ea quidem dubia plane solvere nobis non licuit. Novimus tamen Franciscum anno etiam 1546, post susceptas, ut aiunt, Trecorenses infulas, Briocensis episcopi munus implevisse. Interea Joannis successorem eligendi jus curia Romana sibi vindicans, eadem, anno 1544, dignitate Andream, titulo S. Cornelii cardinalem, ipsa donavit: dein, 18 Februarii 1551, Durandum de Durantis, et postea Joannem Bellaium. Episcoporum Briocensium seriem ea omnino diversa contemporaneorum episcoporum nomina non parum perturbant. Joannes tandem Bellaius, anno 1553, inanem titulum dimisit.

XLV. Joannes VII.

DU TILLET. Joannes obsequium regi promisit 8 Decembris 1553; apud *Padioleau*. De eo tamen Briocenses tabulæ silent, dum annis 1553, 1557, 1559, Parisiis degens commemoretur. Ut enim inter doctissimos ætatis suæ viros conspicuus erat, et de rebus ad fidem pertinentibus scribendi peritissimus, ecclesiæ suæ curam, aliis præpeditus occupationibus, neglexit. Anno tandem 1564, cum Ludovico, episcopo Meldensi, commutavit. Hujus autem commutationis conditiones summus Pontifex minime ratas habuit. Unde lis orta est: quæ dum erat sub judice, Joannes Parisiis mortuus est Decembri mense 1570. Quære supra, t. VIII, col. 1649.

XLVI. Nicolaus.

LANGELIER. Pontificiæ ad Nicolaum mittuntur litteræ 5 Augusti 1564. Qui fidem regi dat 3 Februarii 1565. Memoratur, 25 Septembris 1576, 22 Decembris 1578 et 6 Maii 1579, in Redonensibus comitiis, et, eodem anno 1579, in cœtu cleri Gallicani, S. Germani juxta Parisios congregato, ubi concionem habuit ipsa die qua cœtus solutus est. Eumdem reperies, 15 Octobris 1580, in comitiis *Ploërmel* coactis, 1580
et anno 1583, in Turonensi concilio; in Redonensibus comitiis, annis 1587, 1588, et, eo anno 1588, in Blesensi trium ordinum conventu. Dinanni decessit Nicolaus Septembri mense 1595, litterati præsulis laudem assecu- 1595
tus. Notas enim in Canones scripsit, quas servat Sangerman. codex 370. Procellosæ tamen ætatis calamitates prohibuerunt ne utilissime Nicolaus rebus ecclesiæ suæ consuleret. Cum enim Fœderatorum factioni inserviret, et consiliis Mercœurum ducem suis adjuvaret, infensos habuit Briocensis urbis cives, quorum major et sanior pars pro rege stabat, necnon complures e cleri diœcesani proceribus. Quare quotidianis litibus obsessus, turbidam tempore turbido vitam vixit, ab eoque destinata salubriter, individuis viribus potentior, rerum vis discussit. Post eum episcopalis sedes per annos quinque et quatuor menses vacua permansit.

XLVII. Melchior.

DE MARCONNAY. Ex abbate Septem Fontium necnon Relleii Melchior præsul nominatur, Januario mense 1601. In Britanniæ comitiis clero præfuit anno 1602. Eisdem dein interfuit annis 1605, 1608, 1616, 1617. Anno 1605, ut diœcesana statuta colligerentur et prælo palam ederentur curavit. Turonibus legitur, 8 Martii 1611, inter legatos cleri Turonensis; ex 1611

ANNI CHRISTI arch. Cleri Gallic., Alien. diœc. Turon., t. II. Eo præsule Capucini in urbe Briocensi, anno 1615, consedere. Laudatur quoque collegii Briocensis conditor. Obiit 7 Martii 1618.

XLVIII. Andreas II.

LE PORC DE LA PORTE. Melchiori succedit Andreas, filius Renati et Annæ *de la Tour Landry,* quinque et viginti annos natus, qui anno 1620 consecratur. Eo etiam anno, 20 Octobris, clero in Britannicis comitiis præfuit, et Carmelitanos sodales Quintini constituit. In Redonensibus dein comitiis reperitur anno 1622. Anno 1624, statuta condidit egregia. Anno 1625 Ursulinas moniales, anno 1626 Calvarianas puellas, in urbem episcopalem accivit. Quin imo summa ope enixus est, anno 1628, ut Minimos in eamdem urbem intromitteret: oppidani vero et e clericis nonnulli obstitere. Obiit 22 Junii 1632.

XLIX. Stephanus II.

DE VILAZEL. Egregius concionator et abbas S. Severi apud Vascones, necnon S. Severi apud Constantienses, Stephanus, patria Tolosanus, Andreæ, anno 1632, sufficitur, et eo anno, 1 Februarii, Parisiis consecratur. Anno sequente, Britanniæ comitiis interest. Decessit 1 Junii 1641.

L. Dionysius.

DE LA BARDE. Briocensis episcopus Dionysius creatur mense Junio 1641, paucis post obitum Stephani diebus elapsis, et Parisiis consecratur
1642 6 Julii 1642. Anno sequente, in Britanniæ comitiis, cardinalis *de Richelieu,* quem patronum habuerat, laudes sermone funebri prosecutus est. Idem, 14 Julii 1645, Henricum *d'Escoubleau,* Burdigalensem episcopum, simili oratione commendavit. Memoratur deinde, annis 1650, 1651, in totius Galliæ comitiis. Clero dein in comitiis Britanniæ præfuit, annis 1659, 1661, 1663. Optimam ejus indolem multi celebraverunt. Obiit 22 Maii 1675.

LI. Harduinus.

FORTIN DE LA HOGUETTE. Filius Philippi *de la Hoguette* et Ludovicæ *Perefixe,* archiepiscopi Parisiensis germanæ, e Parisiensis ecclesiæ canonico Harduinus episcopus Briocensis nominatur 14 Januarii 1676, et 3 Maii consecratur. Clero præfuit in Britanniæ comitiis, 20 Augusti
1680 1677, anno 1680 in cathedram Pictaviensem transferendus. Ea de translatione datæ summi Pontificis litteræ idibus Julii.

LII. Ludovicus I Marcellus.

DE COETLOGON. Ex abbate Begardi et priore S. Martini in castro Joscelini Ludovicus Marcellus Briocensis præsul fit anno 1680. In Dinanni comitiis cleri præses legitur 1 Octobris 1687. Parisiis reperitur, 17 Octobris 1688, Ludovici *de Pestivier,* Ebrolii abbatis, consecrationi cooperans. Idem, anno 1689, humanissime Jacobum II, Anglicanis ab oris exsulem, excepit. Anno 1701, Ludovicum *de Cissé,* consanguineum suum, vicarium Siami apostolicum inauguravit. Tornacensis dein episcopus renuntiatur 11 Aprilis 1705.

LIII. Ludovicus II.

PRÉTAT DE BOISSIEUX. Nominatur Ludovicus 11 Aprilis et consecratur 11 Octobris, urbem episcopalem ingressurus 13 Novembris 1705. Clero præfuit in comitiis annorum 1709, 1715, obiitque Ancenisii, III calend. Octobris 1720, solutis nuper comitiis in ea urbe congregatis, ætatis anno 58. Eum vera simplicitate bonum dixerunt, qui, inusitato tunc temporis more, in seminario gregarii cujusdam clerici vitam vixit, omnesque suos fere reditus reædificandæ cathedrali basilicæ impendit.

LIV. Petrus IV Guillelmus.

DE LA VIEUVILLE-POURPRIS. Ludovico Petrum Guillelmum rex mense Januario 1721 suffecit. Qui decessit 4 Septembris 1727, clero postquam, in Britanniæ comitiis, annis 1724 et 1726 præfuerat.

LV. Ludovicus III Franciscus.

VIVET DE MONTCLUS. Ex abbate S. Ægidii, et Francarum Vallium, futurus mox et Belli Portus abbas, Ludovicus Franciscus Briocensis præsul creatur 20 Octobris 1727, et consecratur 1727
9 Maii 1728; supra, t. X, col. 1455. Anno 1730, in Briocensibus comitiis clero præfuit. Alesium dein transfertur, ineunte Septembri mense 1744.

LVI. Hervæus II Nicolaus.

THEPAULT DE BRIGNOU. Episcopus Briocensis e vicario generali Corisopitensis ecclesiæ Hervæus Nicolaus nominatur 3 Septembris 1744, et consecratur 13 Martii 1745. Præest, 18 Decembris 1745
1758, Briocensibus comitiis, obiturus 26 Januarii 1766, ætatis anno 63.

LVII. Franciscus.

BAREAU DE GIRAC. Parisiis Franciscus consecratur 31 Augusti 1766. Qui Redonensem ecclesiam non multo post, anno 1769, regendam accepit. 1769

LVIII. Julius.

FERRON DE LA FERRONAYS. Urbem episcopalem Julius ingreditur 17 Julii 1770. In Baionensem sedem dein transfertur anno 1775.

ANNI CHRISTI

REGNAULT DE BELLESCIZE

LIX. Hugo II Franciscus.

Consecratur Briocensis præsul Hugo Franciscus 25 Junii 1775. Qui supertes erat anno 1791.

DECANI BRIOCENSES.

Hi sunt inter decanos Briocenses quos nostra diligentia potuit assequi :

I. Judicael reperitur, anno 1129, in litteris Joannis episcopi de pluribus ecclesiis Majori Monasterio traditis; e chartul. Maj. Monast., t. III, p. 104.

II. Nicolaus, anno circiter 1179, subscripsit Geoffridi præsulis chartulæ de rebus S. Albino datis a Geoffrido *Chefdemail;* Prob. Hist. Brit., t. I, col. 660.

III. H., ante annum 1187, litteras Geoffridi præsulis sigillo suo munivit, de patronatu S. Martini de Lamballa Majoretanis rursus adscripto.

IV. Guillelmus I subscribit, anno 1202, Alani litteris pro Bello Portu; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 1769. Idem, anno 1206, chartam edit de jure Belli Portus in ecclesiam *Ploozoc,* apud D. Car. *Guimart,* p. 166 : anno 1208, Petri præsulis, Melaniensium
Ch. II col. 262. possessiones confirmantis, testis est. Anno tandem 1214 memoratur apud D. Car. *Guimart,* p. 41, not.

V. Alanus, anno 1234, reperitur in Juhelli archiepiscopi litteris de Nicolai abdicatione.

VI. Geoffridus, anno 1266.

VII. Guillelmus II de Ruysio legitur curator testamenti quod Joannes dux condiderat : ad eum de eodem testamento Nicolaus papa IV scripsit, calendis Septembris 1288; inter Collect. D. *La Porte du Theil.*

VIII. Joannes I *Roussel* Guerrandiæ fœdus sancivit 29 Aprilis 1381; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 277.

IX. Olivarius *Fromentin* anno 1449 reperitur.

X. Joannes II Senescalli, cujus meminit Alb. Mantell. cod. 45, post Olivarium forsan collocandus est.

XI. Joannes III *de Parthenay* occurrit, 21 Julii 1458, in litteris Arturi ducis de rebus ecclesiæ Briocensis. Idem, anno 1471, capituli Briocensis statuta probat, et, anno 1484, de capituli juribus cum episcopo paciscitur. Qui testamentum suum condens, 11 Martii 1492, missam instituit quaque Veneris die in capella S. Suzannæ celebrandam. Obiit 13 Martii 1492.

XII. Joannes IV *de Plédran* recensetur anno 1529. Testamenti sui curatorem constituit, 11 Martii 1536, Joannem *de Plédran,* primogenitum fratrem, Nannetensém decanum.

XIII. Joannes V *Liepvrault* interest, anno 1546, consecrationi Georgii *Guemadeuc,* abbatis S. Jacuti; ex Alb. Mantell. cod. 41, p. 655.

XIV. Michael *Le Bel,* dominus *de la Gavoyais,* anno incerto.

XV. Joannes VI *Charpentier* sedit annis 1602, 1605, 1620, in Briocensibus comitiis; in Redonensibus, anno 1608. Idem, anno 1622, cum episcopo Briocensi de juribus capituli composuit; ex instrum. Brioc. eccles. quæ DD. *Geslin de Bourgogne* et A. *de Barthélemy* edidere.

XVI. Jacobus *Lebret* episcopus Tullensis fit anno 1645.

XVII. Joannes VII *Henry,* annis 1658, 1692.

XVIII. Joannes-Baptista *de Kersaliou du Plessix* fratres S. Yvonis in civitate Briocensi sumptibus suis instituit, 3 Septembris 1746.

XIX. N. *de Catuellan* reperitur anno 1756.

XX. N. *Lolivier de Tronjoly,* rector ecclesiæ *Lorient,* post annum 1763. Superstes erat anno 1790.

VETUS BRIOCENSIS ECCLESIÆ MONASTERIUM.

S. Rionus. Abbatiam hanc, in insula *Gudrvinil* condidit Alanus, *Goëllou* toparcha, a canonicis S. Augustini habitandam. De fundationis anno dubitatur. Quam nonnulli anno 1198 adscribunt. Alanus vero, a se jam data confirmans, his utitur verbis : « Charta « ista facta fuit eo anno quo rex Richardus « promotus fuit in regem. » Regnum autem Richardi ab anno 1189 incipit : S. Rionum igitur Alanus anno circiter 1188 fundaverat. De qua re consulendus D. Car. *Guimart,* Hist. Episc. Brioc., p. 33. Aliud de situ dubium movetur. Insulam quidem *Gudrvinil* Alanus nuncupat; Innocentius vero papa, fundationem confirmans, eamdem abbatiam in insula *Carohenes* ponit; Prob. Hist. Brit.,

t. I, col. 732. Unde nonnullis placuit ut *Carohenes* insulam *Brehat*, in ecclesia Dolensi, significaret, dum eamdem cæteri in parochia *Plouzec*, quæ ad Briocensem diœcesim pertinet, collocaverunt. Posteriorum sententia potior videtur, namque Briocensis præsul, minime vero Dolensis, chartæ fundationis subscripsit. Adde quod insula S. Rioni insula *Guergenes* vocetur, in charta Geoffridi,

A Belli Portus fundationem anno 1202 sancietis.

Wilhelmus abbas S. Rioni reperitur, anno 1198, in litteris Innocentii papæ quibus fundatio probatur.

Non diu vero insulanum S. Rioni monasterium floruit. Canonicos enim ibi degentes Alanus ipse fundator anno 1202 Bellum Portum transtulit.

ABBATIÆ SUPERSTITES [1].

Sunt illæ numero quatuor.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

B. Maria de Lantenaco, *Lantenac.*

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Virorum.

Bellus Portus, *Beauport.*

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Virorum.

S. Albinus de Nemore, *S. Aubin du Bois.*
B. Maria de Boquiano, *Boquen.*

B. MARIA DE LANTENACO.

Lantenacensem abbatiam, a Benedictinis monachis incolendam, Eudo comes in honorem B. Mariæ et omnium Sanctorum fundavit, anno circiter 1149, testibus Gothofredo Briocensi et Joanne Macloviensi episcopis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 604. Parva quidem domus olim fuit. Anno 1565, armatæ turmæ, quarum dux princeps *de Rohan*, Lantenacum invadunt, et monachos depellunt. Qui parem postea cladem experti sunt, cum Fœderatorum furor desæviret. Anno 1615, intromissi patres Societatis Britannicæ; anno 1646, fratres S. Mauri reformationem professi. Octo claustra monachi, anno 1680, habitabant : ea vero postea de reditibus hujusce domus decessio facta est, ut tribus tantum hospitibus victum aliaque necessaria suppeditaret, anno 1767, quo senatusconsultum imperavit ut in aliam ejusdem ordinis abbatiam secederent. Id vero frustra decretum est. Anno sedenim 1790 superstites Lantenaci duo monachi reperiuntur.

Quædam ad hanc abbatiam spectantia servant Albor. Mantell. codices 36 et 41. Integram tamen abbatum seriem condere non licuit.

(1) Usque ad ann. 1790.

ABBATES.

B I. Robertus occurrit, anno 1248, in capitulo generali, Hambeiæ celebrato; supra, t. XI, Instr., col. 260.

II. Joannes I, die Sabbati ante Cineres, anno 1271, de quibusdam reditibus paciscitur cum Alano *de Rohan*.

III. Guillelmus I *Guinon* reperitur 15 Martii 1350 et 27 Octobris 1380.

IV. Petrus I 21 Augusti 1394, anno 1407, et 12 Maii 1412.

V. Petrus II transegit, 16 Octobris 1446, cum Alano *de Rohan*.

VI. Geoffridus *Guitton* reperitur anno
C 1469. Interfuit, anno 1476, synodo Rotonensi, in qua de stipendio rusticanorum rectorum decretum est. Decessit anno 1495.

VII. Joannes II *Combe*, anno 1496; e veteri catalogo. Ab aliis tamen eodem anno Petrus *de Loyre*, alias *de La Grée*, memoratur.

VIII. Alanus *de Lescouet* de præsidatu cum Yvone sequente litigavit. Alanum publicæ litteræ confirmaverunt 21 Septembris 1521.

IX. Yvo *de Tournevilly* sententiam obtinet 7 Augusti 1529, et abbatiam sibi vindicat. Quam an adeptus sit incertum est. Alanus
D enim usque ad ultimos vitæ suæ dies abbatis nomen retinuit.

X. Michael *de Cöetlogon*, commendatariorum primus; e veteri catalogo.

XI. Cæsar *de la Barre*, anno 1540; ex eodem.

XII. Joannes III *Le Veneur*, cardinalis, episcopus Lexoviensis, anno 1542 memoratur; qui obiit anno 1543.

XIII. Ludovicus I *de Botderu*, anno 1547.

XIV. Reginaldus *Soudan* fidem regi spondet anno 1558; apud *Padioleau*, p. 156.

XV. Joannes IV *Fabri*, anno 1561. Eo
E abbatiam regente, anno 1565, N. *de Villaudrain*, a principe *de Rohan* missus, abbatiam occupat, et, dejecto Joanne, ei Claudium *de Kercangor*, filium suum, sufficit. Mox autem ipsi ab eodem monachi expelluntur.

XVII. Rivorius *de Kerdesiguen* apocham

sigillo suo confirmat, 16 Aprilis 1571; ex arch. Cleri Gallicani, Alienat. Brioc. diœcesis.

XVIII. Antonius *Charbonnier*, anno 1575.

XIX. Mathurinus *Denechaux*, annis 1582, 1600. Ab anno 1601 usque ad annum 1610 abbatiæ administratio procuratoribus demandata.

XX. Guillelmus II *Dupont*, anno 1612.

XXI. Stephanus *Dupont*, Luparæ capellanus et protonotarius apostolicus, avunculo suo successit anno 1641. In Briocensibus comitiis reperitur anno 1677.

XXII. Ludovicus II *Fernou*, regendis capellæ regiæ musicis præfectus, Stephano successit. Uxorem vero duxit anno 1706.

XXIII. Augustinus *Giry de Monteliaud* nominatur 1 Novembris 1706, et obit Februario mense 1730.

XXIV. Ludovicus III Alexander Marinus *de Kerbringal*, canonicus Cosisopitensis, creatur abbas Septembri mense 1731: qui clavum per quinque et quinquaginta annos tenuit.

XXV. N. *de Barral*, archidiaconus Trecensis, ab anno 1786. Superstes erat anno 1790.

BELLUS PORTUS.

Anno 1202, Alanus, Henrici comitis filius, canonicos insulanum S. Rioni monasterium incolentes in continens littus transfert, eisque locum addicit, quem jam tunc Bellum Portum appellabant. Exstant Alani litteræ, quibus abbatiæ surgenti, anno supra memorato, plures ecclesias in Anglia sitas adscribit; Monast. Anglic., t. VI, col. 1117. Ab eo tamen tempore Belliportensis hospites abbatiæ Præmonstratensis ordinis instituta sectantes reperiuntur: unde incertum est an S. Rioni Victorini canonici, donum Alani respuentes, alio abierint, aut, veste mutata, ipsi Præmonstratensem regulam exoptaverint. Quæ ad fundationem Belli Portus spectant enarrat Alani chartula, a D. *Guimart* typis mandata, Hist. Brioc. episc., p. 164. Adde quod Belliportenses canonicos, Præmonstratensis disciplinæ præceptis erudiendos, quidam ex abbatia Lucernæ deducti fratres susceperint. Memoratur dein Alanus canonicis Belli Portus caput S. Maudeti condonans. Eisdem, anno 1206, ecclesiam ipsam vici *Ploozoc*, juxta quem sita abbatia, tradidit; apud D. *Guimart*, p. 165. Quam traditionem Innocentius papa, anno 1213, confirmavit. Beneficos postea experti sunt Conanum Alani fratrem, Alanique filium Geoffridum. A Conano data plura altaria prædiaque in Anglia sita. Donis insuper Briocensium episcoporum aucta domus et eorum dein præsidio munita, donec inter eos et Belliportenses abbates acerrimum de quarumdam ecclesiarum patronatu dissidium exarserit. Quare Joannes abbas, anno 1423, narratur ab Alano præsule in carcerem detrusus, et paulo post, mandato domini papæ, libertate donatus.

Abbatum seriem præbet codex D. *de Gaignières* 246. In eodem codice quædam excerpta ex abbatiæ necrologio reperiuntur.

SERIES ABBATUM.

I. Radulfus, e Lucernæ, ut aiunt, canonico, memoratur, anno 1206, in chartula Guillelmi episcopi de quodam capellano in parochia *Ploozoc* instituendo; apud D. *Guimart*, Hist. Brioc. episc., p. 167. Obiit 7 Decembris.

II. Guillelmus I *Larcher* unum per annum præsidatum abbatiæ tenuisse dicitur.

III. Simon I decessit VIII cal. Julii; ex abbatiæ necrologio. Exsequendum curavit testamentum Guillelmi *Le Borne*, senescalli, anno 1215.

IV. Rogerius, feria secunda post Pentecosten 1233, pactus est ante Guillelmum, Briocensem episcopum, cum Conano Clerico, qui fratrum possessiones invaserat; apud D. Car. *Guimart*, Prob. Hist. Brioc. episc., p. 174. Obiit idibus Maii; ex abbatiæ necrologio.

V. Hervæus, alias Henricus, *Bazouges* natus, in diœcesi Redonensi, reperitur, anno 1249, cum canonicis S. Crucis de Guingampo quædam jura permutans. Ejus necrologium meminit IV cal. Februarii.

VI. Robertus I cum Alano *de Rohan* de quodam molendino transigit anno 1269; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1018. In necrologio et ipse memoratur IV cal. Februarii.

VII. Yvo *Kiriti*; e D. *de Gaignières*. Obiit 10 Junii. Ab aliis Eudo nuncupatur.

VIII. Michael I *Gauthier* post Yvonem. Obiit XIV cal. Novembris.

IX. Guillelmus II, natus in vico *Peimporell*, anno incerto.

X. Petrus I *d'Agavile*, e Lucernæ canonico.

XI. Joannes I *de Montmartin* in anno consecrationis suæ decessit.

XII. Joannes II de Humo probavit, anno 1303, sententiam contra Bonifacium VIII latam, ut ejus litteræ testantur quas servat Max. Gallorum Archiv. Obiit 13 Octobris; ex abbatiæ necrologio.

XIII. Michael II *Vivien*, *Bynien*, vel *Bivien*, obiit, ex abbatiæ necrologio, IV non. Octobris 1304. Forte vero aliquis error in hanc temporis notam irrepsit.

XIV Andreas *Le Feuvre* reperitur anno 1330. Ejus necrologium Belli Portus meminit, idibus Aprilis.

XV. Joannes III *Canette* post Andream collocatur. Obiit V id. Julii; ex abbatiæ necrologio.

XVI. Guillelmus III *de Pommerit*, Guillelmi filius, obiit IV id. Novembris 1355.

XVII. Jacobus *Moriceau*, alias *Moreau*, vacantem, Guillelmo mortuo, abbatiam per litteras pontificias obtinuit, calendis Junii 1356; apud Suaresium. Obiit XVI cal. Maii; ex abbatiæ necrologio.

XVIII. Joannes IV *Cyllard*, post Jacobum; e schedis D. *de Gaignières*.

XIX. Joannes V *Boschier*, Belliportensis canonicus ab anno 1382, electus est abbas anno 1397. Inter eum, anno 1412, et Briocensem episcopum acerba dissidia. Quia nempe Joannes diœcesanæ synodo interesse B noluerat, suspensus et excommunicatus est, episcopi mandato, ab officiali Briocensi. Ejus vero tutelam Turonensis officialis et ipse Joannes papa XXIII suscepere, Briocensisque præsul, anno 1414, litis impendia solvere jussus est. Memoratur deinde Joannes anno 1423, cum Alano præsule de juribus ad abbatiam spectantibus litigans, ab eoque in carcerem detrusus. Mox autem eum apostolica sententia libertate donavit. Rursus eumdem, si D. Moricio tuta fides, Joannes, dux Britonum, utpote Penthevrianæ factionis sequacem, carceri mandavit anno 1424, C et coram judicibus sistere jussit. Joannes vero semet, ut videtur, objecto crimine purgavit; namque in sedem suam redux, eam per multos annos postea tenuit. Abdicavit, ut memorant, anno 1441, anno sequente decessurus. Ejus his verbis meminit Belli Portus necrologium, V id. Maii : « Commemoratio « prudentissimi viri relig. fr. Joan. *Boschier*, « abbatis, qui multa bona fecit multaque « ædificavit, fecitque in argento deaurato « capita SS. Rioni et Maudeti, patronorum « hujus ecclesiæ, etc., etc. » Ejusdem in eodem necrologio alia mentio reperitur, III cal. D Julii.

XX. Petrus II *Huet*, senior, non diu sedem tenuit : qui in favorem nepotis e fratre resignavit anno 1456.

XXI. Petrus III *Huet*, junior, decretorum doctor, reperitur annis 1456, 1470. Ei licuit pontificalia ornamenta induere. Ejusdem necrologium meminit XI cal. Maii.

XXII. Amalricus *de la Roche* memoratur 28 Februarii 1487.

XXIII. Robertus II *de la Vallée* litteris munitus est pontificiis anno 1490, et obiit 9 Septembris 1498. Abbatiæ necrologium E consule.

XXIV. Joannes VI *Le Bigot* eligitur anno 1498. Procuratores instituit, 10 Novembris 1524, qui ejus locum in comitiis Nannetensibus tenerent; e Max. Gall. Arch., J, 818. Tandem obiit 4 Martii 1540. Frater erat Mauricii, abbatis S. Petri de Relleio.

Perperam Jacobus *d'Annebault*, Lexoviensis episcopus, Belli Portus abbas tam ab antecessoribus nostris, t. XI, col. 801, quam a A D. *Tresvaux* dicitur. Abbas fuit Boni Portus, in ecclesia Ebroicensi; supra, t. XI, col. 669.

XXV. Ægidius *Kemper de Lanascol*, canonicus Nannetensis, e Belli Portus coadjutore ab anno 1536, abbas dein creatus est. Uti coadjutor regi fidem dederat 16 Octobris 1539; apud *Padioleau*. Obiit 4 Martii 1546; ex abbatiæ necrologio.

XXVI. Simon II *de Maillé de Brézé* se fidum regi juravit anno 1551. Sub idem tempus abbas erat Belli Loci. Fit, anno 1554, Turonensis archiepiscopus.

XXVII. Alexander I *Farnèse*, cardinalis, postquam, anno 1554, Turonenses infulas abdicaverat, abbas Belli Portus creatus est; apud *Chalmel*, Hist. Turon.

XXVIII. Carolus I *de Contin*, Romæ degens, per procuratorem regi fidem jurat 7 Augusti 1577. Qui munus resignavit, anno 1581.

XXIX. Claudius I *de la Roche-Posay* fidem regi dedit 12 Augusti 1581.

XXX. Claudius II *de Marbœuf*; e schedis D. *de Gaignières*. Inquisitio fit, 11 Martii 1596, de abbatiali baculo turpissimum in questum collato.

XXXI. Ferdinandus *Chasteignier de la Roche-Posay* ab anno 1603; qui decessit Parisiis anno 1607, ætatis suæ 28.

XXXII. Gabriel *Laurendeau*; e schedis D. *de Gaignières*.

XXXIII. Nicolaus *David* fidem promisit anno 1618.

XXXIV. Ludovicus I *Chasteignier de la Roche-Posay*, abbas idem Granatariæ, Misericordiæ Dei et Prulliaci, in diœcesi Turonensi. Abdicavit anno 1634, retentis pensionibus, in gratiam Caroli, fratris sui.

XXXV. Carolus II *Chasteignier de la Roche-Posay* fratri successit, ut regiæ testantur litteræ, datæ 1 Decembris 1634; in cod. *de Gaignières* 246. Eadem die, omnes quas frater ejus possidebat abbatias, ex eisdem litteris, obtinuit.

XXXVI. Annas *Chasteignier de la Roche-Posay* decessit Octobri mense 1678.

XXXVII. Henricus Achilles *de la Rochefoucauld*, dictus abbas *de Verteuil*, a mense Martio 1679. Obiit anno 1698.

Post Henricum in quibusdam nomenclaturis reperitur Ludovicus *Colbert*, qui recens abbas munere semet, ut aiunt, abdicavit, sæculari militiæ nomen daturus. Hunc tamen inter abbates Belli Portus perperam, ut videtur, posuere, qui abbas Boni Portus fuit.

XXXVIII. Alexander II *de la Rochefoucauld*, quem Franciscus VI *de la Rochefoucauld* ex Andrea *de Vivonne* susceperat Aprili mense 1655. Fuit insimul Alexander abbas Belli Portus et Molismi, necnon prior B. Mariæ de Bono-Nuntio, Rotomagi. Obiit Parisiis 16 Maii 1722.

XXXIX. Fredericus Hieronymus *de Roye de la Rochefoucauld* ab anno 1722 ad annum 1728. De eodem supra, t. XI, col. 948.

XL. Ludovicus II Franciscus *Vivet de Monclus*, Briocensis episcopus, abbas ab anno 1729 ad annum 1744.

XLI. N. *de Rastignac* creatur abbas 17 Septembris 1744.

XLII. N. *de Fumal*, præpositus ecclesiæ Cameracensis, nominatur 15 Octobris 1746. Sedebat anno 1779.

XLIII. N. *de Goyon*, Rotomagensis ecclesiæ generalis vicarius, ab anno 1779 ad annum 1785.

XLIV. Alphonsus Constantius *de Pontevès* superstes erat anno 1790.

B. MARIA DE BOQUIANO.

In eo loco, propter viculum *Plenez-Jugon*, Olivarius, Dinannensis toparcha, Majoretanum prioratum anno 1104 condiderat. Anno vero 1137, si Chronico Nannetensi certa fides, eamdem domum idem Olivarius Cisterciensibus monachis adscripsit, quibus Guillelmus, Trecorensis episcopus, Adoniam, fratrem suum, præfecit. Exigua semper Boquiani claustra fuere, a quatuor tantum monachis habitanda.

SERIES ABBATUM.

I. Adonias, frater, ut quibusdam placet, Olivarii Dinannensis; ut aliis, Guillelmi, Trecorensis episcopi. Is non diu abbatiam rexit, qui ob imperitiam depositus est.

II. Guethenocus Adoniæ successit, « vir, « e Chronico Britannico, sanctissimus, scien- « tiaque litterarum eruditissimus. » Apud Moricium, Prob. Hist. Brit., t. I, col. 5.

III. Kennaroeus post Guethenocum sedit, secundum eosdem annales.

IV. Brientius occurrit, anno 1202, in sententia contra Joscelinum, Briocensem episcopum, de *Ploguenoal*. Idem reperitur in charta Juhelli de Meduana, cui notæ chronicæ desunt.

V. Alanus, e chartulis ad S. Albinum de Nemore spectantibus, annis 1223, 1238.

VI. Petrus I, ex eisdem tabulis, annis 1246, 1253. Occurrit dein, mense Julio 1255, laudans litteras Petri de Camilliaco cum monachis S. Jacuti paciscentis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 948.

VII. Guillelmus I innotescit, anno 1257, e Bonæ Requieti tabulis. Idem, anno 1268, de quibusdam decimis cum monachis S. Melanii componit; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 93.

VIII. Lucas, ex Albiniana chartula, anno 1309.

IX. Petrus II, 1334, 1340.

X. Nicolaus I cessit anno 1360.

A XI. Yvo Boaudi litteris Innocentii papæ VI instituitur, Nicolao cedente, XII cal. Augusti 1360; apud Suaresium.

XII. Guillelmus II *Grignon* Guerrandiæ fœdus sancivit 28 Aprilis 1381; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 276. Idem, 12 Januarii 1390, factam Bonæ Requieti donationem a Joanne *de Rohan* ratam habuit. Obiit, ut aiunt, 16 Aprilis 1434.

XIII. Joannes I *Bonnet*, alias *Bouvet*, eligitur anno 1434, et munus dimittit anno 1449.

XIV. Ludovicus *du Verger*, electus anno B 1449, in gratiam sequentis, retenta pensione, abdicavisse fertur.

XV. Nicolaus II *Rabel*, ab anno 1462.

XVI. Joannes II *Gonnart* memoratur annis 1472, 1477, 1479.

XVII. Normannus *Baudre* eligitur anno 1483. Eo probavit anno Joannem, abbatem B. Mariæ de Precibus, dissidia in ædibus S. Albini mota componentem. Superstes reperitur anno 1510; ex Alb. Mantell. cod. 47, fol. 636: sed perperam, ut videtur.

XVIII. Christophorus enim *de la Moussaie* recensetur anno 1495, quem obiisse fe- C runt anno 1522.

Guillelmus *de Kersal* eligitur a quibusdam 24 Julii 1522; ei vero major monachorum pars sequentem anteposuit.

XIX. Joannes III *de la Motte*, reditibus abbatiæ permissu regis potitus est 7 Novembris 1522. Anno 1535, 2 Februarii, uti Corisopitensis episcopi coadjutor regi fidem jurat. Obiit anno 1537. Idem abbas fuerat S. Gildasii Ruiensis.

XX. Guillelmus III *Eder*, cantor Nannetensis, abbas creatur anno 1537, futurus coadjutor et dein episcopus Corisopitensis D ecclesiæ.

XXI. Mathurinus *Tardivel* anno 1540; e D. *de Gaignières*. Domnus autem Moricius eum anno 1590 adscribit. De Mathurino nulla ad nos æqualium testimonia pervenere.

XXII. Mauricius *de Commacre*, protonotarius apostolicus, fidem regi dedit anno 1548. Idem et abbas Landevenechi. B. Mariam dimisit anno 1571.

XXIII. Petrus III *Raffray* apocham sigillat 11 Decembris 1571; ex archivo Cleri Gallic., Alienat. diœcesis Briocensis.

E XXIV. Samson *Bernard* fidem juravit anno 1575. Occurrit dein annis 1581, 1584. Is autem sequentis fiduciarius, ut aiunt, fuit.

XXV. Bertrandus *de Goyon*, annis 1585, 1587. Ab anno, ut fertur, 1571, fiduciario utens Samsone, reditus abbatialis mensæ percepit.

XXVI. Joannes IV *Bouan* fidem regi jurat, anno 1601; apud *Padioleau*.

XXVII. Joannes V *Gilet* reperitur anno 1607.

XXVIII. Olivarius *Frottet* sedit annis 1617, 1622, 1624, 1628, in Britanniæ comitiis. Idem de cantoris officio in ecclesia Macloviensi adversus Andream *Crosnier* litigavit; e codice *de Mesmes,* in Max. Paris. Bibl., n. 8542[4]. Anno 1617 fidem regi juraverat.

XXIX. Urbanus *d'Espinay* in Dinannensibus comitiis reperitur anno 1675. Superstes erat anno 1678.

XXX. Petrus IV Joannes *Le Chapelier de Moron*, doctor Sorbonnicus, creatur abbas 18 Julii 1678; ex indice beneficiorum Turonensis provinciæ. Idem erat Briocensis ecclesiæ scholasticus.

XXXI. N. *de Duras* ab anno 1723 usque ad annum 1757.

XXXII. N. *Le Mintier* ab anno 1757 usque ad annum 1790.

S. ALBINUS DE NEMORE.

Cisterciensis ea abbatia, in vico *Pledeliac* et silva *la Hunaudaie,* condita memoratur anno 1137 a Lamballæ toparcha. Eam, anno 1240, incendium integram exhausit; eamdem vero postea Dionysia *de Matignon* restauravit. Anno 1255, renovata abbatiæ basilica consecratur. Reformationem, anno 1604, Joannes abbas intromisit.

ABBATES.

I. Philippus anno 1147 reperitur, litteras ab Eugenio papa III obtinens, quibus abbatiæ possessiones confirmatæ.

II. Moysanus, a quibusdam dictus *de Brehant,* anno 1164 prædium quoddam in vadimonium accepit a Bertrando, filio *Manguy;* inter Prob. Hist. Brit., t. I, col. 655. Ad eumdem, anno 1163, Alexandri papæ litteræ missæ fuerant, quibus monachorum bona juraque sancita.

III. Guillelmus I Henrici, S. Jacuti abbatis, coætaneus exstitit, quocum nonnulla commutavit. Idem a Geoffrido *Botherel,* Lamballæ comite, litteras obtinuit, in quibus a Geoffrido et Rivallono Lamballensibus abbatiæ data recensentur.

IV. M., quem Mauricium plures nuncupant, reperitur, anno circiter 1188, in chartula ad fundationem S. Rioni spectante.

V. Gualterius munere semet abdicavit, ut aiunt, ante annum 1227.

VI. Geoffridus decimas emit anno 1227.

VII. Eudo, anno 1240, quo monasterium flammis eversum est.

VIII. R., anno 1246, epistolam a Petro, Boquiani abbate, scriptam accepit.

IX. Hervæus I, anno 1255, ut conventualis ecclesia consecraretur curam adhibuit.

X. Joannes I anno 1263 memoratur.

XI. Robertus, anno 1272.

A XII. Joannes II, anno 1289.

XIII. Andreas, anno 1304.

XIV. Yvo I, anno 1308, transigit cum Geoffrido *Tournemine;* apud D. *Guimart*, Hist. Brioc. episc., p. 64.

XV. Eudo, anno 1309.

XVI. Hervæus II, anno 1337.

XVII. Rollandus annis 1345, 1366 reperitur; qui obiit anno 1375.

XVIII. Petrus *de Prébu,* alias *de Prebion*, monachus B. Mariæ de Bona Requiete bullis donatus est pontificiis IX cal. Novembris 1375; e schedis Suaresii. Transegit cum
B Guillelmo, S. Jacuti abbate, Septembri mense 1379. Dein occurrit 28 Aprilis 1381 Guerrandiæ fœdus ratum habens; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 276.

XIX. Normannus anno 1380 memoratur, sed corrupta sane temporis nota.

XX. Olivarius I *Brunard* occurrit annis 1408, 1425.

XXI. Olivarius II *de la Garande* eligitur anno 1433. Cassam primo hanc electionem fecit Eugenius papa IV, et eamdem postea sancivit. Olivarius anno 1442 obiit.

XXII. Olivarius III eligitur mense No-
C vembri 1442. Quem submovit, anno 1483, Guillelmus, abbas Begardi, eum dicens mentis inopem, et in dementiam veluti delapsum, eique suffecit Jacobum *Hus,* abbatem Veteris Villæ. Devenit autem dein Joannes, abbas B. Mariæ de Precibus, cui reformandorum cura Britanniæ monasteriorum, et, exauctorato Jacobo, Olivarium ille in abbatiali sede rursus posuit.

XXIII. Olivarius IV *de Broon*, jam Trembleii prior, abbatia donatur, 23 Junii 1484, a Roberto cardinali, supremæ sedis legato.
D Hunc sibi præficiendum acciverunt, anno 1486, S. Melanii monachi. Abbatia tamen Redonensi non potitus est ante annum 1490.

XXIV. Joannes III *de Broon* germano suo successit. Reperitur anno 1495.

XXV. Guido *Leclerc,* anno 1507.

XXVI. Aufredus *Le Voyer,* filius Georgii *Le Voyer* et Clementiæ *de Bintin.* Is e monacho S. Melanii prior Vitreii effectus, eo se munere postea abdicavit in gratiam Juliani *Rouxel,* Melaniensis æque monachi. S. Albini abbas salutatur mense Januario 1509, vel 1510. Anno 1518 superstes memoratur.

E XXVII. Franciscus *Le Voyer,* antecedentis e fratre nepos, prior idem Vitreii abbasque S. Albini, annis 1523, 1530 occurrit, obiturus anno 1532.

XXVIII. Joannes IV *d'Annebaut* litteras regias obtinuit anno 1532. Hæ vero, ut videtur, nullum effectum habuere.

XXIX. Guillelmus II *de Lignières,* variorum quoque locorum prior, litteris pontificiis donatur anno 1533. Fidem regi dedit annis 1540 et 1548. Superstes etiam memoratur anno 1555.

XXX. Renatus *de la Haye* anno 1557 reperitur. Idem se fidum regi juravit anno 1562; apud *Padioleau*.

XXXI. Yvo II *Turmier*, alias *Tuomer*, sacramentum præstat 18 Julii 1572; apud *Padioleau*, p. 199.

XXXII. Joannes V *Picault* anno 1583 recensetur.

XXXIII. Julianus *Beret* annis 1600, 1612.

XXXIV. Joannes VI *Pepin* abbas erat anno 1614. Sedit, 23 Octobris 1616, 26 Octobris 1617, et 5 Julii 1621, in Redonensibus comitiis. Eo regente reformati monachorum mores. Obiit anno 1626.

XXXV. Joannes VII *du Quelenec*, annis 1626, 1630.

XXXVI. Gabriel *Boislève*, apud Andes natus, senator Britannicus, dein Parisiensis, in comitiis Nannetensibus reperitur anno 1638, S. Albini archimandritæ addictam sedem occupans. Qui postea, anno 1651, spontanea Rogerii *d'Aumont* abdicatione, Abrincensis præsul factus est.

Hunc Rogerium, qui, dimissa Abrincensis ecclesiæ cura, anno 1653 decessit, inter abbates S. Albini ab anno 1651 quidam recensent. Animadverte vero quod Sammarthani fratres, Gabrielis coætanei, eum in gratiam Antonii *Valot* nulla Rogerii habita ratione, abdicavisse memorent. Adde quod antecessores nostri, Abrincensium episcoporum seriem describentes, Rogerii transitum ab Albinianos minime retulerint.

A XXXVII. Antonius *Valot*, Ludovici regis archiater, anno 1656 abbatiam S. Albini commendæ titulo regebat; e Sammarthanis.

XXXVIII. Eduardus *Valot*, antecedentis filius, episcopus Nivernensis, occurrit annis 1657, 1661, 1678.

XXXIX. Cl. *de la Fayette* Vitreii comitiis interfuit anno 1683.

XL. Yvo III Petrus *Proffilt de Catvelan*, idem et thesaurarius ecclesiæ Briocensis, in Vitreii comitiis, anno 1697, memoratur.

XLI. Annas Maria *de Bethune* nominatur
B 6 Novembris 1717, et ipse prior Bursaii, Grandimontensis ordinis, in Cenomanensi diœcesi. Obiit 9 Martii 1752.

XLII. Alexius Cæsar *de Talhouet de Bonamour*, doctor Sorbonnicus et vicarius generalis Redonensis ecclesiæ, munus adiit 6 Julii 1752, decessurus 24 Julii 1753.

XLIII. Carolus Franciscus *de Vendomois de S. Aubin*, summus Redonensis ecclesiæ vicarius, memoratur annis 1753, 1764.

XLIV. Joannes VIII Franciscus *de la Marche* ab anno 1764. Abdicavit anno 1777. Idem Leonensis præsul fuit.

C XLV. N. *de Quémadeuc*, supremus Cabilonensis ecclesiæ vicarius, usque ad annum 1787.

XLVI. N. *Bouin de la Ville-Bouquais*, summus Venetensis ecclesiæ vicarius, abbatiæ clavum regebat anno 1790.

ECCLESIA TRECORENSIS.

Vetus est conjectura urbem Lexobiam, in ipso eo loco ubi nunc vicus est *Ploulech* sitam, episcopalem olim sedem exstitisse, a quodam Drennalo, Josephi Arimathiensis discipulo, anno Christi 72 inchoatam. Non id autem incertissimum, ut quidam opinantur, sed falsissimum, ut jam Dericus, inter cæteros, professus est. Trecorensis igitur episcopatus initia conquirentibus a primo sæculo ad sextum concito gressu facienda via est. Tunc S. Tugdualus, e Domnonæa insulana oriundus, primo in Cornubiensem oram appulsus, dein Trecorium, humilem tunc temporis vicum, pervenit, ibique monasterium ædificavit. S. Tugdualum pia populi recordatio episcoporum Trecorensium principem postea appellavit : quin imo eumdem asseruit, mutato nomine, in S. Petri cathedram ascendisse, Leonemque papam V fuisse. Ista ex eodem fonte commenta defluxerunt, et æque nunc ab omnibus rejiciuntur. Amotis vero fabulis, reliquum est abbatiam a S. Tugdualo conditam summopere quondam floruisse, in eaque Nomenoium, anno circiter 848, ob loci famam situmque, episcopalem ecclesiam instituisse. Ea quidem ecclesia, S. Andreæ sacra, ruinam tertio decimo sæculo fecerat. Recentioris opus, anno 1296, S. Yvo aggressus est : quod tamen adeo non ille absolvit, ut contra, quarto decimo sæculo decurrente, imperfectæ basilicæ chorus adjungeretur. Ab eo quoque tempore S. Tugdualum ei popularis pietas patronum addixit.

Trecorensem episcopum penes erat civilis episcopalis urbis administratio; qui Trecorii comes nuncupabatur, et inter eum Britonumque duces nemo medius erat. In cathedrali capitulo quatuordecim canonici, præter quinque dignitates, thesaurarium (1), cantorem, scholasticum, archidiaconum Trecorensem et archidiaconum *Plusquellec*. Veteribus quidem in chartis nonnulli decani Trecorenses occurrunt; eorum vero auctoritas non diu, ut videtur, viguit.

In Trecorensi diœcesi, sub exitum ultimi sæculi, 109 parochiæ et 31 minorum vicorum altaria, 2 ecclesiæ collegiatæ, 2 abbatiæ, 12 virorum conventus et 13 puellarum. Ecclesia B. Mariæ de Muro collegiata, in urbe *Morlaix*, anno 1295 erecta fuerat, operis duce Joanne, Britanniæ duce, eamque octo canonici incolebant. Alia ejusdem dignitatis ecclesia in vico *Tonquedec* anno 1547 condita.

(1) Thesaurariorum Trecorensium seriem condere non licuit. Hi tantum nobis innotuerunt, Bertrandus *de Boisgelin* anno 1468, Augustus Franciscus Annibal *de Farcy de Cuillé*, qui, anno 1739, episcopus Corisopitensis factus est, et, anno 1760, N. *de Coetlosquet*, abbas S. Gildasii de Nemore.

EPISCOPI TRECORENSES.

ANNI CHRISTI

I. Leothericus.

Nomenoius, ut ferunt, Leothericum in Trecorensi cathedra constituit, anno 848. De eo tamen dubitare licet.

Idem sub tempus quidam Felicem ponunt, de quo in actis Tullensis concilii mentio reperitur. Is autem Cornubiensem cathedram occupavit.

II. Festgenus.

Festgenum post Leothericum collocant, Erispoio Britanniam gubernante. Post quem Martinus Dionysiusque recensentur. De eis tamen ea tenus servata diplomata æque silent.

A

III. Gratianus.

Gratianus, alias Grandis, episcopis Trecorensibus annumerandus proponitur, qui, anno circiter 950, abeuntibus Normannis, Trecorensem basilicam reædificavit. Dubia dubitanter referenda.

IV. Constantinus.

Legitur Constantinus, incertæ sedis episcopus, anno 990, in litteris Conani ducis 990
pro S. Michaelis monasterio; Prob. Hist.
B Brit., t. I, col. 351. Constantinum in Trecorensi cathedra sedisse, eumdemque ac Consennanum, alias Gosennanum, cujus hagiographi meminere, *Ogée* contendit. Ea autem conjectura magis authentico teste caret.

ANNI CHRISTI

Post Constantinum, Paulus Soffrusque memorantur, quorum nomina tantum ad nos pervenere.

V. Guillelmus I.

Chartulæ de S. Georgii Redonensis consecratione, anno, ut videtur, 1032, subscripserunt Salomon, Orscandus, Guillelmusque, sine designatione sedium episcopi. Orscandus in Corisopitensi cathedra certe tunc temporis sedit; Salomon vero in Leonensi, et Guillelmus in Trecorensi conjectura collocantur.

VI. Martinus.

E capellano Geoffridi, Andegavensis toparchæ, Trecorensis episcopus Martinus electus est post obitum Huberti pontificis, ut constat e Sergiana chartula de manumissione Roberti, Frogerii filii; apud Sammarthanos. Decessit autem Hubertus, Andium præsul, anno 1047. De eodem Martino mentio reperitur in litteris ad Odericum, abbatem Vindocini; apud Mabillonium, Annal. Ord. S. Bened., t. IV, p. 574. Martinus in his litteris *modo præsul* dicitur. Vindocinenses autem rexit Odericus ab anno 1046 usque ad annum 1082. Denique Martini meminit S. Mauricii Andegavensis necrologium, VIII id. Octobris, ubi canonicus olim Andegavensis ecclesiæ nuncupatur.

VII. Hugo I.

1086 Occurrit Hugo, anno 1086, monachis S. Michaelis montem *Hyrglas* condonans; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 460.

VIII. Radulfus.

1110 Memoratur Radulfus, anno 1110, in pacto inter monachos S. Matthæi et Hervæum de Leonia. Idem, anno 1123, Guingampi reperi-
Ch. I, col. 271. tur, ubi litteris subscribit de ecclesia S. Salvatoris in abbatiam mutanda. Interfuit, anno 1128, concilio Dolensi, in eoque recens conditum Montis Relaxi prioratum appro-
Ch. II, col. 271. bavit. Legitur dein, anno 1130, in instrumento de Begardi fundatione. Anno tandem 1134, ecclesiam S. Crucis Guingampensis ecclesiæ B. Mariæ Blesensis concedit; supra, t. VIII, col. 1390. Quo vero decesserit anno plane dubium relinquitur.

IX. Hugo II.

Pauca sublestaque super Hugone testimonia. Qui, ut aiunt, anno 1144, a Lucio papa II litteras accepit, quibus Turonensi metropolitæ morem gerere jussus est. Animadverte vero quod eæ scriptæ sint litteræ ad Hugonem Turonensem archipræsulem; unde for- A san in Trecorensium episcoporum seriem aliquis error subrepsit.

X. Guillelmus II.

Memoratur Meduanæ Guillelmus, XIII cal. Octobris 1151, quo perrexerat ut Henrici 1151
comitis et Mathildis Vindocinensis matrimonio interesset. Ibi, ab ipsius Henrici ore deturpatos audiens mores monachorum qui S. Salvatorem Guingampensem incolebant, hanc abbatiam in prioratum convertit et Majoretanis addicit. Alium vero res effectum B sortita est: subscripsit enim Guillelmus, anno sequente, litteris Henrici S. Salvatorem 1152
S. Melanio denuo tradentis. Eodem anno, 25 Martii, Andegavi adfuerat recognitioni corporis S. Renati. De pluribus postea criminibus apud Romanam sedem postulatus est: quam ob rem Anastasius papa IV, anno 1154, ad Engebaldum, Turonensem metropolitam, scripsit, eumdem de simonia perjurioque reum faciens; Rer. Gallic. Script., t. XV, p. 659. Ea vero se labe, ut videtur, purgavit; namque post memoratum annum ecclesiam Trecorensem secure gubernans re- C peritur. Anno 1158, Cenomani, Guillelmus 1158
consecrationi San-Julianeæ basilicæ interest. Idem, anno 1170, Melaniensium in sua diœcesi bona confirmat, decessurus anno 1175, secundum Robertum de Monte.

XI. Yvo I.

Yvo, cognomine *Ouynon* apud Joannem HOUGNON
Maan, ab aliis dictus *Hougnon*, ex archipresbytero majore Turonensis ecclesiæ Trecorensis præsul fit anno 1175, vel 1176. Elapsis autem quatuor annis, dum Romam D iter agens Italiam permeabat, a latronibus impetitus est, hisque ictibus sauciatus ut intra octo dies occubuerit. Id a Roberto de Monte comperimus.

XII. Geoffridus I.

Geoffridus, Guingampi natus, consecra- ut.
tur anno 1179; e Roberto de Monte. Occurrit 1179
Redonibus, anno 1187, Melaniensium bona in Trecorensi diœcesi confirmans. Idem, anno circiter 1188, fundationem S. Rioni si- E gillo suo probavit. Anno 1202, litteris sub- 1202
scripsit Alani Conanique, Henrici comitis filiorum, quibus ecclesiis nonnullis et habendarum nundinarum privilegio aucta res Belliportensis abbatiæ. Eumdem, anno 1216, Rer. Gall.
Honorius papa III ad aggrediendum iter Script., t. XII,
Hierosolymitanum hortatur. p. 610

XIII. Stephanus.

Anno 1222, Stephanus ex archidiacono 1222
Trecorensi præsul electus est. Ejus autem

ANNI CHRISTI

electionem plures impugnaverunt. Quæ ut controversia sopita est, eumdem Honorius
Ch. III, col. 272. papa III, litteris ad Turonensem metropolitam scriptis, infulis aliquandiu negatis donavit, v cal. Februarii 1223. Occurrit anno
1226 1224 in Begardi tabulis. Anno 1226, decretum promulgat de rebus quas S. Melanio Eudonis hæredes dederant; ex Alb. Mant. cod. 41, fol. 97. Elapsis vero aliquot annis, in Stephanum seditione facta, quidam Trecorensis agri proceres episcopale palatium occupaverunt, ipsamque cathedralem ecclesiam obsidione cinxerunt, donec, hostium vim propellere non valens, ipse fugam Stephanus capesceret, et apud Normannos secederet. Tunc ei, dictorum procerum auctoritate, suffectus est alius episcopus, cui pars una civium morem gessit, dum altera Stephano fidem servavit. Intrusus ille episcopus Petrus forsan nuncupabatur. Petrus enim Trecorensis præsul occurrit, anno 1228, testis compositæ controversiæ inter abbatissam S. Georgii et Derrianum, equitem (1). Scrip-
1234 sit Gregorius papa, vi cal. Julii 1234, ad Aurelianensem episcopum, jubens ut exsuli Stephano Normannici tractus præsules opitularentur. Februario vero mense 1235, vel 1236, pacatis, ut videtur, tantis dissidiis, Stephanus occurrit litteras edens de beneficiis quibusdam ab antecessoribus suis collatis; ex Albor. Mantell. cod. 41, p. 98. Idem, anno 1237, concilio Cenomanensi interfuit, institutionemque archidiaconorum in ecclesia San-Julianea probavit. Eodem anno, ratam habuit Dominicani conventus fundationem, in urbe *Morlaix*.

XIV. Hamo.

Hamo memoratur anno 1248, secundum Sammarthanos. Illi si temporis notæ adhæreas, Hamo decesserat anno 1255. Eo enim anno, Andreæ, Briocensis episcopi, litteræ leguntur, ad Turonensem metropolitam missæ, quibus semet prohibitum esse denuntiat ne Trecorensis episcopi consecrationi intersit. Præsulis quidem Trecorensis eo anno 1255 consecrati nomen pertransiit. Id autem littera H forsan incipiebat, nam, anno 1261, H. Trecorensis præsul in quibusdam tabulis legitur; ex Alb. Mant. cod. 41, p. 678.

XV. Alanus I.

DE LESHARDRIEU. Reperitur Alanus anno 1262, pro Sammarthanorum fide. Idem, anno 1267, de regalibus cum Joanne duce composuit, et, 24
1271 Decembris 1271, ad vicarios generales eccle-
A siæ Turonensis scripsit, semet Petri, Briocensis electi, consecrationi non interfuturum.

XVI. Alanus II.

DE BRUC. Ordinis Prædicatorum institutis addictos sodales Alanus Guingampi excepit. Ad eumdem missæ Honorii papæ IV litteræ, vii id.
Junii 1285, quibus prædictis sodalibus favere jussus est, eosque in domo quam antea Pœnitentiæ fratres incoluerant instituere. Defunctus legitur eo anno 1285, sed perpe- 1285
B ram. Anno sedenim pontificatus sui secundo,
Christi 1296, viii cal. Maii, Bonifacius papa VIII, epistolam hanc scripsit : « Querelam venerabilis fratris nostri Alani, episcopi Trecorensis, nuper accepimus, continentem quod venerabilis frater noster Reginaldus, archiepiscopus Turonensis, suam visitando provinciam, Yvonem dictum *Nuztune*, tunc cantorem ecclesiæ Leonensis, nunc archidiaconum Aquensem in ipsa ecclesia Leonensi, coadjutorem ipsi episcopo suffraganeo suo deputavit invito, administratione spiritualium et tem- 1296
C poralium ipsi episcopo interdicta, dictusque Yvo, hujusmodi coadjutoris officio se ingerens, beneficia ad ipsius episcopi collationem spectantia contulit, et alia ibidem exercuit quæ ad eumdem episcopum pertinent, in ejusdem episcopi præjudicium et gravamen; propter quod etiam inter nonnullos illarum partium discordiæ et scandala sunt exorta. Quare dictus episcopus nobis humiliter supplicavit, ut providere super hoc de opportuno remedio dignaremur. Cum itaque, per constitutio-
D nem nostram nuper editam, declarando decrevimus et decernendo duximus declarandum, ut personis episcopali et supra præditis dignitate coadjutores non nisi per auctoritatem apostolicæ sedis dentur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus prædictum Yvonem auctoritate nostra ab exsecutione coadjutoriæ prædictæ prorsus amoveas, et obedientiam quamlibet circa id ei facias penitus denegari... » E Collectan. D. *La Porte du Theil*. Alanus, ut conjicere fas est, senio tunc confectus erat, et ob id adjutorem ei
E Reginaldus archipræsul dederat. Paulo post enim decessit.

XVII. Geoffridus II.

TOURNEMINE. Electus memoratur Geoffridus die Jovis post *festum* B. Marci 1296, in litteris Theobaldi cantoris ad archiepiscopum Turonensem; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1117. Nos autem præ laudata Bonifacii VIII epistola aliquid erroris in ea temporis nota latere monet. Geoffridum igitur Aprili mense 1297

(1) Pactum hoc Moricius anno 1238 perperam adscribit, et Petrum in Trecorensi cathedra, Stephano mortuo, ponit. In quo non leviter ab eo peccatum est. Animadverte præterea quod alia allucinatione Moricius eumdem Petrum æqualem fingat Hervæi, S. Melanii abbatis, qui anno 1128 florebat.

ANNI CHRISTI electum confirmatumque opinamur, nisi A Theobaldi cantoris litteræ post *translationem* B. Marci editæ fuerint, incunte scilicet, secundum hodiernum computum, Februario
1297 mense 1297. Paucissima de Geoffrido ad nos testimonia pervenerunt; e litteris tamen apostolicis, quibus Joannes sequens institutus est, palam est Geoffridum sub exitum anni 1316, aut sub initium anni 1317 obiisse.

XVIII. Joannes I.

RIGAUD. Ordini Minorum professionis vinculo adstrictus pœnitentiariusque domini papæ, B Joannes Geoffrido litteris apostolicis succe-
1317 dere jubetur, xiv cal. Martii 1317, apud Suasium, et paulo post, 26 Martii, obsequium apostolicæ cameræ promittit. Ad eum scripsit Joannes papa XXII, x cal. Martii 1321, eam petenti facultatem concedens, ut pollutas Trecorensis diœcesis ecclesias procuratoris cujusdam opera reconciliaret. Per eumdem papam eidem licuit, idibus Maii 1322, ut novissimæ voluntatis testamentum ederet. Romæ obiit anno 1323.

XIX. Petrus I.

DE L'ISLE. Joanni Romæ defuncto Petrus, theologiæ doctor, sufficitur, prout moris erat, ab ipso
1323 Joanne papa XXII, xvi cal. Octobris 1323; apud Suaresium. Is reperitur Petrus, 11 Aprilis 1325, inter curatores testamenti quod Guillelmus *Coëtmohan*, Trecorense Parisiis gymnasium fundans, condiderat. Obiit anno 1327.

XX. Yvo II.

DE BOISBOISSEL. Ex ecclesiæ Briocensis cantore Trecorensis præsul Yvo fit per litteras Joannis papæ XXII, nonis Octobris 1327; e Suaresio. Qui Romam anno 1329 tetendit, canonisationem S. Yvonis postulaturus. Anno 1330, in Corisopitensem cathedram transfertur.

XXI. Alanus III.

HAELORY. Aurelianensis antea canonicus, Trecorensis antistes Alanus instituitur litteris Joannis
1330 papæ XXII, 11 cal. Septembris 1330, et obsequium apostolicæ cameræ promittit eo anno, 5 Decembris. Synodalia antecessorum suorum statuta, numero sex plusquam viginti, laudavit Alanus, anno, ut opinantur, 1334. Anno 1336, cum capitulo suo de variis jurgiis, suadente metropolita, transegit, obiitque anno 1338; e Chronico Nannetensi.

XXII. Richardus.

DU POIRIER. Consecratur Turonibus Richardus, alias Radulfus, per archiepiscopum Turonensem, die Dominica ante instans *Carnisprivium* 1338, ut e litteris Dolensis officialis comperimus; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 1392. Is, probata S. Yvonis canonisatione, sancti viri corpus e terra refossum recognovit 28 Octobris 1348. Decessit anno 1353. ANNI CHRISTI 1338

XXIII. Robertus I.

Richardo mortuo subrogatur Robertus ab Innocentio papa, vi idibus Maii 1353; qui eo anno in Vaticani regestis memoratur, 17 Novembris. Hæc Suaresius ex ipsis curiæ apostolicæ scriniis desumpsit. Quocirca nullus superest locus huic Alano, cognomine *Thomé*, quem *Ogée* Richardo successisse narrat anno 1351 et anno 1352 decessisse. Anno 1354, xiii cal. Decembris, ab Innocentio papa Robertus in Nannetensem cathedram transfertur. PAYSEL.

XXIV. Hugo III.

Hugonem jam inter Nannetensis ecclesiæ decanos recensuimus. Ex archidiacono Mediæ Nannetensis præsul electus fuerat: eum C vero pontificiæ litteræ in Trecorensem sedem, xiii cal. Decembris 1354, transtulere. 1354
Briocensis fit anno 1357. DE MONSTRELAIS.

XXV. Alanus IV.

In Briocensem cathedram Hugone traducto, Alanus, pœnitentiarius domini papæ ordinique Fratrum Prædicatorum aggregatus, Trecorensibus infulis ab Innocentio papa donatur, xii cal. Septembris 1357; e 1357
schedis Suaresii. Obiit anno 1362.

D XXVI. Evenus.

Eveno, Dominicani gregis monacho, vacantem cathedram Urbanus papa V contulit, iv cal. Decembris 1362; apud Suaresium. Memoratur, anno 1364, Carolo Blesensi et Joanna ejus uxore præsentibus, S. Yvonis conditas tumulo reliquias recognoscens. In synodo die Jovis post Pentecosten 1365 celebrata, octo statuta fecit, quæ jam Moricius prælo dedit (1). Idem, 12 Martii 1366, in Andegavensi concilio reperitur. Cardinalis BEGAYNON.

E (1) Inter ea notatu dignum est statutum de prohibitione *ludi* quem *charivari*, vel *chelevalet*, jam tunc temporis vocabant :

« Item quia mortuo viro, vel uxore, vir vel mulier solu- « tus est a lege viri vel mulieris defuncti respective, etc., etc., « hoc non obstante, quidam abusus in nostra diœcesi dam- « nabiliter inolevit, quod si vir vel mulier ad secunda vota « vel ulteriora transierit, congregantur et coadunantur vi- « cini et alii, et faciunt quemdam ludum vocatum *chelevalet* « in vulgari, ipsos sic contrahentes diffamant et multa enor- « mia committunt, ex quibus multoties rixæ, contentiones, « vulnera et homicidia eveniunt, nos tales ludos et abusiones « penitus reprobamus, statuentes quod si aliquis de cætero « talia fecerit, excommunicationis sententiam incurrat. «

ANNI CHRISTI

creatus anno 1371, necnon supremus ecclesiæ Romanæ pœnitentiarius, Trecorenses infulas sponte deposuit.

XXVII. Joannes II.

BRUN. Eveno abdicante, Joannes, Britonum duci ab eleemosynis, præsul instituitur 12 Junii
1371 1371. Eodem anno, 15 Novembris, Andegavum ob tibiæ infirmitatem ire non valens, ut de rebus ad Carolum Blesensem spectantibus testis audiretur, ad tanti negotii inquisitores litteras mittit; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 32. Eodem, diœcesanæ synodo nequidem adesse potuerat, in qua vices ejus tenuerat Jacobus *de Lezverzaw*, sigillifer episcopalis; e chartul. Maj. Monast., t. III, fol. 448. Anno, ut videtur, sequente, undecim statuta condidit; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 51 : octo vero anno 1374; ibid., col. 84. Decessit anno 1378.

XXVIII. Theobaldus.

DE MALESTROIT. Theobaldum, jam electum et Gregorii papæ litteris donatum, Hugo Gerardus et Joannes, cardinales, Britonum duci commendant 28 Januarii 1378; e cod. Regio 8357². Vacans tamen legitur sedes mensibus Julio, Augusto Septembrique 1378, in litteris Joannæ ducissæ ad Trecorensem quæstorem; inter sched. castri Nannet., arm. M, caps. *d*. Procuratores dein Theobaldus instituit, 1 Martii
1379 1379, qui Trecorensis episcopatus temporalia bona a duce deposcerent; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 236. Proferuntur statuta ab eodem edita die Mercurii post festum B. Lucæ 1380. In Corisopitensem cathedram litteris apostolicis translatus est, III non. Decembris 1383; e cod. Reg. 8357².

XXIX. Hugo IV.

DE KEROULAY. Theobaldo successit Hugo, patria Leonensis, utriusque juris doctor. Apostolicæ ad
1383 eum missæ litteræ nonis Decembris 1383 (1). Andegavi reperitur, 6 Maii 1384, testis Ludovici, Neopolitanorum regis, filii sui matrimonium ratum habentis. Idem sub tempus ad Gallorum regem, Britonum ducis legatus, Hugo pergit. Occurrit dein, 7 Junii 1385, litteris subscribens Joannis ducis, quibus rata Joanni *du Fou* jam concessa; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 379.

XXX. Petrus II.

MOREL. Duci Petrus fidem dedit 30 Martii 1386, secundum recentem calculum. Occurrit Nannetibus, 19 Aprilis 1387, testis redituum Joannæ Navarreæ assignatorum. Interest, Januario mense 1389, Nannetensibus comitiis. Idem, Turonibus, 26 Januarii 1392, fœdus probavit initum inter Britanniæ ducem comitemque Penthevriæ. Anno 1394, 1394
15 Maii, Joanni duci concessit ut vectigalia quædam e navibus Trecorensem portum ingredientibus perciperet. Dein, 25 Februarii 1396, fundatum altare S. Michaelis de Campo sancivit. Obiit, ut aiunt, 3 Maii 1401.

XXXI. Yvo III.

Yvo *Hirgouet*, alias *de Kergoat*, ducum HIRGOUET. Britannorum medicus, Petro subrogatur anno 1401, fidem jurat 1402, et decedit 1402
1403.

XXXII. Hugo V.

Hugo, ordinem Fratrum Prædicatorum LESTOQUER. professus, ad cathedram Trecorensem vocatur, ei Joanne duce, cujus confessor erat, patrocinante, anno 1403. Eodem anno, ad 1403
eum bullas direxit Benedictus papa XIII, 20 Augusti; quo eodem die, aliis idem papa litteris populum Trecorensem monuit ut novo morem præberet episcopo; inter Regios codices, num. 8357². Hugonem deinde Benedictus papa in Venetensem cathedram transtulit, VIII cal. Septembris 1404; ibid.

XXXIII. Bernardus.

E Nannetensi cathedra depulsus Bernar- DU PEYRON. dus Trecorensis ecclesiæ, potius nomine quam re, episcopus fuit, usque ad Septembrem mensem 1408, quo cum Christophoro, 1408
Tarbensi præsule, permutavit; e Chron. San-Dionys. monachi, t. IV, p. 52. Christophorum hunc antecessores nostri Christianum nuncupaverunt. Eos insuper Bernardi Christophoro succedentis gentilitium cognomen prorsus fugit. Vide t. I, col. 1236, 1237. Animadvertendum insuper quod *Ogée*, falsa conjectura, Bernardi inter Trecorenses episcopos sub annum 1401 meminerit.

Idem *Ogée*, ab anno 1405 usque ad annum 1407, Herværum quemdam *de Keroulai*, archidiaconum antea Deserti, Trecorensem episcopum nuncupat. Herværum hunc ab Innocentio VII, Benedicti XIII æmulo, nominatum fuisse opinamur. Qui dum cum Bernardo de episcopatu contendebat, integros episcopalis mensæ reditus dux Britonum percepit, ut e rationibus Joannis Rollandi, thesaurarii, comperitur.

XXXIV. Christophorus I.

Christophorus, quem alii, ut diximus, DE HAUTERIVE. Christianum Tristanumve appellant, an-

(1) Has transcripsii litteras R. P. *Desmollets*, cujus schedas exhibet cod. Regius 8357². Animadverte vero quod eas perperam Julio Mediceo, qui et ipse Clemens papa numero septimus dictus est, tribuere videatur. Cum tamen Avenione datæ fuerint, id omnem dubitationem solvit.

ANNI CHRISTI

nuente duce Trecorensis præsul instituitur 17 Septembris 1408. Interest, anno 1409, concilio Pisano. Anno dein 1415 in tabulis memoratur, obiturus anno 1417.

XXXV. Matthæus.

ROEDERC. Doctor theologus Matthæus is *Roederc*, cæteri quem *du Cosker* vocant, Trecorensi cathedra donatur 15 Decembris 1417. Res tamen ecclesiæ suæ negligenter curavit, a Joanna, Joannis ducis uxore, non semel legati munere honestatus, eoque dum fungebatur extra Trecorensis diœcesis fines vitam agens. Obiit, ut aiunt, anno 1422.

XXXVI. Joannes III.

DE BRUC. Joannes a Martino papa Britonum duci commendatur nonis Maii 1422; e cod. Reg. 8357². Annis 1423, 1426, statuta condidit; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 1140, 1190. Interfuit Britanniæ comitiis, 8 Septembris
1430 1427. Dein, II non. Octobris 1430, in Dolensem cathedram translatus est; e cod. Regio 8357².

Nullus ergo locus Theobaldo, quem *Ogée* ab anno 1419 usque ad annum 1424 sedem Trecorensem occupavisse memorat.

XXXVII. Petrus III.

PIEDRU. Guillelmi, Nannetensis civis, et Joannæ *Mauléon* filius, in synodo Nannetensi Petrus reperitur, 23 Aprilis 1431. Eodem anno absens memoratur die Mercurii post festum B. Lucæ, quo die ejus vicarii generales ecclesiarum quarumdam ruralium rectores a muneribus removerunt, ob id scilicet quod vulgare Britonum idioma ignorarent. Dein in Macloviensem sedem apostolicis litteris Petrus
1435 transfertur, 27 Augusti 1435.

XXXVIII. Radulfus.

ROLLAND. Natus Radulfus in vico *Plouenez*, auditorque rotæ Romanæ, anno 1435 præsul creatur. Is, eo anno, synodum diœcesanam cogit, in qua statuta condit. Ab eodem alia statuta promulgata sunt, bis anno 1436, et dein annis 1437, 1438, 1440. De quibus Martenium consule, necnon Prob. Hist. Brit., t. II, col. 1276, 1279, 1281, 1283. Obiit, secundum Augustinum a Passu, Veneris die ante Pascham 1441.

XXXIX. Joannes IV.

DE PLŒUC. Joannes, cognomento *de Plœuc*, alias *de Plouec*, eligitur 4 Maii 1442. Is, 17 Augusti
1447 1447, ex mandato Eugenii papæ, parochialem ecclesiam, *Tanguedec* sitam, in collegiatam convertit. Statuta dein condidit anno

A 1450, obiitque, secundum *Ogée*, 7 Aprilis 1453.

ANNI CHRISTI

XL. Joannes V.

Redonensi cathedra invito papa potitus Joannes, apostolica sententia sacris interdictus fuerat. Quem ad Trecorensem sedem denno translatum Petro duci commendavit Nicolaus papa V, VI cal. Augusti 1453, e cod. 1453
Regio 8357², et ab excommunicatione paulo post absolvit. Munus per procuratorem Joannes adiit 16 Martii 1454, et statuta condidit
B annis 1455, 1456, 1457, 1459, 1462. Interfuit, 4 Aprilis 1456, recognitioni corporis S. Vincentii Ferrarii. Coadjutore usus est Christophoro *du Chastel*, quocum non semel in contentionem venit. Obiit 23 Septembris 1464; e Sammarthanis. DE COËTQUIS.

XLI. Christophorus II.

Ex antecedentis coadjutore Christophorus præsul eligitur; qui, 28 Januarii 1465, Trecorensis episcopatus administrator in litteris Britonum ducis ad Petrum Landesium ap- DU CHASTEL.
C pellatur. Eum dein Paulus papa II Francisco duci commendat, VII id. Januarii 1466, bul- 1466
lisque donat eodem anno, 15 Junii. Duci postea Christophorus fidem jurat, 15 Julii 1466, eique, 18 Julii, per eumdem licet ut muneris reditus percipiat. Occurrit Christophorus statuta condens, annis 1467, 1469. Interfuit, anno 1476, concilio Rotonensi, 1476
ubi de stipendio rusticanorum rectorum decretum est. Postquam testatus erat se libros omnes suos capitulo Trecorensi tradidisse, obiit 9 Decembris 1479. In temporales episcopatus reditus dux manum injecit 28 De-
D cembris.

Quo defuncto, Franciscus dux domino papæ Petrum *Chauvin* præsentavit. Petrum vero Sixtus papa non admisit; cumque tardius ad eum dux rescriberet, ut qui « nominationem personæ sibi gratæ ex certis « causis, ut ait papa, differre cogeretur, » Sixtus Raphaeli, S. Georgii ad velum aureum cardinali, Trecorensem ecclesiam administrandam demandavit, XV cal. Septembris 1481; e cod. Reg. 8357².

XLII. Raphael.

E

Sixti papæ nepos Raphael Britonum duci fidem dedit 11, aut 21 Septembris 1481. Trans Alpes tamen degens, pastorale munus cuidam Matthæo commisit, qui et ipse episcopus Trecorensis dictus reperitur, sub annum 1480, in Albor. Mant. cod. 47, p. 727. Anno tandem 1483, Raphael abdicavit. 1483 DE LA ROVERE.

ANNI CHRISTI

XLIII. Robertus II.

GUIBÉ. Abdicante Raphaele, Robertus, thesaurario Landesio e sorore nepos, e cantore Dolensi, ætate licet minor, episcopus fit Trecorensis, anno 1483. Bullas obtinuit 20 Maii: protinus autem Sixtus papa IV Trecorensis ecclesiæ curandas res cuidam Romanæ sedis clienti commisit, donec ad canonicam Robertus ætatem perveniret. Occurrit Robertus anno 1483 vicarios generales constituens. Dein, Februario mense 1485, Romam tendit, ducis legatus. Ea in legatione coram Innocentio papa recens electo pro Francisco duce verba fecit, quæ sub id tempus prælo data sunt. Die Jovis post Pentecosten 1485, edita sunt statuta synodalia a vicariis Roberti, *electi et administratoris* ecclesiæ Trecorensis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 464. Nondum igitur consecratus erat. Romam iterum missus est anno 1499. Deinde in Redonensem cathedram transfertur, anno 1502.

XLIV. Joannes VI.

CALLOET. Roberto in aliam sedem translato, Yvonem *de Kermahouan* non pauci exoptaverunt; sed apud regem Joannes, utriusque juris doctor et Corisopitensis cantor, magis valuit. Bullis igitur apostolicis 24 Martii
1502 1502 donatus, episcopalem urbem 4 Septembris Joannes ingressus est. Idem regis confessionibus audiendis præpositus memoratur, et in camera Computorum præses. Summam sanctitatis laudem adeptus, decessit 7 Martii 1505.

Post ejus mortem, 18 Martii, ad capitulum Trecorense Anna regina scripsit, vetans ne præter suam voluntatem quævis electio fieret. Joannem postea *de Grignaux* regina designavit, Joannemque canonici Trecorenses elegere. Is vero pastoralem curam in Antonium, fratrem suum, protinus transtulit.

XLV. Antonius.

DE GRIGNAUX. Eligitur Antonius 22 Decembris 1505, et synodo diœcesanæ anno 1515 præest. Idem, 10 Novembris 1524, procuratores instituit, qui pro se fidem regi spondeant; e Max. Gall. Arch., J, 818. Obiit tandem Lochis, apud
1537 Turonos, 16 Novembris 1537, et in temporales sedis episcopalis reditus rex manum protendit 13 Decembris.

XLVI. Ludovicus.

DE BOURBON. De eo jam abunde dictum est inter episcopos Lucionenses, Laudunenses et Cenomanenses, nec non inter Senonenses archipræsules. Qui Trecorensi sede per procuratorem A potitus est anno 1538, eaque semet abdicavit anno 1543.

XLVII. Hippolytus.

D'ESTE. Tam multas ecclesias abbatiasve in Gallia et in Italia Hippolytus accepit, et postea vicariis regendas demandavit, ut eas recensere grande negotium esset. Trecorensis dictus administrator anno 1543, hunc, ut ferunt, titulum anno 1544 dimisit.

B XLVIII. Joannes VII.

DE RIEUX. E Briocensis ecclesiæ potius administratore quam episcopo Joannes in Trecorensem cathedram evehitur, ut aiunt, anno 1544. 1544
Mox autem eo munere semet abdicavit, conjugem ducturus anno 1548.

XLIX. Franciscus I Michael.

DE MAUNY. Briocensis jam antistes Trecorensibus episcopis Franciscus Michael annumeratur a 8 Junii 1545. Commendatarius forsan Trecorensis ecclesiæ per aliquot annos pastor C fuit. Quidam tamen an revera Trecorensis cleri quovis nomine rector fuerit dubitant. De eodem inter abbates Nucariarum mentio facta est.

L. Joannes VIII.

JOUVENEL DES URSINS. Abbas S. Mevennii et Vallis Richerii, necnon decanus Parisiensis, in cathedram Trecorensem promovetur Joannes 22 Octobris
1548; supra, t. VII, col. 216. Episcopalem urbem dein ingressus, Dominica die qua triviatim rami Palmarum circumferuntur, 1548
D anno 1549, obiit 27 aut 28 Octobris 1566.

LI. Claudius.

DE KERNEVENOY. Joanni mortuo subrogatur Claudius, jam abbas Begardi, anno 1566. Bullas autem is non obtinuit. Ideo vacans legitur sedes 23 Januarii 1567, et annis 1568, 1569, in regestis Cleri Gallicani; Alienat. Trecor. diœcesis. Vicarii generalis munus implens, rem episcopalem Joannes-Baptista *Legras* per id temporis administravit. Anno tandem
E 1572, inanem titulum Claudius dimisit. 1572

LII. Joannes-Baptista I.

LEGRAS. Patria Briocensis, professione S. Dominici institutis addictus, et jam Trecorensis ecclesiæ vicarius generalis, episcopus a Gregorio papa Joannes-Baptista creatur, anno 1572. Anno 1573, Dinanni comitiis per procuratorem interfuit. Fidem postea regi dedit 24 Decembris 1578, et 26 Julii 1579: dein,
anno sequente, 6 Maii, Redonensibus comi- 1580

ANNI CHRISTI

tiis interfuit, decessurus mense Februario 1583. A

LIII. Franciscus II.

DE LA TOUR. Ex episcopo Corisopitensi Trecorensis Franciscus fit anno 1583. Elapsis vero paucis annis, munere semet abdicavit, anno 1593 decessurus in castello *Plougouven*.

LIV. Guillelmus III.

DU HALGOET. Non plane compertum habemus quem sub annum Francisco Guillelmus successerit. B Mense vero Novembri 1589, Fœderatorum copiis urbem Trecorensem invadentibus, juratam regi fidem servans Guillelmus ex Armoricano littore solvit, exsulque Normanniam petiit, ubi per sexdecim menses in vicnlo *Granville* commoratus est. Itineris socius memoratur Philippus *du Halgoet*, canonicus, Guillelmique consobrinus. Ut adeo procellosum aer sereniorem faciem habuit, ambo castellum *Tanguedec* incoluere,
1594 donec, anno 1594, expulsis Guingampo Fœderatis, exsulibus hanc civitatem adire licitum. Interea vero Mercœurus dux, cui Tre- E corensis scholasticus favebat, omnes episcopi possessiones deprædatus erat. In sedem tandiu pastore orbatam redux reperitur Guillelmus anno 1595; e regestis Cleri Gallic., Alienat. Trecor. diœcesis. Obiit 29 Octobris 1602.

LV. Georgius.

LOUET. Nominatur post Guillelmi decessum Georgius *Louet*, ex Andegavensi decano. Is vero nondum consecratus Andegavi decessit.

D

LVI. Adrianus.

D'AMBOISE. Adrianus, Parisinus, Navarreo gymnasio olim præfectus, de quo plura apud Launoium, Hist. Nav. Colleg., episcopatu Tre-
1604 corensi donatur anno 1604; quo anno regi fidem dedit. Præses in Britanniæ comitiis sedens reperitur 7 Novembris 1607. Turonibus dein interest, 8 Martii 1611, cœtui ob legatum eligendum coacto; ex arch. Cleri Gallic., Alien. Turon. diœc., t. II. Obiit 28, aut 29 Julii 1616.

LVII. Petrus IV.

CORNULIER. Ex abbate S. Mevennii Trecorensis episcopus Petrus creatur anno 1616, et fidem regi spondet 27 Julii 1617. Eodem anno sedit in Redonensibus comitiis, in Redonensem cathedram 17 Martii 1619 transferendus.

LVIII. Guido.

CHAMPION DE LA CHAISE. Ex abbate Fontaneti Guido, patria Brito, Trecorensis episcopus consecratur anno 1620, supra, t. XII, col. 520, et eodem anno obsequium regi promittit. Idem, 21 Octobris, reperitur in Briocensibus comitiis, dein in Nannetensibus, 7 Decembris 1622 et 28 Novembris 1623. Rollandi, Bituricen- 1623
sis archiepiscopi, consecrationi Santonibus intererat, 16 Maii 1622. Eo præsule Recollecti, Capucini, Carmelitanæ virgines, Calvarianæ, sanctæque Ursulæ moniales semet in Trecorensem diœcesim dicavere. Obiit 14 Septembris 1635. 1635

LIX. Natalis.

DESLANDES. Clarus inter Dominicanos sodales concionator Natalis Trecorensis episcopus fit, litteris regiis, 29 Octobris 1635. Egregii pastoris laudem meritus, diem secure supremum adiit 19 Augusti 1645; e D. *Tresvaux*. Decessum ejusdem alii sub Februarium mensem 1646 enarrant.

LX. Balthazarus.

GRANGIER DE LIVERDIS. Ex abbate S. Bartholomæi Noviomensis, et Ludovici regis XIII eleemosynario, Balthazarus in sedem Trecorensem vocatur mense Februario 1646, Lutetiæ consecrandus 18 Novembris sequentis. Trecorense seminarium exstruxit anno 1654: eodem anno, cleri Gallicani cœtui interfuit, et consecrationi Ludovici, Grassensis episcopi. Obiit 2 Februarii 1679.

LXI. Franciscus III Ignatius.

DE BAGLION DE SAILLANT. Cum ætate floreret Franciscus Ignatius sub vexillis regiis equestri turmæ præfuerat. Deposito dein gladio, Oratorianæ congregationi nomen dederat. Trecorensis præsul denuntiatur mense Martio 1679, et consecratur 23 Julii. In conventu cleri Gallicani sedit anno 1682, in Pictaviensem cathedram transferendus Aprili mense 1686. De eo supra, t. II, col. 1209.

LXII. Eustachius.

E

LE SENESCHAL DE KERKADO. Abbas antea Genestonii, Trecorensis episcopus Eustachius nominatur 1 Junii 1686. Obiit 5, vel 15 Maii 1694.

LXIII. Olivarius.

JÉGOU DE QUERVILIO. Ex archidiacono Corisopitensi Olivarius Trecorensis præsul nominatur 29 Maii 1694, et Parisiis 3 Octobris consecratur. Janseniana cum tunc temporis fervent dissidia, Jansenistis Olivarius adhæsit, nec summi

ANNI CHRISTI

Pontificis iteratis monitionibus ab eorum sodalitate abalienatus est. Monialibus S. Pauli in episcopali urbe constitutis statuta dedit 23 Junii 1727, et deinde, 2 Augusti 1731, ætatis anno 88, decessit.

1731

LXIV. Franciscus IV Hyacinthus.

DE LA FRUGLAIE DE KERVERS.

Franciscum Hyacinthum, vicarium Corisopitensis ecclesiæ generalem, Olivario mortuo rex suffecit; qui 4 Maii 1732 consecratus est. Clero præfuit, anno 1741, in Britanniæ comitiis, et 23 Decembris 1745 obiit. Antecedentis vestigia deserens, Molinistarum doctrinam causamque amplexus erat.

1745

LXV. Carolus Guido.

LEBORGNE DE KERMORVAN.

Anno natus 1694, in diœcesi Leonensi, Carolus Guido Trecorensis præsul 11 Julii 1746 consecratur. Obiit in episcopali palatio 1 Octobris 1761.

LXVI. Josephus Dominicus.

DE CHEYLUS.

Patria Avenionensis et Lexoviensis ecclesiæ decanus, Josephus Dominicus Parisiis, 25 Aprilis 1762, Trecorensis præsul inauguratur, in Cadurcensem ecclesiam anno 1766 transvehendus.

1766

LXVII. Joannes IX Marcus.

DE ROYÈRE.

Natus 27 Octobris 1727, in castello *Badefol,* intra Petrocorensis ecclesiæ fines, ex archidiacono Atrebatensi Trecorensis antistes Joannes Marcus consecratur 26 Aprilis 1767. Anno vero 1770, eumdem rex Castrum Albiensium transtulit.

LXVIII. Joannes X Augustinus.

DE FRÉTAT DE SARRA

Joanni Marco Joannes Augustinus successit, qui oleo sacro inunctus est 22 Januarii 1774. Mox autem Trecorensem cathedram deserere et Nannetensem adire jussus est.

LXIX. Joannes-Baptista II Josephus.

DE LUBERSAC.

Consecratur Trecorensis episcopus Joannes-Baptista Josephus 6 Augusti 1775. Nec is diu Trecorensi rei præfuit, quippe in Carnotensem cathedram anno 1780 translatus est. 1780

LXX. Augustinus Renatus Ludovicus.

LE MINTIER.

Redonensis ecclesiæ supremus antea vicarius, Augustinus Renatus Ludovicus Trecorensibus infulis anno 1780 donatur, consecrandus Parisiis eodem anno, 30 Aprilis. Qui, novas res aversatus, ecclesiæ regnique pericula liberius scriptis libellis imputavit, ideoque ipse liberius prolati consilii reus, ad judicis subsellia vocatus est. Paulo post vero, nempe 14 Februarii 1791, exsul in insulam *Jersey* secessit.

VETERA TRECORENSIS DIŒCESIS MONASTERIA.

I. S. Tugdualus. S. Tudgualus, cognomento *Pabuth,* filius, ut opinantur, Britannici cujusdam dynastæ, monasterium hoc exstruxit circa medium sextum sæculum, in Trecorensi peninsula, juxta confluentes aquas *Guindy* et *Jaudy* fluviorum. Sanctus ille vir ultima Novembris die 564 obiisse fertur. Quo defuncto, domum ab eo conditam ipsius conditoris nomine popularis pietas cohonestavit. A Normannis dein eversam Nomenoius restauravit, et in eodem loco Trecorensem episcopatum constituit. Nec tamen, erecta Trecorii cathedra, Trecorensium monachorum societas dissipatur. Post S. Tugdualum abbates S. Tugduali recensentur S. Ruelinus, Plebecantus, vel Perbogatus, Robertus, Stereleus, Gowerannus, et Germanus. De eis quidem dubitare licet, quorum hagiographi soli meminere. Post restaurationem a Nomenoio peractam occurrunt *Urwoet,* anno, ut videtur, 854, in chartula qua *Hepwou* Landevenecho ecclesiam *Saincts* concedit, et, multis elapsis annis, Gosmarus, anno 1084, in litteris Geoffridi Boterelli, plura juxta Lamballam sita Bernardo, Majoretanorum abbati, condonantis, ut infra legitur inter Instrumenta Briocensis ecclesiæ. Quæ postea hujus domus fortuna fuerit non traditur.

Vetus Civitas. Vetus Civitas, Britonum idiomate *Coz-Yeaudet,* monasterium vetus quidem erat, in pago Castello, vulgo *Ploucastel,* situm, quod S. Tugdualus cœnobio Trecorensi univisse refertur. In Castello pago archidiaconus postea institutus est, qui non solum opulentos reditus, sed etiam insolita privilegia quoad jurisdictionem possedit. Unde nonnulli opinati sunt hunc jurium ad abbatem Veteris Civitatis quondam spectantium labentibus annis hæredem fuisse. Aliam, sed leviorem, conjecturam protulerunt, qui Veterem Civitatem Lexobiam temporibus Romanorum appellatam fuisse, in eaque Trecorensi multo antiquiorem episcopatum exstitisse contenderunt. II.

Bourbriacum. Bourbriaci conditor S. Bria- III.

cus, S. Tugduali comes, qui, annuente Derocho, loci toparcha, in nemorosis paludibus monasterium exstruxit, a plurimis olim monachis eremitisve frequentatum. Eorum ædes Normanni diruere. Quas deinde excepit ecclesia parochialis S. Briaco sacra.

IV. S. Salvator Guingampensis. Vetus erat S. Salvator prioratus, S. Melanio Redonensi subjectus, quem, consentiente Radulfo, S. Melanii archimandrita, in abbatiam, anno 1123, Stephanus comes convertit. Elapsis vero aliquot annis, emancipatorum monachorum mores ad mollitiem labi, disciplina fatiscere, conventualia prædia pro derelictis haberi, et ipsa ecclesia corruere. Henricus igitur, prædicti Stephani filius, Guillelmum, Trecorensem episcopum, adiit, poscens ut dejiceretur abbas, et monachi sub Majoreta-

A norum tutela ponerentur. Annuit Guillelmus Stephani comitis precibus, XIII cal. Octobris 1150. Cur vero Majoretani condonatam adamussim domum haud acceperint incertum relinquitur. Verum idem Henricus S. Salvatoris ecclesiam S. Melanio confirmat anno 1152, et ipsis S. Salvatoris monachis concedit ut abbatem rursus habeant, e S. Melanii grege deductum. Imminutum tamen exinde loci decus; Henrici nempe litteris abbati S. Melanii collatum jus abbatiolam hanc disciplinæ impatientem pro arbitrio suo in prioratum mutandi. His subscripsere

B litteris Guillelmus S. Melanii, et J. (forsan Joannes) S. Salvatoris abbates; ex Albor. Mant. cod. 41, f. 83. S. Salvatorem inter S. Melanii possessiones dein stabilivit Geoffridus, Trecorensis episcopus, anno 1187.

ABBATIÆ SUPERSTITES [1].

Sunt illæ numero duæ.

Ordinis S. Augustini.

Virorum.

S. Crux Guingampensis, *S. Croix de Guingamp.*

Ordinis Cisterciensis.

Virorum.

B. Maria de Begardo, *Begard.*

S. CRUX GUINGAMPENSIS.

Abbatiam S. Crucis Stephanus de Penthevria et ejus uxor Hadvisia condiderunt, anno circiter 1130, atque in ea canonicos, e monasterio Burgi Medii accitos, instituerunt. Mortuo vero Stephano, filius ejus Henricus abbatem canonicosque foras ablegavit, et nobilem matronam, quam illiciti sibimet amoris vinculo copulaverat, in eamdem domum intromisit, quæ puellis e S. Georgio Redonensi deductis præesset. Attamen non multo post Stephanum rei gestæ pœnituit; a quo reducibus canonicis abbatia rursus adscripta est. Ibi quondam octo fratres S. Augustini regulam observantes exstitere. Postea vero, nefanda commendatariorum abbatum industria, ad eam rerum omnium inopiam redacti sunt, ut alio cuncti, anno circiter 1763, abierint.

SERIES ABBATUM.

I. Joannes e canonico Burgi Medii Blesensis abbas fit S. Crucis, anno, ut opinantur,

C 1134. Anno 1144, in episcopalem Alethi cathedram transfertur. Ea de translatione consule litteras Henrici comitis ad Alexandrum papam; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 681.

II. Moyses simultates exercuit cum Henrico, Penthevriæ comite. De eo sic Henricus comes, ad Alexandrum papam scribens : « Juventute equidem exigente, quamdam nobilem mulierem mihi concubinam adamavi, et, peccato instigante, Moyse prædicti loci abbate inde a me ejecto, prædictam concubinam, peccatis exigentibus, intrusive posui; sed, monitione et correctione

D « Eugenii, felicis memoriæ, Romani Pontificis, cognita insipientia mea, ipsam a prædicto removi loco, et Moysen prædictum abbatem in possessionibus suis integre restitui, et sæpedictam concubinam cuidam baroni meo, Trecorensi præposito, in matrimonium copulavi; » Prob. Hist. Brit., t. I, col. 681. Occurrit Moyses una cum Guillelmo, Trecorensi præsule, in Conani ducis IV litteris tam pro Bello Loco quam pro S. Michaele in Periculo maris.

III. R. memoratur, annum circa 1180, ad Alexandrum papam missus, qui de gestis

E Henrici comitis coram domino papa sermonem haberet.

IV. L., anno circiter 1188, subscribit Alani chartulæ de fundatione S. Rioni. Eumdem sub annum 1202 quidam perperam ponunt.

V. Jeldoinus enim occurrit, anno 1190, in litteris Clementis papæ protegendam abbatiam suscipientis; Prob. Hist. Brit., t. I, col. 717. Testis idem fuit, anno 1202, Conani ducis conventui Belli Portus jus nundinarum celebrandarum concedentis.

VI. Daniel, anno 1267, cum Alano *de Lezardrieu* transegit.

[1] Usque ad ann. circiter 1790.

VII. Geoffridus, 2 Decembris 1303, sententiæ contra Bonifacium VIII in conventu Parisino latæ assensum suum præbuit; e Max. Gall. Arch., J, 485. Cujusdam Geoffridi decessus memoratur, anno 1359, in litteris quibus Rollandus sequens instituitur. Idemne ab anno 1303 usque ad annum 1359 eidem domo præfuit? Id simile vero nobis non videtur. Duos igitur Geoffridos alternis vicibus abbatialem sedem tenuisse conjicimus.

VIII. Rollandus I *Endiscay*, ejusdem loci canonicus, abbatiam accepit ab Innocentio papa VI, IV id. Aprilis 1359; apud Suaresium.

IX. Joannes I, a quibusdam gentilitio cognomine *de Pledran* dictus, in diœcesanam synodum, anno 1370, a Joanne, Trecorensi præsule, vocatur; e chartul. Major. Monast., t. III, p. 448. Idem, 1 Maii 1381, Guerrandiæ fœdus sancit. Memoratur usque ad diem 6 Februarii 1397.

X. Rollandus II litteris donatur pontificiis VI nonas Martii 1405. Idem occurrit cuidam apochæ subscribens, 19 Octobris 1420, in Alb. Mant. cod. 47, p. 637. Annum melius lege 1410, nam

XI. Pringentius *Baher* Britonum duci, IV cal. Januarii 1418, a Martino papa V commendatur.

XII. Joannes II *Hamon* occurrit 7 Novembris 1437, et anno 1450. Superstes etiam erat anno 1452.

XIII. Franciscus Bertrandus, annis 1453, 1460, et 26 Decembris 1477, in apochis.

XIV. Rollandus III annis 1502, 1512; ex apochis.

XV. Petrus I *de Kervanay*, competitorem quemdam expertus, sententiam obtinuit 6 Septembris 1514. Reperitur idem annis 1516, 1524, 1527.

XVI. Joannes III *de Losic*, annis 1536, 1546.

XVII. Philippus *Rémond* fidem juravit anno 1556; apud *Padioleau*.

XVIII. Petrus II *Cornulier* abbas S. Crucis reperitur, 18 Maii 1598, in Redonicis comitiis. Idem abbas fuit S. Mevennii, et dein Redonensis episcopus, decessurus anno 1639.

Post eum, ut videtur, ignotus quidam abbas pertransiit.

XIX. Ludovicus *Barbier du Metz*, sedis apostolicæ protonotarius, a 17 Januarii 1670. Abbas idem Orionis, in ecclesia Catalaunensi. Obiit pridie idus Novembris 1699.

XX. Carolus *Duplessis d'Argentré*, ab anno 1699; qui ad Tutelensem cathedram evectus anno 1723, abbatiam tenuit usque ad annum 1740.

XXI. Renatus Josephus *de Gouyon Launay Thaumats* ab anno 1741. Idem erat vicarius generalis Corisopitensis ecclesiæ. Obiit 21 Martii 1762.

XXII. N. *de la Freslonnière* ab anno 1762.

B. MARIA DE BEGARDO.

Quatuor Eleemosynæ monachi, Geoffrido, Stephani comitis filio, eos adjurante, B. Mariam de Begardo, in tractu nemoroso quem Ch. II, col. 272.
Pluscoat nuncupabant, anno 1130 condidere. Id chartula vetus enarrat, additque barbarum hoc vocabulum *Bégar* gentilitium nomen fuisse cujusdam eremitæ, in eodem loco ante monachorum Cisterciensium adventum degentis. Inter Cistercienses totius Britanniæ conventus antiquior B. Maria de Begardo, ditior agris, et incolis frequentior, quem *Parvum Cistercium* plebs appellare solebat. Anno etiam 1790, his in claustris viginti monachi superstites memorantur.

SERIES ABBATUM.

I. Joannes I primus abbas fuit; ex indice veteri.

II. Guillelmus I, temporibus Guillelmi, Trecorensis episcopi, litteris subscripsit Conani ducis pro monasterio S. Michaelis; e cod. Regio 8357[5].

III. R., anno circiter 1188, litteras Alani firmavit de fundatione S. Rioni.

IV. Geoffridus legitur in Alani charta plures ecclesias in Anglia sitas S. Mariæ de Bello Portu condonantis; e Monastico Anglicano, t. VI, col. 1117. Idem testis est, anno 1202, Conani ducis feriam quamdam tertium dierum monachis Belli Portus concedentis; apud D. *Guimart*, Hist. Brioc. episc., p. 164. Eodem anno, Alani, *Gouellou* toparchæ, aliud pro Bello Portu diploma laudat; Prob. Hist. Brit., t. III, col. 1769.

V. Salomon, anno 1267; e veteri catalogo.

VI. Evenus, e chartula ad S. Albinum de Nemore spectante, anno 1309.

VII. Petrus I, annis 1321, 1324. Reperitur, anno 1336, operam suam adhibens ut Alanus præsul et capitulum Trecorense paciscantur.

VIII. Hervæus *de Cöethourden* litigavit, anno 1369, adversus Evenum, Trecorensem episcopum.

IX. Philippus *de Cöethourden* fratri suo successit.

X. Radulfus, quem alii Rollandum nuncupant, fœdus Guerrandiæ ratum habuit 1 Maii 1381, Prob. Hist, Brit., t. II, col. 278.

XI. Guillelmus II, alias Guido, occurrit anno 1417.

XII. Conanus *de Kerenborgne* innotescit ab anno 1420. Is, nuntios mittens ad Angliæ regem, penultima die Aprilis 1328, eos commendat Cisterciensibus Angliæ monachis; Prob. Hist. Brit., t. II, col. 1208. Superstes memoratur Conanus anno 1442.

XIII. Vincentius *de Kerleau* electus est anno 1443. Apud Britonum duces acceptis-

simus, a Petro II Romam missus est anno 1445, ut Callixti papæ III litteræ testantur. Ei, vi cal. Augusti 1460, ab episcopo Veronensi demandatur investiganda Britannorum episcopatum causa, quibus Ægidii ducis cædes objiciebatur; e cod. Regio 8357². Idem occurrit, anno 1462, vicarius generalis Alani cardinalis, cui Dolensis ecclesiæ administratio perpetua commissa. In Angliam dein, annis 1468, 1472, iter fecit. Eo anno 1472, salutatus est episcopus Leonensis. Abbatiam tamen retinuit. Abbas idem B. Mariæ de Precibus.

XIV. Guillelmus III *Lespervier* censura notatus est, anno 1483, ob id quod, ordinis spreta lege, Olivarium, abbatem S. Albini, e sede sua, duci Britonum nimis obsequens, non auditum, non ideo damnatum, ejecerat. Idem, anno 1487, B. Mariæ de Reliquiis abbas instituitur ab Innocentio papa. Anno 1511, a Cisterciensium generali capitulo ea datur ei provincia ut Cistercienses in Britannia domos reformet. Obiit 9 Novembris 1515, et sepultus est in ecclesia B. Mariæ de Reliquiis.

XV. Petrus II *de Kerleau* ab anno 1515. Procuratorem instituit, 22 Novembris 1524, qui pro ipso fidem regi spondeat; e Max. Gall. Arch., J, 818. Obiit anno 1526. Idem et abbas B. Mariæ de Reliquiis.

Post eum commendatarius creatur abbas Henricus *de Kerguec'h*. Ea autem nominatio irrita evasit.

XVI. Guillelmus IV *de Kernevenoy* nominatur abbas 15 Junii 1526, et se fidum jurat regi anno 1532. Nepotem e fratre Claudium monachis præsentavit 29 Maii 1549, deposcens ut eum sibi præficerent. Cui petitioni fratres annuerunt, eamdem dummodo papa ratam haberet. Nullum autem effectum ea res habuit. Reperitur Guillelmus anno 1556, iterum regi fidei sacramentum præstans. Obiit anno 1560.

XVII. Claudius *de Kernevenoy* avunculo suo non ante annum 1560 successit. Reperitur anno 1569 in regestis Cleri Gallicani, Alienat. Trecor. diœcesis. Obiit anno 1573. Eumdem inter episcopos Trecorenses quære.

XVIII. Petrus III *de la Beaume*, reginæ ab eleemosynis, episcopus S. Flori, fidem regi dedit 18 Februarii 1579, et decessit anno 1595.

XIX. Joannes II *Fleuriot* ab anno 1595. Sedit in Briocensibus comitiis anno 1602, et obiit anno 1614. Id testantur procuratoriæ rationes, apud *Padioleau*, p. 303.

XX. Alexander *de Cossé Brissac* creatus abbas anno 1614, obiit anno 1675.

XXI. Ludovicus Marcellus *de Coëtlogon*, schedulas accepit regias 7 Januarii 1676, et sedit in Briocensibus comitiis anno 1677. Salutatur, anno 1680, Briocensis episcopus. Obiit 18 Aprilis 1707.

XXII. Melchior, cardinalis *de Polignac*, ab anno 1707 usque ad annum 1741. Idem Ausciensis archipræsul.

XXIII. Ignatius *Chaumont de la Galaisière* ab anno 1742 usque ad annum 1785.

Post ejus mortem abbatialis mensæ reditus procuratores perceperunt, et sub annum 1790 in eo erat episcopus Trecorensis, ut ea, probante rege, potiretur.

INSTRUMENTA

AD TOMUM XIV

GALLIÆ CHRISTIANÆ

IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTÆ

SPECTANTIA,

QUÆ PERTINENT AD METROPOLIM TURONENSEM.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ *TURONENSIS*.

I.

Ex editione Brequiniana. 475.

Testamentum Perpetui, Turonensis episcopi.

In nomine Jesu-Christi, amen. Ego Perpetuus, peccator, Turonicæ ecclesiæ sacerdos, abire nolui sine testamento, ne fraudentur pauperes iis quæ superna gratia mihi, non merito, liberaliter et amanter contulit; et ne, quod absit, transeant ad alios quam ad ecclesiam sacerdotis bona.

Presbyteris, diaconibus et clericis ecclesiæ meæ pacem Domini Jesu-Christi do, lego. Amen. Confirma hoc, Domine, quod operatus es in nobis : nesciant schismata, stabiles in fide permaneant; quicumque regulam evangelii fuerit secutus, sit benedictus omni benedictione spiritnali in supernis, per Christum Jesum, amen; et Dominus Jesus occidat impium vento oris sui, amen, amen. Pax ecclesiæ, pax populo, in urbe, in agro, a Deo et patre Domini Jesu-Christi, amen. Veni, Domine, et noli sustinere, amen. Vobis itaque presbyteris, diaconibus et clericis ecclesiæ meæ, cum consilio Agilonis comitis, sepeliendum cadaver mortis hujus, ubicumque elegeritis, permitto. Scio quod redemptor meus non moritur, et in carne videbo liberatorem meum, amen. Tamen si indigno mihi feceritis misericordiam quam supplex postulo, optarem ad domini Martini pedes in diem quiescere judicii. Videritis, judicabitis, eligetis : volo, statuo, ratum jubeo quod vobis dominis et fratribus meis placuerit. In primis itaque ego Perpetuus volo liberos esse liberasque homines et feminas quotquot habeo in villa Saponaria, quos emi de mea pecunia, ut et pueros quos in die discessus mei non manumisero in ecclesia; ita tamen ut libere serviant, quandiu vixerint, ecclesiæ meæ, sed absque servitute ad hæredes transmissibili et glebatica. Do etiam ecclesiæ meæ agrum quem Aligarius mihi vendidit in dicta villa Saponaria, cum stagno. Item molendina supra Carum, prope dictam villam, nec non pecuaria et prata ipsi ecclesiæ meæ do, lego. Villam de Bertiniaco, cum sylva et omni reditu, ea conditione qua mihi a Daniele diacono vendita est, ecclesiæ meæ pariter do, lego; ita tamen ut de eorum proventibus oleum paretur pro domini

A Martini sepulchro indeficienter illustrando. Quod si fuerit neglectum, et voluntas mea, quod non spero, cassa, dicta villa de Bertiniaco, cum adjunctis, hæredibus meis mox nominandis cedat, volo, statuo, jubeo. Quidquid et quoquo in loco, et a quacumque persona fuerit mihi debitum, quo die abscessero, debitoribus ipsis do, lego. Exigere quod dimitto nullus præsumat, volo, statuo. Tibi fratri et consacerdoti dilectissimo Eufronio thecam ex argento de reliquiis sanctorum do, lego : illam intelligo quam deferre solebam; nam deauratam aliam, quæ est in capsario meo, cum duobus calicibus aureis et cruce similiter aurea, quam Mabuinus fecit, ecclesiæ meæ do, lego; simul et omnes libros meos, præter Evan-
B geliorum librum, quem scripsit Hilarius quondam Pictaviensis sacerdos, quem tibi Eufronio fratri et consacerdoti dilectissimo cum præfata theca do, lego, volo, statuo. Memor esto mei; amen. Ecclesiæ S. Dionysii de Rambasciaco calicem argenteum et crucem similiter argenteam, in cujus manubrio est reliquia de eodem S. Dionysio, do, lego. Ecclesiæ de Proillio similiter calicem argenteum et urceos argenteos do, lego. Similiter et Amalario ibidem presbytero capsulam unam communem de serico; item peristerium, et columbam argenteam ad repositorium, nisi maluerit ecclesia mea illam qua utitur eidem Amalario transmittere, meam retinere; tibi ecclesiæ meæ eligendum permitto, volo, statuo. Sorori meæ Fidiæ Juliæ Perpetuæ, crucem parvam auream ex emblas-
C mate, in qua sunt de reliquiis Domini, do, lego. Quam tamen obnixe rogatam velim, ut si forte, jubente Domino, eam contingat migrare ante Dadolenam, virginem ecclesiæ meæ, ei possidendam relinquat. Te etiam rogo, soror Dadolena, ut moriens eam ecclesiæ quæ lubuerit addicas, ne veniat ad indignos. Quod si transeat Dadolena ante te, sit tibi liberum, carissima soror Fidia Julia Perpetua, prædictam crucem cui volueris ecclesiæ relinquere, volo, statuo. Memor esto mei, dilectissima, amen. Tibi Agiloni comiti, ob egregia tua in ecclesiam meam et pauperes filios meos merita, et ut pergas eorum defensionem robuste suscipere, sicut cœpisti, equum meum parabilem, et mulum quem elegeris, do, lego.

Memor esto mei, fili dilectissime, amen. Ecclesiæ S. Petri, peristromata quæ ei ad utendum in natali ejusdem sæpe concessi, omnino et absolute do, lego. Tibi fratri et consacerdoti carissimo, de quo Dominus providebit regendæ post discessum meum ecclesiæ, nunc meæ, tunc tuæ, aut potius nec meæ nec tuæ, sed Christi, do quidquid ad usum episcopalem de rebus meis volueris eligere in camera et sacrario vicino. Quod nolueris, hæredum meorum nominandorum esto. Presbyterum de Malleio, eumque de Orbana, ad gradus unde merito dejecti sunt nunquam restitue. Sportulam tamen habeant, quamdiu vixerint, super parte redituum meorum de Preslaio; quod supererit, cum parte illa quam utendam, fruendam illis concessi, postquam obierint, et tibi utendum, fruendum relinquo : post discessum tuum, ecclesiæ meæ do, lego. At tu, frater et consacerdos carissime, presbyteros, diaconos, clericos, virgines, meos, tuos, ama, exemplo juva, benevolentia præveni, fac ut sciant se tibi filios, non servos; te illis patrem, non dominatorem : rogo, volo, statuo. At vos, viscera mea, fratres dilectissimi, corona mea, gaudium meum, domini mei, filii mei, pauperes Christi, egeni, mendici, ægri, viduæ, orphani, vos, inquam, hæredes meos scribo, dico, statuo. His quæ supra detractis, quidquid in bonis habeo, sive in agris, pascuis, pratis, nemoribus, vineis, mansis, hortis, aquis, molendinis, sive in auro, argento et vestibus, cæterisque rebus de quibus me disposuisse non constabit, hæredes esse vos jubeo. Et ut omnia per discretionem administrentur, volo ut distrahantur quamprimum obiero et fieri poterit, et in pecuniam redigantur, cujus tres partes fiant : hominibus egenis duæ distribuantur, ut placuerit Agrario presbytero et comiti Agiloni; tertia viduis et pauperibus feminis, uti placuerit virgini Dadolenæ, distribuatur, volo, rogo, statuo.

Testamentum hoc, manu propria scriptum, relegi et subscripsi ego Perpetuus calend. Maias post consulatum Leonis Minoris A. Illud tu, Delmati fili, apud te depositum serva; et cum alio simili, mea pariter manu scriptum et subscriptum, quod apud Dadolenam deposui, Agiloni comiti, coram fratribus meis presbyteris, diaconibus et clericis, aperiendum et legendum trades. In nomine Domini volo, rogo, statuo, fixum ratumque sit. Benedic, Domine; veni, Christe Jesu.

Ego, Perpetuus, in nomine tuo, amen.

II.

Ex edit. domni Labat.

Epistola episcoporum Provinciæ Turonicæ ad plebem.

Circa 567.

Pontificalis est ordinis ad suam sollicitudinem infatigabiliter revocare quicquid ad correctionem populorum, imo magis filiorum spiritalium, quantum est fas intelligere, cognoverit pertinere; et non, quod absit, cum suo periculo alienæ spei per suam negligentiam facere detrimentum, si quod ad generalis salutis spectat compendium, sedulo necesse est providere tractatu. Denique pastor cum lupo videtur conniventiam facere, si permittit rapere, cum possit obstare; præsertim cum sermone prophetico animæ commissæ plebis requirantur ad singula de manibus sacerdotis. Unde quantæ culpæ teneatur reatu dominante subjectus, qui cessat alicui poculum sanitatis porrigere, quod cum non dederit alteri se facit extingui, et in se vindictam videtur excipere, cum vix quisque sufficiat sua flendo facta purgare? Sed ne alieni facinoris teneamur adstricti, ecce oris nostri buccina ad aures omnium personamus; neque se deinceps excusabit non monitum, qui quod sequi debeat tam verbis quam litteris edocetur. Sed sicut nos incessabiliter dicere, ita vos decet libenter audire; ut nec nos semen in spinosam segetem videamur effundere, nec vos patiamini sterilis agri culpa damnari; sed commune sit gaudium, quod a nobis panditur et a vobis impletur : at cum dominus universæ messis advenerit, et terra de fecunditate et mereatur agricola gloriari de fruge. Itaque, filii carissimi, qui estis partus divinæ gratiæ, beatus fructus ecclesiæ, regeneratio baptismi, possessio cœli, membra Christi, redhibitio regni, vestra palma, nobis corona, salubri admonitione opportunum duximus admonere, quoniam, peccatorum nostrorum in præcipiti mole crescente, videtur cladis gravissimæ necessitas imminere, nec alibi refugium invenire, nisi ad illius præcepta recurrere, qui vitam nostram sua morte voluit reparare; ut si qui ex vobis sunt in sponsali pactione devincti, nec adhuc in matrimonii fœdere copulati, nuptiarum suarum, etsi definitum jam tempus sit, licet apostolo vota nuptialia permittente, nos tamen consilium dantes hortamur ut justo moderamine debeant ad præsens differre, duplici conditione compulsi, ut aut ira Domini per castimoniam corporis et sinceritatem cordis oratione assidua valeat mitigari, et, cum tranquillitas obtineri meruerit, tunc sine suspicione interitus possint vota celebrari festiva, aut certe, si hoc illi de nobis placuerit qui condidit ut quoscumque jusserit de corpore cogantur migrare, vel sit justæ consolationis cautela ut anima de sæculo non abripiatur immunda, nec gravior esse incipiat mors futura quam erat præsenti de funere, si postmodum pro crimine non pœna sæviret, nam istud admitteretur facillime, si nos post casum requies invitaret. Illud vero instantissime commonemus ut, Abrahæ documenta sequentes, decimas ex omni facultate non pigeat Deo pro reliquis quæ possidetis conservandis offerre; ne sibi ipse inopiam generet, qui parva non tribuit ut plura retentet, et, quod dicendum est verius, suum persolvat pretium, ne se trahi videat peccato dominante captivum; quia certe ulterius mercatorem suæ ereptionis non invenit, qui hic redemptori resistit, cujus vox satis intonat dicens : *Eleemosyna extinguit peccatum;* item : *Date eleemosynam, et omnia vobis munda erunt.* Quare autem illi de suis non offeras, quod, cum dare videris, non amittas? Faciat se unusquisque de rebus alienis gratuitum, ne cum nihil habeat proprium, nec alium præparet inimicum. Ergo si quis in Abrahæ collocari vult gremio, ejusdem non repugnet exemplo; et solvat eleemosynæ pretium quisquis optat regnare cum Christo. Illud etiam repetita voce monentes hortamur ut si quis alterius caritatis offensam (quod absit!) incurrit, odium vice mutua relaxantes in amplexu veræ concordiæ festinent jam celerrime convenire. Quid enim in vacuum dimitti sibi peccatum desiderat, qui inimici delicta dimittere non exoptat; cum prima sit eleemosyna non quærere de peccante vindictam, sed contra reddere beneficia pro querela? Et licet superius dictum sit ad exemplum Abrahæ decimas offerri debere, attamen, propter cladem quæ imminet, hortamur ut etiam unusquisque de suis mancipiis decimas persolvere non recuset; quia dicitur in illa infirmitate ad divisionem nescio quam venire personas, quasi novem auferat, decimam ut relinquat. Unde satis congruet cum mercede animæ unum solvere, ut novem non possit amittere, quam cum peccati crimine et reliquos perdere, et quem dare noluit non habere. Quod si man-

cipia non sint, et fuerint aliqui habentes binos aut ternos filios, per unumquemque singulos tremisses in episcopi manu contradat, aut quem suo loco pontifex elegerit, assignare non dilatet, quod possit in captivorum redemptionem conferri : ut cum sic agitur, et præsentis iræ remotio, et merces proficiat in futuro. Si qui vero incesta se conjunctione visi sunt copulasse, in quantum ratio admittit hortamur etiam et pro salute vestra rogamus, ut, juxta canonum statuta, usque ad majorem synodum separentur : si voluntate implere distulerint, cœlesti (quod absit!) facere incipiant ultione. Quæ congrua monita, sicut decet, ab spiritualibus filiis admonemus in omnibus recipi salubriter et impleri; quatenus qui ad bonum opus mentis devotæ respicit, ipse quod rogatur repenset.

In Christi nomine Euphronius episcopus primum saluto.

In Christi nomine Fœlix episcopus plurimum saluto.

In Christi nomine Domitianus episcopus plurimum saluto.

In Christi nomine Domnolus episcopus plurimum saluto.

III.

Privilegium Adeodati summi pontificis, ad commendationem Chrodberti Turonensis præsulis, concessum monasterio S. Martini (1).

Circa 674. Dilectissimis fratribus universis episcopis in Galliæ partibus, Adeodatus. Æquitatis nos admonet norma, quam apprime custodire præcipimur, ut canonicas sanctorum Patrum, consulta præsertim a beatissimis apostolicæ sedis præsulibus, prædecessoribus scilicet nostris, qui authoritatum successione ac vice sacratissimi Apostolorum principis Petri per diligentem solertiam nacti sunt, quemadmodum statuta reperimus, intemerata atque inlibata custodia conservemus, sed et quidquid a fratribus nostris ecclesiarum episcopis, pedissequa duntaxat imitatione, consultum ac salubriter fuerit ordinatum, utpote functi Apostolica primatia, licet impares ministerio, firmanda simili ratione decernimus. Qua ex re dum Ægiricus, religiosus presbyter et abbas monasterii S. Martini, in quo et venerabile corpus ejus est situm, visendas ex desiderio veniens apostolicas confessiones et atria, nostris se repræsentaret obtutibus, commendationemque fratris nostri Crotberti, Turonicæ ecclesiæ præsulis, obtulisset, supplice voce precatus est ut privilegium apostolica auctoritate subnixum, ob munitionem venerabilis monasterii, quod beatæ recordationis confessor Christi Martinus, Turonensis ecclesiæ episcopus, in Gallicanis partibus ad conversorum salutem sui sacratissimi corporis consecratione decoravit, cui nunc præesse se perhibens scriptis ostenderat, ei concedere deberemus. Parumper autem ambigimus, idcirco, quod mos atque traditio sanctæ nostræ ecclesiæ plus non suppetat, a regimine episcopalis providentiæ religiosa loca secernere. Verum ubi et prædicti fratris nostri Crotberti, Turonensis ecclesiæ præsulis, monachicam libertatem, hoc est liberam dispensandi licentiam, scripto concessam, religiositate ejus exemplaria proferente, comperimus; in cujus volumine et aliorum per Gallicanam videlicet provinciam constitutorum antistitum, ad id consensum præbentium, subscriptiones subter annexas inspeximus, nullatenus jam exortem rationis ac canonicæ regulæ tantorum episcoporum consonam sententiam fore perpendimus. Propterea et nos erga quod iidem fratres nostri reverentissimi præsentes conferre providerunt, simili censura, ex auctoritate profecto Apostolorum principis, cui claves ligandi atque solvendi conditor ac redemptor omnium tribuit, identidem firmari concessimus, ut, apostolica fulti auctoritate, per privilegii seriem, nullas gravedines a quolibet episcoporum sub prætextu discussionis religiosus abbas vel monachi ibidem degentes sustineant; neque rursus hospitandi sibi apud eos licentiam vendicantes, dispendia iis atque insolentias angariarum imponant; neque, per occasionem regularis disciplinæ rimandæ atque servandæ, quaslibet eis importent injurias; sed liberam licentiam habere statuimus, salva profecto monachicarum regularum custodia, religioso abbate, quicumque pro tempore præerit præfato venerabili monasterio, id procurante, ut erga quod priscæ traditionis ejus articulus continet, et ipse conservare nitatur, et quicumque sub ejus reguntur dispensatione sollerter custodire commoneat, districteque compellat. Reverentissimo vero episcopo, in cujus parœcia memoratum venerabile monasterium, vel res ejus ac possessiones constiterint, faciendæ tantum ordinationis ac promotionis sacerdotum atque levitarum, vel conficiendi chrismatis sit tantum concessa licentia. Dispositionem autem venerabilis loci gerere ac conversationem monachicam exquirere, religioso abbati ejusque præposito, vel qui probatissimi fuerint in eodem monasterio, quod etiam præfati præsules consona sententia definierunt, decernimus. Quisquis igitur quolibet tempore, quod nullatenus credimus, hujus decretum privilegii, quod auctoritate apostolica subnixi consentiendo firmavimus, in totum vel in partem temerare tentaverit, suæque præsumptionis audaciam digna emendatione minus correxerit, in perpetuum percellendum, vel anathematizandum se noverit, non solum tantorum sententia sacerdotum, sed etiam æquissimo apostolicæ condemnationis aculeo; quoniam violare pertinaciter nisus est, quod salubriter conservare debuerat. Et ita quoque hujus privilegii sanctio firmata et rata indiminute persistat atque permaneat, erga quod et præcellentissimi totius Galliæ reges, ut scripto comperimus, ad reprimendas laicorum infestationes, edicto præmunire idem venerabile monasterium regali pietate dignati sunt. Bene valete, dilectissimi fratres.

IV.

Vendit S. Martino Gundoson terras in Alamannia sitas. *F. schedis Baluzianis.*

Domino venerabili et in Christo patri Widolando, abbati de basilica S. Martini, Turonicæ civitatis, ubi ipse pretiosus domnus in corpore requiescit, vel omni congregationi ibidem consistenti, ego enim Gundoson. Constat me vobis vel partibus ipsius basilicæ vendidisse et ita vendidi portionem meam, rem proprietatis meæ, in loco nuncupato Chantra, super fluvium Hantra, in patria Alamannia, sitam in pago Brisigausinse, quantamcumque ibidem tam de alode parentum quam et de comparatu, seu de quolibet adtractu habere videor, vel mea præsenti tempore inibi videtur esse possessio, totum et ad integrum, hoc est cum terris, mansis, casis, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, farinariis, mobilibus et immobilibus, pecuniis, 733.

(1) F. Monsnerio, quem correximus in paucis, utentes codice olim regio 2777, qui undecimo sæculo videtur exaratus.

peculiis, rem quæsitam et inquirendam, per hanc venditionem in die præsente vobis trado atque transfundo. Unde accepi a vobis pretium de thesauro ipsius sancti, in quo mihi bene complacui, hoc est solidos XXX; quod pretium in manu mea accepi, et memoratam rem vobis tradidi, ita ut ab hodierna die quidquid exinde vos aut successores vestri vel pars præfatæ basilicæ S. Martini elegeritis, faciendi jure proprietario liberam et firmissimam in omnibus habeatis potestatem. Si quis vero, si ego ipse, aut ullus de hæredibus vel prohæredibus meis, seu qualibet opposita persona quæ contra hanc venditionem, quam ego, nullo cogente, sed mea spontanea voluntate scribendam rogari, venire, aut agere, vel refragare temptaverit, solidos LV auri ad purum excocti fisci vestris* partibus, aut successorum vestrorum, vel partibus basilicæ S. Martini ejusque congregationi, cui litem intulerit, componat, et sua repetitio nullum obtineat effectum; sed hæc venditio meis, vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione inserta, longo tempore maneat inconvulsa.

* *forsitan* vestri.

Signum Gundoson, qui hanc venditionem fieri et firmari rogavit.

Data IV cal. Julias, anno XIII regni Theoderici regis.

Ausinus clericus scripsi et subscripsi.

V.

E schedis Baluzianis.

Præceptum Caroli Magni de villis S. Martino deservientibus.

774.

Carolus, Dei gratia rex Francorum et Longobardorum, atque patricius Romanorum. Decet enim regalis clementiæ dignitatem cunctaque quæ a sacerdotibus rationabilia postulata fuerint solerti cura prospicere, et opportuna, vel congrua eis beneficia non denegare, maxime si antecessorum regum plenius pro Dei intuitu sunt confirmata præceptionis auctoritate. Quapropter notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, quia venerabilis Iterius abbas ex monasterio S. Martini, eximii confessoris Christi, peculiaris patroni nostri Turonicæ civitatis, ubi ipse pretiosus domnus in corpore requiescit, innotuit serenitati regni nostri qualiter antecessor suus Andandus abbas quasdam villas instituerit quæ fratribus mensuatim per totum annum servire deberent, petens dignitatem excellentiæ nostræ, ut, pro Deo et reverentia ejusdem sancti, per præceptum nostræ auctoritatis id ipsum confirmare dignaremur, sequendo morem regum antecessorum. Cujus nos petitioni consentientes, et patrocinia B. Martini venerantes, sicut prædecessores reges singulariter expleverunt, et nos hoc donum indulgentiæ gratanter præstitisse cognoscite. Idcirco per hanc præsentem præceptionem jubemus, atque perpetuo firmum fore decrevimus, ut Lugogalus, Curtiacus, Lupiacus, Magittus, Canitius, Tauriacus, Bona, Vobridius, Albiniacus, Marojalus, Podentiniacus, Castanetus, Camiliacus, Brionnus, Novientus, Genestoliacus, Camacus, Aluotus, Cadriacus, Merila, Delfiacus [a], Parriciacus [b] Prisciniacus, Cassiacus, Sadobria, Membriolus, Spicarias, Orlueus [c], Serconas, Solustriacus, Lausiacus [d], Axedus [e], Belcontus [f], Truncobrus [g], Baionvillare, Novavilla, Noennes [h], Blasma, Pociacus, Talsiniacus, Ubrigoialus [i], Curcilia [k], Bladalaicus, Dociacus, Melciacus, Angularis, Portus Restis, Antoniacus, cum appendiciis earum, sicut admensuratæ sunt, fratribus deserviant. Similiter statuimus per hoc præceptum mansuetudinis nostræ ut ejusdem monasterii cellelario fratrum ministretur sicut ordinatum est, unde tempore sibi instituto fratribus pleniter servire possit: portarius autem, mense decembri, de suo ministerio serviat. De aliis vero villis solito more ligna et annonæ, sive volatilia ministrentur; quatenus hoc nobis ad salutem animæ nostræ et augmentum regni proficiat, et ipsi Dei servi liberius meliusque deinceps Deo famulari queant, atque pro statu sanctæ Dei Ecclesiæ sedulas fundere preces. Unde monemus omnes qui nobis in regno a Deo commisso successuri sunt, vel sicut sua statuta a suis successoribus conservare velint, ita hanc nostram constitutionem privilegii inviolabilem conservare studeant ad communem nostrorum omnium salutem; et ut hæc auctoritas firmior habeatur, vel nostris et futuris temporibus melius conservetur, manu nostra subter eam roboravimus et annuli nostri impressione sigillavimus.

al. [a] Delslacus. [b] Patriciacus. [c] Orlucus. [d] Laprianus. [e] Uxedus. [f] Belconius. [g] Grincrobus. [h] Noentus. [i] Brigoudus. [k] Crucilia.

Signum Caroli gloriosissimi regis. In anno VI regni nostri.

VI.

E schedis Baluzianis.

Datur libertas abbati et congregationi sancti Martini proprium episcopum nominandi.

786.

In nomine Domini. Ego Hadrianus papa, servus servorum Dei, Autberio, religioso abbati eximii gregis S. Martini, patroni vestri*. Innotuit profecto digne auribus nostris, qualiter idem grex nunc usque degerit, ac quæ privilegia tam regalia, quam prædecessoris nostri domini Adeodati habuerit, ut, seposita authoritate episcopali Turonicæ urbis, quidquid in suprafato grege disponendum erat, sive regendum, aut corrigendum, abbas ejus monasterii, cum suo præposito, necnon decano, cæterisque probatissimis viris, sub sua tenuerit ditione. Ob hoc debita nos ejusdem consulit sollicitudinis cura, quæque ad stabilitatem temporum pertinere dignoscitur locorum nobilium. Ideo, secundum antiquam consuetudinem, eidem venerabili loco apostolicæ institutionis censura confirmari a nobis deposcit, quatenus privilegium, quod a prædecessore nostro sanctæ recordationis, domno Adeodato, claruit, in isto tempore, nostra apostolica ejusdem authoritas demum confirmaret. Idcirco, vestris annuentes votis, præfati patris institutionis decretum prorsus apostolicis infulis sancimus, simulque eadem roboramus, apostolicam sequendo normam. Quapropter, autoritate B. Petri apostolorum principis fulti, decernimus condicto monasterio vestro, statuentes prorsus omnia quæ usque nunc sunt, et ut liceat ibidem habere episcopum, sicut a priscis temporibus usque hactenus fuit, per cujus prædicationem populus qui a diversis regionibus devota mente quotidie ad sancta ejusdem confessoris Christi monasterii limina concurrit, remedia percipiat a recreatore* animarum. Et quando episcopus sancti præfati loci de hoc seculo migraverit, et alius ab abbate necnon eadem congregatione religiosus electus fuerit, sine qualibet controversia, ne longitudo itineris obsit, a vicinis episcopis, sicuti mos extitit, ordinetur: et si, quod absit, se episcopi aliquo livore infecti atque invidia ordinandi distulerint, hac licentia sive privilegii jure revocati, per institutionem hanc apostolicam, cum testimonio abbatis sui, et clericis propriis eorum manibus, de cætero hoc subscripto ferente, sine dilatione ordinetur (1), pro con-

* *al.* nostri.

* *al.* mercatore.

(1) Locum hunc certe corruptum sic restituit Gregorius V, confirmans Martiniensium privilegia : «... cum testimonio abbatis sui et clericis propriis eorum manibus hoc subscriptum ferentibus, sine dilatione ordinetur..... »

suetudine, ut lumen quod ibidem hactenus tanto tempore per episcopi prædicationem claruit, illis temporibus non immoretur* omnino, aut, quod nefas est, extinguatur; neque episcoporum metropolitanus de præfato venerabili monasterio, in cellulis ejusdem ecclesiæ, sive titulis, seu oratoriis ditioni ipsius constitutis, aut ordinationes facere, sive pro chrisma conficiendo venire, atque exquisitare, agere aut distringere, vel ad se presbyteros convocare præsumat. Sed, per hanc auctoritatem privilegii nostri, episcopus ex ipso venerabili monasterio canonice curam pastoralem et sollicitudinem ministerii sui, in prælatis adjacentibus, vel subjacentibus, nominatis venerabilibus locis habeat, et quæque emendanda et corrigenda sunt, cum consensu abbatis sui canonica institutione et secundum ordinem cuncta peragat. Si vero quælibet discordia inter vicinos episcopos seu episcopum præfatum orta fuerit, nullus audeat, abbate minime annuente, sæpius nominati monasterii episcopum distringere, vel in qualibet judicari* parte. Quod si abbas ejus monasterii nullo modo voluerit inter eos delimari, nostris apostolicis eveniant obtutibus, concordia reformandi. Statuentes apostolica censura sub divini judicii obtestatione, et anathematis interpositionibus, ut nullus unquam successorum nostrorum pontificum, aut qualibet dignitate præditus vel potestate, vel alia quæcumque magna parvaque persona, præsumat contra hoc nostrum apostolicum privilegii præceptum agere; potius autem firmissimum atque stabile illud ejus temporibus decernimus permanendum. Si quis autem quolibet tempore, quod nullo modo credimus, hujus decretum privilegii, apostolica authoritate firmatum, in toto vel in parte temerare temptaverit, suæque præsumptionis audaciam digna emendatione minus correxerit, sciat se, authoritate domini mei beati Apostolorum principis Petri, anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei alienum, atque cum diabolo et ejus atrocissimis pompis æterni incendii supplicio deputatum, et perpetuæ condemnationi submissum. At vero qui observator et custos hujus nostri apostolici privilegii extiterit, benedictionis gratiam vitamque æternam a misericordissimo Domino consequi mereatur. Scriptum per manum Eustachii, notarii et scriniarii sedis nostræ, in mense Junio, indict. IX, Carolo Romanorum patritio. Bene valete.

* al. minoretur.
* al. judicare.

VII.

Præceptum Itherii abbatis pro constructione monasterii Cormaricensis.

E chartario Cormaricensi Benedictini. 791.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego humilis, etsi peccator, Itherius, abba vocatus monasterii S. Martini Turonis* civitatis, quo ipse pretiosus domnus corpore requiescit et cum omni Deo devota congregatione ibidem consistenti, pertractans casum humanæ fragilitatis, ac pavescens diem vocationis ultimum, ne gravatus tanta mole peccaminum, sine fructu aliquo, quod absit, boni reperiar operis, idcirco illustratione pietatis divinæ provocatus, nec non egregii prædicatoris confortatus alloquio, in quo ait: *Si cujus opus manserit, mercedem accipiet;* ergo promptissima nobis, una cum consensu fratrum nostrorum, decrevit voluntatis devotio, ad augendum scilicet hujus sancti monasterii honorem ac lucra animarum, ut cellam aliquam in pago Turonico nostro labore ad perpetuam omnipotentis Dei laudem construere deberemus; quod ita et fecimus. In qua etiam, ut potuimus, ecclesiam ædificantes ad invocationem sanctæ Trinitatis, trina construximus altaria, ubi sanctorum posuimus Apostolorum reliquias: in seniore scilicet altario sancti egregii prædicatoris ac doctoris gentium Pauli; alio quidem sancti Petri Apostolorum principis; tertio vero sancti Martini patroni nostri, præclarissimi confessoris, adjunctis simul cæterorum, prout potuimus, sanctorum patrociniis, quorum nos intercessionibus defendi, largiente Domino, confidimus. Itaque in dedicatione præfatæ basilicæ dedimus, simulque delegavimus ac tradidimus ad memoratum sanctum locum, qui nuncupatur Cella sancti Pauli, quod Cormaricus a priscis et hactenus vocatur, donatumque in perpetuum ibidem ob mercedem et stabilitatem dominorum regum Francorum, seu parvitatis nostræ, esse volumus, tam pro opportunitate ejusdem cœnobioli, quam et pro stipendio fratrum ibidem in Dei servitio habitantium, necnon consolatione peregrinorum: primum omnium delegamus ibidem res ipsas quas Pantaleon ac germanus suus Palladius, vel diversi homines in eodem loco ac in circuitu nobis per eorum instrumenta confirmaverunt, seu et quod de ratione S. Petri Puellarum monasterii commutavimus, necnon reicolas* quasque in fabricas et in arces conquisivimus, seu et in Curtiniaco de Reginaldo per venditionis titulum a nobis comparatas, et quidquid Hubaldus* partibus sancti Martini donavit, nec non et diversos mansos in ipso pago per alia loca in circuitu, ut diximus, quæ ad opportunitatem ipsius cellæ attraximus, in condita Eveninse et Cambertense, ubi ubi* in ipso Turonico pago sitos*. Delegamus etiam ibidem aliquas res de ratione sancti Martini, quas, largiente domino nostro Carolo excellentissimo rege, acquisivimus; in pago videlicet Pictavo Intoniacum* villam cum appendiciis suis, Bragonno* et aliis, seu et loco nuncupato Arciaco. In pago quidem Turonico Paternacum, cum adjacentiis suis Columbo et cæteris, seu locello Feriaco* ipsi cellæ adhærenti. Parique modo confirmamus ibidem in pagis Blesensi et Dunensi reicolas* illas, quas de Ragelanane* Deo sacrata ad partes sancti Martini attraximus, loca scilicet quæ vocantur Homentaria* et Culmella, cum omnibus adjacentiis suis, sicut præsenti tempore possessa sunt. Simulque largimur ibidem in pago Andegavo reicolas, videlicet Ulmum et Ambiencum* cum integritate earum; in pago vero Cenomannico Ruscriolam* et Hilariacum cum meritis earum. Hæc omnia superius nominata una cum terris, ecclesiis, domibus, ædificiis, accolis, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, farinariis, mobilibus et immobilibus, omnia et ex omnibus eisdem rebus pertinentibus, ad præfatum sanctum locum pro lucranda mercede et augmentis sanctæ congregationis hujus donamus, tradimus, simulque delegamus, ita ut ab hac die ibidem in augmentis proficiant. Unde constitui ob hoc pro devotionis amore, anniversarii* principum Apostolorum veniente solemnitate, juxta qualitatem possibilitatis, sicut Dominus affluentiam ibi dederit, omni anno fratribus sancti Senioris ministrandam*. Et quia multa sanctorum cœnobia diversas cellas sub se habere video constructas, quæso, ne a quibusdam superfluo honore fecisse dicar, præsertim cum magis pro honore sancti monasterii nostri, quam pro favore humano ædificasse me profitear. Et quamvis nunc minus optata quam desidero perficiam, precor tamen dominum ac successorem meum mox futurum, et post eum succedentes abbates, ut parvula a nobis facta ad divinam omnipotentis Dei laudem et incrementum ipsius cellæ conservent, et in eorum eleemosyna augere

* al. Turonicæ.
* al. reculas.
* al. Hunaldus.
* al. et alia ubique
* al. sita.
* Al. Antoniacum.
* al. in Burnonio
* al. Ferciaco.
* al. reculas, ercolas.
* al. Reginalonda.
* al. Ermentaria.
* al. Ulmum Ambienciacum.
* al. Ruscilaum, Ruscoilam.
* al. anniversaria.
* al. celebranda.

dignentur. Nam de his quæ fecimus indignum est aliquid minorari vel subtrahi. Quocirca satagant fideles pro Deo potius adaugmentando conservare, quam aliquid subtrahendo adnihilare: quatenus et bona illorum facta in præsenti et in futuro, sicuti et nostra fecerint, Deo auspice, conserventur. Et illud in hoc testamentulo intimare curavi, ut si fuerit ulla extranea persona, quæ contra hoc venire conata fuerit, aut de rebus ibidem a nobis datis aliquid vel etiam minimum abstrahere præsumpserit, optamus eam divino corrigi judicio. Insuper cum pulsator adstiterit, sociante fisco, auri libras tres, argenti pondera quinque, multa componat; et quod repetit non vindicet: sed præsens testamentum a nobis promptissima voluntate factum, pro stabilitate videlicet et eleemosyna dominorum nostrorum regum, et congregationis sancti Martini atque abbatum succedentium, necnon et ob refrigerium animæ meæ, omnique tempore maneat illibatum atque firmissimum. Quod et nos manu propria ab omni firmitate roboravimus, atque confratres nostros, cæterasque personas firmare rogavimus. Data VII idus Februarii, indictione XIV, anno XXIII regni domini nostri Caroli gloriosissimi regis. Actum Turonis, in monasterio S. Martini, in Dei nomine feliciter. In Dei nomine, ego Iterius, etsi indignus abbas, hoc testamentum feci devotione plenissima pro animæ meæ remedio. Signum domni abbatis. Harembertus peccator presbyter subscripsit. Zachæus, quam vis peccator, diaconus subscripsit. Garialdus diaconus subscripsit. Christianus monachus subscripsit. Aimo, quanquam peccator, diaconus subscripsit. Gualtadus monachus subscripsit. Adagarus peccator subscripsit. Lambertus peccator monachus subscripsit. Madalbertus peccator diaconus subscripsit. Haimo, quanquam peccator, presbyter subscripsit. Frambertus peccator presbyter subscripsit. Gislefredus peccator presbyter subscripsit. Gaudius, quanquam peccator, diaconus subscripsit. Audebertus scriptor et*... subscripsit.

* al. et scripsit et subscripsit.

VIII.

Ex archivo Benedictini.

Præceptum Caroli Magni pro monasterio Cormaricensi, quo concedit monachos S. Benedicti ibi constitui, et confirmat donationem illius loci factam monasterio S. Martini Turonensis.

800.

In nomine Domini Dei nostri Jesu-Christi. Karolus, Dei gratia, Francorum rex, patricius Romanorum. Omnibus fidelibus sancti Martini, qui præsenti tempore Deo serviunt in loco sancto, ubi pretiosus confessor Christi corpore requiescit, vel etiam futuri sunt temporibus posteris, abbatibus, presbyteris, diaconibus, et omnibus ecclesiasticæ dignitatis gradibus, senioribus seu junioribus, æternam in Christi charitate salutem et prosperitatem. Notum sit fraternitati vestræ, quod dilectus magister noster Albinus pia devotione postulavit nobis ut licitum haberet monachos constituere in Cella S. Pauli, quæ rustico nomine Cormaricus dicitur, qui regulariter secundum S. Benedicti statuta in ea viverent. Quem locum Iterius abbas, antecessor illius, ex comparato adquisivit et construxit, et tradidit S. Martino.

Nos vero tam piæ devotioni* illius annuere ratum duximus, eamque litteris et* sigillo nominis nostri confirmari fecimus, ne ulla post dies* illius unquam disruptio fieri potuisset a quoquam successorum illius. Nam si divina parentibus nostris nobisque pietas potestatem contulit totius monasterii S. Martini, rerumque illius facultatem dandi cui voluissemus, quanto magis nobis potestas

* al. petitioni.
* al. vel.
* forsitan die

A tribuendi ad Dei servitium perpetualiter prædictum locum? Nec fas est cuiquam regalis benignitatis spernere donationem vel confirmationem, maxime in tam pio et salubri præcepto.

Idcirco omnino jubemus ut hæc donatio nostra et jussio rata et inviolata temporibus perpetuis permaneat; nec locum illum auferri volumus de potestate S. Martini, sed ut ibi pleniter sub regula sancti Benedicti vivant degentes monachi, et habeant protectionem et subsidium ab abbatibus monasterii sancti Martini. Si hoc nostrum, quod absit, quisquam abbatum spreverit præceptum temporibus posteris, sciat se rationem reddere præsumptionis ejus Domino nostro Jesu Christo, in die magni adventus sui. Et similiter, B qui aliquid minuet de rebus quas beatæ memoriæ Iterius abbas adquisivit, comparavit, aut de rebus sancti Martini, quas ecclesiæ sancti Pauli tradidit; vel si quid idem abbas Albinus, ad cujus petitionem hanc confirmationem scribi fecimus, addiderit; vel si quislibet in antea addere voluerit in eleemosynam animæ suæ, recto ordine perpetualiter serviat fratribus loci illius. Quicumque legerit hanc chartulam, sub timore Dei hanc rationabilem scripturam diligenter conservare studeat, ut habeat gratiam Domini nostri Jesu Christi in æternum. Et ut firmius esset hoc nostrum præceptum, manu propria subter roborare decrevimus, et de annulo nostro sigillari jussimus.

Signum Karoli gloriosissimi regis. Data III C nonas Junii, anno XXXII, et XXVII regni nostri. Actum Turonis civitate, in monasterio S. Martini, ubi ipse corpore requiescit, feliciter.

IX.

Carolus Magnus monasterio Cormaricensi concedit immunitatem telonii pro navibus ad monasterium necessaria deferentibus.

E chartulario S. Martini Turon. Benedictin.

800.

Karolus, gratia Dei, rex Francorum et Longobardorum, ac patricius Romanorum. Omnibus episcopis, comitibus, domesticis, vicariis, centenariis, seu reliquis fidelibus nostris, præsentibus et futuris, notum sit quia petitione dilectissimi D fidelis nostri Albini, venerabilis monasterii S. Martini, ubi ipse pretiosus corpore requiescit, abbatis, taliter concessimus, ut monachi qui sub regula sancti Benedicti conversari videntur, in monasterio quod est constructum in honore sancti Pauli apostoli, in loco qui dicitur Cormaricus, licentiam haberent naves duas per Ligerim fluvium et Meduanam sive Sartam, et Ledum vel Viennam*, huc illucque pro necessitatibus dirigendi, ut nullum teloneum neque de sale, nec de ullis quibuslibet rebus in ullo omnino loco ipsi aut homines eorum solvere aut dare debeant. Propterea præsentem auctoritatem fieri jussimus, per quam perpetualiter jubemus ut neque nos, neque juniores seu successores nostri, memorato viro venera- E bili Albino abbati, aut successoribus suis, sive monachis aut hominibus eorum de supradicto monasterio sancti Pauli, pro ipsis navibus inquietare, aut calumniam generare, nec teloneum aut ripaticum ab eis, nec salutaticum*, nec portaticum, nec ullas redhibitiones requirere, aut exactare ullo modo præsumant; sed ad illum sanctum locum Cormaricum et ad fratres ipsos in eleemosyna nostra, nostris futurisque temporibus perpetualiter proficiat in augmentis. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, et per tempora melius conservetur, de annulo nostro subtersigillare jussimus.

* Vigenam.
* al. salvaticum.

Genesius ad vicem Hercamboldi.

Data IIII nonas Julii, anno XXXII, et XXVII regni nostri. Actum Turonis, in monasterio sancti Martini.

X.

E schedis Baluzianis et e domno Bouquet.

Præceptum Caroli Magni pro monachis S. Martini Turonensis.

Circa 800.

CAROLUS, gratia Dei rex Francorum et Longobardorum, ac patricius Romanorum, omnibus episcopis, abbatibus, virisque illustribus, ducibus, comitibus, domesticis, grafionibus, vicariis, centenariis, junioribusque nostris, atque missis nostris discurrentibus, præsentibus videlicet et futuris. Decet etenim regalis clementiæ dignitatem, ut cuncta quæ a sacerdotibus rationabilia postulata fuerint, solerti cura prospicere, et opportuna vel congrua beneficia non denegare, atque anteriorum regum acta, plenius quam pro Dei sunt intuitu, confirmare. Igitur venerabilis vir Alchuinus, abbas de basilica peculiaris patroni nostri S. Martini, ubi ipse pretiosus dominus corpore requiescit, emunitates gloriosorum regum, antecessorum nostrorum, manibus eorum roboratas, atque domini genitoris nostri Pipini, bonæ memoriæ quondam regis, nobis protulit ad relegendas, qualiter prædicti reges pro reverentia beatissimi Martini, de rebus ipsius sancti in regno, Deo propitio, nostro, Austria, Neustria et Burgundia, Aquitania, et Provincia, de omnibus rebus et facultate ipsius beatissimi S. Martini, ubi continebatur insertum ut quieti in regna superius scripta, in quibuscumque locis majoribus vel minoribus, tam quod per præceptiones, vel indulgentias, seu immunitates regum, vel a christianis hominibus atque diversis contractibus, per quæcumque instrumenta chartarum ad præfatam casam S. Martini fuit conlatum, vel delegatum, aut adhuc in antea futuris temporibus addendum, vel delegandum, confirmaverunt, ut sub emunitate nostra ipsæ res, vel ipsi homines S. Martini vivere debeant. Idcirco suprascriptus Alchuinus abbas a serenitate regni nostri petiit, ut in idipsum roborandum, bonitatis beneficium largiri debemus*. Cujus nos petitioni consentientes, et patronicia S. Martini venerantes, sicut prædecessores reges singulariter expleverunt, et nos hoc indulgentiæ donum gratanter præstitisse cognoscite. Præcipientes quippe ut omnes res ipsius beatissimi S. Martini quantumcumque in regno, Deo propitio, nostro, tam in villas et prædia majora vel modica, seu in omnes facultates beatissimi S. Martini sub emunitatis titulum consistere debeant, ut aliquis judex publicus fisci nostri in jam dictas villas et facultates ipsius sancti ad agendum, vel causas audiendum, seu ferendas*, vel inferendas exactandum, vel teloneum tollendum, seu mansiones faciendum, ne fidejussores tollendum, nullum ingressum nec introitum in ipsas villas S. Martini habere non præsumat; sed quidquid exinde ab antiquis temporibus fiscus noster tam præterito quam et præsenti tempore accipere vel exactare consueverat, omnia et *omnibus ex fisco nostro reddimus, et in luminaribus ipsius S. Martini, vel alimonia pauperum, seu stipendio monachorum, proficiat in augmentum; et nullam potestatem judex publicus fisci nostri supra prædictas villas, vel facultates S. Martini, per qualecumque ingenium ibidem habere se cognoscat; sed ab omni fiscali potestate de prædictis rebus S. Martini semper extraneus sit atque remotus stet, nec aliquas unquam occasiones inquirere, unde dispendium ad homines S. Martini facere debeat, sit ausus præsumere; sed inspectæ emunitates anteriorum regum vel nostræ præceptiones* in omnibus conserventur. Ut si quis fuerit comes, vel domesticus, seu grafio, vicarius, vel tribunus, seu qualicumque judicaria potestate succinctus, qui indulgentiam et bonitatem priorum et posteriorum regum, vel nostram præceptionem irrumpere aut violare præsumserit, sexcentorum solidorum usque ad finem auri cocti et purissimi, numerum, se cognoscat mulctandum et* ipsam casam S. Martini, vel abbates suos; ita ut ipse abbas vel monachi duas partes recipiant, vel casa S. Martini, et illa* tertia pars in fisci nostri sacellum veniat: et non delectet eos pro divino intuitu sacerdotibus indultas, vel anteriorum regum emunitates vel nostra præceptione concessas ab impiis hominibus lacerari: sed undecumque ad præsens ipsa casa S. Martini vestita esse videtur, vel antea a quibuscumque Deum timentibus vel bonis hominibus datum vel collatum fuit* sub emunitatis titulum resideat. Et quicumque ad ipsam casam Dei res eorum dare voluerint, ex nostra auctoritate habeant licentiam faciendi, et sub emunitatis titulum, absque ulla fiscali potestate, quieti resideant; quidquid fiscus consuetudinem habuerit recipiendi, in luminaribus ipsius S. Martini in nostra eleemosyna ad præsens in recisa computetur cum ipsa subsequentia; tam ipse abbas tam et successores sui omnes res ipsius S. Martini sub integra emunitate perpetualiter debeat habere et possidere. Et si ante actis temporibus per aliquam negligentiam vel tepiditatem abbatum, aut præsumtionem judicum, de ipsa emunitate quicquam minutum, irruptum, convulsum aut confractum fuerit, omnimodis ipsis auctoritatibus nostris et beneficiis restauretur, et ulterius ullus veterum, vel ullus juniorum vestrorum, aut successorum, infringere aut violare quod consensimus non præsumat; sed, sicut superius dictum est, cum plenissima emunitate in pace, cum Dei adjutorio, vel nostra gratia valeant quæ sibi data fuerunt possidere. Ut præceptio circa ipsam casam ac venerabilem ecclesiam S. Martini pro futuris temporibus valeat perdurare, manu propria eam subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signavimus.

Signum Caroli, gloriosissimi regis.

Actum Castro Landuno, in Dei nomine, feliciter. Amen.

* al. deberemus.
* al. freda.
* al. et ex.
* al. vel præceptiones.
* al. contra, erga.
* al. alia.
* al. fuerit.

XI.

E chartulario S. Martini Turon. Benedictini.

807.

Ludovici Pii pro monasterio Cormaricensi præceptum.

LUDOVICUS, gratia Dei, rex Aquitanorum. Omnibus episcopis, abbatibus, comitibus, domesticis, vicariis, centenariis, seu reliquis fidelibus nostris præsentibus scilicet et futuris, notum sit quia concessimus Fridegiso abbati ex monasterio sancti Martini, ubi ipse corpore requiescit, ut monachis Cormaricensis monasterii, qui monastice sub regula sancti monachorum patris Benedicti degere videntur, liceat duas naves*, quotquot sibi fuerint necessariæ, per omnia flumina in regno nostro, Deo propitio, discurrentes*, absque ulla consuetudine propter suas necessitates dirigere. Ad cujus concessionis auctoritatem corroborandam hoc præsens fieri jussimus præceptum, per quod imperiali auctoritate jubemus ut nullus nostrorum præsentium sive futurorum in hac regali sanctione audeat illis in aliqua parte contradicere; et ut majorem habeat in se hoc præceptum vigorem, annuli nostri impressione sigillari jussimus.

Dat. VII id. Aprilis, anno XXVII regni nostri.

* al. vel quotquot.
* al. discurrentia.

Actum Cassinogilo palatio, in Dei nomine, feliciter. Amen.

Albo ad vicem Helisachar scripsi.

XII.

E variis schedis.

Charta Helingaudi comitis pro ecclesia sancti Martini Turonensis.

813. DOMINUS noster Jesus Christus ac redemptor omnium in sancto Evangelio clara voce intonuit, dicens : *Vende omnia quæ habes, da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo*; et alibi : *Absconde eleemosynam in sinu pauperis; quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Igitur ego in Dei nomine Helingaudus, vir illuster, comes donator, admonet me divina misericordia et compunctio cordis, ut aliquid de rebus meis propriis, quas mihi pius remunerator in hoc seculum habere permisit, ut exinde ipsi Domino munus offerre debeam. Et ideo per hanc paginam donationis dono præfato monasterio S. Martini, quod est constructum in oppido Turonis civitatis, ubi pretiosus in corpore requiescit, et ubi Fredigisus abba esse videtur, vel cuncta congregatio ibidem consistens esse videtur, die noctuque ad ipsum corpus B. Martini Dei misericordiam deprecantes atque conlaudantes, dono, trado in ipsorum clericorum stipendia, qui secundum canonicam institutionem in sancto ordine sunt constituti, tam pro animabus avi mei Helingaudi, et aviæ meæ Detlanæ, et genitore meo Gauzelmo, et genitrice mea Hagresindane, quamque et pro me humili peccatore, ut Deus omnipotens de peccatis nostris indulgentiam dignatus sit nobis concedere, hoc est villam meam quæ vocatur Alamannus, quæ est constructa in pago Meldico, in vicaria Copedinse et Brociacinse, cum omnibus appendiciis suis, in quocumque pago vel loco in regno domini nostri Karoli Magni imperatoris esse videtur : in ipsa prædicta villa quæ de parte genitoris mei Gauzelmi jure hereditario mihi legibus in alode obvenit, et nunc mea videtur esse possessio; id est, in ipsa villa, tam ecclesiis una cum domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, farinariis, aquis aquarumve decursibus, adjacentiis, omnia et ex omnibus rem inexquisitam, totum et ad integrum, quantum ad ipsam villam superius nominatam in pago Meldico eo tempore, sicut supradixi, aspicit, et mea videtur esse possessio, exceptis mancipiis denominatis per numerum CLXXXII. Ea sunt Moda, Clementus, Haregildis, Gisletrudis, Michol, Heldefredus, Hagmoldus, Aganulfus, Hagmois, Hunelindis, Algia, Passiva, Franculfus, Hunaora, Hunefchildis, Elaria, Albedrudis, Agrefulchus, Waliseus, Fulberta, Hiltboldus, Hunediscus, Hagrebertus, Erimberga, Arnaldus, Madaltrudis, Ragambertus, Chalhadus, Hildebertus, Æagamberga, Flotmarus, Walechildis, Flodoldus, Agevertus, Wlfagdis, Nortmandus, Wlfegena, Godclimarus, Widradis, Wichardis, Plegtrudis, Theuthildis, Fulcoidis, Grafania, Hugoboldus, Angalindis, Angalerus, Angalmarus, Angalfredis, Ingiberga, Theuthildis, Theutagdis, Hrotfridis, Trutlindis, Theusinda, Dalgius, Albchis, Ermhadus, Algius, Ernherus, Flodoagdis, Albchildis, Adrehildis, Flodevertus, Silvetrudis, Perpetua, Ghissehelmus, Flodoicus, Walachildis, Radalgardis, Flodoara, Hrotgengus, Baldegerus, Waldricus, Isulfus, Sourisma, Ettela, Flodulfus, Salamon, Ravida, Algia, Nodoinus, Adalbertus, Gerosmus, Isnardus, Odalricus, Odalberga, Wtmundus, Hagmericus, Witmundus, Flavida, Flodoagdis, Altomus, Eureherus, Flotsiuda,

A Adalwagdis, Adalmundis, Rothgrimus, Flotherus, Hamelindis, Hagmoinus, Adalberga, Gundagrus, Wlfetrudis, Custabolus, Gerramus, Geraus, Ratfredus, Ghivo, Ghirberga, Rada, Alpildis, Adalberga, Godalberga, Ghivila, Nortmandus, Segerus, Olosanna, Flodouvis, Rothardus, Rothgerus, Haymo, Alpagdis, Ergundis, Winechildis, Wilnefridis, Amalus, Wlfia, Theutherus, Iliasts, Theuthagdis, Johannis, Wlfingus, Wlfagdis, Warlaharius, Rotgisus, Winebertus, Winemundus, Winedildis, Amalgendis, Ratgardis, Amidio, Wlflendus, Wlfegardis, Aga, Wlfara, Godalricus, Wlfingus, Wandregundis, Ermenardus, Amalricus, Sighadis, Baldetrudis, Aganulfus presbyter, Sillihardus, Frodeboldis,
B Wighardis, Godo, Bertolo, Bernelo, Electildis, Wlfildis, Adalsinda, Ragnildis, Hildeburgis, Fredoildis, Hædulfus, Gadalhagdis, Hildedrudis, Gerfinda, Bertalindis, Theutlegius, Hardegaudus, Ratbadus presbyter, Gerfulcus presbyter, Ardradus presbyter, Ghivedrudis, Angalricus, Ratlindis. Similiter et in ipso pago aliam villam quæ vocatur Saldova, cum omnibus appendiciis suis in quocumque pago vel loco in regno domni nostri Karoli Magni imperatoris esse videtur : in ipsa prædicta villa, quæ de parte genitoris mei Gauzelmi jure hereditario mihi legibus in alode obvenit, et nunc mea videtur esse possessio; id est, in ipsa villa tam ecclesiis una cum domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, cam-
C pis, pratis, pascuis, adjacentiis, appendiciis, aquis aquarumve decursibus, farinariis, omnia et ex omnibus totum et ad integrum, rem inexquisitam, quantum ad ipsam villam superius nominatam in pago Meldico, eo tempore, sicut supradixi, adspicit, et mea videtur esse possessio, exceptis mancipiis denominatis per numerum CXLIIII. Ea sunt Warherus, Winelindis, Ratchis, Grima, Evertrudis, Ratgundis, Agtegardis, Winebertus, Hildricus, Hunegildis, Hunelindis, Hildedrudis, Hildegisus, Hunegerus, Ratgaudus, Hagmaldis, Lamboldis, Adalfridus, Ermengrada, Ermenbaldis, Sigemundis, Ratfridus, Maginboldus, Widelindis, Adalardus, Godaltrudis, Frothardus, Laudois, Frautbertus, Magenis, Ragentrudis,
D Warlehildis, Theudoardus, Amalbertus, Theutgerus, Theutberga, Girhardus, Huntrudis, Ermentrudis, Eguvalent, Hunaldi, Ercanrada, Cristinovius, Adalhildis, Adaltrudis, Hunuant, Gunbaldus, Landivia, Alvia, Constantinus, Landetrudis, Warinlindis, Lautrudis, Rodraus, Allsidis, Frotbertus, Marcherus, Frudingus, Chrodois, Teutgrimus, Ansberga, Giflchardus, Gisberga, Frotherus, Autgrimus, Wlsint, Godoinus, Berta, Lantherus, Lanterus, Adalveus, Erletrudis, Adalbertus, Ratlegius, Dagchardus, Eligius, Ermenildis, Landricus, Geldoindis, Landegildis, Martina, Heringisus, Gunfridus, Sisa, Drotimius, Ratgerus, Adalgungus, Ilgia, Adalgrimus, Adalricus, Grimoinus, Lanthelmus, Ratramnus,
E Abram, Angalricus, Wlfa, Angalbaldus, Adalhildis, Odilelmus, Altorius, Elisevidis, Walatgerus, Antelgius, Agtinus, Benedicta, Gislegardis, Ermenaldus, Ermenfridus, Valentina, Doda, Ermenis, Geraldus, Gisberga, Wlfina, Gisleverga, Grimberga, Adaltrudis, Alardus, Theodulfus, Agrehardus, Adalberga, Hagrohardus, Agretrudis, Ermenildis, Waltsadis, Walcgrimus, Ermengardis, Ferlindis, Ermeutrudis, Wandulfus, Wlfrigius, Wlgrigius, Aglina, Rothildis, Celsois, Flodoara, Frothardus, Nortmandus, Deogenor, Edo, Ulfia, Gaudius, Madalbertus, Autgerus. Etiam et tertiam villam in ipso pago Meldico, quæ vocatur Ad illum mansum, quæ est constructa super fluvium Mogra, cum omnibus appendiciis suis in quocum-

que pago vel loco in regno domni nostri Karoli Magni imperatoris esse videtur : in ipsa prædicta villa, quam de parte genitoris mei Gauzelmi jure hereditario mihi legibus in alode obvenit, et nunc mea videtur esse possessio; id est, in ipsa villa tam ecclesiis, una cum mansis, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, pratis, campis, pascuis, farinariis, aquis aquarumve decursibus, adjacentiis, appendiciis, omnia et ex omnibus, rem inexquisitam, totum et ad integrum, quantum ad ipsam villam superius nominatam in ipso pago Meldico, eo tempore, sicut supradixi, aspicit et mea videtur esse possessio, exceptis mancipiis denominatis per numerum XL. Ii sunt Geroinus, Gertrudis, Sadregerus, Antegardis, Ausoardus, alius Sadregilus, Gisimbaldus, Domegardis, Elius, Eliardis, Eliernus, Sanctisma, Hildemodus, Adalindis, Hildeburgis, Bertchisus, Straderus, Winichisus, Bernefredus, Natlindis, Bertara, Winethildis, Scubilio, Wadaltrudis, Madalgerius, Aprivius, Struderus, Stephanus, Ausanna, Trutgaudus, Tridois, Aldimia, Aldrigius, Ermenildis, Avunda, Ermengisus, Hildebaldis, Walaburgus. Et in ipso pago Meldico alios mansos quos adauximus ad complendum Contrabrias super Alemannis et Saldova; et ad illum mansum qui dicitur Ad Ruborem. In Novencella mansum I, qui fuit Hunetgario : in Lunitis illum mansum qui fuit Plazidono, quem sui infantes tenent; et alium mansum de illo conquisito Agarolfi presbyteri; et tertium mansum quem Adalgerus habet; et quartum mansum quem Madalveus tenet; et quintum mansum quem Albericus tenet; et sextum mansum quem Bertlenus tenet inter Luniten et Sauseidum; et septimum et octavum mansos quem Hadanildis et filia sua Agla tenent in Lunite; et mansos duos in Lunite et in Alemannis, quos tenent Agnericus et Teudericus de parte eorum mulierum, et dimidium mansum quem ibi tenent Winechildis et Adalgundis, et dimidium quem Wanadus ibidem tenet inter Rothardum et Gherraum, et eorum heredes habent; in Ruborus mansos duos. Habet Adalberga ibidem dimidium mansum, et illum mansum de Ranouniic habet tertiam partem in Ruboro, et Salomon tertiam partem. Similiter inter Widradum et Hugoboldum et Ingalindem et Theuthadum et Wlfadum habent mansum I. In Wasconia, in vicaria Brotiacinse, Wlfegisus habet dimidium mansum in Brociaco de parte Nortmandi. Habet ibidem de illo conquisito Gotboldi mansos VI et dimidium, et illum mansum quem Sigleboldus habet in Brociaco per beneficium. Et illum mansum quem Gerefulcus presbyter et germanus suus habent in Brociaco, quem genitrix eorum dedit; et illum mansum quem Altrius habet in Latciono per beneficium. Et illum mansum quem Teudaldus habet in Latciono. Ratlegius et pater suus habent in Latciono dimidium mansum. De illis rebus, quas Isomus dedit Helingaudo in Cappiaco mansum I. Et illum mansum quem Dodo habet in Baniolis per beneficium, et illam silvam quæ est in Sauscero, et quicquid Gauzelmus de Ansegilo ibi comparavit. Sunt in summa mansi XXXV integri per diversa loca adauctivi, ut CXCV fierent de donatione Helingaudi inter istos mansos XXXV, et Saldova cum appendiciis suis, et Alemanni cum appendiciis suis, et ad illum mansum qui dicitur Ad illum Ruborum. Ista omnia superius nominata, exceptis illis mancipiis per numerum in totum CCCLXVI, quæ pro animabus nostris ingenua relaxavi cum omni re inexquisita, sicut supra est insertum, ad ipsum præfatum monasterium in stipendia clericorum qui secundum canonicam institutionem in sancto ordine sunt constituti, per donationis titulum ibidem delegavi, sicut supra commemoravimus, in eleemosyna tam pro animabus avi mei Helingaudi et aviæ meæ Betlanæ, et genitore meo Gauzelmo et genitrice mea Agresindane, quamque et pro me humili peccatore. Sed et pro usomerito de ratione ipsius monasterii S. Martini vel vestra, hoc est villa quæ vocatur Brias in pago Meldico, in vicaria Copedinse et Brociacinse, ut ipsa villa cum omni integritate, vel quidquid ad ipsam villam aspicit, et quicquid per* traditionis seu donationis in pago Vertudinse, et Cadaloninse, et Arciacinse, et Ariasinense, etiam et Moreninse, ante hos dies ad ipsam casam S. Martini delegatum fuit, et vestra adhuc est possessio, ea vero ratione, dum ego advivo, ut tam ipsas villas quas vobis dedi, quam et ipsam villam suprascriptam vel denominatam quam mihi datam habetis ad usum beneficii excolendum vel laborandum mihi præstare vel concedere deberitis, dum, Deo auxiliante, advivo : ita ut ab hac die vos, successoresque vestri, pars jam dicti monasterii S. Martini, ubi ipse pretiosus domnus corpore requiescit, ipsas res quas vobis dedi, in ea vero ratione, sicut supra dixi, habendi, tenendi, et in omnibus juste regendi in stipendia clericorum qui ad ipsum corpus Beati Martini die noctuque Dei misericordiam deprecantes atque conlaudantes non cessant, in ipsorum clericorum stipendia, qui secundum canonicam institutionem in sancto ordine sunt constituti, sicut supra dixi, liberam et firmissimam habeatis potestatem dominandi. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse, aut aliquis de heredibus aut proheredibus meis, vel quislibet ulla opposita aut emissa persona, qui contra hanc donationem istam, quam in eleemosyna mea vel parentum meorum spontanea voluntate in stipendia clericorum fieri et adfirmari rogavi, venire voluerit, aut eam infringere conaverit, aut de ipsis stipendiis clericorum, vel de ipsis rebus quas in illorum nomen condonavimus aliquid inde abstrahere aut minuere voluerit, cum Christo filio Dei, cui omne judicium traditum est ab omnipotenti Deo Patre in resurrectionis novissima die, ab ipso Filio Dei, qui est verus et unus Deus, sit adjudicatus et condemnatus in ignem æternum qui præparatus est diabolo et angelis ejus, et ab ipsa divina voce separatus sit ab omni consortio sanctorum atque justorum, qui a dextris ejus erunt congregati. Et insuper inferat una cum distringente fisco partibus monasterii auri libras C., argenti pondera L. coactus exsolvat, et quod repetit nullatenus valeat vindicare; sed præsens donatio ista a me facta in stipendia clericorum, Deo auxiliante, firma et inviolata valeat perdurare, et in seculum seculi inlæsa permanere. Actum fuit in illo mansionile, in anno XIII imperii domini Karoli in Romania, et anno XLVI regni ejus in Francia.

Ego enim Helingaudus in Christi nomine hanc donationem a me factam fieri et firmare rogavi. Signi Adaleo vicario. Signi Suroardo. Signi Odilelmo. Sig. Belegrimo. Sig. Abbone. Sig. Winardo. Signi Witgero. Signi Hildefrido. Sig. Wileghiso. Signi Erinleno decano. Signi Gernodo decano. Signi Adalgaudo. Signi Dadilone. Signi Dallone. Signi Benedicto. Sig. Ermenghiso. Sig. Adalfrido. Signi Hardoino. Signi Hildrico. Signi Wadardo. Signi Gectargo. Sig. Rothgrimo. Sig. Teutholdo. Signi Perpetuo. Signi Bertorio. Signi Waldulfo. Signi Wineberto. Sig. Drogono. Sig. Bernoldo. Signi Hongrico. Signi Aghulfo. Signi Odalrico. Signi Hriguo. Signi Benedicto. Signi Teoderico. Sig. Ragambaldo. Sig. Erghilone. Sig. Theutgrimo. Signi Angalado. Sig. Beringero. Sig. Ragamberto. Signi Angaloha. Signi Rathardo. Signi Gerfrido. Signi Herreboldo. Sig. Isinithardo. Sig. Haldegaro.

* Suppl. viam.

Signi Rothfredo subdiacono. Signi Johel. Signi Agrardo. Signi Idero. Signi Sereno.

Ego enim in Dei nomine, Hagroardus amanuensis, rogante Helingaudo, hanc donationem scripsi et subscripsi.

XIII.

E schedis Baluzianis. 816.

Ludovici Pii pro ecclesia S. Martini auctoritas.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus, divina ordinante clementia, imperator augustus. Si petitionibus servorum Dei pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium libenter annuimus, et ad divinæ potentiæ in Domino dicatis locis uberius famulandum auxilium porrigimus, id nobis procul dubio et ad mortalem vitam temporaliter deducendam, et ad futuram feliciter obtinendam commodum pervenire* confidimus. Notum igitur esse volumus cunctis fidelibus nostris, episcopis videlicet, abbatibus, virisque illustribus, ducibus, comitibus, domesticis, grafionibus, vicariis, centenariis, eorumque junioribus, necnon missis nostris per universum imperium nostrum discurrentibus, seu etiam cæteris fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia adiit serenitatem culminis nostri venerabilis vir Fredegisus, abba ex monasterio peculiaris patroni nostri sancti Martini, ubi ejusdem præclarissimi viri venerabile corpus requiescit, ferens manibus immunitates priscorum regum Francorum, nec non avi nostri Pipini quondam regis, seu etiam piæ recordationis domini et genitoris nostri Karoli, serenissimi imperatoris, quibus idem monasterium quiete in Dei servitio degere sanxerunt, et omnes res præfati monasterii in universo, Christo largiente, regno nostro, in Austria scilicet, Neustria, Burgundia, Aquitania, Provincia, Italia, et in cæteris regni nostri partibus consistentes, quæ non solum ab orthodoxis principibus, verum etiam a cæteris fidelibus collatæ, vel per quoslibet contractus et munimina chartarum, usibus* ejusdem legaliter traditæ sunt monasterii, sub immunitatis suæ defensione consistere, et ab omni publica functione et judiciaria exactione immunes liberasque reddidissent; quod munus eidem monasterio necnon et Cormaricensi cœnobio ab* rebus sancti Martini constructo exhibitum, Deo annuente, inviolabiliter hactenus constat esse conservatum. Pro firmitatis namque studio hujuscemodi beneficium erga præfatum venerabile monasterium nostra auctoritate humiliter precibus, quibus valuit, fieri postulavit. Cujus petitioni ob amorem Dei et venerationem beati Martini libenter assensum præbere usquequaque libuit. Quapropter volumus atque decernimus ut omnes res ejusdem monasterii, cum omnibus sibi subjectis, sub nostræ defensionis munimine modis omnibus consistant. Præcipientes jubemus atque præcipimus ut nullus judex publicus, aut quilibet superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator, ad causas judiciario more audiendas in ecclesias aut villas seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibusdam provinciis aut territoriis imperii nostri juste et legaliter, vel deinceps in jure ipsius monasterii divina pietas voluerit augeri, ingredi præsumat, nec freda, aut thelonea, aut mansiones, aut pastus, aut tributa, sicut præcepto domini et genitoris nostri continetur, exigere, aut fideijussores tollere, aut homines tam ingenuos quam servos super terram ipsius monasterii commanentes distringere, nec ullas publicas functiones aut redhibitiones vel illicitas occasiones requirere, quibus idem monasterium sibique subjecti aliquod in- A juste patiantur incommodum, nostris futurisque temporibus quisquam temerarius existat qui id faciendi illicitam sibi potestatem attribuere audeat. Quidquid igitur de præfatis ejusdem monasterii rebus jure fisci cedendum fuit, et a decessoribus nostris comperimus collatum, et largitionis nostræ munere libenter volumus esse per universum eidem monasterio concessum, ut id, remoto fisci dominatu, ad luminaria basilicæ B. Martini concinnanda, et ad sustentationem pauperum seu clericorum in eodem loco Domino servientium sit supplementum. Si quis autem in tantam prorumpere ausus fuerit audaciam, ut hujus præcepti nostri violator extiterit, quemadmodum in præceptione domini et genitoris nostri continetur, B non solum in offensam nostram lapsurum, verum etiam sexcentorum solidorum auri ad purum excocti se noverit pœna mulctandum, ex qua duas partes rectores memorati monasterii, tertiam jus fisci recipiat. Dignum namque et justum est ut tot piorum regum decessorum nostrorum nostrique præcepti violator hujuscemodi subeat pœnam, et ut suæ temeritatis merito arguisse cognoscat, et cæteris, ne id agere quolibet ausu pertentent, timorem injiciat, ut nullus scilicet beneficia regalia locis Deo dicatis veneranter exhibita temerare conetur. Volumus itaque atque censemus, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine memoratus abbas suique successores prædicti monasterii, C cum omnibus sibi subjectis vel ad se adspicientibus seu pertinentibus hominibus, sub immunitatis atque protectionis nostræ defensione consistant, nostroque fideliter parentes imperio, pro incolumitate nostra, nostræque conjugis et prolis, seu etiam totius imperii a Deo nobis collati, ejusque gratissima miseratione perpetuo conservandi, una cum clero sibi commisso, immensam clementiam jugiter exorent. Si quid vero de præfati monasterii rebus per tepiditatem et negligentiam abbatum, aut præsumptionem judicum, abstractum est, id per nostram auctoritatem prorsus restaurandum præcipimus. Et ut hæc auctoritas inviolabilem obtineat effectum, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, et nostris verius credatur, D manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici, serenissimi imperatoris.

Helisachar recognovi.

Data III kalend. Septembris, anno, Christo propitio, tertio imperii domini Ludovici piissimi augusti, indictione decima.

Actum Aquisgrani, palatio regio, in Dei nomine, feliciter. Amen.

* al. provenire.
* al. in jus, et juribus.
* al. de.

XIV.

Ludovici Pii pro Cormaricensi cœnobio auctoritas.

E schedis mss. Biblioth. S. Germani a Pratis Benedictin. 820.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu E Christi, Ludovicus, divina* ordinatione et providentia, imperator augustus. Omnibus fidelibus sancti Martini, qui præsenti tempore Deo serviunt in hoc loco, ubi pretiosus idem confessor Christi corpore requiescit, vel etiam futuri sunt temporibus posteris, abbatibus, presbyteris, diaconibus, et omnibus ecclesiasticæ dignitatis gradibus, senioribus seu junioribus, æternam in Christo* charitatem*, salutem et prosperitatem. Notum sit fraternitati vestræ, quia venerabilis Frigudisus ejusdem monasterii abba detulit obtutibus nostris quamdam auctoritatem domini et genitoris nostri Karoli, piæ recordationis, serenissimi augusti, in qua continebatur insertum, qualiter Albinus ejusdem monasterii quondam

* al. ordinante providentia.
* al. Christi.
* al. caritate.

abba constituit monachos in cella sancti Pauli, quæ rustico nomine Cormaricus dicitur, qui secundum sancti Benedicti statuta in ea viverent: quem locum Iterius abba, antecessor ejusdem Albini, ex comparato adquisivit et construxit, et tradidit sancto Martino. Et deprecatus est celsitudinem culminis nostri, ut quod prædicti abbates vel ipse ob amorem æternæ patriæ, stabilitatem atque confirmationem prædicti loci obtulerunt, nos, morem paternicum sequentes, nostra imperiali auctoritate corroboraremus. Quam piam deprecationem ad effectum perducere cupientes, ratum duximus hanc auctoritatem circa ipsum sanctum et venerabilem locum, ob animæ nostræ emolumentum et æternæ retributionis fructum fieri, eamque litteris vel sigillo confirmare, ne ulla post dies illius unquam diruptio fieri potuisset a quoquam successorum illius. Nam si divina pietas parentibus nostris nobisque potestatem contulit totius monasterii sancti Martini rerumque illius facultatem dandi cui voluissemus, quanto magis potestas nobis data est tribuendi ad Dei servitium perpetualiter prædictum locum! Nec fas est cuiquam imperialis dignitatis spernere donationem vel confirmationem, maxime in tam pio et salubri præcepto. Idcirco omnibus jubemus ut hæc donatio nostra et jussio rata et inviolata perpetuis temporibus permaneat; nec locum illum auferri volumus de potestate sancti Martini, sed ut ibi pleniter sub regula sancti Benedicti vivant degentes in eo, et licitum sit eis, secundum regulam sancti Benedicti, de eadem congregatione Cormaricensi abbatem eligere, et hoc non fiat nisi cum consensu abbatis ac congregationis sancti Martini, a quo locus ille semper habeat defensionem et protectionem. Et si contingeret*, quod absit, ut in eodem monasterio talis non reperiatur, qui possit prædictam congregationem secundum regulam regere, tunc liceat eisdem fratribus e vicinis locis eligere abbatem qui eos secundum regulam sancti Benedicti regat; attamen, sicut superius comprehensum est, cum consensu abbatis et congregationis sancti Martini fiat. Et placuit nobis certum numerum constituere, ut quinquaginta monachi sint, nisi Deus dederit majorem facultatem rerum in prædicto loco, ut plures possint recipi, et habeant protectionem et subsidium ab abbatibus sancti Martini. Si hoc nostrum, quod absit, quisquam abbatum spreverit præceptum temporibus posteris, sciat se rationem reddere præsumptionis suæ Domino nostro Jesu Christo in die magno adventus sui; nec aliquid minuat de rebus quas beatæ memoriæ Iterius abba adquisivit, comparavit, aut de rebus sancti Martini, quas* sancto* Paulo* tradidit, et villam quam prædictus Albinus de rebus sancti Martini, quæ dicitur Tassiniacus*, eidem loco adjunxit, seu et res quas Fridugisus abba, ad cujus petitionem hanc confirmationem scribi fecimus, ad prædictum monasterium et fratribus ibidem Domino servientibus, ad stipendia videlicet eorum, addidit, id est villam quæ dicitur Ferciacus, et villam cujus vocabulum est Antoniacus, cum Colodinia villa ad eumdem Antoniacum pertinente, quæ est in pago Pictaviensi: sed si quilibet in antea addere velit in eleemosynam animæ suæ, rato ordine perpetualiter tribuat fratribus illius loci. Nam refectionem annualem, quam de eadem villa* fratribus sancti Martini, sicut prædictus Iterius constituit, et tempore Albini acceperunt, ita semper accipiant. Quicumque hanc legerit chartulam, sub timore Dei illius rationabilem scripturam diligenter conservare studeat, ut habeat* gratiam Domini nostri Jesu-Christi in æternum: et ut firmius esset hoc nostrum præceptum, manu propria subterroborare decrevimus, et de annulo nostro sigillari jussimus.

* al. contigerit.

* al. ecclesiæ.
* al. sancti.
* al. Pauli.
* al. Talciniacus.

al. cella.

Signum Ludovici serenissimi imperatoris.

Durandus diaconus ad vicem Fridegisi recognovi.

Data nonas Martii, anno, Christo propitio, VII imperii domini Ludovici piissimi augusti, indictione XIII. Actum Aquisgrani, palatio regio, in Dei nomine, feliciter. Amen.

XV.

Præceptum Pippini regis Aquitaniæ pro Turonensi sancti Martini ecclesia.

E chartario S. Martini Benedictini. 828.

PIPINIUS, gratia Dei, rex Aquitanorum. Noverit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, solertia, quia Fridugisus vir venerabilis abba et rector ecclesiæ beatissimi Martini, patroni videlicet nostri, suggessit *serenissimi Augusti auribus pro quadam villa nomine Marciagus, quæ est in pago Arvernico ac Torlonensi, in vicaria Claromontensi sita, quæ dudum a quibusdam fidelibus per cartulas cessionis memoratæ ecclesiæ, specialiter ad vestimenta fratrum collata fuerat, quam etiam Iterius quondam abba Erlaldo, ejusdem genitoris nostri senescalco, per ejus petitionem, ea conditione, ut annuatim exinde censum persolveret, concesserat, et quam postea dominus Alcuinus successor ipsius, ejusdem monasterii rector, similiter ad petitionem genitoris nostri, prædicto Erlaldo sub eodem censu perscriptum habere permiserat, eo modo ut post decessum illius, absque ulla interpellatione aut alicujus contradictione, memorata villa cum omnibus appendiciis et rebus sibi pleniter aspicientibus, in ditionem præfatæ ecclesiæ inmeliorata restitueretur; obsecrans ut ejus consueta pietas efficeret, quatenus propter hanc occasionem, id est quia tamdiu per petitionem ejus fuerat sub censu in beneficio habita, ne aliquando possit a potestate ipsius monasterii subtrahi. Cujus suggestioni genitor noster libenter annuens, præcepit nobis ut jam dictæ res post decessum memorati Erlaldi, per illius et nostram auctoritatem, secundum præscriptam conditionem, in potestatem sancti Martini reducerentur. Sed dum hæc agerentur, sæpe dictus Erlaldus finem vivendi fecit, et nos prædictas res per missos nostros ad partem S. Martini coram multis, sicuti et factum est, reddere jussimus. Sed superius nominatus Fridugisus abba petiit celsitudini nostræ, ut pro firmitatis studio nostram præceptionem super hoc ei facere juberemus, per quam omnes occasiones quæ a malivolis hujus rei gratia objici poterant, in futurum penitus excluderentur, et ipsæ res, absque alicujus contradictione subtractioneve aut diminoratione, in ditionem beati Martini, nostris et futuris temporibus, sub nostræ tuitionis defensione, immunitatis auctoritate, sicut cæteræ res ejusdem ecclesiæ, inrefragabiliter possiderentur. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus ex fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, de prædictis rebus aliquam inquietudinem aut contrarietatem rectoribus beati Martini aut eorum procuratoribus facere præsumat; sed liceat eas per hoc nostræ confirmationis aut auctoritatis præceptum, sub genitoris nostri et nostra ac successorum, Deo annuente, nostrorum, per futura tempora, pleniter absque alicujus contrarietate, ad supplendas in vestimentis fratrum ibidem degentium necessitates, quiete ac perpetuo possidere. Nullus etiam minister publicus aut quilibet judiciaria potestate prælatus ad causas ibidem audiendas*, aut freda exigenda, vel tributa, seu mansionaticos, aut paratas, vel

* al. serenitatem genitoris nostri domini Ludovici.

* al. audiendas ingredi.

ullas redhibitiones exigere aut accipere præsumat; sed quicquid de sæpe dictis rebus exigi aut haberi poterit, totum propter emolumentum animæ nostræ, ad vestimenta fratrum curanda *, per hanc nostræ confirmationis auctoritatem plenius cedat. Et ut hæc a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris verius credatur, ac diligentius conservetur, manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

* al. ornanda.

Signum Pippini regis. Sasiabodus diaconus, ad vicem Aldrici, recognovit. Data VI idus Martii, an. XV imperii domni Ludovici, serenissimi augusti, et XXII regni nostri. Datum in Aquisgrani palatio, in Dei nomine, feliciter. Amen.

XVI.

E chartulario S. Martini Turon. Benedictini. 831.

Pippini regis pro monasterio Cormaricensi auctoritas.

Pipinus, gratia Dei, rex Aquitanorum. Omnibus episcopis, abbatibus, comitibus, domesticis, vicariis, centenariis, seu reliquis fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, notum sit quia concessimus Fridugiso, abbati ex monasterio sancti Martini, ubi ipse pretiosus confessor corpore requiescit, ut monachi qui in Cormarico monasterio, quod est constructum in honore S. Pauli apostoli, qui sub regula S. Benedicti conversari videntur, licentiam haberent duas naves per Ligerim fluvium et Viennam et Carum et Tavagum *, et per diversa flumina in regno, domino propitio, nostro discurrentia, huc illucque propter necessitates suas dirigendi; et annuimus, ne ullum teloneum vel de sale, vel de ita ullis quibuslibet rebus, in ullo omnino loco totius regni nostri, ipsi aut homines eorum solvere aut dare debeant. Propterea præsentem authoritatem fieri jussimus, per quam specialiter jubemus, ut nullus ex vobis neque de junioribus vestris, ullo teloneo *, vel pontatico, aut ripatico, sive portatico, seu modiatico, vel plantatico, aut laudatico, sive salutatico, seu cespitatico, aut pastione, sive occursu, aut ullo censu, nec ulla redhibitione, nec occasiones ullas ullatenus de ipsis navibus exigere aut exactare præsumatis; sed ad ipsum sanctum locum et ad ipsos fratres in nostra eleemosyna proficiat in augmentis, quatinus melius delectet ipsos monachos pro nobis, uxoreque nostra ac liberis nostris, vel stabilitate regni nostri Dominum exorare. Et ut hæc authoritas firmior habeatur et melius conservetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

* al. Taunacum.

* al. ullum teloneum, etc.

Suabodus diaconus ad vicem Ebroini recognovi.

Data V kal. Martii, anno XVIII imperii domini Ludovici, serenissimi augusti, et XVII regni nostri.

Actum Aquisgrani, palatio regio, in Dei nomine, feliciter. Amen.

XVII.

E chartario S. Martini Turon. Benedictini. 831.

Ludovici Pii pro monasterio Cormaricensi præceptum.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator augustus. Notum esse volumus omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia fidelis noster venerabilis Fridugisus, abbas monasterii sancti Martini, innotuit mansuetudini nostræ, quod antecessor suus, nomine Iterius, quondam ejusdem monasterii abbas, quoddam monasterium, cujus vocabulum est Cormaricus, super Angerem fluvium, a novo opere construxerit *, atque ibi monachos secundum normam sancti Benedicti vivere instituerit, ubi præsenti tempore Jacob abbas esse dinoscitur. Sed quia habitacula fratrum inibi degentium non secundum id quod regula sancti Benedicti exposcebat constructa habebantur, eadem habitacula idem ipse Fridugisus melius et honestius reformavit, et ad decorem et honestatem ejusdem monasterii ecclesiam a novo opere inibi construi fecit, et de rebus sancti Martini quæ sunt in Turonico pago, id est de villa quæ vocatur Mardoni, eamdem ecclesiam dotaverit. Propter hoc petiit ac deprecatus est nos, ut super ejusmodi facto hanc nostræ præceptionis auctoritatem fieri juberemus: quod et nobis secundum ejusdem petitionem fieri placuit; per quam præcipimus atque jubemus ut nullus ex successoribus ejus..., * videlicet ejusdem monasterii patroni nostri beatissimi sancti Martini, qualibet occasione de jure memorati monasterii Cormarici ullo unquam tempore eamdem villam abstrahere, vel aliquid de his quæ ad eam juste pertinent minuere, præsumat; sed sub omni integritate, sicut a memorato venerabili Fridugiso ad idem monasterium tradita ac delata fuit, perpetua stabilitate in ejus jure consistat. Et quidquid abbates et fratres ac agentes ejusdem monasterii de eisdem vel in eisdem rebus jure ecclesiastico facere decreverint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostræ tam nostris quam et futuris temporibus inviolabilem et inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

* al. construxit.

* In sched. Bal. frater.

Signum Ludovici serenissimi augusti.

Data VI idus Martii, anno, Christo propitio, XVIII imperii domini Ludovici piissimi augusti, indictione IX *. Actum Aquisgrani, palatio regio, in Dei nomine, feliciter. Amen.

* al. VIII.

XVIII.

E chartario S. Martini Benedictini. 832.

Diploma Ludovici Pii pro S. Martini ecclesia.

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu-Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia imperator augustus. Si locis Deo dicatis quiddam honoris conferimus, et * famulantium pacis et tranquillitatis curam gerimus, et ad ministerium suum liberius exequendum opem ferimus, hoc nobis procul dubio ad statum terreni regni corroborandum, et ad æternæ vitæ beatitudinem capessendam profuturum esse confidimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia venerabilis Fridugisus, abba monasterii sancti Martini, patroni nostri, in quo ipse corpore requiescit, innotuit altitudini nostræ, qualiter idem ipse, partim per ignorantiam, partim vero per suggestionem quorumdam hominum, quasdam villas ejusdem monasterii sibi servientibus in beneficium dedisset, quæ ad usus fratrum in eodem monasterio degentium olim deputatæ fuerant, et ob hoc vestimenta, et sumptus necessarios eis pleniter ministrare non posset. Quamobrem idem ipse, et omnis congregatio sancti Martini petiit nostræ conscriptionis auctoritatem sibi dari, per quam repulsa omnis * occasio *, nostra concessione atque permissu, easdem villas in suum dominium idem abba revocare, et tam ipse quam et successores ejus eo modo eis debita stipendia et vestimenta inde ministrare possent, quemadmodum, temporibus prædecessorum ejus, fratribus qui tunc temporis inibi consistebant, ministrabantur. Quorum petitioni libentissime annuimus, et hanc nostræ adscriptionis * auctoritatem fieri, eisque fratribus dare decrevimus, per quam decrevimus * atque jubemus, ut memoratus abba suique successores

* Supple: Deo in ecclesia.

* al. omni.

* al. occasione.

* al. conscriptionis.

* al. decernimus.

* al. ad hoc. * al. usum. * al. militaverint. — ad * easdem villas in suam * dispositionem et ordinationem habeant, ut inde fratribus qui et præsenti et futuris temporibus inibi Deo militaverunt *, sic pleniter victualia et vestimenta ministrari faciant, quemadmodum temporibus domni et genitoris nostri Caroli augusti, eis ac Ulfardo et Hiterio, hujus monasterii abbatibus, exhibita atque ministrata fuerunt. De cæteris vero villis quæ in beneficium datæ sunt, jubemus ut tertia pars de volatilibus cum ovis eisdem fratribus ministrentur *. (* al. ministretur.) Volumus etiam atque eisdem fratribus concedimus, qui et præsenti tempore inibi degere, et futuris temporibus ad inhabitandum et Deo deserviendum aggregari voluerint, ut de omnibus quæ ad sepulcrum beatissimi patroni nostri sancti Martini a Deum timentibus conferuntur tertiam partem accipiant, ad necessitates sibi consulendas, exceptis de his vestimentis et speciebus quæ ad sepulcrum illius, decoris et honestatis causa, perpetuo retinenda erunt. Cera autem et oleum ad luminaria in eadem ecclesia consummanda decernimus ut retineantur. Statuentes ergo per hanc nostram auctoritatem præcipimus, ut nullus prælatorum aut authorum hujus monasterii patroni nostri beatissimi Martini, hanc nostram concessionem atque statuta convellere, aut in alium modum immutare præsumat; sed perennis * temporibus inviolabiliter ea ut * conservent, et * suis conservari faciant. (* al. pro his. * al. et * al. et a.) Et ut hæc concessionis atque constitutionis auctoritas firmum et inviolabilem obtineat vigorem, manu propria subter eam firmare decrevimus, et more nostro signaculo bullæ nostræ insignari jussimus. Signum Ludovici, serenissimi imperatoris. Hirmimmaris, notarius, ad vicem Theotonis, recognovi. Data XVIII cal. Decemb., anno, Christo propitio, XIX imperii domni Ludovici, piissimi augusti, indictione X. Actum Turonis, monasterio sancti Martini, in Dei nomine, feliciter. Amen.

XIX.

E schedis Baluzianis. — *De Cusciaco, monasterio Cormaricensi concesso, præceptum Ludovici Pii.*

838. In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu-Christi, Hludovicus, divina repropitiante clementia imperator augustus. Si servorum Dei necessitatibus, qui ex toto seculum reliquisse noscuntur, consulimus, et eas pia sollicitudine, et imperiali providentia procuramus, ad emolumentum animæ nostræ, et ad æternam beatitudinem promerendam, hoc procul dubio pertinere confidimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus, Deo dispensante, successoribus nostris, rectoribusque atque agentibus monasterii sancti Martini, patroni nostri, ubi ipse pretiosissimus Christi confessor corpore requiescit, præsentibus et futuris, quia divino tactus amore, complacuit celsitudini nostræ quamdam villam juris ejusdem monasterii, nomine Cusciacus, ad cellam sancti Pauli, quæ rustico nomine Cormaricus dicitur, quam Itherius quondam abbas ejusdem monasterii in propriis rebus novo opere construxit, atque memorato monasterio delegavit, ob utilitates ejusdem cellæ, et necessitates monachorum inibi Deo famulantium copiosius fulciendas, per nostræ auctoritatis præceptum tradere, atque ut in ejus jure perpetuo consistat per eamdem auctoritatem delegare, cum omnibus ad se pertinentibus, videlicet domibus cæterisque ædificiis, terris, vineis, silvis, pratis, campis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, cultis locis et incultis, mobilibus rebus et immobilibus, ac res ipsas moventibus, mancipiis utriusque sexus et ætatis, totum et ad integrum, vel inexquisitum, quantumcumque ad eum præsenti tempore juste et legaliter pertinere cognoscitur; ac per hoc libuit celsitudini nostræ memoratam munificentiæ nostræ liberalitatem imperiali auctoritate firmare, et regali sanctione solemniter roborare. Proinde hos nostræ majestatis apices Audachro, qui nunc idem monasterium regere dinoscitur, successoribusque ejus, patribus videlicet ejusdem cellæ, dare decrevimus, per quos sancimus atque omnimodis præcipimus ut memorata villa cum integritate abhinc in futurum in jure et dominatione memoratæ cellæ monachorumque inibi Deo per successiones famulantium consistat, et quidquid publicis vel privatis obsequiis abbatibus rectoribusque memorati monasterii sancti Martini impendere debuit, totum ad jus et profectum præfatæ cellæ proficiat, quam in honore S. Pauli dilatatam * esse diximus; (* al. dicatam.) quatenus fabricæ ejusdem monachorumque inibi usibus Deo famulantium deserviat, atque in augmentis proficiat, et ejusdem B. apostoli Christi gloriosis interventionibus nobis divina propitiatione gloriosis interventionibus cumuletur. Et ut hæc nostræ delegationis auctoritas perpetuis temporibus inconvulsa permaneat, de annulo nostro subter eam jussimus sigillare.

Hirminmarus * notarius ad vicem Hugonis recognovit. (* al. Herimarus.)

Data XVI cal. Julii, anno, Christo propitio, XXIV imperii domini Hludovici piissimi augusti, indictione XV. Actum Theodonis villa, palatio regio, in Dei nomine, feliciter. Amen.

XX.

Pro monasterio Cormaricensi præceptum Pippini regis Aquitaniæ, de Cusciaco vel Arciniaco, et de Antiniaco et Magdonio. — *Ex archivis Benedictini.*

Pippinus, ordinante divinæ majestatis gratia, Aquitanorum rex. Si enim justis et rationabilibus servorum Dei suggestionibus aurem celsitudinis nostræ libenter accommodaverimus, et petitiones eorum, quas nobis pro necessitate sua insinuaverint, ad effectum perducimus, non solum in hoc regiam exercemus consuetudinem, sed etiam ad æternæ retributionis mercedem nobis talia facta profutura confidimus. Ideo notum sit omnium fidelium nostrorum mansuetudini, præsentium scilicet et futurorum, qualiter ad nos veniens venerabilis Otacher nomine, abbas monasterii Cormaricensis, petiit clementiæ nostræ ut villas ad ipsum monasterium pertinentes, quæ vocantur Antoniacus, Matsdomnus, Ercuicus *, Cusciacus, sitas infra regni nostri ditionem, (* al. Arciniacus.) quibus ad præsens juste et rationabiliter vestitum esse dignoscitur, prædicto per nostram auctoritatem plenissime confirmare deberemus, ut [eas] integra firmitate absque alicujus contradictione possideat. Nos vero petitioni illius adsensum præbentes, sicut idem prædictus Otacher vir venerabilis abbas precatus est, fieri non abnuimus; sed hoc per nostræ auctoritatis præceptum ita illi concessisse, et in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus ut nullus fidelium nostrorum, præsentium scilicet et futurorum, memorato abbati ejusque successoribus, de prædictis rebus infra regni nostri terminum sitis, quas ad prædictum monasterium manifestum est pertinere, tam ex prænominatis quam etiam ex ipsis quas in antea divina pietas aut per nos aut per alios jam dicto in loco augere voluerit, ullam inquietudinem aut calumniam facere, vel minuere præsumat; sed liceat prædicto abbati et successoribus ejusdem monasterii, monachisque eidem monasterio deservientibus, præ-

dictas res ordine legitimo, quiete, absque ullius potestatis interpellatione possidere, ut eos pro nobis nostraque progenie et fidelibus nostris Dei omnipotentis misericordiam melius exorare delectet. Et ut hæc auctoritas a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ firmius credatur, nec non per [futura] *tempora inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione subter jussimus sigillari.

* al. inconvulsa.

Signum Pippini gloriosissimi regis.

Albericus clericus, ad vicem Isaac, recognovit et subscripsit.

Data calendis Septembris *, indictione prima, anno, Christo propitio, xxv regnante domno Hludovico serenissimo augusto, et xxiv * regni nostri. Actum Cervario-forestæ *, in Dei nomine, feliciter. Amen.

* al. Octobris.

* al. xxiii.

* al. Monte-Convario-Forestæ.

XXI.

Commutatio villarum Hilariaci et Soduniachi, inter Audacrum abbatem et Fredericum.

E schedis Baluzianis.

840

Publicæ legis morisque privati exigit utilitas celebrari inter eos quos junxit domestica caritas pro quorumvis utilitatibus congrue domuorum commutationis solemnia. Quocirca placuit Audachro, abbati Cormarici monasterii, congregationique consistenti ibidem et viro nobili Frederico, per præcepti jus, et per potentissimi Adalardi consensum, eorum scilicet senioris, qui basilicam S. Martini tum temporis et egregio regebat munimine, in qua ipse pretiosissimus sacer corpore requiescit, et voluntatem congregationis ejusdem venerabilis loci, pro utilitate utrorumque inter se res aliquas subterscriptas intermutare. Quod et fecerunt. Primo dedit vir præfatus Fredericus Audachro, S. Pauli abbati, et ejus congregationi, villam in pago Biturico, in condita Ebunciacense, de suo beneficio, cui nomen Soduniacho, super fluviolum Acsantiam, cum omnibus ibidem commanentibus tam servis quam colonis, accolonis, libertis, cum ipsa ecclesia, terris et vineis, pratis et silvis, pascuis et perviis, aquis aquarumque decursibus et officinis, culto et inculto, quæsito et inquæsito, quicquid scilicet ad ipsam aspicit villam, aut aspicere videtur, etiam cum supraposito omnibus ædificiis. Deinde dedit Audacher abba præfati monasterii, monente vel consentiente congregatione ejusdem loci, Frederico, de rebus S. Pauli villam sitam in pago Cenomannico id condita Necdacense, super rivum Adrediuum, quæ dicitur Hilariacus, cum terris, vineis, pratis, silvis, pascuis, perviis, aquis aquarumque decursibus, cultum et incultum, et farinaria, quæsitum et inquæsitum, et cum omnibus ibidem commanentibus, tam servis quam colonis, accolonis, libertis, insuper et omnia quantumcumque ad ipsam villam pertinet, vel pertinere cernitur, cum omni integritate et supraposito ædificiis omnibus. Hæc omnia sibi dederunt et tradiderunt legali jure et a majoribus constituto; ita ut ab hac die Audacher abba et ejus successores S. Paulique potestas prædicti monasterii quicquid ex villa Soduniacho facere voluerint, quemadmodum de rebus aliis S. Pauli, liberam et faciendi in omnibus tutam habeant potestatem. Similiter Fredericus ex Hilariaco villa, quam ab Audachro abbate et S. Pauli unanimo grege accipit, faciat ut de alio beneficio suo. Præterea commodum duxerunt uterque inseri huic testamento ut si post hunc diem unus eorum, successorumve sequentium, aut oppositarum ulla personarum adversum quas commutationes ab illis libentissime uno tenore conscriptas venire, aut aliquam ca-

A lumniam generare præsumpserit, libram auri calumniatorem esse daturum digna cogente justitia, nec maledictas malivolorum aliquam valeat adversus tantam auctoritatem moliri fraudem; sed hæ commutationes omni tempore, pulso calumniatore, inviolabiles permaneant statu perpetuo.

Ego Adalardus abbas in nomine Sanctæ Trinitatis hanc commutationem manu mea confirmavi aliisque confirmari jussi.

Data in anno xxviii regnante domino Ludovico imperatore, in mense quo ipse obiit (1).

Ego Fredebertus clericus scripsi et subscripsi.

XXII.

B *Adalardus gratuitas esse jubet scholas S. Martini.*

E schedis Baluzianis.

841.

Ingens ineffabilisque nobiscum Dei patris semper misericordia, cujus gratuita clementia reatus primi hominis sorde liberamur, sive salvamur quotidie, quæ liberaliter largita est potestatem redimendi diversa peccaminum nostri commissa, sed quanto inenarrabilis, atque præcipua quam ex rebus propriis quas ipsa dedit pollicens mercedem pleni calicis frigidæ aquæ, nec non eleemosynam penitus delere delicta, sicut aquam ignem. Quamobrem ego Amalricus, levita exiguus cœnobii B. Martini, cum videam circumseptum me hinc inde delictorum pondere, ponens ante oculos ne-
C quitiarum mearum molem, sæpissime cum lachrimarum fonte, seu tormentorum gehennæ reminiscendo casus extremi diei, S. Trinitatis in nomine, pro salute animæ beatitudineque vitæ æternæ, offero creatori Deo, nec non S. Martino, domino meo gloriosissimo, quem toto effectu intentionis diligo, ut propitium merear habere Deum, sive beatissimum S. Martinum intercessorem, meisque exutus nequitiis in die obitus, ubi nullum auxilium nisi per Dei pietatem indicibilem, oblatumque in perpetuum perpetualiter esse volo res meas, quas de progenie parentum legibus præsenti tempore videar habere, seu de qualibet comparatione aut quolibet attractu, id est mansum unum indominicatum, seu alterum servile in pago
D Turonico, in villa Martiniaco*, vicaria Eveninse, cum terris, domibus, ædificiis, vineis, mobilibus et immobilibus, cultis et incultis, aliisque adjacentiis suis, sive tertium in pago Blesinse, in condita Cabriniacense, in loco nuncupato Alnarias, cum domibus, ædificiis, terris, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, cultis et incultis, quantumcumque præsenti tempore mea videtur esse possessio supradictis in locis, totum et ad integrum, de mea trado potestate in jus dominationemque B. Martini, ejusque rectoris ecclesiæ, eo quin etiam modo, sicut inferius insertum est. In hujus vero meriti compensationem ego Adalardus, rector humillimus B. Martini ecclesiæ,
E animadvertens auctoritatem divinæ sententiæ, qua præcipitur *Gratis sumpsistis, date gratis*, vidensque extra Dei præceptum in nostra schola de doctrina scientiæ exigere meritum, veluti ex cæteris mundanis negotiis, licet hæc abominabilis prædecessorum meorum temporibus increverit consuetudo, ad observationem Jesu-Christi-verborum perfectionemque, pro remedio animæ meæ æternaque retributione, atque jam dictæ pravissimæ consuetudinis per omnia exterminatione, per consensum tam clericorum quam laicorum unanimem congregationis S. Martini, concedo

* al. Mariniaco.

(1) Obiit Ludovicus imperator mense Junio 840, regni septimo et vicesimo.

etiam Amalrico, Miloni, sive Guichardo, omnes res superius nominatas et quidquid Amalricus nostri beneficii habet modo, videlicet de villa Fontanis, Curtiaco, sive Martiniaco, ea scilicet ratione ut ab hodierna die in schola jam dicta de psalmis, notis, aliisque nihil meriti quærant, vel accipiant, nisi quod sponte oblatum fuerit, sed ex supradictis omnibus rebus necessaria corporis sibi suisque collaborantibus ministrent; atque cum omni intentione, sicut Deus præcepit, devotissime laborent sine pretio, neque deinceps a me, aut ab aliquo successore, amplius servitii quæratur. Sicque quicumque post horum obitum successor scholæ extiterit instituo pro Dei amore, ut omnes res jam dictas habeat, neque aliquid meriti doctrinæ accipiat ex ea, vel licentiam exigendi habeat, nisi quod ei datum sit sponte. Et si acciderit, quod absit, ut aliquis meorum successorum hanc constitutionem, admonitione divina statutam, per hortationem alicujus malevoli violet in aliquo, libera licentia sit statim tam Miloni quam Guichardo supradictos mansos recipere ad proprium, et inde facere quidquid libuerit, jure proprietario. Mihi quoque quia hoc semper stabile sit merces permaneat. Si vero fuerit ut ego ipse, aut aliquis ex hæredibus, vel cohæredibus meis, aut alia aliunde introducta persona, quæ contra hanc seriem scripturæ venire, aut aliquid calumniæ præsumpserit inferre, quod vult nequeat obtinere. Insuper qui litem intulerit x libras auri cogatur exsolvere, et sua petitio nullo fruatur effectu; sed hæc scriptura firma et stabilis omni tempore valeat permanere.

Ego Adalardus, dono Dei abba, hanc institutionem a me factam sub signo sanctæ crucis confirmavi atque subscripsi.

Hacsinnus præpositus. S. Siuvaldus presbyter decanus.

Data in mense Augusto, anno secundo regnante domno Carolo serenissimo rege.

Ego Wichardus clericus rogatus scripsi et subscripsi.

XXIII.

E schedis Baluzianis.

Cormaricensi monasterio villæ Vidiniacum et Tannogilum concessæ.

843

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu-Christi, Karolus, ordinatione divinæ Providentiæ, rex. Si locis Deo dicatis quiddam honoris conferimus, et Deo in eis famulantium pacis et tranquillitatis curam gerimus, et ad ministerium suum liberius exequendum, opem ferimus, hoc nobis procul dubio ad statum terreni regni corroborandum, et ad æternæ vitæ beatitudinem capessendam profuturum esse confidimus. Idcirco siquidem notum esse volumus omnibus fidelibus, sanctæ Dei ecclesiæ et nostris, præsentibus videlicet et futuris, quia venerabilis Adalardus, abba monasterii sancti Martini patroni nostri, in quo ipse requiescit corpore, innotuit culmini celsitudinis nostræ qualiter idem ipse dederit quasdam villas de ratione B. Martini, Vidiniacum videlicet super flumen Agneris*, et Taunogilum* super flumen Vigennæ sitas, utrasque in pago Turonico, cum omnibus suis appendiciis, cœnobio quod dicitur Cormaricus, ejusque congregationi inibi sub regula sancti Benedicti Deo deservienti, ubi Audacher præsentialiter abbas videtur esse, pro eleemosyna genitoris nostri serenissimi Hludovici atque avi nostri domini Caroli gloriosissimi, seu pro supradictæ congregationis sustentatione, et ecclesiæ ædificatione atque hospitalitate, verum etiam pro

* al. Agnerem.
* al. Tannogilum.

A salute suæ animæ, vel uti deinceps quicumque ejusdem cellulæ rector extiterit plenius liberiusque vestimenta et sumptus necessarios fratribus ministrare queat in regum et nostram eleemosynam. Quamobrem ipse Adalardus noster fidelissimus petiit auctoritatem nostræ conscriptionis, per quam, sine qualibet alicujus mutatione, perpetuo villæ jam memoratæ, et quidquid antecessores Adalardi fidelissimi nostri concessere ejusdem ecclesiæ congregationi, sub rectoris ejus potestate quicumque fuerit et dominatione valeant esse, in usus fratrum eorumque necessaria. Cujus petitioni libentissime annuimus, necnon aurem nostræ pietatis inclinavimus, et hanc seriem nostræ auctoritatis fieri, eisdemque B fratribus dari decrevimus; per quam decernimus atque jubemus ut memoratas villas cum omni integritate congregatio sancti Pauli Cormarici monasterii, et quidquid alii abbates eidem cœnobio contulere, sub sua habeant in suos usus potestate, quatenus nostræ progeniei hoc fiat in salutem nobisque, et ipsi deinceps melius liberiusque valeant omnipotenti Deo famulari. Statuentes ergo per hanc seriem nostræ auctoritatis præcipimus, firmiterque monemus ut nullus prælatorum monasterii beatissimi Martini patroni nostri, vel quilibet regum hanc nostram concessionem atque statuta convellere aut in alium modum immutare vel imminuere præsumat, sed perennibus temporibus inviolabiliter ea conservent, C ut hujus mercedis participes esse mereantur. Et ut hæc nostra statuta omni tempore firma stabiliaque, favente Deo, valeant esse, atque ut hæc nostræ concessionis auctoritas firmum inviolabilemque obtineat vigorem, manu propria subter eam firmare decrevimus et anulo nostro assignari jussimus.

Signum Karoli gloriosissimi regis.

Æneas notarius, ad vicem Hludovici, recognovit.

Data VII cal. Martii, indictione VI, anno III regni præstantissimi regis Karoli. Actum Turonis, in monasterio sancti Martini, in Dei nomine, feliciter, amen.

D

XXIV.

Ex archivo Benedictini.

Caroli Calvi præceptum pro Cormaricensi monasterio.

844

In nomine sanctæ et individuæ Trinit. Karolus, Dei gratia rex. Si petionibus servorum Dei, divini cultus amore, aurem libenter accommodamus, eorumque necessitatibus consulimus, id nobis non tantum ad statum regni nostri corroborandum, atque præsentis ævi salutem, verum etiam ad futuram capessendam sine dubio profuturum non ambigimus. Idcirco notum sit omnibus episcopis, abbatibus, ducibus, comitibus, vicariis, centenariis, telonearii, actionariis et E missis nostris discurrentibus, et omnibus rem publicam administrantibus, seu cæteris fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque, tam præsentibus quam futuris, quoniam venerabilis Audacher abbas ex monasterio Cormaricensi, constructo in honore beati Pauli patroni nostri, præclarissimi doctoris gentium, ubi congregatio monachica sub eodem abbate monachico vivit jure, petiit culmen dignitatis nostræ....... *, ob amorem Dei et reverentiam sancti Pauli, atque salutem nostræ animæ, sive status regni nostri, ut immunes ab omni teloneo naves quotquot sint* necessariæ, per alveum Ligeris, et per* Carum, Vigennam, Meduanam, Sartam, Sequanam et..... *, vel per cætera diversa flumina ob necessitates ipsius mo-

* al. benevolentiæ.
* al. sunt.
* al. Elarium.
* al. Ledim.

nasterii fulciendas discurrere, nostra regalis decerneret auctoritas, sequens morem præcedentium regum, ut scilicet teloneum, quod scilicet annuis recursibus fiscus ex eorum navibus jure exigere poterit, ad luminaria basilicæ sancti Pauli fovenda augmentasset. Insuper etiam petiit majestatem pietatis nostræ, ut in omni hebdomada absolute mercatum juxta idem monasterium possit habere, et aliud mercatum annuale in festivitate Conversionis beati Pauli, octavo kal. Februarii, absque aliqua alicujus in aliquo contradictione, aut judicum districtione, aut alicujus census repetitione; atque ut ipsa commutatio quæ inter eumdem abbatem et Ursmarum episcopum facta est, nostra regali præceptione firmaretur, et in omnibus ita stabilis foret. Cujus precibus ob amorem Dei et reverentiam beati Pauli nobis annuere, et hoc præceptum munificentiæ nostræ fieri libuit, per quod jubemus atque decernimus ut absque ullius judiciariæ potestatis inquietudine, aut telonneariorum infestatione, liceat hominibus ejusdem abbatis suprafati suorumque successorum, ob necessitates prædicti monasterii et monachorum ibidem Deo servientium fulciendas, cum navibus, quotquot sint necessariæ, libere ire et redire super nominata flumina, seu etiam per cætera flumina regni nostri; et in quibuscumque civitatibus, oppidis, portubus, ad ripam venerint, nullus ab eis, aut ab hominibus qui eis præsunt, teloneum, aut quod vulgari sermone dicitur ripaticum, aut portaticum, aut salutaticum, aut cespitaticum, aut cœnaticum, aut pastionem, aut laudaticum, aut trabaticum, aut ullum occursum, aut ullum censum, vel ullam redhibitionem, vel cæteras hujusmodi functiones* publicas, quæ diversis nominibus vulgariter nominantur, quisquam aut accipere aut exigere penitus audeat, aut aliquam inquietudinem de mercatu in omni hebdomada generali, sive de mercatu annuali, vel de commutatione jam dicta præsumat inferre; sed potius per hanc auctoritatem nostræ regalis præceptionis deinceps, remota cujuslibet illicita contrarietate vel..*....., omnia, ut supra dicta sunt, in cunctis rata permaneant, ut necessitates ipsius monasterii absque alicujus fidelium nostrorum obstaculo procurari possint. Et ut hæc auctoritas inviolabilem obtineat effectum, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque verius credatur, ac diligentius conservetur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

* al. fructiones.

* In sch. Bal. deventione.

Signum Karoli gloriosissimi regis.

Jonas diaconus, ad vicem Ludovici, recognovit.

Data III kal. Januarii (1), anno V regnante Karolo gloriosissimo rege, indictione VII. Actum Turonis, in monasterio S. Martini, in Dei nomine, feliciter. Amen.

XXV.

E chartulario Majoris-Monasterii. 844.

Præceptum Caroli Calvi pro rebus Majoris-Monasterii.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Carolus gratia Dei rex. Si erga loca divinis cultibus mancipata ob amorem Dei, eorumque necessitatibus consulentes qui in eisdem locis supernæ pietati sedulo famulantur, beneficia opportuna largimur, præmium nobis a Domino sempiternæ remunerationis rependi minime dubitamus. Proinde compertum sit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ tam præsentium quam etiam futurorum industriæ, quia vir venerabilis Rainaldus, abbas Monasterii S. Martini majoris, quod est constructum prope Turonis civitatem, super alveum Ligeris, obtulit obtutibus nostris auctoritates immunitatis augustorum, id est gloriosæ memoriæ avi nostri Caroli beatæque recordationis genitoris nostri Ludovici, in quibus erat insertum qualiter iidem gloriosissimi imperatores præfatum monasterium, propter amorem Dei tranquillitatemque fratrum ibidem consistentium, sub plenissima tuitione et immunitatis defensione quisque in tempore magnæ suæ potentiæ consistere fecissent; sed pro rei firmitate postulavit clementiam nostram prædictus abbas, ut, parentum morem sequentes, hujusmodi nostræ immunitatis præceptum, ob amorem Dei et reverentiam divini cultus erga ipsum monasterium, fieri censeremus, quo et antecessorum nostrorum auctoritates erga memoratum locum pietatis gratia ordinatas inviolabiliter decerneremus mansuras, et a pravorum inlicitis infestationibus et callidis occasionibus redderemus securum. Insuper supplici voce innotuit culmini dignitatis nostræ, quatenus concederemus memorato sancto loco, ut quisquis ex fratribus ejusdem congregationis de colonis aut servis S. Martino olim attributis aliquem nutrierit, aut docuerit, ex quacumque sit villa aut beneficio, a nemine inde subtrahatur, sed cujus fuerit alumnus habeat licentiam, si dignus fuerit, ad sacerdotale onus provehere, sine aliqua alicujus insultatione; et hoc ob id postulavit, quia quam plurimi ex ipsis fratribus ex villis S. Martini erant diversis, etiamsi in officinis eorum aliquem habuerint servientem, cujuscumque sit conditionis, tantum ut de potestate sit S. Martini, a nemine invadatur aut subtrahatur. Cujus petitionibus libenter adsensum præbuimus, et hoc nostræ auctoritatis præceptum, immunitatis atque tuitionis gratia, pro firmitatis studio et animæ nostræ emolumento, fieri decrevimus; per quod præcipimus atque jubemus ut nullus judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, aut ullus ex fidelibus nostris, tam præsentibus quam futuris, in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones quas moderno tempore in quibuslibet pagis et territoriis intra* ditionem regni nostri possidet, quidquid ibidem propter divinum amorem conlatum fuit, quæque etiam deinceps in jus ipsius sancti loci a Deum timentibus hominibus voluerit pietas divina augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterii tam ingenuos quam et servos super ejusdem terram commanentes distringendos, nec teloneum, aut inferendas, aut rotaticam, aut ripaticam, sive portaticam, sive etiam exclusaticam, aut nautaticam, vel retiaticam, aut herbaticam requirendum, nec ullas redibitiones*, aut inlicitas occasiones ingerendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt pænitus exigere præsumat: liceat præfato abbati suisque successoribus, cum rebus omnibus ad memoratum monasterium pertinentibus, id est cum agris, vicis, villis, cum omni familia et universa possessione, quæ ad ipsam ecclesiam conlata est, vel undecumque moderno tempore, quibuscumque provinciis, pagis, locis et territoriis noscitur habere dominium, sub tuitionis atque defensionis immunitatis nostræ*, remota totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine residere; et quidquid de præfatis rebus monasterii jus fisci exigere poterat, in nostra eleemosyna in integrum eidem concessimus mo-

* al. infra.

* al. retributiones.

* al. sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione.

(1) Annus regni primus repetendus ab anno 839, et indictio inchoanda a mense Septembri.

nasterio cum prædictis alumnis eorum et servientibus omnibus, scilicet ut perpetuo tempore, ad peragendum Dei servitium, augmentum et supplementum fiat : quatenus ipsis servis Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis et conjuge proleque nostra, et stabilitate totius regni a Deo nobis conlati, et ejus clementissima miseratione per immensum conservandi, Dei immensam clementiam delectet jugiter exorare. Si autem quis nostrorum sua cupiditate aut aliqua maligna suggestione hujus præcepti immunitatis temerarius violator exstiterit, primitus multetur nostra offensione, deinde sociato fisco ac regali lege, auri libras xxx coactus exsolvat. Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris diligentius conservetur, manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Caroli gloriosissimi regis.

Æneas notarius, ad vicem Hludovici, recognovit.

Data IV Kal. Januarii, indict. VI, anno IV regni Caroli gloriosissimi regis. Actum Turonis, in monasterio S. Martini. In Dei nomine, feliciter. Amen.

XXVI.

E schedis Baluzianis.

Ursmarus archiepiscopus quasdam res sibi proprias tradit monasterio S. Martini.

845 vel 846.

Sanctorum Dei memoriis, eorumque ministris, res proprias conferre spes certissima quibuscumque, Domino testante, est in eorum æternis tabernaculis receptacula sibi præparare. Igitur ego Ursmarus, Turonicæ matris ecclesiæ archiepiscopus, dono, trado atque confirmo, confirmatumque in perpetuum esse volo ecclesiæ gloriosissimi patris S. Martini, ejusdemque fratribus, proprie disponendi res proprietatis meæ sitas in pago Turonico, in vicaria Aguliacinse, in loco nuncupato Villa-Martini, quas de Rotgario præmia donationis atque traditionis acquisivi; hoc est mansellos duos, cum omni sua integritate, domibus videlicet, vineis, virgultis, omnibusque suis adjacentiis, designatis conlimitationibus, sicuti continetur in conscriptione per quam mihi maneut in proprietate; eo vero tenore, ut, quandiu ipse advixero, maneant in arbitrii mei dispositione; post vero meum decessum, in Rotgarii et suæ procreationis dominatione, ea scilicet ratione, ut annis singulis, tempore obitus mei recordationis, in refectionem fratrum persolvant modios octo frumenti, totidemque vini; post eorum vero decessum, perpetualiter maneant fratrum sancti Martini propriæ dispositioni, nullo contradicente, absque ulla exspectata traditione, atque consignatione. Si vero post hanc diem fuerit quælibet emissa persona, quæ circa hanc donationem mea sponte factam calumniam generare tentaverit, quod repetit non vindicet, et insuper cui litem intulerit solidorum D multam coactus exsolvat. Et hæc donatio atque traditio, meis vel bonorum hominum manibus roborata, firma et stabilis omni tempore valeat permanere. In Christi nomine Ursmarus, Turonensis archiepiscopus, hanc donationem a me factam. S. Heirardus, in Christo abba. Actardus episcopus. S. Grimaldus, presbyter atque decanus.

Data in mense Junio, anno VI regnante Carolo rege.

XXVII.

E variis schedis.

Carolus Calvus dat villam Antoniacum fratribus S. Martini Turonensis.

848.

In nomine Domini ac Salvatoris nostri Jesu-Christi, Carolus Francorum et Aquitanorum, gratia Dei, rex. Si locis Deo dicatis quiddam honoris conferimus, Deoque in his famulantium pacis ac tranquillitatis curam gerimus, et ad ministerium suum liberius exsequendum opem ferimus, hoc nobis procul dubio ad statum regni nostri confirmandum, et ad perennis vitæ beatitudinem consequendam profuturum esse non dubitamus. Quapropter libuit nobis innotescere omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibusque nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia devote retulit clementiæ celsitudinis nostræ quidam regni nostri fidelissimus vir venerabilis Vivianus nobisque merito amabilis, sicut simul secundum Deum inieramus, dedisse fratribus sancti Martini Antoniacum villam ad eorum armel ansas, verum etiam instituisse per commune eorum consilium CC tantum esse in numero fratrum, vicenos singulis mensis. Insuper suppliciter deprecatus est, sua et supradictorum fratrum vice, consuetudinariam pietatem mansuetudinis nostræ auctoritatem a nostra regali potestate fieri, per quam rationabile suum factum tam in præsenti quam in posterum præsentibus temporibus immutabiliter constaret firmissimum. Cujus dignissimæ petitioni et nobis salubri libenti animo acquievimus, præceptumque regiæ nostræ confirmationis fieri jussimus, per quod statuimus, atque perenniter stabile in perpetuum decernimus, juxta prædecessorum regum morem, ut præfata villa Antoniacus, cum omni integritate suisque appenditiis, deinceps per omnia deserviat fratribus sancti Martini peculiaris patroni nostri ad illorum annuatim vestimenta, excepto mensuali atque agrario in victu eorumdem jam dudum attributo; similiterque in ordine congregationis CC sint fratres, viceni singulis mensis; ac per hoc deinde nullus aggregetur, quousque ad hunc numerum perveniat ordo congregationis; postea vero, uno decedente, in ejus locum succedat qui honestate vitæ, sapientia morum, locum queat secundum canonicam auctoritatem tenere, quatenus servitium omnipotentis Dei liberius possit peragi, et beati Martini melius in cunctis conservari; etiam quoque eadem nobilis congregatio pro nobis et genitore nostro, necnon insigni nostra prosapia clementiam cunctipotentis Dei uberius exorare. Quamobrem supplici voce et toto affectu religionis mentis nostræ, pro honore Jesu-Christi, Filii Dei, ac reverentia beati Martini præclarissimi confessoris, supplicamus per sanctam Trinitatem omniumque Sanctorum præmia, omnibus qui per diversa tempora in regno nobis a Deo commisso sunt futuri, sicut sua instituta voluerint esse perpetuo inviolata a suis successoribus, ita hoc meum conservare studeant perpetuis temporibus inviolatum in omnibus, ut hujus mecum mercedis mereantur esse participes. Et ut hæc nostræ auctoritatis præceptio perpetualiter conservetur, et a fidelibus Dei et nostris verius credatur ac reverentius conservetur, manu nostra propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus. Æneas notarius, ad vicem Ludovici, recognovit. Data cal. Maii, indict. XII, anno octavo regni Caroli gloriosissimi regis. Actum Carisiaco, palatio regio, feliciter, in Dei nomine. Amen.

XXVIII.

Ex autographo Benedictini.

Diploma Caroli Calvi pro Cormaricensi monasterio.

850.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Karolus, gratia Dei, rex. Quandocumque servorum Dei nostrorumque fidelium justis petitionibus, maxime quidem in iis rebus quæ ad gloriam summi regis Domini nostri Jesu-Christi, et ad augmentum vel exaltationem apostolici ordinis primitivæ Ecclesiæ pertinent, aurem celsitudinis nostræ annuentes accommodamus, regiæ majestatis consuetudini operam damus, hocque præcipue ad emolumentum animæ nostræ, præsentisque et futuri regni gloriam naviter capessendam B proculdubio pertinere confidimus. Ideoque notum esse volumus omnibus episcopis, ducibus et comitibus, abbatibus, vicecomitibus, vicariis, centenariis, et quibuslibet rei publicæ in omni regno nostro curam administrantibus seu gubernantibus, una cum universis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus et nostris, præsentibus atque futuris, qualiter venerabilis Audacher, abbas Cormaricensis cœnobii, adierit serenitatem culminis nostri, indicans quemdam illustrem virum, nomine Mainardum, sibi per petitionis scriptum secundum legis ordinem patratum, suppliciter postulasse ut in rebus suæ proprietatis, in pago videlicet Turonico, super fluvium cui nomen est Andrisco, in loco qui rustico vocabulo Villalupæ vocatur, C easdem res vice Christi suscipiens, cellam sub norma inibi degentium monachorum juxta loci qualitatem fundari, construi, in honorem Salvatoris nostri Jesu-Christi, ac pro viribus adornari, ob ipsius Dei omnipotentis amorem, suorumque Sanctorum venerationem omnino* decertaret. Et quoniam constat eumdem venerabilem abbatem jam dictum sub potestate et tuitione eximii et pretiosi confessoris domni Martini, una cum sibimet congregatione commissa, degere, junxit secum illustris viri fidelis nostri Viviani, rectoris monasterii ipsius sancti confessoris, consensum, et suggessit celsitudini nostræ, humiliter postulans, ut easdem res sibi suscipere nostra auctoritate liceret, ad Dei omnipotentis obsequium D ibidem perpetuo celebrandum, servorumque ejus pro vita regum statuque sanctæ Dei ecclesiæ deprecantium tutum nostræ defensionis munimine habendum refugium. Cujus petitionibus aurem nostræ celsitudinis inclinantes, assensum favore maximo præbuimus. Quin etiam tam pii laboris studio delectati, nostræ adhortationis, ut in opere liberius decertaret, piæque concessionis adjunximus fomitem; ac proinde hoc nostræ serenitatis præceptum juxta deprecationem ejus fieri jussimus, et propter quietem, quæ monachis est convenientissima, placuit ut memoratum locellum, una cum rebus omnibus ad ipsum locum aspicientibus, more regio nostræ immunitatis defensione, sub jure et dispositione suprafati abbatis E Audachri, eorumque quos ibidem constitueret monachorum, in perpetuum confirmaremus. Præcipientes ergo jubemus atque jubendo præcipimus, ut nullus judex publicus nec quilibet ex judiciaria potestate, nec aliquis ex fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostris in ecclesias aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones prædicti monasterii, quas præsenti tempore possidet, aut quas ibi divina pietas accommodaverit, in quibuslibet pagis et territoriis, ad decimas accipiendas, vel freda exigenda, aut tributa, seu mansiones vel paratas faciendas, sive fidejussores tollendos, hominesve ipsius monasterii, tam ingenuos quam et servos, supra terram ipsius commorantes, distringendos, A aut ullas redhibitiones vel illicitas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat vel exactare præsumat; quoniam quidquid fiscus exigere poterat, pro animæ nostræ remedio concedimus. Sancimus denique et omnimodis statuimus, ut idem supradictus abbas nobis carissimus et monachi sui successoresque eorum nullius unquam, pro rebus ipsius monasterii habitis vel habendis, terrenæ potestatis jugo inviti subjaceant, sed ad solius Dei servitium prædictus Audacher abbas in eodem loco de rebus omnibus ad ipsum pertinentibus jus liberum et dispositionem nostra concessione cum Dei voluntate omni obtineat tempore vitæ. Et quoniam multa quæ in præsenti puro nequaquam conspecta intuitu, in futuro certius pervidentur, ordinamus et nostra benevolentia concedimus, ut quidquid sæpe fatus abbas cum voluntate Dei et servorum ejus, de eodem loco tractans utiliter constituerit, hoc est ad cujuscumque potestatis constitutionem, post suum discessum abbatem secundum regulam S. Benedicti electum monachi ejusdem loci accipere debeant; vel si quid aliter utilius cum voluntate Dei et auctoritate regali definiens statuerit, ratum atque inviolabile super eumdem locum permaneat. Pro infestationibus vero pessimorum iniquorumque hominum quemcumque sæpe memoratus Audacher abbas aut successores ejus voluerint eligere advocatum vel causidicum, ad res ipsius monasterii inquirendas seu defendendas, liberam in omnibus habeant facultatem; ita ut omnes comites vel cujuslibet administrationis judices, sive Dei omnipotentis nostrique fideles, ad quorumcumque placitum vel ante quorumcumque judicium ipsius cœnobii advocatus venerit, pro Dei amore et nostra jussione in cunctis justis ratiociniis solatium atque adjutorium præbeant, talemque potestatem atque auctoritatem ad res easdem inquirendas sive defendendas habeant, qualem decet in rebus omnipotenti Domino oblatis atque consecratis. Et ut hæc auctoritas nostris futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inviolata permanere, manu nostra eam subterfirmavimus, et de anulo nostro sigillari jussimus.

Signum Caroli gloriosissimi regis.

Gislebertus, notarius, ad vicem Hludovici, recognovit.

Data vi kal. Julii, indictione xiii, anno x regnante Carolo gloriosissimo rege. Actum Vermeria, palatio regio, in Dei nomine, feliciter. Amen.

* al. omnimodis.

XXIX.

Ex schedis Benedictini.

Diploma Caroli Calvi, quo confirmat res Cormaricensi monasterio a Viviano, abbate S. Martini, concessas.

850.

In nomine sanctæ et individuæ Trinit., Carolus, Dei gratia, rex. Cum servorum Dei curam gerimus, et eorum maxime qui seculo penitus renunciasse creduntur, locaque in quibus degunt, beneficiis * ornamus aut opibus, communis Domini, cujus id amore facimus, misericordiam credimus nos uberius promereri. Unde notum sit cunctis fidelibus nostris, tam ecclesiasticis quam secularibus, tam præsentibus quam futuris, petiisse celsitudinem nostram Vivianum virum illustrem, rectorem sancti Martini, in quo ejus corpus venerabile situm est, ut quasdam villas, quas monachis Cormaricensibus, quibus præest modo Audacher abbas venerabilis, ante paucos dies de re sancti Martini dederat ad eorum inopiam sublevandam, quam non mediocrem in victu et vestitu patiebantur, nostro edicto eidem cœnobio firmaremus. Cujus religiosæ petitioni

* al. munificentia.

mox, ut decebat, libenter annuimus. Res autem quas prædictis monachis contulerunt *, dixit esse beneficium quod fuit quondam Godaldo, filio Godaldi, in Cambone *, Luriaco et Crisseio *; mansiones quoque in cordate de villa Reste, quæ dicuntur Ad Ruptas, quas ad compendium navium solamenque piscium, unde et eis tractum sagenæ concessit, in Ligere, de menorula villa Reste, eisdem monachis dederat. Statuimus itaque auctoritate qua possumus, hoc est pro majestate regii culminis, ut supradicta omnia prædictus Audacher ejusque successores intemerato jure possideant, neque ex ipsis vel rector sancti Martini, vel pravus quilibet quicquam præsumat auferre; sed usibus supradictorum monachorum cum omni integritate perpetuo cedant: quatenus et ipsi liberius atque, ut ita dicam, promptius deserviant *; et nos, qui eis benigne prospicimus, egregii doctoris Gentium omni tempore precibus fulciamur. Quod quam inviolabile volumus permanere ut omnibus in commune manifestius clareat, hanc nostram constitutionem, quam petenti, ut diximus, fidelissimo nostro Viviano scribi jussimus, sigilli nostri impressione, et nominis subscriptione placuit insigniri, et manu propria roborari; per quod etiam successores regni nostri sint competenter admoniti sic nostra illæsa servare, uti sua cupiunt permanere.

*al. contulerat.

* al. Cambone ac Favariis super fluvium Croiam, ac super Vigennam al. Chrysseio

* al. Deo serviant.

Signum Karoli gloriosissimi regis.

Bartholomæus notarius, ad vicem Ludovici, recognovit et subscripsit.

Data XIV kal. Martii (1), anno XI regnante Karolo gloriosissimo rege, indictione XIII. Actum Turonis, in monasterio sancti Martini, in Dei nomine, feliciter. Amen.

XXX.

Prædia data Cormaricensi cœnobio.

Ex archivo Benedictum.

851

Mundi senio sese ad occasum inclinante, etc., ego Valtarius clericus ex quibusdam rebus meis omnipotentem Dominum hæredem eligo. Quæ videlicet res sunt in pago Turonico, in vicaria Subnasce, super fluvium Bredanna, in locis nuncupatis Villare, Gomolido seu et Moncello, necnon Comberia. Has itaque prædictas res cum casis, ædificiis, appendiciis, sylvis, vineis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, farinariis, cultum et incultum, quæsitum et acquirendum, cum mancipiis ibidem commanentibus, his nominibus, Tedwino servo cum uxore sua et infantibus suis, excepto Aldrico filio suo, quem ingenuum dereliqui cum ipso manso ubi visus est manere; mansum quoque quem tenet Thetbertus cum infantibus suis, excepto ipso Thetberto et filio suo Sigoberto cum filia ejus Leofredana, quos ingenuos derelinquo; mansum quem tenet Benignus; et mansum quem tenet Rufredus cum seipso servo; et mansum quem tenet Frambertus cum uxore sua et filiis et filiabus, excepto Dedilano cum fratre suo Chisenaldo; et mansum quem tenet Armengaudus; et mansum quem tenet Amabertus; et mansum quem tenet Codovertus cum ipso servo; et mansum quem tenet Theodericus cum uxora sua, et filio suo nomine Jonam, et filia sua; et mansum quem tenet Donadus; et mansum quem tenet Fredebertus et habet in beneficio, quem ego ipse comparavi; et mansum quem tenet Berneharius; et mansos duos in villa Beria, unum quem tenet Audardus, et alterum quem tenet Amaltrudis; ipsum mansum quem tenet Audardus cum servo et uxore sua, et filio et filiabus. Hos vero servos vel ancillas superius nominatas sub conditione colonorum constitutos *, tributum amplius ut non requiratur quam unicuique mansum tenenti hebdomadam in hebdomada ij vinum aut frumentum sextarios viij, pullos ij, cum * Cambortum inter duos Carum unum.

*forsitan constitutos.

*al. cum uxis.

Has vero res per hoc testamentum promptissima voluntate ac hilarissima devotione omnipotenti Deo offero, et fratribus monasterii sancti Pauli vitam degentibus, ubi Audacher abba præesse videtur, in loco qui vocatur Cormaricus, qui est constructus in honore sancti Pauli, sub regula eximii abbatis Benedicti Deo militantes, ut pro nostris nostrorumque parentum, genitoris videlicet vel genitricis, ac fratrum meorum erratis intercedant, ac pro totius sanctæ Dei Ecclesiæ stabilitate divinam clementiam implorent. In hac ergo voluntate et devotione res superius prædictas præfatis monachis Cormaricensis cœnobii, ob amorem Dei et sancti Pauli sanctique Petri ac cæterorum Sanctorum, quorum ibidem reliquiæ venerantur, per hanc epistolam vel testamentum tradita *, ut ab hac hodierna die nec parentum nec cuibilet procerum vel principum imperio subjaceant, sed prædicti fratres prædictas res jure hereditario teneant atque possideant. Unde censum in vigilia apostolorum Petri et Pauli, quæ evenit III kal. Julii, annis singulis in eleemosynam nostram in pane et vino ac piscibus, vel in libra argenti una, fratribus S. Pauli tribuatur... Et illud mihi inserere placuit, si fuerit aut abba aut aliqua potestas, qui istas res aut donare in beneficio, aut commutare aliquid voluerit, liceat ipsas res superius præfatas propinquis meis, qui mihi proximiores affinitate fuerint, in suo revocare dominio, aut jure hæreditario possidere; unde unam traditionis vel donationis epistolam Cormarico derelinquo, alteram propinquis meis simili inscriptione dimitto. Deprecor etiam ac suadeo charitati vestræ, ut in vigilia prædictorum Apostolorum pro anima mea, ac genitoris mei, ac genitricis, unusquisque presbyter missam celebret unam, et cæteri fratres psalmos decantent decem, etc. Si autem fuerit ullus hæredum meorum, etc., fisco auri libras XV, argenti pondera XL coactus persolvat, etc.

* forte tradidi.

Authertus, presbyter et decanus, signo suo corroboravit. Signum Arduini clerici. S. Alcharii. S. Corbonis.

Data kal. Februarii, anno XI regnante domino Karolo rege. Actum Turonis civitate, in concilio publico. Latharius notarius scripsit.

XXXI.

Donatio Petrucii Miloni et Guichardo a fratribus Cormaricensibus.

E schedis Baluzianis.

In Dei et Salvatoris nomine Jesu-Christi, Audacher abbas et sancta fraternitas Cormaricensis cœnobii S. Pauli, doctoris egregii, omnibusqui vera religione censentur fidelibus compertum esse volumus quod quidam viri vera in religione præclari, nihilominus titulo generis magno cum nomine præcipui, animo etiam et corpore fratres germani Milo atque Guischardus, inspirante eos ferventissima charitate, sine qua nihil perfectum, nil firmum, nil tutum constat valere, petierunt a nobis ut res, quas quidam, Guarinus nomine, S. Paulo nobisque jure legali tradidit, sitas in pago Turonico, in vicaria Dolinse, in loco qui dicitur Petrucius, super fluvium Agneris, cum ipsius 856.

(1) Hic primus regni annus ab anno 840 repetendus

jam dicti viri consensu, ipsis concederemus, eo scilicet modo, ut ipsas res, in eleemosynam sui eorumque patroni olim præsulis Amalrici venerabilis, ac in utilitatem sancti Pauli ecclesiæ, et fratrum ibidem Deo servientium, amplificare et emeliorare et construere devotissime studerent : quibus eorumque veneranda atque laudandæ petitioni ego Audacher abbas, et sancta fraternitas mihi a Domino commissa, obsequentes pio studio ipsorum tam devoto, pio etiam et commodo nostro tam utili, tam pio, humanitate simul seu liberalitate erga nos excellenti, eum vero, sicut supradictum est, in eleemosynam sui, eorumque præfati patroni permittimus iisdem clarissimis viris, atque hilari corde concedimus, ut liberam ac firmissimam habeant potestatem ex supradictis rebus ad utilitatem ecclesiæ S. Pauli, et fratrum nostrorum Deo famulantium, Domino adminiculum tribuente, eas exstruere, amplificare et emeliorare, quo semina quæ nunc cum beato Paulo detritis ærumnis hujus nequissimi seculi cum labore et lacrymis jaciunt, postmodum optatum fructum cum eodem doctore, Domino benigniter annuente, reportent. Hæc paucis digesta obsecramus obtestamurque per Dominum et in Domino successores nostros prælatos subditosque, qui futuri sunt, ut hanc descriptionem tam honestam, tam utilem, tam nobilem et necessariam, cum tantis præcipuisque viris confirmatam, nullus infirmare præsumat, aut sine utrorumque consilio supradictas res ex potestate ipsorum devotissimorum virorum auferre præsumat. Si quis, quod non credimus, contra ire voluerit, sciat secum Domino nostro Jesu-Christo rationem exsequi in die tremendi magnique adventus sui, etc., etc.

Audacher abba hoc decretum a me factum relegi et scripsi. Yvo monachus et diaconus recognovit, etc.

Data in mense Maio, an. XVI regnante Carolo rege.

Adelardus, monachus atque indignus presbyter, signavit.

XXXII.

F. I. Moan. *Capitula Herardi archiepiscopi Turonensis.*

858. In nomine Dei solius, ego Herardus immerito Turonensium pontifex, anno Incarnationis Dominicæ 858, ordinationis quoque nostræ III, indictione VI, cernens ecclesiam mihi commissam partim negligentia, tempore, vel desidia, partim præsidentium incuria sacerdotum atque ignavia, variis et innumeris cladibus affici, excidiis concuti, et, quod dictu actuque gravius fore comperimus, diversis animarum laqueis, ac quotidianis erroribus deperire; instinctu ut credimus miserationis supernæ, perpaucula, eaque admodum necessaria, sacrarum admonitionum collecta capitula, sacerdotum totius nobis creditæ parœciæ, generali in urbe sedis nostræ coadunata 17 cal. Junii synodo, publice recitari, et, ut ad omnium præsentium notitiam et intelligentiam pervenire valerent, coram cunctis perlegi fecimus et revolvi. Et quoniam auctoritas sacra canonum nulli sacerdotum canones ignorare permittit, ne quemquam in reliquo nobis commissorum hujus ordinis expertem noverimus canonum, decrevimus, pariterque injunximus, excerpta per nostri laboris studium hæc modica succinctaque capitula unumquemque habere in posterum.

Caput I. Ut in synodo prius generales causæ, quæ ad normam totius Ecclesiæ pertinent, finiantur; postea speciales ventilentur.

II. De die Dominica; ut a vespera usque ad vesperam celebretur; et ut servilia opera, et verba turpia, atque mercata, causarum audientiæ, conventusque publici absque ecclesiasticis prohibeantur.

III. De ignotis angelorum aliorumque sanctorum nominibus, ut non recitentur : et de maleficis, incantatoribus, divinis, sortilegis, somniariis, tempestuariis, et brevibus pro frigoribus, et de mulieribus veneficis, et quæ diversa fingunt portenta, ut prohibeantur et publicæ pœnitentiæ mulctentur.

IV. Ut clerici per tempora constituta ad ordinationem gradatim veniant, et non confuse; et ut fides et vita eorum, libertas et tempora inquirantur.

V. De usuris omnibus fidelibus prohibendis, clericis ac laicis; et de mensuris et ponderibus, ut justæ et æquales habeantur.

VI. Ut nec clerici, nec monachi, ad sæcularia negotia transeant.

VII. Ut si clerici, aut monachi, inter se habent negotia, apud episcopum finiantur et non apud sæculares; sin alias, excommunicentur.

VIII. Ut nullus laicorum quemquam clericorum, absque permissu episcopi, compellat ac causas ire ad publicum; et qui fecerit, donec corrigat, ab Ecclesiæ societate pellatur.

IX. Ut fides prædicetur omnibus fidelibus a presbyteris, incarnatio, passio, resurrectio, et ascensio, Spiritus Sancti datio, peccatorumque remissio, quæ fit in eodem spiritu et in aqua baptismatis in gremio sanctæ matris Ecclesiæ : et vitia, maxime quæ criminalia, vetentur, virtutesque doceantur.

X. De jejuniis quatuor temporum, et aliis pro diversis necessitatibus constitutis, ut non solvantur, nisi certis infirmitatibus.

XI. De his qui irrationabiliter peccant, aut cum consanguineis, ut acrius judicentur, quatenus hujusmodi vitia abscidantur.

XII. De perjuriis, sacrilegiis, et ebrietatibus prohibendis; et ut testes jejuni jurent ac prius de perjurio moneantur; ut nullus infra annos quatuor decim testis suscipiatur; et quod semel perjurati ad testimonium non recipiantur.

XIII. De honore et adjutorio parentibus exhibendo.

XIV. Ut incesta omnia, juxta modum culpæ, absque exceptione personæ, a presbyteris judicentur; et ut tempore opportuno publica crimina ad notitiam episcopi deducantur, maximeque in die magno cœnæ reconciliandi, vel adhuc suspendendi, per proprium presbyterum, vel per legatum ipsius eumdemque presbyterum, cui causa ipsius criminis bene habeatur cognita, ad præsentiam episcopi deferantur, ne anima fratris, negligentia vel otio sacerdotis, absque reconciliatione permanens, periculo pereat.

XV. Ut vaniloquia omnisque tumultus in ecclesia caveantur; et ante missam completam non exeant, et verbum Dei intente audiant.

XVI. De oratione Dominica, et Symbolo, ut memoriter omnes teneant, et Gloria Patri, ac Sanctus, atque Credulitas, et Kyrie Eleison a cunctis reverenter canatur. Psalmi similiter distincte a clericis. Et ut Secreta presbyteri non inchoent, antequam Sanctus finiatur, sed cum populo Sanctus cantent.

XVII. Ut scholas presbyteri pro posse habeant, et libros emendatos.

XVIII. Ut hospitalitatem ante omnia diligant; et ut viduarum, peregrinorum, orphanorum, atque infirmorum, curam et sollicitudinem habeant.

XIX. Ut conversationem fœminarum earumque A accessum et administrationem detestentur. Sin alias, velut contemptores canonum ab ordine deponantur, et quibus ministrare necessaria decernunt longe eis domos prævideant, in quibus non per se, sed per ministros subsidia porrigant.

XX. De vasis et vestimentis ecclesiasticis pro pignoribus absque licentia episcopi non dandis, et datis recipiendis.

XXI. Ut in infirmitate positi absque dilatione reconcilientur, et viaticum viventes accipiant, et benedictione sacrati olei non careant.

XXII. Ut pro chrismate annis singulis de omni ministerio duo presbyteri veniant, ut si unus infirmatur, alter sufficiat; et ut pariter sacra officia ejusdem diei persolvant, et ut chrisma pro B subvertendis judiciis nemini detur, et ut sub sigillo custodiant.

XXIII. Ut nulla fœmina veletur sine licentia episcopi; et ut ante triginta dies non veletur, et hoc cum consiliis parentum ac vicinorum.

XXIV. De mulieribus, ac laicis, ut ad altaria non accedant; et ut sacramenta et panes sanctorum, exceptis quæ offerunt, non tangant.

XXV. Ne leviter aut passim quisquam excommunicetur, et nullus cogat bibere, vel inebriare.

XXVI. Ut nullus pœnitentem cogat manducare vel bibere, nisi redemptio permissa sit; ita tamen ut prius pro eo donet coram ipso redemptionem.

XXVII. Ut patres et patrini filios vel filiolos erudiant et enutriant : isti quia sunt patres, et C isti quia fidejussores.

XXVIII. Ne presbyter solus missam cantat. Non enim potest dicere : Dominus Vobiscum, Sursum Corda, etc.

XXIX. Ut nullus presbyter alterius parœcianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, absque licentia sui presbyteri ad missam recipiat vel sollicitare præsumat.

XXX. Ut suis terminis contentus unusquisque existat, nec ex alienis quicquam expetat.

XXXI. Ut nullus pretium pro baptismo accipiat; et ut certis temporibus Paschæ et Pentecoste baptismata fiant, et hoc in vicis, excepta causa infirmitatis.

XXXII. Ut ecclesiæ antiquitus constitutæ nec D decimis, nec ulla possessione priventur, nisi summa exposcat utilitas.

XXXIII. De ecclesiis, vel altaribus ambiguis, similiter de infantibus, ut consecrentur et baptisentur : quia quod non constat factum, nulla ratione videtur iteratum.

XXXIV. Ut in domibus ab episcopo non consecratis nemo missam quacumque necessitate celebret : ex vasis et vestimentis similiter nemo missam cantet.

XXXV. Ut decimæ et fideliter a populis dentur et canonice a presbyteris dispensentur, et annis singulis rationem suæ dispensationis episcopo, vel suis ministris, reddant : ne forte damna fraudium subigant, aut necatores pauperum subtra- E hendo utilia, quod absit, existant.

XXXVI. Ne in quinta vel sexta generatione copuletur conjugio, et usque ad septimam generationem progenies observetur.

XXXVII. Quod non liceat mulieri velum, aut sponte, aut coacte semel susceptum, quacumque ratione rejicere, licet in domibus propriis vestes mutarint.

XXXVIII. Ut nullus filium vel filiam a fonte suscipiat, nec eam ducat cujus filium tenuit; quod si inventi sunt, separentur.

XXXIX. Ut doceantur plebes nulla contra episcopos graviter vel leviter agere, nec ipsis detrahere; sed humiliter ac reverenter in cunctis obedire, et quod eorum injuria referatur ad Deum, cujus summa legatione funguntur. Et ut reges vel principes, pro quibus orare quibusque propter Deum subdi præcipimur, nullus maledicere vel detrahere præsumat.

XL. De manso integro unicuique ecclesiæ, absque censu vel temporali servitio, dando; et quod omnes dotes ecclesiarum ad jura pertinent episcopi.

XLI. Quicumque viduam infra triginta dies viduitatis invitam vel volentem acceperit, ultra eam non adtingat, et adulterii pœnas luet.

XLII. Ut incestuosi et qui decimas non dant, non constringantur per guadios, vel sacramenta, sed ecclesiastice corrigantur.

XLIII. Ut presbyteri per mercata non discurrant, nec indiscrete domos circumeant, et comessationibus et ebrietatibus non inserviant, ne famam malæ opinionis incurrant.

XLIV. Ut res quas in sacris ordinibus adquisierint propriis ecclesiis derelinquant : hereditarias vero juxta arbitrium propriæ voluntatis distribuant.

XLV. Ut presbyteri aquam benedictam cum suis populis in circuitu ecclesiarum deferant : et ut scrutinia in locis et temporibus constitutis non negligant.

XLVI. De ædificationibus ecclesiarum, ut nullus antea fundamentum jaciat, donec episcopus veniat, et in medio crucem figat; et sic accepta dote construendi licentiam tribuat.

XLVII. Ut episcopus presbyter de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat : nec quisquam inferioris ordinis clericus.

XLVIII. Si presbyter aut diaconus deserit ecclesiam suam, deponatur nisi petione populi, licentiaque episcopi, et utilitate majori.

XLIX. Ut presbyter non amplius quam unam ecclesiam habeat, sicut et vir unam uxorem.

L. Ut presbyteri et diaconi, si in bella cum armis processerint, ita deponantur, ut nec laicam communionem habeant.

LI. Si quis a synodo, vel a proprio fuerit excommunicatus episcopo, et ex ministerio sacro quicquam contigerit, nullatenus spem restitutionis inveniat.

LII. Ut qui aquam consecratam vult accipere in Sabbato sancto, vel Pentecoste, ante infusionem chrismatis sumat, nam illa chrismatis mixtio ad regenerandos pertinet.

LIII. Ut populus prædicetur, ut oblationes Deo offerant, et ut tertia Dominica, vel quarta, communicent, abstinentes se a luxuria propriisque uxoribus, et reliquis illicitis : nisi forte criminalibus culpis sint impliciti.

LIV. Ut signa pulsentur horis canonicis, et ut nullus se per ambitionem alteri præferat, sed omnes agnoscant tempus suæ ordinationis.

LV. Ut nemo a sacro fonte aliquem suspiciat, nisi Orationem Dominicam et Symbolum juxta linguam suam et intellectum teneat; et omnes intelligant pactum quod cum Deo fecerunt.

LVI. Ut presbyteri chrisma, oleum et eucharistiam semper habeant, ut parati inveniantur.

LVII. Ut omnes primitiæ frugum benedictionis gratia ad ecclesiam deferantur.

LVIII. Ut exsequiæ mortuorum cum luctu secreto et cordis gemitu fiant : et Psalmos ignorantes, Kyrie Eleison ibi canant, et ut triginta diebus amici et parentes pro eis agant.

LIX. Ut presbyteri de occultis jussione episcopi pœnitentes reconcilient : et, sicut supra præmisimus, infirmantes absolvant et communicent.

LX. Mulier post partum statim ut voluerit, nisi

forte sit adultera, inter ecclesiam ac Deo referat gratias.

LXI. De festivitatibus anni, quæ feriari debeant, id est Natali Domini, S. Stephani, S. Joannis, et Innocentium, octavas Domini, Epiphania, Purificatione S. Mariæ et Assumptione, Assensione Domini, et Pentecoste, missa S. Joannis Baptistæ, Apostolorum Petri et Pauli, S. Michaelis, atque Omnium Sanctorum, S. Martini, et S. Andreæ, et eorum quorum corpora ac debitæ venerationes in locis singulis peraguntur.

LXII. Ut diebus festis jejuniorum a conjugibus se abstineant, quia non est concessa uxor causa libidinis, sed filiorum, et omnia prohibeantur illicita, parcaturque a licitis.

LXIII. Ut privilegia ecclesiis concessa maneant incorrupta : et qui corruperit pœnas luat sacrilegii.

LXIV. Laicis, quamvis religiosis, de ecclesiæ negotiis disponendis nulla tribuatur facultas, quia ad ipsorum damnationem pertinet.

LXV. Omnia quæ Deo offeruntur consecrata habentur, in vineis, terris, sylvis, utensilibus, vestimentis, pecoribus, et reliquis possessionibus; ut quæ ecclesiæ sunt, sine dubio Christi, qui sponsus ejus est, sint.

LXVI. Quod conjunctio spiritalis commatris maxime sit peccatum, et ideo separandum, et capite vel exilio damnandum.

LXVII. Quod debeant viri uxores suas diligere eisque ut vasi inferiori custodiam et omnia necessaria providere.

LXVIII. Quod omnis ordo clericorum episcopo suo subjectus maneat, et ad ejus judicia concurrat, nihilque sine eo præsumat; quod qui fecerit, degradetur.

LXIX. Ut excommunicatis nemo communicet, nec perturbatoribus ecclesiarum se misceat.

LXX. Ut criminosus locum accusandi non habeat, et qui unum crimen non approbat, ad aliud non admittatur.

LXXI. Ut nullus accusationem suscipiat, priusquam rebus suis restituatur.

LXXII. Nemo accipiat ecclesiam sine datione, et consensu proprii episcopi.

LXXIII. Ut discendi gratia ad civitatem, vel ad loca constituta, presbyteri veniant quadragesimali tempore.

LXXIV. Ut de incestis, infirmis, pœnitentibus et mortuis, omnem sollicitudinem et curam habeant presbyteri, et concubinas omnino prohibeant.

LXXV. Ut jejuni ad confirmationem veniant perfectæ ætatis, et moneantur confessiones dare prius, ut mundi donum S. Spiritus valeant accipere.

LXXVI. Ut omni anno parochias episcopi girent, et ut presbyteri rationem sui ministerii, ac creditorum omnium ipsi reddant.

LXXVII. De venditionibus sepulcrorum, et de his qui pro sepulturis munera exigunt, ut severiter puniantur et distringantur.

LXXVIII. Ne presbyter benedictionem publice fundere super populum præsumat.

LXXIX. Qui ecclesiam tricennarii jure possederit, nulli deinceps subtrahere liceat.

LXXX. Quod eamdem pœnam passurus sit accusator, si convincere non potest, quam reus, si victus fuerit.

LXXXI. Qui res ecclesiæ invadunt, vastant, vel diripiunt, si monente episcopo non se correxerint, excommunicentur.

LXXXII. Ut laici infra cancellos non stent, et ut oblatio populi foris septa recipiatur.

LXXXIII. Qui sabbato Paschæ usque ad noctis initium non jejunant excommunicentur, et a Paschali communione secernantur.

LXXXIV. Quod in omni causa capitali, seu status, non per advocatum, sed per personam sit agendum.

LXXXV. Ut presbyteri ab omnibus vitiis se caveant et subjectis ducatum cœlestis vitæ præbeant.

LXXXVI. Ut presbyteri domos religiosas habeant, et nitida vestimenta.

LXXXVII. Ut regulariter pœnitentias dent, et in judicando æquitatem habeant, et munera inde non exigant.

LXXXVIII. Mulier quæ dormiens filium suum opprimit, sex annis pœniteat; vir ejus, si in domo fuerit, quatuor; si in uno lectulo simili modo, duos in pane et aqua, reliquos ad arbitrium sacerdotis, juxta qualitatem personæ et fletum pœnitentis.

LXXXIX. Ut sponsus et sponsa cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicantur, et legibus sponsetur ac dotetur et a paranymphis custodiatur, ac publice solemniterque accipiatur, biduo ac triduo abstineant, et doceatur eis ut castitatem inter se custodiant, certisque temporibus nubant, ut filios non spurios, sed hæreditarios Deo et sæculo generent.

XC. De his qui missas canunt et non communicant, quomodo possunt dicere : Sacramenta quæ sumpsimus, etc., etc.

XCI. Ut bis in anno concilia celebrentur, et nemo plus in unoquoque quam quindecim diebus remoretur.

XCII. De interdictis, quod qui interdicta canonica servare contempserit, gradus sui periculo subjacebit. Item, si quis sacerdotum vel clericorum contra interdicta canonum fecerit, a suo est officio submovendus.

XCIII. De Pascha annotina ut rememoretur.

XCIV. De litania Romana VII kalendas Maii, ut rememoretur.

XCV. De diebus Rogationum, ut reverenter ac studiose absque turpibus jocis et verbis celebrentur; ut nullus in eis prandia, comessationes, diversasque potiones per diversa loca facere præsumat.

XCVI. De lectionibus vigiliæ Paschæ et Pentecoste.

XCVII. De octo diebus Paschæ, qualiter feriari debeant, et de Pentecoste.

XCVIII. De dilatione temporum erga eos qui ad sacros ordines provehuntur. Qui se divinæ militiæ mancipari desiderat, sive inter lectores, sive inter exorcistas, quinquennio teneatur; exinde acolytus vel subdiaconus quatuor annis stet; et sic in benedictione diaconatus si meretur accedat; in quo ordine quinque annis, si inculpate se gesserit, hærere debebit, et postea probatus sacerdos efficietur.

XCIX. De confessione scelerum, manifestum est eum confiteri crimen, qui indulto et de legato sibi judicio purgandi se ratione non utitur. Nihil enim interest utrum in præsenti examine omnia quæ de eo dicta sunt comprobentur, quod ipsa ejus absentia pro confessione consistat.

C. Quod pœnitenti nulla lucra negotiationis exercere conveniat, et ut injusta populi petitio effectu careat.

CI. Accusatores calumniosos, vel suspiciosos, nemo suspiciat, nemo audiat.

CII. Accusatores et accusationes, quas sæculi leges non admittunt, canonum quoque decreta removent.

CIII. Quorum fides, vita, et libertas nescitur, non possint sacerdotes accusare, nec viles personæ, nisi in propriis causis.

CIV. Si quis clericus in criminali vel leviori causa pulsatur, vel in discrimen capitis accersitur, non statim reus æstimatur qui accusari potuit, nec subjectam innocentiam facimus; sed quisquis ille est qui crimen intendit, ad judicium episcopale veniat, nomen rei indicet, vinculumque inscriptionis arripiat, cognoscat similitudine habita prius dignitatis æstimationem, nec sibi fore licentiam rei mentiendi; calumniantes ad similem vitam poscat similitudo supplicii.

CV. Ut presbyteri modum proprium recognoscant; id est, quæ alterius sunt non appetant, nec altaria submoveant, vel cætera prohibita agant; et ut ecclesiæ luminibus cæterisque decorentur ornatibus; et ut presbyteri missas cum sandaliis celebrent.

CVI. Ut sacerdotes de incognitis sibi rebus nihil judicare præsumant, priusquam cuncta quæ gesta sunt veraciter audiant, et neminem lædere vel detrahere, nec quemquam ante justum judicium damnent, nec proprio arbitrio judicent; prius probent, et sic judicent. Non enim qui accusatur, sed qui convincitur, reus est; et neminem lædere vel detrahere sine causa concedant, exemplo Mariæ, quæ Moysi propter Æthiopissam detraxit, et lepræ immunditia mulctata est, et David in Saul unctum, licet nosset a Deo abjectum et reprobatum, manum mittere timuit. Similiter et nos vituperationis manum ab omnibus fidelibus subtrahamus.

CVII. Ut presbyteri, sicut ordine sanctiores, ita verbo, incessu et actu sint reverentiores; quia celsitudo graduum graviorem peccati fecit cumulum.

CVIII. Ut presbyteri et clerici ante se joca turpia fieri non permittant; sed pauperes et indigentes ad mensas secum habeant, et legatur eis lectio.

CIX. In ecclesiis, vel in domibus, earumque atriis placita sæcularia minime fiant.

CX. Qui rapiunt fœminas, furantur, vel seducunt, licet ipsis et parentibus conveniat, eas uxores non habeant.

CXI. Ne ullus laicorum plusquam duas uxores habeat; quod vero extra est, ad adulterium pertinet; similiter et mulier.

CXII. Ut in christianorum non saltetur nuptiis; et a quinquagesima usque octavas Paschæ non fiant nuptiæ.

CXIII. Ut clerici in quacumque seditione arma detulerint, post depositionem gravi pœnitentiæ in carcere retrudantur; aliter si armis, sagis, vel sabeis usi fuerint, deponantur.

CXIV. Quando populus ad ecclesias venerit per dies solemnes, aut communiter Kyrie Eleison cantent, aut singulariter orationem dicant, et in ecclesia cum silentio, et prostente et pro omni populo Dei orent, corda semper ad cœlum habentes erecta; et moneantur ut luminaria, incensum et bucellas et fructuum primitias afferant, sicut scriptum est : *Honora Dominum de tua substantia*. Et in eisdem sanctis diebus, nec in plateis, nec in domibus cantica turpia, vel luxuriosa, saltationes, vel lusa faciant diabolica; sed aliquem sapientem et bonum hominem conveniant, et ibi bonis lectionibus, quæ ad animæ salutem pertinent, intendant. Revertentes de ecclesia similiter cantent, et eorum pastores exeuntes vel redeuntes ad campos, ut vera christianitas in eis agnoscatur.

CXV. Moneantur omnes fideles de charitate et hospitalitate, ut noverint quia vera est charitas Deum diligere plusquam se, et proximum tamquam se, et qui nihil vult facere alii quod sibi non vult fieri. Qui enim in cibo et potu, dandis et accipiendis rebus charitatem putat, errat, dicente Apostolo : *Regnum Dei non est esca et potus, sed justitia et pax*. Sed et si ipsa cum studio charitatis fiant, bona sunt, et inter virtutes computanda : aliter sæculi actus sunt.

CXVI. De orationibus, et eleemosynis, et missarum celebrationibus pro fidelibus defunctis agendis, quibus impii carere debent, quoniam nec eorum eleemosyna a sacerdotibus vel reliquis fidelibus accipienda est, nec sepultura fidelium tribuenda.

CXVII. Quod non valeant Scripturæ contra decreta canonum, vel sancita Pontificum.

CXVIII. Ut lites et contentiones, rixæ et jurgia, sicut discordiæ et odia prohibeantur, et pax et concordia prædicetur.

CXIX. Ut diffinita crimina nullus refricare audeat.

CXX. Quod pœnitentes a conviviis, et ornamentis, atque alba veste abstinere debeant; et discordes pellantur ab Ecclesia, donec ad pacem redeant.

CXXI. De his quos presbyter excommunicaverit, ut alius eos non recipiat.

CXXII. Ut christiani ab otioso sermone et juramentis se caveant.

CXXIII. Qui contra statuta canonica fecerit, laicus communione, clericus privetur honore.

CXXIV. Ut fideles se abstineant a coitu prægnantium uxorum, et menstruo tempore.

CXXV. Ut presbyteri compotum discant.

CXXVI. Ut superbi clerici et laici excommunicentur; et ut patientia et humilitas, castitas et humanitas ab omnibus prædicetur.

CXXVII. Si quis potentum quemlibet exspoliaverit, vel oppresserit, per prædicationem sacerdotum revocari debet.

CXXVIII. Ut unusquisque in eo loco, in quo constitutus est, ibi maneat, nec ad alia transeat.

CXXIX. De reis ad ecclesias vel ad earum atria confugientibus, ut inde non abstrahantur.

CXXX. Ut nullus occulte nuptias faciat, nec virginem vel viduam sacratam ducat.

CXXXI. Clerici tardi ad officium aut flagellentur aut excommunicentur.

CXXXII. Nullus sacerdotum decimas cum lite et jurgio suscipiat, sed prædicatione et admonitione.

CXXXIII. Ut vocati ad synodum in prætermisso occurrant; sin alias, condemnentur.

CXXXIV. De his qui sibi quacumque negligentia mortem inferunt, aut pro suis sceleribus puniuntur, nulla pro eis fiat oblatio, nec cum psalmis ad sepulturas ducantur.

CXXXV. De his qui decimas abstrahunt ecclesiæ ad quam pertinent, et propter munera vel aliquam occasionem alteri dant, donec restituant, ab Ecclesiæ societate pellantur.

CXXXVI. Laicus non debet in ecclesia publice Lectionem recitare, nec Alleluia, sed Psalmos et Responsoria.

CXXXVII. Ut ad prædicationem et confirmationem episcopi omnes devote conveniant, eique fideliter ministrent et obediant.

CXXXVIII. De his qui ecclesiis vim inferunt, aut clericos injuriare præsumunt, ut anathematizentur.

CXXXIX. Ut qui alium in culpa sua defendere vel excusare nititur, excommunicetur.

CXL. Ut nullus sacerdotum ignoret quid sit in synodo constitutum, sed omnibus cognitis certatim obtemperent.

Hæc vero, brevitatis studio, ut prælibavimus, a nobis collecta omnibus nostris sacerdotibus habenda statuimus; quoniam ipsis et subjectis ovibus hæc eadem bene habita et intellecta omnimodis profutura cognoscimus.

XXXIII.

Ex chartular. Villelupensi Benedictini. 859.

Charta dedicationis basilicæ Villelupensis factæ per Herardum archiepiscopum Turonensem.

In nomine summæ et inseparabilis Trinitatis, sempiternæ quoque Deitatis, Herardus, per misericordiam Dei Turonicæ sedis metropolis humilis archiepiscopus, omnibus universalis ecclesiæ fidelibus, patribus et fratribus, filiisque, necnon in hac sede futuris successoribus nostris. Notum omnibus et percognitum fieri per nostræ humilitatis studium decrevimus, quoniam, cum more ecclesiastico pastoralique consuetudine parochiam nobis a Deo creditam circuire disponeremus, vocatione venerabilis abbatis Audachri consacerdotis nostri devenimus ad quemdam locum qui communi vocabulo præteritis præsentibusque temporibus Villalupæ est nominatus, quem locum cum rebus ad se pertinentibus ecclesiamque juxta in Colomniaco villa sitam, in sancti Sulpitii episcopi et confessoris honore dicatam, cum cunctis suis adjacentiis, familiam etiam utriusque sexus quidam vir olim ex illustri prosapia ortus Mainardus, facto legaliter testamento, per me jam dictum Herardum archiepiscopum unice quondam ab eo delectum *, et Adalgaudum et Mainerium suæ germanitatis propinquos, itemque Adalgaudum suum avunculum, Frugandum atque Moysem, ad honorem omnipotentis Dei et ad normam monasticæ vitæ supradicto Audachro, ad construendum et habendum, perpetua quoque religione ordinandum et gubernandum, libentissima devotione et promptissima voluntate contradidit *. Cujus operis summa per prænominatum abbatem suæque educationis monachos cum jam per divinam miserationem aliquantulam videretur percepisse consummationem, voto supradictorum constat nostram parvitatem ad eamdem cellulam pontificali ex more accedere studuisse. Anno siquidem Incarnationis Dominicæ DCCCLVIII, XV kal. Junii, cum plurimo confratrum et consacerdotum tam nostræ diœcesis quam comprovincialis Bituricæ sedis laicorum quoque nobilium nobiscum adunato collegio, relegentes atque rememorantes instrumenta a nobis et præfixis viris eidem loco collata, regalis quoque præceptum tuitionis et debitæ defensionis ordinatione perpetua eumdem locum in honore et nomine summæ quam præmisimus Trinitatis et ineffabilis Unitatis manifesto nomine totius mundi Salvatoris, pro reverentia quoque Sanctorum solemni opere constructum votare *, et consecrare per manus nostræ tenuitatis certavimus. Statuentes quoque pari voto necnon unanimi assensu eorum quorum infra scripta habentur nomina, ut quia, auctore Deo, devotio fidelium res suæ proprietatis divinis cultibus aptaverat atque delegaverat supra nominato Audachro, reverendæ vitæ abbati, regularis institutio et monasticæ vitæ per futura tempora, Christo gubernante, ibidem maneat observatio. Præfatus denique abbas maturius considerans, concessit eidem loco sancto, in dedicatione et augmento præfatæ basilicæ, et honestate ejusdem sanctæ venerationis, de rebus sui monasterii, ecclesiam scilicet sancti Aniani de Spaniaco in pago eodem sitam, cum omni integritate sua, ita ut ab illo die sub jure et potestate habitatorum ejusdem basilicæ Cormaricensibus subditorum consistat; cujus et nos imitantes exempla, suggerente fidelium nostrorum clericorum sive laicorum benevolentia, paratas ex prædictis ecclesiis ab hac die illis concessimus, quatenus deinceps ibidem Deo servientes fratres pro salute nostra successorumque nostrorum, totiusque Christianæ religionis stabilitate, rerum largitorem exorantes, plenius subsistere possint; synodum tamen proprio attribuant præsuli, reliqua actuum suorum, morum et ordinationum quicumque in ejusdem ecclesiæ loco sub monastico ordine Deo militaverit, ad abbatem præfixum suosque in Cormaricensi loco successores pertineant, de terra vero ad eumdem locum pertinente medietatem decimæ accipiant. Præterea inserere placuit qualiter sæpe dictus Audacher a nobis expetiit et studio caritatis apud se deliberavit ut idem locus, fratres quoque sub ejus regimine degentes, propter unitatem et inviolabilem in utroque loco Cormaricensi et Villalupensi fratrum filiorumque suorum educationem, vitam quoque unanimem et inseparabilem fraternitatem, non aliqua necessitudine temporalis, quæstus vel cujuslibet dominii, sed propter individuam quam præmisimus caritatis copulam, ita ut hæ duæ, aliquantulo terrarum spatio divisæ cellulæ, cella velut una, sic uno eodemque vinculo veræ et inviolabilis caritatis habeantur unitæ, uno quoque potiantur abbate; ita ut sicut unus pastor et pater, unus fiat grex, unum idemque existat ovile. Quod si, quod adsit, locus quem præmisimus Cormaricus, oppressione iniquorum vel quorumcumque præsidentium, judicum, ducum vel principum, aliorumve indebitam et religiosam per succedentia tempora passus fuerit molestiam, oppressionem, vel iniquam sui status vexationem, ita ut monachos in ipso loco degentes ab ordine et religione vitæ suæ eadem quam prædiximus commotione et cogitatione deviare conveniat, nec quiete ut servos decet Christi sub proposito sancto in eodem valeant subsistere loco, hic locus ab eadem oppressione, dominio, et illicita quam prædiximus vexatione habeatur immunis, fiatque eis fraternæ susceptionis confugium, et præbeat unicæ caritatis per omnia supplementum. Post hinc decrevimus nullam hunc locum pro supra memorata Cormarici oppressione pati calumniam, sed liberum et quietum, et absque ulla molestia eumdem manere volumus inconcussum. Sic et modo si impia cupiditas Cormaricensis loci monachos perturbare, et a statu suo hos formidaverit evertere, iste sub certæ libertatis nobilitate constructus, fundatus ac solidatus, in ordine quo deget subsistat immotus: habeant licentiam fratres ejusdem loci sub regula sancti Benedicti et patrem prostituere, ac defensorem tutoremque loci secundum quod eos oportuerit et eis utile visum fuerit, suis utilitatibus consulentes in omnibus, regulariter exposcere. His igitur præmissis, statutis atque decretis, æquum nobis visum est hanc nostræ pontificalis auctoritatis scripturam facere, quo et ipse locus auctoritatem suimet status præsto habeat. Et si quid e contrario illicitum contra patrem vel fratres ejusdem loci orirctur, hujus ecclesiasticæ authoritatis indicio panderetur quid eis concessum, quid stabilitum, quidve omnibus vel indultum vel prohibitum, recto æquitatis tramite feret. Ideoque hujus scripturæ tenorem illis tradidimus manus nostræ subscriptione roboratum, plurimorum quoque sacerdotum, canonicorum, fideliumque laicorum manibus roborandum commisimus, propter evellendæ futuræ dissentionis omnimodam calumniam, et conservandam æquitatis et totius sacræ religionis unanimitatem fraternam. Quapropter obsecramus benevolentiam successorum nostrorum, quicumque, auctore Deo, nobis in hac sede pontificali successerint, ut hanc auctoritatem vel concessionem, quam mente spontanea supradictæ basilicæ tradimus, ob cœlestis vitæ amorem et Sanctorum omnium reverentiam invio-

* al. dilectum.

* al. condidit.

* al. dotare.

latam conservare dignentur; ut si quam per hoc mercedem adipisci meruimus, ipsi quoque nobiscum ejusdem fieri mereantur participes. Data XIII kal. Junii, anno XVIII regnante Carolo rege serenissimo. In Dei nomine, Herardus, Turonicæ sedis metropolis humilis archiepiscopus, hanc ecclesiasticæ firmitatis auctoritatem firmavi.

Mainerius humillimus omnium abbatum. Aubertus presbyter. Guichardus presbyter. Sulmanus subdiaconus. Guaribertus diaconus, Beraldus presbyter. Vuilardus presbyter. Guichardus presb. Signaldus presbyter. Geringus subdiaconus. Robertus archiepiscopus. Ingenaldus presbyter. Christinus presbyter. Ragenbertus diaconus. Audradus subdiaconus. Leodolus presbyter. B Sicmarus presbyter. Gislemarus presbyter. Adalmannus diaconus. Rotardus diaconus. Heribertus, quamvis indignus, archiepiscopus. Hius clericus. Gauscelmus diaconus. Fulcardus diaconus. Ongarius presbyter. Erchanaldus presbyter. Abraham presb. S. Alcharii. S. Theotgaldi. S. Mainardi. S. Staderii. S. Sigleni vicarii. S. Odulgarii. S. Rodingi. S. Odilenis. S. Gumberti. S. Beringarii. S. Archembaldi. S. Ingelardi. S. Amalfredi. S. Frotardi. S. Radulphi. S. Baraldi. S. Erluini. S. Frodulphi. S. Sichelmi. S. Fulcharii. S. Hubaldi. S. Madalberti. S. Gumberti. S. Aidrardi. S. Ostrenraldi. S. Ermeberti. S. Adraldi. S. Blitgarii. S. Sardaydi. S. Constantini. S. Heraldi. Alaricus, licet indignus decanus, scripsit.

Decretum ut in hoc monasterio sint viginti-fratres.

Placuit nobis et dignum duximus inserere lectioni qualiter venerabilis abbas Audacher, in dic sanctæ basilicæ hujus loci dedicationis, decrevit atque statuit per auctoritatem domini piæ recordationis Karoli serenissimi augusti, necnon domini Herardi archiepiscopi Turonicæ metropolis sedis, necnon per auctoritatem procerum, domni scilicet Mainardi et Mainerii, qui locum istum ædificaverunt, seu per complurimos confratrum et consacerdotum, atque nobilium virorum collegium tam sedis Turonicæ quamque comprovincialis sedis Bituricæ, ut numerus fratrum in isto loco degentium vicenus habeatur, D et nullus prælator et rector abhinc et deinceps de ipsis quem præmisimus Christi fratribus aliquem e numero minorare præsumat. Quod si, Deo donante, copia rerum poposcerit, secundum quantitatem sui numerum quoque superaddere deliberent, ita ut addant potius quam minuant, congregent imo quam dispergant. Hæc idcirco diximus, ut cognoscant præsentes et sequaces quanti qualesve viri eam construxerunt et ornaverunt; nam prædictus rex, per celsitudinem regalem et per interpellationem præfati Audachri, sancti Aniani ecclesiam contulit, memoratus episcopus per auctoritatem ecclesiaticam paratas de ecclesiis attulit, auctores hujus loci atque constructores ecclesiam sancti Sulpitii dedere: quapropter valde E considerent prælatores atque rectores sancti hujus templi ut numerum fratrum minorari non præsumant, sed semper addere deliberent; quod si aliter fecerint, quod absit, procul dubio sciant se supernæ civitatis Jerusalem extorres, et immo baratri demersores.

XXXIV.

E schedis Baluzianis. *Diploma Caroli Calvi afferentis monasterio Cormaricensi quædam sita in villa Camborto.*

861. In nomine sanctæ et individuæ Trinit. Karolus, gratia Dei, rex. Quicumque regiæ dignitatis cul- A mine efferri desiderat, meritorium pretium semper habere debet, cujus gratia profertur. Nos itaque, qui, auctore Deo, ecclesiæ Dei curam ac providentiam gerere pro viribus præoptamus, resque ecclesiasticas ita augmentare ac provehere desideramus, quod pleniter inconvulsa potestate ab omnibus passim custodiatur, libuit serenitati nostræ, ob augmentum et remunerationem æternorum præmiorum, ex rebus S. Martini abbatiæ Turonensis quamdam cellulam sibi subjectam, quæ Cormaricus vocatur, cui præesse videtur reverentissimus abba, Audacher nomine, ubi etiam sub norma et regula sancti Benedicti examina sanctorum monachorum Deo militare videntur, honorare atque solatiare, ad supplendos scilicet sanctorum fratrum ibidem Domini obsequiis famulantium necessarios usus. Quæ res sunt sitæ in pago Turonico, in villa quæ Cambortus vocatur, super fluvium Agneris sita, id est quidquid ibidem ex ratione sancti Martini seu ministralium futurorum consistere videtur, cum suis omnibus appendiciis, eo videlicet modo, ut omni tempore abhinc et in reliquum abbati vel rectori ejusdem cellulæ regulariter consistenti mancipetur; et nullus rectorum vel abbatum monasterii sancti Martini, seu ministralium futurorum, ex prædicta villa quicquam dominari aut usurpare, vel etiam sollicitare præsumat. Sed, sicut prædiximus, absque ulla inquietudine quorumlibet mortalium, per supervenientia tempora jam dicta C villa eidem regulæ ac rectoribus ejusdem sancti loci, pro suorum libitu, æternaliter deserviat et perenniter famuletur: quatenus pro nobis nostraque conjuge Yrmentrude ac prole jugiter eosdem Dei omnipotentis misericordiam exorare delectet. Et ut hæc præceptionis atque largitionis auctoritas majorem in Dei nomine per supervenientia tempora obtineat vigorem, manu propria subter eam firmavimus, annulique nostri impressione assignari jussimus.

Signum Caroli gloriosissimi regis Francorum.

Hildeboldus notarius, ad vicem Ludovici, recognovit.

Data idibus Aprilis, indict. VIII, anno XXI regnante Carolo gloriosissimo rege. Actum Silvanectis civitate, in Dei nomine, feliciter. Amen.

XXXV.

Diploma Caroli Calvi confirmantis Cormaricensi monasterio hospitale XII Pontium. E schedis Baluzianis.

In nomine sanctæ et individuæ Trinit. Karolus, gratia Dei, rex. Cum enim fidelium regni nostri petitionibus, nec non etiam ecclesiarum Dei utilitatibus piis affectibus favemus, multipliciter id quoque a Deo nobis remunerari confidimus. Igitur noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorumque tam præsentium quam futurorum industria, quia venerabilis ac dilectus nobis abbas monasterii Turonensis, nomine Ingilwinus, ad nostram accessit serenitatem, petiitque ut hospitale sancti Martini apud XII Pontes* supra Sequanam, prædecessorum nostrorum temporibus statutum, juxta suum assensum ad Cormaricum monasterium, ipsius sancti Martini potestatis, nostræ auctoritatis præcepto perenniter confirmaremus famulandum; quo monachi ipsius cœnobii et ipsum in pristino statu restituant, et pauperes inibi juxta priorem præfinitum numerum semper in omnibus victualibus et cæteris studiis fulcirent, atque, quod præcipue eis necessarium instat, ob paganorum insecutionem inibi perfugium suæ salutis habere possent. Cujus petitionem ratam* et salutiferam cognoscentes,

865.

* Vulgo Pont-sur-Seine.

* al. rectam.

* *al.* hoc. ac * nostræ auctoritatis præceptum memorato Cormaricensi monasterio, sive Audacro, qui eidem loco merito sanctitatis præesse dignoscitur, seu etiam sanctis fratribus inibi Dei obsequiis famulantibus fieri darique jussimus; per quod præcipimus atque firmamus ut præfatum hospitale jure perpetuo sub pristino statu vel ordine, nemine inquietante, famuletur; eo scilicet pacto ut, secundum priorem consuetudinem, viginti pauperes inibi quotidie habeantur in victualibus et necessariis cæteris, sicut constitutum recolitur, Domino adjuvante, plenissime fulti. Ut autem hæc nostræ auctoritatis roboratio majorem in Dei nomine per futura tempora obtineat stabilitatis vigorem, manu propria subterfirmavimus annulique nostri impressione signari jussimus.

Hildeboldus, indignus diaconus, ad vicem Ludovici, recognovi.

Data XIII kal. Julii, indict. XIII, anno XXV regnante Carolo gloriosissimo rege.

Actum Vernolau, in Dei nomine, feliciter. Amen.

XXXVI.

E J. Maan. *Diploma Caroli regis de Turonensis ecclesiæ jure possidendi census et prædia.*

886. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Carolus, ejusdem Dei omnipotentis misericordia, imperator augustus. Si sacris locis, divinis cultibus mancipatis, emolumentum imperialis celsitudinis exaltemus, servitiumque Dei, in eisdem degentium necessitatibus opem ferendo, consulimus, profuturum nobis hoc ad æternæ remunerationis præmium facilius obtinendum, et ad præsentem vitam facilius transigendam fore nullatenus dubitamus. Itaque noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorumque tam præsentium quam futurorum industria, quoniam Adelardus, sanctæ sedis Turonicæ archiepiscopus, et humillimus grex suæ congregationis, videlicet B. Mauricii ac sociorum ejus, adiit serenitatem culminis nostri, offerens obtutibus imperialis nostræ dignitatis præcepta, per quæ eisdem fratribus quasdam villas, in eisdem præceptis nominatim præscriptas, Carolus, patruus noster, quondam imperator augustus, et filius ejus Ludovicus ad eorum subsidium confirmaverunt, ferentes insuper præ manibus privilegia domini Benedicti, videlicet Papæ, atque episcoporum quorum potestate sibi cœlitus permissa eadem præcepta prænominati patrui nostri et Ludovici corroborata habentur, ut, more aliarum ecclesiarum, decanus permissu episcopi ac seniores clerici ejusdem congregationis B. Mauricii res omnes sibi munere regio, vel a quibuslibet fidelibus, concessas cum universitate sibi pertinentium pro primo ordine integerrime possideant, ita ut nullius potestate episcopus quicquam exinde de eorum dominio, vel possessione præsumat auferre, nec per præpositi sui ordinationem contraria præsumptione disponere attentet; super quæ imperialem nostram dignitatem humili supplicatione deprecati sunt, ut, imperiali more, præceptum patrui nostri Caroli, atque præceptum Ludovici filii sui super omnibus eorumdem fratrum rebus denuo corroborare dignaremur. Quorum petitionem ratam perspicientes, pro amore Dei, ac reverentia prælibati domini Mauricii, et sociorum, in nostra eleemosyna præceptum nostræ auctoritatis fieri jubemus, per quod decernimus, ut, sicut in privilegiis et præceptis prædecessorum regum, parentum nostrorum, ordinatum est, ita ab hodierna die, et in reliquum, et irrefragabiliter permaneat cum omnibus villis eorum stipendiis deputatis: Turnum in Remensi pago super fluvium Maternam positum cum omni sua integritate, sicut in largitione præcepti Ludovici regis continetur, et, in pago Stampensi, Blauziacum cum villa Soseto, et Vitione, veteres mansiones, et Grandevillare, et Ferrariæ, in Castrensi pago sitæ, cum omnibus rebus. In pago nostro Oxomensi, et Andegavensi, Fossadum Dragberti, et Breia, et Precaria, cum omni eorum integritate. In pago Turonico, Spicaria, cum villa Merineris, quam Hausnericus habuit Villarin Magnariasto, Cirico nomine Mortarii, cum omnibus rebus sibi pertinentibus, villa quoque Domerii, cum Altirpio, et omni eorum integritate, in ipso pago, Nogarentum et Vodanum cum Monticellis, et omni eorum integritate. Concedimus etiam sæpe dictis canonicis S. Mauricii, deprecante Odone comite, in nostra eleemosyna, ac sua, villam Paterni cum omnibus rebus sibi pertinentibus, et cum familia utriusque sexus, ut per succedentia tempora eorum usibus proficiat incrementa. Insuper etiam censemus, ut canonici in suis mansionibus, vel areis intra claustra positis, licentiam habeant propriis alumnis vel confratribus dandi ac vendendi quibuscumque voluerint claustra canonicorum; et ecclesia jam dicti S. Mauricii cum omnibus rebus sibi pertinentibus, de more imperatorum, vel regum, parentum nostrorum, sub nostræ immunitatis tuitione hujus defensionis munimine habeatur; assensum præbendo, ut, sicut tempore avi nostri domini Ludovici quondam augusti, seu patrui nostri Caroli atque Ludovici, res ejusdem S. Mauricii in Francia, Austria, Neustria, Burgundia, Aquitania, Provincia, Germania, et in cæteris imperii, Christo largiente, nostri partibus consistentes, quæ non * a regibus, ut diximus, aut orthodoxis principibus, verum etiam ab aliis fidelibus congrue, vel per quoslibet contractus, munimina chartarum in jus ejusdem traditæ sunt, quieto jure juridictionis et regiminis episcopi seniorumque fratrum ordinaria exstiterunt, ita etiam nostris temporibus, cum supradicta villa Paterni et cum omnibus rebus sibi pertinentibus, sub nostræ immunitatis deffensione consistere, et ab omni publica functione, ac judiciaria exactione immunes liberasque decernimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus judex publicus, aut quilibet superioris vel inferioris ordinis reipublicæ procurator, ad causas judiciario more audiendas, in ecclesias aut villas, seu reliquas possessiones, quas moderno, vel priscis temporibus, in quibuslibet provinciis vel territoriis imperii nostri juste et legaliter tenent, vel deinceps in jure ipsius ecclesiæ divina pietate augeri voluerint, ingredi præsumat, mercedem, aut tributa, aut mansiones, vel prata, aut teloneum ex ullis negotiis, sicut in præceptis regum continetur, aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos quam servos super terram ecclesiæ commanentes distringere, nec ullas publicas functiones, aut redhibitiones, vel illicitas executiones requirere, nostris atque futuris temporibus quisque tam temerarius existat, qui ad faciendi illicitam sibi potestatem attribuere audeat. Quicquid ergo de prædictis rebus B. Mauricio et sociis ejus devote collatis, vel sibi pertinentibus, in jus ejusdem concedendum fuit, et a prædecessoribus nostris collatum, nostræ largitatis munere liberum volumus esse eidem S. Mauricio, sibique et canonicis famulantibus concessum, ut id, remoto fisci dominatu, ad sententionem canonicorum seu pauperum sit supplementum. Si quis autem in tantam prorumpere ausus fuerit audaciam, ut hoc præceptum nostrum violare præsumpserit, quemadmodum in regum parentum nostrorum præce-

* *suppl.* tantum

ptione continetur, non solum in offensam nostram A lapsurum, verum etiam sexcentorum solidorum auri ad purum excocti, probatæ monetæ, se noverit pœna mulctandum. Et quod duas partes episcopus et canonici, tertiam vero jus fisci nostri recipiant. Si autem de prædicti sancti rebus, fratrum per cupiditatem, episcoporum, aut ministrorum, seu per præsumptionem judicum, cupiditatemve malorum hominum injuste abstractum, id per nostram auctoritatem prorsus restaurandum præcipimus, et ut hoc auctorisabilem obtineat effectum, et a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostri consilii teneatur, manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Caroli, serenissimi imperatoris augusti. Amalbertus notarius, ad vicem Lituardi, B archicancellarii, recognovi. Data IV kal. Novemb., anno incarnationis Domini 886, indict. IV, anno imperatoris Caroli in Italia 6, in Francia 5, in Gallia 2. Actum Parisiis, in Dei nomine, feliciter.

XXXVII.

E schedis Baluzianis. *Restituuntur S. Martino res Paterico contra jus concessæ.*

890. Notitia qualiter venit Ecfredus præpositus cum Adalmaro, advocato S. Martini, in civitate Cinomannis, die octavo kal. Maii, feria II, ante Beringerium comitem et reclamaverunt se quod C vasallus ipsius, Patericus nomine, res fratrum, quas Guitto propter advocariam olim tenuerat, malo ordine retinebat. Tunc Beringerius comes respondit quod non esset suus solummodo vasallus, quamvis ex suo beneficio aliquid haberet, sed potius vasallus Rotberti, amici sui, quia plus ab ipso beneficium tenebat. Hoc autem quod ad ipsum pertinebat propter amorem S. Martini statim reddidit, dicens : « Si de meo beneficio voluerit gaudere, amplius ex terra S. Martini nil « retinebit. » Et sic discesserunt. Ille vero noluit ipsas res dimittere, sed cœpit minas inferre. Tunc venientes Ecfredus et Adalmarus Turonus idibus Junii, in præsentia domni Rotberti, comitis et abbatis, dixerunt ei quia canonici S. Martini D volebant se reclamare coram rege Odone, qui tunc præsens aderat in ipsa civitate Turonus, de suo vasallo Paterico, qui res fratrum injuste tenebat. « Non erit, inquit, opus vobis coram rege « reclamationem facere, quia ego sum eorum « abba, et ego debeo de aliis justitiam facere, « quanto magis injustitiam ab aliis factam consentire debeam. Sed nunc, Adalmare, dic mihi « per illud sacramentum quod mihi jurasti quot « scuta in meo servitio plus illi exhibere vidisti? « — Non amplius, inquit, quam tria. — Ergo « propter tria scuta auferam S. Martino et fra« tribus res suas et detrimentum animæ meæ fa« ciam! Quis, inquit, habet, gaudium? » Tunc Ecfredus extraxit cultellum ex vagina quam secum E habebat, et dedit illi. Ipse autem tetendit cultellum Adalmaro advocato, et dixit ei : « Tu debes « eum recipere, quia advocatus eorum es. Et si « necesse erit, tu pugnabis pro eis. » Et sic ista reclamatio finem fecit. Actum in præsentia nobilium virorum istorum qui subterfirmaverunt.

Signum sanctæ crucis Domini Rotberti, abbatis, qui hanc notitiam propria manu firmavit, et suis fidelibus firmare jussit. Signum Attonis vice-comitis.

Ego Maimbertus rogatus scripsi et subscripsi in civitate Turonus, anno IV regnante domno Odone rege, idibus Junii.

XXXVIII.

Canonicis S. Martini restituit Robertus abbas villam Dociacum. E schedis Baluzianis.

Multipliciter multiplex omnipotentis Dei misericordia per plurimum voluit honorare genus humanum, dum cuique mortali largiri dignatur ut ex rebus temporalibus cœlestia regna mercari valeat et ex caducis ac transitoriis æternæ felicitatis indefessa gaudia ab ipso Domino percipere mereatur, voce divina clementer omnibus hominibus fidelibus dicente : *Quicumque dederit calicem aquæ frigidæ tantum in nomine meo, non perdet mercedem suam.* Et ut fiducialius quicumque præceptum Domini custodierit id ipsum appetat, sustentatur cujusdam sanctissimi patris promissione, dicentis : *Fiducia summa erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Quocirca ego, in Dei nomine summi Salvatoris Dei, Robertus, misericordia Dei comes et abbas inclitæ congregationis B. Martini, notum fieri volumus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, præsentibus ac futuris, quoniam operæ pretium nobis extitit ut diversas calumnias hujus seculi qualiter Deo et S. Martino servientes levius ferrent secundum nostræ possibilitatis modum tractaremus et rationabiliter procurare studeremus, quatenus exinde Dominum propitium habere mereamur sanctumque Martinum patronum nostrum in nostris necessitatibus pium suffragatorem. Igitur, pro amore Dei omnipotentis et eximii confessoris sui Martini reverentia, reddimus Deo nostro, sancto Martino, suisque canonicis quoddam prædium situm in pago Pictavensi, Dociacum scilicet, cum omnibus suis appenditiis et adjacentiis, simulque cum omnibus rebus quacumque lege ad eamdem villam aspicientibus vel pertinentibus, quam quidem villam delegaverat olim gloriosissimus rex, senior noster, domnus Carolus canonicis S. Martini per præceptum, ut, sicut aliæ villæ ad ipsos fratres pertinentes illis ad eorum usus deserviebant, ita et hæc omni tempore usibus eorum deserviret. Sed quia paganorum sævitia occiduas occupavit partes, eam iidem fratres cupiditate malorum hominum amiserunt et diu servitium ex ipsa perdiderunt : nos rei veritatem cognoscentes et sæpissime eorumdem clericorum deprecatione tacti, jussimus præceptum ipsius ante nos sæpius recitare, et prædictæ villæ nomen in eodem præcepto reperientes, qualiter eadem villa ad proprium rediret servitium nostra mercede studuimus tractare. Tunc consilio nostrorum fidelium admonitus, et clericorum ibidem servientium deprecatione commotus, limina B. Martini expetii, ut præclaram solemnitatem Paschæ, more sancto, in B. Martini ecclesia exsolverem, et summa devotione ad ejus sepulchrum veniens, ut idem piissimus confessor meorum peccatorum molem sua miseratione minueret, per gantum nostrum ad ejus glebam, ubi ipse eximius confessor requiescit, in urbe Turonica, eam reddidimus, quatenus sub integritate deinceps, absque ullius abbatis substractione, tenere et possidere possint, fructibusque illius frui, veluti proprii possessores et domini, valeant, et promptiores in Dei servitio in dies apparere, frequentiusque aurem Domini pro imminentibus periculis pulsare. In qua mercede gloriosum et a Deo electum regem, dominum et seniorem ac germanum nostrum, Odonem participem volumus adesse, quatenus pro his et aliis beneficiis quæ quotidie a sui regni fidelibus administrantur, præsentem vitam gloriosius futuramque felicius obtinere mereatur; deinde nos, qui hujus beneficii

895.

fideles executores et operatores adsumus, divina misericordia, intercessioneque sancti ac domni nostri Martini, in omnibus sæculi incommoditatibus prævenire * mereamur, futurique commoda eorumdem canonicorum fidelibus precibus adjuti adipisci nihilominus possimus, illorumque continuis annumerari orationibus, quæ tam in missarum solemniis quam in melodiis psalmorum fiunt, unusque ex ipsis in medio apparere. Insuper etiam ejusdem muneris beneficio simul consortem volumus esse domnum et genitorem nostrum Robertum, gloriosum, dum vixit, comitem et ejusdem loci abbatem, quatenus pietate prædicti patroni subventus perfrui mereatur superna gloria. Volumus ergo et statuimus, ut in ipso die quo eam reddidimus, iidem fratres plenam exinde habeant refectionem, scilicet vi cal. Aprilis, et pro omnium nostrorum excessibus in commune Domini misericordiam implorare et plenum peragere officium studeant, quatenus memoria nostra semper in illo maneat loco, et recitatio nostri nominis continuo eorum orationibus vigeat. Si vero fuerit aliqua intromissa persona abbatum, vel aliorum procerum, quæ, cupiditate temporalium rerum seducta, contra hanc nostram spontaneam oblationem venire, aut calumniam inferre temptaverit, in primis iram Dei omnipotentis incurrat, et offensam S. Martini sentiat, nisi se citissime in sua pessima voluntate retraxerit et dignam satisfactionem Deo et S. Martino ejusdemque loci canonicis ex sua persolverit temeraria præsumptione. Obsecramus jam tandem omnes successores nostros, ut sicut sua data stabilia voluerint fore, ita hanc nostram auctoritatem sinant permanere inviolabilem. Et ut hæc auctoritas et devotissima oblatio pleniorem in Dei nomine obtineat effectum, manu propria eam subscripsimus, et nobiles laicos subscribere rogavimus.

* al. præmuniri.

Robertus comes et inclitæ congregationis S. Martini abbas, per hoc signum sanctæ crucis subterfirmare studuit.

Erbernus medicus et.... s.

Signum Ardradi vice-comitis.

Data est autem constitutionis vel potius restaurationis et redditionis auctoritas vi kal. Aprilis, in die sanctissimo Paschæ, Turonis, coram corpus beatissimi, anno viii regnante domno Odone rege (1).

Ego Archanaldus, levita scolæ S. Martini secundarius, rogatus scripsi et subscripsi.

XXXIX.

E schedis Balusianis.

Caroli Simplicis præceptum pro monasterio S. Martini.

920. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Carolus, ejusdem omnipotentis Dei misericordia, rex. Si petitionibus regni nostri procerum servorumque Dei pro quibuslibet necessitatibus ecclesiasticis aures nostras pulsantium libenter annuimus, et ad divinæ militiæ in locis Deo dicatis uberius famulandum auxilium porrigimus, id nobis procul dubio ad instantem vitam temporaliter transigendam et ad futuram feliciter obtinendam commodum provenire confidimus. Percognitum igitur fore omnimodis cupimus omnibus Christi nostrisque fidelibus, præsentibus videlicet atque futuris, quoniam adiit serenitatem culminis nostri vir quidem specialius venerabilis, germanus quondam prædecessoris nostri domni Odonis regis, fidelisque noster Robertus, gregis eximii confessoris Christi B. Martini basilicæque ipsius atque rerum abbas, reverenter exposcens ut res omnes quas olim laudabilis pietas atque sollicitudo priorum patrum, nec non et pastoralis cura sanctorum apostolicorum, seu etiam prædecessorum nostrorum parentum, imperatorum scilicet et regum, per inviolabilia semper præcepta, quasque antecessor suus quondam Vivianus, S. Martini abbas, et postmodum vir venerabilis, propinquus noster, Hugo equidem S. Martini abbas, suo nobili obtentu, ob amorem Dei et reverentiam B. Martini, cujus defensor erat cum magno et orthodoxo Carolo, avo quidem nostro, eidem S. Martino et fratribus suæ congregationis ac specialiter futuris temporibus servandum, seclusa omni suorum ditione abbatum, ad eorum speciales usus perpetualiter possidendas, obtinuerunt, nos easdem et in futuro eidem sancto conferendas nostris futurisque temporibus sub nostræ immunitatis tuitione consistere, et ab omni publica functione ac judiciaria exactione per nostræ præceptionis seriem immunes liberasque decernere dignaremur. Quarum rerum atque villarum nomina hæc sunt : Lugogalus scilicet, cum ecclesiis et omni integritate suorum appendicium, et res alias ad eamdem villam pertinentes, quæ quondam in beneficiis et precariis datæ fuerunt, sed pietas præfati Roberti abbatis fratribus reddidit; Brugogalus quoque, cum ecclesiis et quibusdam villulis, Pagniaco et *Pruiniers*, quas etiam præfati abbatis benignitas ipsis restauravit habendas; Portus etiam cum ecclesia, et omnibus rebus ad ipsam pertinentibus; Bladalaicus denique, cum ecclesia et omnibus suis rebus; Dociacus quoque, cum ecclesia et omnibus rebus ad ipsam pertinentibus; Antoniacus quin etiam et Curcideus, ad eorum vestimenta, cum ecclesiis et omnibus rebus sibi pertinentibus; Pseudoforus etiam, quæ et Sodobria dicitur, cum eclesiis et omnibus rebus ad ipsam pertinentibus, ex quibus quædam sunt in beneficio datæ, sed easdem per hoc altitudinis nostræ præceptum fratribus restaurandas præcipimus, et cum aliis insuper rebus quas Garnegaudus vicecomes fratribus dedit, cum ecclesiis in honorem S. Dionysii et S. Leobini in eisdem rebus constructis; Medonna cum ecclesia et omnibus sibi pertinentibus rebus, ex quibus quædam sunt in beneficio datæ, sed præfatus Robertus abbas ipsas per hanc nostram præceptionem fratribus restauravit; Curciacus in pago Turonico, cum omnibus aliis rebus sibi pertinentibus, ac prato in villa Canabas sito, atque farinario pro ipso quondam dato; Vobridius atque Tauriacus, Castanetus et Odatus atque Canutius, cum ecclesiis et omnibus ipsis pertinentibus rebus; alter etiam Vobridius et Restiniacus cum capellis, et quibusdam rebus subdole quondam sublatis, sed benignitate ejusdem Roberti abbatis eidem Restiniaco restitutis; Novientus et Magittus, atque Genestolius; Prisciniacus et Patriciacus; item Vobridius in pago Cinomannico et Baina villa cum ecclesia, in villa Basconna, in pago Aurelianensi, quam Hardradus vicecomes fratribus dedit; Liradus etiam cum monasterio et omnibus sibi pertinentibus rebus; Belnacus etiam ad calceamenta fratrum, cum ecclesia et omnibus sibi pertinentibus rebus, pro qua subdole decepti Marciacum villam, in pago Avernensi, in concambium fratribus dederunt; Cableia etiam in pago Tornatrensi, cum monasterio ibi constructo, ubi S. Martinus quasi peregrinus quievit, cum villa Cumisiaco, Niriaco etiam et Ultisiaco, cum ecclesia, et omnibus sibi

(1) Hæ chronicæ notæ non quadrant. Annus sed enim Odonis octavus ad annum Christi 895 respondet, at non hoc anno Paschæ dies sextus cal. Aprilis. Mabillonium ducem sequentes hoc præceptum trahimus ad annum 897. Annal. t. III, p. 301.

pertinentibus rebus; Miliciacus etiam prædium cum omnibus districtis, sicut temporibus domni Caroli regis distringebantur; Mons insuper Villa in pago Miludinensi, cum ecclesiis et omnibus sibi pertinentibus rebus, necnon etiam Saldoa, ac Norventus* cum capellis, et omnibus rebus sibi pertinentibus; Merlaus etiam, quem piissimus genitor noster domnus Ludovicus rex ad serviendum fratribus in die suæ ad regnum ordinationis atque depositionis, cum omnibus rebus sibi pertinentibus, Deo et S. Martino prona mente perpetuo donavit; Martiniacum etiam villam super fluvium Ligeris, quam grex B. Martini cum præscripto Roberto ex propriis rebus commutavit; et insuper areas cum sala, quæ, quanquam dicebatur Maledicta, modo propter receptionem B. Martini Domus Dei dicitur, intra muros Toronicæ urbis sitos*, cum muro, et posterula, habentes in circuitu, a porta Aurelianensi usque ad Harenas, perticas nonaginta sex; dantes pro ipsis domno Hugoni abbati ad comitatum, similiter intra ipsam civitatem, perticas nonaginta sex ex parte Ligeris, cum ecclesia, et muro, atque porterula, præbendarum insuper omnium mercedes quas idem Robertus, eorum piissimus abbas, fratribus perdonaverat, et ex quibus a nobis ut perpetua ditione tenere ipsas potuissent præceptum eis acquisierat, et pro nostra mercede, conjugisque atque prolis et ipsius Roberti, communique omnium qui easdem res tota devotione Deo sanctoque Martino contulerant, eidem confessori more regio perpetuo mansuras, absque minoratione vel substractione aliqua, per nostræ auctoritatis præceptionem denuo corroboremus. Et si monasteria in aliquibus prædictis rebus pro infestatione paganorum, vel malignorum hominum, construere eisdem fratribus libuerit, aut necesse extiterit, id nostræ largitatis munere concederemus absque inquietudine permanendum, nec cuiquam fidelium nostrorum in mansionibus canonicorum eorumque famulorum, nec intra, nec extra castellum, absque eorum voluntate manendi licentiam concederemus, et si nostra in eorum monasteriis præsentia adesse poterit, sicuti nec aliis prædecessoribus nostris regibus facere fuit. Insuper etiam idem reverendus et admodum amabilis noster Robertus abbas nostræ familiaritatis serenitatem humiliter supplicando expetiit, ut, sicut jam ipsius petitione, in alia nostra præceptione, fratribus firmaveramus, ut quidquid intra castellum circa basilicam B. Martini noviter constructum continetur, quidquid foris in circuitu ipsius castri, ex terris antea ditioni S. Martini per regum præcepta subactis, usque in fluvium Ligeris habetur, totum in nostram communem eleemosynam, juxta quod præfatum Christi antistitem pro nobis cupiebamus habere interventorem, per hanc iterum nostram præceptionem in generales usus fratrum semper habenda confirmaremus; et ut eidem sancto in eodem castro, sicuti priscis temporibus a prædecessoribus nostris regibus concessum fore probatur, propriam monetam et percussuram proprii numismatis nostra auctoritate concederemus, et ut nullus ex eadem ipsorum minister de ipsorum proprio argento monetaticum accipiat, et quidquid annuatim exinde exactum fuerit, in usibus fratrum conferatur; et ut res prælibatas omnes et monasteria, cum omnibus aliis rebus ipsis pertinentibus, de more regum prædecessorum nostrorum sub nostræ immunitatis recipere dignaremur, præcipientes ut in nullis præfatis S. Martini et fratrum rebus, quæ habentur in Austria, Burgundia, Aquitania et Francia, et in cæteris regni nostri partibus, Christo largiente, nullus judex publicus ad causas judiciario more audiendas, nec freda aut tributa quærere, aut mansiones accipere, aut teloneum exigere, aut fidejussores tollere, aut homines distringere, ingredi præsumat; sed sint ad regendum et defendendum in manu abbatum, et in præfati regis decani manu, servorumque, et nobilium, et fidelium fratrum ad ordinandum. Cujus saluberrimæ petitioni nobis valde salutiferæ, sibique, et omnibus qui easdem res S. Martini contulerant profuturæ, ob amorem Dei et reverentiam præfati peculiaris patroni nostri domni Martini, libenter assensum præbere nobis usquequaque colibuit. Quapropter decernimus atque jubemus ut supradictæ res omnes, et villæ cum castello et prædictis terrulis extrapositis, atque moneta, mercede imperatorum et regum atque nostra, aliorum Christi fidelium, ad supplementum, seu confugium fratrum permaneant, cum aliis villis hic non nominatim expressis, sed ipsis pertinentibus, et jam pridem stipendiis fratrum et vestimentis atque calceamentis deputatis, cum reliquis S. Martini facultatibus, et abbatiolis atque villis ad proprios usus abbatum suorumque fidelium, exceptis dominicalium rerum nonis et decimis specialiter deputatis, sub nostræ defensionis munimine modis omnibus consistant. Super qua re cum prædicta fidelis nostri Roberti, charissimi quidem nostri, precibus, canonici etiam ejusdem S. Martini, cum consensu ejusdem proprii abbatis, regiam nostram poscebant dignitatem, ut, more regio, præcepta magni Caroli, attavi nostri, atque præceptum domni Ludovici, piissimi regum, in hac nostræ præceptionis pancharta super eorumdem fratrum rebus pro majori et uberiori firmitate denuo corroborare, more regio, dignaremur. Quorum etiam consulentes petitionibus, pro amore omnipotentis Dei, ut diximus, et reverentia domni Martini, et amore etiam sæpe dicti abbatis, in nostra communi omnium eleemosyna, hoc nostræ altitudinis præceptum atque auctoritatem fieri jussimus, per quam decernimus atque præcipimus, ut sicut in præceptis et privilegiis tantorum prædecessorum patrum, quæ præ manibus habebant, continetur, ita ab hodierna die in reliquum stipendiis deputatis.

Præcipientes ergo jubemus, et jubendo præcipimus, ut nullus judex publicus, aut quislibet superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator, in S. Martini omnibus rebus ad causas judiciario more audiendas, in ecclesias, aut villas, aut reliquas possessiones quas modernis vel priscis temporibus in quibuslibet provinciis ac territoriis regni nostri S. Martini basilica juste tenet, vel deinceps in jus ipsius divina pietas augeri voluerit, ingredi præsumat, nec freda, aut tributa, aut mansiones, aut paratas, aut teloneum ex ullis negotiis, sicut in præceptis eorum continetur, exigere, aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos quam servos super terram eorum commanentes distringere, nec ullas publicas functiones, aut redhibitiones vel illicitas occasiones temerarius requirere audeat. Quidquid igitur de prædictis rebus ex quibuslibet districtis in jus fisci nostri cedendum fuit, et a prædecessoribus nostris S. Martino collatum comperimus, nostræ largitatis munere libenter volumus esse per immensum eodem S. Martino sibique famulantibus canonicis concessum, remoto toto fisci dominatu, ad sustentationem canonicorum, seu pauperum, in nostram eleemosynam, omniumque prælibatorum et subsequentium Christi fidelium sit supplementum.

Volumus etiam atque præcipimus ut, sicut in

* al. Norvientum

* forsitan sitas.

præceptis eorumdem fratrum et privilegiis continetur, omnes illæ debitæ refectiones ex cellis S. Martino subjectis et villis in beneficium datis, id est S. Mariæ, quæ dicitur *Ad-Scriniolum*, et S. Andreæ, et S. Columbæ, et S. Martialis Sichiniaci, et S. Johannis, et S. Pauli Cormaricensis, et Popoleni monasterii, et villæ ad Resciaci, et omnibus quoque sitis aliis cellis, et census etiam ex omnibus precariis, fratribus integerrime reddantur et ministrentur, et manselli qui sunt ad Berbizelos, cum prato ad Bellum-Montem et pascuis ad pontem Caris, instituta fratribus officia compleant. Decimæ quoque dominicalium rerum ex omnibus his rebus, et ex omni abbatia S. Martini, hospitali nobilium atque pauperum reddantur. Nonæ vero similiter ex præscriptis omnibus rebus de dominicatis frugibus ex omni S. Martini abbatia, ut semper recognoscantur, quia illa terra S. Martini est in generales usus S. Martini canonicorum, integerrimæ reddantur, et ministrentur sine illa diminutione, sicuti privilegia sanctorum romanorum apostolicorum confirmant atque testantur.

Si quis autem in tantam prorumpere ausus fuerit audaciam, ut hujus nostræ auctoritatis et altitudinis præceptum in aliquo violare præsumpserit, quemadmodum in cæteris regum et imperatorum antecessorum, parentum nostrorum, præceptionibus continetur, non solum in offensam nostram successorumque regum nostrorum se noverit ad usque lapsurum, verum etiam duc. solidorum auri ad purum excocti se noverit pœna multandum; ex quo duas partes ecclesia, ad proprios usus canonicorum, tertiam vero proprius eorum abbas recipiat. Si vero de prædictis rebus per tepiditatem et negligentiam eorum abbatum aut ministrorum, seu etiam per præsumptionem judicum, cupiditatemve malorum hominum, aliquid injuste abstractum est, id per hanc regiam nostram auctoritatem ad integrum restaurandum præcipimus, corroborantes hanc denuo panchartam super omnibus ejusdem S. Martini rebus pro munimine omnium chartarum quæ aut incendio Normannorum, ut fratres asseverant, vel quolibet modo adustæ, vel neglectæ, aut nimia vetustate perditæ sunt. Et ut hujus nostræ præceptionis auctoritas inviolabilem semper obtineat effectum et a successoribus nostris regibus a nobis facta certius credatur, et inviolabilis conservetur, manu nostra propria eam signavimus et annuli nostri impressione signari jussimus. Sed pro tanto a nobis fratribus beneficio expetimus, ut nostri memoriam in die qua ad regni fastigium ordinati fuimus, quæ evenit v calendas Februarias, id est in vigilia S. Agnetis virginis, coram S. Martini sepulchro, in eorum sacris orationibus habeant, et hanc, cum acciderit, in diem nostri obitus mutent. Similiter autem et pro Frideruna, quondam uxore nostra, quæ obiit tertio idus Februarii, feliciter ipsa die orent.

Signum Caroli gloriosissimi regis.

Hervæi archiepiscopi summique cancellarii recognovit.

Datum v kal. Julii, indict. vii, anno xxvii regnante Carolo rege glorioso, redintegrante xxii, largiore vero hereditate indepta vii. Actum Heristallo, regio palatio, in Dei nomine, feliciter. Amen.

XL.

Bernardo abbati Bromi, traduntur quinque mansi sub census conditione. *E schedis Baluzianis.*

923.

WALTARIUS cœnobii Christi confessoris et summi antistitis Martini, cum constitutione domni Hugonis abbatis, archiclavus. Comperiat omnium successorum nostrorum industria qualiter Gerardus abbas nos adiit deprecans obnixe dari sibi reliquias ex magnifici patroni nostri patrocinio Martini. Cujus preces gratanter suscepimus, implentes quod tanto viro juste negare nequiveramus. Is etenim innotuit nobis quod haberemus in villa *Fabt*, que conjacet in pago Hasbonico, mansos quinque sine mancipiis, quos humiliter petiit ut ei concederemus, quo subjecti essent ipsi monasterio quod Bronium nuncupatur, in obsequium principis Apostolorum Petri sanctique Eugenii martyris, qui corpore in ipso requiescit; in quo etiam reliquias quas a nobis impetravit digniter collocare disponebat. Deprecanti assensum præbuimus, concedentes eosdem mansos, per jussionem senioris nostri Hugonis et consensum fratrum nostrorum, ad jam dictum cœnobium Deo deservientibus, eo videlicet tenore ut quo præfatus abbas Gerardus advixerit sine census taxatione teneant, tantumut memoriam nostri habeat ipse abbas in orationibus, cum sibi commissis, pro nostro quoque abbate et pro omnibus qui locum nostrum de suis facultatibus fundaverunt; postquam vero jam dictus abbas Gerardus ab hac substractus vivendi (finem) fecerit, fratres qui in eodem monasterio fuerint superstites xii denarios annuatim persolvere non negligant ad caput S. Martini ubi illa terra subjacet. Si vero laboriosum illis fuerit per singulos annos illuc deferre xii nummos, cum quinque emensi fuerint anni v solidorum denarios illo deferant spontanei. Quod si negligentes ex decreto censu apparuerint, legaliter emendent, et prænominatam terram nullo modo amittant, sed quiete jure heræditario pro eleemosyna S. Martini ejusque famulorum teneant atque possideant. Ut autem hæc charta robustior habeatur et inconvulsa permaneat, sub una cum fratribus nostris decrevimus roborari. Actum cœnobio S. Martini, xv cal. Januarii, anno primo regnante Radulfo, indict. xii. Gualterius, archiclavus, S. Signum Teteloni, decani atque sacerdotis. Signum Hugonis comitis et abbatis de monasterio S. Martini, qui hanc donationem fieri jussit et manu propria roboravit.

XLI.

Libertas Villelupæ data. *E schedis A. Quercetani.*

965.

GRATIA et misericordia omnipotentis Dei Wido, gregis summi Salvatoris Villelupæ, necnon et egregiæ congregationis inclyti apostolorum doctissimi B. Pauli Cormaricensis, cui idem grex commissus esse cognoscitur, abbas et rector, perpluribus Christi fidelibus et præcipue ac peromnibus ejusdem cœnobii abbatibus percognitum et manifestum esse cupimus, quoniam adhuc adiit nostræ paternitatis mercedem ejusdem S. Salvatoris grex pusillus, ostendens lacrymosis gemitibus nostræ paternitati quod sanctorum prædecessorum patrum, secundum B. Benedicti abbatis decretum, propria electione et proprio pastore carebant, assiduitate et devotione pro generali Ecclesia Dominum exorandi quasi ex parte perdiderant : quorum lacrymas, querimoniam, pro vigili memoria considerantes et indigentiam cognoscentes, expavimus, metuentes nimirum animarum peri-

cula, et ne quotidianis sumptibus et vestimentis A cæterisque utilitatibus carendo, accepta occasione huc illucque vagabundi dispergantur, et propter ea facilior in decipiendis animabus nostro merito insidiatoris pateat ingressus; hoc quod quandoque in nostrum perveniat detrimentum : unde, cum consultu et adhortatione domini nostrique fratris Gaufridi comitis, nec non domini Arduini, Turonorum archiepiscopi, suggerente et deprecante hoc ipsam hilari congregatione præfati Apostoli una cum S. Martini cœtu, anno Incarnat. Dominicæ nongentesimo sexagesimo quinto, ordinationis autem orthodoxi Francorum regis Lotharii septimo (1), indict. octava, tota mentis devotione, cum consilio et deprecatione tot Christi fidelium, constituimus illis per hanc auctoritatem B quemdam ex nostro collegio patrem, vocabulo Hunebertum, qui, secundum Dei voluntatem et monasticam institutionem, eorum animas devotius et pervigili cura gerere studeat, simul et corpora piissima compassione eorum indulgentiam semper imploret, et pro viribus sublevare laboret ut proprios. Cujus electio, ut firmioribus digne auctoritatis innitetur stipitibus, propriis articulis alacriter firmavimus, fratrumque omnium cœnobitarum nostrorum, nec non canonicorum S. Martini et Mauricii, omnium seu nobilium virorum roborandum obtulimus. Turonorum præterea civitate, in sancta matre ecclesia, domno Arduino archiepiscopo cunctis aspectibus idem Hunebertus oblatus ad titulum summi Salvatoris C abba et ordinatus peracti. Per hanc igitur tam salutiferam auctoritatem supradicti monachi Villelupenses omnes in commune statuerunt et statuendo promiserunt nostri memoriam in suis sacris semper deinceps habere orationibus, si propria a nobis eorum ipsis concederetur electio. Et non solum nostram, sed etiam omnium nostrorum successorum et abbatum, quicumque hanc nostram inviolabilem conservare voluerint institutionem, tam ipsi quam successores eorum perpetuam se habere memoriam in sacris eorum orationibus et psalmis missarumque solemniis, mentis toto affectu et pari devotione promiserunt. Nos igitur de tantis et tam salutiferis pollicitationibus indicibiliter exhilarati, tota mentis devotione, cum D consilio et deprecatione monachorum S. Pauli, nec non et domni Gaufredi comitis, restituimus illis electionis auctoritatem, ut habeant licentiam ex proprio grege eligendi abbatem. Unde subnixis precibus omnes successores nostros abbates exposcimus, ut hoc tam salubre et tam salutiferum suorum aliorumque multorum Christi fidelium pariter et nostrorum decretum perpetuis temporibus, uti participes per scriptarum sanctarum semper eorum fiant orationum, hinc sinant permanere inviolabile et inconvulsum. Et ut in Dei nomine certius a nobis factum fore credatur, et semper in reliquum inviolabile conservetur, manibus propriis illud corroborare studuimus, et fratris nostri domni Gaufredi, comitis scilicet, filii Ful- E conis Rufi (2), seu omnium monachorum nostrorum cœnobitarum firmari rogavimus.

Ego Wido pernobilis abbas hanc auctoritatem fieri jussi et ipse firmavi. Signum Gaufredi comitis qui hoc concessit et fecit. S. Arduini, archiepiscopi; S. Gonzalini, monachi et sacerdotis; S. Gerani, monachi; S. Ingelgerii; S. Gaulterii; S. Robertus, mon.; S. Achardi, mon.; S. Gislebertus, mon.; S. Daniel, M.; S. Gaudevinus, M.; S. Gauzbertus, M.; S. Ingelgerus, M.; S. Leudo, mon. et levita; S. Ramnulfus, mon. et lev.; S. Judichael, M.; S. Gauzfredi, M.; S. Radegisus, mon. et lev.; S. Crescentius, M.; Dodaldus, M.; Herbardus, M.; S. Andraldus, M.; S. Rotharii; S. Bosco, M.; S. Deusdet, M.; S. Gislebertus, M.; S. Azo, M.; S. Hervæi, archiclavis S. Martini; S. Deusdedit, cl. et præpositus; S. Rainaldi, levitæ; S. Ildemodi, cl.; S. Rotgarius, cl. et decanus; S. Heribertus, cl. et diaconus.

(1) Forsitan undecimo, cum Lotharius ordinatus fuerit Decembri mense 954.

(2) Lege *Fulconis Boni*.

XLII.

Pisces Baissei dat Fulco comes Majori-Monasterio. *E chartulario Majoris-Monasterii.* (1) 989.

Multipliciter multiplex misericordia Dei perplurimum voluit honorari genus humanum, dum cuique mortali largiri dignatur ut ex temporalibus rebus cœlestia regna mereari valeat, et ex transitoriis sempiterna percipere, dicente ipso Domino per angelicam vocem : *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosina omnibus facientibus eam;* et in Evangelio : *Quicumque dederit calicem aquæ frigidæ tantum in nomine meo, non perdet mercedem suam.* Quocirca, in nomine summi Salvatoris Dei, ego quidem Fulco, Dei nutu Andegavensium comes, misericordiam Dei devota mente considerans, modumque fragilitatis humanæ adtendens ac pavens* diem judicii, dono donatumque esse in perpetuum volo S. Martino Majoris-Monasterii et monachis ejusdem loci, quibus præesse videtur domnus ac venerabilis abbas Guillebertus, tam pro deprecatione domni Teobaudi, monachi, cognati* mei, quam pro remedio animæ genitoris mei Gaufredi, ac genitricis meæ Adelæ, seu animæ meæ, atque Elisabet, uxoris meæ, et parentum meorum, ut Deus omnipotens, per intercessionem piissimi confessoris Martini, nobis filios tribuat qui post nos hæreditari possint, omnes pisces juri meo pertinentes ex piscaria Baissei, sita in pago Andegavensi, exceptis luciis; reliquos vero pisces, quos in eodem lacu homo piscari poterit, a præsenti die cedo, trado, atque transfundo, ita ut quicquid ab hodierna die et deinceps monachi Majoris-Monasterii de præfatis piscibus facere voluerint, liberam et firmissimam in omnibus potestatem habeant faciendi, eo scilicet tenore ut quotidie ipsi monachi psalmum unum cantent, et unaquaque hebdomada unam missam, pro Fulcone et uxore ejus, atque supradictis. Si quis autem hanc meam devotissimam ac pronam oblationem ex hæredibus ac prohæredibus meis, seu aliunde aliqua intromissa persona refringere aut resultare tentaverit, in primis sanctum confessorem Christi Martinum offensum graviter sentiat et cum diabolo in tormentis inferni damnandum se sciat, nisi certissime a sua malivola voluntate reversus fuerit. Insuper etiam monachis ipsius ecclesiæ auri libras xx* coactus exsolvat, et sua repetitio nullum effectum habeat, sed hæc a me signo sanctæ crucis aliorumque bonorum virorum manibus roborata firma ac stabilis omni tempore firmiter valeat permanere.

* al. utrumque diem.

* al. consanguinei.

* al. xxx.

Signum Fulconis comitis.

Signum Gaufredi; S. Hernaldi, clerici; S. Alberici; S. Marcualdi; S. Gauslini, præpositi; S. Hamonis; S. Gauslini; S. Fulconis; S. Hatonis; S. Herneisi; S. Ulgerii; S. Gauscelini; S. Warini; S. Cadelonis; S. Hildemanni, archidiaconi atque cancellarii.

Data in mense Octobris, in civitate Andegava, publice, anno tertio regnante Hugone rege.

(1) Inter Regios codices latine scriptos, sub nunc. 5441 t. 1 pag. 391.

XLIII.

Ex Annal. Mabillonii.

Rotberti regis diploma, quo confirmatur fundatio Bellimontis parthenonis prope Turones.

1007. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Rotbertus, Dei misericordia, rex. Si petitionibus servorum Dei pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium assentiri videmur, et ad divinæ militiæ in locis Deo dicatis uberius famulandum auxilium porrigimus, id nobis procul dubio et ad instantem vitam temporaliter transigendam, et ad futuram feliciter obtinendam commodius pervenire confidimus. Percognitum fore igitur omnimodis cupimus omnibus Christi nostrisque fidelibus, præsentibus scilicet atque futuris, quoniam adiit serenitatem culminis nostri Hervæus, levita et archiclavis beati Martini, humiliter flagitans, et flagitando summa prece deposcens, uti auctoritate nostræ præceptionis eliceremus præceptum sibi fieri de ecclesia B. Mariæ Bellimontis, non longe sita a castro patris Martini, cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, videlicet vineis, pratis, pro quibus dederat fideli suo Ebloni terram in concambio, quæ non minoris pretii ad reddendum fructus existeret quam ecclesia superius nominata, atque de quodam vivario Malamorta nuncupato, idemque postulans de curte Soriniaco, et ecclesia, quæ constat S. Petri, apostolorum principis, fundata, cum omnibus ad eam pertinentibus, tam vineis, pratis, sylvis et aquis, farinariis, terris cultis et incultis; necnon de viginti arpennibus vinearum, quæ prope suburbium oppidi præfati confessoris Christi esse videntur, sitæ inter Ligeris Carique alveum. Cumque eum diligenter fuissemus percontati, quid operis de supradictis rebus esset acturus, retulit se tristari admodum non esse in pago Turonico cœnobium, ubi sanctimoniales fæminæ Christo possent suæ devotionis impendere officium, sicut in plerisque habebatur partibus terræ: et ob hoc, non propter aliud, effici postularet scriptum; eo tamen tenore, quatenus annis singulis in festivitate autumnali prælibati patris Martini redderent præmemoratæ sanctimoniales, de cunctis supra recitatis rebus, viginti solidos de censu in thesaurum, ad thus sive oleum comparandum. Adhuc autem non immemor sui, addidit, ut prius pro me et successoribus meis, deinde pro se atque totius congregationis sui advocati Martini statu, preces Domino funderent quotidie ibidem famulaturæ virgines. Hervæus ita ostensis, excellentiam regiminis nostri humili aggressus precamine, expostulavit ut similiter assertione nostræ auctoritatis corroboraremus ea, quæ vel ipse foret daturus in futuro, vel aliis fidelibus* Christi pro suarum animarum redemptione. Cujus saluberrimæ petitioni, tam sibi quam militis* præfecturæ, pro

E animæ nostræ et parentum nostrorum remedio assensum nobis libuit præbere, et serie litterarum supra omnia memorata confirmare: hoc est ecclesiam beatæ Mariæ Bellimontis cum omnibus adjacentibus sibi, scilicet vineis, pratis; et vivarium Malamorta nuncupatum, ad supradictarum Dei ancillarum edulium; ecclesiam Soriniacam, cum ecclesia et omnibus adjacentibus sibi, id est vineis, pratis, silvis, aquis, farinariis, terris cultis et incultis, atque cum omnibus illius curtis colonis: vigenti quoque arpennos vinearum inter Ligerim et Carum; curtem Liuram cum ecclesiis et omnibus sibi pertinentibus, per assensum Odonis comitis et fratris sui Landrici, ex cujus beneficio esse videbatur, distante quatuor millariis a castro quod dicitur Insula; nec non Quiciacum villam cum omnibus ei pertinentibus, quam idem præfatus Hervæus tenere videbatur.

* al. alii fideles.

* forte nobis profuturæ.

A Præcipientes ergo jubemus, et jubendo præcipimus, ut nullus judex publicus, aut quilibet superioris aut inferioris ordinis reipublicæ procurator, in his prasignatis sanctæ Mariæ omnibus rebus ad causas judiciario more audiendas, in ecclesias aut villas, aut aliquas possessiones, quas, moderno vel priscis temporibus in quibuscumque provinciis aut territoriis regni nostri juste basilica sanctæ Mariæ tenet, vel deinceps in jure ipsius basilicæ divina pietas augeri voluerit, ingredi præsumat; nec freda, tributa, aut mansiones, aut parata, aut teloneum ex ullis negotiis, sicut in præceptis, ut diximus, multorum re-

B gum, exigere, aut fidejussores tollere, aut homines tam ingenuos quam servos super terram ipsius basilicæ immanentes distringere, nec ullas publicas functiones aut redhibitiones, vel illicitas occasiones requirere tam temerarius audeat. Si quis autem in tantam prorumpere ausus fuerit audaciam, ut hujus nostræ auctoritatis et altitudinis præceptum violare præsumpserit, quemadmodum in cæteris regum et imperatorum prædecessorum et parentum meorum præceptionibus continetur, non solum in offensam Christi et nostram lapsurum, verum etiam ducentorum solidorum auri ad purum excocti se noverit pœna multandum. Et ut hujus nostræ præceptionis auctoritas inviolabilem obtineat effectum, et ab

C omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus et successoribus regibus nostris verius a nobis factam esse credatur, et diligentia inviolabili conservetur, manu nostra propria consignavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus. Signum domini Hugonis, archiepiscopi. Signum Avesgaudi, episcopi, quorum excommunicatione se ligatum noverit, qui hoc præceptum infringere præsumpserit, nisi cito pœnituerit, et ad emendationem venerit. Odo comes, etc. Odolgerius decanus, Hervæus archiclavis, Walterius præcentor, etc. Actum Bolonia foreste, quinto kalend. Octobris, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu-Christi DCCCCCVII, indictione quinta. Theodoricus levita, ad vicem Franconis, summi cancellarii,

D recognovit hoc præceptum. Ego Hervæus et confratres mei sancti Martini canonici in pleno capitulo confirmavimus.

XLIV.

Charta fundationis monasterii Bellilocensis. *E Sammarthanis.*

Cum sit incertum quid unicuique tremendi judicii decernat auctoritas, mirum valde est et inutile ut homo miserrimus putet se fore beatum, cum aliquid ei prosperitatis occurrerit, cum quotidie videat quidquid oculis pretiosum videtur ad nihilum devenire, et parum utilitatis dominis suis in hac vita posse conferre. Hac igitur consideratione ego Fulco, Andegavorum comes, consilio fretus venerabilis sponsæ nostræ Hildeardis, necnon et Gofredi filii mei, in proprio alodo, qui vocatur Bellilocus, monasterium quoddam libera satis executione construxi, quem rebus propriis, annuente Domino, dotare disposui, ut ii qui ibi ad serviendum Deo convenerint vitæ hujus necessariis fulciantur, quo liberius debitum suæ professionis exsolvant, et pro nostris moribus* æquum judicem quotidianis orationibus interpellent. Deum igitur supernæ majestatis, id est sanctam Trinitatem, et sanctos illius Archangelos, Cherubim atque Seraphim, in quorum honore monasterium noscitur esse fundatum, pauperculæ eleemosynæ nostræ et hujus testamenti

circa 1009

* al. facinoribus.

hæredes facio, quia, ad delendos æterni globos incendii, potiora suffragia invenire nequeo, quam illos quos divini secreti participes esse non ambigo; hoc igitur quod nunc denotabo æternum victum animæ meæ esse constituo, rogans et obsecrans successores meos, quicumque futuri sunt, ut pro Dei amore et animarum suarum redemptione, hoc quod pie incœpi ipsi perficiant, et omnes possessiones præfati monasterii, quasi ea quæ Dei sunt, sua defensione et custodia muniant; nec ipsi minuant, nec ab aliis minui patiantur. Et si patrum auctoritas aliquando filiis obedientibus, vel inobedentibus, benedictionis seu maledictionis potest inferre sententiam, si quis successorum nostrorum huic loco aliquid boni contulerit, Abraham, Isaac, Jacob benedictionibus cumuletur; et si quid intulerit damni cum Caïn et Abiron sententiam damnationis excipiat, nisi cum digna* satisfactione et emendatione congrua direpta restauraverit. Trado autem huic monasterio, et omnibus habitantibus in eo, burgum stotum et omnes costumas burgi, et dominium atque justitiam sine aliquo retinaculo, in quo quicumque habitabit nunquam poterit de crimine servitutis infamari, sed pro libertate alodi omnes ejus habitatores erunt liberi; ipsos vero habitatores in molendinis, furnis, vendis et terragio* habebunt consuetudinarios. Consuetudinarios autem suos, ubicunque vina sua posuerint, sequentur, et tabernagium habebunt; et non solum infra alodium, sed etiam extra per circuitum et vendas, de omnibus quæ ad mercatum pertinent, et tabernagium intra terminos subscriptos, nostra largitione accipiant a rivulo de Contere et quercu S. Eulaliæ et ab oleriis et ab ulmo Suspensi. Dono autem et concedo eis ut mercatum perenniter habeant omni die Sabbathi. Addo præterea eis, ut habeant et faciant in ipso alodo monetam meam de Lochis. Ipsum autem alodum liberati* donamus, ut nullus sit qui hunc aliter quam Ecclesiam Dei violare, aut infringere præsumat, nec habitatoribus ejus aliquam violentiam inferre, vel pro aliquo forefacto in rebus eorum manum mittere, quamdiu ipsi ante abbatem rectum facere voluerint; ad hunc* autem præfatæ ecclesiæ dono Pleuseiacum* meum, quod est juxta Tanseniacum*, cum nemoribus, terris, cultis et incultis, servis et ancillis, sine retinaculo alicujus consuetudinis. Addo præterea eis emptiones meas, quas in pago Turonico feci, videlicet apud Trinum* et Tresortes*, et villam Pagani, et Sarpillieras, ita libere et quiete, quod nullus homo potest in eis aliquam costumam reclamare; habitatores autem prædictorum locorum, et alios homines quos sæpedictæ ecclesiæ dedi, non talliabit abbas singulis annis, sed tunc tantummodo quando electus fuerit, vel terram emerit, aut pro aliqua magna causa et evidenti: si homo monachorum femineam meam duxerit, vel homo meus ipsorum femineam, utrumque libere habeant: quicumque autem infra prædictum alodum aliquid vendiderit, cujuscumque ordinis aut dignitatis sit, vendas vel costumas persolvat secundum consuetudinem loci: de nemore autem meo Bosolgerio do eis ad structuram et emendationem monasterii et domorum et molendinorum, et ad calefaciendum, et alia opera eorum, et glandes ad porcos suos nutriendos; et si in aliquo loco terræ meæ abbas loci illius pro qualicumque re bellum fecerit, si homo suus victus fuerit, liberum eum reducat, nec aliquam forfacturam præposito vel vicario emendet. Bellum quod ante abbatem vel præposito loci aramitum fuerit, ibi perficietur, vel ubi abbas illud dicere voluerit. Si vero cum homine meo, aut alicujus mei militis

* al. condigna.

* al. tabernagio.

* al. alodium tantæ libertati donamus.

* al. adhuc.

* al. Plaisseiacum, Plesseiacum.

* al. Fauseniacum, Tausigniacum.

* al. Triorum.

* al. Tressores, Tressortem.

A aramitum fuerit, Lucas bellum fiet: si contra monachos burgenses insurrexerint, et in eos vel famulos, aut res eorum, manum miserint, unusquisque sexaginta libras, et qui ad hæc arma produxerint decem libras, solvent. Si orta seditione inter eos aliquis alium vulneraverit, decem libras, et qui arma produxerint sexaginta solidos persolvent. Quod vero pro aliis forfatis judicatum est, habebunt et districtum domorum*. Hæc ut perenniter teneantur litteris mandare decrevi, et testibus subnotatis roboranda tradidi. Signum Fulconis comitis; signum Hildeardis comitissæ; S. Gofredi comitis; S. Goffredi Prulliacensis; S. Lisorii de Ambasiaco; S. Sanctionis de Haya; S. Gocelini de Sancta Maura; S. Gauterii Capellani.

* al. gladium.

B

XLV.

Locellum in honorem S. Mariæ consecratum dat Majori-Monasterio Burchardus de Insula.

E chartario Majoris-Monasterii. 1020.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Burchardus, miles, seniorque castri quem vocant Ad Insulam, situm super fluvium Vigennæ, notum et percognitum fieri volo cunctis prohæredibus et successoribus qualiter, anno Incarn. Dominicæ 1020, adiit præsentiam meam venerabilis abbas Ebrardus, et Hacfredus, sanctæ matris ecclesiæ Turonicæ decanus, Arderadus quoque monachus, frater meus, cæterique utrinsque ordinis homines, deprecantes ut quoddam locellum
C in honore S. Mariæ semper virginis consecratum, quem Theotbaldus et Amalricus et Acfredus, avunculi mei, ceterique propinqui ex suis reditibus et prædiis locupletaverunt, ita ego quoque, immunitatis gratia, ipsum locum exaltarem et consuetudines omnes ad vicariam pertinentes, et alias redhibitiones quæ exigebantur ab hominibus in eodem loco manentibus pro Dei amore condonarem. Quorum petitionem audiens, enormitatemque meorum scelerum recognoscens, pro Dei amore et S. Mariæ semper virginis sanctique Martini, easdem consuetudines in perpetuum derelinquo, videlicet de alodo ipso quem Theotbaldus donavit, quod vocant Tevennis, et manum firmam
D quam ego et parentes mei eidem loco delegavimus. Do etiam eis et partem piscationis quæ ad me pertinet in exclusa ejusdem loci, et de silva mea ad ipsam exclusam reedificandam quantum sufficit, omni tempore, pro Dei amore et remedio nostrarum animarum, meæ scilicet et filiorum meorum Hugonis et Hucberti, atque Aymerici, conjugumque mearum Hyrmingardæ defunctæ et Aanor, tali tenore ut omni hebdomada in eodem loco, tam in vita quam in morte, pro nobis una missa decantetur et quinque psalmi per capitulum psallantur, et anniversarium celebretur, et in monasterio B. Martini quod vocatur Majus, omni die panis libra et vinum pro me uni pauperi donetur.

Sig. Burchardi; S. Aanor; S. Hugonis; S. Hu-
E berti; S. Aymerici; S. Hacfredi, decani; S. Arnaldi; S. Gaulterii; S. Acfredi; S. Gauzelini; S. Guicherii, filii Gauzfredi; S. Huberti; S. Rodgerii; S. Berardi; S. Giroii; S. Aldeberti; S. Amalgerii; S. iterum Arnaldi.

XLVI.

Odo servum manumittit ad sacros ordines promovendum.

E schedis Baluzianis.

In nomine regis æterni, ego quidem comes Odo, qui ex rebus S. Aniani, per largitionem domni Roberti regis, tenere videor. Noscant cuncti fideles Christi, præsentes et futuri, quia favente

Circa 1027.

meo fidele Reginaldo de Reiremorentino, ac deprecante Girardo suo fidele, quemdam famulum, nomine Seherium, ex prædicti sancti familia ortum, ad sacros ordines promovendum, propter amorem Dei liberum facio, sitque ab hodie liber ac si de ingenuis parentibus fuisset genitus. Habeat vias quadrati orbis apertas, nullo contradicente. Eligat quemcumque vult advocatum, nemine reclamante. Et ut hæc libertatis chartula firma sit, manu propria subterfirmavi.

S. Raginaldi, qui hanc chartulam fieri jussit, vel affirmare rogavit.

S. Gerardi. S. comitis Odonis. S. Landrici. S. Evrardi, abbatis. S. Arnulfi, archiepiscopi. S. Huberti, episcopi. S. Ragenardi. S. Guilduini. S. Salomonis. S. Hilgaldi. S. Hugonis.

Actum Vindocino castro, anno XLII regnante rege Roberto (1). Fulcherius scripsit ad vicem Viviani, signatoris.

XLVII.

E schedis residuis S. Germani Pratensis. 1030.

Charta fundationis Nucariensis abbatiæ.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Robertus, Francorum rex; cum in exhibitione temporalium rerum, quas humana religio, divino cultui famulando, locis sanctorum et congregationibus fidelium ex devotione animi largitur, tam præsentis quam perpetuæ vitæ, ut jam multis expertum est indiciis, solatium acquiratur, omnibus in commune tam religiosæ erogationi est studendum et vehementius incumbendum; nostram etiam amplitudinem decet talibus condescendere, et eorum petitionibus gratuitum assensum præbere. Noverit ergo præsentium sanctæ matris Ecclesiæ fidelium notitia et futurorum posteritas, quod quidam religiosus homo, Hubertus nomine, in quadam ecclesia in honore S. Trinitatis et in memoria sanctæ Dei genitricis sacrata, volens monachos sub regula S. Benedicti aggregare, pro salute animæ suæ et parentum suorum, prædictam ecclesiam a Malranno quodam impetravit, per assensum et voluntatem Fulconis comitis et Geofredi filii ejus, de quorum beneficio erat. Erat autem prædicta abbatia super fluvium Vigennæ sita, in vico qui Nucharius dicitur. Huic etiam abbatiæ dedit prædia sua idem cum Thoma clerico, ejus videlicet filio. Id est alodum Cavriciacum, cum servis et ancillis, cum pratis et vineis, et omnia quæ ad ipsum alodum pertinent. Alodum quoque Delciacum, cum pratis et vineis, et cæteris cultis et incultis, nec non alodum Cavaniæ, super fluvium Donusium situm, cum pratis et culturis, prædictus Thomas, ejus filius, in usus pauperum qui quotidie, secundum Dei mandatum, ritu monastico ad lavandos pedes recipiuntur, deputavit. Et ut regali auctoritate prædictus Hubertus tam donationem Malranni, quam etiam assensum et voluntatem Fulconis et Geofridi firmando stabiliret et stabiliendo firmaret, adiit celsitudinem nostræ serenitatis, subnixe orans hanc conventionem et donationem manu mea firmari et sigillo meo insigniri; quod, ut apparet, ita et feci, hoc quoque statuens nostra auctoritate regia atque præcipiens quod si quis forte, quod absit, claustra monasterii vel cimiterium infregerit aut violaverit, imo etiam de alodo in quo basilica sita est vi quidquid rapuerit vel abstulerit, auri centum libras in ærario mona-

(1) Regnum Roberti II, ab anno 996 incipiens, non annum ultra 1031 trahendum jam notavimus in Arnulfo archiepiscopo. Erravit ergo manus eclogarii. Legendum autumamus : anno XXXII Roberti regis; viventibus Arnulfo archiepiscopo, Huberto Andegavensi episcopo, Evrardo Majoris-Monasterii abbate.

A chorum persolvat. Si autem tanti pretium non habuerit, semetipsum monachis tradat, et insuper cum juramento et quidquid habere poterit. Qui quandiu hoc distulerit facere perpetuo feriatur anathemate.

Actum publice Aurelianis, Verbi incarnati anno MXXX, regnante rege Roberto XLIV (1). Ego Balduinus, cancellarius, relegendo, subscripsi.

XLVIII.

Ex Annalibus Mabillonii. Circa 1032.

Præceptum Odonis pro Majore-Monasterio.

Si justum esse credimus et christianæ pietati congruum, ut potentes seculi hujus de pro- B priis facultatibus, quas a prioribus suis jure hæreditario possidendas per legitimas successiones suscipiunt, ecclesiis Dei famulantibus, unde sustententur, tribuant, nimis a justitiæ linea discrepare censemus, si non ea, quæ a domo Dei antiqua iniquitas injuste abstulit, nos, divino perculsi timore, juste ei restituamus. Qua ego Odo comes recta consideratione animatus, pro animæ meæ atque uxoris redemptione, et filiorum meorum incolumitate, restituo S. Martini ecclesiæ, quod Majus-Monasterium dicitur, per deprecationem Evrardi abbatis, monachorumque ipsius loci, ecclesiam quamdam in pago Blesiacensi sitam, quæ Chilziacus nominatur, quos ipsos olim jure tenuisse liquet, sed secularium hominum vio- C lentia perdidisse. In hujus autem pietatis operatione, Alanus, Britannorum comes clarissimus et Eudo, frater ejus, qui de me prædictam ecclesiam in beneficio tenebant, pro lucro æternæ hæreditatis consenserunt. Et ut hæc descriptio majorem per tempora obtineat vigorem, præsente Hainrico rege, ejusque fidelibus et nostris, manu propria, præmisso ejus signo, eam subter firmavimus, manibusque nostrorum fidelium corroborandam tradidimus, quorum nomina hæc subterscripta continentur. Signum Hainrici regis. Sign. Adam Melidunensis. Signum Alberti, filii Rainaldi vicedomini. Sign. Gaucelini. Sign. Manassæ, comitis. Sign. Odonis, comitis. Sign. Eudonis, comitis. Sig. Guigonis. Sign. Hoelli. Sign. Alfredi. D Sig. Jungonei, Britannorum archiepisc. Sign. Garini, episcopi Redonensis. Signum Maufiniti. Sign. Guanilonis, thesaurarii. Sign. Gelduini. Sign. Erivei, fratris ejus. Sign. Nivelonis. Sign. Ansel. Sign. Gauzcelini. Sign. Hugonis, fratris ejus. Sign. Dotuini. Sign. Gradulfi, præpositi. Sign. Aymonis, fratris ejus. Sign. Rainaldi.

XLIX.

E chartulario Majoris Monasterii. 1034-1069

Charta de fundatione Fontis-Merlandi.

Solet prodesse plurimum cum litteris notificantur posteris facta priorum. Si quidem per hoc et edocentur quæ nesciunt et muniuntur contra pra- E vorum calumnias hominum. Notificamus igitur posteris nostris generationibusque futuris comitem inclitum Odonem, alterius Odonis filium, apud villam quam Pasnærias dicunt, dedisse nobis, monachis videlicet B. Martini, sub abbate Alberto degentibus, et in loco qui Majus-Monasterium dicitur Deo famulantibus, partem aliquam, tres scilicet quartas, silvæ illius quam Blimartium vocant, ubi quamdam, quamvis parvulam, quam in ea habebamus, ampliare possemus possessiunculam. In qua aliquanto post elapso tempore, ecclesiam ædificavimus, nutu comitis Odonis qui eam dederat, nec non voluntate et assensu

(1) Erravit notarius, vel potius eclogarius, cum annus Christi 1030 respondeat anno Roberti XXXIV, non vero XLIV.

Theoderici Carnotensium episcopi, et Arnulfi archidiaconi, ad cujus archidiaconatum pertinebat. Sed exigente malitia hominum, qui latrocinia exercentes eam infringebant, et quæ in ea invenire poterant diripientes violabant, jussu comitis Odonis in villam sui juris quæ mons Theodaldi vocatur, parrochiam ecclesiæ quæ Monasteriolum dicitur, ut quieta in ævum esse posset, auctorisante supradicto pontifice, transponitur. Dedit etiam prædictus comes, ut pote singulari liberalitate pollens, et nos nostrumque monasterium semper et in omnibus, ut cunctis late claret mortalibus, honorare et amplificare cupiens, de exemplis ejusdem silvæ decimas, faventibus filiis suis Teodebaldo ac Stephano et Ermengardi uxore sua. Impetravit quoque precibus suis ut eam prætaxatus episcopus, annuente Arnulfo archidiacono, ab omni absolveret exactione episcopali; unde etiam B. Martinum constituit vicarium, ut sic tandem libera et quieta esse posset in perpetuum. Cum ecce domnus Arnulfus, Turonorum archiepiscopus, in nos exardescere cœpit in iram, ecclesiam illam Monasterii cum ejus parrochia, in qua nostra fabricata fuerat ecclesia, omnibusque ad eam pertinentibus de fevo suo esse reclamans, sibi multam conquerens injuriam fieri, sibi damnum non minimum inferri. Qua de re permoti et pene jam defatigati, nostri cedentes iræ pastoris, cogimur eas alias rursus promovere et ad eamdem silvam unde translata fuerat, quibus supra annuentibus, referre. In ea ergo ædificatur et constituitur, in loco qui vulgari vocabulo Fons Merlandi dicitur, libera ab omni venditione et comparatione, a synodo et circada, tam libera et quieta quam prius eam episcopus ab omni exactione et censura episcopali absolverat. Cujus rei testium nomina hac in pagina sunt subscripta.

S. Tetbaldi, comitis; S. Stephani, fratris ejus; S. Ermengardis, comitissæ; S. Odonis, Dolensis castri. S. Harduini, vice comitis; S. Hervæi, vicecomitis; S. Theoderici episcopi; S. Arnulfi, archidiaconi; S. Nivelonis; S. Dadonis de S. Aniano; S. Rodberti, præfecti Blesis; S. Gradulfi et Haimonis, fratris ejus; S. Alberti, abbatis; S. Andraldi, monachi; S. Joannis et Ulgerii, monachorum; S. Gausmari et Warini, clericorum; S. Richardi et Rainaldi, majorum; S. Hildeberti, coci.

L.

E chartulario Majoris-Monasterii. 1051.

Amalricus miles dat Majori-Monasterio Seincurtem in Carnotensi pago.

Quisquis fidelium ardore succensus adimplendæ præceptionis evangelicæ, qua cuncti divitias habentes misericorditer admonentur de mammona iniquitatis facere sibi amicos, a quibus, cum defecerint, in æterna tabernacula recipiantur, omnium necessitatibus communicare studuerit indigentium, ut deficiens ab hujusmodi videlicet amicis in mansiones excipiatur æternas, noverit se indubitanter non solum a sui receptione non esse frustrandum, sed etiam ab omnipotente Deo se esse inter gloriosiores beatitudinis æternæ præmia percepturum. Hac igitur salubri consideratione ego Amalricus, miles, sollicitatus, necessarium duxi aliquid ex his quæ temporaliter accepi beneficientiæ munere conferre pauperibus in præsenti, quod post tempus in æterna retributione centena merear multiplicatione recipere. Quod ut probabilius fieri possit, eorum potius disposui procurare subsidia qui sunt pauperes spiritu, quorum juxta veritatis vocem regnum dinoscitur esse cœlorum, qui ut Christi servitio liberius expeditiusque vacarent, propriis abrenuntiantes facultatibus voluntariam subiere paupertatem. Igitur fratribus his qui in Turonensi cœnobio, quod Majus-Monasterium dicitur, omnipotenti Deo pro posse, sub Alberto abbate, famulantur, quemdam locum, majorum meorum successione mihi contingentem, in Carnotensi pago situm, nomine Seincurtem, in honore S. Trinitatis constructum, cum omnibus sibi subjectis rebus quas dedimus, vel quas deinceps per nos vel per alios in jus ipsius loci divina pietas transferre voluerit, voluntate et assensu auctoritatis meæ conjugis, nomine Bertredis, nec non et filiorum meorum, Simonis videlicet atque Mainerii, et concedens annuo et annuens concedo jure perpetuo possidendum, quatinus eorum qui eleemosynis divinæ majestati placuerunt merear adjungi consortio. Ut autem quantitatis, sive integritatis earumdem rerum quas in præfato loco contulimus omnis propellatur ambiguitas, earum nomina huic scripto inserere jussimus: id est ecclesiam de Olmetis, cum omni integritate, et ecclesiam de Proeis, similiter cum omni integritate, nec non et casam ecclesiæ de Hilmaretis et casam ecclesiæ de Gaserenco et casam ecclesiæ de Raimboleto, et quicquid respicit ad villam cui Seincurtis nomen est, infra flumen quod vocatur Tahu, cum vineis, pratis, molendinis, terris cultis et incultis, servis et ancillis qui in loco illo morantur, et qui ad eumdem locum pertinent; præter ea, unum stagnum et unum alnetum, nec non et decimam nostrarum equarum*, et decimam rectæ redhibitionis cujuscumque rei quæ de Sparnone castro exire videtur. Altare vero de Baserenco et altare de Raimboleto, cum medietate villæ de Proeis, post meum a sæculo discessum eidem loco delegando, confero jure perpetuo possidenda, annuentibus meis filiis, Simone videlicet atque Mainerio. Et quicquid jam supradicto loco tribuo, liberum ab omni consuetudine exactionis vel vicariæ, seu cæterorum vectigalium facio, ita ut ab hodierna die nullus judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate, infra hujus loci potestatem ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones faciendas, aut homines ipsius loci distringendos, aut fidejussores tollendos, nec ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat; sed sine ulla, vel mea, vel cujusquam successorum meorum contradictione, liceat supradictæ congregationi S. Martini Majoris-Monasterii suisque successoribus, cum abbatibus qui eis pro tempore præerunt, prædictum locum cum omnibus sibi subjectis rebus sub suæ tuitionis defensione jure perpetuo possidere; et quicquid inde agendum decreverint potestatem habeant faciendi, ordinandi, et, qualitercumque eis placuerit meliusve visum fuerit, disponendi, tam præsentibus quam futuris temporibus. Et ut hoc nostræ eleemosynæ testamentum, per cuncta annorum curricula vigorem perpetuitatis obtinendo, ab omnibus credatur atque diligentius conservetur, Henricus, divina ordinante Providentia, rex Francorum augustus, per nostram deprecationem sua auctoritate firmavit et suæ dignitatis sigillo consignare fecit, nec non et fidelibus suis quorum nomina subscripta sunt corroborandum tradidit. Si quis autem, quod absit, ex hæredibus nostris vel alia quælibet cujuscumque ordinis aut potestatis persona, diabolicæ suggestionis instinctu, hujus eleemosynæ testamento inferre calumniam temptaverit, et pravæ voluntatis effectum justitiæ convictus obtinere non valeat, et regi qui pro tempore fuerit auri libras decem coactus exsolvat.

Signum Henrici gloriosissimi regis.

S. Tetbaldi, comitis. Sign. Odonis, fratris regis.

* *forsitan* equarum.

Sign. Gualerani, comitis. Sign. Hescelini, Paris. urbis episc. Sign. Guazonis de Drocis. Sign. Nivardi de Monteforti. Sign. Hervæi de Galerdone. Sign. Avisgodi. Sign. Gualterii de Vileta. Sign. Radulfi de Vachereta. Sign. Roberti, clerici, Sign. Amalrici. Sign. Simonis, filii ejus. Sign. Mainerii, filii ejus.

Data anno XXI regnante Henrico gloriosissimo rege, indict. VI. Actum apud Stampas. Deo gratias *.

* *al.* Stampas Logias.

LI.

E veteri membrana (1). 1052.

Libertas a rege data Salaconi servo.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Hainricus, gratia Dei, rex Francorum, notum fieri volo omnibus meis fidelibus, tam præsentibus quam et futuris, quam Gansbertus atque Guillelmus et Hugolinus, filii Gaufredi de S. Maura, adierunt præsentiam meæ majestatis, rogantes ut concederem, per consensum matris eorum Eremburgis, et sororis eorum Jaquelinæ, cuidam eorum homini nomine Salaco donum libertatis. Quod ita et feci, more regio, excusso scilicet de palma denario; eo itaque tenore ut pateant ei ut libero viæ quadrati orbis. Et si quis contra hanc libertatem adsurgere temptaverit, regi coactus centum auri libras exsolvat, suaque reclamatio irrita in perpetuum maneat. Et ut firma et stabilis permaneat meo sigillo insignire feci. Actum est Aurelianensis, octavo decimo kal. septembris, anno incarnati Verbi millesimo quinquagesimo secundo, regnante Hainrico rege vigesimo secundo.

Testis Gaufredus, comes Andegavensis; Gricia, uxor sua; Gaufredus de Prulliaco; Bartholomæus, archiepiscopus Turonensis; Marchoardus, quondam monachus, sed eodem tempore miles; Isenbardus, Aurelianensis episcopus; Gaufredus, S. Martini Turonensis ecclesiæ decanus; Galerardus, miles; Gaufredus, filius Roscelini de Haia; Gaufredus, filius Constantini; Johannes; Gausbertus, et fratres ejus materque eorum; Mauricius, filius Gerardi, cognomine Arimeri; Tetbaudus, filius Goscelini de Chinonio; Petrus, filius Roscelini; Giuscelinus; Hainricus, regis capellanus. Ego Bauduinus, cancellarius, relegendo subscripsi.

LII.

E schedis Baluzianis. 1063.

Confirmatio traditæ colibertæ.

Nosse deberitis, si qui eritis, posteri nostri, Majoris scilicet hujus habitatores Monasterii S. Martini, presbyterum quemdam, Florianum nomine, de vico Condatensi, donasse S. Martino et nobis sub regimine jam tunc agentibus domni abbatis Alberti colibertam quamdam, nomine Bertam, uxorem Guaingi furnarii, cum fructu scilicet ventris ejus toto, sive jam existenti, sive futuro. Quam etiam donationem ejusdem Floriani filius Fulco, post annos quidem plurimos, anno scilicet ab incarnatione Domini MLXIII, superstite adhuc domno abbate nostro Alberto, in nostrum veniens capitulum una cum ipso genitore suo, et auctorisavit, et quantum ipsius erat ipse quoque fecit, in participatione benefacti sui pro hoc susceptus, sicut fuerat quando donum illud fecit et pater ipsius. Spoponderunt etiam tunc ambo Adeladem et Ermenildem, ejusdem Floriani filias ejusdemque Fulconis sorores, una cum suis maritis, Guarnerio scilicet de Belloforti, et David de Montesorello, in idem capitulum post dies paucos esse venturas et donationem patris ac fratris auctorisaturas.

(1) Inter residuos S. Germ. Prat. codices, Monasticon Benedict., t. XX, pars 1.

LIII.

E schedis Baluzianis 1065.

Se tradunt servum et servam S. Martino Rainaldus et uxor Alberga.

His litterarum apicibus volumus fore notum posteris nostris, hoc scilicet in loco Majoris-Monasterii habitaturis, duos homines, maritum et uxorem, masculus vocabatur Rainaldus, fœmina Alberga, divino timore compunctos in capitulum nostrum venisse, seseque, cum ex ingenuis natura parentibus procreasset, servos S. Martino nobisque, sub tanto patrono jam dicto in loco Deo famulantibus monachis, tradidisse. Indubitanter enim credebant, licet imperiti sermone, non tamen sensu, per hanc servitutis obligationem illud absolvendum vinculum quod peccando contraxerant. Adduxerunt etiam secum duos puerulos suos quos genuerant sexus utriusque, quos simili conditioni subdidere. Sed et omnem fructum qui ex eis nascendo procederet nostræ perinde ditioni mancipарunt, tam filiis et filiabus quam in cæteris successionis gradibus, et in illa quoque generatione ubi jam longa progressionis series patrum filiorumve vel cæterorum graduum superiorum et inferiorum nomen non recipit, sed majores tantum minoresve solent vocari, donec decedendo et non succedendo ad ultimum generationis, quod quidem rarius, sed tamen contingere solet, perveniatur, qui et ipse nihilominus eodem servitutis nomine censebitur. Posuit itaque homo ille quatuor denarios super caput suum, ut moris est, quasi tributum ejusdem et recognitionem ex tunc se non sui sed nostri esse juris, et hoc ob memoriam tam suam quam nostram quotannis dum viveret facturum affirmavit.

Actum est hoc in præsentia domni abbatis nostri Bartholomæi, anno secundo regiminis sui, et MLXV ab incarnatione Domini.

LIV.

E schedis Baluzianis. Circa 1070.

Charta concordiæ cum Hilgodo Cuneario, cui debitum famulus prandium negaverat.

Notum sit fratribus nostris, scilicet monachis Majoris-Monasterii, quod Hilgodus Cunearius venit quadam vice in hospitale nostrum, et, loquens cum famulo hospitalis, quæsivit dari sibi ad prandendum. Famulus autem, negligens quærere dominum suum monachum, nihil dedit ei. De qua re ille valde iratus discessit, abiitque ad semitarium et saisivit plaxitium quod olim nobis vendiderat. Quod cum nobis nuntiatum fuisset, perrexit illuc Odo, prior noster, iniitque cum eo placitum in castro Rainaldi, ante portam ipsius castri quæ est a meridie. Ubi interrogatus ille quare saisisset plaxitium nostrum, respondit fuisse conventionem, quando nobis illud vendidit, ut si veniret in hospitale nostrum, semel, aut bis in anno, reciperemus eum sicut fratrem nostrum. Venerat autem semel et susceptus non fuerat. Interrogavit eum prior, si fuisset locutus cum monacho hospitatario. Et respondit : Non; sed tantummodo cum famulo. Et propter hoc, cum non posset alii imputare culpam nisi famulo, dixit prior non esse consuetudinem nostram de tali forisfacto facere aliam emendationem, nisi tantummodo de famulo sumere corporalem disciplinam, hoc est verberibus eum castigare. Suffecit illi hæc emendatio et dimisit nobis terram nostram solutam et

quietam, sicut vendiderat; et memoravit in ipso placito convenientias quas habemus cum eo pro venditione illius terræ; scilicet ut si semel aut bis in anno veniens ad nos in hospitali nostro manducare petierit, non ei denegemus, et, si ad conversionem venerit, cum eo quod afferet recipiatur; aut si, ante quam mortuus fuerit se ad nos deferri fecerit, ut eum sepeliamus. Quibus ab eo memoratis et a nostra parte confirmatis, discessum est in pace ab utraque parte. Actum anno sexto domni abbatis Bartholomæi.

LV.

E chartulario Majoris-Monasterii. 1073.

Auctoramentum Fulconis comitis de rebus Majoris-Monasterii.

Omnibus nostris successoribus manifestum fieri volumus, quod domnus abbas Bartholomæus et aliquanti de senioribus nostris fecerunt clamorem ad comitem Fulconem, comitis Gaufredi, cognomento Martelli, nepotem, de ministerialibus suis qui immitebant inauditas consuetudines in terras nostras, et resumebant illas quas pro anima sua Gaufredus comes, avunculus ejus, perdonaverat S. Martino et nobis. Quorum complanctum benigne suscipiens præfatus comes, dixit se velle audire quali quietudine tenueramus terram nostram in tempore avunculi, et quas consuetudines nobis ipse perdonaverat. Et responderunt tam domnus abbas quam et monachi qui cum eo erant, quod terra nostra, auctoritate antecessorum suorum, ita quieta hactenus extiterit, ut si quispiam terram S. Martini colens in eadem terra aliquando, ut solet fieri, viam publicam, aut semitam, qualibet necessitate aratro suo consciderit, aut in eis sepem, vel fossam exstruxerit, de quibus rebus sæpius nos inquietabant homines ejus, nullo modo inde se debeat intromittere Turonorum comes; et si aliquis albaneus, qui antea comitis consuetudinarius non fuerit, in terram nostram hospitetur, et ibi sine hærede moriatur, nec definierit quid agatur de substantia sua, nihil super eo potest jure reclamare comes. Addiderunt etiam his quod comes Gaufredus, avunculus ejus, perdonaverat Deo et S. Martino pro anima sua omne teloneum navis nostræ, et chalannorum qui contra eam mittuntur ad allevamentum, per omnia loca ditionis suæ, auctoramento etiam ipsius comitis Fulconis et comitis Gaufredi, fratris ejus; similiter et de omnibus quæcumque in proprios usus, vel per terram, vel per aquam, undecumque adduceremus, perdonavit omne teloneum, pedagium, rotaticum, et si quæ sunt aliæ hujusmodi consuetudines. Hæc ita se habere per omnia, sicut superius dicta sunt, testes inde nobis fuerunt vice* comitem Fulconem quatuor vassalli, scilicet Haimericus Faciens-Malum, Artaldus Burgundio, Albericus, filius Ritberti, Albertus præpositus, dicentes etiam quod nullius unquam ditioni subjacuisset terra S. Martini, nisi abbatis et monachorum ejus. Quod cum audiisset comes, promisit se libenter observare ea quæ antecessores sui instituerant, excepto quod retineret in sua manu quatuor chiminos; scilicet chiminum montanum, qui tendit ad Membrariolam, et chiminum de Bria, qui tendit ad Vindocinum, et chiminum qui tendit ad Lonjaicum juxta Ligerim, et chiminum qui tendit ad Blesim per Majus-Monasterium, de quibus nunquam pateretur quod vel ararentur, vel haiarentur, nec fossa in eis fieret, ne impediretur iter transeuntium mercatorum, sive quadrigarum. Cætera omnia promisit se firmiter observare, nec velle se quicquam ex eis minuere, sed potius augere, et, ut initium tantæ promissionis suæ ostenderet, dedit nobis pastionem ad centum porcos omni anno, sine ullo pasnatico, in quacumque forestium suarum melius eligerimus. Itaque, facta hujusmodi largitione, præcepit comes et auctorisavit ut essent res nostræ solutæ et quietæ, sicut antea fuerant, excepto quod retinuit in sua manu quatuor supradictos chiminos. Huic auctoramento affuerunt multi barones qui subscribuntur: Rotbertus Burgundio; Gaufredus Papabovem; Ugo de Monte-Sorello; Haimericus Faciens-Malum; Matthæus, filius Itherii; Normannus, filius Ascelini; Guido de Neverth; Gaufredus de Pociaco; Mainardus de Relliaco; Johannes de Paluello; Abo de S. Michaele; Otgerius.

Actum est hoc per manum domni Bartholomæi abbatis, anno Incarn. Domin. 1073, anno vero ordinationis domni abb. B. nono, anno etiam consecrationis domni Radulfi archiepiscopi primo, III nonas Martii, secundo ab illo die quo, Deo propitiante, confirmata est treugua apud Turonum per manus præfati archiepiscopi, ante quem recitata est hæc chartula quæ et testis est hujus auctoramenti.

* forsitan ante.

LVI.

E schedis domni Housseau. 1100.

De jure Martiniensium in Cormaricenam ecclesiam.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei. Querelam de Cormariceno cœnobio, inter B. Martini canonicos et illius loci monachos diutius agitatam, qualiter in conspectu nostro, archiepiscoporum, episcoporum, abbatumque judicio definita sit, ad utrorumque quietem perpetuam, nostræ auctoritatis litteris præcepimus annotandum. Lectis enim in conspectu publico B. Martini ecclesiæ privilegiis, ipsius et cœnobii monumentis, aliquantulum* patuit locum illum ex supradictæ ecclesiæ stipendiis, canonicorum ipsorum studio fuisse ædificatum, qui postea, per Andegavensem comitem, advocatiæ seu defensionis occasione, ex canonicorum potestate sublatus est. Ex considentium igitur fratrum, qui nobiscum Turonis* ad ecclesiastica negotia finienda convenerant, deliberatione atque judicio, Cormaricensis abbas Guido baculum non ordinate acceptum canonicis B. Martini reddidit, qui mox super B. Martini tumulum positus est: postea tamen ex eodem tumulo eidem abbati, qui religiosæ conversationis habebatur, rogantibus fratribus, Petri decani et totius capituli concessione restitutus est. Perpetuo itaque decreto ratum esse præcepimus, ne deinceps in Cormaricensi monasterio abbas aliter eligatur quam in supradictæ ecclesiæ privilegio continetur; electus autem, supradicto tenore, de B. Martini sepulcro baculum sumat; item, defuncto abbate, semper ad eumdem locum baculus referatur, et super illa sanctissima confessoris apostolici membra, communi decani et capituli jussu, signum illud pastoralis regiminis semper accipiatur, salvo Turonensis archiepiscopi jure, quod, in abbatis ordinatione, secundum communem Ecclesiæ consuetudinem, exercendum est. Si quis sanæ constitutioni huic obviam ire et Cormaricense cœnobium ecclesiæ B. Martini subtrahere temptaverit, apostolicæ indignationis gladio et S. Spiritus judicio feriatur. S. Urbani, papæ. S. Hugonis, Lugdunensis archiepiscopi. S. Radulfi, Turonensis archiepiscopi. S. Guidodis, Viennensis archiepiscopi. S. Hildeberti, Bituricensis archiepiscopi. S. Amati, Burdigalensis archiepiscopi. S. Gosfredi, episcopi Andegavensis. S. Hoelli, Cenomannensis episcopi. S. Ivonis, Carno-

* al. ad liquidum.

* al. Pictavis.

tensis episcopi. S. Morvanni, Venetensis episcopi. S. Benedicti, Namnetensis episcopi. S. Willelmi, Arvernensis electi. S. Marbodi, Redonensis episcopi. S. monachorum Cormaricensium : Symonis, prioris, Berrerii. S. Brunonis, Sagiensis episcopi. S. Heuzonis, cardinalis. S. Gregorii, cardinalis. S. Alberti, cardinalis. S. Gregorii, cardinalis. S. Buchardi, præcentoris S. Martini. S. Fulcherii, præpositi. S. Matthæi, præpositi. S. Sycardi, præpositi. S. Alexandri, subdecani. Datum Pictavis per manum Joannis, S. Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis, III cal. Aprilis, indict. IV, anno Domini MXCVI, papæ nono.

LVII.

Ex originali, inter Diplomata Baluzii.
1100.

Litteræ de morte abbatis Bernardi.

Omnibus Ecclesiæ Dei ubicumque diffusæ filiis et filiabus Domini servitio dicatis, conservis suis et comparticibus spei quæ est in Christo, Majoris-Monasterii fratres mutuæ caritatis in omnibus bonis participationem. Quum, apostolo docente, nos omnes qui Dominum Jesum confitemur, si fidem nostram male vivendo non mortificamus, membra corporis ejus, quod est Ecclesia, esse didicimus, cum autem patitur unum membrum cætera commembra oportere compati, eodem insinuante, non ignoramus, vobis commembris nostris, ut nobis compatiamini sicut ratio caritatis exposcit, orbitatis nostræ importabilem passionem nuntiamus. Orbati sumus etenim patre Bernardo, viro admodum venerabili, ut pote vere, quod pronum est, catholico, dulci, sapienti, pio, et, ut quid de eo sine errore sentire debeatis, breviter pandamus, actu et habitu veræ religionis et sanctitatis reverendo. Unde absque dubitationis hæsitatione confidimus quod ei sit præclarus quietis locus in sanctorum beatifica mansione præparatus. Sed quum nullum ita circumspecte vel elimate vivere in hujus ærumnosæ carnis mortalitate, cui nihil mundanæ contagionis inhæserit, et probatissimorum sanctorum exemplis et divinæ Scripturæ testimoniis cognovimus, ei aliquid carneæ rubiginis, quod purgatoriis pœnalibus sit expiandum, ex parte aliqua inhæsisse formidamus; hinc est quod petimus in quo a vobis piæ compassionis adjutorium postulamus; scilicet ut ne forte, propter aliquam carneæ fragilitatis maculam, januam debitæ quietis ad tempus purgationis ei contigerit obfirmari, vos orationum vestrarum clavibus et piarum oblationum impulsibus impetretis festinantius aperiri. Rogamus etiam ut pro nobis communem omnium exoretis Creatorem, quatinus ad bene placitum suum vivere et nos regere faciat patris defuncti successorem, et quum pius pater noster vir sanctæ severitatis fuit, et non solum verba peccatricia, sed et vana et scurrilia et quocumque modo inutilia exosa habuit et ab auditu suo quantum potuit rejecit, sanctitatem vestram precamur, ut versuum nenias et derisionem, quæ, potius quam prosunt defuncto, facientibus accumulant damnationem, ab hac charta summoveatis, tantumque simpliciter locorum vestrorum nomina et quod pro defuncto patre nostro et pro nobis feceritis adnotetis, ut quid etiam nos pro vobis debeamus facere cognoscamus, sicque præceptum apostoli Jacobi complentes : *Orate pro invicem, ut salvemini*, ad Salvatorem nostrum nos mutuis orationibus pertrahamus, Dominum nostrum Jesum-Christum, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu-Sancto, unus beatus et beatificans Deus, per omnia sæcula sæculorum, amen. Obiit autem hic piissimus pater noster, anno ab Incarnatione Domini MC, indictione VIII, epacta VII concurrente, VII idus Aprilis, in ipsa ebdomada Paschæ, Sabbato quod est in Albis, in ipso diei exortu, tanquam qui de tenebris egrederetur ad lucem.

LVIII.

Ex Albo Mantelli codice (1).
1103.

Acta translationis SS. Reliquiarum in monasterium Cormaricenum.

Quisquis nosse desiderat quomodo sacratissimum caput B. Jacobi Persidis Cormaricum delatum sit, noverit quod fuerit quidam monachus in eodem monasterio nutritus, nobili genere exortus in territorio Turonico, Guillermus nomine, cognomine Ludovicus, postea Salpinæ civitatis episcopus, qui, causa persecutionis quorumdam sibi infestorum, Cormaricum egressus et scholari studio diutius intentus, tandem post multas quas circumiebat regiones perrexit Constantinopolim, ibique quodam fratre suo invento, nomine Goiberto, qui imperatori Alexi et aulicis satis carus erat ob probitatem et ingenuitatem sui, quique postea monachus in Majori-Monasterio factus est, ipsiusque industria imperatoris domesticorum amicitiis copulatus, in tanto amore est habitus, ut inter primos palatii honoraretur et multa consequeretur.

Erat enim isdem Guillermus vir totius probitatis et honestatis, magnæque solertiæ et ingenuitatis; quibus rebus ita sibi contubernales suos devincebat, ut miro affectu eum diligerent. Factum est autem eo tempore ut Turcæ, associatis sibi multis nationibus, jus imperii Constantinopolitani invadentes, longe lateque urbes castellaque cum villis depopularent, ecclesias vero solo tenus everterent, clericos autem et monachos sibi captos alios obtruncarent, alios vero cum suis sacerdotibus inaudita nequitia suo infausto dominatui addicerent, sanctimoniales quoque, proh dolor! suæ libidini subderent, et populum christianum justo judicio Dei sibi traditum, ut lupi rapaces, pro velle suo immisericorditer discerperent.

Tunc imperator, missis ubique legatis cum epistolis, immensis quæstibus et lacrymosis plenis, totius populi christiani auxilium flebiliter requirit, promittens largissima auxiliaturis munera. Collecta autem multitudine exercituum Deo propitio sibique auxilium ferente, irruit in hostes, et quas sibi abstulerant usque ad brachium S. Georgii terras, illosque debellando et repellendo, recuperavit; cumque illos in patriam suam redire coegisset, elegit partem exercitus, quam Nicomediam misit, cumque ea præfatum virum, scilicet Guillermum, qui exercitui more capellani et sacerdotis provideret, et juxta imperatorium præceptum urbem illam diruptam restauraret.

Cumque ibi exercitus per sex menses moraretur, et urbs firmissime muniretur, cœperunt aliqui cives ipsius urbis, qui forte decesserant, et in montibus et in speluncis et in cavernis terræ latuerant, ad urbem redire ipsamque incolere. Erat autem in ipsa civitate abbatia prædives et famosissima, sed a Turcis sicut et aliæ depopulata, ad quam cœperunt regredi pauci qui inde fuga evaserant monachi. Interea præfatus capellanus cœpit eos dulcibus consolari verbis, et eorum inopiam relevare muneribus frequentius datis. Cumque monasterium illud frequenter visitaret, in restaurando illo plurimum ipsis monachis indicantibus et docentibus, pervenit ad turrem quæ appellatur

(1) In Mss. Paris. Biblioth., n° 80.

S. Diomedis, in qua manebat abbas eorum, vir admirandæ sanctitatis et sagacitatis, cujus fama sanctitatis longe lateque innotuerat, qui provectioris ætatis, amore theoricæ vitæ, se recluserat, cura domus prioribus suis imposita, totusque Deo intentus orationi et lectioni assidue vacabat, et recurrentibus ad se filiis consilium utile dabat. Quem quidem in turre ipsa Turci apprehendere conati fuerant, sed divina virtute perterriti, et ex hostibus amici facti, quandiu Nicomediæ fuerant magnum ei honorem deferebant.

Cives autem ipsius civitatis et circumadjacentis regionis, audito adventu hostium, tam sanctorum pignora quam etiam pecunias suas in eamdem turrem propter firmitatem ipsius contulerant, et eidem servo Dei commiserant. Cum igitur illi monachi capellanum duxissent, eumque sanctissimo illi abbati suo commendassent, eique quanta vir ille illis fecerat indicassent, ille simul grates agens viro ut bonis incœptis persisteret hortabatur. Spondet ille auxilium seque sancto commendat viro. Ex hinc sæpissime illum revisit. Vir quoque sanctus, videns ejus solertiam et ingenuitatem, consilium sibi creditum, repositorum scilicet sacrorum, fideli viro committit, illoque poscenti, precatu etiam suorum multum ab eodem capellano deprecatorum monachorum, plurima habere concessit, multis eis ad restaurationem cœnobii traditis ab illo muneribus. Mercatus est itaque caput sacratissimum gloriosissimi hujus martyris Jacobi, quod miro et inaudito miraculo allatum fuerat. Fuerat enim in eadem abbatia quidam abbas miræ sanctitatis, cujus fama prope proculque resonabat, in tantum ut rex ipse Persarum multotiens eum rogaverit per internuntios ut ipsius mereretur visione et allocutione perfrui. Cui abbas sacratissimus respondebat numquam se visurum, nisi ei venerabile caput præfati martyris transmitteret. Tandem rex ipse, Dei nutu, favens precibus beati viri, transmisit illi, per unum quem ad eum transmiserat sanctus vir de monachis suis ad talem legationem honestum, quem tantum desideraverat thesaurum. Cumque isdem monachus pervenisset Jerusalem in diebus Dominicæ passionis, quibus tenebræ more ecclesiastico aguntur, et fessus labore tanti itineris, in ipsis nocturnalibus solemniis somno premeretur, videt in somnis cypressum, quæ ante fores ecclesiæ suæ Nicomediæ posita erat, ante se inclinari, auditque vocem desuperis, dicentem sibi: « Arripe ramos arboris. » Cumque evigilasset, et secum quod viderat tractaret, iterum obdormivit, et secundo id ipsum vidit, iterumque evigilavit, tertioque pervisum a se inclinare cypressum vidit, vocemque simul audivit dicentem sibi: « Quid, ignare, jam tertio dubitas summitatem hujus tibi apprehendere cypressi? » Ille nihil cunctatus (mirum dictu vixque incredibile), in ipso somno arripuit summos ramos inclinatæ arboris, moxque resiliit cypressus. Ille expergefactus reperit se in arbore ipsa cum capite beati martyris quod gestabat, et stupefactus nimium cœpit excelsa voce non semel clamare: *Kyrie eleison*. Audita sanctissimus abbas et intellecta voce carissimi sui monachi, convocatis cæteris fratribus, exit foras, et percontatus eum isne sit qui ita proclamet. Et ille: « Ego ipse, inquit. — Et quomodo, inquit abbas, hic te positum videmus? » Refert ille per ordinem eventum rei, descendensque de cypresso caput optatum monstrat martyris gloriosi, cunctisque stupentibus nimis et laudantibus Deum, intrat cum ipsis ecclesiam, simul omnipotenti Deo gratias redditurus, qui, sicut Abacuc quondam prophetam, in momento eum ubi voluerat transtulerat.

Hujus igitur sacratissimi martyris caput multo pretio comparatum attulit Cormarico prædictus Guillermus, jam Salpinæ civitatis episcopus factus, Græcia lugente, Gallia vero exultante de tanto nacto munere. Fuerat enim in patria illa inestimabili veneratione habitum, catervatim ruentibus undique populis. Attulit etiam pariter illustrissimi martyris Adriani, quod simul emerat ab eodem sancto viro. Detulit quoque de tribus vel quatuor locis de ligno vivificæ crucis, quod ipse per ignem probavit, ipso ligno mirabili virtute non solum illæso manente, verum etiam ut injectum fuit aquis ab igne exutum fundum vasis, more plumbi potente et clarius solito manente. Sed et de sepulcro Christi et de præsepi ejus, de crypta etiam excelsi montis in qua Christus jejunans quadraginta diebus et noctibus mansit, nec non de lapide super quo flagellatus est Dominus. Attulit quoque de loco Calvariæ, ubi crucifixus est Dominus, atque de sepulcro matris Christi, et de sepulcro S. Lazari, de quo suscitavit eum Dominus, et de manna sepulcri S. Joannis evangelistæ, de palma quoque quæ erat arida et in hora Nativitatis Christi fronduit et fructum fecit, de virga Aaron quæ erat in arca fœderis Domini, sed et de ossibus Elizæi prophetæ. Reliquias etiam S. Pantaleonis martyris, Cypriani martyris, episcopi Antiochiæ, et S. Blasii martyris, et S. Justinæ virginis et martyris, et Eustachii quoque martyris, Anthymi archiepiscopi, martyris Nicomediæ, Karalampii episcopi et martyris; reliquias quoque SS. martyrum numero viginti millium, qui sub Maximiano apud Nicomediam igne cremati sunt quinto calendas Januarii; SS. quoque Fotii, Anilati, Diomedis quoque martyris, et de sanctis qui sub Maximiano et Diocletiano martyrisati sunt in Nicomedia decimo quinto calendas Junii; Elampii et sororis ejus, Elampidi martyris atque Leontii martyris; de vestimentis quoque SS. Pauli martyris Constantinopoli passi, Babilæ etiam episcopi et Eustachii martyris; de alvo S. Demetrii Thessalonicensis martyris, et de reliquiis S. Petri Alexandrinæ urbis episcopi et martyris, et S. Epiphanii, Cypriensis Salaminæ urbis episcopi et confessoris; et de oleo aquatico S. Nicolai episcopi, et de aqua quæ consurgit Constantinopoli de sepulcro S. Mutii martyris, Sansonis confessoris; de reliquiis etiam Dimitriani confessoris, et Antonii confessoris atque Theophylacti archiepiscopi et confessoris, et Luciæ virginis; de oleo lampadis S. sepulcri Christi, quæ accensa fuit Sabbato sancto vigiliæ Paschæ. Talia ac tanta munera nobis attulit venerabilis Guillermus, Salpinæ civitatis episcopus, susceptusque est cum maximo honore XIV cal. Augusti, die Dominico, processione solemni parata.

Susceptæ sunt hæ sanctæ reliquiæ anno ab Incarnatione Domini MCIII, indict. I, regnante Philippo Francorum rege, Radulfo archiepiscopo Turonensi, qui fuit Francigena, Fulcone juniore comite Andegavensium, Guidone abbate Cormaricensis cœnobii S. Pauli Apostoli; susceptæ sunt, inquam, in processione cum crucibus ac cereis, monachis ac clericis albis et cappis indutis, cum grandi honore et frequentia populi, XIV cal. Augusti, die Dominico, in ecclesia B. Pauli apostoli collocatæ, præsente domino Guillermo prædicto episcopo, cum istis reliquiis reverenter suscepto, constitutumque est ut dies susceptionis ipsarum reliquiarum, qui est XIV cal. Augusti, per singulos annos festive cum omni honore et gaudio celebretur. Regnante Domino nostro Jesu-Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

LIX.

Ex authentico (1). *Furnus Majori-Monasterio datus a Peloquino.*

1109. Longo tempore postea quam Peloquinus, dominus castri quod Insula appellatur, dedit pro anima sua et parentum suorum Deo et beato Martino Majoris-Monasterii et nobis monachis ipsius loci furnum quemdam quem habebat Turonus in castro B. Martini, id est furnum Burrelli, cum etiam jam tenuissemus eumdem furnum quietum per multos annos, peccatis impedientibus, combusto præfato castro, combustus est et furnus. Nos autem circa alia occupati aliquandiu prætermisimus reædificare furnum illum. Quod cum vidisset Haimericus Peloquinus, filius scilicet supra nominati Peloquini, nobis inscientibus vendidit furnum illum Gualterio Cavillæ. Nos quoque illud audientes calumniati sumus illi Gualterio et dirationavimus furnum nostrum. Verum tamen propter pacem et concordiam, et ut firmius habeamus in perpetuum furnum illum, concessimus illi Haimerico Peloquino dimidietatem illius furni, solummodo in vita sua. Porro, non longo tempore post, anno scilicet Incarnationis Dominicæ MCIX, agentibus nobis sub domno abbate Willelmo, anno V, dedimus in caritate eidem Haimerico Peloquino, de denariis B. Martini, XVI libras; et ipse, ut particeps possit esse eleemosynæ patris sui, dedit et concessit nobis habere tam in vita sua, quam post mortem suam, in perpetuum, etiam illam partem furni quam dimiseramus ei in vita sua, et octo talemerarios pertinentes ad eumdem furnum, de quibus thesaurarius ullam omnino consuetudinem non habebit. Habuit quoque nobis in convenientiam quod hoc faceret concedere uxorem suam et thesaurarium B. Martini, de cujus fevo furnus erat.

Actum Turonus in cellario nostro, ubi dominus Willelmus, prior monasterii nostri, recepit de manu ejus donum et concessionem hujus rei per quemdam baculum, videntibus et audientibus, ex parte ipsius, Haimerico *Malet*, Gaufredo Godescalco, Gualcherio pelletario, et Barbotino serviente ipsius Peloquini; ex parte vero nostra de monachis : ipso Willelmo priore, Odone *de Sonzai*, Gausberto cellerario, Johanne camerario, Frederico mo., Evano sacrista, Gualterio subnotario, Radulfo subcellerario. De laicis : Rainaldo Framaldo, Gualterio Malado; de famulis : Huberto cellerario, Landrico de Turre, Lisiardo et Adeno de Hospitali, Roberto *Tuatgal*, Donoaldo cellerario Turonensi. Post paucos dies concessit idem ipsum Eustachia, uxor ipsius Peloquini. Quod viderunt et audierunt ex parte ejus Gaufredus Rufus, Richardus vicarius, Haimericus *Malez*, Guarnerius butellarius, *Petiz* monetarius et Vitalis nepos ejus, Petrus Barbotinus, Radulfus Malus-Clavus, Gaufredus Britto, Camisia portarius, Gilduinus filius Eustachiæ et Otgerius nutricius ejus, Algerius camerarius, Guillelmus pontenarius. De nostris : Frotmundus, prior Taventi, Judicalis, Hildebertus Rufus, Adelard camerarius, monachi; de laicis : Rainaldus Guicherius, Rainaldus Marescalcus, Paganus de Valle, Paganus *Drugion*, Amalricus *Marruschions*.

(1) Inter Baluzii Diplomata, quæ servantur in Maxima Parisiorum Bibliotheca.

LX.

Heliæ comitis propelluntur insidiæ. E schedis Baluzianis. Circa 1111.

Cum omnium creaturarum tam visibilium quam invisibilium Deum esse auctorem nullus tam demens, nullus tam ambitiosus ut abnuat, inter omnes visibiles creaturas homine nihil esse præstantius nemo qui nesciat. Quem ut abundantissima suæ misericordiæ gratia creator omnium Deus insigniret, animi rationem qua cuncta disseret * largitus, mentem etiam dedit quæ ea ipsa quæ discerneret retineret. Sed quoniam, intervenientibus multimodis hujus sæculi perturbationibus, vel ipsa quam nemo subterfugit morte, per solam hominum memoriam nihil poterat æternaliter retineri, volens genus humanum aliqua in tertiam quartamve progeniem, seu prepetuam custodire memoriam, per sola litterarum monimenta omnia quæ dicuntur, vel fiunt, ab oblivionis interitu cognovit posse defendi. Scripto igitur commendantes volumus posteros non latere ego Odo, decanus, Gauterius, thesaurarius, Fulcherius, scholæ magister, Fulcherius præcentor, Guillelmus, cellerarius, Gaufredus, subdecanus, omnisque B. Martini clerus, quia comes Cenomannorum Helias, castellum Ledi, quam cum conjuge sua, Gervasii filia, acceperat, possidens, in curte Canucii commendatitium morem expetiit; quod hominibus nostris se dare debere viriliter obnixeque negantibus, suis viribus, non rectitudini confisus, dare nolentes et violentissime deprædatus. Causa igitur inter nos et ipsum terminata, Fulcherium, scholæ magistrum, Fulcherium, præcentorem, cum quibusdam aliis canonici apud castellum Lidi cum ipso sub hoc negotio disceptaturos misimus. Ubi ipse comes suam recognoscens injuriam, nihil consuetudinis in curte nostra se habere protestatus, præsentibus Radulfo, Turonorum archiepiscopo; Hildeberto, Cenomannorum episcopo; Gaufredo, Cenomannensi decano et canonico nostro Fulcherio, scholæ magistro; Fulcherio, cantore; Stephano, præposito, Roscelino de Compendio; Erveo de Losduno; Erchenbaudo de *Canut*; Ernaudo Bordellione; aliis compluribus, ipso scilicet comite Helia, Hamelino de Burlo, Guichelino de Curte Dominica, in cujus domo factum est, Fulchoio de Altis Ripis, qui eadem die cum uxore sua placitavit, Giuslisberto, majore nostro, Guidone serviente.

* forsitan discernet.

LXI.

Concordia inter Rainaldum episcopum et monachos S. Juliani Turon. de ecclesia Eschimiriacensi. 1115. Ex archiv. Andegav.

Notum fore volumus universis, tam præsentibus quam futuris, quam talis concordia firmata est inter me Rainaldum episcopum et monachos S. Juliani Turonensis super ecclesia de Eschimiriaco. Nos ecclesiam illam cum appendiciis suis dedimus et concessimus monachis S. Juliani in perpetuum habendam, possidendam, salvo presbyteragio ejusdem ecclesiæ, cum omni integritate sua, et salvo antiquo jure nostro, scilicet synodo et circada, quod habemus in cæteris ecclesiis diœcesis nostræ; constituentes et constituendo firmantes cum monachis, ut singulis annis, in festivitate B. Mauricii, solvant nobis et successoribus nostris episcopis in perpetuum censualiter XV solidos Andegavensis monetæ. Quont hæc constitutio firmum in perpetuum robur obtineat, scripto eam commendavimus et sigillo nostro eam insigniri præcipimus, et personarum ecclesiæ nostræ auctoritate corroboravimus, quarum no-

mina subjecta notat descriptio. Actum Andecavis A et confirmatum in capitulo S. Mauricii, anno Domini MCXV, vigilia S. Thomæ Apostoli, ubi fuerunt isti canonici præsentes. De parte nostra : Guillelmus decanus, Gaufridus thesaurarius, Albericus capellanus, Bernerius, Gedeon, Godefridus archipresbyter, Radulfus capellanus, Stephanus presbyter. De parte monachorum : Goscelinus prior S Juliani, Raherius de Cancellis, Gauterius pirarius, famulus eorum. Signum Rainaldi Andegavensis episcopi, signum Guilelmi archidiaconi.

LXII.

E chartulario Majoris Monasterii. 1120.

Ecclesiam B. Mariæ de Combornio dat Donoaldus, Aletensis episcopus, Majori Monasterio.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Donoaldus, Dei gratia Aletensis episcopus. Quoniam Remensi concilio, ac generali, a domino nostro venerabili papa Calixto universis sanctæ Ecclesiæ prælatis hæreditariam possessionem in sancta Dei Ecclesia extirpare injunctum est, talibus obedire præceptis dignum præbui assensum. Quapropter ego Donoaldus omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis et nostris, tam præsentibus quam futuris, notum fieri volo quod ecclesiam S. Mariæ de Combornio, quam depravatores Ecclesiæ a progenie in progeniem diu tenuerant, et quam ad ultimum Hingaudus, presbyter ejusdem ecclesiæ, divina gratia inspirante, in nostras manus dimisit, Guillelmo abbati et con- C gregationi S. Martini Majoris Monasterii dono, et in perpetuum habendam concedo, cum omnibus rebus quæ ad eamdem ecclesiam pertinent, salvo jure Aletensis ecclesiæ. Placuit enim nobis, consilio Dei et religiosorum virorum, eamdem ecclesiam præfatis monachis potius quam aliis dare, quia jam de ejusdem ecclesiæ beneficiis quam plura possidebant. Dono etiam et concedo ecclesiam de Miniaco de Podrohort, cum omnibus rebus quæ pertinent ad eam. Concedo etiam et confirmo eis ecclesiam S. Martini de Castello Goscelini, cum omnibus pertinentiis suis, et ea quæ in ecclesia S. Mariæ ejusdem castri prædecessor meus, beatæ memoriæ Benedictus, concessit eis et confirmavit. Ecclesiam quoque de insula Aaron et eccle- D siam S. Maclovii de Dinam, cum ecclesiis et decimis et omnibus beneficiis ad easdem pertinentibus, quas venerabilis prædictus antecessor meus Benedictus, consilio et assensu tam archidiaconorum quam cæterorum clericorum suorum eis donavit, et in perpetuo habendas sui sigilli munimine firmavit, concedo et auctoritate bonæ voluntatis meæ confirmo. Concedo etiam eis et confirmo ecclesiam de Talenceac et quæcumque in episcopatu meo possident. Ut autem hæc dona et hæ concessiones confirmationesque firmiter teneantur et ratæ permaneant, chartæ memoriæ tradere curavimus; chartam quoque sigilli nostri impressione signavimus. Ne quis autem hanc donationem nostram, sive confirmationem debilitare E præsumat, sub anathemate interdicimus. Facta est autem hæc charta in præsentia nostra apud Castellum Brientii, in claustro monachorum de Beriaco, anno ab Incarnatione Domini MCXX, indict. XIII, IV idus Martii. S. Donoaldi, episc.; S. Gradolonii; S. Simonis; S. domni Guillelmi, abbatis; S. Garini de Laurigano; S. Joannis de Combornio; S. Radulfi de Castello Goscelini.

LXIII.

E chartulario Majoris-Monasterii. 1124.

Donoaldus, Aletensis episc., Majori Monasterio confirmat ecclesiam S. Maclovii Dinannensis.

In nomine Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, ego Donoaldus, Aletensium Dei gratia humilis episcopus, notum esse volo omnibus christianæ religionis cultoribus, quoniam adierunt præsentiam nostram fratres et amici Majoris Monasterii monachi deprecantes, ut ecclesiam S. Maclovii de castro Dinanni, quam eis jam utique ante nos piæ memoriæ dominus papa Paschal, nec non et prædecessor noster Benedictus episcopus auctoritate sua firmaverant, et nos B post ipsos, propter quædam quæ in ea noviter recuperaverant, iterum eis concessionis nostræ munimine plenius firmaremus. Quorum profecto petitionibus libentissime assensum præbentes, prædictam S. Maclovii ecclesiam et cunctas ejusdem castri capellas, cum cæteris rebus omnibus ad eamdem ecclesiam pertinentibus, eis in perpetuum habere concedimus et præsentis privilegii nostri auctoritate quiete possidendam firmamus. Specialiter autem ac nominatim illam quartam partem ejusdem ecclesiæ, cum omni integritate sui, quam in ea Simon archidiaconus tenuit, et demum illam hospitalem quam uxor quondam Oliverii, Cana nomine, in ejusdem ecclesiæ cymiterio ædificavit, cum hortis sive plateis ipsi adjacentibus atque ad eam pertinentibus; similiter et quintagium quoddam, quod in eadem ecclesia, quando eam jam dictus prædecessor noster Benedictus episcopus monachis ipsis dedit atque firmavit, sibi tantum in vita sua habendum et permissu et dono domni Willelmi, Majoris Monasterii abbatis, retinuit; quæ quidem omnia ita iis ab hodierna die et deinceps libere habenda et perpetuo jure possidenda concedimus et firmamus, ut liceat eis omni tempore jam dictam S. Maclovii Dinannensis ecclesiam, cum sibi pertinentibus, ut dictum est, ejusdem castri capellis, et ejus possessiones universas, sive beneficia, pro libitu et arbitrio suo, prout agendum viderint, quiete disponere, vel ordinare; capellanos ibi suos, quotiens opus fuerit, ponere, vel removere, salvo jure in justitia episcopali et cæteris, si quæ habet in ea hujusmodi Aletensis mater ejus ecclesia. Porro capellanum suum, illum videlicet quem in B. Maclovii parochiali ecclesia deserviturum elegerint, mihi vel successoribus meis episcopis, cum ab eisdem monachis electus fuerit, ex more facient præsentari. Hujus ergo decreti nostri chartulam, ut firmiorem per succedentia tempora auctoritatis obtineat vigorem et alibi, domini ac magistri nostri Gisleberti, venerabilis Turonensis archiepiscopi, sigillo muniri fecimus; ubi insuper in chartula illa manibus nostris crucis signum, ad ampliorem confirmationis nostræ certitudinem, depinximus, et hic eamdem ipsam, sicut in promptu est cernere, proprii sigilli impressione munivimus.

Actum anno ab Incarnatione Domini 1124, indict. II, VII cal. Januarii, et in ipso Majoris Monasterii capitulo a nobis sub generali audientia solemniter concessum, ubi residebant nobiscum qui ob hoc advenerant, de personis ecclesiæ B. Mauricii Turonensis, Guarinus, qui dicitur Aurelianensis, thesaurarius, Alvaredus archidiaconus, et Jostho capicerius; de nostris vero id nobis concedentibus : Gradalonius, capellanus noster, et Guihenocus presbyter de Lupotchelli.

LXIV.

Ex historia Peregrini. *Eremitis quibusdam fratribus adscribuntur Fontanæ.*

1127. Ego Hildebertus, Dei gratia Turonensis archiepiscopus, donum quod domnus Rainaldus de Castello et Rainaldus Aucherii et Hugo Villanus pro remissione peccatorum suorum Deo et ecclesiæ de Fontanis in manu mea fecerunt, donum, inquam, recte et ordine factum, concedo et sigilli mei auctoritate corroboro. Donum autem tale est. Rainaldus Aucherii et Hugo Villanus, cum Hilduino de Conen, sororio suo, domno Rainaldo de Castello filioque suo Rainaldo, cum cæteris filiis suis concedentibus, concedente etiam Gannelione de Balgenciaco cum filio suo Garnerio, locum Fontanarum, quem indigenæ Allodia vocant, integre, quicquid videlicet illi habent sive in plana terra, sive in pratis, sive in nemore, totum Deo et ecclesiæ de Fontanis libere et absolute dant et concedunt. Domnus autem Rainaldus de Castello donat et concedit Deo et præfatæ ecclesiæ et fratribus ibidem Deo famulantibus vicariam, forisfactum sanguinis, glandem nemoris, denique quidquid ibidem usque hodie sui juris fuit, sibi tantum venatione retenta. Si quis autem de familia ejusdem loci habitatorum cervum aut aprum sive aliquid hujusmodi quoquo modo retinuerit, absque ulla contradictione dominus de Castello venationem suam habebit. Donat etiam domnus Rainaldo de Castello fratribus de Fontanis de foresta quæ Blimardum vocatur ad omnes usus suos quantum ubicumque necesse habuerint, excepto quod de ea nec dent, nec vendant. Concedit etiam eis glandem ejusdem forestæ, ut eam suis propriis porcis quamdiu voluerint gratis habeant. Quod si forte alienorum porcos nutrierint, partem quidem alienam pasnagiabunt, de sua vero nihil dabunt; sed etiam porcarius eorum de suo proprio porco non dabit pasnagium. De cætero si quis de feodo domni Rainaldi de Castello, sive miles, sive rusticus sit, de terra sua, vel pratum, vel vineam, vel nemus vendere vel dare fratribus de Fontanis voluerit, hoc concedit et laudat ipse Rainaldus. Hujus doni sunt testes: Alveredus, archidiaconus; Radulfus, decanus; Albericus, cancellarius; Robertus de Rupibus; Gaufridus Meschinus, Arraudus Mala Terra, Hugo de Verno, Fulquerinus *Fait Mal*, Bernardus *Mandros*. Si quis donum istud, quod fecit domnus Rainaldus Deo et ecclesiæ de Fontanis, diabolica suasione imminuere, vel aliquo modo defraudare præsumpserit, a corporis et sanguinis Domini communione privetur, et donec satisfaciens resipiscat anathematis percutiatur gladio. Actum est VII idus Augusti, anno ab Incarnatione Domini millesimo CXX septimo, regnante in Gallia Ludovico rege, Fulcone Andegavorum comite.

LXV.

E schedis Baluzianis. *Cœlestinus papa II possessiones confirmat et jura S. Juliani Turonensis.*

1144. Cœlestinus episcopus, servus servorum Dei, Aimerico abbati S. Juliani Turonensis ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Apostolici moderaminis clementiæ convenit religiosos diligere et eorum loca pia protectione munire. Dignum namque et honestati conveniens esse cognoscitur, ut qui ad ecclesiarum regimen assumpti sumus, eos et a pravorum hominum nequitia tueamur et apostolicæ sedis patrocinio foveamus. Ea propter, dilecti in Domino filii, ves- A tris justis postulationibus clementer annuimus et B. Juliani monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: ecclesiam de Fresneio, ecclesiam de Mevano, ecclesiam de Aneriis, ecclesiam Feritatis et duas capellas sanB ctorum Dionysii et Georgii, ecclesiam de Berlo, ecclesiam de Menniaco, ecclesiam de Hablevilla, ecclesiam de Belvano, ecclesiam de Gaole, ecclesiam S. Mauricii, capellam de Roncevilla, ecclesiam S. Aniani, capellam de Culpustreio, ecclesiam de Gabrona, ecclesiam S. Karrilefi, ecclesias de Miletia, ecclesiam de Marsone, ecclesiam de Bellomonte, ecclesiam de Butileio, capellam S. Lizinii, capellam de Valle Bonana, capellam Redonis, ecclesiam de Eschemiliaco, ecclesiam de S. Quintino, ecclesiam de Brechia, ecclesiam de Ambillo, ecclesiam de S. Medardo, ecclesiam de Valeriis, ecclesiam de Britiniaco, ecclesiam de Cancellis, ecclesiam de Nuzilliaco, ecclesiam Cercille, capellam de Chenuchum, ecclesiam de C Castro Rainaudi, ecclesiam de Domniaco, ecclesiam S. Saturnini et burgum, quicquid habetis in Castello Novo, ecclesiam de Ambaziaco, ecclesiam de Bliriaco, ecclesiam de Atheis, ecclesiam de Ciconiaco, ecclesiam de Brisco, capellam de Chedone, ecclesiam de Montilus, capellam de Renciaco, præbendam unam in ecclesia S. Martini et alteram in ecclesia S. Mauricii. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia, vel violentia præponatur, sed liceat vobis communi consilio, vel partis consilii sanioris, secundum Dei amorem et B. Benedicti regulam, absque ullius contradictione abbatem eligere. Ad indicium autem hujus a sede apoD stolica perceptæ protectionis, bizantium aureum nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Turonensis archiepiscopi canonica justitia et apostolicæ sedis reverentia. Si quæ igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui E dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque, in extremo examine, districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant et apud districtum judicem præmia æterna pacis inveniant. Amen.

Ego Cœlestinus, catholicæ Ecclesiæ episcopus, subscripsi.

Datum Laterani per manum Gerardi, S. Romanæ ecclesiæ cardinalis ac bibliothecarii, VI cal. Februarii, indict. VII, Incarnat. Dominicæ anno

MCXLIII (1), pontificatus vero domini Cœlestini II papæ anno primo.

LXVI.

E schedis de Marolles.

Fundationem Baugeseii confirmat Engelbaldus archiepiscopus.

1153.

Ego Engelbaldus, Dei gratia Turonensis archiepiscopus, omnibus fidelibus, tam futuris quam præsentibus, in perpetuum. Quidquid fidelium munificentia ecclesiasticos, magistra pietate, largitur in usus, id litterarum attestatione in thesauro memoriæ reconditum posterorum excludit calumniam, et priorum incœpta caritate sequens ætas vel ad majoris amorem beneficii invitatur, vel saltem ne a veri fluitet serio sub fideli testimonio rei veritas inviolabiliter custoditur. Noverint igitur posteri per præsentes quod Franci de Baugezeio, in parrochia Lucchesii consistentes, Serloni et fratribus per eum vel post eum successuris locum ad habitandum, ad serviendum Deo viventi, in ipso Baugezeio per manum nostram concesserunt; ut omnem silvæ illius terram quam excolere poterunt in agris, in pascuis, in stagnis, in molendinis, in vineis et virgultis, sive quibuslibet agriculturæ modis, ab omni consuetudine absolutam nulli hominum nec nobis et successoribus nostris obnoxii ex hoc possideant in perpetuum, nullasque decimas, nullum terragium, nec pasnagium dabunt, sumentque ad omnes usus suos de prædicto nemore tam ad calefaciendum quam ad ædificandum sibi et suis hominibus ubicumque domos quantum fuerit necessarium. Hoc autem donum, prædicto Serloni et successoribus ejus a prædictis Francis per manum nostram factum, nos in nostram et ecclesiæ nostræ protectionem suscepimus, et sigilli nostri munimine roborari fecimus. Eorum vero qui tam benefici muneris extitere auctores nomina subscripta testantur: Bartholomæus presbyter; Reginaudus de Senaperiis, et filii ejus, Raginaudus, Gaufridus, Ranulfus; Gervasius de Senaperiis et Gaufridus et Raginaudus et puella filii ejus; Mauricius *Cothuns;* Villana *de Montesor;* Ulricus de Castilione; Archembaudus de Argeio, et Archembaudus filius ejus; Bernardus præpositus; Gauterius *Theoth;* Joannes de Noentello; Boerius de Noentello; Raginaudus, Petrus filius ejus; Hubertus de Rupe, Ivo frater ejus; Vivienus de Baugeio, Stephanus et Joannes filii ejus; Ficharreius; Gauterius Torta-Via; Matthæus Americus; Normannus; Raginaudus; Raginaudus vetus, Raginaudus parvus; Bernardus Rotarius, Joannes frater ejus; Americus Giraudus; Guietus Mauricius; Pinonus Rex; Stephanus Rex; Pinetus Divinus; Godefridus Bubulcus; Naudetus, Bruno frater ejus; Radulfus Meschinus; Guitonus *Caller; Dorcai;* Meschinus; Gaufridus *Meslers,* Joannes gener ejus; Pinochus; Stephanus Culchinius; Robertus; Martinus; Joannes Raginaudus Lebertus; Ivo de Landa; Raginaudus Piverius; Raginaudus Brocardus; Pinotus. Quicumque autem prædictum locum ampliare et suis largitionibus augere studuerint, retributionem a Domino Deo suscipiant; qui vero supra scriptam ejusdem loci libertatem frangere, quod absit, attemptaverit, a communione Dominici corporis et sanguinis alienus fiat, et cum his qui in inferno positi sunt deputetur. Datham quoque et Abiron habeat maledictionem. Amen, Amen, Amen.

Actum anno ab Incarn. Domini MCLIII, Anastasio IV summo pontifice, Ludovico rege, Henrico Normannorum duce et comite Andegavorum, feliciter.

(1) Lege 1144, secundum computum Romanum, cum annus Cœlestini primus incipiat a 26 sept. 1143.

LXVII.

E schedis Baluzianis.

Sententia legatorum domini Papæ de conjuratione civium Castri Novi.

1184.

Willelmus, Dei gratia Remorum archiepiscopus, tituli S. Sabinæ cardinalis, apostolicæ sedis legatus, et Hervæus, abbas Majoris Monasterii, omnibus Dei fidelibus ad quos litteræ istæ pervenerint salutem. Præcedentium patrum nostrum obtinuit usus et auctoritas, ut quæ miraculose et solempniter contingebant et perpetuam desiderabant firmitatem, mediante scriptura ad posteros curarent transmittere. Proinde quæ auctoritate nostra de mandato domini Papæ sub oculis nostris acta sunt præsenti scripto studuimus inserere. Descendimus itaque de mandato domini Papæ Lucii III ad ecclesiam B. Martini Turonensis, pro causa quæ inter canonicos ipsius ecclesiæ et burgenses Castri Novi vertebatur, super communia, vel conjuratione, quam idem burgenses dicebantur erexisse. Cumque sæpe ac sæpius variis modis de pace inter partes reformanda tractavissemus, auditis querelis et dampnis prædictorum canonicorum et responsionibus adversæ partis, pacem inter eos reformare studuimus, sed non potuimus. Contigit autem miraculose, ut credimus, quod, propter spem nostram et clericorum, intravit multitudo populi capitulum in quo residebamus, conquerens quod a quibusdam burgensibus Castri Novi indebitis talliis et exactionibus gravabatur, affirmans insuper quod quibusdam sacramentis, minis et violentiis eamdem sibi prædicti burgenses obtrinxerant. Quia igitur locus ille angustus erat, nec confluentes capere poterat, exivimus capitulo, et intravimus pratum claustri, et resedimus in loco ubi aliquando corpus B. Martini requieverat, non tamen ex industria, sed Deo nos ad locum trahente et gressus nostros dirigente; ibique innumerabilis multitudo populi convenerat, instanter postulans absolvi ab illicitis quæ præstiterant juramentis. Lecta itaque fuit indulgentia domini Papæ Lucii III, quæ sic incipit: — Lucius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Philippo decano et R. thesaurario et capitulo S. Martini Turonensis salutem et apostolicam benedictionem. Quanto ecclesia vestra specialius noscitur ad jus et proprietatem sedis apostolicæ pertinere, tanto nobis amplius imminet providendum ut integritas pacis et libertatis ipsius in sua jugiter firmitate consistat, et honorabilis status ejus per adinventionis illicitæ pravitatem aliquod juris sui dispendium non incurrat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus annuentes, antiquam ipsius ecclesiæ dignitatem, secundum quod in Romanorum pontificum et regum privilegiis continetur, in suo statu manere decernimus et eam auctoritate apostolica confirmamus, de communi fratrum concilio statuentes ut omnis conjuratio quam burgenses vestri de Castro Novo, sub appellatione communiæ, vel communi sacramento fuerunt, quocumque nomine censeatur, irrita sit et cassa, et principales auctores ejus, cum fautoribus suis, si eam abjurare noluerint, vinculo anathematis innodentur. Illud quoque juramentum, quo se illis temere populus obligavit, irritum esse decernimus et præcipimus non teneri, ita tamen ut de temeritate ipsius juramenti digna pœnitentia satisfaciant, qui illud contra Ecclesiam Dei præsumptione

damnabili præstiterunt, maxime quia ex hoc et libertas deperiret Ecclesiæ, et in his quæ ad jurisdictionem ejus pertinere noscuntur multa sæpius contra juris ordinem et servatam hactenus justitiam provenirent. Si qui ergo de auctoribus ipsius conjurationis extiterint qui eam abjurare commoniti extradicant, vel hujusmodi deinceps conventiculis manutenendis aut roborandis insistant, liberam vobis damus, nullius contradictione vel appellatione obstante, excommunicandi eos auctoritate apostolica facultatem, nullis litteris obstantibus quæ contra antiqua privilegia ecclesiæ vestræ super hoc appareant impetratæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis hoc autem attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Verulis, II cal. Maii. — Et litteræ domini nostri Philippi illustris Francorum regis, qui præcipiebat ut communia, juxta mandatum apostolicum, quassaretur, et prohibebat burgensibus ne eam deinceps tenerent. Nos igitur a juramentis quibus se temere populus illis obligaverat, secundum formam indulgentiæ vestræ, eos decrevimus absolutos, firmiter injungentes ut nec in talliis, nec in excubiarum expensis, sed nec in aliis exactionibus eis deinceps responderent, nec ad eorum citationem venirent. Quod illi, elevatis manibus ad sacrosanctas reliquias, quæ coram nobis propositæ erant, se observaturos fidei religione firmaverunt, et sacramenta quæ eis præstiterant abjurarunt. His ita completis, supervenerunt potentiores burgenses, auctores et fautores conjurationis, seu communis sacramenti, scilicet Thomas de Amba, Ph. *Aime*, N. *Engel*, P. Gastinelli, et alii multi, qui, admoniti a nobis, juraverunt. Juravit autem primus Thomas de Amba in hanc formam, quod si communiam, vel conjurationem, quam nos publice eis interpretati sumus communem jurationem, fecerat, non observaret, nec deinceps faceret, nisi forte auctoritate præscriptæ ecclesiæ. Juraverunt autem et alii id quod Thomas juraverat, et se bona fide observaturos. Prohibuimus autem eis ex debito juramenti quod de cætero nec tallias, nec excubiales expensas, nec alia ab aliquibus exigerent, nec aliquos ad hujusmodi conventicula convocarent, sed ne aliqua quæ ad justitias thesaurarii vel aliorum canonicorum B. Martini pertinent usurparent. Statuimus etiam ut auctores et fautores qui præscripta juramenta nondum præstiterant, vinculo, excommunicationis, donec ea præstarent, innodarentur. Adjicientes insuper ut liceat canonicis ipsius ecclesiæ eos infra missarum solemnia dominicis diebus, quousque præscripta sacramenta præstiterint, vinculo excommunicationis innodare. Actum publice Turonis, anno incarnati Verbi MCLXXXIV, papæ Lucii tertio anno, venerabilis Francorum regis Philippi sexto, indictione secunda, mense Februario, luna XXI, festo B. Matthiæ apostoli, dominica ipsa qua cantatur *Exsurge quare*. Datum per manum Lambini, cancellarii nostri

LXVIII.

E schedis Baluzianis.

Datur Majori Monasterio monasterium Fontis Gyardi.

1203.

HAMELINUS, Dei gratia Cenomanensis ecclesiæ sacerdos humilis, universis fidelibus præsentem paginam inspecturis, perpetuam salutem. Ex injuncto nobis divinæ dispensationis officio tenemur locis competentibus pro modulo nostro reli-
A gionem fundare, fovere et diligere, lapsusque quos in ea reperire potuimus erigere et formare in meliorem statum, et ad vitam emendatiorem revocare. Inde est quod cum fratres Fontis Gyardi, qui sine abbate erant, et quasi acephali videbantur, dissolutione notabili laborarent, et, tam a nobis quam a prædecessoribus nostris sæpe et sæpius moniti, ad frugem melioris vitæ possent nullatenus revocari, persuasimus eis, et ipsi sponte et sine aliqua urgenti coactione nobis liberaliter concesserunt, ut memoratus locus cum pertinentiis suis esset in subjectione Majoris Monasterii, ubi religionem monastici ordinis ab antiquo sanctorum patrum auctoritas consecravit. Nos igitur, communicato consilio cum viris pru-
B dentibus et discretis et Deum timentibus, de memorato loco et pertinentiis ejus Gaufredum, abbatem Majoris Monasterii (1) ejusdem loci qui ipsum locum dedit et concessit monachis Majoris Monasterii, pro amore Dei et reverentia B. Martini benigne et sine aliqua exactione in puram eleemosynam habere in perpetuum; prior autem et omnes fratres memorati, unanimi assensu, in manus dicti abbatis*, Deo et B. Martino se reddiderunt, facultatem collegii Majoris Monasterii illi recipientes, et juraverunt publice, coram nobis, super altare B. Mariæ de Changeio, propositis sacrosanctis evangeliis, quod ab ea fraternitate et ab ea ordinatione nostra, quam zelo Dei et pro salute ipsorum fecimus, nunquam recederent,
C nec eam violare attemptarent; quorum nomina in præsenti charta subnotare curavimus: Michael, prior dicti loci, Johannes *Baguelin*, W. *de Availles*, Rad. *de Megeraut*, Guarinus *Rossel*, Gaufredus *Bichel*, Gauterius *de Pail*, Petrus *de Megeraut*, Raginaldus *de Neel*, Robertus de S. Georgio, Guarinus *de Vautorte*, Gaufridus *de Monthage*. Statuimus etiam ut idem locus prioratus sit conventualis, sicut apud Mednanam fuerat ab antiquo, cujus nos et successores nostri, Deo volente, semper protectores erimus et perpetui defensores, et fratres ibi habitantes nobis et successoribus nostris debitum honorem et reverentiam exhibebunt. Memoratus vero Juhellus prædictis monachis ibidem Deo assidue famulantibus habere
D concessit in nemore adjacenti nemus mortuum ad comburendum et vivum ad ædificandum, quantum eis necesse fuerit, et animalia et nutrituras sicut in authentico ipsius scripto plenius continetur; prædictus etiam abbas eos de memoratis fratribus qui monachari voluerunt monachos fecit Turonis in monasterio B. Martini, aliis autem sufficientem sustentationem cum consilio nostro providit, donec monachilem habitum accipere consentirent. Nos itaque, episcopali auctoritate fungentes, sæpe dictum locum Fontis Gyardi ad honorem Dei et S. Ecclesiæ, salvo jure episcopali, Majori Monasterio concedimus et confirmamus. Ne autem super his aliqua litigandi occasio possit in posterum suscitari, hæc omnia prout acta sunt præsenti
E scripto annotari fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Quicumque autem huic rationabili dispositioni nostræ maligno spiritu contraire præsumpserit, aut eam violare attemptaverit, indignationem Dei omnipotentis se sentiat incursurum. Actum solempniter apud Changeium, in ecclesia B. Mariæ, anno gratiæ MCC tertio, mense Julio, regnante in Galliis feliciter Philippo, illustri rege Francorum.

* al. fraternitatem.

(1) Aliquid deesse videtur.

LXIX.

E schedis Baluzianis.

Litteræ Innocentii III de jurisdictione Bellimontensis abbatiæ.

1213. INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Aurelianensi et dilectis filiis abbati de Curia Dei, Aurelianensis diœcesis, et decano S. Aniani Aurelianensis salutem et apostolicam benedictionem. Olim causam quæ inter venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum, ex parte una, et dilectos filios canonicos S. Martini Turonensis super jurisdictione in monasterio Bellimontis, ex altera, vertebatur, ad nos ab examine dilectorum filiorum abbatis de Elemosina, Carnotensis diœcesis, Aurelianensis decani et S. de Bero, canonici Carnotensis, delegatorum nostrorum, per appellationem delatam S. cantori et H. majori et O. de Gracraco, archidiaconis Bituricensibus, sub certa forma duximus committendam. Interim autem abbatissa de Bellomonte per suas nobis litteras intimavit, quod cum archiepiscopus supradictus sibi jurisdictionem indebitam in ipso monasterio usurparet, ac ipsa propter hoc ad sedem apostolicam appellasset, et archiepiscopus, ejus appellatione contempta, in eam et communicantes eidem excommunicationis sententiam protulisset, jam dictis posterioribus judicibus nostris dedimus litteris in mandatis ut ipsam abbatissam in cautelam, juxta formam Ecclesiæ absolventes, et injungentes eidem quod injungendum de jure viderent, eam super quibusdam in quibus asseruerat per dictum archiepiscopum se gravatam non paterentur per ipsum vel per alios indebite molestari, audituri postmodum et fine canonico decisuri, si quis esset alius inter eos scrupulus quæstionis. Cujus auctoritate rescripti cum partes fuissent in eorum præsentia constitutæ, abbatissa juxta mandatum apostolicum absoluta, idem archiepiscopus eam et conventum sui monasterii super jurisdictione quam in eodem se proponebat habere per easdem litteras reconvenit. Tandem, post altercationes plurimas et diversas, archiepiscopus Turonensis et capitulum Turonense ex parte una, abbatissa et conventus Bellimontis ex altera, et capitulum B. Martini Turonensis, contra quos memoratus archiepiscopus coram iisdem judicibus proposuerat, per alias litteras antedictas, quod jurisdictionem impediebant quam habebat in monasterio prænotato, ut litium circuitus vitaretur, ad invicem convenerunt, ut, sine omni cavillatione litis, contestatio fieret super libellis hinc inde circa dicti monasterii jurisdictionem oblatis. Lite quidem coram eis legitime contestata, et testibus productis a partibus, coram dilectis filiis magistro scholarum Andegavensi et magistro B. canonico B. Martini Turonensis, eorumdem auctoritate judicum, ipsi judices ad nos instructum negotium, volentibus partibus, remiserunt. Procuratoribus itaque partium in nostra præsentia constitutis, et attestationibus quas judicum sigillis inclusas recepimus publicatis, pro parte archiepiscopi et capituli Turonensis fuit propositum coram nobis quod cum monasterium Bellimontis infra Turonensis archiepiscopatus limites concludatur, tam in eo quam in abbatissa jurisdictionem episcopalem habebat archiepiscopus memoratus, et ea tam ipse usus fuerat quam prædecessores ipsius; unde procuratores archiepiscopi et capituli proponebant, ut cum esset suæ partis intentio de jure communi fundata, et per depositiones testium probaretur quod electionem Mat., abbatissæ monasterii Bellimontis, Turonensis archiepiscopus confirmasset et munus benedictionis impendisset eidem, ipsamque obedientiam, reverentiam et subjectionem, manu posita super altare, archiepiscopo impendisse ac archiepiscopum consecrasse altare, nec non publice prædicasse in ecclesia Bellimontis, et alia etiam esse probata quæ ad jurisdictionem episcopalem spectare noscuntur, petebant in hoc jure ac sua possessione archiepiscopum conservari, et ne abbatissa vel moniales Bellimontis, seu capitulum B. Martini, turbent ei hoc jus et usum jurisdictionis, sed libere ipsum uti permittant. Ad hæc ab W. et Matthæo, abbatissæ et monialium Bellimontis et ecclesiæ S. Martini procuratoribus, fuit ex adverso responsum quod archiepiscopus et ecclesia Turonensis nihil prælationis vel jurisdictionis in monasterio habebant eodem, et si quando aliquibus idem archiepiscopus fuit usus quæ jurisdictionis existere viderentur, eis abutendo usus fuerat et per injuriam usurpando; propter quod tam abbatissa ac moniales quam B. Martini capitulum querebantur, cum ad ecclesiam B. Martini monasterium ipsum asserebant pleno jure spectare, proponentes per depositiones suorum testium docuisse quod moniales ipsius monasterii obitum abbatissæ capitulo B. Martini denuntiant, et ab eis petunt licentiam eligendi, ac, præsentibus canonicis, auctoritate capituli B. Martini, celebratur electio abbatissæ et ab eodem capitulo confirmatur, et cantor incipiens *Te Deum laudamus* personam installat electam, cui, de mandato ejusdem capituli, promittunt obedientiam moniales, eamque ipsi capitulo repræsentant, quæ in capitulo jurat ecclesiæ B. Martini obedientiam, subjectionem et reverentiam gallicis verbis, promittens de se conquerentibus exhibere justitiam coram ipsis quotiens fuerit requisita, quæ ab eis curam recipit abbatiæ ac baculum pastoralem, chrisma, oleum et ignem novum in Pascha, quorum interdictum moniales observant, et correctionem admittunt. Unde asserentes de iis et aliis quæ ad jurisdictionem et usum jurisdictionis pertinent plene probasse, ab impetitione archiepiscopi et ecclesiæ Turonensis absolvi petebant. Hoc etiam in petitione procuratores capituli B. Martini specialiter deduxerunt, ut cum ipsum capitulum plena jurisdictione in eodem monasterio usum fuerit et utatur, archiepiscopus et capitulum Turonense possessionem non turbent eisdem, sed ipsos ea pacifice uti permittant, præsertim cum bonæ memoriæ Alexander papa, prædecessor noster, ecclesiæ B. Martini jus suum recognoverit in monasterio Bellimontis, quædam, salva sedis apostolicæ auctoritate nec non ecclesiæ B. Martini canonica reverentia et thesaurarii justitia, ipsi monasterio indulgendo.

Nos igitur, auditis iis et aliis quæ fuere proposita coram nobis, cum archiepiscopus et capitulum ecclesiæ Turonensis adversus abbatissam et monasterium Bellimontis de suo jure docuerint quæ ad possessorium judicium, quo tantum actum est inter partes, abbatissam et conventum monasterii prænotati, de fratrum nostrorum consilio, condemnantes, inhibemus eisdem ne impediant archiepiscopum Turonensem in eodem monasterio eis uti quæ jurisdictionis episcopalis existunt. Cæterum cum inter archiepiscopum et capitulum Turonense ex parte una, et canonicos B. Martini ex altera, interdicto uti possidetis vel ad instar potius interdicti actum sit in hac causa, quia ipsi canonici plura capitula et magis ad rem facientia plenius et evidentius probaverunt, ipsos in eo cognovimus potiores. Quapropter eos ab impetitionibus archiepiscopi et capituli Turonensium absolventes, archiepiscopo et capitulo inhibemus ne turbent eis possessionem in

monasterio Bellimontis, sed iis quæ ad jurisdictionem spectare noscuntur ipsos in eodem libere uti permittant, quæstione proprietatis, tam archiepiscopo et ecclesiæ Turonensi contra canonicos B. Martini, quam abbatissæ et conventui Bellimontis adversus archiepiscopum et capitulum Turonensis ecclesiæ, reservata. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus quod a nobis est sententialiter diffinitum faciatis per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, inviolabiliter observari. Quod si non omnibus iis exsequendis potueritis interesse, duo vestrûm ea nihilominus exequantur. Vos denique, frater episcope, ac fili abbas, super nobis ipsi et credito vobis grege taliter vigilare curetis, extirpando vitia et plantando virtutes, B
ut in novissimo districti examinis die, coram tremendo judice, qui reddet unicuique secundum opera sua, dignam possitis reddere rationem. Datum Laterani, idus Februarii, pontificatus nostri anno quinto decimo.

LXX.

E schedis D. Housseau. 1243.

Notitia de rebus abbatiæ Claritatis-Dei.

Universis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis frater B., dictus abbas Cistercii, salutem in Domino. Ad universitatis vestræ notitiam significatione præsentium duximus perferendum, quod, sicut in relatione veridica vene- C
rabilis patris domini Willelmi, abbatis Cistercii, prædecessoris nostri, didicimus, cum bonæ memoriæ domnus Petrus, Wintoniensis episcopus, quamdam summam pecuniæ assignasset ad unam abbatiam construendam in filiam Cistercii specialem, demum idem venerabilis pater Willelmus domino Joanni, coabbati suo de Pietate-Dei, onus imposuit et dedit specialiter in mandatis, ut de pecunia prædicta possessiones vel redditus emeret ad opus et hæreditatem et nomen abbatiæ prædictæ construendæ, quæ nunc vocatur Claritas-Dei, perpetuo pertinendas, et jure proprietario et hæreditario ab ipsa abbatia et fratribus ibidem Deo servientibus pacifice possidendas; qui Johannes, de Pietate-Dei abbas, præceptis D
patris sui dicti Willelmi, tunc Cisterciensis, obedire cupiens, cum adhuc nomen Claritatis-Dei, vel locus, non esset, ad opus tamen ejus, ad utilitatem et perpetuam hæreditatem, emit, nomine abbatiæ Pietatis-Dei, cui præerat, de pecunia supradicta, a domino Willelmo de Bellomonte, milite, sexaginta libratas Turonenses annui et perpetui redditus, super totam præposituram de Ludio singulis annis in perpetuum percipiendas. Cum igitur prædicta emptio et prædicti redditus ad abbatiam Pietatis-Dei non pertineant, sed ad abbatiam Claritatis-Dei, de cujus pecunia prædicta emptio facta est, prædictas sexaginta libratas annui et perpetui redditus abbatiæ et fratribus Claritatis-Dei, præsentibus et futuris, auctoritate Dei omni- E
potentis et ordinis Cisterciensis et nostra concedimus, et præsentis scripti patrocinio confirmamus; ita quod de cætero in perpetuum monasterium et fratres Pietatis-Dei, ad quos de prædictis nihil pertinet, aliquid non audeant nec possint in prædictis vel de prædictis repetere, vel calumniari, et hæredes dicti Willelmi militis et plegii ejusdem Willelmi in litteris prædictæ venditionis contenti et eorum hæredes de prædictis omnibus respondere aut garantiam ferre teneantur abbatiæ et fratribus Claritatis-Dei, præsentibus et futuris, et abbati et fratribus Pietatis-Dei in aliquo de prædictis, nisi ad opus et utilitatem Claritatis, nullatenus teneantur. Volumus quoque et statuimus

A ut litteræ de prædicta emptione, nomine Pietatis confictæ, idem robur et eamdem vim et firmitatem obtineant et tantumdem valeant abbatiæ et fratribus Claritatis, et ad nomen, opus et utilitatem eorum, ac si eorum nomine factæ essent, et abbatiæ et fratribus Pietatis nihil prosint, nisi ad opus et utilitatem et hæreditatem et possessionem et proprietatem perpetuam Claritatis. In testimonium autem et confirmationem perpetuam prædictorum præsentes litteras sigilli nostri impressione fecimus communiri.

Datum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, mense Januario.

LXXI.

Joannes archiepiscopus ecclesiam Virginitatis Cenomanensem dedicat.

E codice Alborum-Mantellorum (1). 1283.

Universis Christi fidelibus in civitate, diœcesi et provincia Turonensi constitutis, præsentes litteras inspecturis, Joannes, Dei gratia archiepiscopus Turonensis, salutem in Domino. Et si Deum in sanctis suis et loca sanctorum qui, suscepta de manu Domini supernæ benedictionis laurea, in perennitate laudis et gloriæ delectantur, venerari jubemur, multo magis loca genitricis Dei, Virginis Mariæ, quæ castitatis est mater, pudoris aula, pudicitiæ conservatrix, vas munditiæ, Deique et hominum mediatrix, cum summa reverentia frequentare debemus, ut eadem, existens assiduo ad Christi dexteram, super ordines Angelorum, pro nobis peccatoribus apud ipsum Dei unigenitum intercedat. Ideoque universitatem vestram monemus et hortamur in Domino, atque vobis in remissionem injungimus peccatorum, quatenus ecclesiam de Virginitate, Cenomanensis diœcesis, in ipsius gloriosissimæ Virginis honore constructam, et a nobis decimo calendas Octobris honorifice dedicatam, usque ad octabas dedicationis hujusmodi, quam ibidem celebrandam decrevimus, præcipue visitetis. Ut autem vestra devotio ad visitationem prædictæ ecclesiæ libentius inclinetur, quo vos prospexeritis ubertate gratiæ secundari, omnibus vere pœnitentibus et confessis qui ob hoc illuc accesserint temporibus suprascriptis, de omnipotentis Dei misericordia et ipsius Dei genitricis Mariæ, SS. martyrum Mauricii sociorumque ejus, beatissimi quoque Gatiani, omniumque sanctorum meritis et intercessioni confidentes, quadraginta dies de pœnitentiis, quæ sibi secundum suorum exigentiam delictorum injungi merito debuissent, misericorditer relaxamus. Datum apud Tro, decimo quarto Kalendas hujusmodi, anno Domini 1283.

LXXII.

Ludovicus de Borbonio se profitetur hominem ligium S. Martini.

E schedis D. Housseau. 1413.

Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis et audituris, Ludovicus de Borbonio, comes Vindocinensis, æternam in Domino salutem. Antiquorum circumspecta consuevit auctoritas ea quæ digna sunt memoria scriptis authenticis commendare, ne discursu temporum a memoria excidant posterorum. Dignum siquidem memoriæ duximus commendandum quoniam nobis, magnis in proprii corporis periculis constitutis, in hoc mari magno et spatioso, per tot procellas transivimus, carceres et ignominias sustinendo, quod Dei et gloriosissimi pontificis bea-

(1) In Maxima Parisiorum Bibliotheca, sub numero 5o.

tissimi Martini suffragante auxilio, postquam nos, animam, statum nostrum, in ejus protectione submisimus, ad portum salutis profecto devenimus; nec prætermittendum quod propter horrores carcerum, gravitates compedum, jejunia et famem, nec duris verbis, comminatoriis mortis repentinæ, in animo nec in corpore passi fuerimus aliquod detrimentum, ac si fuissemus, prout ante consueveramus, nostro libero arbitrio voluntario positi. O quam igitur mirabilis et quam laudandus est in sanctis suis Dominus Jesus-Christus, pius noster et propitius consolator, qui eumdem gloriosissimum confessorem suum Martinum non solum secum super alta cœli sidera voluit collocare, sed ipsum jam glorificatum adeo in terris honoravit, ut ejus fama per universum orbem longe lateque mirabiliter diffundatur, et ejus venerabile corpus existens in ejus ecclesia propria, in civitate Turonica, a diversarum regionum populis, cura pervigili visitetur, et miraculis innumeris inibi quotidie intervenientibus coruscans ab omnibus cum debita reverentia veneretur! Ideo a nobis tanto propensius debet venerari et cum devotione sincera jugiter adorari, quantum speramus a Domino ipsius interventu spiritualia temporaliaque commoda reportare et in posterum obtinere. Nos igitur, præmissorum consideratione, ut ipse sanctissimus Christi confessor Martinus custos actuum nostrorum et director, apud * redemptorem nostrum intercessor assiduus existat, nos hominem ligium ipsius sanctissimi Martini et dictæ suæ ecclesiæ Turonensis constituimus, submittimus, ac nos obligamus in hominem ligium ipsius gloriosissimi confessoris et ecclesiæ suæ prædictæ, confitemurque tenore præsentium nos hominem ligium ipsius sanctissimi Martini et dictæ suæ ecclesiæ nos constituisse, foreque et esse in perpetuum ac successores nostros, comites Vindocinenses, ac capitulum dictæ ecclesiæ nos in homine ligio * ejusdem sancti et ecclesiæ prædictæ, ad nostri petitionem et requestam, recepisse et admisisse, et nos successoresque nostros ad hoc obligasse, nosque juramentum fidelitatis et hominis ligii supra sanctum et venerabile caput ejusdem sanctissimi Martini, in dicta ecclesia requiescentis, eidem beatissimo Martino et dictæ suæ ecclesiæ corporaliter jurasse, ac fidelitatem, obsequia, et servitium, quæ homo ligius facere tenetur domino suo, secundum consuetudinem regni Franciæ, nos de cætero facere et præstare promittimus, et per successores nostros comites fieri et præstari volumus, modo supra et infra annotato, et in dicti sancti protectione et custodia, devotione sincera et ex nostra certa scientia, nos et successores nostros, Vindocinenses comites, submisimus et submittimus, et, in hujus submissionis et subjectionis memoriam perpetuam, unam marcham argenti ad pondus Turonense, in et ad opus capsæ seu feretri, in quo corpus ejusdem pretiosissimi confessoris venerabiliter requiescit, concedimus * de nostra mira liberalitate, singulis annis donavimus et concessimus, donatamque in perpetuum esse volumus; quam marcham argenti, quandiu vixerimus in humanis, singulis annis, die 5ª mensis Maii promittimus tenore præsentium capitulo ecclesiæ supradictæ solvere, tradere et assignare, ac, Deo propitio, continuabimus, solvemus et assignabimus, realiter et de facto, seu continuari, solvi et assignari faciemus; nobis vero vita functis, volumus successores nostros comites præfatos dictam marcham argenti, semel quilibet in vita sua ad mutationem comitis, nec non ad præstandum et faciendum dictæ ecclesiæ B. Martini fidelitatis et hominis ligii juramentum consimile prædicto, quodque jura, nobilitates, franchisias, libertates, immunitates, terras, patrimonia, hæreditagia et personas ipsius ecclesiæ beatissimi Martini pro viribus defendent et conservabunt, prout juravimus, jurare teneantur. Datum in ecclesia beatissimi Martini, die quinta mensis Maii, anno Domini MCCCCXIII.

* al. apud-que.

* al. homines ligios.

* al. convertendam.

LXXIII.

Translatio capitis S. Martini e veteri capsa in novam.

E schedis D. Housseau. 1453.

In nomini Domini, amen. Cum pretiosum corpus gloriosissimi confessoris Christi, beatissimi Martini apostoli, conserti prophetarum comparis ac præsulum gemmæ, in veneranda ipsius beatissimi ecclesia, Turonis, annis jam clausis plurimis, in quadam capsa, seu vase reliquiari alio, obvolutum argenteo vasculo deaurato, quievisset, adeo ut tam præ nimia vasis vetustate quam impresiositate alia multiplici, indecens et indecorum tam insigni et pretiosæ margaritæ redderetur, anno Domini 1453, regnante domino nostro Carolo VIIº, Francorum rege, dignitatem abbatialem regali addictam diademati in eadem ecclesia obtinente, quam nonnulli, propter ejus ad ecclesias zelantissimam devotionem, Pium, plerique, propter repentinum de hostibus reportatum triumphum, Fortunatum vulgariter agnominarunt, eodem Domino nostro dictante, promovente, et mirum in modum adjutrices manus porrigente, in hanc unanimiter venerabilis et circumspecti viri et dd. decanus, thesaurarius et capitulum ipsius ecclesiæ tunc temporis convenerunt sententiam, ut ipsi gemmæ splendidissimæ nova componeretur theca, seu capsa consculperetur prorsus auri fabrica subtilior, amœnitate auri et argenti ac rutilantium hyacinthorum ornatior et pulchrior; quodemum Dei et ipsius domini nostri regis ad effectum perducto auxilio præstantissimo, ut nihil aliud in hac re ulterius nisi de voluntate et ordinatione ejusdem domini nostri regis, deponerent vasculum antedictum, cum pretiosissimi capitis ejus beatissimi dudum translati amictu, auro, hyacinthinis lapillis coruscante, in quemdam confinem locum eis deputatum, donec nova capsa omnino foret erecta et stabilita permansurum restare videretur.

Notum sit universis præsens publicum instrumentum inspecturis, quod, anno Domini 1453, secundum usum et computationem Gallicanæ ecclesiæ, die vero 3 mensis Februarii, indictione II, pontificatus sanctissimi in Christo patris et Domini nostri domini Nicolai, divina providentia papæ V, episcopali ejusdem ecclesiæ dignitati suffecto anno septimo, in conscriptæ generositatis patricii viri domini Juvenalis de Ursinis, militis, domini *Tregnel* et cancellarii Franciæ, regiæque majestatis vices in hac parte gerentis, illustrissimi ac serenissimi ducis Valesii, Blesis ac Podinmontis comitis, clarissimorum et elegantissimorum dominorum Joannis, comitis Engolismi, Guillermi de Monteferrato, Alexandriæ principis, Petri de Borbonio et Joannis Vindocinensis comitis, ipsius ecclesiæ canonici, nec non R. P. domini Dionysii *de Montmorency*, decani Tornacensis, in Atrebatensem episcopum electi, confirmati, magnificorum militum dominorum Ludovici de Bellomonte, consiliarii et cambellani ac magistri hospitii, ejusque ad regiam celsitudinem oratoris; consiliariorum virorum dominorum Joannis Burelli, majoris Burdegalensis, Petri *Berard* et Stephani Militis, thesaurariorum, ac Petri *Driole*, generalis Franciæ; F. domini Gauffridi de Masquilleyo, prioris claustralis,

nec non plurium religiosorum Majoris-Monasterii, prope Turones, et aliorum monasteriorum; honorabilium civium Turonensium Petri *Boette*, Jacobi *Chambellan*, magistrorum Martini et Joannis *d'Argouges*, plurimorumque aliorum variis insignitorum titulis, nostrique notariorum publicorum infra scriptorum præsentia, personaliter constituti reverendi in Christo PP. et DD. Robertus de Montebruno, Engolismensis; Theobaldus de Luce, Malleacensis; Petrus Burelli, Biternensis; Richardus Oliverii, Constantiensis miseratione divina episcopi; Guillermus *Saugere*, S. Juliani Turonensis, et Petrus *Berthelot*, S. Pauli de Cormariaco, Turonensis diœcesis, monasteriorum abbates, nec non venerabiles et circumspecti viri domini et magistri Joannes Britonis, decanus; Ludovicus de Calvo Monte, thesaurarius; Joannes Majoris cantor; Martinus *Chabot*, scholasticus; Alexius *Bouju*, subdecanus; Joannes *Fertin*, cellerarius; Matthæus *Hoyau*, eleemosynarius; Guillelmus de Sanzayo, granicarius; Guillelmus *Boureau*, prior prioratus S. Cosmæ de Insula, prope Turones; Joannes de Podio de Mahietto, Joannes *Emery* de S. Spano, Guillermus *Picard* de Octo, Andreas *du Beuf* de Courcayo, Robertus *Poittevin* de Sodobrio, Jacobus Britonis de Chableis, Joannes *Bouhalle* de Lereaco, præpositurarum præpositi; Ludovicus Regis, Joannes *Chesneau*, Adam *Josseaume*, Joannes *Girois*, Evenus *de Gourmelon*, Ægidius *Eschart*, Hermannus de Vienna, Joannes *Cailleau*, Michael *Turcelin*, Nicolaus *Sedille*, Guillelmus Militis, Philippus de Ulmo, Joannes Juliani, Joannes *Deshayes*, Julianus *de Grigni*, Petrus *Guibert* et Joannes *Ahanne*, succentor, canonici prælibatæ ecclesiæ, cum ipsius ecclesiæ vicariorum et capellanorum numero copioso, missa solemnissimo ordine cum organorum harmonico jubilo, permaximoque campanarum sonitu ac lucernarum fulgore, per R. P. DD. Malleacensem pontificem, adstantibus in diaconali officio celerario, in subdiaconali præposito de Sodobrio supradictis, devotissimo in honorem omnipotentis Dei, intemeratæ ejus ac gloriosissimæ genitricis Virginis Mariæ, ipsiusque benedictissimi confessoris Christi beatissimi Martini proprio ejus decantato officio celebrato, RR. PP. DD. prælatis, nonnullisque aliis in eminentioribus ejusdem ecclesiæ dignitatibus constitutis, in cappis sericis incedentibus processionaliter versus locum in quo illud peculiarissimum depositum esse perhibetur, cantore cum toto choro antiphonam salutationis *Ave Præsul* continuo psallente, declinarunt et in oratione procidentes RR. PP. antistites prænominati, vase illo reliquiari, cujus velamini sidus illud fulgentissimum subjacebat, reserato, vasculum argenteum deauratum corpus pergloriosum obvolvens primo, deinde amictum, aureum gemmis obsitum lucidissimis, quondam translatum ipsius gloriosissimi caput obumbrantem, sustulerunt, et ex eis, excitandæ devotionis causa, adstantium oculis parumper exhibitis, demum in quamdam archam trinis clavibus obseratam et interius adornatam aureis texturis, illic donec nova capsa in anterioris exigeretur loco permansura, deposuerunt, et alterius earumdem clavium prælibato domino concellario vice domini nostri regis, alterius vero domino thesaurario, tertiæ vero procuratori fabricæ ejusdem ecclesiæ custodiam commiserunt: vase vero eodem reliquiari denique stabilito et erecto, die Dominica, decima mensis Martii inde sequentis, anno, indictione et pontificatu prænotatis, assistentibus conscriptæ generositatis patricio viro domino Guillelmo Juvenali de Ursinis, milite, domino *de Tre-*

A *gnel* et cancellario Franciæ, celsitudinis in hac parte regiæ delegatione fungente, inclytissimis et serenissimis principibus, dominis militibus, cambellanis, scutiferis et consiliariis, Carolo Aurelianensi et Mediolanensi duce, Valesii, Blesis et Podiumontis comite, Arturo Richemonde, conestabulario Franciæ, ejusdem ecclesiæ canonico; Joanne Claromontensi, cum domino Petro de Borbonio, germano suo; Carolo Angi (Andegavi); Guastone Fuxi, Biani et Bigorræ; Joanne Vaisii, majore Franciæ cambellano; Joanne Vindocinii, ejusdem ecclesiæ etiam canonico; Joanne de Buellio, admiraldo Franciæ, sacrocæsariensi comitibus; Philippo *de Gamaches*, S. Dionysii in Francia abbate; Radulfo *de Raucourt*, supremo magistro hospitii; Andrea de Lavalle, domino de Lohia, marescallo; Joanne *d'Estouteville*, domino *de Torcy*, magistro balistariorum; Pontio *de Xaintrailles*, protoscutifero Franciæ; Petro *de Bressay* Normanniæ, Ludovico de Bellomonte, Pictaviæ senescallis; Jacobo *du Trillay*, Viromandiæ baillivo; Henrico de Villa Alba, prosapiosi et præcelsi principis, domini ducis Britanniæ, cambellano, majore sui hospitii magistro ejusque ad regiam mansuetissimam clementiam oratore; Joanne *Bureau*, majore Burdegalensi, Stephano Militis, thesaurariis; Petro *Doriole*, generali Franciæ; Roberto *Thiboust*, consiliario domini nostri regis suæque supremæ curiæ parlamenti præsidente; Joanne *Blondelet*, C cantore; Joanne *Presseau*, archidiacono Transvigennensi; Joanne *Pavin* de Insula Burchardi, Radulfo *Segale* de S. Maura archipresbyteris, Jacobo *Barré*, canonicis ecclesiæ Turonensis; civibus Turonensibus Bandeto *Berthelot*, locum-tenente generali baillivi Turoniæ ac resortorum, Petro *Brette*, Martino *d'Argouges*, Renato *Dreux*, Joanne *Bonvart* et Joanne *d'Argouges*, cum pluribus aliis, immo innumeris personis in variis honoribus constitutis, exortum est in eadem ecclesia longe celebrius mysterium, ministrantibus in divinis dominis antistitibus infra scriptis, pontificali circumamictis habitu, videlicet RR. in Christo PP. Ludovico de Harcuria, sanctæ sedis apostolicæ gratia Narbonnensi archiepiscopo, RR. DD. D pontificibus et prælatis dominis Roberto de Montebruno, Engolismensi, Theobaldo de Lucayo, Malleacensi, Guillelmo Quadrigariis, Parisiensi, Petro de Freignac, Tutellensi, Richardo Oliverii, Constantiensi, miseratione divina episcopis, Guidone Viguerii Majoris-Monasterii prope Turones et Petro *Berthelot*, S. Pauli de Cormariaco monasteriorum abbatibus, una cum venerandissimis, circumspectissimis et scientiæ dominis et magistris Joanne Britonis decano, Joanne Majoris cantore, Martino Chaboti scholastico, Alexio *Bouju* subdecano, Joanne *Fertin* cellerario, Matthæo *Hoyau* eleemosynario, Guillelmo de Sanzayo granicario, Guillelmo *Boureau*, priore S. Cosmæ de Insula, Joanne de Podio de Mahietto, Joanne *Emery* de E S. Spano, Guillelmo *Picard* de Octo, Andrea *du Beuf* de Curcayo, Roberto *Poittevin* de Sodobrio, Jacobo Britonis de Chableis, præpositurarum præpositis; Matthæo *Houbaille*, Ludovico Regis, Joanne *Chesneau*, Adam *Josseaume*, moderno ejusdem ecclesiæ fabricæ procuratore, Ægidio *Eschart*, Ludovico *Chartin*, Joanne *Girois*, Eveno *de Gourmelon*, Joanne *de Holvegneur*, archicapellano domini nostri regis, Joanne *Barré*, Nicolao *Sedile*, Guillelmo Militis, Philippo de Ulmo, Joanne Juliani, Joanne *Deshayes*, Juliano *de Grigni*, Petro *Guibert*, Joanne *Ahanne* succentore et Michaele *Turcelin*, ejusdem ecclesiæ canonicis, cum numerosa ipsius ecclesiæ vicariorum et capellanorum caterva, et tandem per R. do-

minum Malleacensem episcopum prænominatum in assistentia præsulum cæterorumque supradictorum, cum immensa solemnitate missa celebrata, thecaque solita benedictione dedicata, manu eorumdem antistitum ferioso ordine corpus eximium in vas ipsum extitit reconditum, et, eo vase undique obserato et concluso, clavis tradita fuit custodiæ thesauri ejusdem ecclesiæ committenda. De et super quibus præmissis omnibus et singulis prænominati decanus, procurator fabricæ totumque capitulum, notariis publicis subscriptis, eis ad perpetuam rei memoriam fieri et confici publicum instrumentum, seu publica instrumenta, unum vel plura.... Acta fuerunt hæc, Turonis, in ecclesia B. Martini Turonensis antedicta, sub anno, diebus, mensibus, indictione et pontificatu præinsertis, præsentibus et adstantibus principibus, magnatibus cæterisque prænotatis, quod præsens instrumentum concessum et subsignatum a quatuor notariis publicis, etc., etc.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ CENOMANENSIS.

I.

Diploma Childeberti regis pro monasterio Anisolensi.

Ex Amplis. Collect. 528.

Childebertus rex Francorum, vir inluster. Si petitionibus servorum Dei, pro quod eorum quietem vel juvamen pertinet, libenter obaudimus regiam consuetudinem exercemus. Noverint igitur omnes fideles nostri, præsentes atque futuri, quia monachus quidam peregrinus, Carilephus nomine, de Aquitaniæ partibus, de pago videlicet Alvernio veniens, nobis postulavit ut ei locum ubi habitare et pro nos Domini misericordiam implorare potuisset, donaremus, ut eum cum monachis suis in nostra defensione et tuitione susciperemus. Cujus petitionem, quia bonam esse cognovimus, et ipsum Domini servum, miraculis declarantibus, veraciter perspeximus, libenti animo implere studuimus. Dedimus ergo ei de fisco nostro Maddvallo, super fluvium Anisola, in loco qui vocatur Casa-Gajani, per locis descriptis et designatis, ubi oratorium et cellam sibi et ab suis monachis, et qui post eum venturi fuerint construeret, et receptaculum pauperum in eleemosyna domni et genitoris nostri Chlodevæi ædificare potuisset. Terminus ergo de nostra donatione, qui est inter dominationem fisci Maddvallensis et nostra traditione, incipit a villa quæ appellatur Rocciacus, super fluvium Bria, in quo cadit quidam rivulus, qui ipsas determinat terras, et pergit ipsus finis vel ipsus rivulus usque subtus curtem Bandaviam, quæ in Maddvallense esse videtur, et inde pergit in dextram usque ad Summum montem et iterum descendit usque in Vallem, ubi cruces in arbore et lapides subtus infigere jussimus: et sic per ipsum terminum venitur ad villam Lescito nomine, quæ est de nostra donatione; deinde descendit per terminos et lapidis fixis ad colonicam quæ appellatur Curt-Leutachario, et ipsa colonica determinat per lapidis fixis contra montem et solis occasum, et inde descendit ad eum locum ubi Maurus ipsius Maddvallo judex manere videtur. Inde extenditur terminus ad locum qui appellatur Villa-Baltrude, et, illa in sinistra parte relicta, peragitur per terminos et lapides fixas propter stratam veterem, per summum frafugetum, ubi cruces in arbore quasdam sed et clavos et lapides subterfigere jussimus. Inde extenditur ipse terminus per loca designata usque ad stratam Variciacensem. Inde iterum propter ipsam stratam usque ad arborem quæ vocatur Robur-Fasiani, quæ arbor est juxta stratam et viæ quæ distenditur foris ad Malampatriam et locum qui appellatur Coldriciolus; et prope ipsum Robur-Fasiani, qui est juxta ipsam viam habet lapides fixas, sed et clavis in arboribus figere jussimus. Inde per ipsa via pergit terminus ipsus usque ad Axoniam, sicut fixæ lapides docent. Inde per summum Cauaniolam usque ad Fontem-Caballorum. Inde deducitur de Fonte-Caballorum per loca designata leucam in longum de latere poccessionis quæ appellatur Malapatria, et de alio latere est locus qui vocatur Sancitus, qui et ipse Saucitus in ipsa leuca condonatur usque ad Anisolam, sicut cruces in arbore factas et loca designata declarant, usque in Bramne valle. Inde modicum per ipsam vallem et rivolum vadit usque fines Sinemurenses, A et inde versus solis orientem pergit per alium rivolum, usque ibi ipsus rivolus consurgit per loca designata et a jam dicto fine Sinemurense extenditur usque in Anisolam, et est ibi in ipsis finibus arbor sita valde grandis, et sub ipsa arbore lapides grandes figere jussimus. Inde per ipsam Anisolam distenditur confinium donationis nostræ et Sinemurense contra solis orientem; et est sicut volumus intimare, de latere uno pars Sinemurensis, et de alio latere pars Mattojacensis, sylva quæ vocatur Burcitus, et pervenit ad locum ubi junguntur fines Sinemurenses et Baliavenses et Marojalenses, ibique in arboribus cruces facere et sub ipsas lapides subter figere jussimus. Inde distenditur terminus ipsus per ipsam Anisolam: de B uno latere est pars Baliavensis et de alio latere pars Marojalensis per loca designata et per ipsam usque prope locum qui dicitur Tilius, ubi Anisola consurgit, et subjungit ad vetus viam quæ venit de Sinemuro, et per ipsam viam et loca designata vadit usque ad locum qui dicitur Fossa Colonorum. Inde pergit per ipsam viam et loca designata, usque ad Fossam antiquam, habentem aquam. Inde descendit ipse confinius Baliavensis et Marojalensis in axona quæ vocatur Petrosa et sic per axonam et arbores vel lapides fixas vadit usque foras ad summos campos, ubi lapides fixas et sub ipsos lapides sunt signa posita; et est ibi lapis magnus qui est fixus inter terminum Baliavensem et Marojalensem et Maddvallensem, qui C venit de Verto-Fonte juxta culturam illam, habentem ex omni parte dextero CCLX. Et de ipso lapide fixo in axona pergit terminus Baliavensis et Marojalensis per vallem axonæ usque prope Berofacium, et inde vadit per ipsam vallem et rivolum qui ibidem per aliquot tempus currit usque in Martinariam antiquam. Inde consurgit ad montem per terminum veterem, usque ad locum qui appellatur Casa Wadardo, et est ipse terminus inter Rivualcham et casam jam dicta Wadardo, et inde descendit per ipsam vallicellam et rivolum qui ibi per aliquot tempus currit, usque ad terminum Raalensem et Baliavensem et Marojalensem, ubi ipsæ tres partes junguntur; suntque ibidem cisternæ veteres duæ.

D Omnia igitur quæ infra istis terminis continentur, ad excolendum, plantandum, ædificandum, et secundum monachorum regulam quicquid voluerit construendum, eidem sancto viro speciali patrono nostro Charilepho et monachis suis concessisse, et per ipsius donationis titulum tradidisse, omnium fidelium nostrorum comperiat magnitudo. Ipsum etiam domnum et venerabilem virum cum omnibus monachis suis, et res ad se pertinentes, in nostro mundeburde vel tuitione recepisse et tenere cognoscat. Quapropter per præsentem præceptum jubemus ut neque vos, neque successores vestri, nec aliquis de fidelibus nostris, in causas aut in rebus ipsius sancti viri ingredere non præsumatis, aut aliquid de rebus aut de ter- E minis minuere cogitetis, aut in aliquo molesti esse velitis: sed liceat eis per hanc auctoritatem a nobis firmatam, sub immunitatis nostræ tuitione vel mundeburde, quietos residere, ut tam ipsi quam successores illorum pro stabilitate regni nostri Domini misericordiam delectet implorare. Et ut hæc auctoritas firmiorem obtineat vigorem, manu propria confirmavimus et de annulo nostro subtersigillare jussimus.

Actum Maddvallo, fisco dominico. Data VIII calendas Februarii, anno IV regni nostri. In Domino feliciter. Amen.

II.

Præceptum Childeberti regis Daumero Anisolensi abbati concessum.

Ex Ampliss. Collect. 536.

CH(ILDEBERTUS) rex Francorum, vir inluster. Si petitionibus servorum Dei, pro quod eorum quietem vel juvamen pertinet, libenter obaudimus, regiam consuetudinem exercemus, et nobis ad laudem vel stabilitatem regni nostri in Dei nomen pertinere confidimus. Ideo venerabilis vir Daumerus, abba de monasterio Anisola, quod est in pago Cenomannico, et ubi ipse abba una cum turba monachorum sub sancto ordine conversare videtur, missa petitione, clementiæ regni nostri expetiit, ut eum et ipsum monasterium una cum omnibus rebus vel hominibus suis, gasindis, amicis, susceptis, vel qui per ipsum monasterium sperare videntur, vel unde legitimo redebet mitio vel sermone tuitionis nostræ vel mundeburde recipere deberemus; quod et nos gratanti animo illi præstitisse cognoscite. Quapropter per præsentem jubemus præceptum, ut neque vos, neque juniores vestri aut successores, missi de palatio nostro discurrentes, ipsi Daumero abbate vel monachis ipsius, vel qui per ipsum monasterium sperare videntur, nec condemnare, nec inquietare, nec inferendas sumere, nec de res eorum aliquid minuere penitus non præsumatis. Sed liceat ipso abbate Daumero et successores ejus atque congregatione eorum, quod ad præsens rationabiliter videntur habere, aut adhuc a Deo timentibus hominibus ibi fuerit additum vel augmentatum, sub omni emmunitate vel tuitionis nostræ sermone valeant tenere atque possidere, quatenus melius eis delectet pro stabilitate regni nostri misericordiam potius deprecare. Et ut hæc autoritas firmiorem in Dei nomine vigorem obtineat, manu propria confirmavimus et de sigillo nostro subtersigillare decrevimus.

Actum Compendio palatio, anno XII regni nostri. Data quarto calendas Maii.

III.

Diploma Theodeberti, sive Chariberti, quo fundationem confirmat S. Martini Cenomanensis.

Ex editione Brequiniana. 557.

THEODEBERTUS (1), rex Francorum, vir inluster. Si petitionibus ancillarum Dei, ut sacerdotibus, in quod nostris auribus fuerint prolata, ad effectum perducimus, hoc nobis ad æterna salute vel stabilitate regni nostri in Dei nomen pertinere confidimus. Igitur vir inluster Eoladius presbyter et Baudomalla Deo devota, directa petitione clementiæ regni nostri detulerunt notitia, eo quod ante hos dies, in area ipsorum, infra muralia Cenomannis, oratorio in honore S. Martini construxerant et locella nuncupantes, sitas in pago Cenomannico Moliniaco, villa Levaste, Popiliaco, Aciaco, Vericiaco, Potius-Cipidus, cum omnes adjacentias earum vel appendiciis, cum omni re inexquisita, et ipso oratorio, ad ecclesiam S. Gervasii et Protasii martyris, vel domno Domnolo episcopo qui ibidem ad præsens custos praesse videtur, ipsas res per eorum strumenta delegaverunt. Ideo petierunt celsitudini nostræ ut hoc per nostram auctoritatem plenius confirmare deberemus. Cujus petitione gratanti animo præstitisse et in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes enim, ut, sicut constat, jam dictus Eoladius et Baudomalla ipsa loca, Moliniaco, villa Levaste, Popiliaco, Aciaco, Vericiaco, Potius-Cipido, una cum tribus domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, farinariis, peculiis, præsidiis, mobilibus et immobilibus, vel reliquis quibuscumque beneficiis ad ipsa casa Dei per eorum instrumentum juste et rationabiliter delegassent, et hoc ad præsens ibidem ordine recto videtur esse possessum vel dominatum, ita et in antea, inspecta ipsa epistola donationis, per hoc præceptum, plenius in Dei nomine confirmatum, ipsa loca superius nominata, cum omni integritate eorum, ad ipsa casa S. Gervasii et Protasii matris ecclesiæ, nostris et futuris temporibus jure firmissimum proficiant ad augmentum. Et ut hæc præceptio firmior habeatur et in omnibus conservetur, manus nostræ subscriptionibus eam subter decrevimus roborare. Theodebertus, rex Francorum, subscripsi. Adalgrimus jussus obtolit. Data dies octo, quod facit præsens, mense Junii, anno VII regni nostri, Captunaco, in Dei nomine, feliciter. Amen.

IV.

Præceptum Chilperici regis Gallo Anisolensi abbati concessum.

Ex edit. D. Voisin. Circa 570.

CHILPERICUS rex Francorum, vir inluster. Si petitionibus servorum Dei vel ancillarum Dei pro quod eorum quietem vel juvamen pertinet, libenter obaudimus, vel effectui in Dei nomen mancipamus, regiam consuetudinem exercemus, et nobis ad laudem vel stabilitatem regni nostri in Dei nomen pertinere confidimus. Ideo venerabilis vir Gallus, abbas de monasterio Anisola, quod est in pago Cenomannico, ubi sanctus Karileffus in corpore requiescit, vel ubi ipse abba una cum turba monachorum sub sancto ordine conversare videtur, missa petitione clementiæ regni nostri expetiit ut eum et ipsum monasterium una cum omnibus rebus et hominibus suis, gasindis, amicis, susceptis, vel qui per ipsum monasterium sperare videntur, vel unde (legitimo redebet mitio vel sermone) tuitionis nostræ vel mundeburdo nostro recipere deberemus. Quapropter per has (litteras et præsentem) jubemus præcepi(tum ut neque vos, neque juniores vestri neque) successores, vel missi de palatio nostro discurrentes, (vel quislibet ipsum domnum) Gallum abbatem (vel homines) monasterii sui, amicis, susceptis, vel qui per eumdem sperare videntur, vel unde legitimo debet mitio, inquietare, nec inferendas sumere, nec de res eorum id lege minuere audeat: sed liceat eis, sub sermone nostræ tuitionis vel sub emmunitate nostra, quietos vivere ac residere. Et si aliquas causas adversum ipsum monasterium ortas fuerint aut surrexerint (quas) a vobis aut a junioribus vestris absque eorum iniquo dispendio terminatas non fuerint, usque in præsentia nostra omnimodis servetur, et ibidem finitivam sententiam per legem et justitiam debeant accipere, vel unicuique de reputatis conditionibus justitiam reddant, et ab alio simili modo veritatem percipiant. Et ut auctoritas nostra firmior habeatur per tempora, manus (nostræ signaculis) subteram roborare decrevimus. (Signum) Chilperic(i).

Datum (quod fecit mensi (s.....) (dies.....), anno I regni nostri.

(1) Lege potius *Charibertum*.

V.

Testamentum S. Domnoli.

E Gestis S. Aldrici. 572.

Domino venerabili ecclesiæ Ceno mannicæ clero, Domnolus episcopus. Congruum nobis fuit ut votum desiderabile in caritatis vestræ notitiam poneremus, quia si consensus vester, desiderium cordis nostri et decreta nostra adnectere se voluerit, credimus nullius ullo unquam tempore contrarietate a nobis pariter firmata posse convelli. Cum pro salute populi vel custodia civitatis reliquias domni ac venerabilis sancti Vincentii martyris, intercedente præsumptione ausi fuerimus deferre, cum Dei adjutorio vel vestro eisdem locum dignitatis ereximus in culmine : ita petimus ut vestro pariter ditetur et munere ; et si consensus vester nobis contulerit claritatem, hanc paginolam donationis vestro quæsumus ut firmetur robore. Damus ergo ipsius domni Vincentii ecclesiæ donatumque esse volumus villam cognominatam Tritionem, quam Habundantius quondam visus est tenuisse per loca designata : sicut Tritio de confluentes usque Brivas defluit in Vidnam et usque terminum Proliacensem subjungente ad se adjacentia Saturniacense. Inde per viam Saturniacensem pervenit ad Wacta usque campum Daulfum; deinde a Brojalo censurio usque ad domum Meræ; inde a campo Locogiacensi pervenit ad ipsum Tritionem : cum id quicquid Mallaricus diaconus noster tempore vitæ suæ usufructuario possidere videtur, cum agris, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumve decursibus ; cum mancipiis his nominibus : Leudomadum cum uxore sua, nomine Leudomalla, et infantulam Litomeri ; Leudulfum ; item, Leudulfum, Chariobaudum, Vinoflede et Mogiane. Damus etiam gregem equinum, quem Allomeris intra terminos ipsos commanens custodire videtur. Itemque et villa Fraxeneto, quam bonæ memoriæ Aper presbyter tenuit cum brojallos Marcelliacenses, cum vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, cum accolis x in ea commanentes. Hæc omnia damus in rebus ecclesiæ et usu eorum, quicumque opportuni ad domum ipsam serviendum fuerint, quos per adsignationem Leuderici defensoris vestræ ecclesiæ possidendos præcipimus, cum mancipiis, his nominibus : Launovethum, Fædulum cum uxore Taligia, Sesulfum, Cartinum cum uxore Leudomalla et filio Leudoghisilo, cum filia Childegunda ; Pupa cum filiis Pupilonio, cum porcis quos custodit, Leudomadum, Mundofledam et Leudomandam, comlibertos omnes jam dicti presbyteri.

Pari modo et locellum ad Bucus, quem de Eutherio presbytero accepimus, cum mancipiis qui ibidem excolere videntur ; pratum intra Vivarium supra ripam Sartæ situm, quem Habundantius vel actores ecclesiæ visi sunt tenuisse ; Childigisilum puerulum, cum armento pecorum quem ipse custodire videtur, et campum adjacentem ad memoratum pratum, quem nostro opere fecimus ; Sescimundum cum uxore sua Wiliare. Hæc omnia per hanc paginam donationis, quam Aunulfo diacono unanimiter rogavimus conscribendam, volumus ut nuncupata basilica habeat, teneat, possideat, et quicumque loci ipsius dignitatem perceperit, jure hæreditario perpetualiter sibimet vindicet possidendum. Si vero ullo unquam tempore aut pontifex civitatis, aut quælibet persona, a nobis donata vel tradita de dominatione basilicæ ipsius abstrahere voluerit, inducat maledictionem pro benedictione, et domini nostri Jesu-Christi vel omnium sanctorum martyrum incurrat offensam ; et voluntas nostra perpetim, auxiliante Domino, capiat firmitatem.

Actum Cenomannis civitate, anno xi regni domni nostri Chilperici regis, pridie nouas Martias. Domnolus peccator subscripsi. Germanus peccator, rogante clero Cenomannis, subscripsi. Dinamius peccator consensi et subscripsi. Drautio presbyter subscripsi. Injuriosus peccator subscripsi. Meterius presbyter consensum nostrum subscripsi. Cæunus diaconus consensum nostrum subscripsi. Romolus diaconus consensi et subscripsi. Datdus diaconus consensum nostrum subscripsi. Nox diaconus subscripsi. Sendovethus diaconus consensi et subscripsi. Theodulfus peccator consensi et subscripsi. Affar presbyter consensi et subscripsi. Dorus presbyter consensum nostrum subscripsi. Populonius presbyter consensi et subscripsi. Alloveus presbyter consensum nostrum subscripsi. Setrius peccator consensi et subscripsi. Leudoveus presbyter. Daurad. presbyter consensum nostrum subscripsi.

VI.

Testamentum Bertramni.

Ex Anal. Mabillon 615.

In nomine Domini nostri Jesu-Christi et Spiritus Sancti, sub die sexto kal. Aprilis, anno xxxii regnante gloriosissimo domno Clothario rege, Bertramnus, etsi indignus peccator, episcopus sanctæ ecclesiæ Cenomannicæ, sanus Deo propitio mente et corpore, sanoque consilio, metuens casus humanæ fragilitatis, testamentum meum condidi, eumque filio meo Ebbone notario scribere rogavi et dictavi; quod testamentum meum si quo casu jure civili, aut jure prætorio, vel alicujus novæ legis interventu valere nequiverit, ac si ab intestato ad vicem codicillorum valere eum volo et valeat. Itaque quando ego suprascriptus Bertramnus peccator ex rebus humanis excessero, debitumve naturæ tempus complevero, tunc tu, sacrosancta ecclesia Cenomannica, una cum sancta ac venerabili basilica domni Petri et Pauli Apostolorum, quam in conspectu civitatis opere meo pro defensione civitatis vel salubritate populi ædificavi, hæredes mihi estote, hæredesque meos vos esse constituo ac jubeo, cæterive exhæredes sint toti. Omnis itaque cui hoc testamentum meum dedero, legavero, dari vel jussero, id ut detur fiat, præstetur, fidei hæredibus meis committo. Si quos autem liberos esse jussero, liberæ liberive sint toti. Et quia inclitus atque præcelsus domnus Clotharius rex, cui Deus in millia æternam retribuat beatitudinem, suum præceptum manus suæ jure firmatum mihi dedit, ut de propria facultate, quod ex parentum successione habeo, seu quod munere suo consecutus sum, aut aliquid comparavi, vel comparare Deo adjuvante potuero, vel in quibuscumque rebus atque corporibus facultatum augmentare potuero, tam pro animæ meæ remedium quam propinquis meis, seu fidelibus meis delegare voluero, liberum tribuit arbitrium.

Idcirco te, sacrosancta ecclesia Cenomannica, hæres mea, habere volo ac jubeo villam juris mei cujus vocabulum est Bonalpha, sita in territorio Stampense seu Æqualina sylva, et mihi præcelsus domnus Clotharius rex suo munere, una cum præcelsa domna Fredegunda regina, quondam genitrice sua, postquam eis domnus Vadola justitia eorum reddidit, in me humilem eorum pro fidei meæ conservationem, quæ semper circa ipsum principem inviolabilem tenere et habere visus sum concesserunt. Ipsam villam cum domibus, mancipiis, vineis, silvis, campis, vel omni jure

et adjacentibus suis, tam mobilibus quam et immobilibus, post obitum meum tibi valeas perpetualiter possidere; exceptis quos exinde liberare voluero. Similiter agrum Culturam eo tempore adquisitum, te, domna hæres mea ecclesia, habere volo ac decerno; ex quo agro medietatem bonæ memoriæ domna Ingoberga, quondam regina, mea instantia meoque exigente servitio, Sanctæ Mariæ dereliquit: aliam vero medietatem de germano ipsius Magnulfo quondam dato pretio comparavi, ut in jura sanctæ ecclesiæ ager ille ad integrum perveniret. Et de villa Colonica, sita in territorio Tricurino, quam bonæ memoriæ Bobolenus medietatem ecclesiæ delegaverat, et pro ipsa medietate multas habui vexationes, sed meo opere egi ut de jure sanctæ ecclesiæ non auferretur; etiam et postea aliam medietatem, quam uxori vel hæredibus suis ad possidendum delegaverat, dato pretio ad integrum comparavi et in dominationem meam pervenit: volo ut ipsam villam cum omni integritate tu habeas, sacrosancta ecclesia hæres mea, una cum Fano Vicinoniæ; quicquid inibi comparavi, aut meo opere adquisivi, cum portione illa quam in Bructagio comparavi, ubi domos ædificavi et mancipia stabilivi, cum eo quod adhuc Deo propitio in ipsis agris immeliorare potuero, cum omni integritate eorum, et mancipia inibi commanentia, tibi, sacrosancta ecclesia, volo esse donatum.

Itemque et villa Brea, quam mihi Daulfus per donationis titulum contulit et ego postea mihi comparavi, vel quæcumque subjunxi, velut ipsa villa cum omni integritate sua, sicut a me præsenti tempore possidetur, in dominationem sanctæ ecclesiæ Cenomannicæ hæredis meæ perduret. Sed quam plurima quæ memorare novero tibi meo studio, sancta ecclesia, adquisivi. Et licet omnibus, Christo propitio, notum sit, qualiter ego aut quam fideliter in sancta ecclesia, aut in monasteriis, aut in cunctis rebus laborassem, tamen et tu, domne pontifex, quem Deus in eis post me esse voluerit, cognoscere potes quanta ibidem meo studio vel labore, tempore meo, Deus est dignatus conferre. Quod si fide integra disponis inquirere, cognosces me tuæ ecclesiæ non modicum laborasse. Unde tibi ineptum esse non debet si aliquid de rebus Sanctæ Mariæ cuicumque ex fratribus nostris, hoc est presbyteris et diaconibus, seu lectoribus aut propinquis meis, vel amicis aut servientibus, tam sanctæ ecclesiæ quam et meis propriis, cuicumque aliquid in usufructu dimitto; quia sanctæ ecclesiæ proprietatem non aufero et de substantiola mea hæredem ipsam constituo. Et quia sanctæ recordationis domnus Domnolus, quondam episcopus, de agris ecclesiæ aliqua locella ad basilicam suam, ubi requiescere videtur, delegavit, sed nobis molestum fuit ut iterum nos simili conditione de agris ecclesiæ aliquid auferre aut minuare deberemus, ut basilicæ sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, quam in honore eorum nominis construxi, conferre deberemus; sed magis pertractans cum consilio venerabilium fratrum nostrorum presbyterorum, seu diaconorum, vel omnium clericorum, ut unum locellum de ecclesiæ conditione ad ipsam sanctam basilicam, non tantum pro necessitate, sed propter primitias vel reverentiam ipsorum dominorum Apostolorum, et quod mater sancta ecclesia, quæ omnes basilicas ad se pertinentes fovet ac ditat, convenit cum domnis pontificibus diem illum, quo benedictio cœlestis vel reliquiæ sanctorum Petri et Pauli Apostolorum in ipsa basilica positæ sunt, et dupliciter divina opitulante gratia a sanctis sacerdotibus observari, et in honorem SS. Apostolorum, vel loci illius consecrationem.

Villa Wibriaco, quam Basilius et Baudegundus quondam per donationis titulum ad sanctam ecclesiam condederant post eorum obitum possidendam, unde et nos postea jugiter laboravimus, ut ecclesiæ non auferretur, postea omnia supradicta quod per me humilem sanctæ ecclesiæ proficit aut obvenit, tam prædicta Wibriaco, quam in suburbano basilicæ domni Petri et Pauli Apostolorum, quæ meo opere ædificata esse dinoscitur, ad ipsam sanctam ecclesiam, Christo propitio, debeat in perpetuo permanere.

Id mihi placuit delegare, ut villa Nimione, sita in territorio Parisiaco, cum vineis quæ Frontanito, ad Plastarias et Vinitores esse noscuntur, quas mihi domnus Clotharius rex dedit, quæ meo sæpius, dum laicus fui, tam de fisco quam de comparato possidendum sanctæ ecclesiæ Parisiacæ, sub cujus gratia nutritus sum, ad integrum volo esse donatum. Basilicæ vero sanctorum ac beatissimorum Petri et Pauli Apostolorum, quam superius hæredem, una cum sancta ecclesia Cenomannica constitui, sicut mea est devotio, quia ibidem meum (quandoquidem Deus voluerit) desidero collocari corpusculum, ad ipsam sanctam basilicam in honore sanctorum Apostolorum, ut pro facinore meo quod hic in sæculo jugiter visus sum perpetrasse, ut ipsi Apostoli suffragiis suis ab infernali pœna me liberare dignentur, et si non gloriam, quod non mereor, vel veniam eorum patrociniis aut intercessionibus merear obtinere. Dono itaque ad ipsam sanctam basilicam villas sitas tam in territorio Cenomannico, quam et in Stampense vel Burdigalense, aut ubicumque, tam per donationis titulum quam ad ipsam basilicam jam die natalitii sui dedi, verum etiam quod et adhuc per testamenti istius paginam dedero, quas mihi domnus gloriosus Clotharius per suam munificentiam contulit, vel pro fidei meæ conservatione ad integrum suis præceptionibus manu sua roboratis, mihi integram tribuit licentiam, ut prædicto loco pro animæ meæ remedio, vel sui regni stabilitate, ipsas villas quas munere suo promerui, conferre deberem. Hæc sunt : villa Crisciago, villa Thedone, colonica nomine Telate, et alia villa Buresaco et mansiones in Wastinense, quas de viro illustri Varnachario majoredomus, pro villa Columbaria percepimus. Illud vero rogo atque jubeo abbatibus, qui per singula tempora, sicut divina potentia aut gratia domnorum Apostolorum eos inibi jusserit perdurare, ut omni tempore vitæ eorum hoc sit eis potissimum observandum, ut de villis superius nominatis quicquid exinde aut in tributum, aut in suffragium annis singulis poterit obvenire, medietas ex hoc, quando fuerit mea commemoratio, pauperibus, aut in vestimentum, aut in aurum erogetur : alia medietas luminis exinde in sancta basilica omni tempore sufficienter accendatur, ut nunquam sit neque una hora noctis absque luminaria ipsa sancta basilica, sicut dignum est in honorem prædictorum Apostolorum luminis omni tempore fulgeat indesinenter, tam ad basilicam Sanctorum Apostolorum, quam et ad Sanctam Crucem quam postea ædificavi, vel ad basilicam domni Martini ad synodochium quæ est ad Ponti Leugam, excepto de fructibus aut reliquis conditionibus, quod de prædictis agris speratur in usibus sanctæ basilicæ et monasterii sui, sive alimonia canonicorum vel pauperum, qui ad ipsam basilicam sanctam ad matricolam sedere videntur, ut victus et vestitus per singulos annos sufficienter ministretur, et pro meis expiandis peccatis jugiter Domino deprecentur, et pro collata principis cœlestis eidem et regnum longævum præstet, et in retribu-

tionem æternam centuplum accipere mereatur. Ecclesiæ vero hæredi meæ villa Dolus, quod meo opere construxi, et meo ingenio undique ad me pervenit, post diem obitus mei, quicquid inibi laboravero, cum domibus, mancipiis, vineis, campis, pratis, cultis et incultis, et omni jure suo, vel termino suo, quod ibi justo ordine comparavi vel retraxi, te, sancta ecclesia, in integrum habere delego.

Basilicæ sancti Petri et Pauli, villas quas dato pretio comparavi, id est : Gaviaro, Colonica, Landolenas et Ferrenis, meo opere adquisitas, et quicquid Cellis vel in Samarciago ad prope Cenomannis civitate, quicquid Portithorengo, quem pro tutela percepi, inibi fuit, et hoc quod Ceta, et Maneia vel Gunthia illic possedisse jure visæ fuerant, et ad meam pervenit ditionem, tam terris, vineis ac colonis et servis, integra portione eorum. Similiter et villas quas in honorem basilicæ domni Petri et Pauli comparavi, de pecunia quam gloriosus domnus Clotharius rex nobis dedit, vel nos pro fidei nostræ ratione undique conquisivimus. Hæc sunt villæ ipsæ : Campo Cluniane, Ludina et Comariago, vel Cambariaco, sicut venditiones edocent, ipsam basilicam, sicut nos eas jam ibidem tradidimus, cum villare cui nomen Pieniaco, quem Gungobaldus quondam diaconus tenuit; pariter et Hiliaco quem de viro illustri Babisone percepimus, volo in Dei nomine possidendas. Illud etiam constituens ac decernens, quod quicquid mihi in minutis rebus aut in quibuscumque modis datum est, vel in meis chartis noscuntur esse conscriptæ, hoc totum et ad integrum tu, sancta ecclesia, et venerabilis basilica domini Petri et Pauli, quia in hoc folio testamenti mei forsitan in oblivione mihi obvenit, æqua lance dividatis possidendum. Villa vero Morenaco, quam meo opere et cum grandi labore adquisivi et postea tunc ego absens fui pro fidei mei conservatione, a Modeghiselo malo ordine fuit præoccupata, et cum Deus reddidit justitiam domno Clothario regi, iterum ad dominationem sanctæ ecclesiæ vel meam pervenit, ipsam villam cum omni jure suo et terminis, te, sancta ecclesia, habere constituo. Basilica vero sancti Petri et Pauli portionem deinde quod inibi possidere videor, cum colonica quam mihi Leodaldus per donationis titulum contulit, cum eo quod ibidem postea undique comparavi in ipso fundo Methense et Voligione, cum omni integritate, portionibus ipsius vel terminis earum, et mancipiis, mobilibus et immobilibus, tu, sancta basilica, perpetualiter valeas dominare. Licet nulli habetur incognitum qualiter ego, post transitum Guntramni quondam regis, pro quo sacramentum insolubile domno meo Clothario regi dedi, pro eo quod civitas Cenomannis legitimo ordine, post transitum domni Gunthramni, ex hereditate genitoris sui bonæ recordationis Chilperici quondam regis debuit pervenire, sed faciente cupiditate et civitas ipsa ei fuit ablata, et de reliquo regno suo multum passus est dispendium; sed dum me sacramentum meum in integrum constrinxit, ut eum nullatenus dimittere deberem, facile mihi fuit ut tam sedem, quam facultatem, tam sanctam ecclesiam quam et proprietatem relinquerem, quam perjurus (quod absit) invenirer. Sed dum pro amore ipsius principis unanimiter cum ipso consisterem, anteriorem exspoliationem suam, vel posteriorem quam injuste pertuli, necesse ipsi principi fuit ut nobis aliquid adderet, unde aucta substantia et nos et pauperes nostri sustentare deberemus, unde ille rex cœlestis pro nobis retributor existat. Nam nos pauperes habemus nec aurum nec argentum, unde tibi, gloriosissime domne Clotharie, bona retribuamus : attamen de eo quod gloria A vestra nobis contulit, præsumemus in hoc testamento nostro vestram celsitudinem memorare. Offerimus itaque regno vestro de muneribus vestris, unde nos per præceptum vigoris vestræ manus roboratum, licentiam tribuisti faciendi quod volebamus; id est villas Neolone et Walionno, cum omni termino et adjacentiis ad se pertinentibus, vel quicquid postea nobis fuit melioratum : hoc celsitudo vestra in suam recipiat dominationem. Similiter donamus tibi, gloriosissima domna Berchetrudis regina, villam nomine Pempinas, quæ appellatur Cella, quam nobis gloriosus domnus noster, jugalis vester, suo munere contulit, ut ipsam villam cum domibus, mancipiis, vel termino suo, post meum obitum, ad B vestrum regimen absque ullo impedimento recipiatis. Dulcissimo nepoti meo Sigechelmo et pronepoti meo Thoringo, si mihi superstites fuerint, villam Sennam cum villare Ripariola æqua lance dividant.

Simili modo villa Briomilia, quæ ex successione parentum nobis juste debita erat et per interregna longo tempore nobis ablata fuit, et postea, cum Deus domno Clothario regnum suum in integrum dedit, ipsam villam nobis sua pietas reddidit, et per præceptionem suam firmavit, quam villam dulcissimo pronepoti meo filio Sigechelmi, Leutramno et Sichramno volo esse donatam. Similiter villam Castalione, sitam in Santonico, quæ parentibus meis et viro illustri Sigeleno fuit, C et ipsam nobis gloriosus domnus Clotharius rex per suum præceptum concessit, quia jam longo tempore et mihi et jam dicto parenti meo Sigeleno ablata fuit, si mihi superstes fuerit ipse Sigelenus ad suam revocet ditionem; sin autem, filiis suis, id est Sigeleco et Berthelaico, ipsam volo esse donatam. Villas Crisciago et Botilo, quæ nobis ex successione genitoris nostri juste debentur, et cum germanis meis deberem partiri, si ipsos mors non antecessisset, modo jubeo ut, dulcissime nepos meus Sigechelme, una cum nepote meo Thoringo, æqua lance ipsas villulas dividatis. Villam Bualone sitam in Stampense, secus Æqualinam, quam per donationis titulum dulcissimo pronepoti meo Leuthramno die nuptiarum suaD rum dedi, sicut donatio ipsa continet, et per hoc testamentum meum ipsam eis volo esse donatam. Locellum qui appellatur de Fontanido, quem mihi gloriosus domnus Clotharius rex suo munere concessit, ubi Eusebius quondam laicus vineas plantavit et nos postea et mancipia posuimus, ipsum locellum cum omni integritate quod ibidem aspicere videtur, totum et ad integrum sancta basilica domni Petri et Pauli ad suam revocet dominationem; et medietatem de vineis pronepos meus Leuthramnus et conjux sua perpetualiter valeant possidere.

Basilicæ domni et peculiaris patrini mei Germani episcopi, qui me dulcissime enutrivit, et sua sancta oratione, etsi indignum, ad sacerdotii E honorem perduxit, si supersistit, in basilica domni Vincentii, ubi ejus sanctum corpusculum requiescit, dono inibi in honore sepulturæ suæ villam Bobane, quæ est in territorio Stampense super fluvio Calla, quam mihi gloriosissimus domnus Clotharius rex suo munere contulit : jubeo ea conditione, ut si sanctum corpus ejus in basilica nova, quam inclytus Chilpericus quondam rex construxit, si convenerit ut inibi transferatur, villa ipsa ubi ejus semper corpus fuerit semper ibidem deserviat, et ipse sanctus pontifex pro meis facinoribus deprecari dignetur. Rogo, abba illustris loci illius, ut nomen meum in libro vitæ recitetur.

Villare meum quod est in Çramteno territorio

ad summa Vedantia, sicut a me præsenti tempore possidetur et ex successione domni et genitoris mei legitime reddebatur, basilicæ domni Petri et Pauli post obitum meum pro mercede animæ meæ volo esse donatum. Dulcissimo pronepoti meo Thoringo dono ei colonicam, cui vocabulum est Villa Nova, quam de filio Papoleno quondam dato pretio comparavi, in perpetuo teneat atque possideat. Villam Idguino dulcissimo nepoti meo Segechelmo, dum advivit, volo esse donatam; post obitum vero illius, filiis suis, qui ex Bertichildi filia Leuthramni nati esse noscuntur, absque consortio fratrum suorum, si alios filios habuerit, ipsam præcipio possidendam. Viniola seu prata quæ sunt Ruillione et adjungunt ad vineas sanctæ ecclesiæ vel infra terminum Calimarcense, quæ dato pretio comparavi, sanctæ ecclesiæ volo esse donata. Idemque et colonicam Satoveram, quam Vulfarius quondam tenuit et postea Aiga eam nobis, cum ipsis venditionibus quas ab ipso Vulfario acceperat, dedit, et ipsum locellum cum vineis et cum omni jure suo, tu, sancta ecclesia hæres mea, percipias, et locellum qui dicitur Condomas, quem pro re mea accepi, et postea fidelissimæ Cottanæ per donationis titulum concessi, volo ut ipsa locellum jam dicta Cottana vel filii sui perpetuo valeant in integrum possidere. Domum vero intra muros civitatis Parisiorum, quæ ab Eusebio quondam fuit ædificata vel possessa, et mihi a præcelso domno Clothario regi concessa esse dinoscitur, inter sanctam ecclesiam Cenomannicam et sanctam basilicam hæredes meas æqualiter possidendam decerno: sic quoque ut de tabernis, quæ infra ipsam domum esse noscuntur, locarius ille qui annis singulis exinde speratur, in lumen in sacrosancta ecclesia Cenomannica et prædicta basilica domni Petri et Pauli inferatur, et areas quæ foris civitatis sunt, item communiter possideant.

Id constituimus observandum, ut quicquid reperietur die obitus mei in domo superius nominata Parisius, aut in uno aut in quibuslibet rebus, quæ nostræ propriæ esse noscuntur, æqualiter hæredes meæ sancta ecclesia Cenomannica et basilica domni Petri et Pauli inter se dividant. Pene mihi in oblivione fuit positum, sed divina inspirante gratia memoravi. Viniolas secus Arenas, juxta quod ipsas maxima ex parte de deserto recuperavi vel adunavi, de ipsa Arena ad stratam quod clausura ipsa circumcingit, quod ipsa sancta basilica domni Petri et Pauli præsenti tempore possidere videtur, itemque vineolas, pratella vel territorium, quod in dextera parte de strata est quæ vadit ad Ponti Leugua, quod de venerabili fratre meo Eolade abbate comparavi, quod in ipsius basilicæ oppidum esse noscitur, cum Brugilo quem de fratre meo Leusio abbate datis quadraginta solidis redemi et campellos quos cum ipso abbate commutavimus, qui ad alveum Sartæ, cum prato qui est ad confluentes, totum et ad integrum, cum servientibus, quos inibi posui, aut adhuc Christo propitio ponere potuero, et modo ab ipsa sancta basilica in Dei nomine possidetur, in perpetuo dominetur. Simili modo medietatem de colonica Vatinolonno, quam de Berone in nomine ipsius sanctæ basilicæ comparavi, et aliam medietatem quam illustris matrona Egydia ad ipsum sanctum locum per donationis titulum contulit, jubeo ut in integrum, sicut amodo, ab ipsa basilica Christo præsule possidetur, et in perpetuo inibi perseveret.

Et quia nulli habetur incognitum qualiter Berthegliisilus inlicito ordine contra decreta canonum in sede sua fuit adgressus et nimium res Sanctæ Mariæ, vel meas proprias, et generavit pro his gravissimum dispendium; unde sciam non ut debuit restauravit, nisi parvitate per res proprias meas, quas malo ordine distraxerat, locella cum charta venditionis dedit, hoc est cum domibus, Campaniaco et Stivale, portionem suam in integrum nobis vendidit. Et postea cum alia vice gloriosus domnus Clotharius de regno suo in insidiis pertulit, et iterum ego pauper propter ipsum valde in captivitate fui, et in ipso nec nominandus Berthegisilus iterum vastator ecclesiæ accessit, et chartam ipsam quam prius fecerat in archivo ecclesiæ invenit, eam igni comburi præcepit; sic illi judex metuendus atque terribilis pro rebus suis cum eo ponat judicium. Et postquam dominus noster, cum voluntate Dei, una cum præcelso consobrino suo Theudoberto rege caritatem inivit, et voluntarie quantitatem de regno suo recepit, et nos locella illa illo obsistente ad dominationem nostram revocavimus, Campaniacum vero et Stivale, cum domibus, mancipiis, vineis et silvis, pratis, aquis, aquarumve deductibus, et jus earum, vel omne peculium, sanctæ basilicæ domni Petri et Pauli delego. Perfeci scilicet domum, quæ infra muros, in dextra parte de posteriola meo opere ædificavi, ubi oratoriolus in honore sancti Michaëlis archangeli constructus est, volui ut ipsa domus et basilica Sancti Petri et Pauli esse debuisset.

Dum nos cum domno Clothario rege pro fide nostra et amore illius detenti fuimus, pistrinus ecclesiæ ante ipsa domo constructa est: propterea in his locis ecclesiæ stipendia et matriculam, quam ego inibi erexi, supplex quæso domino meo pontifici, qui mihi successor fuerit, ut omni tempore matricula ipsa, sicut usque nunc meis temporibus stipendia promeruit, et semper in antea ministrante sancta ecclesia alatur, et domus ipsa sit ad receptionem pontificum, vel religiosorum, qui ad ipsum oratorium deserviunt: quia et virtutes ibi ostensæ sunt et honorari in omnibus vel venerari debetur. Precamur domno et pontifici successori nostro et per Deum Trinitatis conjuramus, ut de villis quas ego sanctæ ecclesiæ per hoc folium testamenti delegavi, vel quæ meo tempore conquisitæ sunt, vel in dominationem sanctæ ecclesiæ pervenerunt, ex omnibus vel in omnibus decimæ annonæ, vini, casei, lardi, omnes decimæ in domo ipsa sancti Michaëlis archangeli annis singulis congregentur, sicut nostro tempore actum fuit, et pauperibus vel peregrinis in eorum alimonia ministretur; quia nec sancta ecclesia dispendium perferet, et quod nos, etsi indigni, qui qualemcumque locum sacerdotii visi fuimus occupare, ea quæ Deo annuente in pauperibus studuimus ministrare, a vobis indesinenter conservetur. Basilicæ vero sancti Petri et Pauli curtem illam, cum casis quas bonæ memoriæ Romulus quondam presbyter Cenomannis in civitate tenuit, et domum illam quam nostris temporibus supra muros ædificavit et nos ei manum ad hoc porreximus, et postea de nepte sua comparavimus, domus ipsas, sicut a præsenti tempore in Dei nomine ab ipsa sancta basilica possidentur, cum eo quicquid inibi laboratum fuerit, aut ante vel meis temporibus subjectum, totum et ad integrum præfata ecclesia absque ullius impedimento perpetualiter valeat possidere.

Sanctæ ecclesiæ hæredi meæ dono villam, cui vocabulum est Grandefontana, quam dato pretio de Waddoleno compatre meo, filio Bavonis, comparavi, cum omni jure vel termino suo. Te vero, sancta basilica domni Petri et Pauli, dono villa Conadaco, quam de Belletrudi sive Bettane matrona, relicta quondam Maurini, dato pretio comparavi, tum Colicas villas, quas postea, dato

pretio, de Betholeno vel Mantharigo, cum silvas vel omnia adjacentia ad se pertinentia, cum domibus et mancipiis, sicut jam in tua ditione tradidi, cum mobilibus et immobilibus, in integrum volo esse donatam, cum agellum illum nomine Utuniago, quem filio et parenti meo Berulfo ad usufructuario possidemus, et post meum obitum ad tuam revoces potestatem. Dulcissimo nepoti meo Sigechelmo, licet jam per donationis titulum villam Murocincto anteactis temporibus contuli, quæ ex successione domni et genitoris mei legitime reddebatur, et postquam meis peccatis facientibus germanus meus Berthulfus in expeditione domni Clotharii regis interemptus fuit, et portio sua mihi legitime obvenit, volui in hoc testamentum meum comprehendi, ut tam quod prius ei dedi quam et quod postea mihi de germano meo obvenit, totum et ad integrum ipse nepos meus, villam ipsam cum domibus, mancipiis, vineis, campis, pratis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, sicut hoc jam possidere videtur, et ipse et soboles sui perpetualiter dominetur. Tertia vero portione de ipsa villa Murocincto, quam bonæ memoriæ germanus meus Ermenulfus tenuit, et ipsam mihi dedit, dulcissimo pronepoti meo, filio ipsius Sigechelmi, nomine Leodefredo, post obitum meum volo esse donatam, exceptis illis quos emisit, aut ego de captivitate redemi, ipsi liberi perseverent. Casa vero quæ est infra muros civitatis Cenomannis, quam domnus et frater meus Chainoaldus episcopus dum archidiaconati videtur officium fungere ædificavit, cum casella quam Malaricus diaconus tenuit, huic dulcissimo nepoti meo Sigechelmo, cui eas dedi, volo ut et ipse et filii sui in perpetuo dominentur; quia ubi casa nova est areas illas comparatas esse noscuntur.

Villam vero Patriliaco, quæ est secus Pontem Chiuggane, quam de Doleno quondam comparavi, et venditionem in nomine sanctorum Petri et Pauli, vel basilicæ eorum, quam jam tunc tempore ædificare videbamur et postea ad ipsam sanctam basilicam delegavi, volo ut eam in perpetuo possideat, cum colonicas ad se pertinentes. Villa Monciaco cum colonica quam Condite vel undique in ipso Candacense aut Monciacense comparavi et adjunxi, te, sancta ecclesia hæres mea, ad integrum volo esse donatam. Vineas vero quas mihi sanctæ memoriæ domnus Licinius episcopus pro amoris affectu secus vineas Cariliacenses suo munere dedit, et nos antea de Sargite quodam negotiante parte divina cum terra comparavimus, et postea inibi vineas posuimus, et in una clausura cum vineis sanctæ ecclesiæ adjunximus, volumus ut pro mercede animæ nostræ hoc ecclesia sancta Cenomannica possideat. Licet antea ipse ager parum habebat vineolas, nec domini mei antecessores episcopi aliquid ibi voluerunt addere; sed nos pro amore sanctæ ecclesiæ vel augmento ipsius tam de negotiantibus quam de reliquis maxime spaciavimus et pretium dedimus, ut in jura et dominationem sanctæ ecclesiæ proficiant optamus. Idemque et vineolas quæ sunt in Sabonarense, quas meo opere undique subjunxi, aut per donum aut per venditionem et si adhuc subjungere potuero, cum cultoribus eorum et familiis ad domum quæ ibi stabilivi, te, sancta ecclesia domni sancti Petri et Pauli, habere jubeo.

De Ponte Lengua, hæc est de matricula et synodochio in honorem sancti Martini, hæc est matricula sancti Petri et Pauli, quæ est ad Pontem-Lenguam, si per singula perpensamus, quantum facinora nostra in sæculo dum detenti fuimus, commissa esse noscuntur, non est tantum facultas redimendi quantum sunt culpæ commissæ, sed omnipotens Deus, qui nullum perire vult, ipsa parva munuscula grandesque lacrymas vel memoris animæ quæ redemptori nostro offerre videmur, in pauperibus, ipse pro larga pietatis suæ gratia qualemcumque tribuet veniam. Ergo quia votum et liberatio et deliberatio mea est, ut basilica quæ in honore beatissimi ac peculiaris patrini nostri Martini sancti episcopi ad Pontem Lenguam, ubi et requies sua sancta Deo propitio posui, delego atque ipsum sanctum locum, et locella his nominibus: Logiagas, Noginto, Nova Villa, Antoniaco et de Monasteriolo partem illam quam de Leodelene dato pretio comparavi, et Avento quodcumque inibi comparavi, aut unde mihi obvenit, cum mancipiis, mobilibus et immobilibus, et omni jure earum, vel quantumcumque adhuc ad ipsa loca subjungere aut comparare potuero, habere jubeo ac decerno, sub abbate vel basilicæ sancti Petri et Pauli potestate consistat. Licet præsumptione ut dicamus synodochii locus sit, dum parvum ibi intulimus, tamen potens est Deus et ipse sanctus athleta Christi inibi plura conferre, unde pauperes et alantur et vestiantur, et cuncti amici nostri et peregrini receptacula pro nostra memoria habere videantur. Ad præsens jubemus ut sexdecim animulas Deo devotas, hoc est viros pauperes, cæcos aut debiles, in ipso loco collocent, et diebus singulis eis victus facta ratione sufficienter ministretur. Et quod superius meminimus, tributum Taletense et suffragium Crisciacense vel Cambariacense, sicut superius jam præcepimus, tam in vestimentis quam et in lectariis aut in calceamentis et istis fratribus nostris et matricolabus sancti Petri qui sub regimine tuo esse noscuntur, tu, abba basilicæ sancti Petri et Pauli, omnimodis potissimum tibi cura sit hoc eis in omnibus adimplere. Quod si in aliquo (quod absit) ex hoc negligens apparueris, ante tribunal Christi, cum sancto Petro et Paulo apostolis et sancto Martino antistite, habeas rationem. Et nullus ex pontificibus successoribus nostris de eo quod ad prædictum locum vel pauperibus est delegatum auferre præsumat; sed ad festivitatem ipsam et pontifex et omnis clerus prandium dignum percipiant; et si de prædictis locellis quicumque aliquid retraxerit, tanquam necator pauperum in conspectu divino judicetur. Tu vero, venerabilis abba, vel successores tui, talem curam habeatis decursum sanctæ ecclesiæ domni Martini qualem et de sanctorum Petri et Pauli, et lumen per noctes de tributo villarum ipsarum sufficienter comparetur, et quod super est, ad ipsos pauperes vel inopes ipsius basilicæ proficiat.

Villa vero Blacciago, sita in territorio Burdigalense, secus castro Blaivit, quæ est super alveum Garumnæ, licet a parentibus meis longo tempore fuit possessa et per interregna, vel adolescentiam meæ genitricis, fuit de jure suo ablata, et ab Arnulfo filio Maurilionis qui eam occupaverat, per testamenti sui paginas dum illic esset ad sanctas ecclesias, hoc est Burdigalensem, et Toronicam, et Equilesmensem, in duas partes ex ipsa villa sunt delegatæ; tertiam Arnulfus, germanus ipsius Arnulfi, possidebat, unde altercationes habuimus inter nos et ipsos de prædicta villa, sed ille recognoscens quod nobis legitime debebatur, coram ipsis pontificibus qui duas partes ex hoc possidere videbantur, nobis de præsente tertia ex omnibus de villa ipsa reddidit, et epistola exinde manu sua roborata vel a prædictis sacerdotibus firmata nobis tradidit possidendam. Sed dum nos ita constringit amor divinus ut contra sanctam ecclesiam non ambulemus, forsitan si possumus cum gratia domnorum meorum et fratrum rem ipsam redimemus. Sed quia domnus Agericus episcopus por-

tionem illam quæ sancti Martini fuit nobis vendidit, et venditionem cum canonicis suis nobis fecit, et solidos LX, secundum arbitrii sui valebat, de præsenti dedimus, et ipsam altercationem nostram subjunximus, volumus ut tu, sancta hæres mea ecclesia Cenomannica, possideas; et si adhuc rem ipsam de domnis pontificibus vel Burdigalense aut Equilemense redimere possumus, totum et ad integrum ad tuam revoces potestatem. Colonicam vero Vincentianam, quam domna et genitrix mea possedit, et nos eam modo in Dei nomine possidere videmur, quæ secus ipsum agrum Blacciaco esse videtur, basilicæ Sancti Petri et Pauli cum mancipiis, vineis et terris volo esse donatam. Villa Floriaco, sita inter duo maria, quæ parentum meorum fuit, et postea genitrix mea per orphanitatem perdidit et a Childegerno malo ordine fuit possessa, cujus villæ medietatem cum mancipiis, domibus, vineis, silvis, omnique termino suo, vel adjacentibus sibi, a Berthranno, sive Bettone, filio ipsius Childegerni dato pretio redemi, volo ut in ipsa villa, quæ parentum meorum fuit, basilica Sancti Petri et Pauli in perpetuo dominetur. Domum vero infra muros civitatis Burdigalensis, quam ego et germanus meus Ermenulfus nostro opere recuperavimus, ipsam domum cimeucitia, cum adpenditia sua additione, dulcissimo nepoti nostro Sigechelmo jubemus pervenire, ut ipsam habeat et possideat, et suis posteris ad possidendum relinquat. Et hoc jubemus, ut, omni tempore vitæ illorum, quando missi a domnis et venerabilibus sanctæ ecclesiæ Cenomannicæ vel basilicæ Sancti Petri et Pauli pro piscibus negotiandum ibidem venirent, semper in domo illa receptaculum habeant et inibi quæ eis necesse fuerint comparent. Locum vero qui appellatur Bræsetum in territorio Burdigalense, ubi precarias habere videmur, et dato pretio cum Arennoaldo quondam comparavimus, ipsam rem cum precariis inibi manentibus et familiis eorum vel pineto, sicut a me præsente tempore possidetur, et post meum obitum, tu sancta ac venerabilis basilica Domni Petri et Pauli, ad tuam revoces ditionem, ut exinde annis singulis pix recipiatur.

Omnibus notum est qualiter bis aut tertio in rebus sanctæ ecclesiæ vel propriis sustinui spoliationem. Deus scit quod non pro culpis nostris hoc passus sum, sed pro hoc quod fidem volui inlibatam custodire; et sancta ecclesia in prædiis illo tempore grave pertulit dispendium, et ego pauper substantiola mea propria, valde egenus evasi. Ideirco erubesco scribere quod parum resedit ad offerre. Dono argentum illud, quod nobis postea Deus vel domnus rex aut amici contulerunt, sicut brevis manu mea conscripta concinit, quia pertractavi ut duas partes de ipso argento quod ego visus sum laborasse, tu, sacrosancta ecclesia, percipias; aliam vero portionem, quam in ipso breve conscripsi, tu, basilica Sancti Petri et Pauli, quam hæredem meam, sicut te, sancta ecclesia institui, habere jubeo. Adjuro per Patrem et Filium et Spiritum-Sanctum tam te, domne pontifex qui successurus eris, quam et te, abba qui eo tempore fueris, quando me Deus de hoc sæculo migrare præceperit, de successoribus vestris ut nullus non præsumat de istis parvis munusculis quæ lego sanctæ ecclesiæ vel sanctæ basilicæ pro commemoratione nominis mei, de his speciebus nihil abstrahere vel venundare : sed omni tempore tam in ornatum sanctæ ecclesiæ vel basilicæ, mensæ earum perpetualiter debeat perdurare. De reliquo vero argentulo, quodcumque post diem obitus mei in regesturiolo meo inventum fuerit, et hoc non delegavi, excepto argento sanctæ ecclesiæ salvo, jubeo quod præsens habere videor

A vel adhuc laborare potuero, quod delegatum non fuerit, totum inter sanctam ecclesiam ac sanctam basilicam Domni Petri et Pauli æqualiter dividatur; et abbas portionem illam quam accepit, si necesse fuerit sepulturæ meæ aliquid exornari, expendat; et si ego hoc antea non fecero, de hoc ipso quod econtra pontifex perceperit, ipsam sepulturam meam dignetur, exinde et studeat componere; et si nos ea facta Christus permitteret ea de luce migrare, argentum illud in ministerium, quo necesse fuerit, basilicæ faciendum intromittatur.

Simile modo jubeo quod de vestimenta damea tu, dulcissime archidiacone, qui eo tempore fueris, domno vero et pontifici successori meo pariculos duos optimos de proprio vestimenti damea B reverenter offerre jubeo. Tibi vero, sancte archidiacone, præcipio ut unum caballum bonum et unum pareculum de proprietate mea præsumas. Omnia vero quæ de proprietate seu ex militia, in regesturiolo meo post meum obitum inventa fuerint, seu et species aut vestimenta quæ ego laboravi vel adquisivi, excepto quod sanctæ ecclesiæ proprium est, tres exinde jubeo fieri portiones : unam domnus et successor meus pontifex accipiat; aliam vero basilica Domni Petri et Pauli; tertiam vero de præsente pauperibus jubeo erogari. Similiter tibi præcipio, archidiacone, et coram Deo contestor, ut de iis fructibus quos eo anno reliquero, cum diem extremum exclusero, per manus tuas tertia pars pauperibus absque fraude ero-C getur.

Similiter volo ac jubeo omnibus servientibus sanctæ ecclesiæ qui ministeriales esse noscuntur, vel meis tam clericis quam sæcularibus, qui mecum conversare videntur, singulos caballos, tam ingenui quam liberi vel servientes, de præsenti percipiant; reliquos vero caballos, tam waraunones quam spadas seu poledros, qui inventi fuerint et characterium sanctæ ecclesiæ habuerint, totos pontifex vel ecclesia recipiant. Illi vero qui meum characterium peculiare habuerint, aut quos mihi parentes vel amici dederint, medietatem sancta ecclesia ex ipso accipiat, aliam medietatem basilica vel abbas qui inibi esse videtur recolligat. Illud huic testamento adnecti volui, ut D de gregibus equinis, quos mea parvitas undique attraxit vel agmentavit, excepto jumenta antiqua : inde duæ portiones ex ipsis gregibus qui mei proprii esse videntur et super terra sanctæ ecclesiæ pascua habent, ut diximus, fiant : unam percipiat sancta ecclesia, et aliam percipiat basilica Sancti Petri et Pauli. Gregem illum, qui ad posternas equitiarias super rem sanctæ basilicæ domni Victurii episcopi intendere videtur, ipsi sanctæ basilicæ volo esse donatum. Jumenta autem illa quæ fuerunt peculiaria Gallimeræ, pro fidele mea Elopodiaca volo esse donata.

Villa Marciliaco sita secus Diablentas vico, quam dato pretio a Medighisalo et Ebretrudi comparavi, aut undique adjunxi, aut adhuc adjungere po-E tuero, cum domibus et mancipiis et adjacentia sua, pratis, pascuis, aquis, aquarumve deductibus, dulcissimo pronepoti meo Leodochramno dono atque transfundo perpetua dominatione. Similiter villa secus Pocileno vico, quam genitor Hludovicus, tribunus Bessorum, nobis pro solidos nostros M vendidit, ipsam rem cum omni adjacentia sua, tibi, dulcissime pronepos meus Sigramni, habere jubeo. Similiter villam Pauliacum, quam ego dato pretio, id est solidis trigentis aurea venerabile Bobeno abbate de basilica domni Albini comparavi, ipsam a dulcissimo pronepote meo Leodochranno haberi jubeo ut ipsam in perpetuo possideat. Sic quoque si aliquid aut basilica domni Albini, aut abbas qui successor ipsimet Bobeno

fuerit, exinde ademptaverit, solidos ipsos cum damni satisfactione jam dicto Leudochramno reddat, et villam ipsam, si voluerit contra definitionem antecessoris sui agere, nec sibi valeat vindicare, et sic ab ipso pronepote meo in perpetuo vindicetur. Villam quæ secus vico Berulfo esse dignoscitur et in ipsa villa Berulfus quidquid quondam amisit, quicquid inibi comparavi, tam de filio Emulli quam de Remoaldo vel conjuge sua, totum et ad integrum inter dulcissimos pronepotes meos Leutfredo et Thoringo, si mihi superstites fuerint, æqualentia inter se dividendum volo esse donatum; sic quoque ut post obitum meum, si quis superstes fuerit post obitum alterius, ad suam in integrum revocet potestatem.

Basilicæ sancti ac beatissimi Sancti Germani Parisiaci antistitis, qui me dulciter enutrivit, et ad sacerdotale onus, ut non merui ac per sua intercessione perveni, ad ipsa basilica in ipsius honorem obedum civitatis Cenomannicæ ædificavi, et casas inibi ædificavi et monachulos institui qui inibi, Christo propitio, in perpetuis temporibus officium et servitium procurent, dono ad ipsam basilicam in honore ipsius pontificis has villas, his nominibus : Charisago cum vineis quæ Silviago vico sunt, et reicolam quæ appellatur Stirpiaco, cum vineolas et mancipiola quæ inibi esse noscuntur; Landolenas, Graciaco et Manciaco, quas data pretio undique comparavi, et ad meam pervenit ditionem, tam quod præsenti tempore possidere videor, quam quod adhuc meliorare potuero ad ipsam sanctam basilicam in honore beatissimi domni Germani volo esse donatas, et vineas illas quæ ad Ruilionem sunt, quod Annigiselus diaconus tenuit, vel adhuc postea undique comparavi, cum prati medietate ad ipsum Ruilionem, ab ipsa sancta basilica præcipio possidendum. Villa vero de Comanico quæ ego de filio et parenti meo Ebroaldo comparavi et postea et domos et vineas inibi ædificavi, cum id quod inveni, cum omni jure et adjacentia sua, te, basilica Sancti Petri et Pauli, quam in honore vestro ædificavi et in medietate hæredem constitui in omnibus, habere decerno. Reicola quæ appellatur Fontanæ infra terminum Alaunensem, quam mihi vir magnificus Baudeghiselus et Sancia, conjux sua, condederunt et donationes fecerunt, et nos multum eis in quo potuimus solatia præbuimus, ipsam rem post obitum nostrum, sancta ecclesia ac venerabilis basilica domni Petri et Pauli, ad tuam revoces ditionem, sicut ab ipso Baudeghiselo possessum fuit; sic quoque ut nomina illorum in libro vitæ in ipsa basilica recitentur. Villa Donatiogo, quæ ad Bonalcha semper aspexit et nos postea inibi tam terras quam silvas, dato pretio de Chargario et Ragnarico comparavimus, vel undique totum et ad integrum, sicut semper ipsa villa Donatiogo ad Bonalcha aspexit et inibi aspicere debeat, ut sanctæ ecclesiæ hæredi meæ in perpetuo proficiat.

Licet quicquid a nobis fuerat laboratum tam in agris quam mobilibus et immobilibus, volemus totum jam, sicut anterius testamentum nostrum habuit, in isto testamento totum et ad integrum delegavi; sed quia postea quam Deus glorioso domno nostro Clothario regi totum regnum Francorum in sua ditione advenire præcepit et postea nos sua larga pietas propter servitia nostra in aliquo respexit, nec ipsum nobis oportet præterire. Ergo villas illas quas bonæ recordationis Avitus, filius Felicis quondam episcopi, qui parentem nostram et proximam in conjugium habuit sociatam, et omnes res Aviti inter me et virum illustrem Gundolandum majorem domus suæ, pietas concessit, et ego contra ipsum modo ad præsens habere videor, omnem portionem meam, tam quod in Biturico est quam et in Albiense, Cadurcino et Agennense, totum et ad integrum quicquid medietatis ex agro ipso ad meam pertinet rationem, pro mea vel in quantitate relaxandi peccata, basilica Sancti Petri et Pauli quam hæredem constitui, post obitum meum in integritate villas ipsas percipias; et Nogiogilo villam, quam et ego et vir illuster Gundolandus filiæ meæ et parenti Dundanæ usufructu concessimus, post ipsius obitum vos, sacro-sancta ecclesia et basilica, communiter medietate, sicut precatu jam dictæ matronæ convenit, ad vestram revocetis potestatem idipsum æqualiter dividendum.

Villa vero Vocrionno, quam mihi gloriosus domnus Clotharius rex suo munere pro rebus nostris quas Egulfus et Arnoaldus malo ordine et tenuerunt et vastaverunt, licet plus jam nobis exinde pius rex dederat, sed per injunctionem suam hoc ecclesiæ Metticæ in honorem domni Stephani relaxavi, et villam istam cum domno et fratre meo Arnulfo episcopo partivi, petivi ut illas villas quæ fuerunt Egulfo et Arnoaldo ipse reciperet; nos villam Vocrionno in perpetuo tenere deberemus, et quod exinde facere volebamus liberum arbitrium haberemus. Iccirco ipsam villam, tam pro mercede domni regis quam et pro nostra, quia viniolas parum habet basilica Sancti Petri et Pauli hic in loco isto, ideo ipsam villam cum omni jure suo et adjacentias ad se pertinentes, totum et ad integrum tibi, sancta basilica domni Petri et Pauli, ubi corpusculum meum desidero sepeliri, in perpetuo volo esse donatam. Villa vero Nociogilos quæ est in territorio Pictavo super alveum Ligeris, quam mihi Beato, nepos, quondam Babonæ filius, Theuldaldo, de materno suo, per donationis titulum condedit, te, sacro-sancta basilica domni Petri et Pauli, post obitum meum habere jubeo.

De Marogilo, villa Rufiniaco et Marigilo, quæ de actione Nuncianæ ad me pervenerunt per res sanctæ ecclesiæ quas multum devastavit, et nobis gloriosus domnus Clotharius rex post obitum ipsius Nuncianæ concessit, te, sacro-sancta ecclesia hæres mea, habere jubeo. Locello qui appellatur Lucianus, quicquid inibi debet Bisigilo; reicola illa quæ est super Ledo fluvio, nomine Baucialla, quam ego de Bestingeselo de Vindocinense et conjuge vel filiastris suis comparavi, basilicæ sancti Victuri Cenomannica civitate cum mancipiis et omni re quod inibi melioratum est volo esse donatum. Villa nomine Tauriaco, portionem illam quam Nuncia inibi tenuit et nos modo per præceptionem domni nostri, sicut Marogilo et Rufiniaco tenemus, et ipsa villa Tauriaco tam portionem illam Nuncianæ quæ fuit et modo ad nostram traditionem pervenit, quam et portionem illam quam Andericum et nepotes sui, filii germani sui et germanæ suæ nobis vendiderunt, et ipsum insimul conjunximus, te, sacro-sancta ecclesia hæres mea, habere jubeo. Locello qui appellatur Luciacus, quicquid inibi de Berthigisillo, vel conjuge sua et filiis eorum comparavi, et ad præsens possidere videor, cum quicquid inibi adjunxi, aut adhuc adjungere potuero, basilicæ Sancti Petri et Pauli hæredi meæ delego possidendum. Villas vero sitas in territorio Dunense, hoc est villa Pannonio, quam de Johanni abbate dato pretio, hoc est solidis centum quadraginta comparavi, et villam Macirias, quam de Bethone filio Baddone quondam similiter visus sum comparasse, ipsas reicolas tu, dulcis nepos meus Sigechelme, post meum obitum recipias; sic quoque ut post tuum obitum filii tui inter se æqualentia dividant.

Reicolas illas quas sanctæ ecclesiæ Suadria, soror Theodori quondam episcopi, per suum testamentum dedit, hoc est Luciniaco et Monte, et postea

meo opere ipsas vindicavi, tu, sacro-sancta ecclesia hæres mea, ad tuam revoces potestatem. Villam quam de Didone, nepote Romano, super Ligere comparavi, hoc est datis solidis centum, ipsam rem, quicquid mihi ad præsens habere videor, cum domibus, vineis, terris, mancipiis et omni portione illa, te, sacro-sancta ecclesia, hæres mea, habere jubeo. Similiter villam Brea, quam mihi Theudoaldus vendidit, et ipsam ad tuam revoces ditionem, cum vineis, mancipiis et omni jure suo. Kairaco vero villa, quam de Eomerio diacono datis sol. CCC comparavi et nunc in ditione mea in Dei nomine esse dinoscitur, te, sancta basilica domni Petri et Pauli, quam hæredem cum ecclesia nuncupavi, habere decerno, cum domibus, mancipiis, vineis, pratis, B silvis, cum omni jure suo; et si adhuc inibi aliquid meliorare potuero, totum et ad integrum ad tuam revoces potestatem. Villa Sitriaco, quam dato pretio de Leugadia comparavi, cum alio locello qui nuncupatur Blaciacus, cum adjacentibus ad se pertinentibus, domibus, mancipiis, vineis, terris, pratis, silvis, vel omni jure earum, te, sacro-sancta ecclesia Cenomanica, hæredem meam habere præcipio.

Villa Cresciago et Vallis, sicut per epistolas inter me et domnum Arnulfum episcopum Metensis ecclesiæ convenit, in honorem domni Stephani ecclesiæ suæ, sicut jam per epistolam nostram prius decrevi, post meum obitum, ipsa sancta ecclesia in honore sancti Stephani ad suam revo- C cet ditionem, et nomen meum in libro vitæ inibi qui tunc tempore pontifex fuerit scribi jubeat. Tres partes colonicæ, quam de ratione Arnoaldo habuimus, ipsam basilicam domni Petri et peculiaris patroni nostri Medardi episcopi post meum obitum habere jubeo. Villa Montiniaco, quam Giboaldus quondam episcopus tenuit, et postea ad nostram ditionem venit, ipsam cum omni jure suo, sancta ecclesia, juris tui esse nunc delego atque decerno. Villas vero sitas in Burgundia, quas nobis gloriosus domnus noster Clotharius rex et viris inlust. Bradon et Warnehario majori; domus dedit, quæ fuerunt Leudegiselo quondam, tertiam portionem quæ mihi ex ipsis villis legitimo ordine cum ipsis viris illustribus debetur, D vos, sacro-sancta ecclesia Cenomannica et basilica Sancti Petri et Pauli, hæredes meæ, æqualentia cum ipsis habere volo. Et villas in Provencia, quas ipse pius rex inter me et viros illustres Gondolaido et Chugo de ratione Aurelianæ dedit, quantum exinde per justitiam vindicare possemus, absque peccatum nostrum, id est de ipsis villis portionem meam, vos hæredes meæ, cum ipsis illustribus viris ad vestram revocetis potestatem. Villa vero quæ de ratione Nuntianæ, tam in Pictavo quam et in Erbaticola, quam et illas alias villas quas cum Ghisone compatri meo in Cadurcino, Limodicino aut ubicumque pro injuria Nuntianæ nobis exinde legitime reddebantur, te dulcissime compater meus Ghiso, pro amoris affectu et compaterna- E tu, una cum nepote vestro et nostro Thoringo æqualiter dividendum habere præcipio. Villas vero quas dato pretio de Dracoaldo episcopo comparavi et in civitatem ipsam, ubi prædictus pontifex fuit occisus, esse noscuntur, tibi dulcissime nepos meus Sigechelme, una cum filiis tuis præcipio possidendum. Fidelissimus meus Warnehario et Walcone filio Tedemondi quondam, qui mihi fideliter ab adolescentia eorum vel sanctæ ecclesiæ cum integra fide, quod omnibus incognitum non est, deservisse noscuntur, quidquid eis in terris, mancipiis, vineis dedi, aut ipso meo tempore visi sunt adquisiisse, totum et ad integrum eis volo esse concessum, et filii et filiæ eorum quamdiu vixe-

A rint possideant; nullus ex eis exinde nihil auferat jubeo ac decerno.

Quidquid fideli nostro Cherulfo quondam dedimus vel filiis suis, hoc ad integrum confirmamus. Fidelissimo amico meo Chadeleno quicquid ei hic in Cenomannico dedi, volo ut hoc in perpetuo et ille et filii sui possideant, quia omnibus notum est quod fideliter in ministeriis sanctæ ecclesiæ et jugiter deservivit, et tempore vitæ suæ facere disponit, et justum est ut quicquid ei de jure ecclesiæ vel quod meo labore ad ecclesiam pervenit, semper in eo perpetualiter perduret. Fideli meo Betholeno, filio Cundeleno quondam, quicquid genitori suo dedero, vel quod postea ipsi Betholeno ex nostra largitate est concessum, ipsi Be- B tholeno et conjugi suæ vel filiis eorum in perpetuo volo esse donatum: sic quoque ut genitrix sua quotquot exinde habet dum advixerit, usufructuario possideat; post obitum ipsius jam dictus Betholenus et filii sui in integrum percipiant et semper amici ecclesiæ persistant.

Illud itaque rogo ac jubeo, ut quanticumque amici mei vel fideles servientes fuerint, semper memores sint nutrituræ meæ, vel benefactorum meorum, quæ circa illos impendi, ut et ipsis post obitum meum cura sit ut cum dies commemorationis meæ evenerit, semper inibi adesse debeant, et abbati loci illius solatium præbeant, et dicant: Felix est homo ille qui amicos bonos relinquit. Præcipio tibi, dulcissime nepos meus Sigechelme, et filiis C tuis adjuro per Deum omnipotentem ut quamdiu vos Deus in sæculo superstitisse voluerit, cum conjugibus vestris, vel sororibus vestris, si sanitas permiserit, semper annis singulis bis aut ter sepulturam meam visitetis, et pauperes in quo potueritis reficiatis; et hoc adjuro abbatem loci illius, ut taliter vos reficiat, et filios vestros honoret, qualiter cognoscit me sancta ecclesia fuisse consolatorem: ut vobis et filiis vestris delectet frequens visitare locum ipsum sanctum, vel meam commemorare memoriam. Adjuro et rogo domno meo Cabimoaldo episcopo, quia consanguineus meus esse dinoscitur, et eum divina pietas ad sacerdotale culmen perduxit, semper ille memor sit nutrituræ meæ vel patrocinii Sancti Petri, unde ad ipsum D omus Christo præsule ambulavit, ut idonea sepultura, quandoque me Deus ab hac luce migrare jusserit, suis manibus cum reliquis domnis et fratribus suis corpusculum meum dignanter sepeliant, ut inde Domini mercedem conquirant, et in populo laus percurrat: hoc jubeo tunc archidiacono, ut ipsis domnis qui peccatorem sepelire dignaverint, donet eis caballos padi duos et poledros congregans duos et singulos parioculos ipsi domni accipiant, et tu hoc, domne Chabimoalde, cum archidiacono dignanter facias; et tibi simili modo, sicut tui fratres accipient, ut accipias jubemus. Et quamdiu in sæculo te Deus superstitem esse voluerit, rogo ut ad meam commemorationem digneris venire, et domnus abbas vel congregatio E Sancti Petri et Pauli dignum tibi honorem impendant.

Hos, has liberas liberosve esse jubeo: Lebigiselo cum uxore et filiis; Chinemundo, Chrodosindo cum uxore et infantibus; Theodogundi et filio suo Lopo et filia sua; Emmane, cum uxore et filiis; Ebreleno cum uxore et filiis; Gaviulfo, Hiliano, Picoaldo cum uxore et filiis, filio et filia Maurello. Similiter et famulos meos qui mihi deservire videntur, tam natione romana quam et barbara. Ii sunt: Teodane, Bajon, Baudasindo, Mauro, Austrehario, Audisgisilo, Vetegisilo, Bercehano, Quotane, Alagise, Leodegiselo et filii Theodoniviæ. Hos omnes ad integrum ingenuos esse jubeo, cum omni peculiari eorum quod habent, aut dein-

ceps laborare potuerunt; et defensionem sanctæ A basilicæ domni Petri et Pauli Apostolorum, ubi corpusculum meum in Dei nomen opto requiescere, habere mereantur : ita ut unusquisque tempore depositionis meæ conveniant, et oblata tantum nominis mei ante sanctum altarium offerant vel recenseant, et ministerium quale egisse visi sunt, unusquisque in Dei nomen prædicta die observent, et abbati loci illius solatium præbeant, et postea in crastinum abbas det illis dignam refectionem, et unusquisque ad domos eorum revertantur, tam isti quorum nomina hic continentur, vel quos postea de gente barbara comparavi, aut adhuc comparare potuero, tam pueri quam puellæ, qui a me empti noscuntur et epistolas eis feci, et ipsi in integra ingenuitate perdurent, et hoc obser- B vent quod et plures eorum et toti sub tuitione et defensione Sancti Petri perseverent et dasgastaldi qui voluerint ex ipsis cum ipso abbate consistere, vel basilicæ deservire, de rebus sanctæ basilicæ ditentur, ut eis melius delectet sepulturolæ meæ impendere honorem et sanctæ basilicæ deservire. Et qui hic in Cenomannico territorio manere noscuntur, defensionem sanctæ basilicæ domnorum Apostolorum Petri et Pauli se habere noscant, si necesse fuerit; et abbas ille, cui basilica sancta ad regendum et gubernandum commissa fuerit, omni tempore de eo quod inibi a me collatum est, depositionem meam et lumen sepulturolæ meæ annis singulis taliter studeat celebrare, qualiter aliis delectet loca sanctorum in maximis rebus C ditare. Quod si abbas ille qui exinde negligens fuerit, cognoscat ante tribunal Christi cum domnis Petro et Paulo apostolis ex hoc habere ultionem et perpetuam suscipere damnationem. Illos vero quos de ratione ecclesiæ pro singulis festivitatibus in albis, per epistolas relaxavi aut relaxavero, sicut epistolæ eorum edocent, sub tuitione et defensione sanctæ ecclesiæ rependant.

Et quia casus humanus multos dubios reddit, et ego vereor ne, quod Deus avertat, devotionem meam iniqua cupiditas, quæ malorum radix est, in aliquo frangat; conjuro te, domne sacerdos, quem post me Deus esse voluerit, per illum judicium tremendumque diem sic in æternum beatitudinis præmium adipiscaris, et non cum Juda D damnationis partem adquiras, ut in omnibus voluntatis meæ arbitrium impleas; vel dum te Deus superstitem esse voluerit, custodire intendas omnia. Tamen libertatem dabit perpendere qui voluntati suæ judicium firmiter desiderat permanere. Rogo, cum testamentum meum a domnis et comprovincialibus meis fuerit apertum, tunc per manum archidiaconi centum solidi per domnum episcopum Turonicæ civitatis ad sepulcrum domni et peculiaris patroni mei sancti Martini antistitis, ubi comam deposui, et annis singulis tributum meum ibidem reddidi, transmittantur. Similiter ad basilicam Sancti Albini antistitis per manum Andegavi pontificis solidi quinquaginta dirigantur, quos solidos per sacellos separatim E cum brevicellis sigillatis ad unumquemque locum, sicut superius memini, in manu fidelis dispensatoris commendavi, sicut pagina testamenti mei eloquitur dispensandos.

Tibi vero, archidiacone, demando atque præcipio, ut per omnes basilicas quæ circa civitatem nostram esse noscuntur, hoc est : basilicæ Sancti Victurii peculiaris patroni mei dabis sol. XX; basilicæ domni Vincentii, ubi sanctus Domnolus episcopus requiescit, in honore ipsius martyris vel domni antistitis dabis sol. XX; basilicæ Sanctæ Mariæ vel Sanctæ Crucis dabis sol. X; idemque basilicæ Sancti Richomeri sol. X; basilicæ Sancti Juliani episcopi aut caballum, aut in aurum dabis sol. V; basilicæ Sancti Hilarii dabis sol. V; ad oratoria domni Martini, domni Victorii vel Sancti Petri infra muros dabis in aurum aut in caballos sol. V; basilicæ Sancti Stephani martyris aut in aurum aut in caballos dabis sol. V. Similiter volo ac jubeo ut omnibus clericis nostris qui hic in ecclesia deservire noscuntur, de quibus aut in quibuslibet rebus quinquaginta sol. dones. Illud vero specialiter rogo, ut in suprascriptis locis, ubi aliquid non ut decuit, sed in quantum virtus prævaluit, delegavi, nomen meum ac sacerdotes illorum in libro vitæ jubeant adscribere, et per singulas festivitates recitari.

Licet superius hoc intimare debueram quid cineribus meis deservire deberent; sed quia non habui integre perscrutatum de familia mea, quibus hoc agendum committerem, ideo mihi convenit ut de quantiscumque villis sanctæ basilicæ domni Petri et Pauli heredi meæ delegavi possidendas, singulos condomas de unaquaque villa qui nitidiores esse noscuntur et nobis vel basilicæ sanctæ fideliter deserviunt; volumus nomina eorum in una epistola conscribere et manu nostra firmare, ut integro relaxentur a servitio et ipsis una pariter cum abbate de sepulturola mea, tam de luminario, quam de cineribus meis, integra eis sit cura usque die ultimo vitæ eorum, et tam illi quam soboles qui ex ipsis fuerint procreati, in perpetuo debeant cum integra diligentia deservire; et ingenuitas status illorum sub defensione ipsius abbatis debeat perpetualiter perdurare. Sed quia nos de familia sanctæ ecclesiæ nihil nec cineribus nostris, nec dispositione facienda præsumimus injungi aut relaxari, sicut domni et antecessores nostri fecerunt, simili modo jubeo ut si aliqui mihi minime in mente fuerint de meis famulis aut germani mei Bertulfi quondam, et nunc in Cenomannico manere videntur, toti absoluti sint a servitio, et defensionem vel tuitionem sanctæ basilicæ domni Petri et Pauli, sicut reliqui liberi mei, habere mereantur. Illi vero quos de captivitate redimi et ante ingenui fuerunt et modo pro pretio servire videntur, tam viri quam mulieres de villa Boalcha, omnes relaxentur. Ad matriculas capitales in civitate vel qui per basilicolas sunt, per manus archidiaconi quinque sol. jubeo dari.

Quia deliberationis arbitrium opto per hoc testamentum firmiter conservare, ideo conjuro vos, domni et pontifices, per sanctum apostolatum quem divina traditione accepistis, ubicumque necesse fuerit, basilicæ meæ vel abbati loci illius semper solatium præbeatis, et tale concilium domno et successori meo instruite, ut de eo quod sanctæ basilicæ in honore domni Petri et Pauli Apostolorum pro animæ meæ remedio deputavi, nihil exinde minuat, nec per qualibet occasione aliquid debeat fraudare; quia ego nullum dispendium me sanctæ ecclesiæ generasse cognosco. Similiter conjuro vos omnes per victorias clementissimorum principum, qui in sæculo virtutem agendi apud ipsos domnos et principes nostros habetis, ut, si necesse fuerit, semper defensionis vestræ auxilium huic paginolæ non negetis. Adhuc parva memoravi quod valde oblivione tradidi. Domum vero Diablentes quam meo opere ædificavi, cum curte et stabulum, et hortus et colonicas, quicquid undique tam de Bosone presbytero quam de hæredibus Eboleni tribuni, locum qui dicitur Calviaco, vel undique in oppido Diablentis juxta ripam Aroënæ fluvioli comparavi, tam terris, mancipiis, silvis, pratis et omni jure suo, cum Taxonaria quam vindicavi contra Leuthero et hæredes suos, totum et ad integrum te, sacro-sancta ecclesia hæres mea, habere volo;

excepto res antiquas sanctæ ecclesiæ Diablenticæ, itemque et portiones illas, quas mihi Guntherus in omnes res suas per donationes contulit, et ipsum conjunctum apud ipsam casam Diablenticam, te sacro-sancta mater et hæres mea ecclesia, habere decerno. Casellas illas, quas bonæ memoriæ Domnigisilus diaconus ex nostro munere habuit, et ipse pauper inibi ædificavit, et nos post illius obitum dulcissimo nepoti nostro Leudochramno concessimus, tum omnes casellas, curticella, vineolas, campellos, et quod ibi ipse diaconus habere visus fuit, cum mancipiola illa quæ inibi habere videntur, volumus ut ipse nepos noster dum pro amore nostro frequens ad basilicam sancti Petri et Pauli Apostolorum venire deliberarat, sicut et nos in testamentum scripsimus, volumus ut ipsas cum gratia pontificis successoris nostri semper possideat, sic quoque ut post obitum illius ad jus sanctæ ecclesiæ revertantur.

Nam et ego in præsenti denuntio, ut si quis contra hanc voluntatem meam venire tentaverit, excommunicatione perpetua feriatur, et tale in ipsum Deus judicium ostendat, ut lepra Naaman percussus, terra ipsum sicut Dathan et Abiron absorbeat, et sic ultio divina in illum appareat, ut in præsenti sæculo se male egisse cognoscat, et in futurum judicium nunquam remissionis veniam consequatur. Si quæ lituræ, si quæ caraxaturæ, si quæ litteræ adjectæ sunt vel detractæ, ego feci fierique jussi, dum meam mihi sæpius prælego voluntatem, et omnia per singula recognosco vel emendo. Ut lex docet, septem virorum honestorum subscriptionibus et sigillis credidi muniendum, et pro totius rei firmitate atque stipulatione adnecti præcepi.

Actum Cenomannis in civitate, die et anno superius comprehenso. Bertichramnus in Christi nomine, acsi indignus episcopus, testamentum meum, quod filio meo Ebboni notario scribendum dictavi, relegi et subcripsi.

Guntinus Honoratus subscripsi, rogante domno Bertichramno. Dado, rogante domno Bertichramno, subscripsi (signum). Gerinus, rogante domno Bertichramno, subscripsi. Ibbolenus, rogante domno Bertichramno, subscripsi. Gaddo, rogante domno Bertichramno, subscripsi (signum). Hugo Honoratus subscripsi. Ego Ebbo notarius, jubente domno meo Bertichramno episcopo et ipso præsente, hoc testamentum scripsi, relegi, et subscripsi, notavi diem. Similiter ego Bertichramnus episcopus rogo filium meum archidiaconum, ut cum testamentum meum apertum fuerit, ipso prosequente gestis municipalibus, secundum legem, faciat alligari, quo semper firmiter perduret.

VII.

S. Hadoindi testamentum.

Ex editione Bresquiniana (1). 642.

In nomine Domini nostri Jesu-Christi et Spiritus-Sancti, VIII id. Februarias, in anno V regnante gloriosissimo Clodoveo rege. Ego Hadoindus, acsi indignus, tametsi peccator, episcopus sanctæ Dei ecclesiæ Cænomannis civitatis, sanus, Deo propitio, mente et corpore, sanoque consilio, metuens casum humanæ fragilitatis, testamentum condidi illudque Cadulfo diacono scribendum dictavi. Quod testamentum meum, si quo casu, jure civili aut prætorio, vel alicujus novæ legis interventu valere nequiverit, acsi ab intestato ad vicem codicillorum valere id volo ac valeat. Itaque si quando ego Hadoindus suprascriptus episcopus e rebus humanis excessero ac debitum venturi temporis complevero, tunc tu, sacro-sancta ecclesia Cænomannis, hæres mea esto, hæredemque meam te esse constituo, ita ut ubicumque aliquid per hoc testamentum meum dedero, legavero, dareque jussero, et id ut detur fiat, præstetur, fidei tuæ, hæres mea, committo. Dono tibi, sancta ac venerabilis mater ecclesia Cenomannica, in honore sanctæ Mariæ et domni Gervasii et Prothasii martyrum, villam juris mei, cujus vocabulum appellatur Avesa, quam datis rebus propriis meis comparavi : cum domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, pratis et pascuis, quantumcumque in ea loca aspicere videtur, cum colonis et integro termino suo, ad jus et dominationem vestram revocetur perpetualiter possidendum. Similiter basilicæ domni Victurii, ubi ipse domnus requiescere dinoscitur, et, si meruero, inibi sepulturam habere desidero, dono tibi villam nuncupatam Acerveo, quam dato pretio comparavi, cum domibus, mancipiis, vineis, silvis, pratis et pascuis, exceptis his quos pro animæ meæ remedio ingenuos fieri præcepi, totum et ad integrum præfata basilica, post meum discessum, suæ potestatis faciat revocare perpetua dominatione possidendum. Ea vero conditione dono sanctæ basilicæ domni Petri et Pauli apostoli, quam domnus Bertichramnus, quondam episcopus, ad oppidum Cænomannicæ civitatis suo opere ædificavit, villam proprietatis meæ Iscomodiacum, sitam in pago Belin, quam data pecunia de Ausereno et genitrice sua comparavi, ut hoc ministri ejusdem post meum transitum teneant, possideant, et futuris facere cui voluerint derelinquant. Similiter dono ipsi sanctæ basilicæ domni Petri et Pauli apostoli villas quibus nomina sunt : Taudiniaco, Martiniaco, quam Lupus quondam per beneficium nostrum tenere visus fuit : hoc suprascripta basilica post nostrum discessum cum omni integritate, quod ad ipsas villas aspicere videtur, ministri nostri jam dictæ basilicæ de præsente percipiant dominandum. Simili modo dono basilicæ domni Vincentii martyris, quam Domnolus, sanctæ recordationis episcopus, suo labore construxit, villam juris mei Pratellum, cum omni integritate, quantumcumque inibi Domnola visa fuit habuisse. Simili modo dono basilicæ domnæ et sanctæ Mariæ Aureonno vicum quem Agobertus abbas Diriagensis * simul ædificavit, et Jonam villam, quæ fuit Sigulfo presbytero, et quam fidelis noster Chaddo per nostrum beneficium habere videtur. Pariter et Mansionem ad prope ipsam Jona, quam Lupus quondam tenuisse visus fuit, ipsi Chaddono volumus esse concessam; si tamen filios habuerit, in eorum permaneat potestate, et si quosdam filios non habuerit, post suum transitum ad jus et dominationem domnæ Mariæ de Aureonensi vico revertatur perpetuis temporibus dominandum. Similiter villa Lastemariaco, quam ex munificentia nostra ipsi fideli nostro Chaddono defensori concessimus, voluntas mea est, ut, dum advixerit, hoc usu possideat; post ejus discessum, cum omni re meliorata vel superposita sanctæ basilicæ de Aureonensi vico revertatur. Similiter et Pauliaco, qui fuit Roccoleno, partes jam dictæ basilicæ domnæ Mariæ ejusque temporibus possidere decernimus. Itemque villam Baudiacem, quam, ex comparatione legitimos nostros * directionibus revocavimus, cum terris, domibus, mancipiis, silvis, pratis et pascuis, accolisque omnibus, et integro termino, præfata sancta basilica ejusque ministri in perpetuum a die præsente jure suo recipiant. Simulque et villa Briaco ad oppidum ipsius basilicæ, cum colonia Lamariaco antefatæ sanctæ basilicæ sanctæ Mariæ, pro nostris interveniendum peccatis. Si-

* *Al.* Diablentis.

* *Forte* legitima nostris.

(1) Quam tamen non semel correximus ex Analectis Mabillonii.

militer Ansciaco, qui fuit Dructulfo et hoc quod ille Edeberto commutavimus. Simili modo Auliaco et Castra; similiter villa Commetas, quam de illustri matrona Modenana data nostra pecunia comparavimus: cum domibus, ædificiis, terris, mancipiis, silvis, ac pascuis, basilicæ illius domnæ Mariæ de Aureonensi vico conscribimus. Appiaco colonia; simili modo villa Frigida Fonte cum omni integritate, vel aspicientes ad se pertinentes, cum domibus, ædificiis, mancipiis, tam servis quam et ingenuis, litis, accolis, terris, vineis, silvis, pratis et pascuis, aquis, aquarumve decursibus, omni re inexquisita, a die præsente antefatæ sanctæ basilicæ domnæ Mariæ volo esse donatam, ut pro nostris interveniat peccatis, et Dominus noster Jesus Christus nostris delictis veniam concedere dignetur. Similiter Vernicella cum omni jure et termino suo vel colonia ad se pertinentibus, ad ipsam sanctam basilicam proficiat in perpetuum. Et si aliquis exinde epistolam quasi a nobis factam protulerit, vacua et inanis permaneat. Et ita nobis convenit, ut superius, intimare ut quicumque facta nostra de propinquis, aut de hæredibus nostris chartam aliquam, quamvis bonorum hominum manibus roboratam, ut cupiditas suadet, protulerit, vacua et inanis permaneat, et illam maledictionem percipiat, ut superius est comprehensum. Villa Fontanas in pago Silviacinense filius et parens noster Bodilo, dum superstes fuerit, locellum illum tempore vitæ suæ teneat ac possideat. In Christi nomine Hadoindus, etsi peccator, episcopus, hoc testamentum, quod ex devotione fieri rogavi, relegi et subscripsi; Rensindus subscripsi; Berthegiselus subscripsi; Marsus subscripsi; Autlibertus subscripsi; Saighramnus subscripsi; Audobertus subscripsi; Cadulfus, ordinante domno Hadoindo episcopo, hoc testamentum redditus scripsi et subscripsi.

Domnis magnificis in Christo et sanctæ Ecclesiæ filiis Bodilono et Audranno Hadoindus episcopus. Rogo et supplico caritati vestræ, ut cum me Dominus et creator omnium de hoc sæculo migrare præceperit, Cænomannis civitate iter faciatis, et ibi testamentum meum, cum apertum fuerit, vos prosequentibus apudque publica gestis municipalibus faciatis alligare, et quod unicuique per ipsum testamentum sanctis civibus vel propinquis meis, seu fidelibus, visus sum delegasse, vestra dispensatione unusquisque, juxta ipsam delegationem percipere valeat, et quicquid exinde egeritis, gesseritis, ratum et firmissimum debeat permanere.

Quod mandatum manu nostra firmavimus et petimus muniendum, Cænomannis civitate, in Christi nomine. Hadoindus, etsi peccator, episcopus, hoc mandatum relegi et subscripsi. Rensindus subscripsi; Berthegiselus subscripsi; Marsus subscripsi; Audo subscripsi; Austrebertus subscripsi; Defensor subscripsi; Ursinianus subscripsi; Sirannus. Cadulfus diaconus, ordinante domno Hadoindo episcopo, hoc mandatum scripsi et subscripsi.

VIII.

F. D. Huchet. 685.

Diploma Theodorici regis de moneta Cenomanensi.

THEODORICUS, rex Francorum, vir illuster. Regum consuetudinem exercemus, si petitiones servorum Dei, in quo nostras pulsaverint aures, ad effectum perducimus, et hoc nobis ad æternæ beatitudinis præmium percipiendum profuturum esse confidimus. Igitur compertum sit prudentiæ omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ et nostrorum, quatenus vir sanctissimus et religione atque sapientia genereque nobilissimus Aiglibertus, Cenomannicæ urbis archiepiscopus, nos deprecatus est uti monetam publicam in sua civitate et in nomine S. Gervasii ac nostro ei concederemus; quod et ita fecimus, ea videlicet ratione ut ipse et sui ministri hoc valde prævideant, ne aliqua fraus in ipsa moneta nostris futurisque temporibus appareat. Jubentes ergo præcipimus et præcipientes jubemus, ut nullus ex fidelibus nostris aut quislibet ex judiciaria potestate, de præfata moneta prædicto episcopo suisque successoribus aut rectoribus suæ sedis ecclesiæ aliquam calumniam, aut injustam pulsationem, vel causationem, sive adversam machinationem adversus eos, vel suos successores, seu rectores ejusdem ecclesiæ, ullo unquam tempore facere audeat, aut machinari præsumat. Et hoc præcipimus, ut si aliquis hoc fecerit, DC. solidos auri adversus eum vel suos successores rectoresque ejusdem ecclesiæ componat. Et ut hæc jussio atque cessio nostra verius credatur et per omnia perficiatur, futurisque temporibus firmior maneat, hanc auctoritatem manus nostræ subscriptionibus roborare decrevimus, et annulli nostri impressione subter sigillare jussimus. Theodoricus, rex Francorum, subscripsi. Bonitus obtuli, scripsi et subscripsi. Datum die VI cal. Aprilis, XII regni nostri. Compendio, in Dei nomine feliciter. Amen.

IX.

F. Gests S. Aldric. 83?

Ludovici Pii imperatoris præceptum.

IN nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu-Christi, Hludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si his qui Deo debitum exhibent famulatum quiddam honoris conferimus, et ad ministerium suum liberius exsequendum opem ferimus, hoc nobis procul dubio ad statum terreni regni corroborandum et ad æternæ vitæ beatitudinem capessendam profuturum esse confidimus. Notum igitur esse volumus omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia nos de Aquitania revertentes, cum in urbem Cenomannis pervenissemus, quam Aldricus venerabilis episcopus regere videtur, clerici ac Dei servi inibi consistentes in nostram advenerunt præsentiam, ac conquesti sunt quod nonas et decimas, unde necessarios sumptus habere debebant, fideles nostri, qui res S. Gervasii beneficiario munere possidebant, aut negligenter persolverent, aut penitus reddere differrent, petieruntque ac suppliciter deprecati sunt nos, ut nostra imperialis potestas efficeret qualiter, secundum antiquam consuetudinem et jussionem domini et genitoris nostri Caroli præstantissimi Augusti, ac nostram, pleniter de eisdem rebus decimæ et nonæ partibus præscriptæ ecclesiæ S. Gervasii et fratrum inibi consistentium pleniter et absque ulla dilatione persolverentur, et ædificia ejusdem ecclesiæ, sive domus episcopalis ac fratrum inibi Deo degentium refectæ et restauratæ fierent. Insuper humiliter flagitantes postulaverunt ut villarum nomina, ex quibus nonæ et decimæ ad supradictam ecclesiam persolvi debent, in nostræ auctoritatis præcepto nominatim adscribi præciperemus, ne aliquo malo ingenio, aut qualibet calliditate, aut potentia alicujus divitis vel potentis, hæ villæ, vel hæ res a jure ejusdem ecclesiæ alienatæ futuris fierent temporibus, aut nonæ et decimæ, sive census vel restaurationes jam dictæ ecclesiæ ablatæ fieri possent. Quorum deprecationes propter amorem Dei libenter audivimus, et, sicut deprecati sunt, monasteria vel cellulas, seu vicos vel villas quas nostra largitione ex jure præfixæ ecclesiæ

nostri fideles habere dinoscuntur, nominatim in hoc præcepto inserere jussimus, ut futuris temporibus in jure et dominatione jam dictæ ecclesiæ cum omni integritate permaneant.

Id est : monasterium S. Petri, quod Bertramnus episcopus ædificavit, cum monasteriolo vel synodochio S. Martini in Ponte-Leuva, et monasteriolum S. Victurii, in quo ipse domnus Victurius requiescit in corpore, et monasterium S. Mariæ, quod est constructum inter murum civitatis et fluvium Sartæ, cum monasteriolo S. Ricmiri ultra fluvium Sartæ ad eum pertinente, et monasterium S. Scholasticæ, et monasteriolum S. Germani ultra fluvium Sartæ et monasteriolum vel synodochium S. Mariæ, in quo domnus Paduinus requiescit in corpore, et monasteriolum S. Juliani in quo ipse requiescit in corpore, et cellulam S. Victurii infra civitatem, et monasterium S. Karilephi in quo ipse domnus requiescit in corpore, et monasterium S. Georgii, et monasterium Tillidi et monasterium Tuffiaco, et monasterium S. Johannis et S. Trechii in Buxiolo, et monasteriolum S. Martini in Diablentico, et monasterium S. Mariæ in Aurionno, et monasterium Buxido et cellulam Sciviliaco et monasterium Caladon. Hæc omnia, sicut diligenter inquisitum habemus, cum omnibus ad se pertinentibus et in scriptis authenticis S. Gervasii invenimus, ad prædictam ecclesiam S. Gervasii juste et legaliter pertinent. Ex quibus jubentes præcipimus ut, festivitatibus illorum sanctorum in quorum memoriis ipsa cœnobia dicata esse noscuntur, per singulos annos, ad præfixam matrem et civitatis ecclesiam census ab ipsis qui eadem cœnobia nostro beneficio tenent, libenter ad opus episcopi, vel fratrum ibi degentium, et ad ipsam ecclesiam restaurandam et nunc et futuris temporibus persolvantur, et refectio canonicis S. Gervasii optima ab eodem abbate qui ipsum cœnobium tunc temporis habere videbitur, in prædicta festivitate libenti animo fiat, sicut nostram gratiam et ipsa beneficia habere voluerint, ut nobis seu decessoribus vel genitoribus nostris propter ablationem vel minorationem harum rerum jam dictæ ecclesiæ aliquod detrimentum aut periculum regni adcrescat, sed perennis temporibus sub jure ejusdem ecclesiæ permaneant. De vicis enim canonicis omnibus et ecclesiis baptismalibus in prædictæ urbis parrochia consistentibus, cujuscunque juris sint, census cunctos tam in oleo quam in cera, sive denariis, pleniter partibus præfatæ ecclesiæ, sicut in plenariis et breviariis ejusdem matris ecclesiæ continetur, per singulos annos absque ulla contradictione aut mora persolvi præcipimus. De vicis vero publicis ac propriis, vel villulis jam dictæ ecclesiæ, quas fideles nostri nostra largitione habent, omnino præcipimus ut nonæ et decimæ partibus præscriptæ matris ecclesiæ ab eisdem fidelibus nostris libenter et pleniter persolvantur, et ædificia ejusdem ecclesiæ sive domorum ad eam infra civitatem pertinentium reædificare vel restaurare faciant. Id est : de villa Tanida, de villa Lugduno, de villa Baladon, de villa quæ Brogilus vel Nova Villa nuncupatur, de villa Pradellis, de Murniaco, de villa Guilis; de tertia parte de cella S. Almiri, et tertia parte de cella S. Ulfacii et tertia parte de cella S. Rigmiri; de villa Bonlido, de Angono, de Solemnis villa et vico, et cella Virmero, et de villa Apiliaco, et de Alnido et Claucido, de Noviliaco et Favisnonia et Campo Sigirico, Luciaco et Monte, et de Comnis cella S. Leodegarii, Angor et Bonlir, de vico Gabron cum suis appendititiis, et Belino vico publico et Bruslon et Sagonna, vicis publicis, et Silviaco, et de villa Juliaco et Triciono, et Silgiaco et Sa-

A bololio et Vivonio vico publico, et de villa Longa Aqua, et de villa Campaniaco, et de Conedralio, de Geneda, vicis publicis, et de villa Clidas et de Tredento et Vitlena, Tauriniaco, Calsamen et Villare, et Adilla Vitæ et Vigra, et Fontanas et Sanmuro, et Brafialo, Felcaria, Domno Jorio, et partem de Fraixinido, Maundaria, Droigeto, Villare, de Verno, de Viricio et Camiliaco, de Taxinarias et Cocciaco vico publico, et villa Antoniaco, de villa Bonalfa et de omnibus villis quæ ad cellam S. Martini infra murum civitatis pertinent, et Cangiaco vico publico et de villa Limbriaco et Vernicella et Verniaco, et de Ham, de Ferniaco et de Ponciaco, de Cariliaco, Priliaco, de Vigra, et de beneficio Hadingi, et de Villare, B et de Valle Bovonis, et de Breniaco, et de Carbonariis, et de Ruiliaco, et de Sidrego, et de Paciaco portu super Garronnam, et de Gaureco, et de cella quæ Longolin vocatur, et de Gajureco, et de Floreco, et de vico Diablentico, et de cella Arciacas, et de villa Camariaco, et de Eviriaco, et Calla, et Commoriaco, et de villa Andoliaco, et de villa Griviaco, et Martiniaco, et Linerolas, et Sisciaco, et de cella Domo Regis, et de pago Ardunense, in quo sunt manentes mille S. Gervasii, et de Curte Busanæ, et de Noviomo, et Scomoiaco, et Camiliaco, et Conjiaco, et Corma, et Novi-Vico, et Hostiliaco, vicis publicis. Hæc autem omnia quæ nominatim supra inserta sunt, ut C jam dictum est, evidenter et diligenter investigatum habemus, et in authenticis ejusdem ecclesiæ scriptis, ipsis clericis nobis ostendentibus, reperimus, sive alias villas quæ propter prolixitatem vel propter ignorantiam villarum nominum in hoc præcepto non sunt insertæ, ad jam dictam ecclesiam juste et legaliter pertinere; super quibus has nostræ auctoritatis litteras fieri decrevimus, per quas statuentes omnibus qui in præsenti tempore aut futuris temporibus ex memorata matre ecclesia beneficia assecuti sunt, aut assequi potuerint, præcipimus ut de omnibus conlaborationibus terræ, tam fœni quam annonæ omnium generum, tam de suo dominicatu quam et de vassallorum suorum, de vinericiis quoque et perdonato, de pastionibus et pascuariis, de herbaticis D et pullis, de piscationibus et pastionaticis, id est de glandeticis, de melle, et conlaborationibus quæ in hortis fiunt, de nutriminibus animalium et caseis quæ fiunt de vaccaritiis dominicatis, ac de omnibus redhibitionibus quæ ab hominibus memoratæ matris ecclesiæ recipiuntur, excepto bostilense, id est, de bubus et conjecto ad carros construendos, de his autem omnibus præcipimus ut censum legitimum et nonas et decimas annis singulis partibus præscriptæ matris ecclesiæ absque ulla marritione vel dilatione reddere, insuper restaurationes tam in præfixa ecclesia quam in domibus juxta eam adjacentibus in tegumentis et restaurationibus, pro possibilitate rerum quas in beneficium exinde possidet, facere non negligatis, E si gratiam nostram et eadem beneficia unusquisque vestrum habere voluerit. Præscripta vero beneficia volo ut fideles nostri supradicto censu, cum consensu et benevolentia ejusdem ecclesiæ episcopi, teneant, usque dum illa cum eis quæ ex nostra datione habere videntur mutare possimus, et sæpe dictæ ecclesiæ, cui juste et legitime, ut inquisitum habemus, debentur, auxiliante Domino restitui atque reddere mereamur. Et hoc omnibus vobis notum sit, quod si aliquis vestrum exstiterit qui hanc jussionem nostram aut contemnendo aut negligendo adimplere distulerit, quia volumus atque præcipimus ut præscriptæ urbis episcopus in jure ejusdem ecclesiæ suæ, in suam vel canonicorum suorum potestatem, vel dominatio-

nem, easdem res revocare faciat, usque dum illi qui jam dictæ ecclesiæ res vel beneficia nostra largitione habebunt, in nostram veniant præsentiam pro eadem negligentia atque contemptu rationes reddere. Et hoc prævideat unusquisque, ne illam ibi audiat sententiam : *Qui negligit censum, perdat agrum;* et per hanc auctoritatem, sive pro eorum negligentia vel contemptu ipsa perdant beneficia. Et ut hæc jussio nostra verius credatur et diligentius conservetur, atque per omnia a vobis perficiatur et firmius futuris temporibus teneatur, de annulo nostro subter has litteras nostras jussimus sigillari. Hirminmarus notarius, ad vicem Theotonis, recognovi et subscripsi. Data II kal. Januar., anno Christo propitio XIX imperii domni Hludovici piissimi Augusti; indictione x. Actum Cenomannis civitate, in Dei nomine, feliciter. Amen.

X.

E Gestis S. Aldrici. 837.

S. Aldrici testamentum.

In nomine sancti Salvatoris et veneratione sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctorumque martyrum Gervasii et Prothasii atque S. Stephani, quorum ecclesiæ, licet indigne titulatus esse videor, Aldricus Cenomanicæ urbis et prædictæ ecclesiæ indignus et peccator Episcopus....... pertractans casum humanæ fragilitatis....... considerare cœpi..... qualiter mea facultaticula et inibi commissa post meum obitum utiliter et rationabiliter foret in utilitatem sanctæ matris ecclesiæ et meam eleemosynam dispensata...... sicut in sequentibus dicemus distribuantur : id est, quicquid tunc temporis in nostro ergastulo de pecuniis diversi generis et vestimentis inventum fuerit, tota decima pars distribuatur ecclesiæ quam fecimus super fluvium Sartæ in loco qui dudum Broilus Casalis nominabatur, quam et in honore Domini Salvatoris et S. Dei genitricis Mariæ sive sanctorum martyrum Gervasii et Prothasii atque S. Stephani indigni sacravimus, et monachis ibi Domino famulantibus fideliter et cum caritate tribuatur; nona vero pars ecclesiæ quam fecimus inter fluvium Sartæ et murum civitatis, in qua et monachas collocavimus, et sub regula S. Benedicti vivere decrevimus, quam et in honore prædicti Domini Salvatoris et S. Mariæ ejusdem Dei et Domini genetricis sive sanctorum martyrum Gervasii et Prothasii sed et S. Stephani, quæ matri ecclesiæ subjecta esse videtur, indigni canonice sacravimus, et monachis, sanctimonialibus, sive cunctæ congregationi ibidem Domino famulanti, fideliter et cum charitate absque ulla dilatione aut prohibitione et impedimento attribuatur. De reliquo vero, tantum quod in ergastulo inventum fuerit, juxta decreta canonum quatuor portiones fiant tam de auro quam et de argento, sive de cæteris metallis, vel utensilibus et diversi generis vestimentis et supellectilibus omnibus; una quæ remaneat ecclesiæ nobis commissæ, alia vero in nostra eleemosyna detur fidelibus pauperibus, tertia autem clericis capellanis et vassallis nostris, quarta presbyteris urbanis et ministerialibus, sive suburbanis, atque reliquis parochianis et diaconibus et subdiaconibus, necnon et reliquis ministris et clericis, ut melius fieri potuerit. Nam et hoc summopere videndum est, ut omnia cum caritate fiant.

Similiter et de vino solummodo quod tam in civitate quam et in ejus ruis tunc inventum fuerit faciendum est, id est omnis decima prædicti vini detur monachis viris, et nona funditus detur monachis feminis in prædictis locis degentibus; reliquum autem in quatuor partes dividatur et ut præscriptum est partiatur, fideliterque et cum caritate per præfixas turmas, ceu de pecuniis in nostro inventis ergastulo dictum est, rationabiliter distribuatur. De vino quoque quod in civitate et ejus ruis tunc temporis inventum fuerit fiat ut dictum est. De reliquo autem vino cuncto, et de annonis omnibus diversi generis, et leguminibus sive fœnis per diversa loca et in omnibus villis nostris nobisque commissis reconditis, volumus atque præcipimus suppliciterque flagitamus ut decem partes fiant æqua lance divisas, una videlicet fideliter servetur matri ecclesiæ et beato successori nostro quem Dominus elegerit, et alia detur vassalis et capellanis, sive servientibus, qui Domino nobisque in nostra mansiuncula militare videntur, ut non ipsi quique, quod absit, in aliquo periclitentur inopia, sed habeant unde sustentari queant usquequo se cum sancto successore nostro mox futuro colloçare, Domino adjuvante, utiliter valeant. Tertia tribuatur canonicis et famulis sanctæ matris ecclesiæ et nonnannis quæ in ea quotidie oblationes Domino offerunt, ut et pro me peccatore futuris temporibus Domino offerre eis delectet eorum oblationes. Quarta largiatur monachis qui sunt in monasterio S. Karilephi et ingressive in Savonariis, atque sanctimonialibus monachis quæ sunt in Intramnis monasterio. Quinta detur monachis quæ sunt in monasterio S. Salvatoris, paulo minus milliario ab urbe distante super fluvium Sartæ, et illis monachis quæ sunt in S. Vincentio juxta urbem, seu sanctimonialibus monachis quæ sunt in monasterio S. Salvatoris et S. Mariæ, sive S. Gervasii, inter fluvium Sartæ et murum civitatis collocato. Sexta congregationibus quæ per diversa monasteria tam in Cenumannica parrochia quam et in pago Andecavo, sive Turonico, atque Oxomense, et per cæteros pagos Domino militantibus fideliter, in quantum posse et esse facultas tribuerit cum omni discretione rationabiliter tribuatur. Septima presbyteris et diaconibus ac reliquis clericis nostra in parrochia Domino per diversas ecclesias militantibus discrete et rationabiliter tribuetur, ut eis semper pro me miserrimo peccatore delectet orare et sacrificia Domino assidua offerre; et flexis poplitibus precor ut eis assidue agere suadeatur. Octava, ut diximus, tam de vino quam et de annona diversi generis, et leguminum sive fœni, rationabiliter et discrete detur funditus familiis in nostris villis nobisque commissis commanentibus, quæ ea suis sudoribus laboraverunt, ut et eis pro me peccatore orare delectet; et hoc eis agere precor sæpissime suadeatur. Nona et decima pars omnis annonæ, vini et fœni et leguminibus, pauperibus, viduis et orphanis fideliter cum omni discretione et caritate funditus tribuatur. Omnes enim precor ut pro me orare dignemini, ut remissionem cunctorum valeam percipere peccatorum, et vitam habere, annuente Domino, merear sempiternam. Fiat, fiat.

1° Greges autem jumentorum una cum eorum amissariis, et vaccarum ac boum seu porcorum, et ovium sive caprarum qui sunt in Breim in condita Novicense, et in Proliaco infra villam Quintam, seu in Nova Villa super fluvium Sartæ, sive in Cavania et in Cepeto supra Sartam et in Bovonis villare in Belsa, et in altero Proliaco super fluviolum Viduam, ecclesiæ nobis commissæ et nostro successori cum omni integritate possidendos et utiliter lucrandos et gubernandos relinquimus. Ego autem in toto episcopio non inveni viginti jumenta; modo, Deogratias, septem ei relinquo greges una cum eorum amissariis : neque in toto episcopio nobis commisso ex omnibus peco-

ribus et pecudibus tantum inveni quantum modo, Domino auxiliante, in una ex supradictis villulis relinquo ex his quæ meo pretio comparavi et meo labore acquisivi. Ideo supplex flagito ne alicui durum aut contrarium sit, si ea quæ meo sudore acquisivi et meo pretio comparavi, meis benefactoribus tribuo et meis servientibus dono, atque Domino offerendo in mea eleemosyna fideliter distribui præcipio, et, pro redemptione multorum et innumerabilium peccatorum meorum, dare Dei servis et pauperibus humiliter supplico. 2° Illi ergo greges jumentorum una cum eorum amissariis, et vaccarum, ac boum, seu porcorum, et ovium, atque caprarum qui sunt in Alamaniscas, et illi greges jumentorum una cum eorum amissariis, et boum utriusque sexus, et porcorum, sive ovium, atque caprarum, qui sunt Drimiaco juxta Mantulam, et in Paciaco, in illa videlicet parte quam David modo providet, fratribus et canonicis nostris cum omni integritate absque ulla dilatione sive diminutione fideliter et cum omni caritate dentur. 3° Illi namque greges jumentorum una cum eorum amissariis et boum utriusque generis, seu porcorum, et ovium, atque caprarum, qui sunt infra monasterium S. Karilephi, et in villa Floriaco, et in Conflentio, et in Villa Mauri, et in Comnis, et in Villa Remartis, et in Rusciaco, et in Campo Sigalaici, et in Illa Cella, sive in Caterniaco, atque in diversis mansionibus circa monasterium constructis, omnes integerrime monachis in monasterio S. Karilephi et in cella quæ Savonariis vocatur Domino militantibus, absque ulla minoratione aut tarditate dentur. 4° Ternos autem greges jumentorum, una cum eorum amissariis, ac boum, et vaccarum, sive caprarum, et ovium, qui sunt in Haliau, et quatuor porcarias quæ in eadem villa tam in mansionilibus quam et in aliis locis esse videntur, et illos greges qui sunt in Curte Quadrici, in Sagonense, omnes tam jumentorum quam et boum et vaccarum, seu porcorum, et ovium atque caprarum, illis monachis qui Domino in ecclesia sancti Salvatoris supra fluvium Sartæ, ubi ille abbas præesse videtur, cum omni integritate et cum caritate absque ullo scrupulo aut contradictione sive dilatione fideliter tribuantur. 5° Illi quoque greges jumentorum una cum eorum amissariis, et boum utriusque generis, seu porcorum, et ovium, atque caprarum, qui sunt in villa Colonica juxta urbem et in illa curte quæ dicitur Villa, quam Gundoldus modo providet, et in Corariis super fluvium Sartæ, et in Canon, dentur monachis integerrime qui Domino in monasterio sancti Vincentii militant. 6° Illi ergo greges jumentorum una cum eorum amissariis et boum utriusque generis, seu porcorum, et ovium qui sunt in Gres et in Fraxinido, in Belsa, et in Senmuro, monachis in Gres Domino in ecclesia sanctæ Mariæ et sancti Almiri militantibus funditus absque ulla tarditate aut minoratione tribuantur. 7° Illi quoque greges una cum eorum amissariis jumentorum, et vaccarum, ac boum, sive ovium, et porcorum, atque caprarum, omnes qui sunt in Amniaco, seu in Gasiliaco, et in illa parte Paciaci quam Gundoldus providet, nostris sororibus sanctimonialibus monachis, quas inter murum civitatis et fluvium Sartæ in ecclesia Domini Salvatoris et sanctæ ejusdem Dei genitricis Mariæ semperque virginis, sive sanctorum martyrum Gervasii et Prothasii atque Sancti Stephani sub monastico ordine et sub regula sancti Benedicti vivere collocavimus, cum summa caritate et omnium integritate absque ulla dilatione fideliter attribuantur. 8° Illi quoque greges jumentorum una cum amissariis et boum utriusque sexus, et ovium, sive porcorum, atque caprarum, qui sunt in Rupiaco, integerrime fratri

A meo Isaac filioque ejus Rotgario absque ulla diminutione aut dilatione tribuantur. 9° Illi autem greges jumentorum, una cum eorum amissariis, et boum utriusque generis, seu porcorum, et ovium atque caprarum, qui sunt in Contrella et in Varennis, in Vindosnense et in Brenniaco, in Oxomense, et in Artiniz super Liz, et in Lanciau ultra Ligerim, sive in Vodebris, vassallis qui nobis in nostra mansiuncula serviunt, et clericis qui Domino in nostra capella famulantur cum omni integritate disposite et rationabiliter largiantur. 10° Reliquos namque greges jumentorum et boum utriusque generis, et ovium, seu porcorum, atque caprarum, omnes qui sunt in Culturis et in silva Wastina, in diversis mansionilibus et locis tam B super fluvium Liz quam et in silva Wastina, et in Tricione in diversis mansionilibus, et in locis diversis, et in Tauriaco, in Bajocassino, et in Vetusvico, sive in Celsiaco, ac in Marcas, seu in Cadariis, et in Colonica ultra Meduanam, et in Culcania ultra fluvium Ligeris, et in Callemarcio, sive in monte Sodeuris, in omnibus mansionilibus in eo constructis, et in rivo Petroso, et in Villa nova, in Belsa, et in villa Macunen, et in Briscia super fluvium Brisca, et in Villena in Parisiaco, in nostra eleemosyna presbyteris et Dei servis, sive pauperibus, fideliter et rationabiliter cum omni timore et reverentia distribui disposite imploramus atque rogamus, et omnia cum caritate fieri opta- C mus.

XI.

Adscribitur monachis Benedictinis cœnobium Tufﬁacense.

E chartulario Vincentiano. Circa 1015.

Cum nullus mortalium hoc in sæculo vacillanti sapiat se esse ita perpetue stabilitum ut non ad futurum perveniat judicium, oportet ut, quandiu vita comes fuerit, se tam perornet operibus bonis, ne post aditum vitæ pœnas inferni cognoscat imminere sibi. Quapropter ego in Dei nomine Hugo, Cenomannensis comes, quia tanta totque futura timeo tormenta, nolo recusare sed ma- D gnanimo cupio confirmare ea quæ de nostris sanctorum basilicis video concedere, quatinus hæc prædicta pœnarum tormenta vitare possim, et cum sanctis in æterna requie feliciter permanere. Ergo notum esse volo omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod quidam de meis confidelibus, videlicet Hugo, nostram adiens præsentiam, postulans * sibi fieri præcepti mei firmitatem in sanctæ Mariæ matris Domini ecclesiæ dotem, in comitatu Cenomanensi, in vico qui vocatur Tufiacus, super fluvium Karona, de terris quas de nostro tenet beneficio, ut laventur ipsius crimina et regni cœlestis ei aperiatur janua. Me ergo favente et nullo modo contradicente, præsentat nobis ipse Hugo, fidelis noster, quemdam monachum no- E mine Hermentum, virum bonum et sagaciter instructum, cupiens eum ad ordinem abbatis benedicendum per meam jussionem et domni Avesgaudi episcopi, seu per deprecationem domni abbatis Ingelbaudi et omnis congregationis ejus; obsecrans ut omnibus diebus, quamdiu christianitas permanserit, in eodem loco abbas habeatur, qui regulariter vitam ducat, et ipsum locum diligenter instruat, et gregem sibi commissum regere sciat. Concedit namque ad usus fratrum totam villam Tufiacum cum ecclesia, et decimam et unam capellam ad ipsam pertinentem, et mercatum totum et terram in ipsa villa ad duas carrucas, molendinos duos super fluvium Karona, et super Idoneam unum, de pratis arpennos quin-

* lege postulat.

que super Karonna, et super fluvium Bunionem arpennos octo, de vineis quoque arpennos quatuor, et in Monte Dublello arpennos tres, et pastum ad porcos qui erunt in monachorum dominio, et terram Girodii, et unum masnilum qui dicitur Ramada cum hospitibus quinque, et terram ad unam carudam et silvam quæ vocatur *Bolbiez*, de beneficio Vauterii, et terram Ascelini et terram Warnerii quæ est prope monasterium, Adulenum* unum molendinum, ea ratione ut merita sanctæ Dei genitricis Mariæ et sancti Petri, apostolorum principis, nec non et omnium sanctorum orent apud pium judicem Dominum nostrum Jesum Christum, ut ipse in diem judicii de suis et de nostris peccatis misereri dignatus sit. Contestamur ergo omnibus et prohibemus per nomen Domini et virtutem ejus, et per merita S. Mariæ et omnium sanctorum qui ab initio mundi Deo placuerunt, ut nullus nunc aut in posterum livoris, aut cupiditatis molimine irretitus, infringerit, aut calumniari præsumat hanc nostræ traditionis firmitatem : quod si quispiam egerit aut temtaverit, iram Dei omnipotentis habeat et sanctorum omnium ejus iram incurrat, et sit perpetualiter alienus a consortio sanctorum, et hæres incendii infernorum recipiatur; sit cum diabolo et sociis ejus missus, in stagnum incendio demersus, ibique fine tenus pereat in sæcula sæculorum. Amen.

* *forte* ad Alaunam.

S. Benedicti VIII papæ; S. Hugonis, Cenomannensis civitatis comitis; S. Avesgaudi, episcopi ipsius civitatis; S. domni Ingelbaudi, abbatis S. Petri ipsius civitatis; S. Sesqualoni, abbatis monasterii S. Launomari; S. Genesii, abbatis monasterii S. Carilefi; S. Durandi, abbatis monasterii S. Mariæ; S. Radulfi, ipsius civitatis vice-comitis; S. Huberti, ipsius civitatis thesaurarii; S. Willelmi, decani ipsius civitatis; S. Willelmi, laici; S. Yvonis ejus fratris; S. Hugonis, ipsius militis qui hoc signum fieri jussit; S. Hugonis, filii ejus; S. Haimonis; S. Haimonis desuper litus.

Actum Cenomannis publice, regnante Roberto humili rege.

XII.

Tuffiacensis cella Vincentianis traditur.

E schedis Baluzianis. (1). Circa 1070.

Quisquis sanctorum consors et perpetuæ retributionis particeps esse desiderat, oportet ut de rebus caducis et transitoriis cœlestia semperque manentia acquirere studeat. Proinde ego Amelinus de Langiaco, pariterque uxor mea Helvisa, filia Odonis Dublelli, peccaminum nostrorum sarcinam cum Dei timore considerantes, pro salute animarum nostrarum atque parentum nostrorum, insuper et pro remedio animæ Hugonis Dublelli junioris, filii videlicet Odonis Dublelli, cujus corpus in claustro B. Vincentii sepultum requiescit, una cum assensu et voluntate filii nostri Waltherii, et filiæ nostræ Hersendis, meique privigni, nomine Hilberti, qui fuit filius Pagani, adhibito etiam consilio et favore fidelium et amicorum nostrorum, hortatu quoque et diligenti precatu domini Ernaldi, Cenomanensis episcopi, atque domni Reginaldi, abbatis, donavimus Deo et S. martyri Vincentio locum S. Mariæ, vocabulo Tufiacum, quem perpetuo habendum in nomine cellæ semper possidendum cum omnibus sibi appendiciis, terra scilicet culta, inculta, bosco, vineis, pratis molendinis, furnilibus, equitumque beneficiis, tali scilicet conventionis tenore ut in eodem Tuffiacensi loco S. Mariæ semper et assidue deserviant sex monachi, quorum tres sacerdotes sint, ita tamen si loci substantia adeo abundaverit ut ibi vivere possint. Quidquid vero præter eorum necessaria victuaria superérit, ad rectam abbatis S. Vincentii dispositionem secundum Deum tractetur. Donamus præterea ibidem Deo et S. Vincentio habendam perpetualiter atque possidendam ecclesiam S. Mariæ de Monte Dublelli, cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, sicut eas melius canonici solide et quiete et integre antea tenuerunt, et quidquid ad eamdem B. Mariæ ecclesiam recte pertinuisse bonorum virorum testimonio approbari poterit. Concessimus etiam et ex tota voluntate annuimus, cum assensu et favore omnium supra dictorum, ut quicumque hominum nostrorum volet, liberam habeat donandi vel vendendi licentiam abbati et monachis S. Vincentii aliquid sui beneficii; ita tamen ne nos inde servitium debitum, seu castelli nostri amittamus custodiam. Ut autem dona supra memorata firma amodo permaneant et omni tempore stabilia, accepi ego Amelinus a domino Reginaldo, S. Vincentii abbate, et monachis ejus centum libras denariorum Cenomanensium, et uxor mea supra nominata unam libram auri. Ad mandandam igitur posteris supra scriptorum donorum tenacem memoriam, jussimus inde scribi, sicut mos est, hanc testamenti chartam, scriptamque manibus propriis firmavimus, et a quibus oportuit rite fecimus corroborari. In qua etiam testium nomina cum signis sunt annotata.

Signum Amelini; S. Helwisæ; S. Waltherii, filii sui; S. Hersendis, filiæ suæ; S. Hilberti, privigni sui; S. Matthæi de Monte Aureo; S. Drogonis, fratris ejus; S. Fulcherii de Monte Dublelli; S. Rainaldi, fratris ejus; S. Sevini de S. Carilefo; S. Guillelmi de Resena; S. Maugerii; S. Goscelini Britonis; S. Geoffridi, filii ejus; S. Effredi de Chinon; S. Geoffredi de Maceriis; S. Roberti Godeschalli; S. Fulcherii de Burgolio.

S. Arnaldi, episcopi Cenomanensis; S. Hoelli, decani; S. Wandelberti canonici et aliorum.

Acta autem fuit hæc auctorisatio in urbe Cenomanica, in capitulo B. Juliani, XIII cal. Aprilis, tempore Philippi Francorum regis, eo scilicet anno quo Rotbertus, Guillelmi regis Anglorum filius, comitatum Cenomanensem recuperavit.

XIII.

Charta fundationis Perseniensis abbatiæ.

Ex archivo Cenoman. Circa 1145

Præteritorum patrum jure memoranda gesta, variis vicissim succedentibus causis, modernis temporibus facile videmus a memoria labi; ea propter, ne qui in posterum, cæca cupiditate pellecti, a nobis gesta temeraria præsumptione perturbent, istud præclarum opus chartæ monumento memoriæ decrevimus recondere armario. Noscant igitur præsentes et posteri quod ego Willermus, Pontivorum comes, ex sacra Cystercii religione conventum monachorum Deo in perpetuum debitæ servitutis pensum persolventium statuens, eisdem, concessu Widonis atque Johannis filiorum meorum, pro animæ meæ prædecessorum atque successorum meorum salute, ex propriis meis, fundavi ecclesiam honori sanctæ Dei genitricis Mariæ dedicatam, ad quorum sustentationem plurima ex meis dedi et concessi; ex quibus hic quadam propriis duximus exprimenda vocabulis. In primis, locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum nemoribus, ædificiis et aliis pertinenciis suis, sicut rivulus, qui dicitur Vecteri, dividit; qui quidem rivulus descendit a foresta mea per vallem de

(1) Arm. 2, fasc. 1, num. 1.

Guitonnet, subtus leurchium usquequo recipitur A in aquam venientem de abbatia et de stanno de Britescha, subtus vetus leurchium, et sicut semita signis et crucibus signata dividit, et latior via inter nemora abbatiæ et forestam meam, et descendens, venit ad aquam venientem ad abbatiam, et sicut cheminum dividit, per quod itur de Sancto Paulo ad Sanctum Rigomerum de Plano, per aquam supradictam ad rivulum dictum *Richoer*, usque ad Noas et ultra; locum etiam qui vocatur Sanctus Jacobus, cum pratis et pertinenciis suis; locum qui vocatur *Buignon*, juxta novum Castellum, cum terris, pratis et pertinenciis suis, et molendinum de Britescha et stannum ejusdem molendini; terras quæ Landæ nominantur, et ter- B ras quas, assensu meo, dedit eis Philippus *Hay*, juxta Landas prædictas; grangiam meam de Altanosia cum terris, pratis et pertinenciis suis, et terras de Ragoneria usque ad forestam meam, sicut dividuntur per fossata, et vineam meam de Novo Castello, cum domibus, plessiis, clausuris, fossatis, et aliis pertinenciis suis usque ad forestam; grangiam meam de Monte Populano cum terris, pratis et aliis pertinenciis suis; grangiam de Tuscha, cum terris, pratis et pertinenciis suis; vineas de Pireto cum pertinenciis suis; grangiam de Cortremblayo, quam, assensu meo, dederunt eis Gervasius, dominus *de Cortremblay*, et Guarinus, filius ejus primogenitus, cum terris, pratis et pertinenciis suis; grangiam etiam de Claro C Fonte, quam monachi de Sagio dederunt eis in eleemosynam, cum terris, pratis et pertinenciis suis. In dedicatione autem ecclesiæ, et in doctis nomine, dedi eis apud *Rolers* prata quæ sunt a fosseio, sicut rivulus qui vocatur *Rugeumar* circuit usquequo recipitur in Sartham, et eamdem Sartham in proprio dominio ad piscandum, ab illo scilicet locoquo prædictus rivulus in eam descendit usque ad prædictum fosseium, et sicut dicta prata extenduntur in longum et latum, et, juxta eamdem villam, tres sexterias terræ, cum hominibus manentibus in eadem. Præterea dedi eis terras meas, prata et nemora de Malafia cum bordis et aliis ad dictum locum de Malafia pertinentibus, usque ad ductum aquæ quæ dicitur D *Sorel* et ultra, et sicut cheminum vocatum de Petris dividit, et nemora et terras, et sicut cheminum dividit per quod itur de Sancto Paterno apud Larreium, dictaque nemora usque ad nemora de Larreio. Concessi etiam eisdem monachis et successoribus suis, et confirmavi terram quam Olivarius de Oseio et Radulphus vicarius dederunt eis apud eamdem Malafiam, cum pratis et pertinenciis suis. Volo insuper et concedo quod dicti monachi faciant molendinum fullonarium vel plura in terra sua, in quo, vel in quibus homines eorum pannos suos faciant fullonari, similiter et homines terræ meæ de Sagonio, si ego aut hæredes mei non fullonarium molendinum fieri decrevimus in eadem. Ista omnia et singula E do ipsis monachis et successoribus suis in puram ac perpetuam eleemosynam, liberam et quietam ab omni terreno servicio et exactione sæculari, cum omni jure, jurisdictione, districtu dominico, dominio et cum omni justitia alta et bassa, et etiam plenaria, libere et honorifice possidenda, nihil mihi et hæredibus meis in omnibus et singulis præmissorum totaliter retinendo. Item do et concedo eis et successoribus suis, in omnibus et singulis locis prædictis, et eorum appendiciis et pertinenciis, omnimodo venationem ad omnia grossa animalia et parva, et omnem jurisdictionem ad justitiam temporalem. In villa Alenconis dedi eis burgensem unum cum omnibus suis, Willelmum nomine, pro suis negociis agendis, et hæredem ejus, eum scilicet qui domum ejus possidebit. Hæc autem omnia et illa quæ, per Dei gratiam, aut eleemosyna aut propria emptione jam acquisierunt de baronibus, militibus, burgensibus et aliis hominibus meis, sive in posterum, Deo propitiante, adempturi sunt, cum grangiis, terris, pratis, pascuis, pasturis, locis, domibus, vineis, nemoribus, stannis, aquis, viis, semitis, molendinis, moultis, piscariis, decimis, censibus, redditibus, censivis, hominibus, usagiis, libertatibus, cum omnibus et singulis eorumdem pertinenciis, præfatis monachis et successoribus suis do, ac libere et honorifice in perpetuum possidenda concedo. Præterea do ipsis monasterio et monachis, præsentibus et futuris, usagium in omnibus forestis et nemoribus meis, et in omnibus et singulis locis pertinentibus ad eosdem, ad omnia necessaria et utilia sua, pasnagium porcorum suorum, et omnium animalium suorum herbagium et pasturam omni tempore, et prohibeo ne a custodibus forestarum, vel nemorum, aut forestariis quacumque occasione impediantur, vel in aliquo perturbentur. Item nolo quod dictæ forestæ et nemora tantum in posterum vendantur, extirpentur vel devastentur, quin ipsi et successores sui possint usagium suum, pasnagium, herbagium et pasturam suorum animalium invenire, capere in eisdem et habere perpetuo in futurum, maxime cum hæc specialiter sint ipsorum præcipuum fundamentum. Volo etiam et concedo quod ipsi eorumque successores tradant grangias, loca et possessiones suas qui sibi expedire viderint ad medietariam, reditum vel ad firmam, et quod omnes qui in locis, grangiis, medietariis, sive aliis possessionibus eorumdem quoquomodo manebunt in futurum, habeant usagium suum in omnibus forestis et nemoribus meis, et porcorum et omnium animalium pasnagium, herbagium et pasturam. Item volo et præcipio quod ipsi et successores sui possint loca, nemora et cæteras possessiones suas, prope forestas et possessiones meas aut hominum meorum, claudere quin eisdem expedierit fossatis, haaiis, sepibus, sive pallo, et in signum meræ libertatis ac perpetuæ eleemosynæ, domos ædificatas in terra sua et etiam ædificandas absque contradictione aliqua cruce signentur. Volo insuper et concedo quod præfati monachi eorumque successores, omnes res et homines sui, præsentes et futuri, sive illi qui loca ipsorum, domos vel grangias quoquo modo tenuerint vel in eisdem manserint, sint quieti et liberi de theloneo, passagio, pontagio, pedagio, costumis, talleis, corveis, halagio, bavagio, bosselagio, reparatione viarum, pontium, villarum atque castrorum, sive exitibus, omnique alia consuetudine et sæculari exactione, de omnibus rebus quas vendiderint et emerint, vel deportari fecerint per terram et aquam, in omni loco jurisdictionis et potestatis meæ, nullusque in dicto monasterio nec in locis ejusdem hominem capere aut percutere nanna, animalia, blada, vina aut alia bona ibidem constituta capere, vel portare, aut justitiam qualemcumque exercere audeat vel præsumat, prandium, hospicium sive præbendam vel rem quamlibet aliam improbe et quasi hæreditario jure requirat, sed omnia integra libere et honorifice conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodo profutura. Et ne domus Dei pravorum malignitate valeat perturbari, omni qua possum auctoritate decerno atque præcipio quod si dicti monachi, per se vel per alios, non explectant vel explectaverint omne jus suum in aliquibus præmissorum, quod per non usum eisdem monachis aut aliis ab ipsis causam habentibus vel

habituris nullum præjudicium generetur; nec volo quod de saisina ejusdem noceat in futurum, aut saisina aliqua contra ipsos vel successores suos mihi aut hæredibus meis aliquid proficiat in futurum. Et propter reverentiam Dei omnipotentis et gloriosæ Virginis Mariæ, sancti Petri, sanctorumque omnium, omnes rectores sanctæ matris Ecclesiæ ac nobiles principes superiores meos devotissime deposco, quatinus dictos monachos et successores suos, cum omnibus suis possessionibus, privilegiis, usagiis, libertatibus, immunitatibus, hominibus, locis, rebus et aliis bonis suis in virtute, potestate et guarda sanctæ matris Ecclesiæ et sua regia tuitione, nobili custodia et protectione accipiant; nam ipsos et eorum monasterium, cum omnibus et singulis rebus, possessionibus et hominibus suis, extra guardam et justitiam meam et in guarda et potestate domini nostri Jhesu-Christi et superiorum pono, nihil mihi aut successoribus meis in guarda vel justitia retinendo, nisi de speciali gratia dictorum monachorum aut eorum successorum. Quod ut firmum et stabile in perpetuum perseveret, præsentem chartam sigilli mei munimine roboravi, testibus iis: Domino Willelmo, Cenomanensi episcopo, et Giraldo, Sagiensi episcopo; Ricardo, Savigniensi abbate; Radulpho, abbate Sancti Andreæ; G....., abbate Sancti-Vincentii Cenomanensis; R...., vice-comite Bellimontis; Pagano de Clincampo, Hugone de Mellavo, Roberto de Nulleio et multis aliis. Ego Johannes, filius comitis primogenitus, omnia quæ in hac præsenti charta continentur laudavi et ratificavi, eaque sigilli mei caractere confirmavi.

XIV.

Ex authentico (1). 1188.

Cyrographum de condenda Campaniæ abbatia.

R., Dei gratia Cenomanensis episcopus, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint salutem. Notum fieri volumus tam præsentibus quam futuris, quod Fulco *Ribole* in perpetuam eleemosynam dedit et concessit Deo et B. Mariæ et toti conventui de Saviniaco domum de Ramis cum universitate ædificiorum, cum omnibus pertinentiis ostensis abbati et monachis ejus et aliis, ita tamen ut si quid infra terminos illius ostensionis continetur quod ipse eis tradere non possit absolute et in pace, competentem compensationem eis faciet de his quæ contigua sunt illi terræ quam ipse possidet. Hanc autem eleemosynam fecit in salutem animæ suæ et patris sui et antecessorum et successorum suorum, ad conventum abbatiæ ibi instituendum. Sed quum capitulum Saviniacense sine assensu generalis capituli Cisterciensis nusquam instituere potest conventum, pepigerunt prædicti abbas et monachi Saviniacenses præfato F. *Ribole* quatinus licentiam a capitulo Cisterciensi si possent impetrarent, ut infra festum Omnium Sanctorum ibi conventus institueretur. Quod si impetrare licentiam non possent a capitulo Cisterciensi, domus illa cum universitate prædictis monachis assignata ad prædictum dominum F. *Ribole* et hæredes ejus quiete et absque omni litigio rediret. Verum quia locus ille inops est vinearum, concessit prædictus miles, ut, per quinquennium integrum, C summas vini singulis vindemiis prædictis monachis conferret, absque omni sumptu et labore eorum, excepto quod facient eas deduci in domum illam sumptas Cenomani aut minus remotas. Sed quum decimæ terræ illius assignatæ monachis Saviniacensibus ad monachos de Cultura dinoscantur pertinere, pepigit prædictus F. quod reditum trium modiorum bladi monachis de Cultura singulis annis in compensationem reddet. Quod si monachi de Cultura compensationem prædictam noluerint accipere, sæpe fatus F., consilio domni Cenomanensis in hoc articulo stabit juxta utilitatem Saviniacensium monachorum. Concessit etiam sæpe dictus F. quod per duos annos licebit monachis molere annonam suam in molendino de Ramis, et ipsi non dabunt molituram. Interim autem, dum conventus ibi non erit, duo monachi presbyteri qui celebrent divina ibi erunt assidui et duo conversi. Actum publice Cenomani, Incarnati Verbi anno MCLXXXVIII. Huic pactioni interfuerunt: P., præcentor; W., archidiaconus Cenoman.; magister P., capellanus noster; Phi. et Ha., Cenomanenses canonici; I. de *Passeis* decano; W. de *Moncé* et plures alii.

XV.

E Campaniæ Chartulario.

Charta fundationis B. Mariæ de Campania.

Omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit Fulco *Ribole* salutem in Domino. Noverit universa generatio præsens et futura quod ego Fulco *Ribole* dedi et concessi Deo et abbatiæ B. Mariæ de Campania, pro salute animæ meæ et uxoris meæ Emmæ, patris mei et matris meæ, et omnium amicorum meorum, tam vivorum quam defunctorum, locum abbatiæ et ædificia in adjacentia, et terram a chemino de *Auvers* usque ad nemus de *Chadonel*, et nemus cum pratis et stagnum, et terram a finibus confixis a parte de *Chevene* usque ad fines *du Tertre*, et quidquid habebam infra terminos prædictos in dominio, exceptis feodis militum meorum, et quidquid poterunt acquirere infra terminos prænotatos; et apud Cenomanum vineas quas emi a Luca de Alnebec XXX libras Cenomanenses, liberas penitus et quietas, et quidquid juris in eis habebam; et pressorium, et virgultum, et terram, et tenementum quod a me tenebat. Si quis vero vinum vel aliud in pressorio illo adduxerit, vel habuerit, omnes consuetudines quas antea habueram mihi et hæredibus meis retineo, præter propria monachorum. Hæc omnia supradicta concessi libera penitus et quieta ab omni servitio et exactione et consuetudine omnino absoluta; ita quod nihil juris in eis retineo, nihil vel hæredibus meis, præter divinam retributionem. Has præscriptas donationem et libertates concessit Emma, uxor mea, et Hubertus, filius meus, et Beatrix, filia mea. Testibus his, Reginaldo, Cenomanensi episcopo, in cujus manu ecclesiam istam posui; G., Abrincensi episcopo; P., B. Juliani præcentore; G. archidiacono; mag. P. capellano; Juhello de Meduana; Amauricio *de Créon*; Hamelino *de Chaorses*; Bernardo de Firmitate; Hu. de Firmitate; Guillelmo *de Assé*; G. de Corseseis; Rad. Porci; Guidone de Sancto Dionysio, et multis aliis. Ut autem omnia rata maneant in perpetuum et inconcussa, chartam prius volui annotare et sigilli mei munimine confirmare.

XVI.

E veteri tabulario (1). 1198.

Sententia de ecclesia S. Georgii super Arvam.

Pag. subdiaconus et magister Baldoinus, canonicus B. Martini, omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis ad quos præsens charta pervenerit salutem in eo qui est omnium vera salus. Cum dominus

(1) In Max. Gallorum Archivo, L, 1146[3].

(1) Inter codices *de Gaignières*, sub num. 2737, fol. 63.

papa bonæ memoriæ Cœlestinus nobis et venerabili viro M., abbati S. Florentii, causam quæ inter venerabilem episcopum Cenomanensem dominum Hamelinum et Matthæum militem vertebatur, super patronatu ecclesiæ S. Georgii super Arvam, de consensu utriusque partis, appellatione remota, commisisset fine canonico terminandam, adjecto, in fine commissionis, quod, si omnes interesse non possemus, duo nostrûm eam nihilominus terminarent, et prædictus judex noster ad quamlibet diem partibus assignatam, in qua causæ præsens non affuit, se interesse non posse litteratorie excusasset, lis ex parte prædicti militis, Herberto, clerico, ab prædicto milite in eadem causa procuratore constituto, contestata (B) fuit ante obitum delegantis. Cum igitur lite pendente contra prædictum Herbertum, coram nobis probatum fuisset ipsum oblationibus, quæ in prædicta ecclesia factæ fuerant in Natali Domini, sacerdotem nomine domini Cenomanensis in ea ministrantem ausu temerario spoliasse, nos attendentes prædictum episcopum ejusdem ecclesiæ possessorem esse, earum restitutionem ipsi pronuntiavimus faciendam. Cui sententiæ prædictus Herbertus, ut visum est, humiliter adquiescens, partem earum, videlicet VI sol. et IX den. Andegaveuses, in jure restituit : residuæ vero quantitatis, videlicet V sol. et III den., usque ad subsequentem terminum qui sibi fuerat assignandus, quia solvendo non erat, solvendi dilationem petiit (C) et accepit; fidem insuper præstitit corporalem quod possessionem prædictæ ecclesiæ domino Cenomanensi adjudicatam nec per se nec per alium perturbaret; imo in ipso nomine domini Cenomanensis ministrari divina permitteret, donec controversia judicio vel concordia finiretur. Cum igitur, die jam tunc partibus assignata pendente, sæpe dictus episcopus G., decanum Ebroniensem, ad prædictam ecclesiam destinasset, ut presbyterum introduceret nomine suo in ea celebraturum divina, tam presbyter quam decanus ab ingressu ecclesiæ per prædictum militem sunt repulsi. Hanc itaque violentiam probaturus idem decanus cum procuratore episcopi, die quæ partibus dicebatur præfixa coram nobis apparuit; sed (D) quia Herbertus, procurator militis, occasione morbi diem demandaverat, nullam voluimus contra ipsum recipere probationem, licet adversarius ejus excusationem ipsius assereret fraudulentam, verumtamen parti militis per prædictum decanum terminum fecimus assignari, crastinum scilicet diem S. Marci evangelistæ, in qua coram nobis Turonis appareret prout actum fuerat responsurus. Per eumdem decanum sibi factam (assignationem) contemnens, sicut nobis postmodum per testes omni exceptione majores claruit, in tam vesanam responsionem prorupit, quod nec pro summo Pontifice, nec pro suis judicibus, aliquem nunquam reciperet in possessionem ecclesiæ nomine episcopi venientem, ad diem vero se (E) missurum promisit. Cum igitur ejus procurator H. ad diem illam coram nobis stetisset, et procurator episcopi restitui sibi residuum oblationum postulasset instanter, allegans quod miles, quia possessionem episcopi jus sibi dicendo turbaverat, a jure suo ceciderat, prædictus Herbertus, restitutionem oblationum facere contemnens, et turbationem possessionis a milite factam diffiteri non valens, excommunicato jam a nobis ipso Herberto propter restitutionem quam facere negligebat, et milite propter violentiam super possessione illatam, tandem H. causa subterfugii Romanam audientiam appellavit, et a nobis contumax et rebellis discessit. Nos autem, adjunctis nobis juris prudentibus, appellationem hujusmodi non tenere videntes, rationibus et allegationibus Cenomanensis episcopi diligenter inspectis, famæ et consentientis ad hoc testimonium colligentes, finem controversiæ militis imposuimus, et secundum formam quam legimus et attente inspeximus in authenticis Romanorum Pontificum bonæ memoriæ, Alexandri, Clementis, Cœlestini, eamdem ecclesiam pronuntiavimus ad donationem Cenomanensis episcopi pertinere. Actum fuit hoc Turonen., anno gratiæ MXCVIII (1), VI cal. Maii, præsentibus abbate de Cormere magistro Philippo, Gaufredo decano Ebron., Gauffrido de Monte Basonis, Gaufrido *de Thorigné*, Buchardo, canonico B. Martini, et pluribus aliis.

XVII.

Decima Groleii Savigneio datur a Laurentio, abbate Fontis Danielis.

Ex authentico (2). Circa 1206.

Universis fidelibus præsentibus et futuris Fr. Laurentius, Fontis Danielis dictus abbas primus, et totus ejusdem loci conventus, æternam in Domino salutem. Cum dominus Juhellus de Meduana, domus nostræ fundator, decimam partem totius reditus sui de Groleio et duas partes decimæ totius agriculturæ hominum in eadem terra manentium ad opus pauperum de porta nobis in eleemosynam contulisset, audientes et attendentes quod monachi Savigneii, fratres et amici nostri, in eadem juris reclamationem haberent, pro bono pacis, intuitu mutuæ caritatis, totum illud quod prædictus dominus Juhellus in ipsa terra de Groleio tam in reditu quam in decima nobis dederat eisdem monachis liberaliter dedimus et concessimus, idipsum domino Juhello volente et concedente, ita tamen ut in usus pauperum de porta domus Savigneii expendatur. Quia vero in chartis nostris, unde deleri non potest, illa donatio continetur, statuimus ut illæ chartæ contra istam nullam vim habeant vel efficaciam, in hoc tamen quod ad prædictam donationem de Groleio noscitur pertinere. Quod ut ratum sit et perpetuam obtineat firmitatem, id litteris annotari et sigilli nostri fecimus munimine roborari.

XVIII.

Epistola Philippi regis de justitia a monachis Culturensibus exercenda.

E schedis D. Housseau. 1211.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, amico et fideli suo Guillelmo de Rupibus, senescallo Andegaviæ et omnibus bajulis ad quos litteræ præsentes pervenerint, salutem et delectionem. Mandamus vobis quatenus homines dilecti nostri abbatis B. Petri de Cultura Cenomanensis, qui capti tenentur, eidem abbati reddatis, vel recredatis, et quotienscumque ipse abbas de justitia facienda ipsi et hominibus suis nos requisierit, volumus quod eidem abbati et hominibus suis maturam exhibeatis justitiam, ita quod de cætero quærimoniam ipsius abbatis vel hominum suorum pro defectu justitiæ non audiamus; volumus insuper et præcipimus, quod nec cogatis dictum abbatem vel homines suos respondere coram vobis super hoc quod debent respondere in curia ecclesiastica, de hoc autem tantum quod coram vobis respondere debent respondeant. Actum Moret, anno Domini 1211, mense Novembri.

(1) Lege 1198.
(2) In Max. Gallorum Archivo, L, 1146^{17}.

XIX.

E chartario Savigneii (1). 1229.

Monachis Campaniæ bibliotheca datur a Savineacensibus.

Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, frater Robertus, dictus abbas, et conventus abbatiæ B. Mariæ de Campania, salutem in Domino. Noveritis universi quod venerabilis pater domnus Stephanus abbas Savigneii et conventus ejusdem loci dederunt et concesserunt nobis et abbatiæ nostræ, filiæ suæ, bibliothecam quam habebamus ab eadem abbatia matre nostra nobis accommodatam. Quod donum fecerunt nobis sicut dictum est intuitu Dei et amore caritatis. Nos vero remisimus eis et quietavimus totum debitum quod debebant nobis, videlicet duodecim libras census quæ superfuerant de quodam debito XVII librarum; sed alia pars antea nobis fuerat persoluta. In cujus rei testimonium præsenti scripto sigilli nostri signum fecimus appendi. Anno gratiæ MCCXXIX. Testibus J. priore, domno Luca, Joanne cellelario et aliis.

XX.

E veteri tabulario (2). 1250.

Notitia de lapidibus in fabricam ecclesiæ Cenomanensis adhibendis.

Universis præsentes litteras inspecturis officialis Cenomanensis salutem in Domino. Noveritis quod cum contentio verteretur inter reverendum patrem episcopum, decanum et capitulum Cenomanense ex una parte, et Hervæum de Chaorciis, militem, ex alia, super hoc quod præfati episcopus, decanus et capitulum dicebant se habere jus scindendi, capiendi et asportandi petras de terra et feodis dicti militis, sitis in parrochia de Berneio, ad opus fabricæ ecclesiæ Cenomanensis, dicto milite contrarium asserente, tandem dictæ partes in nostra præsentia constitutæ compromiserunt super dicta contentione pœna centum marcharum hinc inde apposita, rato nihilominus manente arbitrio, seu dicto, in venerabilem virum dominum Jeremiam, canonicum Cenomanensem, qui, in nostra præsentia constitutus, arbitrium suum protulit in hac forma, quod dicti episcopus, decanus et capitulum de bonis ad fabricam prædictam pertinentibus darent mutuo prædicto militi triginta libras Turonenses, de quibus denariis idem miles tenuit se pro pagato, coram nobis, in pecunia memorata, exceptionem pecuniæ non numeratæ et non traditæ renuntians in jure coram nobis specialiter et expresse, ita quod illam de cætero non potuerit allegare repetendam ab eisdem episcopo, decano et capitulo a dicto milite, vel ejus hæredibus, quotiescumque sibi placuerit et viderint expedire; et quod dictus miles, vel ejus hæredes, de cætero per se, vel per alium, non opponent se quominus dicti episcopus, decanus et capitulum scindant, capiant et asportent, seu scindi, capi et asportari faciant petras ad opus fabricæ supra dictæ, quantum opus fuerit et necesse; et quod contra hoc se opponentem quocumque tempore prædictos episcopum, decanum et capitulum defendere et indemnes teneantur servare, salvo jure suo dicto militi, si quod habet, super iis soluta pecunia supradicta. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigillo curiæ Cenomanensis, cum sigillo dicti militis, fecimus roborari. Datum anno Dom. MCC quinquagesimo.

(1) In Max. Gallor. Archivo, L. 1146³.
(2) Inter cod. *de Gaignières*, sub num. 2737, fol. 33, verso

XXI.

Ex authentico (1). 1270.

Litteræ Geoffridi præsulis fructus episcopatus a rege requirentis.

Excellentissimo domino Ludovico, Dei gratia regi Francorum illustri, Gaufridus eadem permissione Cenomanensis electus et confirmatus salutem in eo per quem reges regnant et principes dominantur. Notum facimus vestræ regiæ majestati quod nos venerabiles viros magistros Odonem de Monteamaro et Joannem de Signeio, canonicos Cenomanenses, constituimus nostros nuntios speciales ad petendum et obtinendum a vobis nostra regalia nobis reddi, vobis humiliter supplicantes quatinus ipsis loco nostri dicta regalia liberetis. Bene et diu valeat vestra regia celsitudo. Datum Turonis, die Mercurii post festum beatissimi Juliani, anno Dom. MCCLXIX.

XXII.

Ex apographo (2). 1279.

Litteræ Nicolai papæ de electione Joannis episcopi.

Nicolaus ven. fratri Johanni de Chanlaio, episc. Cenomanensi, salutem.

Debitum officii nostri continua nos pulsat instantia, ut inter sollicitudines alias, quibus assidue premimur, circa ecclesias solertiam adhibentes ipsarum utilitatibus intendamus, in eo maxime ut viduatis, ne longæ vacationis dispendia patiantur, de talium celeriter nostræ diligentiæ studio provideatur substitutione pastorum, per quos spiritualiter et temporaliter, auctore Deo, continuum suscipiant incrementum. Ad hoc enim nostra tendit intentio, circa id cogitatio nostra versatur, et ad hoc omnem quam possumus opem et operam adhibemus, ut tales in partem sollicitudinis evocemus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed operis informare, illumque prudenter regere studeant, et in viam salubrium dirigere mandatorum.

Sane dudum Cenomanensis ecclesia, pastoris solatio destituta, capitulum ipsius ecclesiæ duas electiones, unam videlicet de Guillelmo dicto *Roil* ejusdem, reliquum vero de Gaufrido de Sancto Brixio, Bituricensis ecclesiarum decanis in discordia celebrarunt. Negotio igitur electionum eorumdem per appellationes ad sedem apostolicam devoluto, post aliquos processus apud sedem ipsam habitos in eodem, prædicti decani omne jus, quod eis ex electionibus hujusmodi competebat, sponte ac libere in nostris manibus resignarunt. Nos autem resignationibus ipsis receptis, paterno desiderantes affectu, quod sponso legitimo et idoneo, Deo propitio, Cenomanensis ecclesia provideretur, eidem provisionem ipsius ea vice dispositioni et ordinationi nostræ, de apostolicæ plenitudine potestatis, duximus reservandam, distinctius inhibentes ne dicti capitulum, seu quicumque alii, ad aliquam electionem, postulationem, seu provisionem aliam de præficiendo sibi et eidem ecclesiæ episcopo, vel pastore, procederent quoquo modo. Decrevimus quoque ex tunc irritum et inane quicquid super iis, vel eorum aliquo, contra hujusmodi reservationem et inhibitionem nostras, per eos et quemlibet alium, vel alios ignoranter, vel scienter, contingeret attemptari. Demum autem attendentes quod si prædictæ Cenomanensis ecclesiæ provisio dif-

(1) In Maximo Gallorum Archivo.
(2) In collectan. D. *La Porte du Theil*, inter apographa quæ Roma detulit, apud Max. Paris. Bibliothecam.

ferretur multis subjaceret periculis, et gravia in spiritualibus et temporalibus detrimenta subiret, ac volentes propter hoc eidem Cenomanensi ecclesiæ de pastore idoneo celeriter providere, ad personam tuam nostræ mentis oculos duximus dirigendos. Et licet ad regimen ecclesiæ Autissiodorensis tunc pastore vacantis discorditer fuisses electus, quia tamen contra personam tuam nihil fuit propositum, vel objectum, nos desiderantes quod cum sis vir scientia prædītus tam morum quam generis nobilitate præclarus, consilio providus, ac in spiritualibus ac temporalibus circumspectus, acceptusque nobis et fratribus nostris tuæ merito probitatis, prædicta Cenomanensis ecclesia per te poterit, divina cooperante gratia, salubriter gubernari, et in suis juribus defensari, te tunc archidiaconum Sigaloniæ, in ecclesia Aurelianensi, prædictæ Cenomanensi ecclesiæ in episcopum et pastorem præfecimus, de fratrum eorumdem consilio et apostolicæ plenitudine potestatis, tibique nostris manibus consecrationis munus duximus impendendum, sperantes quod tua circumspectione laudabili, et providentia circumspecta, ipsa ecclesia tam circa spiritualia quam temporalia, gratis tribuente Domino, proficiet incrementis. Volumus itaque, ac fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ad eamdem Cenomanensem ecclesiam, de apostolicæ sedis et nostro favore confisus, cum divinæ gratia benedictionis accedas, et super gregem dominicum in illa tibi commissum noctis vigilias diligens sollicitusque custodias, ut liber invadendi aditus non pateat invasori. Beatus siquidem eris, si Dominus, in suspicabili hora venturus, te invenerit sic agentem, quia cursu consummato qui tuo labori proponitur et horum fide servata quæ tuæ A sollicitudini committuntur te immarcescibili corona justitiæ decorabit. Datum Viterbii, v nonas Octobris, pontificatus etc., anno secundo.

XXIII.

Epistola Joannis præsulis ad regem de regalibus. *E Mar. Gall. Archiv. 1279.*

EXCELLENTISSIMO domino suo Philippo, Dei gratia regi Francorum illustri, J., ejusdem miseratione Cenomanensis episcopus, salutem in eo per quem reges regnant et principes dominantur. Noverit vestræ sublimis reverentia majestatis, quod nos propter nonnulla negotia nostra et Cenomanensis ecclesiæ in Romana curia promo- B venda, et propter alias occupationes multiplices, ad nostram Cenomanensem ecclesiam accedere non valentes, dilectos et speciales nostros, viros venerabiles et discretos Gervasium de Clino Campo, archidiaconum Cenomanensem, Guillelmum de Poilleio, archidiaconum in eadem ecclesia Cenomanensi, R., decanum de Curtigniaco, et Stephanum de Autissiodoro, presbyterum, nostros et ecclesiæ nostræ procuratores nostros constituimus, facimus et ordinamus quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit conditio melior occupantis ad petendum et obtinendum, nostro et ecclesiæ nostræ Cenomanensis nomine, nostra et ejusdem ecclesiæ regalia quæ tenetis; et C hoc regiæ majestati et omnibus quorum interest tenore præsentium volumus esse notum. In cujus rei testimonio præsentibus sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono, die Sabbati ante festum B. Dionysii.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ ANDEGAVENSIS.

I.

A

E schedis Baluzianis. 769.

Præceptum quo Carolus Magnus confirmat monasterio Sancti Albini donationem quarumdam possessionum.

Carolus, rex Francorum, vir inluster, omnibus nostris tam præsentibus quam et futuris, juvante Domino qui nos in solium regni instituit. Decet enim, accommodante principale clementia cunctorum aure benigna, quæ præcipue pro compendio animarum a præcedentibus regibus antecessoribus nostris ad loca sanctarum ecclesiarum probamus esse indultum, devota debemus mente perpendere et congrua beneficia, uti mereamur in mercedem esse participes, non negare, sed robustissimo jure pro nostris oraculis confirmare. Igitur magnificus vir Guntharus, rector de monasterio S. Albini, qui est constructus prope muros Andecavis, vel clerici de ipsa ecclesia peculiaris patroni nostri, ad nostram accedentes presentiam, clementiæ regni nostri suggesserunt eo quod antecessores nostri, seu etiam domnus ac genitor noster, bonæ memoriæ Pippinus, quondam rex, per illorum authoritates eorumque manibus subscriptas, ut quasdam villas ejusdem abbatiæ canonicis ipsius loci deputatas, denuo per celsitudinis nostræ authoritatem eisdem usibus perpetua lege habendas confirmaremus. Quarum, scilicet villarum ista sunt nomina : Maironnus, cum silva quæ vocatur Lantonium; Prunarius cum silva adjacente, quantum tenet unam leugam, quæ deserviat coquinæ fratrum; Monasteriolum cum silva quæ deserviat pistrino fratrum; Sabiacus, Multoniacus, Litteriacus, piscationem a porta Canciacense usque ad insulam quæ nuncupatur Jurelista; unde præsignatum altitudinis nostræ præceptum hoc fieri jussimus, atque firmamus, ut prænominatæ res cum omni integritate, et sine cujuspiam rectorum præfati loci minoratione, usibus et stipendiis Dei servorum in eodem loco Christo famulantium deputatæ habeantur; nullique liceat eas in alios præterquam a nobis constitutum usus retorquere. Precamur etiam pro amore Dei et reverentia sanctæ Dei ecclesiæ, et intercessione beati Petri apostoli, omnes successores nostros, sicut a nobis est constitutum, ita et ipsi conservent, ut cum omnibus sanctis portionem mereantur percipere. [Interea etiam constituimus ut numerus fratrum ultra quinquagenarium numerum ab aliquo eorum abbate, ullo unquam tempore, non augeatur (1);] et ut hoc nostræ authoritatis præceptum firmius habeatur, et a successoribus nostris per futura tempora diligentius conservetur, de annulo nostro subter jussimus sigillari.

Signum Caroli, glorissimi regis. Hitherius cancellarius recognovi.

Data in mense Madio, anno primo regnante Carolo, gloriosissimo rege Francorum. Actum Murnaco.

(1) Quod inter parentheses hic legitur deest in transcripto Baluziano. In multis discordant ejusdem præcepti diversa exempla. Nec tamen notare tot varias lectiones operæ pretium duximus, cum eadem discordia sit inter edita.

II.

E Sammarthanis. 770.

Præceptum Caroli regis de Ecclesia Sancti Stephani.

Carolus, Dei gratia rex Francorum, vir inluster, omnibus degentibus, tam præsentibus quam futuris. Tunc nostra celsitudo fundamenta jus culminis corroborat, quando ad petitiones sacerdotum, ut servorum Dei, quod pro illorum quiete vel juvamine pertinet obaudimus, et hoc nobis ad mercedem vel stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus. Ideoque cognoscat magnitudo seu utilitas vestra, quod apostolicus vir Mauriolus, episcopus Andecavensis civitatis, de monasterio S. Stephani, quod sub B urbe ipsius civitatis prope murum constructum est, nobis suggessit qualiter antecessores nostri ipsum monasteriolum ad lumen ecclesiæ S. Mauricii concesserunt, et ut nos modo, per mercedis nostræ augmentum, tale beneficium ei concedere deberemus, ut in locella ipsius monasterii, in quibuscumque pagis vel territoriis libet ea videtur habere, nullus judex publicus, nec ad causas audiendas nec ad infrendas, nec freda exigenda, nec hostilitates vel mansiones aut paratas faciendas, nec ad ullas redibitiones requirendas, ingredi audeat; sed quod fisco a longo tempore fuit consuetudo ad exactandum, pro nostro augmento, sub emunitatis nomine, in luminaribus S. Mauricii gloriosi martyris con- C cedere deberemus; quod ita et fecimus. Quapropter per præsentem præceptionem decernimus et omnino jubemus, ut nec vos, nec juniores vestri, nec successores eorum, nec quislibet de partibus judicum fisci nostri, in quibuslibet pagis ac territoriis ipsa cella S. Stephani locella tenere videtur, sicut superius diximus, nec ad infrendas vel freda exigenda, nec ad hostilitates aut mansiones vel paratas faciendas, nec ad ullas redibitiones requirendas, nec ad juniores suos exactare nec offerre penitus non requirant, nisi, ut diximus, pro mercedis nostræ augmento, in luminaribus ipsius Mauricii, sub emunitatis nomine, ubi ipse Mauriolus episcopus custos esse D videtur, ei proficiat in augmentum; et ut hæc præceptio firmior habeatur et melius per tempora observetur, manus propriæ subscriptionibus subter eam decrevimus roborare.

Signum Caroli, gloriosissimi regis. Hitberius recognovit.

Data mense Martio, anno secundo regni nostri. Actum Haristalio, palatio publico, feliciter. Amen.

III.

E schedis D. Housseau.

Exemplar Pippini de firma restitutione decimarum S. Mauricii.

Pippinus, ordinante divinæ majestatis gratia, Aquitanorum rex. Si justis fidelium nostrorum E petitionibus quas nostris patefecerint auribus libenter annuimus, easque ad effectum usque perducere satagimus, hoc procul dubio ad mercedis nostræ augmentum regniquestabilitatem pertinere non diffidimus. Idcirco notum sit omnibus comitibus, vassis nostris, vice-comitibus, vicariis, centenariis, cunctisque ex sancti ac præcipui martyris Mauricii Andecavensis rebus beneficia possidentibus, quia quidam fidelium nostrorum

Dodo, prædictæ urbis futurus antistes, intimavit celsitudini nostræ, quod res præ memoratæ ecclesiæ juri pertinentes, suisque prædecessoribus olim concessæ, a quibusdam fidelium nostrorum abstrahi videantur illicita præsumptione, videlicet nonæ et decimæ quæ ecclesiæ suæ, scilicet S. Mauricii, martyris egregii, debitæ sunt, obvenire quadam vestra retineantur infestatione. Idcirco, per hos admonitionis atque restaurationis apices obnixe sancimus, atque universis ex prædictis præscripti S. Mauricii rebus beneficium habentibus, generaliter, sub verbi nostri mancipatione, injungimus, ut de universis rebus, quæ sub nomine S. Mauricii titulantur, a vobis beneficialiter consecutis, tam ex actionibus eorumdem beneficiorum quam ex collaboribus, excepto Ostisensi, supra taxatæ casæ Dei rectori suisque successoribus, nullus abhinc posteaque vestrum retinere nonam et decimam præsumat, quatinus ad supra scripti S. Mauricii dignitatem, nec non et sibi ministrantium usus proficiant ad augmentum, ut super hoc et dignam a Deo recipere mereamur gratiam, et metuendum a nobis summopere amputetur periculum; unde et præsentem auctoritatem fieri decernentes, denuo confirmantes atque sancientes, jubemus ut is restaurationis celsitudinis nostræ titulus in nullo modo a vobis præsumatur violari, sed, ut præmissum est, modis omnibus non abnegetur impleri. Et ut hæc præceptionis immo et confirmationis nostræ auctoritas firmior habeatur, et cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus nostrisque melius credatur, et per cuncta annorum curricula diligentius conservetur, annuli nostri impressione subter eam jussimus sigillari.

Signum Pippini, gloriosissimi regis. Isaac clericus, ad vicem Dodonis, recognovit.

Data III cal. Martii, indictione I, anno Christi propitio XXIII regnante domno Hludovico, serenissimo Augusto, et XXII regni nostri. Actum S. Hilarii monasterio, in Dei nomine, feliciter. Amen.

IV.

E schedis Andreæ Quercetani (1). 851.

Commutatio arearum inter Dodonem episcopum et Odonem comitem.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Carolus, Dei gratia rex. Notum esse volumus cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, præsentibus et futuris, quia Dodo, venerabilis Audegavorum episcopus, et Odo illustris comes, ad nostram accedentes sublimitatem, innotuerunt qualiter inter se quasdam terras pro communis utilitatis compendio commutassent. Dedit itaque præfatus Dodo episcopus antedicto Odoni comiti, ex rebus matris ecclesiæ S. Mauricii, æquis mensuris finibusque determinatam paginam terræ juxta murum civitatis Andegavensis, in qua opportunitas jam dicti comitis mansuræ sedis suorumque successorum esse cognoscitur. Et econtra, in compensatione hujus rei, dedit idem Odo comes, et ex comitatu suo, terram S. Mauricio æquis mensuris similiter finibusque determinatam, prænominato Dodoni episcopo successoribusque suis habendam, in qua comitum prædecessorum suorum sedes fuisse memoratur. Unde et duas commutationes inter se æquo tenore conscriptas et legaliter roboratas ad relegendum nobis ostendentes, petierunt ut eas auctoritatis nostræ præcepto confirmare dignaremur. Quorum petitionibus libenter assensum præbentes, hoc altitudinis nostræ scriptum fieri jussimus, per quod præcipimus atque firmamus ut quidquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti, sicut in memoratis commutationibus continetur, jure firmissimo teneat atque possideat, et quidquid exinde facere voluerit libero in omnibus potiatur arbitrio. Et ut meæ confirmationis auctoritas inviolabilis perseveret, de anulo nostro subter eam jussimus sigillari.

Signum Caroli, gloriosissimi regis.

Bartholomæus notarius ad vicem Hludovici recognovit.

Data V nonas Julii, anno XI regnante Carolo gloriosissimo rege, indict. XIV (1). Actum in loco qui dicitur Lirinus, in nomine Dei feliciter. Amen.

V.

E schedis Baluzianis. 871.

Dat Carolus Calvus villam Contaniacum ecclesiæ S. Licinii.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Carolus, gratia Dei rex. Quidquid ob amorem cœlestis remunerationis agimus, procul dubio Dominum nobis exinde placabiliorem et remuneratorem tam hic quam in futuro nullatenus ambigimus. Quocirca noverit fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentium scilicet ac futurorum, solertia, quoniam Waraco, venerabilis abbas et nobis dilectus fidelis monasterii S. Joannis Baptistæ et S. Licinii, confessoris Christi, ad nostram accedens excellentiam, humiliter deprecatus est ut Contaniacum villam ex dominicatu ejusdem potestatis, sitam in pago Andegavensi, cum capella et cum mancipiis, cumque omnibus rebus ad se pertinentibus, sive jure respicientibus, fratribus ejusdem monasterii ad mensam suam, pro salute nostra et nostræ conjugis et prolis etiam et ipsius animæ remedio, per testamentum regiæ auctoritatis nostræ æternaliter concedentes confirmaremus. Cujus petitionibus faventes, hoc præceptum nostræ auctoritatis fieri et eisdem fratribus dari jussimus; per quod, prout jam dictus abbas petierat, præcipimus atque jubemus ut præscriptam villam et capellam, cum mancipiis et rebus omnibus ad se jure pertinentibus, sive respicientibus, jam prænominati fratres sine ulla futuri abbatis contradictione, cum omni integritate et plenitudine, ad suam propriam mensam æternaliter possideant et habeant. Quodque ut certius credatur et inviolabiliter per æterna tempora observetur, annulo nostro subter sigillari jussimus, et manu propria subterfirmavimus.

Data idus Februarii, indictione VI, anno XXXIV regnante Carolo gloriosissimo rege, et in successionem regni Hlotharii regis anno quinto.

Signum Caroli, gloriosissimi regis.

Garinus notarius, ad vicem Gosleni, recognovit.

Actum S. Quintini monasterio, in Dei nomine feliciter. Amen.

VI.

E chartulario S. Albini. 972

Nefingus Albinianæ congregationis privilegia confirmat.

In Dei, Domini nostri, nomine, ego Nefingus, Andegavensis ecclesiæ indignus sacerdos, cunctis orthodoxis fidelibus Deum timere ac diligere et sanctos ejus honorare. Quoniam lectione sacra-

(1) And. Quercetani Collectan., in Maxima Parisior. Biblioth., t. XVII fol. 105.

(1) Regnum Carolus Calvus 20 Junii 840 auspicabatur. Hæc ego charta duceretur rectius ad annum 850, si cum eo quadraret indictionis annus.

rum scripturarum satis instruimur quo vel quali modo vivere debeamus, oportet nos præceptis vitæ bona agendo aurem præbere, caritatemque, quod est vinculum perfectionis, et humilitatem, qua omne opus bonum conservatur et crescit, nobis assumere : quod profecto facimus, si sanctos Dei honorantes, ipsos nobis apud Deum advocatos et intercessores faciamus. Sciant igitur successores nostri ecclesiam S. Albini, quæ a S. Germano, Parisiorum episcopo, voluntate et imperio Childeberti regis ante portam Andegavensis urbis, versus Orientem, fundata est, quædam privilegia ex antiquitate præ cæteris Andegavensibus ecclesiis, utpote regalem abbatiam, obtinuisse; est namque una ex regalibus abbatiis. Adierunt ergo humilitatis nostræ præsentiam domnus Gauffridus, fortissimus comes, et Authertus abbas ejusdem ecclesiæ, satis simpliciter postulantes ut privilegia, quæ ex antiquo a canonicis ejusdem ecclesiæ fuerant obtenta, fratribus quoque nunc Deo ibidem regulariter servientibus nostra auctoritate cederemus atque firmaremus : quod nos ordinem sanctum attollere volentes, libentissime fecimus. Sunt autem ipsa privilegia : epistola scilicet et evangelium in ordinibus nostris, si ex eadem ecclesia fratres affuerint ordinandi; evangelium in Ramis Palmarum, absolutio in Parasceve, et statio nostra feria secunda Paschæ; immunitas, ne pro aliqua re vel infractura intermittatur aliquando divinum officium in eadem ecclesia, nisi forte in toto episcopatu nostro cessetur; obsequia, si ad alicujus defuncti sepulturam in aliqua ecclesiarum invitati fuerint, ita ut, in nostra ecclesia, mei obsequium agere, secundum responsorium fratrum prædictæ ecclesiæ sit; me vero absente, abbatis S. Albini obsequium sit, cantorisque sui initiare; quod si abbas defuerit, decani nostri; decano vero absente, prioris, vel decani S. Albini erit obsequium, cantorisque sui initium : nobis quoque in ecclesia S. Albini obsequia agentibus, cantori ejusdem promittimus suum officium. Suburbanæ reliquæ ecclesiæ B. Albini privilegio cedant. Consecrationem quoque episcoporum in hac urbe ordinatorum per morem antiquum sibi ecclesia ipsa vindicet. Hæc igitur omnia, sicut antiquitus eadem ecclesia tenuit, nos ipsi concedimus et propria manu ut durabile sit firmamus, manibus quoque Gaufredi comitis et fratrum nostrorum clericorum ac nobilium laicorum firmanda tradimus. S. Nefingi, episcopi; S. Gaufridi, comitis; S. Rotgerius; S. Adtilinus; S. Varnerius; S. Arnulfus; S. Armericus; S. Arnulfus; S. Waltherius; S. Heldemanus; S. Gauzfredus; S. Warinus; S. Odo; S. Bernerius; S. Ubertus; S. Willelmus; S. Albertus; S. Joseph; S. Edom; S Burchardus; S. Alveus; S Frotmundus; S. Fulchredus; S. Odo; S. Withardus; S. Cadetus; S. Gandelbertus.

Si vero aliquis tergiversator præfata privilegia eidem ecclesiæ auferre aliquando tentaverit, in primis in iram Dei omnipotentis incedat, et sanctæ ac gloriosæ Dei genitricis Mariæ et omnium agminum cœlestium omniumque sanctorum et electorum Dei damnationi subjaceat, et in maledictionibus morboque elefantino intereat, et cum Dathan et Abiron e terra vivus absorbeatur in infernum, et ejus pars et consortium cum diabolo fiat, et cum cunctis spurcissimis et invalidis deputetur, et omnium, naribus sit in fœtore, et in improperium omnium hominum, et corruat in conspectu omnium, vivusque non quiescat, et ejus anima requiem non inveniat, quicumque præfata privilegia eidem ecclesiæ abstulerit. Actum Andecavis civitate, publice, pridie cal Martii, anno Lotharii regni XVIII.

VII.

Præceptum Odonis de fundatione Burguliensis cœnobii. *F. Sammarthanus.* 991.

Quamdiu mortali carne circumdati in hac convalle lacrymarum degemus, potestate liberi arbitrii fruimur, et abundant in nobis deliciæ rerum temporalium, opesque comitantur terrenarum divitiarum, non tanquam mali servi eis abuti debemus in superbiam. Sed quia pulvis et cinis sumus reminiscentes, et in pulverem ac cinerem nos reversuros scientes, creaturarum omnium opifici, humani quoque generis redemptori, de iis quæ ipse clementi manu condonavit offerre debemus temporalia, ut ab ipso in cœlesti gloria percipere mereamur sine fine manentia. Quapropter ego in Dei nomine Odo comes, perpendens criminum meorum sarcinam, et ultimum valdeque formidandum judicii diem, in quo est unusquisque de propriis factis rationem redditurus, et prout gessit bonum, sive malum, ibidem judicaturus, notum, imo et percognitum fore cupio cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus scilicet ac futuris, præcipueque successoribus nostris, quoniam adiit præsentiam nostram Domino digna, mihique totis viribus dilectissima soror mea Emma, Pictaviensis comitissa, una cum venerabili abbate Gauberto cœnobii Turonensis martyris Juliani, obnixe postulantes quatenus in quadam curti vocabulo Burguliensi, quam olim jam dictæ sorori meæ genitor utriusque nostrûm bonæ memoriæ comes Theobaldus dotis nomine concesserat, liceret illis cum nostra voluntate et auctoritate construere monasterium, ob amorem Dei omnipotentis sanctorumque omnium, nec non animarum nostrarum remissionem (1). Quorum petitionem ratam et convenientem, utpote a Deo sibi illatam, benigne pertractans, digno affectu menteque devota assensum præbui. Concessi igitur dulcissimæ sorori meæ Emmæ, pariter carissimo abbati Gauberto, nobismet propinquitatis consanguineitate juncto, ad monasterium inibi construendum prælibatam curtim Burguliensem, cum omnium adjacentiis et utilitatibus ad ipsam pertinentibus, mobilibus et immobilibus, perviis et exitibus, terris cultis et incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, farinariis, et mancipiis utriusque sexus desuper commanentibus, et quidquid quæsitum vel adquirendum, cum tota vicaria ad ipsam curiam vel potestatem pertinente. Hæc omnia trado et transfundo in jus et dominationem sanctæ et individuæ Trinitatis, perpetuæque Virginis Mariæ, et sanctorum apostolorum principis Petri, et ad usus monachorum in Burguliensi cœnobio degentium, absque ulla contradictione, vel diminutione, ea scilicet ratione ut in præfato loco ad justum judicem pro nobis et pro omnium parentum nostrorum tam vivorum quam etiam defunctorum salute, et peccatorum remissione, assidua fiat oratio. Quin etiam omnimodis volumus atque decernimus, quatenus cujuslibet sæcularis dignitatis persona, in omni illo loco, vel monasterii ipsius potestate, nullam dominationem, vel malam consuetudinem exercere audeat, sed liceat quiete et regulariter eisdem monachis piissimi Redemptoris, clavigeri quoque ipsius Petri, absque ulla inquietudine agere perpetuum servitium. Quod si abbatis ejus cœnobii, quod præteriri non potest, obitus exstiterit, non quilibet, quod absit, pecuniæ ordinetur causa, sed, secundum patris Benedicti præce-

(1) Sic apographum quod servavit *de Gaignieres*. « Nec non animarum nostrarum remissione cunctorumque parentum nostrorum salute et peccatorum remissione. »

ptum, talis qui aptus sit ad lucrandas animas electione fratrum bonorumque Christianorum constituatur. Hoc autem bonæ voluntatis nostræ votum perducere gestientes ad effectum, precamur successorum vel fidelium nostrorum clementiam, ut, quemadmodum ipsi statuta volunt manere intacta, sic et hanc auctoritatem per succedentia tempora sinant perdurare inviolata. Si vero quilibet ex hæredibus vel successoribus nostris, sive aliqua intromissa persona*, quæ contra hæc benignitatis nostræ scripta aliquam repetitionem vel calumniam generare præsumpserit, imprimis iram omnipotentis Dei et sanctorum omnium incurrat, suaque repetitio nullum vigorem obtineat; insuper, nisi resipuerit, cum Nerone et Diocletiano, similiterque apostata Juliano, et eorum sequacibus martyrum persecutoribus, æternis gehennæ incendiis societur. Præsens autem auctoritas manu propria, sub signo sanctæ crucis, manibusque fidelium nostrorum roborata, perpetualiter maneat firma et inconvulsa. Signum comitis Odonis, qui hanc auctoritatem fecit; S. Rogerii, comitis; S. Manassæ, comitis; S. Geoffridi, militis; S. Rotberti; S. Hugonis, vice-comitis; S. Alonis, fratris ejus; S. Alberti, etc., etc. (1).

* *Suppl.* extiterit.

Data est hæc auctoritas ad obsidionem castelli Langiacensis, pridie idus Februarii, anno incarnat. Domini 994 (2), ind. VIII, regnante Hugone, piissimo rege, anno VIII.

VIII.

E chartular. Gailcienci (3). 1068-1082.

Confirmantur S. Albino ecclesiæ Duristalli.

Quando Fulco comes, nepos Gaufridi comitis, Rainaldum de Malo Leprario de Duristallo ejecit, et Roberto Burgundo et Marcoardo de Dalmeriaco Duristallum reddidit, et, cum illum ejecisset, istos secum in castrum invexit, affuit forte abbas Otbrannus, et de ejus monachis et famulis aliquanti. Cum autem locutio prima inter abbatem et comitem de illius castri recenti transmutatione fieret, adjecit abbas, propter quod non casu sed ex industria sic repente eos subsecutus erat, dicens : « Domine comes, modo misericordia Dei adestis, ac dominus noster Robertus et dominus Marcoardus, quibus hoc castrum et hujus castri honorem, quod nobis non displicet, non immerito reddidistis : quomodo erit modo de rebus nostris, quas hic per comitem Gaufridum avunculum vestrum et episcopum Andecavensem et uxorem Hucberti de Campania Agnetem, hujus castri tunc dominam, et per filios suos partim dono, partim pretio, hic adquisivimus? » Quod cum audisset comes, conversus ad dominum Robertum, dixit ei : « Audistis, domine Roberte, quid dicat dominus abbas. Quomodo erit modo de rebus suis, quas hic, sicut audivimus, hucusque auctorabiliter tenuerunt? » Respondit dominus Robertus : « Quomodo, domine, nisi sicut rectum est, et sicut vos vultis. De mea parte libenter concedo, pro vestro amore, qui mihi rectum meum reddidistis, ut secure teneant sicut tenuerunt. »

A Locutus est item comes ad Marcoardum : « Et de vestra parte, domine Marcoarde, quomodo erit? » Tunc interjecit dominus Robertus, et ait : « Domine Marcoarde, dicam vobis quomodo faciatis. Accipite beneficium loci S. Albini animæ vestræ et parentum vestrorum, et concedite libenter ut teneant monachi sicut tenuerunt, pro amore Dei et S. Albini et domini nostri comitis. » Et adjecit comes : « Et vos, domine abbas, date ei aliquam rem, ut libenter auctoriset quidquid de suo jure habere videmini. » Quod cum abbas se facturum respondisset, auctoravit libenter Marcoardus, sicut de sua parte auctoraverat Robertus Burgundus, ut tenerent monachi semper sicut tenuerant, solide et quiete, B quidquid apud Duristallum, vel in curte de Guilcio, adquisierant dono vel emptione. Pro hoc auctoramento habuit Robertus C. solidos de denariis Andecavinis veteribus, quæ fuit redemptio duarum capparum S. Macuti de Pallio, quas monachi habebant in gadimonio, et Marcoardus VIII libras denariorum novorum. Auditores hujus rei, Petrus Ticio; Gaufridus, filius Fulchradi.

IX.

Eligitur Richildis abbatissa Roncereii.

E schedis Andreæ Quercetani. 1073.

C Certum est omnibus qui fundamenta catholicæ puritatis noverunt totius Ecclesiæ stabilitatem in pace Christi consistere, et signum discipulatus ejus in vera dilectione. Quare nos devotæ Deo sorores, in cœnobio beatæ Dei genitricis Mariæ apud Andecavum constitutæ, quæ quidem vinculum pacis et signaculum christianæ disciplinæ cum dilectione per unitatem cordis possidere cupimus, ut ad salutem animarum nostrarum pertingere possimus, elegimus nobis in abbatissam, Domini prosperante clementia, sororem quamdam morum probitate ornatam, nomine Richildim. Quam certe vice Christi matrem nobis præesse et patronam ordinari cupimus, et postulamus, ut in definitione illius sententiarum nostrarum et noxiorum schismatum varietas in concordia unani-D mitatis directa, diversa non sentiat, non moliatur contraria, non a doctrina Christi et sancti ordinis disciplina devians in contentionis et inobedientiæ præcipitium corruat, sed potius cum mansuetudine jugum Christi leve et suave sustinens, ad salvationis æternæ requiem pervenire contendat. Facta est autem electio ista annuente comite Fulcone, sub cujus ditione locus iste consistit, a quo etiam dono rerum temporalium ad idem monasterium pertinentium suscepta; præsentata est deinde Eusebio, venerabili patri, Andecavensis urbis episcopo, ab benedictionis suscipiendum mysterium; ut cui comes exterius tradiderat auctoritate sua dominium, episcopus E quoque debita benedictione consecrans ex more ecclesiastico curam committeret animarum.

Signum Fulconis comitis.

S. domini Eusebii præsulis.

Theophania decana, Adela, Letgardis, Eugela, Milesindis, Aremburgis, Hadvidis, Belvidis, Jaquelina, Agnes, Umberga, Hildeardis, Lucia, Elisabeth, Hersindis, Adelandis, Eusebia, Petronilla, Maria, Martha, Guiburgis, Hildeburgis, Anna, Theophania, Aremburgis.

Actum Andeg. civitate, VIII cal. Julii, in vigilia S. Joannis-Baptistæ, anno incarnat. Dominicæ MLXXIII, regnante Philippo, Francorum rege, anno XIV.

Domnolus notarius ad vicem Rainaldi levitæ rogatus scripsi, in Dei nomine feliciter, Amen.

(1) Hæ sunt subscriptiones quas *de Gaignières* tradidit : « S. Rotgerii, militis; S. Rotberti; S. item Rotberti; S. Hugonis, vice-comitis; S. Alonis, fratris ejus; S. Alberti; S. Gelduini; S. Rotrodi; S. Arvei; S. Erizoni; S. Amalrici; S. Aefredi, fratris ejus; S. Mainerii; S. Balduini, clerici; S. Gualchisi, clerici; S. Umbaldi; S. Geloni; S. Arberti; S. Ansel; S. Gualterii; S. Hucberti; S. Sanctioni; S. Batherii; S. Teduini; S. Wicherii; S. Adelardi; S. Warneria; S. Aymerici; S. Gozfredi; S. Auramni. »

(2) Alibi legere licet : « Anno incarnat. Dom. 996, ind. IX, regnante Hugone ann. VIII. » Indictionis annus octavus et octavus regnantis Hugonis in annum Christi 995 conveniunt. Apud Labbæum melius : « Pridie id. Februarii MCCCCXCI, indict. IV, regnante Hugone, piissimo rege, anno IIII. »

(3) Inter latinos Regis codices; sub num. 5447.

X.

E Sammarthanis. 1096.

Charta fundationis B. Mariæ de Rota.

Dum divina pietas quotidie nos admonet, dicens : *Date eleemosynam et omnia munda sunt vobis; facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum vos defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula*, idcirco ego Ragiualdus, Roberti Burgundionis filius, pro Dei omnipotentis amore et retributione animæ meæ, ut pius Dominus eripere me dignetur a perpetua morte, et pro anima patris ac matris, necnon et uxoris meæ, quoddam boscum meum Credonensi castro proximum, ad ædificandum ibi ecclesiam beatæ et gloriosæ Virgini Mariæ, de jure meo in jus canonicorum sub B. Augustini regula in eadem ecclesia degentium perpetuo transfundo, ita solidum quod a consuetudinibus omnibus exceptum, qualiter a Fulcone Andegavensi comite juniore solitum et quietum illud usque in præsentem diem tenui et teneo, ea si quidem conditione ut nullus alius ordo intra præfatam ecclesiam, aut in præsenti, aut in futuro, præter canonicorum canonice illic habitantium admittatur. Ut autem hoc donum meum inviolabilem obtineat firmitatem, notum facio præsentibus et posteris meis hanc investitionem Andegavis factam esse supradictæ ecclesiæ et ejusdem loci fratribus in camera et in domini Gaufridi episcopi præsentia, videntibus et concedentibus Mauricio et Henrico, et Roberto filiis meis; et ut hæc donatio rata et inviolabilis perpetuo subsistat, manu propria subter scripsi. Data Andegavis, III idus Februarii, in crastino dedicationis basilicæ S. Nicolai. In nomine Domini ego Hugo, Lugdunensis archiepiscopus, subscripsi. Sign. Raginaldi Credonensis. Ego Gaufridus, Andegavorum episcopus, rogatus concessi. Sign. Amati : ego Amatus, Dei gratia Burdegalensis archiepiscopus et S. Rom. Eccl. legatus, laudo et confirmo. Sign. Ivonis, Carnotensis episcopi. Sign. Huelli, Cenomanensis ecclesiæ episcopi. Ego Galterus, gratia Dei Albanensis ecclesiæ episcopus, subscripsi. Sign. Garnerii archidiaconi.

XI.

E variis schedis (1). 1097.

Ademarus, Engolismensis episcopus, dat Burguliensibus ecclesiam S. Martialis.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Ademarus, gratia Dei Engolismensis ecclesiæ præsul, licet indignus, notum fieri volo tam futuris quam præsentibus, ad quorum videlicet notitiam res ista pertinere videbitur, quoniam ecclesiam S. Martialis quæ prope muros Engolismæ est, ante portam scilicet ejusdem civitatis, monasterio S. Petri Burguliensis et ecclesiæ S. Mariæ Belli Loci quæ intra muros est, et S. Euparchii de Souett, et de Raciaco in dicta parochia, quas etiam antea loco Burguliensi concesseramus, præsenti testamento concessimus, et de jure nostro in jus et dominationem Burguliensis ecclesiæ transfudimus, assensu et benevolentia capituli nostri. Erat autem ipsa ecclesia ab antiquis temporibus ab ecclesia nostra alienata, et a laicalibus personis diutius possessa, et jam quasi in proprium redacta. Hanc igitur consilio et auxilio Dei a tyrannicis manibus eductam et a Petro Baldranni, vel a cæteris qui eam se a me tenere dicebant, quietatam per manum Baldrici abbatis loco Burguliensi, sicut supra dictum est, salva sanctæ matris ecclesiæ nostræ reverentia tradidimus.

(1) Scilicet e chartulario Burgulii quod *de Gaignieres* servavit, et e codice Sangermanensi, sub numero 1065, p. 220.

Et ne a successoribus nostris hæc nostra legalis descriptio sub obtentu et occasione emeliorationis violetur, vel ad damnum et calumniam fratrum Burguliensium denuntietur, excommunicationis nostræ auctoritate firmavimus. Concessimus etiam prælibatis monachis, ut quæcumque per diuturnam possessionem ab ecclesia ipsa videbantur alienata, vel in possessores quoslibet disperdita, quocumque tempore monachi acquirere potuerint, nostra præsenti auctoritate acquirant, acquisita possideant. Quæ vero illis viventibus minime monachi acquisierint, eorum post obitum nostra auctoritate ut monachi habeant firmamus. Ut vero hujus nostræ auctoritatis canonici nostri testes exsistant et tutores, monachi canonicis nostris, quamdiu vixero, in festivitate S. Martialis, x sol. persolvant. Post obitum vero nostrum, in die anniversaria obitus nostri illud idem faciant. Qui vero contra hæc ausu temerario contraire præsumpserit, gladio S. Petri feriatur et repetitio sua in nihilum redigatur, et quodcumque statuerit conquassetur.

Actum Engolismæ in capitulo S. Petri, anno ab Incarn. Domini nostri Jesus Christi MXCVII, indict. v, epacta IIII, regnante Philippo Francorum rege et Willelmo *Tallefer* Engolismensi comite, Urbano S. R. E. summo Pontifice, anno quo pene tota Christianitas in Paganos conspiraverat, et magna pars propter Hierusalem contra eos dimicatum cucurrerat. S. Ademari, episcopi; S. archidiaconi Aichardi; S. cantoris Mainardi; S. thesaurarii Arnaldi; S. porta. Arnaldi; S. Willelmi Boca; S. Archembaldi Iterii; S. *Gaschet* Giraldi; S. Bernonis; S. *Fossat* Bernardi; S. Bernardi Giraula; S. Iterii *Foissard;* S. Andoini *Tinart;* S. Petri *Jornac;* S. Petri *Bevect;* S. Petri Goscel.; S. Jordani Goscelini.

XII.

E archiv. Andegavens. 1106.

Concordia inter monachos S. Albini et Radulfum Toard.

Anno ab incarnatione Domini 1106, indictione XIV, surrexit Radulphus *Toard* et apposuit adhuc inquietare monachos S. Albini. Dicebat enim quod consuetudinem de sua procuratione et hominum suorum, quam a monachis, cum Andegavis veniret, ter aut quater in anno exigere solebat, in manu Girardi abbatis tum defuncti ea conditione dimiserat ut in vita sua hoc sibi in duplum fieret; dicebat etiam quod consuetudinem quam olim in mansionibus de Brionio repetebat, ut lugiæ suæ et cuppæ semper ibi essent, tempore ejusdem Girardi abbatis ea retentione dimiserat ut in vita sua ibi eas haberet. Addebat etiam quod pro adquitatione terræ quam juxta Balgiacum sitam monachi et pro concordia dederant centum solidos posuerat. His atque aliis de causis Archembaldum abbatem et monachos S. Albini vehementer urgere cœpit et vexare; sed tandem, saniore usus consilio, omnes omnino querelas, quas usque ad eam diem erga eos habuerat, condonavit. Dies autem erat VII cal. Sept. anni supradicti. Concessit etiam ut si aliquis de littera supradicta querelam aliquam ipse aut quilibet alius cum monachis habuerit, in curiam eorum Andegavis, sicut justum est, justitiam et judicium accepturus veniat. Actum est Balgiaco, et interfuerunt de monachis, Archembaldus abbas, Brientius prior, Helmannus, Widdo de Matefelone, Frotmundus de Viriaco, Stephanus Genitrix, Arnulfus; de clericis, Hucdebertus de Balge archidiaconus, Rainaldus presbyter, Arnulfus Crassus de Allodiis; de laicis, ex parte monachorum,

Fulco de Matefelone, et quidam miles ejus nomine Borellus, Rainaldus Hocsale; de famulis, Robertus de Tremici.

XIII.

E schedis Andreæ Quercetani 1108.

Notitia de ecclesia Omnium Sanctorum.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Rainaldus, Dei gratia Andegavorum episcopus, necnon universus S. Mauricii clerus, cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus tam futuris quam præsentibus, sanum duximus notificare, quoniam, a temporibus antecessoris mei Huberti, eumdem Hubertum ejusdemque conventum frequentissime assidentem adiit Girardus, eorum concanonicus, sacerdos quoque et præcentor, humillime efflagitans quatenus locum sepulturæ omnibus Christi fidelibus expositum, utpote tanti boni participes ei concederent, ubi oratorium in honore Omnium Sanctorum Dei a novo ædificaret; in quo presbyter ad hoc adtitularetur, ut de pauperibus visitandis et sepeliendis, ubicumque esset necessitas et ipse satisfacere posset, et curaret; missas quoque pro ipsis et omnium Christi defunctorum animabus assidue decantaret, ea videlicet conditione ut illius eleemosynæ dispositio, cum omnibus ad eam dedicatis, et dedicandis, in jus et dominationem canonicorum S. Mauricii per omnes successores cederet. Huic tam piæ et tam justæ petitioni qui rogabantur non resistentes, affectuosa unanimitate rogata concesserunt; ita ut communi canonicorum S. Mauricii decreto probatæ vitæ fratres eligerentur, qui eadem bona omnia integre et sancte ad eleemosynam providerent et custodirent. Non longo post tempore, domno Eusebio venerabilis memoriæ episcopo, jam dicti Huberti successori, et præfato Girardo atque canonicis S. Mauricii, quibus memorata ecclesia, ut supra dictum est, erat tradita, placuit quatenus ecclesia ipsa Vindocinensibus monachis tribueretur, qui ibi manerent et res pauperibus deputatas, sicut prius a Girardo cantore decretum fuerat, fideliter procurarent. Hanc itaque ecclesiam cum diu monachi Vindocinenses inhabitassent, et ecclesiam S. Trinitatis quæ huic ecclesiæ vicina esse dignoscitur, a novo fabricassent, abbas Vindocinensis, Odricus nomine, in capitulum S. Mauricii cum quibusdam de fratribus suis venit, et ibi domino Eusebio episcopo et canonicis residentibus ecclesiam de qua loquimur, nullo cogente, sed spontanea voluntate, dimisit. Multa quæ in prædicta Omnium Sanctorum ecclesia postea acta sunt reticemus, quoniam ad hoc quod magis utile nobis videtur festinamus. Hæc igitur cum ad nos fama et scripto pervenissent, rem juxta hoc quod dispositum fuerat non satis bene se habentem conspicientes, vel aliquid amplitudinis ei suppeditare cupientes, ibidem canonicos regulares collocare disposuimus, qui divino officio invigilarent, pauperes infirmos visitarent, et mortuos sepelirent. Huic nostræ sententiæ Geoffridus, tunc temporis Vindocinensis monasterii abbas, et monachi ejusdem loci cum eo resistentes, et ecclesiam unde agitur sui juris esse dicentes, nostrum propositum calumniando distrahebant, unanimiter asserentes dimissionem, quam prædictus eorum abbas Odricus fecerat, absque consensu capituli sui et voluntate factam fuisse. Sed tamen, Deo disponente, calumniam suam communi nutu et assensu tam nostri capituli quam sui finierunt, hoc tantum retinentes, ut si forte contigerit quod per nos vel successores nostros in ecclesia ipsa canonici S. Mauricii per seipsos in eleemosynam ipsam, sicut in primis a sæpe dicto Girardo dispositum exstitit, dispensare voluerint, nunquam aliis clericis, nunquam aliis monachis eleemosyna ipsa, vel ecclesia, nisi monachis Vindocinensibus tradatur, quorum habitatio longe ante fuisse dignoscitur. Et nos auctoritate beatorum Petri et Pauli hoc scriptum confirmamus, et omnes huic nostræ confirmationi adversantes a liminibus sanctæ Ecclesiæ donec resipiscant separamus. Confirmatum est hoc scriptum a domino Rainaldo, venerabili Andegavensi episcopo, et ab omnibus canonicis suis, Guillelmo et Andrea, die videlicet S. Matthæi anno MCVIII, regnante Philippo rege Francorum. Iterum infra octo dies postea confirmatum est hoc scriptum a domino Geoffrido abbate Vindocinensi in capitulo suo, et ab omnibus monachis suis concessum duobus canonicis regularibus Omnium Sanctorum, Rualdo et Rainaldo præsentibus.

XIV.

Ex apographo (1). 1133.

Asneriarum monachis a se data Giraudus recenset.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Giraudus, Mosterolii Dominus, omnibus præsentem chartulam suspicientibus notum facio quod ego, pro redemptione animæ meæ, omniumque prædecessorum meorum salute, cum assensu et voluntate dilectæ uxoris meæ, Ada nomine, dedi in eleemosynam Deo et B. Mariæ de Anneriis et monachis *de Tyron*, ibidem Deo servientibus, in fundatione ejusdem ecclesiæ, sex masuras terræ, et juxta S. Dionysium quamdam modiationem terræ et prata *de Monravel*, quæ ibi habebam, et totam terram quam habebam a bosco *Broçai*, juxta viam quæ venit de Mosterolio per domum Guidonis, filii Laurentii, usque ad viam quæ Romesia vocatur, et sicut vadit eadem via Romesia usque ad pratum S. Mauricii, mihique temporalia servitii et dominii, mihi vel hæredibus meis, in prædicta eleemosyna retinui, scilicet quidquid juris et dominii in prædictis terris et pratis jure hæreditario possidebam, eidem ecclesiæ Annериensi et monachis ibidem Deo famulantibus in puram et perpetuam eleemosynam possidendum concessi: dedi insuper præfatæ ecclesiæ Anneriensi in bosco meo *de Broçai* quotidie tres summas quercus, nec non quorumcunque hominum meorum de terris et possessionibus suis ecclesiæ supradictæ aliquid dare vel vendere voluerit, salvo capite feodi monachis ibidem manentibus, sine aliqua hæredum meorum contradictione, habendum concessi. Dedi etiam jam dictæ ecclesiæ Anneriensi terram meam de Genio, quæ Espera vocatur, cum omni dominio quod in ea habebam, et nuces, et insulam quæ est communis cum Saraceno: præterea dedi in eleemosynam jam dictæ Dei genitricis ecclesiæ et monachis ibidem Domino servientibus molendina mea *de Braum*, cum piscationibus, et pratum quod ibi habebam, et vineas de Thormenio et quartos vinearum *de Montfort*, illarum scilicet quæ sunt a Plancheis usque ad Bonum Boissum, et vineas de Orfumba, quas uxor mea emerat ab Audeberto, Odonis filio, et census meos de Genis, et quamdam terram quæ est juxta viam quæ ducit de fossis Mosterolii, et costumam vinearum Benedicti presbyteri, et quidquid juris et dominii possidebam in furno quem supradicta ecclesia Anneriensis apud Mosterolium possidet; dedi præterea supradictæ ecclesiæ Anneriensi et monachis ejusdem loci in eleemosynam buxum, bryam, et myricam, et ulmum, et codrum, et spinam, et omnes frondes quercuum *de Broçai*

(1) In Sangerm. cod. 1065.

sumendas perpetuo, ad usus eorum, et de bosco Brignum octo quadrigas oneratas quando voluerint uno quoque anno, et in eodem bosco pascua jumentis et pecoribus et porcis suis, præter partem quam dedi monachis abbatiæ in proprium. Illud etiam prælibatis advertendum duxi, quod, defuncta Agnete, filia mea, tam pro mea quam jam dictæ Agnetis, filiæ meæ, salute, dedi in eleemosynam totis monachis et dictæ ecclesiæ Anneriensi fumagium quod habebam in curia de Sizeio; dedi insuper supradictæ ecclesiæ et monachis supradictis universum dominium quod habebam in terris quas Guido, filius Laurentii, et Haymericus Solem et Berlayus *de Maye*, cum assensu et voluntate mea, jam dictæ ecclesiæ donaverant. Hæc dona et hanc eleemosynam concesserunt filii et filiæ meæ Berlaius, Giraudus, Radulfus, Agnes et Amelina; huic eleemosynæ interfuerunt et testes sunt Gaufridus archiepiscopus Burdigalensis, Ulgerus episcopus Andegavensis, Normannus archidiaconus, Mennerius sacerdos, Gaufridus comes Andegavensis, qui hanc eleemosynam voluit et concessit, Haymericus de Dac, Guillelmus de Montesorelli, Guillelmus *de Myrebeau*, Simon *de Chastellum*, Haymericus *Galoi*, Girardus de Artennis, Guarterius cubicularius, Raymundus *de Montfort*, et plures alii. Ut enim hæc eleemosyna futuris temporibus magis firma et integra perseveret, ad majus robur obtinendum, præsenti chartulæ sigilli mei munimen apposui. Actum anno Incarnat. Domin. 1133, regnante Ludovico Magnifico, rege Franciæ, tunc duce Aquitaniæ existente. S. Giraudi; S. Adæ, uxoris meæ; S. Berlaii, filii ejus; S. Giraudi; S. Radulfi; S. Agnetis; S. Amelinæ.

XV.

Ex apographo (1). 1134.

Charta fundationis abbatiæ Pontis Octranni.

Anno ab incarnatione Domini 1134, Innocentio II apostolicæ sedi præsidente, Ludovico autem Francorum rege regnante, Gaufredo vero, Fulconis regis Jerosolimitani filio, comite Andegavensi, primus abbas Pontis Octranni, nomine Fulco, electus est et promotus et in novellam abbatiam delegatus cum commisso sibi conventu; cujus abbatiæ, in territorio Andegavensi a parte Britanniæ sitæ, in parochia de Oratorio, primus cultor et fundator exstitit monachus quidam, Clemens nomine, qui in eo loco ab abbatia paululum remoto, qui primitus et nunc usque Pons Octranni dictus est, vitam eremiticam ducebat, quem locum idem Clemens a tribus viris nobilibus dono acceperat: Herberto scilicet de Oratorio, Saverico de Pocha, Isamberto de Landa, qui Isambertus in domo sua apud Segreium præfato Clementi inde fecit donationem. Hic denique Clemens, considerans et cogitans de quam parvo fonte, Cisterciensi scilicet monasteriolo, tot flumina emanaverint abbatiarum, visum est ei in eodem loco plures aggregare ad serviendum Deo omnipotenti. Cernens autem ipsius loculi angustiam ad construendam abbatiam non sufficere, duos alios circum manentes adiit viros Herbertum Rufum et Rainaldum de Pinelereia, rogans et accipiens ab eis terram ultra Verno non modicam, sed incultam et nemorosam, ad faciendam abbatiam.

Quorum virorum donationes a Josleno et Thoma, sub quorum dominio ipsa terra jacebat, confirmatæ simul; idem namque Joslenus, die Pentecostes, qua arma suscepit, ad capellam præfati Clementis venit, missam illius audivit, atque donum ipsius terræ quod præfati viri fecerant, et quidquid ad construendam abbatiam de feodo suo, vel dono, vel emptione, conquirere posset, in futuro laudavit et concessit. Ad hanc diem multi alii convenerunt, id est Savericus de Pochâ, Mauritius de Lauritono, Herbertus Rufus, et filius ejus Hubertus, et Rainaldus de Pineleria, Gaufridus parvus, Februarius forestarius Pullinecius, qui omnes uno animo et uno ore donum quod præmisimus et concesserunt et testificati sunt; Bocardus autem et Hugo, fratres Josleni, qui ibi præsentes non fuerunt, et Amburgis, uxor Herberti Rufi, et David filius ejus et Emengardis uxor Rainaldi de Pinelereia, et Halouricus frater ejusdem Rainaldi, omnes similiter postea laudaverunt. His ita gestis præfatus Clemens ad dominum Martinum abbatem de Oratorio venit, eique se et locum quem prædiximus in abbatiam faciendam contradidit; deinde ad venerabilem Ulgerium, Andegavensem episcopum, idem abbas et prædictus Clemens pariter venientes, rem quam fecerant retulerunt, et de manu ejus locum, de quo sæpe dictus Clemens sibi antea donum fecerat, liberum et quietum receperunt; et inde venientes ad domnum Joslenum de Basco, qui et ipse tunc Andegavis erat, receperunt ab eo per mitram Guitonis de supra Pontem in eleemosynam totum donum quod antea præfato Clementi fecerat, multis viris præsentibus. Itaque domnus abbas Martinus, loco legaliter suscepto, laboravit in eo, usque dum, jubente Domino, abbatem et monachos ad eumdem transmitteret locum, anno scilicet et tempore quo supra definitum est.

(1) In schedis D. *Grandet* quas servat archiv. Andegavense.

XVI.

Litteræ Eugenii papæ pro Chalocheil monasterio. 1150.

Eugenius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Benedicto abbati monasterii de Chalocheio ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatenus et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Idcirco, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus benigno concurrentes assensu, præfatam ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant: in quibus hæc propriis duximus vocabulis annotanda; ex dono Hamelini de Ingranda locum in quo abbatia ipsa sita est cum appendiciis suis; ex dono Joannis *de Blazon* totum dominium suum de Buldreio; ex dono *Brune* ac Mainardi, filii ejus, totam terram suam et prata de Buldreio; ex dono Popinellæ et Gaufridi, filii ejus, campum Popinellæ in Buldreio; ex dono Gervasii *Baucen*, Sainiacum et medietatem insulæ suæ cum appendiciis suis et unum pratum in Longa Insula; ex dono Hugonis de Matefelone et filiorum terram de Virgulto et pratum; ex dono Pagani de Troea totam terram suam de Matefelone; ex dono Haligon presbyteri, terram de *Zueth*; ex dono Hugonis de Pratellis et Theobaldi, nepotis sui, consentiente sorore aliisque suis hæredibus, dimidium stagnum de Jumellis et quinque arpenta

terræ; ex dono Ernaldi *Leiger* et filiorum ejus, totam terram suam de Geureseio et prata; ex dono Gaufridi de Leschinei et uxoris ejus, connivente Garino filio eorum, dimidium stagnum de Jumellis et quinque arpenta terræ; ex dono Balduini et Eremburgis, filiæ ejus, terram suam de Brueria cum appendiciis suis; ex dono Huberti terram suam de Brueria et *de Plaisseiz;* ex dono Guillelmi *de Passavant* quamdam partem landarum *de Chemenz;* ex dono Amalrici Crispini et Theobaldi filii ejus, quamdam partem de Jarzeio; ex dono Hugonis *de Nœzeles* et Thomæ, filii ejus, dimidium arpentum vineæ; ex dono Salomonis *de Briun*, duo arpenta terræ; ex dono Joci *de Belford*, terram *de La Trembleie* et duo arpenta prati; ex dono Gaufridi, Andegavorum comitis, quatuor arpenta prati in Longa Insula, et ex dono Herberti *Bolot*, uxore ac nepotibus suis consentientibus, terram de Mazeio et tria arpenta prati.

Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas præsumat exigere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed inconcussa omnia et integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jhesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Eugenius, catholicæ ecclesiæ episcopus, subscripsi.

Ego Imarus, Tusculanensis espiscopus, subs.

Ego Hugo, Hostiensis episcopus, subs.

Ego Hubaldus, presbyter cardinalis titulo S. Praxedis, S.

Ego Otto, diaconus cardinalis S. Georgii ad Velum Aureum, S.

Ego Rodulfus, diaconus cardinalis S. Luciæ, S.

Ego Bernardus, presbyter cardinalis tituli S. Clementis, S.

Ego Octavianus, presbyter cardinalis tituli S. Cæciliæ, S.

Ego Cencius, presbyter cardinalis titulo S. Lucinæ, S.

Ego Henricus, presbyter cardinalis tituli SS. Nerei et Achillei, S.

Ego Guido, diaconus cardinalis S. Mariæ in Porticu, S.

Ego Johannes, diaconus cardinalis SS. Sergii et Bacchi.

Data Signiæ, per manum Bosonis, sanctæ Romanæ ecclesiæ scriptoris, II° idus Aprilis, indictione XV°, Incarnationis Dominicæ anno MCLII°, pontificatus vero domini Eugenii papæ tertii anno VIII.

XVII.

Robertus de Sablolio Perreu monasterium fundat. F. *Perreii chartul. circa 1190.*

Universis præsentes litteras inspecturis et audituris officialis Andegavensis salutem in Domino. Noveritis nos vidisse et diligenter inspexisse de verbo ad verbum litteras Roberti de Sablolio, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua parte sui vitiatas, continentes hæc verba : — Robertus de Sablolio omnibus præsentem paginam lecturis vel audituris salutem. Ne longinquitate temporis obscuretur quod ad pias causas confertur, dignum est illud scripturæ testimonio commendare fideliter. Inde est quod ego Robertus, abbatiæ de Petrosiis fundator pariter et patronus, universitati vestræ notum fieri volo quod ob salutem et remedium animæ meæ prædecessorumque meorum, de consensu et voluntate Gauffridi hæredisque mei, contuli præfatæ abbatiæ ad sustentationem fratrum ibidem Deo servientium, tam præsentium quam futurorum, libras decem censuum, et quidquid proprium habebam a pontolo *Gaschet* usque ad pontum *Descouyllon*, et a *Planche Piau* usque ad cappellaniam *Descouflain*, videlicet sanguinem, murtrum, furtum, incendium et garennam et prædictarum terrarum fourragia omnia et census, terras cultas et incultas, prata in insulam *de Roveraie*, et nemora omnia quæ infra prædictos terminos in dominio ibi habebam, scilicet Serneiam, Oliveriam, sepem *Brolen*, descendentem a ponte *Descouyllon* usque ad stagnum abbatiæ et sepem *de Planche Piau*, et medietatem molendini, et quidquid sub dominio meo Ascelius vicarius possidebat tam cistra Brioleium quam ultra, videlicet in domibus, in censibus, in pratis, in terris, in piscariis, in nemore Lieie et quidquid habebam in feodo *de Sanchar*. Ita tamen quod si hæres ejusdem Gauffridi feodum ipsum habere voluerit, abbatiæ prædictæ reddendo servitium ad eumdem pertinens feodum, cum gratia abbatiæ illum poterit possidere; hæres vero hujus de propriis meis reditibus abbatiæ memoratæ libras decem restituat, ob cappellaniam scilicet illam quam in abbatia sæpe dicta Perreii pro anima uxoris meæ Clementiæ me facturum esse promisi. Quidquid etiam infra metas superius memoratas prælibati fratres in supradicto feodo quomodolibet poterunt acquirere libere et sine aliqua redevantia eis concedo, exceptis leganciis meis, et quidquid in aliis terris meis poterunt acquirere, salva baronia mea. Præterea quando ire Jerosolimam cœpi, ipsa die mansionis meæ, a Brioleio veniens et capitulum abbatiæ sæpe dictæ devotus ingrediens, in præsentia domni Mauricii, Nannetensis episcopi, et domni Giraudi abbatis de Bello Fonte, et domni Matthæi S. Mariæ de Perreiio abbatis primi, præsentibus quoque domino Mauricio de Credone, Hemerico Vincentio *de Touart*, Pagano de Rupe Forti, senescallo Andegaviæ, Giraudo Fulconis filio, Guillelmo *de Mauleverier*, Gaufrido *Crespin* aliisque quam pluribus adstantibus et adstantibus (*sic*), adjunxi ego Robertus dono meo supra scripto, præsente pariter et concedente Gauffrido filio meo primogenito, quidquid in Guichardeia possidebam, terram quoque *Bonarderie* et duos solidos census de stagno quod est in eadem terra, et decimam furni de Brioleio et decimam chalandorum qui ascendunt per Sartam et per *le Leir* in vino et in salle et piscariis per omnes aquas meas, excepta garenna mea. Dedi quoque abbatiæ memoratæ cenagia propriorum hominum ejusdem abbatiæ, et piscariam *de Gaschet* post mortem Raginaldi *Gatel*. Quin etiam dedi eis quadraginta quatuor solidos in molendinis de Brioleio, tali

modo quod in festo beati Marcelli tradatur clavis molendinorum fratribus dictæ superius abbatiæ, quousque illos quadraginta quatuor solidos exinde percipiant. Ut autem hæc omnia dona mea perpetuam obtineant firmitatem, chartæ huic apposui ego Robertus de Sabolio sigilli mei impressionem in testimonium præmissorum. Facta autem hæc anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo vicesimo (1), præsidente domino papa Clemente III, serenissimo rege Francorum Philippo, et Richardo illustrissimo rege Anglorum, regnantibus. Quod autem vidimus et attestamur, et quod testamur, approbamus, et in testimonium præmissorum sigillum curiæ Andegavensis duximus apponendum. — Datum hujusmodi inspicimus die Jovis post festum S. Licinii episcopi, anno Domini 1310. Constat in glosa inspectionis. Datum hujusmodi copia sub sigillo curiæ Andegavensis, die Veneris post Dominicam qua cantatur in sancta Dei Ecclesia ad officium missæ : *Judica me*. Anno domini 1398. Joh. *Cherot*.

XVIII.

Ex authentico (1). 1199.

Præceptum Arturi ducis pro monachis Pontis Otranni.

Arturus, Dei gratia dux Britanniæ, comes Andegaviæ et Richemundi, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, vice-comitibus, baronibus, præpositis et omnibus justitiariis suis et universis fidelibus salutem. Noverit universitas vestra quod cum ad comitatum Andegavensem, qui mihi jure hæreditario cedere noscebatur, accederem in die sancto Parasceve, in ecclesia B. Mariæ de Ponte Otranni divinum audivi officium, et, ut christiana exigit religio, crucis signaculum adoravi, ibique abbas et fratres ejusdem loci orationum et beneficiorum suorum participem me fecerunt. Videns itaque honestam eorum conversationem et apertam inopiam, pietate motus placuit mihi dare eis et præsenti charta mea confirmare XII libras Andegavensis monetæ in perpetuam eleemosynam possidendas. Quas percepturi sunt abbas et monachi annis singulis in theloneo meo apud Andegavum, ita quod illas XII libras in Nativitate B. Mariæ in Pixide de mea percipient portione. De hac autem eleemosyna abbatem Johannem cum cyrotegis Guillelmi de Guircheia in capella Bonorum Hominum juxta Andegavum manus ejus osculans investivi, videntibus et audientibus Constantia ducissa, venerabili matre mea, Gauffrido Nannetensi electo, Gaufrido de castro Brientii, Gaufrido Redonensi abbate, Andrea *de Vitré*, Gaufrido *de Ancenis*, Guillelmo Richardi, Isabel de Meduana, Sivobaldo eleemosynario, Brientio *le Bof*, Alano Gemello, Ivo de Jallia, Johanne *Tisun*, Joberto de Curia et multis aliis. Ut autem hæc donatio rata et inconcussa permaneret præsentem chartam sigilli mei munimine roboravi. Datum in capella Bonorum Hominum, prope civitatem Andegavensem, anno Verbi incarnati millesimo centesimo nonagesimo nono, quarto decimo cal. Maii.

(1) Lege forsitan 1190 : Richardus enim Anglorum rex solium conscendit anno 1189, et Clemens papa III decessit 27 Martii 1191.
(1) E Max. Gallor. Archivo, J. 178, n° 1.

XIX.

Ex authentico (1). 1209.

Charta Guillelmi præsulis de rebus Chalocheio a Thecenda datis.

Universis christi fidelibus ad quos præsens scriptura pervenerit Willelmus, Dei gratia Andegavensis episcopus, salutem. Noverit universitas vestra quod in nostra præsentia constituta Thecenda, uxor Ugonis *Boillou*, concessit Deo et beatæ Mariæ et monachis de Chalocheio, in perpetuam eleemosynam, duo arpenta et dimidium vinearum apud Rochetas, in feodo quod tenet de eleemosynaria S. Joannis, in perpetuum possidenda. Quietavit etiam eisdem decem solidos annui census pro salute animæ suæ et mariti sui prædicti Ugonis, quos de eisdem vineis eisdem monachis reddere tenebantur, sicut reddebat ei Seignoretus, cancellarius Turonensis, ex cujus dono vineas illas monachi possidebant. Ut hæc concessio et quietatio memoriter teneantur, ad preces ejusdem Thecendæ eas litteris annotari et sigilli nostri munimine fecimus communiri. Facta fuit concessio anno Dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo nono, in palatio nostro, in crastino assumptionis Beatæ Mariæ. His testibus Thoma abbate de Rota, Gaufrido abbate de Chalocheio, Willelmo sacrista, Pagano de Gisois, ejusdem loci monachis, magistro Cognato canonico Andegavensi, magistro Joanne de Sancto Sansone et multis aliis. Donatio autem facta fuit sequenti vigilia S. Barnabæ apostoli, et dicta Thecenda retinuit sibi in vineis illis decem denarios annui census.

XX.

E sched. D. Bernardi.

Litteræ de morte Hamerici, S. Mauri abbatis.

Landulfus, Dei gratia Cassinensis abbas, et ejusdem monasterii conventus, dilectis in Christo fratribus capitulo Glannafoliensi ecclesiæ S. Mauri supra Ligerim salutem et benedictionem. Fraternitatis vestræ litteras benigna caritate suscepimus, per quas felicis memoriæ Hamerici, quondam abbatis vestri, nobis obitum nunciastis, jacturas et incommoda quæ hactenus passi estis, propter alluvionem fluminis Ligeris, et malignorum incursus, nobis inter cætera exponentes; super quibus compatientes, vobis, ut condecet, compassione paterna, gratias Deo persolvimus, qui temporum dat tempora, terminos hominis statuit, et terrena simul et cœlestia moderatur. Vos autem, fratres, monemus et hortamur in Domino ut amaritudo afflictionis vos, in amissione rerum temporalium, a piæ mentis proposito recedere non coerceant, nec vester animus consternetur in decessu abbatis prædicti, sed in ipso habeatis fiduciam, in cujus manu est sine defectu gratiæ plenitudo, qui dat omnibus affluenter et non improperat, qui revelat profunda de tenebris et umbram mortis producit in lucem. Quod autem significastis nobis vos in fratrem Stephanum, quondam priorem vestrum, contulisse unanimiter vota vestra, ac ipsum in pastorem vestrum concorditer elegisse, supplicantes ut benedictionis munus impertiri faceremus eidem, nos supplicationibus vestris grato annuentes affectu, considerata bonitate, modestia ac honestate morum fratris prædicti, invocata Spiritus Sancti gratia, ipsum in abbatem vestrum duximus confirmandum, benedictionis munus impertiri facientes eidem. Quare dilectioni vestræ monentes manda-

(1) In arch. Andegavensi, Chaloch. t. III, fol 44

mus ut ipsum honorifice recipientes, ut condecet, A intendatis et obediatis ei tanquam vestro abbati confirmato a nobis, debitam ei in omnibus obedientiam et reverentiam exhibentes, scientes quod ipsum in Cassinensi monasterio indumentis pontificalibus, quibus Cassinensis abbas utitur, honorifice fecimus benedici, cui tanquam abbati et pastori vestro, juxta regulam institutoris nostri Benedicti, sic obediatis in omnibus, quod merito possit vestra devotio apud Deum et homines commendari. Datum VII calendas Maii, anno Domini MCCXXX quarto.

XXI.

Ex authentico (1). 1259.

Litteræ Michaelis episcopi ad Ludovicum regem.

EXCELLENTISSIMO Domino suo Ludovico, Dei gratia illustri regi Francorum, Michael, miseratione divina Andegavensis episcopus, salutem et post regnum temporale perpetuum adipisci. Pium et laudabile propositum majestatis regiæ cognoscentes, laudes Domino referimus, in cujus manu cor regis est et quocumque voluerit vertit illud, inspiranti vobis nonnullas restitutiones velle facere, necdum secundum juris necessitatem, sed ad perfectam conscientiæ puritatem. Cum igitur interdum excellentiæ vestræ casus occurrant in quibus aliquas restitutiones facere vobis expedit ob conscientiæ scrupulum evitandum, nec pro C certo potestis invenire personas quibus sit restitutio facienda, vestræ volentes consulere securitati pariter et saluti, tenore vobis præsentium indulgemus, ut quotiens in civitate ac diœcesi Andegavensi casus hujusmodi vobis occurrerint, sive in bonis Judæorum, sive in aliis quibuscumque, liceat vobis per vos vel per alios summam, vel summas, quas restitui ex causis hujusmodi oportebit, in pios usus expendere, prout vestrum fuerit beneplacitum voluntatis. Datum anno Dom. MCCLIX, mense Augusto. Dominus conservet vos per tempora longiora.

XXII.

E schedis D. Housseau. 1283.

Monialibus Nidi Avis nundinas concedit Carolus rex.

CAROLUS, Dei gratia Jerusalem et Siciliæ rex, ducatus Apuliæ et Capuæ almæ urbis senator, princeps Achayæ, Andegaviæ provinciæ, Folcalquerii et Cornodori comes, universis tam præsentibus quam futuris salutem in Domino. Notum facimus universis quod concessimus et concedimus, intuitu pietatis et pro salute animæ nostræ et antecessorum nostrorum, monasterio B. Mariæ de Nidoavis et monialibus ibidem Deo servientibus quasdam nundinas tantum in quolibet anno, videlicet in festo S. Marci evangelistæ in villa de Nidoavis, et volumus quod dictæ moniales in dictis E nundinis perpetuo omnimodam habeant libertatem, ita tamen quod dictæ moniales teneantur quolibet anno facere celebrari unam missam de Spiritu Sancto pro salute animæ nostræ quandiu vixerimus, et post decessum nostrum pro salute animæ nostræ et antecessorum nostrorum anniversarium in futurum, in abbatia supra dicta. Datum Cenomanis, anno Domini millesimo ducentisimo octuagesimo tertio, undecimo indictionis, regnorum nostrorum Jerusalem anno septimo, Siciliæ vero anno decimo.

(1) In Max. Gallor. archivo.

XXIII.

Guillelmus Philippo regi consecrationem Gisleberti, Burgulii abbatis, denuntiat.

Ex authentico (1). 1314.

EXCELLENTISSIMO principi domino Philippo, Dei gratia regi Francorum illustri, ejus devotus Guillelmus, permissione divina Andegavensis episcopus, cum perenni beatitudine ad vota successus prosperos et felices. Noverit vestræ magnificentiæ celsitudo quod præsentata nobis nuper electione in monasterio Burgolii, nostræ Andegavensis diœcesis, tunc vacante abbate per mortem fratris Gauffridi, quondam abbatis ejusdem, concorditer celebrata, de religioso viro et honesto fratre Gi- B leberto de Vernoto, ejusdem monasterii monacho expresse professo, tunc priore prioratus de Petrosia ad dictum monasterium pertinentis, et examinato electionis prædictæ negotio juris, in hoc solemnitatibus adimpletis, electionem prædictam quam invenimus recte et canonice celebratam ac eumdem electum in abbatem dicti monasterii, cui nihil reperimus obviare, de canonicis institutis canonice duximus confirmandum, postmodumque electum solemniter benediximus memoratum. Quapropter vestræ celsitudini supplicamus quatinus eumdem fratrem Gilebertum pro abbate dicti monasterii habere dignemini, ipsumque recipere et sibi facere ut abbati electo et confirmato canonice et solemniter benedicto. Datum teste nostro sigillo, die Mercurii post octabas Epiphaniæ Domini, anno ejusdem millesimo trecentesimo decimo tertio.

XXIV.

Litteræ Guillelmi præsulis pro Andegavensibus abbatiis.

E chartul. S. Sergii (2). 1314.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis et audituris Guillelmus, permissione divina Andegavensis episcopus, salutem in Domino. Prout B. Gregorii, qui suis temporibus S. Romanam exornavit cathedram, in Pastorali suo testatur auctoritas, sicut peccatum est retinenda proferre, D sic perniciosum est, maxime prælato, cujus taciturnitas plerumque peccatum operatur mortale, proferenda, seu dicenda, præsertim in præjudicium alterius, loco et tempore reticere. Vobis igitur tenore præsentis paginæ innotescat, quod, licet in Andegavensi dyocesi nati fuerimus et nutriti, et circa bonæ memoriæ dominum Nicholaum, prædecessorem nostrum, tanquam ejus commensalis et socius septem annorum spatio conversati, et post ejus obitum viginti duobus et amplius episcopatum Andegavensis ecclesiæ, licet indigni, rexerimus, nunquam scivimus vel audivimus quod aliquis prælatus minor episcopo in monasterio S. Sergii juxta Andegavum, ordinis S. Benedicti, procurationem perciperet vel haberet, sicut nec in aliis monasteriis ejusdem ordinis dictæ civitatis et suburbii, videlicet beatorum Albini, Nicholai, et monasterii monialium B. Mariæ, ordinis supra dicti. Quod nostra dictante conscientia credendo asserimus, et assentiente præmissa fama publica et ore vulgi celebrante, firmiter credimus verum esse. Quod omnibus quorum interest significamus per præsentes litteras, nostri sigilli munimine roboratas. Datum die Dominica post festum B. Mariæ Magdalenæ, anno Domini MCCCXIII.

(1) In Maximo Gallor. Archivo.

(2) Sergianum apographum non semel correximus juxta domnum Housseau.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ REDONENSIS.

I.

E Sammarthanis. 866

Ordinatio Electranni.

Anno Incarnationis Jesus Christi, Domini nostri, DCCCLXVI, indict. XIV, anno piissimi regis Caroli 27, III cal. Octobris, in parochia Turonica, ordinamus et ad pontificalem sedem Redonensis ecclesiæ consecramus Electrannum, electione atque decreto cleri et plebis ejusdem ecclesiæ, nos in Dei nomine antistites Herardus Turonicæ metropolis, Actardus Nannetensis, atque Rodbertus Cenomanensis, cum consensu et litteris cæterorum diœcesanorum adhibito, apicibus etiam præmoniti jam dicti gloriosi regis Caroli, hujusmodi statuto et paternæ commonitionis decreto ipsi viro allato, ut canonicis sanctionibus, quantum divina suffragaverit pietas, libenter obtemperet, et ab inlicitis ordinationibus abstineat, et pestem simoniacæ hæresis devitet; concilia quoque sacris præfixa canonibus certis sibi designata temporibus celebrare procuret, atque matri suæ metropoli debita reverentia se subdere non negligat, et juxta sanctorum patrum regulas nihil nisi quæ ad propriam ecclesiam extra ejus consensum pertemptet. Hæc ergo aliaque ad institutionem et informationem fidelis viri, fratris et filii nostri, Electranni, die præfixo, verbo pariter et stylo promulgantes, pontificali eum infula adornantes, sacra quoque benedictione, more sanctæ Redonensis ecclesiæ pontificali cum ordine præferimus, et paterne cathedrali solio sublimantes, confratrem, consacerdotem, et comparticipem in regimine et gubernaculo Ecclesiæ sanctæ nobis ex integro in Dei nomine efficimus, manuum quoque adnotationibus confirmamus.

II.

E chartul. S. Juliani (1). 1037.

S. Cyricus Redonensis S. Juliano Turonensi datur.

Alano Britannorum monarchiam gubernante, Warino vero Redonensium regiminis culmini præsulante *, Maginenus * videlicet miles quoddam monasterium vetustate pene funditus dejectum, uno fere milliario ab urbe versus Occidentem situm, in territorio scilicet cui Insula vocabulum est, a fundamento construxit: quo facto, visum est ei debere se Dei servos inibi pro posse locare, qui sub habitu monastico Deo sanctoque Cirico qui ibi colitur deservirent, et pro suæ et parentum carorumque et uxoris suæ omniumque fidelium animarum redemptione, nec non pro filiorum suorum felici successione, Deum sanctumque * deprecarentur. Requisitis igitur plurimorum inde abbatum monachorumque consiliis, meliori tandem usus consilio, totum se ad domnum Richerium, S. Juliani Turonensis abbatem, inde convertit, ut suo consilio atque deliberatione totum hoc ageretur. Qui abbas non pigritatus ob hoc Redonem usque pervenit. Illis ergo apud illud idem monasterium congregatis, deliberatum est et stabilitum ut prædictum monasterium in gubernatione et regimine domni abbatis R. successorumque, S. Juliani Turonensis cœnobii abbatum, in perpetuum haberetur. Idem autem abbas suique successores de suis monachis, pro possibilitate, quos liberet ibi mitterent; qui tamen idem monasterium ab ipso M., vel a filio, seu successore suo, cunctis diebus tenendo sperarent. Si autem ipse miles aliquando remissius ibi Dei servitium exhiberi comperiret, correctis privatim bis aut ter monachis, tandem abbati suo notificaret, qui abbas aut hos corrigendo, aut alios mittendo, regulariter locum emendaret. Prælibatus vero miles M. Deo sanctoque Cirico in usus monachorum, etsi melius ac majus in antea pollicens, inpræsentiarum tamen tribuit omne territorium quod Insula dicitur, cultum et incultum, cum omnibus pratis et pascuis, cum equitibus, villanis et meditariis, cum vinearum censu, cum omnibus insuper territorio Insulæ appendentibus, excepta sua propria vinea, libere et absolute, ea lege et jure quo ipse illud tenere videtur. Præfixerunt et instituerunt ne quid de rebus S. Cirici unquam ad S. Juliani cœnobium seu alio transferatur, neu inde ad S. Ciricum, si non placuerit, aliquid transmittatur; sed Dei servi apud S. Ciricum Deo famulantes S. Cirici rem omnem in suos usus expendant. Prælibatum autem est atque præfinitum quod si Deus præfatum locum adeo provexerit ut abbate indigeat, S. Juliani abbas, quisquis tunc temporis fuerit, illum abbatem eligat, atque mittat, consilio et favore Manigeuii, seu filii sui, vel successoris, qui suum scilicet tenuerit honorem. Videns autem Warinus, Redonensium præsul, in cujus præsentia hoc agebatur, militem quippe laicum ita sibi in futurum providere, noluit illius expers fieri eleemosynæ. Addidit enim jam sæpe dicto monasterio, pro salute suæ animæ, omnem campum quem Policii * vocant, intra Insulæ fluvium et urbis muros situm. Hoc autem actum est apud S. Cirici monasterium, X cal. Junii, anno Dom. Incarnationis MXXXVII, epactis I, concurr. V, indiction. I, cycl. IX. Ut igitur hujus privilegii cautio inviolabilis rataque permaneret, ipse Alanus dux eam propria manu firmavit primoribusque suorum illam corroborandam tribuit. Horum nomina subjecta præsentat paginula: S. Eudonis, fratris Alani, ducis Britannorum; S. Gotzelini vice-comitis; S. Rualentis, domini Doli; S. episc. Redonens. Warini; S. Moysi, Redon. archidiac. et cancellarii. Horum etiam omnium favore atque acclamatione confirmatum est, ut si quis huic institutioni refragari, quod absit, vel contradicere aliqua sycophantica reclamatione molitus fuerit, clericus, aut laicus, vir seu femina, dives an pauper, nomen ejus ab albo supernorum civium deleatur, omnesque res ejus et possessiones, si quas habuerit, in dominium comitis patriæ transferantur, et postremo, ut dignum est, in exsilium inrepedabiliter expellatur.

* *al.* præsidente.

* *al.* Maingenius.

* *al.* Dominum sanctum.

* *al.* Polici

III.

E schedis Andreæ Quercetani (1). 1117.

Guillelmus, Pictaviensis episcopus, dat S. Sulpicio ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ.

Ego Guillelmus, Dei gratia Pictaviensium episcopus, do et concedo domino Radulfo de Flageio, sanctissimo et religiosissimo viro, ecclesiam Dei et S. Mariæ Magdalenæ, quæ est sita in parrochia Fulgerosiæ et fundata in plesscio Effredi, ad opus sanctimonialium S. Sulpicii et earum

(1) Cod. Reg. 5443.

(1) T. LXXV, fol. 43, in Maxim. Paris. Biblioth.

quæ sunt sub jure et sub jugo ejus perpetuo tenendam, liberam et solutam ab omni pontificali et synodali oppressione; videntibus et audientibus istis, Roberto episcopo de Cornu Galliæ, Guillelmo Alelmo archidiacono Pictaviensi, Stephano decano Thoarcensium, et aliis pluribus. Data est et sigillata hæc chartula apud Monsterellum, in domo monachorum, Laodicio rege Franciæ regnante, et Guillelmo Pictaviensium comite, Paschasio summo Pontifice, Haimerico Thoarcensium vice-comite, anno ab Incarn. Dom. MCXVIII, luna XIII (1).

IV.

E chartulario Majoris-Monasterii. 1136.

Conciliat Hamelinus præsul ecclesias S. Mariæ et S. Crucis, Vitreii.

Quoniam quæ memoriæ litterarum commendantur vetustate temporis vel oblivione mentis a memoria hominum non facile delabuntur, ego Hamelinus, Dei gratia Redonensis episcopus, tam præsentium quam futurorum notitiæ tradere curavi quod inter monachos Majoris Monasterii qui in ecclesia S. Crucis apud Vitreium morantur et inter ecclesiam S. Mariæ Vitreiensis quædam controversia et altercatio super parochia S. Crucis diu exagitata fuit, sed nostro tempore, S. Spiritus auxilio et consilio, sic quiete terminata. Concordatum namque unanimiter fuit quod monachi S. Crucis, quarta die Paschæ, ecclesiæ S. Mariæ decem solidos Redonensis monetæ pro parochia sua pacifice redderent, et duos solidos Redonensium pro novilesiis. Statutum etiam fuit per concordiam quod monachi S. Crucis essent ad crucem in Ramis Palmarum cum monachis et canonicis S. Mariæ, et prima die Rogationum eisdem processionem annuatim persolverent, et in Pascha ab eis chrisma susciperent; in majori autem Letania, monachi et canonici S. Mariæ ecclesiæ S. Crucis processionem jure concordiæ per unumquemque annum solvere debent. Actum in capitulo S. Mariæ, anno ab Incarn. Domin. 1136. Testes Hervæus, abbas; Rivallonus, archidiaconus; Rodaldus, prior; Ada *Paisant*, Geraldus, canonici; Gualterius, Orricus, priores; Rob. Brebo, Ernaldus *Guerriz*, Rob. *Fauvel*, monachi; Andreas capellanus; Gorantonus de Vitreio; Rob., vicarius; Rafredus de Gneirisció; Guillelmus de *Campels*, siniscalus de *Dorden;* Rainaldus Constantini; Britellus, filius ejus; Odo, frater Briccii; Joannes, filius ejus; Gradolenus et multi alii. Hamelinus capellanus.

V.

E S. Sergii chartulario. 1138.

Pactum inter moniales S. Sulpicii et S. Sergii monachos.

Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, quod domnus abba Hervæus cum aliquantis fratribus suis et domna Maria, abbatissa S. Sulpicii, similiter cum quibusdam fratrum suorum atque sororum, convenerunt in præsentia Jocelini, domini castri Belli Pratelli, et Gerorii fratris ejus, ibique coram multis militibus aliisque bonis viris denominata et statuta fuit concordia inter prædictum abbatem Hervæum et monachos S. Sergii atque prædictam Mariam fratresque et sorores S. Sulpicii. Domnus abba Hervæus et monachi S. Sergii concesserunt abbatiæ S. Sulpicii et fratribus atque sororibus ibidem Deo servientibus et in perpetuum servituris terram

A landarum de petra *Alberic*, scilicet quod de dominicatura domini Belli Pratelli est a cruce Wiburgis, sicut eam levat via quæ ducit ad quercum *Folet*, et inde usque ad quercum Ulberti a parte sinistra euntibus a Bello Pratello ad Montem Rebellem. Statutum est etiam ut si aliquando homines venirent ad habitandum in omni terra quæ de dominio domini castelli Belli Pratelli esset, medietatem omnium decimarum atque primitiarum, census quoque et omnium consuetudinum haberent monachi, et aliam medietatem sanctimoniales. Porro homines illos qui ibi manebunt Jocelinus et frater ejus Gerorius ab omni servitio et ab omnibus consuetudinibus quæ ad ipsos pertinent liberos et quietos penitus concesserunt.

B Stabilitum quoque est ut de omni terra quam sanctimoniales sive propriis carrucis, sive alienis, inter parochias nostras colerent, similiter medietas decimæ monachorum esset et medietas sanctimonialium. Domus earum sic erit libera quod nihil ad primitias pertinens reddet: neque in agnis, neque in vitulis, neque in porcellis, neque in lana, neque in lino, neque in canabo. Nullum in cœmeterio suo unquam ad sepulturam recipient, neque virum, neque feminam, nisi solummodo illos qui habitum religionis illarum de professione antea sani susceperint. Reliqui omnes, sive servientes earum utriusque sexus, sive rustici, extra illarum habitum vel professionem omne jus parochiale tam in baptismo quam in confessione et

C oblatione atque sepultura et in omnibus omnino parochialibus ecclesiæ B. Martini de Bello Pratello persolvent. In festo B. Martini reddent sanctimoniales monachis omni anno duodecim denarios census. Quod si sanctimoniales vel alii homines vineas ædificaverint, medietatem decimæ monachi habebunt. Quamdam terram habebant monachi in loco qui dicitur Coneus Nateldis, quam mutuaverunt sanctimonialibus pro alia terra quæ Deucionaria vocatur. In hac scilicet Deucionaria habebat Jocelinus, dominus castelli, sex denarios pro quindenaria. Hos dimisit ipse et Gerorius frater ejus in eleemosynam, pro animabus suis et pro animabus tam antecessorum quam hæredum suorum. Hujus concessionis atque concordiæ testes

D sunt isti: domnus abba Hervæus; Godefredus mon.; Will. Amalri. mon.; Rainaldus Begoinus mon.; Gaufridus *Bute* mon.; Thebaldus de Avarennia mon.; Walterius de Chimilliaco mon.; Jocelinus, dominus castri et Girorius frater ejus; Jocelinus, presbyter, capellanus castri; Maria abbatissa; Horandis monacha; Agnes monacha; Seinoldis monacha; Bernerius heremita; Haymo Lupus; Fulcoius; Mauricius de Lodoraria; Guefferius de Pictavenaria; Gaufridus de Sanziaco; Gaufridus, filius Eudonis de Calonna; Will. Bardulfi; *Mein* de Palatio; Griferius; Mauricius Crassus et filius ejus Herbertus; Rainaldus Crassus; Paganus de Pinu; Gaufredus Radulfi; Normannus Engelberti; Februarius; Petrus *Maltac;* Bertrannus

E *Cuetel*. Deinde domna Maria abbatissa venit in capitulum S. Sergii, et ibi recitata sunt hæc omnia sicut supra scripta sunt, atque ab abbate Hervæo et monachis necnon ab ipsa abbatissa et a fratribus et sororibus quæ cum ipsa erant gratanter concessa et firmiter stabilita sunt, videntibus ipsis et audientibus: Buamondo archidiacono; magistro Gurdone; Haio canonico; Raimundo mon.; Rivallono de S. Briocio mon.; Osberto Anglo mon.; Hugone de Saceio mon.; Mauricio mon.; Rainaldo mon.; Petro Archiepiscopo; Rainaldo *Rocherel;* Aymerico, fratre Jocelini, domini Belli Pratelli, mon.; Gilleberto; Gaufrido tunc pueris mon.; Roberto prætore, monacho, fratre Hervæi abbatis; Marquerio Fa-

(1) Annum lege 1117, ut supra diximus in notis ad historiam S. Sulpicii.

mulo, mon.; Rainerio sartore mon., et Girardo pistore et Petro coquo; Roberto *Chabert*; Joanne de Torinniaco; *H iet*; Badus; *Rege*, et aliis multis.

Cyrographum actum anno ab Incarnat. Dom. MCXXXVIII, Ulgerio præsulatum obtinente, abbatiæ S. Sergii Hervæo præsidente, regnante Geoffrido comite filio Fulconis regis Jerusalem.

VI.

Ex apographo (1). 1222.

Litteræ Honorii papæ de S. Melanii quibusdam monachis inordinate viventibus.

Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati S. Vincentii, et.... S. Vincentii, et.... S. Petri de Cultura prioribus, Cenomanensis (diœcesis), salutem et apostolicam benedictionem.

Dilectus filius abbas S. Melanii Redonensis proposuit coram nobis quod quidam monachi sui, generalis tempore interdicti, quidam etiam pro transgressione regulæ suæ, ac pro violenta manuum injectione in seipsos et sæculares clericos, suspensi et excommunicationis vinculo innodati divina officia celebrarunt, absolutionis beneficio non obtento. Quidam etiam procurarunt quod vicesima in quibusdam suis ecclesiis minus plenarie solveretur, et quidam in monasterium ejus ingressum simoniacum habuerunt. Quare supplicavit instanter ut super iis cum eis misericordiam facere dignaremur. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus iis qui pro supradictis causis excommunicati fuerunt, dummodo eorum qui manus temerarias injecerunt non fuit gravis et enormis excessus, ac iis qui commiserunt fraudem circa vicesimam, postquam super hoc congruam satisfactionem præstiterint juxta formam Ecclesiæ, impendentes absolutionis beneficium vice nostra, et injungentes eis quod videritis injungendum, cum illis qui excommunicati, vel suspensi, ac generalis interdicti tempore divina officia celebrarunt, misericorditer dispensetis, injuncta eis competenti pœnitentia pro meritis singulorum. Circa illos autem qui recepti fuerunt in monachos mediante vitio simoniæ, juxta constitutionem generalis concilii super hoc editam procedatis. Quod si non omnes, etc., etc. Datum Laterani, VI cal. Februarii, pontificatus nostri anno septimo.

VII.

Ex apographo (2). 1245.

Epistola Innocentii papæ de reædificatione Redonensis ecclesiæ.

Innocentius, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Redonensi, salutem.

Cum sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, ecclesia tua casu fortuito incendio miserabiliter sit destructa, et ad reædificationem ipsius propriæ non suppetant facultates, tuis devotis precibus inclinati, tibi et ipsi ecclesiæ paterno compatientes affectu, auctoritate præsentium duximus statuendum, ut, non obstante quod secundum ejusdem consuetudinem canonicus decedens de fructibus præbendæ suæ anni futuri disposuit pro suæ libito voluntatis, fructus præbendarum, quas canonicis decedentibus vacare contigerit anni proximo tunc futuri, solutis primo debitis quibus iidem decedentes apparuerint obligati, in fabricam ejusdem ecclesiæ integre convertantur. Nulli ergo... nostræ constitutionis.... Si quis autem... Datum Lugduni, IX cal. Aprilis, anno secundo.

(1) Inter litteras quas Romæ D. *La Porte du Theil* transcribi curavit.
(2) E collect. D. *La Porte du Theil*.

VIII.

Ex apographo (1). 1427.

Martinus papa V Guillelmum episcopum Britonum duci commendat.

Martinus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Joanni, duci Britanniæ, salutem et apostolicam benedictionem. Cum nuper ecclesiæ Redonensi, tunc pastoris regimine destitutæ, de persona venerabilis fratris nostri Guillermi, episcopi Redonensis, nobis et fratribus nostris, ob suorum exigentiam meritorum, accepta, de eorumdem fratrum consilio authoritate apostolica duxerimus providendum, præficiendo ipsum eidem ecclesiæ in episcopum et pastorem, nos eumdem episcopum paterna benevolentia prosequentes, et cupientes quod eadem ecclesia sub ejus regimine, authore Domino, felicia suscipiat in spiritualibus et temporalibus incrementa, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus eumdem episcopum et ecclesiam prædictam suæ curæ commissam habens, pro nostra et apostolicæ sedis reverentia, propensius commendatos, eumdem episcopum benigni favoris auxilio prosequaris. Ita quod ipse, tuæ nobilitatis fultus præsidio, in commisso sibi præfatæ ecclesiæ regimine possit Deo propitio prosperari, ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Romæ apud SS. Apostolos, VI cal. Octobris, pontificatus nostri anno decimo.

IX.

Ex apographo (2). 1451.

Nicolaus papa Jacobum præsulem Britonum duci commendat.

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Petro, duci Britanniæ, salutem et apostolicam benedictionem. Gratiæ divinæ præmium et humanæ laudis præconium acquiritur, si per sæculares principes ecclesiarum prælati, præsertim pontificali dignitate præditi, divinæ propitiationis intuitu opportuni favoris gratia prosequantur. Dudum siquidem venerabilem fratrem nostrum Jacobum, tunc Macloviensem, nunc vero Redonensem episcopum, a vinculo quo ecclesiæ Macloviensi tunc tenebatur absolventes, eum ad ecclesiam Redonensem, tunc per obitum bonæ memoriæ Roberti, episcopi Redonensis, extra Romanam curiam defuncti, vacantem, de fratrum nostrorum, S. Romanæ ecclesiæ cardinalium, consilio et assensu, authoritate apostolica transtulimus, præficiendo ipsum eidem ecclesiæ Redonensi in episcopum et pastorem, primo et successive ad sedandum discordias et controversias quæ inter ipsum Jacobum translatum ex una et Joannem *de Couetquiz*, tunc Trecorensem, super Redonensi, ac etiam inter dictum Jacobum et Joannem *Lespervier*, modernum Macloviensem episcopos, venerabiles fratres nostros, super Macloviensi ecclesiis earumque occasione partibus, ex alia, retroactis temporibus subortæ fuerant, sive suboriri formidabantur in futurum, necnon pro concordia desuper habenda, ac pacificatione dictarum ecclesiarum, etiam ob tui super iis affectuose interpellantis contemplationem, de persona dicti Joannis *de Couetquiz*, eum a regimine et ad-

(1) In cod. Reg., 8357².
(2) Ibidem.

ministratione ipsius ecclesiæ Redonensis penitus amovendo, ecclesiæ Trecorensi tunc vacanti duximus eadem authoritate providendum, præficiendo ipsum illi in episcopum et pastorem, nec non voluimus, et eidem Jacobo concessimus pariter et decrevimus, quod translatio et præfectio de persona sua factæ hujusmodi et quæcumque inde secuta a data omnium ipsorum valerent, suumque sortirentur effectum, ac plenam roboris firmitatem obtinerent, ipseque Jacobus regimen et administrationem ecclesiæ Redonensis hujusmodi recipere, ac illam in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare, illique præesse posset et deberet in omnibus et per omnia, etiamsi ipsa Redonensis ecclesia per obitum Roberti adhuc tunc, aut provisionem et præfectionem Joannis *de Couetquiz* ad ecclesiam Trecorensem hujusmodi, sive alias quovismodo vacaret; et nihilominus pro tutiori et abundantiori cautela, quatenus opus erat, de novo ipsum Jacobum de præfata ecclesia Macloviensi ad eamdem ecclesiam Redonensem transtulimus, et præfecimus illi in episcopum et pastorem, prout in diversis nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum igitur, fili dilecte, sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi, et pro regis æterni gloria venerari, nobilitatem tuam ducalem, ecclesiarum tui dominii protectricem, rogamus et hortamur attente quatenus eidem Jacobo episcopo sic te exhibeas favore ducali benevolum et in suis opportunitatibus gratiosum, quod idem Jacobus episcopus per auxilium tuæ gratiæ in commisso sibi dictæ ecclesiæ Redonensis regimine utilius proficere valeat, tuque proinde præmia consequaris felicitatis æternæ, ac nos etiam eamdem nobilitatem ducalem dignis possimus in Domino laudibus commendare. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, sexto cal. Augusti, pontificatus nostri anno septimo.

X.

Ex apographo (1). 1461.

Pius papa jubet inquisitionem fieri super delictis Jacobo præsuli objectis.

Pius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopo Turonensi et episcopo Cenomanensi salutem et apostolicam benedictionem. Licet graviter geramus et moleste, cum de personis ecclesiasticis sinistra nobis proferuntur, in excessibus tamen coepiscoporum nostrorum in partem sollicitudinis vocatorum eo gravius provocamur quo damnabilius excessus illi infidelitatis tendunt ad noxam, et ab aliis trahuntur pernitiosius in exemplum. Cum itaque nonnullorum fide dignorum relatio nostrum perturbaverit auditum, amaricaverit et mentem, quod venerabilis frater noster Jacobus, episcopus Redonensis, a tempore quo per claræ memoriæ Petrum, ducem Britanniæ, quondam Robertus *d'Espinay*, dicti episcopi genitor, super eo prout communis fama contra eum laborabat, quod illius et quorumdam aliorum fautorum suorum sinistris informationibus, ipsisque procurantibus, quondam Ægidius de Britannia, inclytæ memoriæ Joannis natus et Francisci olim ducum Britanniæ germanus, tempore quo ipse olim Franciscus ducatus Britanniæ gubernacula tenebat, indebitæ carcerum custodiæ traditus et demum crudeli nece nequiter interemptus fuerat, ad judicium vocatus extitit, et pœnam quam exinde meruerat effugiens, latitans et profugus abiit, nescitur qua intentione ductus, adeo ipsis Petro necnon illi successive in ipso ducatu succedentibus, etiam claræ memoriæ Arturo, et dilecto filio nobili viro Francisco moderno, Britanniæ ducibus, infestum se exhibuerit, quod nedum quantum in eo fuit illorum damna et turbationem continue procuraverit, sed etiam novissime cum quibusdam aliis sibi in ea parte assentientibus, quorum, ut communiter fertur, fuit principalis conductor, diversas machinationes, etiam periculum vitæ et amissionis dicti ducatus, in quo civitas et diœcesis Redonensis consistunt, ipsum modernum ducem concernentes, concipere et pro viribus ad sinistrum effectum deduci procurare non expaveat, in animæ suæ periculum, eorumdem ducum præjudicium et offensam, et pernitiosum exemplum, et scandalum plurimorum; nos igitur, quorum interest eorumdem coepiscoporum nostrorum excessibus ne committantur obviare, ac commissa digna animadversione corrigere volentes, nec volentes præmissa, si vera sint, super quibus ipse Franciscus, modernus dux, nobis gravem querimoniam detulit, conniventibus oculis sub nocivæ dissimulationis pallio pertransire, ac considerantes quantum similia ab episcoporum et prælatorum ministerio et dignitate abhorreant, fraternitati vestræ per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum etiam extra dictas civitatem et diœcesim, in locis de quibus vobis videbitur, per vos, vel alium, seu alios graves et notabiles ecclesiasticos viros, super præmissis ac aliis, per eumdem episcopum, sicut dicitur, perpetratis et commissis excessibus et delictis, ac eorumdem circumstantiis universis, secreto et extra judicialiter authoritate nostra, vos diligenter informetis et investigetis diligentius veritatem, et quidquid per informationem et investigationem hujusmodi inveniretis, nobis per vestras patentes litteras, aut alia documenta authentica manu conscripta et sub sigillo vestro transmissa, harum seriem sive designationem continentia, quantocius referre curetis, ut, vestra hujusmodi relatione instructi, super iis consultius procedere et conveniens remedium adhibere valeamus. Testes autem qui super iis examinandi fuerint, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis veritati testimonium perhibere, non obstantibus si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno incarnat. Dom. 1461, VIII id. Julii, pontificatus nostri anno tertio.

(1) In cod. Reg. 8357².

INSTRUMENTA ECCLESIÆ NANNETENSIS.

I.

E. D. Moricio. 1055.

Charta fundationis Calmæ.

Hæ litteræ conservant memoriæque commendant omnibus legentibus eas, quomodo *Harscuit*, nobilissimus vir, filius videlicet Jestini, dedit Sancto Salvatori Rotonensi et suis monachis ecclesias duas in honore S. Mariæ et S. Johannis constructas, sitas ante oppidum Sanctæ Crucis, cum cœmeterio sibi diviso, faventibus Menvili presbytero atque Gausfrido, qui eas ante tenuerant, cum una borderia, et cum quarta parte jugeris vineæ, cum prato, molendino, et cum tertia parte Chamariæ; ita ut exinde liberam potestatem habeant ad faciendum quidquid voluerint, nulla sibi consuetudine servata. Hanc enim eleemosynam egit pro redemptione antecessorum suorum, patris videlicet et matris, et maxime pro absolutione suorum peccatorum et Ulgardis conjugis fideliumque suorum, et pro incolumitate sui et filiorum filiarumque, et pro stabilitate sui honoris. Præterea ipse vir deprecatus est abbatem Perenesium, cui hanc donationem delegavit, uti pro Dei amore locum maxime sanctæ Mariæ studeret amare, et tales ibi fratres mitteret qui Dei timorem habeant locumque prout posse ædificent. Denique hanc conventionem ab abbate et fratribus Rotonensibus requisivit, ut si ipsi aut ejus successoribus quandoque visum fuerit locum jam dictum, sic exaltatum et ampliatum divitiis et honoribus, ita ut regulariter per se ferre possit abbatem, uti ipse abbas qui tunc advixerit, communi consilio fratrum suorum, ex suis eligat qui dignus sit et præficiat ibi abbatem; quod et impetravit tali tenore, ut, dum ibi abbates successerint, semper ex congregatione Rotonensi aut consilio eorum sint electi. Quod si abbas perpenderit quod hæc conventio, antequam debeat inquiri, a domino loci illius perquiratur, et ejus petitionibus noluerit adquiescere, ita inter eos est definitum, ut ad regulam sancti Benedicti recurratur, et secundum ejus judicium eorum contentio finiatur. Acta est hæc donatio feria quinta, in eodem loco sanctæ Mariæ, pridie nonas Julii, luna VIII, anno ab Incarnatione Domini MLV. Ipse *Harscuit*, qui dedit et firmare rogavit, testis; Jestinus filius; *Urvoit* et Hilarius et Aldroin, filii ipsius, testes; Mensili presb.; Gauffridus; Hamon, filius Aldroini; *Main*, filius *Catwalard; Ledevin; Renalt Ducines;* Perenesius abbas, qui suscepit; Sansoyarnus mon.; Glemonocus mon.; *Bili* mon.; Treslœnus mon.; Rodericus mon.; *Hervi* presb.; Mon. Wit.; Osmundus.

II.

E schedis D. Housseau. 1064.

Prugniacenum ecclesiam Quiriacus præsul Roncereio confirmat.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, Q., Dei gratia Nannetensium episcopus, omnibus Christi fidelibus prædecessorum statuta canonice acta servare inconvulsa. Cum cuncta quæ aguntur in diuturna memoria haberi non possint nisi scripto commendentur, quæ egimus in ecclesia, in honore sanctæ, A Dei genitricis Mariæ apud Prugniacum fabricata, indicio præsentis scripti tam præsentibus quam futuris decrevimus assignari. Notum itaque fieri volumus, cum in episcopatu Nannetensi venerabili Airardo episcopo successerimus, vix aliquam totius episcopatus Nannetensis ecclesiam laicarum subjectione vel potestate personarum esse liberam, licet venerabilis prædictus episcopus, dum vixerit, omnem laicalis personæ conditionem virtute Spiritus sancti in suo episcopatu a Dei ecclesia expulisset. Nos vero sanctæ nimium condolentes Dei Ecclesiæ, quæ tantæ subjacebat miseriæ, ad extirpandam ingluviem tantæ rapacitatis elaborantes, quam plurimos invenimus adversarios. Cum autem, tertio ordinationis nostræ B anno, hujusmodi sacrilegos persequendo nostrum perambularemus episcopatum, venientes Prugniacum, invenimus S. Mariæ Andegavensis sanctimoniales sæcularium, scilicet Guefferi ejusque fratrum, dono et concessione, unam ibi obtinentes ecclesiam : quo comperto, fecimus et sanctimoniales quæ ibi commorabantur et illos quorum donatione reclamabant accersiri, innotuimusque eis quod in sanctuario Dei tantam pestem nunquam toleraremus, nec in ecclesia quæ sæcularis dono potestatis obtineretur divinum permitteremus mysterium. Q(ui) G. scilicet et fratres sui, quantum valebant nostris infructuose renitentes rationibus, protulerunt adversum nos hujusmodi rationem, dicentes : — « Parentes nostri in hoc C « suo territorio invenerunt quasdam antiquas « macerias dirutas, quas indigenæ referebant antiquitus fuisse ecclesiam in honore S. Mariæ « constructam, ibique Deum creberrima fecisse « miracula asserebant. Has quidem macerias piis « de causis peroptantes ipsi reædificare in cujus « honore prius constituta fuerat ecclesia, sequestraverunt in partem de possessionibus suis de « prædio suo ad illam pro salute animarum suarum restituendam, quo usque omnino reficeretur. Deinde patre nostro prope temporis « mortuo, et ecclesia de bonis ejus restaurata, nos « filii et hæredes ejus, cum matre nostra, non « præsumentes subtrahere, nec in proprium usum « converti quod vir piissimus in instaurationem D « Dei ecclesiæ contulerat, sed peroptantes augere, « de proprietate nostra ad victualia Deo ibidem « servientium attribuimus, ac proinde illam ecclesiam cum omnibus appenditiis suis S. Mariæ « Andegavensis ecclesiæ cum sorore nostra, Adenora nomine, delegavimus. Unde nullam vobis « vel Nanneticæ ecclesiæ debere subjectionem « non dubitamus. » His itaque irrationabilibus auditis defensionibus, vera et canonica ratione comprobando et affirmando innotuimus eis illam donationem non esse legitimam, nec in illa ecclesia, quandiu laicalis dono personæ obtenta esset, dignum Deo posse celebrari mysterium. Unde ineuntes consilium tam illi quam sanctimoniales quæ ibi aderant, supra dictam ecclesiam, cum omE nibus quæ illi vel parentes sui contulerant in manu nostra et Nannetensis ecclesiæ potestate reliquerunt. Deinde nobis clementer supplicaverunt, ut illam paratam ad consecrandum consecraremus, et consecratam, si nostræ placeret clementiæ, retento quolibet servitio, S. Mariæ Andegavensi suisque monialibus conferremus. Quorum satis opportunæ precationi, collaudatione quidem et

consilio clericorum nostrorum, clementi favore condescendimus, ecclesiamque supra dictam, cum omnibus ad eam pertinentibus, sub nostra et Nannetensis ecclesiæ defensione recepimus, retinentes in illa compensationem Nanneticæ ecclesiæ, annualiter, in Assumptione S. Mariæ, unum auri bisantium; ac proinde ut verius credatur et firmius habeatur, hoc scriptum fieri jussimus et propria manu subter firmavimus, nostrique sigilli impressione signavimus, collaudantibus et confirmantibus clericis nostris, quorum signa cum nominibus subtitulari jussimus. Signum Q., Nannetensis episcopi; S. Guillelmi; S. Radulfi, grammatici; S. Durandi, capellani; S. Huberti, canonici; S. Joannis, canonici; S. Simeonis, canonici; S. Alvei, archidiaconi; S. Garini, cantoris; S. Gaufridi, thesaurarii; S. Aldrœni, cantoris; S. Jarnogonis, canonici. Actum Nannetis, anno ab incarn. Dom. MLXIII, præsulatus Quiriaci pontificis tertio, indict. II, concurr. III, epactæ nullæ, circularis lunaris XVII, terminus Paschalis nonas Aprilis, dies Paschæ III id. Aprilis.

III.

Ex apographo (1). Circa 1070.

Charta Quiriaci præsulis de rebus S. Martini Vertavensis.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Quiriacus, ac si indignus, divina propitiante misericordia Nanneticæ sedis episcopus. Si utilitatibus ovium Christi, quas ipse summus pastor ad supernum ovile propriis humeris dignatus est reportare, ejus pro posse vicem gerentes, cura pervigili providemus, non solum ad præsentis vitæ curricula feliciter transigenda, verum ad postfuturæ beatitudinis gaudia promerenda nobis profuturum credimus. Idcirco noverit universalitas sanctæ Dei Ecclesiæ, quoniam venerabilis abbas Vertavensis monasterii, Simon nomine, accedens ad nostram mansuetudinem, rogaverit quatenus res ecclesiæ nostræ, quas minus caute hactenus tenuerat, ipse et monachi quibus nos calumniam inferebamus, illis nostra auctoritate, causa redemptionis animæ nostræ, habendas concederemus. Cujus nos petitionibus libenter annuendo, concessimus tam illis quam illorum successoribus quas postulaverant ecclesias, scilicet curtis Chassiaci, infra quam curtim sita est ecclesia S. Germani, necnon castrum Montis Falconis, cum ecclesiis in se positis, aliasque plures ecclesias, vicus quarum omnium ecclesiarum est ipse Chassiacus, super Medianam fluvium positus, exceptis synodalibus exactionibus paratisque et sacrilegiis quæ episcopis more solito persolvantur. Iterum concedimus eis ecclesias curtis Gestiacensis, et his adjungimus ut quidquid in omni nostro episcopatu et in tota terra Hoelli, germani nostri, Nannetici comitis, adquirendum invenerint ex rebus S. Martini, abbatis Vertavensis cœnobii, adquirant, et me in omnibus et per omnia hæc patronum habeant. Ad hæc, si aliquis laicorum ex suo jure vendiderit vel dederit illis aliquid, quoniam justum est, cum nostra hoc auctoritate fieri prædicta concessione annuimus. Si vero ex rebus SS. apostolorum Petri et Pauli, volumus ut cum nostro consilio, voluntate et auxilio, canonicorumque nobis subditorum, fiat. Ut igitur hoc firmum et stabile permaneat, solvent monachi, unoquoque anno, in festivitate beatorum apostolorum Petri et Pauli, in censum harum omnium rerum, ecclesiæ Nanneticæ prædictorum Christi apostolorum ejusque rectoribus, unum denarium primi et purissimi auri. Et ut hoc certius credatur et diligentius conservetur, manu propria subter eam firmavimus, manibusque clericorum nostrorum, quorum consilio et voluntate et assensu hæc concessimus, adstipulari fecimus, et insuper sigilli nostri impressione solemniter insigniri jussimus.

IV.

E schedis Baluzianis (1). 1076.

De prædiis quæ S. Cruci dedit Quiriacus, Nannetensis episcopus.

Omnibus fidelibus tam præsentibus quam futuris notum fieri volo donum quod ego Quiriacus, episcopus Nannetensis, monasterio *Quimperelé*, adstante principe, fratre meo Hoello, concessi, pro animabus parentum meorum, quorum liberali munificentia honoris et opum largitione continua idem monasterium a principio constructum fuerat, necnon et pro redemptione animæ meæ, ut post hujus vitæ debitum finem, orationum et beneficiorum eorum particeps effectus, a commissis culpis sublevatus, misericordiam Dei consequi merear. Do igitur et concedo terram quæ est super tumulum *Osanz*, ex altera parte *Losquidic* positam, prædicto monasterio, ubi bina duorum habitacula hominum possunt construi, cum sufficienti terra ad araturam boum apta. Prædium præterea quoddam, de meis prædiis juxta *Chesal* positis, ad usum fœni necessarium eisdem fratribus Kemperlegiensibus attribuo. Quicumque autem successorum meorum in aliquo hæc dona in auferendo diminueret, a sacræ communionis consortio æternaliter privetur. Hoel, comes, hujus doni testis. Ego Quiriacus, Nannetensis episcopus, testis, qui hoc donum dedi et in manu Benedicti, fratris mei, abbatis ejusdem loci, concessi. Guilhelmus archidiaconus, testis. Radulfus archidiaconus, testis. Guigonus decanus, testis. Simeon. *Buzic*, frater Jarnogoni. *Dunguallun* cantor. *Alen* thesaurarius. Guarinus, Joannes canonici. Harscoidus, episcopi præfectus. *Rodalt*, Morvanni filius, dapifer. *Cladouan*, episcopi thelonarius. De curialibus autem, *Baldri de Clizun*, *Bernard de la Roche*, Daniel de Ponte, et alii multi curiales. Benedictus abbas testis, cum quo factum est, David monachus, Perenesius monachus. Actum est in civitate Nannetica, anno ab incarn. Domini MLXXVI.

V.

E Concilio Mansi 1109.

Edictum Benedicti episcopi de ecclesia S. Medardi de Dolon.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Benedictus, Nannetensium episcopus, constitui in ecclesia S. Medardi de *Dolon*, quæ est prope mœnia urbis Nanneticæ, quosdam canonicos ad serviendum ibi Deo secundum regulam S. Augustini. Sed heu! contra spem et voluntatem nostram in parvo tempore canonicalis cœpit ibidem religio miserabiliter destitui. Quod cum ego vidissem, in capitulum eorum aliquotiens veni, sæpe eos de correctione sui commonui, et cum nec sic proficerem, ad ultimum etiam comminatus sum eis, nisi se corrigerent, me eos ab ecclesia emissurum, et alios ferventiores ad Dei servitium immissurum. Illi autem nec se corrigentes, et res loci per se posse detineri diffidentes, et hoc etiam affirmantes, tandem accesserunt ad abbatem

(1) Alb. Mantell. codex 41, p. 961.

(1) Arm. 2, fasc. 1, num. 1, tom. 2.

S. Nicolai Andegavensis, dicentes se velle fieri monachos, et locum S. Medardi ei et ejus monachis subdituros. Quod cum ad me perlatum esset, et advocatis eis requisissem si sic fecissent, et respondissent rem ita se habere, « *Ego autem*, inquam, *illi ecclesiæ providebo.* » Misi itaque ad venerabilem abbatem Majoris Monasterii, nomine Willelmum, et mandavi ei quod illam ecclesiam decrevissem B. Martino et ejus monasterio condonare. Unde ille, accepto consilio, transmisit ad me duos ex monachis suis, domnum Willelmum priorem et domnum Milonem. Præsentibus igitur et concedentibus archidiaconis nostris Rivallonio, et Gaufrido, et Harcodio de S. Petro, de quo illa ecclesia movebat secundum sæcularem potestatem, qui eam in manu nostra reliquerat, dedi B. Martino et monachis ejus, in manu domni Willelmi prioris, ecclesiam illam cum omnibus ad eam pertinentibus, salva justitiæ et auctoritatis nostræ canonica reverentia. Huic dono interfuerunt Rivallonius et Gaufridus, archidiaconi Namnetenses, et Petrus cantor : de monachis, Willelmus prior; Milo, Guarinus de Fundeta, Gilduinus, filius Gilonis. Parvo post tempore, domnus Girardus, legatus apostolicæ sedis, celebravit concilium Lausduni, ubi et ego interfui, et ejus in præsentia confirmavi præfatum donum, ipso mihi inde magnas gratias referente. Hanc autem confirmationem feci ipsi abbati Willelmo, ubi interfuerunt præsentes et videntes, de monachis ejus, Willelmus prior, Andreas, Gommes, Milo, Gilo, Frotmundus, prior Taventi.

Actum anno Dominicæ Incarn. MCIX, ind. III, et regnante in Francia rege Ludovico.

VI.

E. D. Moricio. Circa 1142.

Charta fundationem Mellereii referens.

Debilis est et infirma memoria mortalium et vix durat ad filios quod patres consuerint memoriter retinendum. Ad notitiam igitur posterorum litterarum apicibus tradendum quod haberi memoriale volumus in omni progenie et generatione. Brevi itaque eloquio summam hujus testamenti ab exordio perstringentes, quomodo hæc domus in abbatiam creverit, terras etiam et possessiones huic datas ecclesiæ, ne nostra negligentia post futuris viderentur incognitæ, parva schedula denotabimus successuris. Igitur beatæ memoriæ Fulco, abbas Pontis Otranni, vir Deo plenus, Deum totis visceribus concipiens, quærebat ubi pareret filios Dei, et, inventa occasione, misit duos de monachis suis, qui totam istam circuirent provinciam et locum religioni congruum diligenter inquirerent; inventum vero a viro, cujus subjacet dominio, fusis precibus impetrarent obtinendum. Factum est ut imperavit, et non est fraudatus a desiderio suo. Jam longe lateque istam regionem deambulaverant monachi, cum tandem, duce quodam religioso presbytero Rivallone de Averne, qui eos die præcedenti benigne susceperat hospitio, sicut fuerat voluntas in cœlo, in hunc locum qui vetus Mellerium dicitur deveniunt, ibique multas gratias agentes Deo pro venusta eremi solitudine, largam opacitatem nemoris a strepitu remotam sæcularium cœperunt curiosius contemplare et mirari. Nec mora, ut jussionem patris explerent, dominum loci illius Alanum de *Maidon* adierunt, qui statim pulsantibus devote aperiens quæsitum locum cum terra adjacenti et nemore pro voto eis tradidit et concessit ad construendum cœnobium, ipse postmodum cum suis per circuitum fines disterminans abbatiæ. Dato itaque et accepto quod summo desiderio concupierant, monachi reversi sunt cum gaudio magno, et intrantes locum mox ibi fixo tentorio diutius habitaverunt. Nec otiosa fuit longa ibi demorantium conversatio. Semper prompti ad laborem et in opere manuum occupati, scientes quia nihil sine magno labore vita dedit mortalibus, non cessabant in securi et ascia dejicere silvam lignorum, prava facere in directa, et aspera in vias planas, terras per gyrum adquirere, excolere adquisitas, locum possessionibus dilatare. Igitur evoluto circiter decem annorum spatio, cum tempus opportunum accidisset, Fulco, venerabilis abbas Pontis Otranni, in hunc locum Mellereii conventum misit monachorum cum adjuncto sibi abbate Guiterno, viro satis in divinis et sæcularibus erudito, anno videlicet ab Incarnatione Domini MCXLII. Isti ergo in labore Dei primo mane desudantes, in multa egestate construendo cœnobium pondus diei et æstus indefesse portaverunt, et, deficiente multoties victualium subsidio, animo deficere nesciebant, satagendo omnimodis paratam hæreditatem successoribus cum rebus necessariis committere; nec cessabant ædificare et plantare, colere agros, hortos componere, facere rivos in stagna aquarum, fabricare domos, crescere in dies et possessiones multiplicare. Dona vero quæ temporibus eorum vel nostris huic facta sunt ecclesiæ, seu quæque per eos adquisita præsenti stylo memoriæ notificabimus posterorum. Primum ergo donum locus iste qui vocatur vetus Mellereium, quem pro salute animarum suarum Deo et S. Mariæ et monachis ibidem degentibus Haimo *Le Bigot* et Alanus, filius Clarembaudi, immunem eleemosynarie donaverunt. Et hæ sunt metæ : callis scilicet fontis de *Tafeaus*, et chiminus Bernardi, et divisio Avernei et feodus *Guihenoc;* et insuper usagium totius *Maidon*, tam nemorum quam pascuorum. Hoc concesserunt uxores eorum et infantes, uxor Haimonis Doa, filius Paganus et uxor sua, et Anna filia eorum cum viro suo Ivone *de Roge*, et Hervœus monachus *des Barrez;* ex alia parte, uxor Alani, Superba cognomine, Clarembaudus filius ejusdem Alani. Hujus rei testes sunt *Basdes* et *Bascleaux*, filius ejus, Gauffridus *de Romille*, Tardus *de Grennaie*, Vivianus et frater ejus Februarius, Aufredus monachus de *Maidon* et Will. sacerdos.

VII.

E chartulario S. Sergii. Circa 1160.

Sopita lis de duobus areis inter S. Sergii monachos et Gaudinum de Chemereio.

Ego Bernardus, Dei gratia Nannetensis episcopus, quod in præsentia nostra factum est, ne quando in incertum veniens litigandi tribuat occasionem, scripto et memoriæ litterarum idoneum duxi commendare. Noverint igitur omnes hoc audituri, quod cum querela esset inter monachos S. Sergii et Gaudinum atque Radulfum *de Cheméré*, super duabus areis quas ipsi duo fratres in burgo monachorum per violentiam tenebant, et terra quæ vocatur Chesia, inter burgum et Jaheteriam sita, tandem terminata est hoc modo. Dimiserunt siquidem prænominati fratres et Aimericus filius Gaudini, in manu domni Guillelmi, abbatis ecclesiæ S. Sergii, et monachis, prædictas areas et terram, et quod ab aliis filiis et filia concedi facerent firmiter promiserunt : concesserunt insuper ut nullam deinceps in homines, sive in burgum, vel terram monachorum facerent violentiam et in manu mea posuerunt. Hujus rei testes sunt Radulfus, ecclesiæ nostræ thesaurarius; Radulfus, capellanus; Aimericus, canon. Cenom.; Aimericus, prior S. Sergii; Rob., sacrista; Aululfus, eleemo-

synarius; Radulfus, prior Calummæ; Augustinus, prior *de Chemeré;* Geoffridus, prior *de Pornit;* Mauricius, clericus; *Abbe de Prugné;* Hervæus Mauricii; Guillelmus Gosleni; *Rahart; Oeler*. Hoc quoque concesserunt in burgo S. Petri, qui cognominatur de S. Opportuna, filii supradicti Gandini, Hato videlicet, Gaudinus, Daniel, Radulfus. Testes : Petrus Levini, Guillelmus Gosleni, Petrus Abraham, Girard, *Grigne*, Mauricius *Cornillel*, Augustinus et Geoffridus monachi. Ut autem hæc concessio, sive manumissio, rata permaneat, scriptum nostrum eis fecimus, et sigilli nostri auctoritate munivimus. Si quis vero monachos de cætero super hoc inquietare præsumpserit, iram Dei omnipotentis et nostram incurrat, et excommunicationem.

VIII.

Ex apographo (1). 1163.

Pontificiæ litteræ de Genestonii fundatione.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Clementi, priori ecclesiæ de Genestonesia, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris canonice substituendis in perpetuum. Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatenus et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, præfatam ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, ut ordo canonicus qui secundum Deum et B. Augustini regulam ibidem est, et institutiones quæ a venerabili fratre nostro Bernardo, Nannetensi episcopo, in eadem ecclesia canonicorum S. Mariæ Magdalenæ assensu rationabiliter institutæ sunt, perpetuis temporibus conserventur. Quascumque præterea possessiones, quæcumque bona, ex dono vel concessione ejusdem episcopi aliorumque fidelium, in præsentiarum juste et canonice possidetis, aut in futurum ex concessione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Genestum, in quo ecclesia vestra sita est, cum pertinentiis suis, ex dono Bernardi, Nannetensis episcopi; ecclesiam de Monteberti, cum pertinentiis suis: ecclesiam S. Joannis *de Boisel*, cum pertinentiis suis, ex dono Mauricii Hervæi et Willelmi Normandeli; quidquid juris habetis in terra quæ dicitur Petra Stulta, ex dono Hervæi *Hoaut* et filii sui Mauricii; medietatem domorum landarum de Pomeria, ex dono Rainaldi Matacrei; dimidium quarterium terræ in masura, et quidquid juris ex dono ejusdem Rainaldi et Goveni de *Paluel* habetis in landis quæ sunt a Petra Lata usque ad Genestosum; ex dono Pagani, filii Alisciæ, quidquid juris habebat in parochia de Rezaio; ex dono Matthiæ Hervæi, Simonis, Judicaelis, locum S. Lippiani cum pertinentiis suis; ex dono Rolandi Clerici et filiæ suæ, Landesciæ terram et vineas quas habetis in parochia de portu S. Petri. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas præsumat exigere; sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat : salva tamen canonica justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat supra dictam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed illibata omnia et integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris Nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini Nostri Jesu Christi, quatenus hi fructum bonæ devotionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen. Ego Alexander, catholicæ Ecclesiæ episcopus; P., presbyter cardinalis, tituli SS. Nerei et Achillei; ego Henricus, presbyter cardin. tituli S. Anastasiæ; ego Albertus, presb. cardin. S. Laurentii in Lucina; ego Ubaldus, Hostiensis episcopus; ego Oddo, diac. card. S. Nicolai in carcere Tulliano; ego Ardicio, diac. card. S. Theodori; ego Boso, diac. cardin. SS. Cosmæ et Damiani.

Datum Turcini, per manum Hermanni, sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconi et notarii, VI id. Junii, indict. XII, incarn. Domin. anno MCLXIII, pontificatus vero domini Alexandri pp. III anno quarto.

IX.

E chartul. S. Sergii. 1172.

Litteræ Roberti præsulis de rebus S. Sergio ab Harscoido condonatis.

Ego Robertus, Dei gratia Nannetensis episcopus, universitati fidelium notum fieri volo quod Harscoidus, dominus Radesiensis, pro sua suique patris et matris suæ atque Gestini fratris sui animabus, monachis S. Sergii in domo Chemiriacensi Deo servientibus dedit landam quæ dicitur Villa Nova, prout noa de Brolio Aennor ducitur ad cheminum S. Cyriaci, ex altera parte sicut via Chemiriaci et noa ducitur ad illud idem cheminum. Monachi vero de pacto tenentur in præfata domo tres monachos deinceps ex quo terra ista culta fuerit habere, cum prius non essent in eadem domo nisi duo solum monachi. Hanc denique donationem posuit Harscoidus in manu mea. Ego autem ea monachos investivi. Huic vero donationi interfuerunt nobiscum Geoffredus et Alanus, ecclesiæ nostræ archidiaconi; Geoffredus de Garrandia, ejusdem domus tunc prior; Raginaldus, capellanus S. Joannis; Matthæus de Lauratorio; Gedorius famulus meus et alii quam plures tam clerici quam laici. Actum Nannetis, Verbi incarnati anno MCLXXII. Ut autem donatio rata et inconcussa in perpetuum perseveret, litteras nostras sigilli nostri auctoritate munitas eis tradidi.

(1) Cod. de Gaignieres 182, p. 59.

X.

Ex apographo(1). 1218.

Epistola Honorii papæ de Stephani præsulis exsilio.

Honorius venerabili fratri, Turonensi archiepiscopo, salutem.

Qui ecclesiasticam impugnantibus libertatem se murum defensionis opponunt, rerum dispendia et personarum pericula non timentes, eo fortius sunt a viris ecclesiasticis adjuvandi, cum res agatur ipsorum, quo malefactores amplius invalescerent et fierent ad maleficia proniores, si et illi ex necessitate desisterent, et isti nullis agentibus contra eos nullam pœnam ex maleficiis reportarent. Cum itaque venerabilis frater noster..., Nannetensis episcopus, adversus tyrannidem nobilis viri comitis Britanniæ, Nannetensem ecclesiam crudeliter persequentis, clypeo defensionis assumpto, exsulare magis decreverit quam pati libertatis ecclesiasticæ detrimentum, et ex hoc ipse ac clerici tam civitatis quam diœcesis Nannetensis totam Britanniam sint egressi, fraternitatem tuam monemus, rogamus, exhortamur in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus episcopo et clericis supra dictis sic in necessariis et tu ipse subvenias, et facias in tua provincia subveniri, quod ipsi subventione caritativa firmati assumptam causam fortius prosequantur. Datum Laterani, vii cal. Julii, anno secundo.

XI.

Ex apographo(2). 1235.

Epistola Gregorii IX de investiganda causa Joscelini, Nannetensis electi.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati de Vadacio et archidiacono de Passeio, Cenomanen. diœcesis, et magistro Raherio, canonico Cenomanen., salutem.

Dilectus filius magister Willelmus, procurator Joscelini, archidiaconi Nannetensis, in nostra proposuit præsentia constitutus, quod Nannetensis ecclesia nuper pastoris solatio destituta, ne sub vacatione deficeret longiori, canonici Nannetenses suæ matris calamitate concussi convenerunt in unum, et omnes præter quatuor, qui inter se diversi nominaverunt diversos, scrutatis singulorum voluntatibus, prædictum archidiaconum, virum litteratum, providum et honestum, per cujus industriam speratur eadem ecclesia in spiritualibus et temporalibus reformanda, in suum episcopum elegerunt; cujus electionem venerabilis frater noster, Turonensis archiepiscopus, metropolitanus, eorum sibi cum decreto præsentatam, ab ipsis opponente de solo... cantore, Cenomanensis ecclesiæ prædictæ canonico, uno ex quatuor supradictis, et ad nostram audientiam appellante, noluit confirmare, negotium ad sedem apostolicam remittendo, apud quam, dicti Joscelini procuratore electionem hujusmodi confirmari petente, præfatus cantor excipiendo proposuit non modicum in ipsius processu fuisse peccatum, cum ante scrutinium illi qui archidiaconum nominarunt cum eo et suis habuissent de ipso eligendo tractatum, quin etiam e decem vel undecim in scrutinio nominantibus, tres vel quatuor tali modo consenserint in ipsum dicentes : « Non contradicimus si archidiaconus eligatur; » et cum, votis canonicorum post scrutinium publicatis, statim ipse, priusquam proce-
A deretur ulterius, appellavit, ne procederetur ad electionem omissa forma canonica, et ne quis eligeretur cui de statutis canonicis aliquid obviaret, quatuordecim canonici, appellatione despecta nullaque collatione habita in communi vel electione præmissa, cantando *Te Deum laudamus* deportaverunt eumdem archidiaconum ad altare. Addidit etiam dictus cantor quod in crastinum electionis ipse ac tres alii supradicti in capitulo appellarunt, ne sigillaretur aliquid sigillo capituli in præjudicium eorumdem. Contra electi vero personam objecit, quod sic illitteratus existit quod nec latine novit nec gallice prædicare, ex quo grave posset Nannetensi diœcesi periculum imminere, maxime cum in locis vicinis multi de
B novo hæretici sint inventi, et diœcesis illa, quæ præter duas populosior est inter alias diœceses provinciæ Turonensis, sæpe propter malitiam habitantium in eadem consueverit interdici in tantum, quod quædam pars ipsius per viginti annos et amplius continuo subjecta exstitit ecclesiastico interdicto. Propter magnum quoque luminis defectum, quem idem archidiaconus fere octogenarius patitur, episcopali non congruit dignitati, plus debito timens nobiles et potentes, quod ex hoc liquet aperte, quoniam excommunicatos, prout debuit, non vitavit; quod etiam qui nominaverunt eumdem minime ignorarunt, quorum multi in eodem ei similes exstiterunt. Unde tam ei quam ipsis timendum est, quod non solum mi-
C nores, sed etiam majores excommunicationis vinculo sint adstricti, cum multi cum participantibus excommunicati fuerint in diœcesi supradicta. Præterea nimia complectitur affectione propinquos, pro quorum timore consistentium sub potestate quorumdam potentium, qui bona ejusdem ecclesiæ detinent occupata, ad ea recuperanda viriliter procedere non auderet, ac ad munera, quæ interdum prudentes avertunt, se facile juxta ejusdem consuetudinem inclinaret; ejusque negligentia ex eo notabilis esse videtur, quod in archidiaconatu suo, cui circa viginti annos præfuit, debitam coertionem non exercuit, licet multa invenerit corrigenda. Quare ipsius electionem dicebat nullatenus confirmandam, et eligendi jure
D hac vice privatos vel privandos etiam electores. Dicti vero archidiaconi procurator e contra respondit, quod, in electione prædicta, observata fuit forma canonica, et canonice celebrata de persona idonea, congrue litterata, utpote quæ a teneris annis in artibus et in jure diu studuit, et postmodum in theologica facultate; in quo, etsi litteratura eminens non existeret, debebat tamen competens tolerari, cum præter ipsam sibi vitæ ac morum honestas ac consanguineorum potentia, qui necessarii sunt Nannetensi ecclesiæ, suffragentur. De ipsius quoque diligentia constare dicebat, quoniam archidiaconatui suo laudabiliter præfuit, et ibi verbo profecerat et exemplo. De cujus ætate ac defectu luminis cantor ipse minus
E veraciter præmissa confinxit; cum idem archidiaconus vix annum sexagesimum excessisset. Negabat etiam dictum archidiaconum pronum ad munera quæ ipsum facerent a justitia deviare; nec erat verisimile quod potentes plus debito vereretur, cum contra nobilem virum..., comitem Britanniæ, bis vel ter ad sedem apostolicam venerit pro ecclesia Nannetensi. Inficiabatur insuper eum et electores suos nisi in casibus concessis excommunicatis communicasse scienter, vel nominatum cantorem appellationem emisisse prædictam : quod si etiam appellasset, cum electi persona sit idonea et electa canonice, non contra formam appellationis, immo potius secundum eam intelligitur electio celebrata. Unde suppliciter pos-

(1) Inter Collect. D. *La Porte du Theil.*
(2) Ex eisdem Collect.

tulavit, ut, ipsius cantoris contradictione et appellatione nequaquam obstantibus, præfatam electionem confirmare tanquam canonicam dignaremur. Quocirca de dicti cantoris et ejusdem procuratoris assensu mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint evocandi et cognita super his et aliis diligentius veritate, causam ad nos remittatis sufficienter instructam. Electo ut personaliter, capitulo vero si voluerit, et præfato cantori, aut per procuratores idoneos, præfigentes terminum competentem quo compareant coram nobis, quod super hoc statuendum duxerimus recepturi. Quod si non omnes, etc., etc. Datum Perusii, XII calendas Julii, anno nono.

XII.

Ex apographo (1). 1236.

Epistola Gregorii papæ IX de injuriis ecclesiæ Nannetensi illatis.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo, dilectis filiis decano Pictaviensi et thesaurario S. Martini Turonensis, salutem.

Venerabilis frater noster episcopus Nannetensis sua nobis conquestione monstravit, quod ecclesia Nannetensi olim pastore vacante, dilectus filius nobilis vir..., comes Britanniæ, crucesignatus, bonis ejusdem ecclesiæ sub occasione custodiæ occupatis, ac extensis manibus ad diripienda bona hominum et vassallorum ipsius, dicto episcopo subvenire in suis necessitatibus solitorum, non contentus proventibus et reditibus consuetis, qui ad opus substituendi pontificis deductis expensis per eum conservari debebant, adeo prædis et collectis ac diversis exactionibus homines præfatos oppressit, quod, paupertate cogente, quasi mendicitatis subire coutristentur opprobrium, quibus in divitiarum affluentia erat diversitas gaudiorum, sicque fit quod eorum plures, habitationibus propriis derelictis, ad alia loca in spiritus amaritudine confugerunt. Præterea dictus comes decimas, quæ sunt Deo in signum universalis dominii reservatæ, spectantes ad ecclesiam Nannetensem, fecit per suos bajulos occupari; qui etiam, minimis parcere nescientes, dolia, fenestras, ac portas de domibus et maneriis episcopalibus asportarunt, sic modum in his et aliis excedentes, ut vixsit credibile quod plura contra ipsam ecclesiam et vassallos ac utrorumque bona paganorum hostilitas præsumpsisset. Quid ultra? Pisces de ipsius ecclesiæ piscariis extrahi, et suis immitti, ac silvas ejusdem succidi faciens, plura sibi gravamina quam deceat explicari litteris irrogavit. Et quanquam dictum comitem per scripta nostra duxerimus admonendum, ut eidem episcopo et hominibus suis de illatis damnis et injuriis satisfactionem impenderet congruentem, non solum id efficere noluit, imo, quod est gravius, quosdam vassallos ejusdem episcopi postmodum quibusdam salinis et vineis contra justitiam spoliavit. Nos igitur super iis ita providere volentes, ut proveniat et ecclesiæ memoratæ solatium, et sæpe dicto comiti salutis ac famæ non immineat detrimentum, de assensu ipsius, et procuratoris episcopi memorati, mandamus quatenus eumdem comitem ad restitutionem decimarum hujusmodi, veritate cognita, monitione prævia per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, proviso ne in terram ipsius et testes memoratos... Super aliis vero cum hoc idem comes coram nobis obtulerit, inquiratis plenius veritatem, et, si de partium voluntate processerit, amicabili concordia terminetis. Alioquin causam sufficienter instructam ad nostrum remittatis examen, præfigentes partibus terminum competentem quo per procuratores idoneos nostro se conspectui repræsentent, justam auctore Domino sententiam recepturæ. Quod si non omnes, etc., etc. Datum Interamnæ, III non. Decembris, anno decimo.

(1) Inter collect. D. *La Porte du Theil.*

XIII.

Ex apographo (1). 1236.

Epistola Gregorii papæ ad Robertum præsulem.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Nannetensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod cum fere omnes capellani parochialium ecclesiarum tuæ diœcesis consueverint, ita quod eorum quilibet prædecessoribus tuis loco procurationis, quæ visitationis ratione debetur, certam solveret pecuniæ quantitatem, tu non potes diœcesim visitare cum iidem capellani nolint tibi procurationes debitas exhibere, sed potius summam pecuniæ consuetam, propter quod multa pericula eveniunt animarum; quare a nobis provideri tibi super hoc humiliter postulabas. Nos igitur, sicut convenit attendentes quod talis abusio non consuetudo dici debet, sed potius corruptela, ut, ea non obstante, capellanos præfatos ad exhibendas tibi procurationes annuas quæ ratione visitationis debentur, moderatas tamen tam evectionum numero quam etiam personarum, compellere valeas auctoritate præsentium liberam tibi concedimus facultatem. Datum Interamnæ, nonis Decembris, anno decimo.

XIV.

Ex apographo (2). 1314.

Charta de fundatione eleemosynariæ domus juxta Plessé.

OMNIBUS hæc visuris Daniel, permissione divina episcopus Nannetensis, et ecclesiæ prædictæ capitulum, salutem et pacem. Noveritis quod cum vir serenissimus Arturus, quondam dux Britanniæ, in suo disposuerit testamento fundari pro ejus anima quamdam domum pauperum apud *Roseit*, in diœcesi Nannetensi, et idem domui reliquerit et assignari jusserit ducentas libras currentis monetæ perpetui reditus, in locis competentibus assidendas ad arbitrium suorum executorum testamenti prædicti, adjiciens in eodem testamento quod iidem executores de dictæ domus regimine, patronatu, et cæteris ordinare valerent prout expediens videretur eisdem, quapropter iidem executores ordinarunt ut sequitur de fundatione, regimine, institutione et destitutione rectoris domus prædictæ, salvo tamen nostro consilio et assensu, retentaque apud eos declaratione dubiorum, si quæ apparuerint, circa ordinationem eamdem et complemento ipsius. Ordinarunt itaque executores præfati quod eadem domus in loco prædicto, executionis prædictæ sumptibus, cum suis necessariis construatur, ita quod dux modernus propter hæc eis deliberet de nemore forestæ *Degaure*, sine pretio, quatenus opus erit. Item quod habeat illa domus, ex concessione testatoris præfati, ducentas libras bonæ monetæ in locis competentibus per eos declarandis, nisi dux modernus infra Natale proximum ad eorum gratum eas declaraverit assidendas. Item quod domus illa, expensis ipsius executionis, utensilibus, lectis, pannis et aliis

(1) Inter Collect. D. *La Porte du Theil.*
(2) Cod. Reg. 8357[1].

necessariis debite muniatur, et pro ejus regimine proprium habeat capellanum, qui administrationem habeat dictæ domus, et quemdam laicum fide dignum, nec non quamdam matronam pro servitio pauperum dictæ domus, cum suis auxiliis opportunis; quodque laicus et matrona præfati sub correctione et mutatione, si opus fuerit, maneant capellani. Item quod in eadem domo recipiantur gratis quoad jacendum omnes pauperes transeuntes, tam sani quam morbis non contagiosis infirmi. Item quod, juxta domus ipsius facultates, alantur saltem legumine mendici, pauperes hospitati, et releventur infirmi; quodque feminæ ibidem recipiantur seorsum a viris. Item quod capellanus prædictus pauperibus de extra parochiam ministret ecclesiastica sacramenta et etiam sepulturam, celebretque qualibet die hebdomadæ, nisi canonice fuerit impeditus, missam pro anima dicti ducis, et non admittatur impedimentum ipsius quin saltem ter in hebdomada teneatur per se vel alium celebrare. Diebus tamen dominicis ante missam majorem ecclesiæ parochialis de *Plexé*, non poterit absque rectoris assensu, nisi parochianis expulsis, vel clausis januis, celebrare; qui etiam nullam oblationem, nulla jura parochialia a prædictis parochianis recipiet, aut, si recipiat, inde statim satisfaciat rectori prædicto : oblationes autem advenarum poterit retinere. Nec intromittet se rector prædictus de jure funerario pauperum advenarum decedentium in domo prædicta, seu etiam capellani, vel servitorum domus prædictæ. Et quia forsan propter domum prædictam in aliquo detrahetur commoditati parochialis ecclesiæ supradictæ, ordinaverunt exsecutores prædicti quod domus illa faciat et reddat in perpetuum anno quolibet ipsi ecclesiæ sexaginta solidos renduales pro omni indemnitate, in festo Resurrectionis Dominicæ, vel infra ejus octavas. Item quod capellanus quicumque instituetur in domo prædicta teneatur ibidem facere residentiam personalem, contra quod non possit per aliquem dispensari; et si dispensatum de facto fuerit, dispensatione eadem non utatur : quod si fecerit, ab eodem regimine perpetuo sit privatus, et inde ejici valeat per diœcesanum episcopum, et, eo negligente, per capitulum Nannetense, et, utroque negligente, per ducem; nullumque aliud ecclesiasticum beneficium ex collatione, vel commenda, cum eo poterit obtinere; et si aliud recipiat, vacet istud omnino, a quo dejiciatur ut supra. Habebit itaque capellanus præfatus ex reditu ducentarum librarum prædictarum quinquaginta libras monetæ cursilis pro omni provisione, perpetuo in locis aut rebus competentibus assidendas ad præsentem, et habitationem idoneam quæ sibi fiet et procurabitur expensis executionis prædictæ, residuo reditus supradicti in usus pauperum applicando, cum omnibus acquisitionibus et incrementis futuris. Super institutione vero capellani prædicti de cætero facienda ordinarunt exsecutores præfati, ut scilicet personæ sæculares exsecutorum ipsorum, et eorum superstites, aut superstes, in eadem domo rectorem eligant, vel eligat, Nannetensi episcopo præsentandum, qui eumdem ad ipsum regimen sine omni contradictione recipiat, nisi sine causa legitima prohibente recuset, et tunc ei præsentet idoneum qui præsentaverat recusatum. Defunctis autem exsecutoribus antedictis, episcopus Nannetensis quicumque fuerit sanæ mentis, alioqui capitulum ecclesiæ Nannetensis, dum domus ipsa rectore caruerit, duos clericos idoneos presbyteros, vel infra annum præsbyterati, habiles et volentes, nominet duci Britanniæ, si major annis fuerit, ac etiam sanæ mentis, qui alterum eorumdem absque omni contradictione præsentet nominatori prædicto ad regimen antedictum; qui etiam præsentatus ad illud sine difficultate qualibet admittatur. Prædictæ vero nominationes et præsentationes in vera conscientia fiant, et periculo animarum tam nominantis quam præsentantis. Rursus ordinarunt exsecutores præfati ut idem capellanus, seu rector domus præfatæ, teneatur super administratione sua, quoad portionem ad pauperes pertinentem, episcopo Nannetensi et ejus vicario parrochialem ecclesiam visitanti reddere rationem, advocato ad id per episcopum aliquo servientium vel officialium ducis, si possit haberi commode, in receptionem computi supra dicti; alioquin, aliquo presbytero, habitatore loci præfati : episcopo vero non existente, vel absente, archidiaconus ut supra audiat et recipiat computum supradictum; et in alterutro casu, recipiens rationem errata puniat et faciat emendari ad utilitatem domus et pauperum prædictorum. Nos autem episcopus et capitulum antedicti, visa et examinata ordinatione prædicta, eamdem in omnibus et per omnia per appensionem decreti nostri et alias quatenus opus est ad majorem ipsius firmitatem laudamus et etiam approbamus, et perpetuum decernimus habere vigorem. Maxime cum alias ad hoc præsens in capitulo coram nobis discretus vir magister Guillermus de Fonteneyo, legum doctor, et rector prædictæ parrochialis ecclesiæ, voluit et approbavit quidquid super hæc faceremus. Et dicimus etiam de assensu et voluntate ipsorum exsecutorum, ut quicumque ad ejusdem domus regimen de cætero admittetur, in sua receptione vel institutione juret omnia supra dicta quatenus in se fuerit observare, et jura parrochialis ecclesiæ minime usurpare. Item ordinatum est, ut nulla citra tenorem hujusmodi ordinationis, circa nominationem vel præsentationem rectorum aut alias, usurpatio, a quacumque parte facta fuerit, possessionem vel proprietatem aliquo tempore præbeat usurpanti. Quod autem de incrementis, ut supra dicitur, usui pauperum applicandum ad ea quæ singulariter et voluntarie capellano legari vel reliqui contigerit, pro suffragiis absque fraude minime extendetur. Actum in nostro capitulo, die lunæ ante Assumptionem B. Mariæ Virginis, anno Domini MCCCXIV.

XV.

Querela contra Girardum de Machecolio, Bellæ Riperiæ invasorem.

Ex apographo (1).

Illustri ac magnifico principi et potenti domino suo domino Joanni, duci Britanniæ, sui humiles et devoti frater Joannes, abbas monasterii de Buzaio, pater abbas monasterii Villæ Novæ, diœcesis Nannetensis, ordinis Cisterciensis, necnon et frater Joannes abbas et conventus dicti monasterii Villæ Novæ, cum sui recommendatione seipsos cum omni reverentia et honore. Cum nobilis vir dominus Girardus de Machecolio, miles ejusdem diœcesis Nannetensis, per suam potentiam et violentiam temeritate propria invadere præsumpserit et occupare de facto quamdam exclusam in Ligeri constructam et vocatam de Bella Riperia, nostri monasterii Villæ Novæ, et de qua fuimus in possessione tempore de cujus memoria contrarium non existit, cujus monasterii Villæ Novæ progenitores vestri fundatores fuerunt, et vos ejusdem monasterii non immerito recognosci-

(1) Cod. Regio 8357².

mus in patronum, et adhuc dictam exclusam indebite, in suæ animæ periculum et nostri præjudicium, nolisque renitentibus et invitis, occupatam detineat, per suam violentiam, ut prænittitur, et invasam, occasione cujus permutationis quam super his asserit se fecisse; in qua permutatione, si unquam facta fuit de facto, nunquam consensuimus, imo totaliter dissentimus, nec eam unquam ratam habuimus neque gratam : dominationi vestræ supplicamus ac etiam cum justitia requirimus tenore præsentium, licet alias, jam diu est, vos requisierimus, quatenus cum ad vestrum notorie spectet officium, tam de consuetudine notoria quam de jure, nos et nostrum monasterium prædictum in nostris juribus et possessionibus conservare et defendere ab oppressionibus et violentiis quibuscumque, dignemini super his apponere remedium debitum et etiam opportunum; in quorum omnium testimonium sigillum monasterii Villæ Novæ, quo unico utimur, præsentibus litteris duximus apponendum, una cum signo et subscriptione notarii publici authoritate apostolica infra scripti eisdem litteris appositis ad majorem certitudinem præmissorum. Nos autem pater abbas de Buzaio prædictus permutationem, seu alienationem de dicta exclusa, si quæ facta fuit, decernimus fore nullam, nec eam ratam unquam habuimus, nec habemus, nec consensimus in eadem, et ad majus testimonium præmissorum sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Datum et actum in nostro capitulo Villæ Novæ, nobis capitulantibus, die Jovis post festum Conceptionis B. Mariæ Virginis, anno Domini MCCCXXVIII, præsentibus ad hæc discretis et venerabilibus viris domino Philippo de Castro, decano Nannetensi, Eudone scholastico Nannetensi, nobili dom. Petro *Bouschier* milite, Geoffrido de Soreya, rectore ecclesiæ de Peregrino, Guillelmo *Bouschier* domicello, Theobaldo de Templo, et pluribus aliis testibus ad præismsa vocatis et rogatis.

XVI.

Ex apographo (1). 1330.

Scuta Britonum ducis ex ecclesiasticis domibus avelluntur.

In nomine Domini Amen. Anno a Nativitate ejusdem MCCCXXX, pontificatus sanctissimi patris ac domini Joannis, divina Providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summi Pontificis XXII, anno decimo quarto, pateat universis per hoc præsens publicum instrumentum, quod, die Dominica post festum B. Scholasticæ virginis, in mei et alterius publici notarii et testium subscriptorum præsentia constitutus Gaufridus, dictus *le Perdriors*, notorie hostiarius magnifici principis et potentis domini Joannis, ducis Britanniæ, et ab eodem in suo Parlamento generali tunc temporis existentis quoad infra scripta et de speciali mandato ipsius domini ducis, viva voce, ut dicebat, specialiter destinatus, ad instantiam reverendi in Christo patris domini Danielis, Dei gratia episcopi Nannetensis, ac venerabilium virorum capituli Nannetensis, graviter conquerendo asserentium, quod, licet idem dominus dux in terris ipsorum et ecclesiæ Nannetensis nullum imperium nec jurisdictionem haberet, aut habeat, ut ex parte ipsorum asserebatur, fama etiam publica super hoc laborante, nihilominus gentes ipsius domini ducis scutellos armis dicti ducis signatos portis et hostiis domorum dictorum canonicorum et alibi in terra ecclesiæ Nannetensis apposuerunt, contra voluntatem dictorum episcopi et capituli, et dictas domos personaliter accedens et hostiatim præfatos scutellos publice et notorie amovit, palam et publice dicens quod hoc faciebat alias non facturus, de speciali mandato sui domini prædicti, qui tunc Nannetis notorie existebat, cum consiliariorum suorum multitudine copiosa, præsentibus ad hoc Jameto de *Bleing*, Eudone Senescalli, Thoma Rousselli, clerico, et pluribus aliis rogatis testibus et vocatis. Signatum : Jametus de Verno, alias dictus *Morin*, Redonensis diœcesis, apostolica auctoritate publicus notarius.

XVII.

E Nic. Travers. 1359.

Decretum Roberti episcopi de ecclesia B. Mariæ.

Universis præsentes litteras inspecturis et audituris Robertus, Dei et sedis apostolicæ gratia episcopus Nannetensis, salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod cum, ex parte collegii nostræ collegiatæ B. Mariæ Nannetensis, nobis fuerit humiliter supplicando monstratum, quod fructus et obventiones communes ipsius collegii sunt adeo pauci et tenues, quod ipsi fructus non sufficiunt ad satisfaciendum cuilibet canonico residenti horis canonicis in ipsa ecclesia personaliter præsenti, videlicet matutinis, primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vesperis et completoriis officiis, de octo denariis pro distributionibus quotidianis pro tota dieta, et quod ob hoc pauci canonicorum ipsius collegii interesse curabant horis superius nominatis, cum ex ipsis fructibus nunquam possent honeste sustentari, nisi aliunde victum quærerent, et una cum hoc propter strages guerrarum fructus grossi præbendarum ipsius collegii erant et sunt ut in pluribus deperditi; quapropter, ut dolenter referebant, quod in dicta ecclesia servitoribus materia vagandi præparatur, cultus divinus minuitur, ipsius ecclesiæ commodis et honoribus detrahitur, ecclesia supradicta defensoribus orbata in juribus et libertatibus multipliciter læditur, et, quod amarius est dolendum, fidelium devotio retrahitur, offerentes nos super præmissa, licet essent notoria, per testes fide dignos informare, nobis humiliter supplicantes quod tantæ collegii egestati et ipsi collegio egenti misericorditer subvenire curaremus, et parochialem ecclesiam curatam B. Mariæ supradictæ eidem collegio donare et unire cum ipsius juribus et pertinentiis universis, pro oneribus ipsius ecclesiæ supportandis et distributionibus augmentandis, maxime ut avidius et copiosius ipsius collegii canonici horis supradictis interesse curarent, et prædictis facinoribus possent commodius obviare, vicariumque constituere, qui onus ipsius parochialis ecclesiæ in divinis et aliis supportaret, et portionem competentem tam de ipsius ecclesiæ fructibus quam etiam de fructibus cujusdam capellaniæ ipsius collegii, in ipsa ecclesia fundatæ, et cujus præsentatio ad ipsum collegium asseritur pertinere, quam nunc obtinet vir venerabilis et discretus magister Reginaldus Archambaudi, quam ex nunc supplicabat ipsi vicariatui annecti, cum ipsius juribus, oneribus et pertinentiis universis, cum ipsam vacare contigerit, cujus vicariatus et capellaniæ sic unitæ collatio ad nos pleno jure pertineat, et cum ad hoc Reginaldus de Carros, rector parochialis ecclesiæ prædictæ, ad præmissa consentiat; nos vero, nolentes talia conniventibus oculis pertransire, sed, prout nostro competit officio, de celeri remedio providere ipsius supplicationi, tanquam juri consonæ, annuentes, volentes de præmissis informari nonnullos testes

(1) Nicol. Travers, Concil. Turon. Prov., t. III.

fide dignos, et viros ecclesiasticos, etiam juris peritos et alios quam plures, quos de præmissis habere notitiam credebamus super hoc jurare fecimus; qui per eorum juramenta supplicata et monstrata nobis pro parte collegii antedicti vera esse omnia et singula supradicta prout superius narrantur, attestaverunt. Propter quæ et alia, quæ ad hoc merito nos inducunt habito consilio cum peritis, et consensu illorum quorum credebamus interesse, dictam parochialem ecclesiam et curatam B. Mariæ Nannetensis prædictæ, interveniente coram nobis consensu rectoris ipsius prædicti, una cum ipsius juribus et pertinentiis universis annexis, quatenus fieri potuit, canonicæ præbendæ Reginaldi de Carros, duntaxat exceptis et nobis retenta potestate vicario, de quo superius fit mentio, portionem infra scriptam assignandi, donavimus, annectivimus, donamus et annectimus in perpetuum habendi et levandi jura et emolumenta prædicta ab ipso collegio futuris temporibus et ipsius parochiæ jus parochiale in futurum, et quemdam vicariatum in ipsa ecclesia creamus, instituimus et constituimus, per vicarium futuris temporibus regenda, cujus ad nos collatio, ut superius est expressum, pertinebit, et capellaniam ante dictam, secundum quod superius est expressum, eidem vicariatui annectivimus, cum ipsius capellaniæ juribus omnibus et pertinentiis universis; habebitque vicarius per nos instituendus, de fructibus et emolumentis parochialis ecclesiæ supradictæ, onus curæ ipsius parochiæ tam circa curam quam divina officia supportare, et pro supportatione hujusmodi habebit nonagia parochianorum dictæ parochiæ et aliunde advenientium, cum debebuntur, nec non emolumenta extremæ-unctionis. Item habebit in purificationibus candelam solitam offerri per mulierem purificandam, et pecuniam in candela existentem, et panem quem continget offerri ab ipsa purificanda in purificatione sua. Item habebit de benedictionibus sponsaliorum dictæ ecclesiæ pecuniam oblatam super librum ante fores ecclesiæ et pastum nuptialem. Item habebit quatuor denarios, qui a quolibet parochiano ipsius parochiæ in festo Paschalis annuatim debentur. Nihil aliud in aliis juribus parochialibus accipiet. Voluit tamen et consensit collegium memoratum quod his ratis manentibus sine contradictione aliquali, idem vicarius ut onera prædicta supportet et horis canonicis personaliter intersit, ut divinum officium valeat augmentari, et tam in distributionibus quotidianis, anniversariis, quam etiam processionibus, quoties intererit, tantam portionem et æqualem, sicut unus ipsius collegii canonicus qui præmissis personaliter contigerit interesse, accipiet; tenebiturque collegium antedictum onera magistralia supportare, decimalia antiqua et nova persolvere, et de luminaribus in ipsa ecclesia providere; interim donec ipsius vicariatus vicarius possessionem pacificam capellaniæ prædictæ fuerit assecutus, quæ onera decimalia ex tunc idem supportabit et solvet, et de luminaribus, videlicet cereum paschalem et tredecim candelas, seu cereolos, qui fieri consueverunt ad magnum altare poni et accendi tribus diebus hebdomadæ sacræ, videlicet diebus Mercurii, Jovis et Veneris. Nos autem, præmissa laudantes et approbantes, eisdem omnibus et singulis nostros interponimus decretum pariter et assensum, et ea auctorisamus, et volumus habere roboris firmitatem cum consilio et consensu prædictis. Datum et actum Nannetis, die 7 mensis Maii, nostro teste sigillo, una cum signo et subscriptione notarii publici infra scripti, anno Domini MCCCLIX, indict. XII, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini Domini Innocentii, divina providentia papæ VI, anno septimo, præsentibus discretis viris Girardo *Selles* in canonico, ac Joanne Rastelli in civili juribus licentiatis, et Guillelmo de Resta, presbytero, et pluribus aliis vocatis testibus ad præmissa et etiam rogatis.

Et ego Yvo Graloni, clericus Corisopitensis diœcesis, publicus apostolica et imperiali (auctoritatibus) notarius, præmissis dum fierent una cum dictis testibus præsens fui, et huic publico instrumento per alium scripto subscribens signum meum requisitus apposui consuetum.

XVIII.

Sixtus Papa Petrum episcopum Britonum duci commendat.

Ex apographo (1). 1477.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Francisco, duci Britanniæ, salutem et apostolicam benedictionem. Hodie siquidem ecclesiæ Nannetensi, tunc per obitum bonæ memoriæ Amauricii, episcopi Nannetensis, extra Romanam curiam defuncti, pastoris solatio destitutæ, de persona dilecti filii Petri, electi Nannetensis, nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta, de ipsorum fratrum consilio, authoritate apostolica providimus, ipsumque illi præfecimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiæ sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque, dilecte fili, sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi, ac eos verbis et operibus pro principis æterni gloria venerari, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus eumdem Petrum electum ac præfatam ecclesiam suæ curæ commissam habens, pro nostra et apostolicæ sedis reverentia, propensius commendatos, et ipsos benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod idem Petrus electus, nobilitatis tuæ fultus præsidio, in commisso sibi curæ pastoralis officio possit Deo propitio prosperari, ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarn. Domin. MCCCCLXXVI (2), sexto decimo cal. Aprilis, pontificatus nostri anno sexto.

(1) E cod. Regio 8357 ²?

(2) Lege 1477: pontificatum enim Sixtus papa IV auspicatus est 25 Augusti 1471.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ CORISOPITENSIS.

I.

E. D. Bouquet. 818.

Ludovici imperatoris edictum de norma vivendi a monachis Landevenechi observanda.

In nomine Dei Salvatoris nostri Jesu-Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia Imperator Augustus, omnibus episcopis et universo ordini ecclesiastico Britanniæ consistenti, notum sit quod dum Marmonocus, abbas ex monasterio *Landevennoch*, nostram adiisset præsentiam, et ille, sive de conversatione monachorum illarum partium consistentium, sive de tonsione interrogassemus, et ad liquidum nobis qualiter hæc forent patefecisset, cognoscentes quomodo ab Scotis sive de conversatione, sive de tonsione capitum accepissent, dum ordo totius sanctæ apostolicæ atque Romanæ Ecclesiæ aliter se habere dignoscitur, placuit nobis ut sive de vita, seu etiam de tonsura, cum universali Ecclesia, Deo dispensante, nobis commissa concordarent. Et ideo jussimus ut et juxta regulam sancti Benedicti patris viverent, quæ possibilis et laude digna est; et de tonsura capitis juxta taxatum modum cum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ per orbem terrarum dilatata est, concordent unitate; et eumdem vivendi morem juxta quod in sancti atque eximii patris Benedicti regula scriptum est, in hoc monasterio prædicto teneant et in subjectis ejus cæteris, quæ nostrum plenissimum jussum exsequi voluerint. Hæc piissimi Ludovici Imperatoris præcepta de manu ejus roborata. Sigillum Ludovici serenissimi imperatoris.

II.

E schedis Baluzii (1). 1119.

Calixtus papa Kemperlegiensium bona confirmat.

Calixtus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Gurthando, abbati monasterii S. Crucis, quod in Britannia minori situm est, in villa quæ dicitur *Anaurot*, nunc autem Kemperlegium vocatur, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Ad hoc nos disponente Domino, in apostolicæ sedis servitium promotos agnoscimus, ut ejus filiis auxilium implorantibus efficaciter subvenire et ei obedientes tueri ac protegere, prout Dominus dederit, debeamus. Quia igitur dilectio tua, ad sedis apostolicæ portum confugiens, ejus tuitionem devotione debita requisivit, nos supplicationi tuæ clementer annuimus, et S. Crucis monasterium, cui, Deo auctore, præsides, ad exemplar domini prædecessoris nostri sanctæ memoriæ Gregorii papæ VII, cum omnibus ad ipsum pertinentibus, sub apostolicæ sedis tutelam excipimus, et B. Petri patrocinio communimus. Statuimus enim ut insula tota, quæ *Guedel*, sive Bella Insula, nuncupatur, et cætera omnia bona et possessiones quæ in præsenti ad eumdem locum videntur firme pertinere, et quæcumque in futurum, concessione Pontificum, liberalitate principum, oblatione fidelium, vel aliis justis modis, largiente Deo, poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. Nulli ergo hominum liceat id cœnobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, vel piis de causis usibus propriis applicare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Corisopitensis episcopi canonica reverentia. Ad indicium autem acceptæ a Romana ecclesia tuitionis, duos aureos quotannis Lateranensi palatio persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis et honoris sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Remis, per manum Grisogoni, sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis ac bibliothecarii, VI id. Novembris, indict. XIII, Incarnationis vero Domin. anno MCXIX, pontificatus autem dom. Calixti II papæ quarto (1).

(1) Arm. 3, fasc. 1, num. 4.

III.

E Chartul. Corisopit. (2). 1220.

Ranulfus præsul capituli Corisopitensis possessiones auget.

Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis R., Dei gratia Corisopitensis electus, salutem in omnium Salvatore. Noveritis quod nos, tenuitatem nostræ ecclesiæ plenius attendentes, dedimus et concessimus capitulo nostro S. Mathæi de *Kempercorentin* et de *Scader* et S. *Delein* ecclesias cum omnibus pertinentiis suis in perpetuo possidendas; ecclesiam vero de *Moelon* et pensionem quindecim solidorum in ecclesia de *Keynmert* ad usum luminaris ecclesiæ nostræ duximus similiter concedendas, salvo jure episcopali. Donationes vero ecclesiarum eidem capitulo a prædecessoribus nostris factas, parochiæ videlicet de *Kempercorentin*, de *Banadloc*, de *Tregneuc*, de *Ploeneor*, de *Ploethevec*, de *Bodoc Capsidun*, de *Briziac* et de *Spethoc* ecclesiarum duximus liberaliter concedendas et etiam approbandas. Ut hoc autem robur obtineat perpetuæ firmitatis, sigillo nostro et ejusdem capituli sigillo præsentem paginam duximus roborandam. Datum apud *Quimpercorentin*, die Veneris proxima ante festum B. Magdalenæ, anno gratiæ MCCXX.

IV.

Ex apographo (3). 1233.

Litteræ Gregorii papæ de jurgio inter episcopum Corisopitensem et abbatem Landevenechi.

Gregorius, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo et dilectis filiis S., archid. Macloviensi, et abbati de Panis Ponte, Macloviensis diœcesis, salutem.

Venerabilis frater noster..., Corisopitensis episcopus, sua nobis petitione monstravit, quod cum

(1) Lege *primo*.
(2) Mss. Paris. Bibl. cart. 31, fol. 1.
(3) Inter Collectan. H. *la Porte du Theil*.

ipse ad monasterium S. Wingaloei *de Landehvinoch*, episcopali sibi jure subjectum, impensurus in eo visitationis officium, personaliter accessisset, abbas et conventus ipsius monasterii, ut correctionem evitarent ejusdem, exemptionem causa diffugii prætendentes, et contemnentes in commune proferre suæ exemptionis privilegium, ipsum admittere noluerunt; propter quod idem episcopus in ipsos tanquam inobedientes, canonica monitione præmissa, excommunicationis sententiam, ipsorum culpis exigentibus, promulgavit. Cumque postmodum diversæ hinc inde ad diversos judices litteræ apostolicæ, nominatis abbate et conventu frustatorie appellantibus, latas tam ab ipso episcopo quam a judicibus delegatis, ac nobis, excommunicationis et suspensionis sententias pertinaciter contemneutibus, processissent, causa tandem ipsa de consensu procuratorum utriusque partis dilectis filiis abbati S. Melanii, archidiacono et cantori Redonensibus, fuit a sede apostolica delegata, ut eam audirent, et si de partium voluntate procederet, fine debito terminarent eamdem; alioquin ipsam sufficienter instructam ad nostrum remittere procurarent examen, præfigendo partibus terminum competentem, quo se apostolico conspectui præsentarent. Sed prædictis abbate et conventu, convertentibus se more solito ad hujusmodi suffragia mendicata, fuit ab eis excipiendo propositum coram ipsis, quod inhibuerant procuratori eorum ne ad aliquos Redonenses vel Nannetenses litteras apostolicas impetraret; contra quos cum pars episcopi replicaret exceptionem non valere prædictam, eo quod procurator eorum ad impetrandum et contradicendum pro eis in Romana curia litteras habuerat generales, in quibus de non recipiendis judicibus in aliquo certo loco minime fuerat interdictum, ipsi interloquendo pronuntiarunt exceptionem a parte altera propositam admitti aliquatenus non debere; sed pars altera ut per inculcatas appellationes negotium non solum prorogare, sed etiam intricare valeret, ob hanc causam ad appellationis diffugium frustratorie convolavit. Quare principale negotium partis adversæ malitia faciente remansit, licet triennium et amplius effluxerit, penitus indiscussum. Unde dictus episcopus sibi super his provideri a nobis humiliter postulavit. Finem igitur litibus imponere cupientes, ut partium parcatur laboribus et expensis, mandamus quatenus, si est ita, non obstante frivolæ appellationis, vel exceptionis, objectu, in eadem causa intra quatuor menses post receptionem præsentium ratione prævia finaliter procedatis; alioquin, ne causam ipsam perpetuari contingat, sive appellatum a nobis fuerit, sive non, extunc præfigatis partibus terminum peremptorium competentem, in quo cum omnibus munimentis et rationibus suis super præmissis justitiam recepturæ se apostolico conspectui repræsentent; si non omnes, etc., etc., tu, frater episcope. Datum Laterani, II id. Novembris, anno septimo.

V.

E Chart. Corisopit. (1). 1236.

Pactum inter episcopum Corisopitensem et monachos Landevenechi.

Universis præsentes litteras inspecturis Robertus, Nannetensis, Cadiocus Venetensis, Dei permissione episcopi, et magister Alanus thesaurarius Venetensis, salutem in Domino. Noveritis quod, post multas altercationes inter venerabilem patrem R., episcopum Corisopitensem, ex una parte, et R., abbatem S. Wingaloei de *Landeguennoc* et conventum ejusdem loci, ex altera, ex consensu capituli Corosopitensis, et consensu ejusdem conventus, exstitit compositum in hunc modum. Episcopus Corisopitensis ad monasterium S. Wingaloei descendet semel in anno tanquam ordinarius loci, et recipietur ad procurationem, visitationem et correctiouem in eodem monasterio. Correctio vero monachorum primo et principaliter pertinebit ad abbatem. Officialis communis erit in tota terra et teneura abbatiæ, juratus episcopo et abbati. In causa matrimoniali sententia diffinitiva reservabitur episcopo, et emendæ omnium causarum inter episcopum et abbatem per medium dividentur: hoc excepto, quod dictus abbas tenebit causas in tribu Petram, in tota vita sua, pacifice et quiete, et appellabitur ab ipso ad episcopum, et sententia diffinitiva in causis matrimonialibus similiter reservabitur episcopo, et emendæ earumdem similiter inter ipsos per medium dividentur, videlicet causarum matrimonialium; post mortem autem dicti R., abbatis, abbas qui pro tempore fuerit instituet in dicta tribu monachum ad audiendas causas ecclesiasticas, quicumque fuerit in perpetuum episcopo juratus de causis fideliter tenendis, et ex quo juratus erit episcopo poterit excommunicare et absolvere; et si emendæ leventur, similiter per medium dividentur, vel in usus pauperum erogabuntur, vel pœnitentia injungetur, prout illi monacho videbitur expedire. Officialis autem communis qui erit in tota terra abbatis, prout dictum est, communiter eligetur a prædictis episcopo et abbate et successoribus eorumdem, et, si in eligendo discordes fuerint, minister fratrum Minorum de *Kempercorentin* eliget eis quem voluerit, qui officialis erit juratus episcopo et abbati. Denarii Spiritus-Sancti, ubi sine scandalo in terra abbatis potuerint haberi, per tres partes dividentur; una pars erit episcopi, alia capituli Corisopitensis, tertia abbatis. Prioratus de *Languern* pro procuratione dabit episcopo annuatim decem solidos. Abbas et capellani ibunt ad synodum, et justa præcepta synodalia observabunt. Capellani abbatis præsentabuntur episcopo ad futuras curas. Abbas et conventus suus absolventur ab episcopo et judicibus quibuscumque taliter qualiter fuerint excommunicati. R., modernus abbas, remanebit abbas; sed electi de cætero in eodem monasterio præsentabuntur ab eodem. Abbas, vacante sede Corisopitensi, tenebit synodum. Abbas habebit omnes domos et plateas et census quæ habebat ante contentionem in villa de *Kempercorentin*: illud autem quod abbas et conventus super posuerunt veteri capellæ de *Thelgruc* ad matricem ecclesiam, salvo tamen pastu quem habebit abbas in ecclesia de *Telguic*, si possit probari quod debeat habere per testimonium trium proborum virorum, quorum testimonium recipiet archidiaconus de *Poecher*. Episcopus Venetensis et archidiaconus de *Poecher* recipient testimonium super terra quam abbas petebat in parochia de *Coroe*, vel alter illorum, si ambo non poterint interesse. Istam ordinationem coram nobis juraverunt episcopus et abbas prædicti se fideliter observaturos, et sigilla sua apposuerunt huic scripto. Capitulum Corisopitense per unum de capitulo similiter jurabit, et sigillum suum apponet. Conventus S. Wingaloei per quemdam de conventu similiter jurabit et sigillum suum apponet. Et antequam episcopus recipiatur ad visitationem in abbatia, debet capitulum Corisopitense sigillum suum apponere huic scripto. Abbas autem faciet episcopo obedientiam. Et sic sopita est omnis contentio super subjectione,

(1) Max. Paris. Bibl. Chart. 56, fol 3.

obedientia, jurisdictione cæterisque articulis motis hactenus inter partes. Nos autem, ad instantiam partium, sigilla nostra præsenti scripto duximus apponenda, in robur et testimonium veritatis. Datum Nannetis, de consensu partium, die Martis proxima post festum S. Bartholomæi, anno gratiæ MCCXXXVI.

VI.

E Chartul. Corisopit. (1). 1262.

Pactum inter Corisopitensem episcopum et Kemperlegienses monachos.

Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis Guido, miseratione divina episcopus, et humile capitulum Corisopitense, et frater Evenus, humilis abbas, et conventus monasterii S. Crucis de *Kemperélé*, ordinis S. Benedicti, Corisopitensis diœcesis, salutem in Domino. Noveritis quod super causa, quæ orta et ventilata fuit inter episcopum et capitulum Corisopitense, ex una parte, et nos abbatem et conventum, ex altera, super subjectione, obedientia, reverentia, visitatione, correctione et aliis juribus episcopalibus, quæ in eodem monasterio ac prioratibus et ecclesiis in diœcesi Corisopitensi constitutis, ad dictum monasterium spectantibus, episcopo Corisopitensi de jure communi nos episcopus et capitulum deberi dicebamus, diffinitiva sententia lata fuit, cujus tenor talis est:

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Corisopitensi salutem et apostolicam benedictionem. Ea quæ judicio vel concordia terminantur firma debent et illibata persistere, et ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur apostolico convenit præsidio communiri. Orta siquidem inter te, ex una parte, et abbatem et conventum monasterii S. Crucis de *Kemperélé*, ordinis S. Benedicti, Corisopitensis diœcesis, ex altera, super subjectione, obedientia, reverentia, visitatione, correctione et aliis juribus episcopalibus, quæ in eodem monasterio ac prioratibus et ecclesiis in eadem diœcesi constitutis, ad monasterium ipsum spectantibus, tibi de jure communi deberi dicebas, materia quæstionis. Nos tandem in ipsa dilectum filium nostrum P., titulo S. Marcelli presbyterum cardinalem, dedimus auditorem; qui, cognitis causæ meritis et relatis fideliter coram nobis de speciali mandato nostro, te ac partis alterius procuratore præsentibus, diffinitivam pro te sententiam promulgavit, prout in patentibus litteris inde confectis plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, sententiam ipsam provide latam ratam et firmam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti prohœmio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum præsentibus fecimus annotari, qui talis est:

In nomine Domini, Amen. Nos Petrus, miseratione divina titulo S. Marcelli presbyter cardinalis, notum facimus universis quod in causa quæ inter episcopum Corisopitensem, ex parte una, et abbatem et conventum S. Crucis de *Kemperélé*, ex altera, mota fuit, dominus papa nos dedit partibus auditorem; et, ex parte ipsius episcopi, libellus coram nobis oblatus exstitit in hunc modum:

Coram vobis, venerabilis pater domine Petre, titulo S. Marcelli presbyter cardinalis, in hac causa a domino papa partibus auditore concesso, proponit episcopus Corisopitensis contra abbatem et conventum monasterii S. Crucis de *Kemperélé*, Corisopitensis diœcesis, quod tum dictum monasterium et omnes prioratus de insula de *Guezel*, et prioratus S. Amandi, et prioratus S. Ronani de Nemore, et prioratus de *Doelann*, et prioratus de Ponte Brientii, et prioratus de *Landuian*, ad dictum monasterium pertinentes, sita sint in Corisopitensi diœcesi, et sint et esse debeant de jure communi eidem episcopo subjecta, et ad ordinationem et potestatem illius debeant pertinere, et prædecessores ipsius episcopi, qui per tempora fuerunt, fuissent in possessione vel omnium jurium episcopalium in prædictis usque ad tempora Guillelmi, prædecessoris sui, dicti abbas et conventus spoliaverunt eumdem prædecessorem suum possessione vel quasi omnium prædictorum, denegando ei, et non admittendo ipsum ad jura prædicta; nec permittunt eumdem episcopum visitationem, correctionem et alia jura episcopalia exercere in dicto monasterio et in locis prædictis. Quare petit idem episcopus se restitui et reduci ad statum et in possessionem vel quasi omnium prædictorum, et adjudicari sibi per vos sententialiter obedientiam, visitationem, correctionem et omnia jura episcopalia in dicto monasterio et in locis prædictis, et in omnibus aliis ecclesiis et capellis ad dictum monasterium pertinentibus et in diœcesi Corisopitensi constitutis; et super iis petit dictos abbatem et conventum sibi per vos sententialiter condemnari; petit et eisdem abbati et conventui sententialiter inhiberi, quod de cætero non impediant, vel impediri faciant dictum episcopum volentem uti juribus episcopalibus in locis et ecclesiis prædictis; petit expensas factas, quas æstimat centum marchas, et protestatur faciendas; et hæc petit salvo jure et cæt.

Super quo libello lite coram nobis legitime contestata, præstitoque hinc inde a partibus juramento de veritate dicenda, factis positionibus et ad eas responsionibus subsecutis, articulis hinc inde exhibitis, et super iis testibus receptis et ipsorum publicatis depositionibus et privilegiis a parte monasterii, necnon instrumentis ab utraque parte coram nobis exhibitis, auditis et intellectis quæ partes coram nobis proponere voluerunt, visis etiam privilegiis a parte ipsius monasterii et instrumentis et rationibus hinc inde exhibitis super omnibus et singulis supra dictis coram domino papa et fratribus suis relatione plenarie facta, et discussione diligenti habita, de ipsius domini papæ speciali mandato, communicato fratrum consilio, Corisopitensi episcopo subjectionem, obedientiam, reverentiam, visitationem, correctionem et omnia jura episcopalia, quæ episcopis competunt in monasteriis sibi subjectis secundum canonicas sanctiones, in dicto monasterio et in omnibus prioratibus necnon ecclesiis et capellis supra dictis, in Corisopitensi diœcesi constitutis, ad monasterium supra dictum pertinentibus, per diffinitivam sententiam adjudicamus, magistrum Yvonem, clericum, procuratorem constitutum a fratre Rothaldo, monacho, dicto monasterio a domino papa defensore dato, nomine monasterii, et ipsum monasterium ad ea omnia eidem episcopo sententialiter condemnantes, salva dicto monasterio illa clausula quæ in privilegio felicis recordationis Cœlestini papæ III continetur, videlicet: — « Chrisma vero, oleum « sanctum, consecrationes altarium, seu basi- « licarum, ordinationes clericorum qui ad sa- « cros ordines fuerint promovendi, a diœcesano « suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit « et communionem sacrosanctæ Romanæ sedis « habuerit, et ea vobis gratis voluerit et sine « pravitate qualibet exhibere: alioquin liceat « vobis quemcumque malueritis catholicum adire

(1) Mss. Paris. Bibl., Chart. 31, fol. 30.

« antistitem, gratiam et communionem sacro- « sanctæ Romanæ sedis habentem, qui, nostra « fultus auctoritate, vobis quod postulatur in- « tendat; » salvo etiam eidem monasterio illo jure, quod Bernardus, quondam Corisopitensis episcopus, in ecclesiis in fundo dicti monasterii constructis monasterio memorato concessit. Super insula vero de *Guezel*, quantum ad jura episcopalia, quæ episcopus in eadem insula vindicabat, dictum procuratorem monasterii memorati, nomine ipsius monasterii, et ipsum monasterium sententialiter reddimus absolutum, Corisopitensi episcopo super iis perpetuum silentium imponentes. In cujus rei testimonium hanc sententiam per infra scriptum notarium in publicam formam redigi fecimus et nostro sigillo muniri. Prolata est hæc sententia in scriptis per dictum dominum cardinalem Lugdunensem, præsentibus domino Henrico (1), episcopo Corisopitensi, et Hervæo, clerico et procuratore dicti episcopi, et prædicto magistro Yvone, clerico et procuratore monasterii supra dicti; præsentibus etiam magistro Guillelmo, dicto *Torroc*, magistro Bernardo Hispano, magistro Bernardo Neapolitano, et magistro Radulfo de Mirabello, capellanis domini papæ, et magistro Willelmo Papienensi, magistro Angelo Romano, advocatis; præsentibus etiam magistro Joanne de Doaco, et magistro Arnaldo *de Valetes*, et domino Nicolao monacho Claravallensi, capellanis prædicti domini cardinalis, et multis aliis. Anno Domini MCCLIII, idibus Maii, indictione VIII, pontificatus dicti Innocentii papæ IV anno septimo. Ego Bartholomæus *de Cersine*, auctoritate apostolica notarius, prolationi prædictæ sententiæ interfui, et eam de mandato prædicti domini cardinalis scripsi et in publicam formam redegi.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumpsit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Lugduni, XIII cal. Junii, pontificatus nostri anno septimo.

Tandem nos Guido episcopus et capitulum Corisopitense, ex una parte, et nos Evenus, abbas et conventus monasterii S. Crucis de *Kemperélé*, ex altera, ad hanc amicabilem compositionem, seu ordinationem, moderando dictam sententiam, unanimiter devenimus; cujus compositionis, seu ordinationis et moderationis sententiæ forma talis est. Nos abbas et conventus dicti monasterii et successores nostri et nos episcopus et capitulum Corisopitense et successores nostri parebimus dictæ sententiæ diffinitivæ, hoc modificato et moderato, quod ecclesiæ parochiales sitæ apud *Kemperélé* nihil solvent episcopo Corisopitensi, nec successoribus suis, nomine procurationis, sed tamen dictus episcopus et successores sui visitabunt ibi et corrigent; prioratus de *Doelann* nullam procurationem dabit episcopo Corisopitensi; prioratus de *Landuian* et de Ponte Brientii solvent ambo triginta solidos annuatim tantum nomine procurationis; acta curiæ camerarii hucusqoe facta rata manebunt; Evenus remanebit abbas; episcopus Corisopitensis et successores sui nihil petent in capite nec in membris ratione retroactorum seu arreragiorum; dictum monasterium habebit ecclesiam de *Mellac* post decessum rectoris qui nunc est, et præsentabit episcopo perpetuum vicarium ad curam dictæ ecclesiæ, qui habebit tertiam partem redituum et proventuum ipsius ecclesiæ, et monasterium duas partes, et

A solvet dictum monasterium episcopo Corisopitensi pro dicta ecclesia de *Mellac* viginti solidos annuatim nomine procurationis; item episcopus et capitulum Corisopitense sine aliqua contradictione sustinebunt quod abbas et monachi dicti monasterii præbeant appellationem suam post dictam diffinitivam interpositam, salva moderatione prædicta, et quod sententiæ latæ in dictos abbatem et monachos denuntientur non valere, vel absolvantur ab illis sententiis, secundum quod judici videatur expedire; item sustinebunt episcopus et capitulum Corisopitense quod quolibet alio bono modo quo fieri possit irregularitas dictorum abbatis et monachorum evitetur, observatis ta-

B men prædictis; item episcopus Corisopitensis et successores sui visitabunt et corrigent in omnibus locis prædictis, salvo jure archidiaconi Cornubiensis in ecclesia de *Mellac;* item protestantur duo archidiaconi ecclesiæ Corisopitensis de jure suo in omnibus aliis locis; littera Bernardi salva erit et tenor ejus, qui talis est :

Bernardus, Dei gratia Corisopitensis ecclesiæ humilis minister, dilectis filiis suis Rivallono, abbati ecclesiæ S. Crucis de Kemperlesio, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, vitam regularem ibidem professis in perpetuum. Quoniam nobis ecclesiæque nostræ bene innotuit quia Orscandus episcopus, felicis memoriæ, qui ecclesiæ vestræ primæ fundationi interfuit, cunctascumque in fundo vestro fundatæ sunt ecclesias vobis

C concessit, quas etiam in bona pacis tranquillitate, tempore Benedicti, Roberti, Radulfi, pontificum, semper possedistis, easdem ecclesias vobis in perpetuum concedimus habendas, tali tamen tenore ut, electo ab abbate et monachis capellano, eum episcopo præsenteut, ostendentes ei qua conditione velint ipsum substituere, videlicet an ad tempus an in tota vita sua, qui, ut moris ecclesiastici est, curam animarum ab episcopo recipiens, episcopo de spiritualibus, monachis vero de temporalibus respondeat; quotienscumque seu loco defuncti, seu vivi capellani alium voluerint mutare capellanum, totiens ipsum episcopo præsenteut. Ut autem hujusmodi concessionis firmitas per suc-

D cedentia tempora firma atque inconvulsa perseveret, placuit eam assertione sigillorum communire, et subscriptione nominum eorum qui huic adstipulationi interfuerunt firmiter roborari. Omnes illos sub anathematis sententia ponimus qui huic assertioni ullatenus præsumpserint obviare. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini MCLXVI, apud Confluentiam, in ecclesia B. Mariæ et B. Chorentini, toto capitulo ejusdem ecclesiæ assistente et assensum præbente. Præsente Mauricio, abbate de Langonio et monachis suis, Aldroeno, Eudone; *Tangy*, monacho de *Relec;* Rivallono; Geoffrido, archidiacono; Priamo; Willelmo; Edoro; Geoffrido; Mileto; David, capellano; de monachis de *Kemperélé*, Symone, priore,

E Tutgualo, Moyse, Gueno, Conano, Halogano, Guillelmo. Ecclesiæ S. Tayati et de *Trefguennou* et S. Rivallazri nihil solvent nomine procurationis.

Nos autem Guido episcopus et capitulum Corisopitense, ex una parte, et nos Evenus abbas et conventus dicti monasterii, ex altera, prædictas compositionem, ordinationem et sententiæ moderationem, et omnia singula contenta in eis, et ipsam sententiam, salva dicta moderatione, rata et firma habentes, promittimus, et tactis sacrosanctis evangeliis juramus, nos pro nobis et successoribus nostris hinc et inde in perpetuum inviolabiliter observaturos, volentes et gratantes quod religiosus vir abbas de Langonio, Cisterciensis ordinis, Corisopitensis diœcesis, ju-

(1) Lege *Hervæo*.

dex a domino papa inter partes deputatus, habeat auctoritate apostolica potestatem, si aliqua partium contra prædictam vel aliqua prædictorum venerit, vel venire voluerit, quod absit, coercendi eamdem. Et quantum ad hoc nos hinc et inde supponimus jurisdictioni ejusdem; volentes et concedentes quod dictus abbas de Langonio sigillum suum præsentibus apponat. Et ut hæc omnia et singula rata et stabilia permaneant in futurum, præsentes litteras sigillorum nostrorum munimine duximus roborandas, in certitudinem et in testimonium veritatis. Datum anno ab Incarnatione Domini MCCLXII, mense Octobri. Alanus, dictus *Pemiharz*.

VII.

E Chartul. Corisopit. (1). 1263.

Decretum Guidonis de anniversario Hervæi episcopi.

Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis Guido, miseratione divina Corisopitensis episcopus, æternam in Domino salutem. Generatio præterit, generatio advenit; nec erit certa prioris recordatio, si non litteris imprimantur memoriæ futurorum. Sciant igitur universi, quod cum bonæ memoriæ Hervæus, Dei gratia quondam Corisopitensis episcopus, quamdam summam pecuniæ, pro qua totam terram, tam propriam, quam teneuram, quæ fuerat *Doenerd*, filii *An Corr*, in parochia de *Coroe*, tenebat pignori obligatam, concesserit capitulo Corisopitensi ad suum anniversarium faciendum, nos, pro obligatione dictæ terræ, medietatem sexaginta solidorum cursilis monetæ annui reditus, quos tempore nostro acquisivimus super molendinis domini comitis supra *Teyr*, juxta Pontem Medardi, apud *Kempercorentin*, concedimus in perpetuum et assignamus, de consensu et voluntate nostri capituli, ad anniversarium dicti quondam in Corisopitensi ecclesia faciendum, in vigilia B. Laurentii martyris, scilicet triginta solidos annuatim. Unde cum expediat quod fama boni operis publicetur, ad provocandum ad similia pro viribus audientes, præsentes litteras, in hujus rei testimonium et munimentum, sigillo nostro, una cum sigillo dicti nostri capituli, fecimus sigillari. Datum anno Domini MCCLXIII, mense Augusti, pontificatus nostri anno secundo.

VIII.

Ex apographo (2). 1283.

Litteræ Martini papæ in gratiam Eveni.

Martinus dilecto filio Eveno, electo Corisopitensi, salutem. In supremæ dignitatis specula licet immeriti, disponente Domino, constituti, curis continuis angimur et pulsamur insultibus successivis, ut de illis personis provideatur ecclesiis pastoribus viduatis, quarum industria et virtute eædem ecclesiæ in suis juribus et libertatibus conserventur, reddatur tranquillior cleri status, et commodis salutis et gaudii plebs lætetur. Sane Corisopitensis ecclesia per obitum bonæ memoriæ Yvonis, Corisopitensis episcopi, pastoris solatio destituta, capitulum ejusdem ecclesiæ, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse ad tractandum de futura substitutione prælati, insimul convenerunt, ac major pars canonicorum ipsius ecclesiæ, qui erant decem et octo numero, computato procuratore cujusdam ex ipsis canonicis tunc absentis, quondam magistrum Guillermum de Locmaria, archidiaconum de *Pochaër* in dicta ecclesia, in episcopum Corisopitensem per inspirationem divinam, ut dicebat, elegit. Minor vero pars dictorum capituli, asserens quod dicta major pars præfatum mag. Guillelmum personam utique indignam scienter elegerat, utpote archidiaconatum de *Pochaër* in ecclesia prædicta et ecclesiam de Plebe Nova in pago Corisopitensis dioc., curam animarum habentes, absque dispensatione sedis apostolicæ detinentem, et per hoc ea vice eligendi potestate privata erat, et ad eamdem minorem partem potestas hujusmodi devoluta, te, tunc canonicum Corisopitensem, per viam compromissi duxit in Corisopitensem episcopum eligendum. Hujusmodi autem electionum negotio ad sedem devoluto eamdem, teque ac prædicto mag. Guillelmo pro negotio ipsarum electionum apud sedem constitutis prædictam, nos dilectum filium nostrum J., S. Mariæ in Cosmedin diac. cardinalem, in eodem negotio partibus dedimus auditorem: coram quo hinc inde libellis oblatis, ac lite in ipso negotio legitime contestata, et de veritate dicenda præstito juramento, tam procurator dicti magistri Guillelmi in judicio quam idem mag. confessi fuerunt, quod ipse magister Guillelmus prædictos archidiaconatum et ecclesiam de Plebe Nova, tempore dictæ electionis celebratæ, de ipso, absque aliqua dictæ sedis dispensatione, tenebat, quodque id in illis partibus notorium existebat, et quod electores ejusdem magistri Guillelmi eo tempore hoc nullatenus ignorabant. Demum vero prædicto negotio apud sedem præfatam pendente, sæpe dictus magister Guillelmus debitum naturæ persolvit, tuque postmodum electioni prædictæ de te factæ renuntiasti expresse, omne jus tibi ex ea competens sponte ac libere in nostris manibus resignando, et nos hujusmodi resignationem duximus admittendam, ac deinde sollicite de ordinatione prædictæ Corisopitensis ecclesiæ cogitantes, et idoneum pontificem præficere dictæ Corisopitensi ecclesiæ per nostræ providentiæ studium cupientes, considerantes quoque quod de litterarum scientia, honestate vitæ et conversatione laudabili nobis et fratribus nostris fide dignorum testimonio commenderis, de te dictæ Corisopitensi ecclesiæ, de ipso fratrum consilio, auctoritate apostolica providemus, et te ipsi ecclesiæ Corisopitensi præficimus in episcopum et pastorem, firma spe fiduciaque tenentes quod prædicta Corisopitensis ecclesia per tuæ circumspectionis industriam præservabitur a noxiis et adversis, et salubria in spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a Domino suscipiens, reverenter curam et administrationem ipsius ecclesiæ Corisopitensis sic diligenter geras et sollicite prosequaris, quod exinde apud remotos et proximos tua fama clareat per effectum, et in delectationem nobis veniat te opportuno tempore gratiose prosequi, ac tuis condignis desideriis favorem benivolum impertiri. Datum apud Urbem, et cæt., II id. Maii, anno tertio.

IX.

Evenus Capcavallensem decanatum supprimit. *E Chartul. Corisopit. (1). 1286.*

Universis præsentes litteras inspecturis et audituris Evenus, miseratione divina Corisopitensis episcopus, salutem in Domino. Notum facimus quod cum H., decanus de *Capcavall*, Corisopitensis diœcesis, decanatum suum prædictum

(1) Max. Paris. Bibl., Chart. 31, fol. 10.
(2) E Collect. D. *La Porte du Theil.*

(1) In Max. Paris. Bibl., Chartular. 51, fol. 25.

in nostris manibus resignasset spontanea voluntate, nos, admissa resignatione prædicta, considerata tenuitate redituum et proventuum sui decanatus, qui ad sustentationem congruam unius personæ idoneæ non sufficiunt, pensatisque iis quæ in talibus pensandis occurrunt, considerantes etiam ex actionibus illicitis quæ consueverunt a gerentibus officium hujus pro habendo vitæ necessaria exerceri; considerato etiam quod coram eidem (eodem) decano causæ ab imperitis et illiteratis agitabantur, et in litis (litibus) etiamnum insignibus, in quibus non potest haberi nimis copia peritorum, et quod per hoc, maxime in causis testamentorum et matrimonialibus, multa provenerunt et proveniebant pro tempore pericula animarum; considerato insuper quod alias ex causis prædictis fuit a bonæ memoriæ Yvone, prædecessore nostro, cum assensu venerabilis capituli Corisopitensis, amotus decanatus hujus et etiam annulatus, habito diligenti tractatu super hoc cum capitulo nostro Corisopitensi, cum assensu et voluntate ipsius capituli, decanatum hujus amovemus et penitus annulamus et sigillum ipsius decanatus fregimus, statuentes quod decanatus prædictus non sit de cætero in loco prædicto, nec aliquis ad gerendum officium decanatus hujus instituatur ibidem, nec etiam admittatur.

Nos vero capitulum Corisopitense amotionem et annulationem decanatus hujus, et prædictum statutum de hoc quod dictus decanatus non sit de cætero in loco prædicto, et quod nullus instituatur ad agendum officium decanatus hujus vel etiam admittatur, ex causis prædictis approbantes, et eis omnibus consentientes, sigillum nostrum una cum sigillo dicti reverendi patris præsentibus litteris duximus apponendum; et hoc universis tenore præsentium intimamus. Datum et actum in crastino festi B. Lucæ, evangelistæ, in nostro capitulo generali. Anno Domini MCCLXXXVI.

X.

E Chartulario Corisopitensi. (1). 1301.

Alanus Morel, episcopus, anniversarium suum condit.

Universis præsentes litteras inspecturis et audituris, Alanus, miseratione divina Corisopitensis episcopus, salutem in Domino. Noveritis quod nos, dum essemus in statu minori, dedimus, et concessimus, et assignavimus, de consensu nostri capituli, in capitulo generali super hoc præstito, capitulo, capellanis et clericis nostræ ecclesiæ Corisopitensis, nomine suo et ecclesiæ prædictæ, quamdam domum quam acquisiveramus de nostro et tenebamus in manu nostra, cum horto suo, adjacente eidem, et aliis pertinentiis suis, sitam apud *Poulpezron*, juxta domum nostram, quam inhabitabamus tunc temporis, et quam tenet ad præsens magister Olyverius, cantor ecclesiæ Corisopitensis, et quamdam ernam terræ, quam simul acquisiveramus, sitam immediate juxta murum horti abbatis de *Landeguennec*, retro hortum prædictæ domus, nunc dicti cantoris et tunc nostræ, et quindecim solidos annui census, seu reditus, desuper cameram tunc nostram et nunc dicti cantoris, sitam immediate et annexe aulæ dictæ domus : quam cameram nostris propriis sumptibus fecimus ædificari; quas domos, hortum, cameram et ernam terræ tenet prædictus cantor, seu alius ejus nomine, et quas donationes, ordinationem et concessionem de præmissis, alias ut præmittitur, factas ratas et firmas habent, confirmamus et damus eisdem pro anniversario faciendo in prædicta ecclesia ab eisdem, annis singulis, pro animabus patris nostri et matris nostræ, in die sui obitus, decimo quinto cal. Aprilis : quos quindecim solidos desuper dictam cameram, de consensu dicti capituli impositos, et decem solidos desuper erna et alia domo et horto per plures annos ad dictum anniversarium faciendum solvimus, et in quorum possessionem habendi et percipiendi sunt et fuerunt, prædicti capitulum, capellani et clerici nomine quo supra, damus et concedimus eisdem capitulo, capellanis et clericis, pro anniversario in prædicta ecclesia pro remedio animæ nostræ, die obitus nostri, annis singulis faciendo ab eisdem, et assignamus ex nunc eisdem omnes decimas quas acquisivimus et habuimus a filio dicti *Aurens*, in parochia de *Ploegonnec*, et ipsos in corporalem possessionem præmissorum omnium et singulorum, ad prædicta anniversaria facienda, inducimus, et eos de eisdem investimus, et, ut alias dictum est, investivimus. Et debent ipsi capitulum, capellani et clerici celebrare unam missam de Spiritu Sancto pro nobis, vita nostra comite, annis singulis, in dicta ecclesia, tertia die post festum B. Chorentini hyemale. Quæ anniversaria, ut præmittitur, dicti capitulum, capellani et clerici facere promiserunt et tenentur. In cujus rei testimonium præsentes litteras eisdem sigillo nostro tradidimus sigillatas, et ad majorem certitudinem præmissorum prædictum capitulum præsentibus litteris similiter sigillum suum apposuit. Datum et actum in nostro capitulo Corisopitensi generali, in crastino festi B. Chorentini hyemalis, anno Dom. millesimo trecentesimo primo.

XI.

Geoffridus præsul condit capellaniam S. Ægidii.

E Chartul. Corisopit. (1). 1379.

Universis præsentes litteras inspecturis et audituris, Gaufridus, permissione divina Corisopitensis episcopus, salutem in Domino sempiternam. Quia quæ geruntur in tempore simul cum ipso tempore evanescunt, nisi assumpserint ex fide testium vel scripti memoria firmitatem, noverint igitur universi quod quum inter nos et discretos ac venerabiles viros, capitulum nostrum Corisopitense, de divino cultu in nostra Corisopitensi ecclesia prout convenit augmentando et de capellaniis in ea de novo fundandis, statuendis, faciendis, et instituendis ad divinæ majestatis B. Mariæ, Virginis gloriosæ, B. Corentini, patroni nostri, et omnium sanctorum laudem et honorem præhabito tractatu solemni et diligenti, nos, de consensu et bona voluntate nostri capituli prædicti, demum constituimus, ordinavimus, fundavimus et fecimus, constituimusque, ordinamus, fundamus, et tenore præsentium facimus unam capellaniam ad altare, seu in altari B. Mariæ Virginis, versus mercatum bladi, in ecclesia nostra prædicta Corisopitensi situatam, specialiter in honore, seu ad honorem B. Ægidii abbatis, et sub ejus nomine, de quadraginta libris monetæ cursilis annui et perpetui reditus, emptis jam et acquisitis per nos seu deputatis a nobis quoad hoc, prout in litteris authenticis super hujusmodi emptione et acquisitione quadraginta librarum monetæ cursilis annui juris, seu census prædicti, confectis latius continetur. Quasquidem capellaniam et quadraginta libras monetæ prædictæ emptas et acquisitas per hoc, ut præfertur super hoc, cum capitulo nostro Co-

(1) In Max. Paris. Bibl., Chart. 51, fol. 56, verso.

(1) Maxima Paris. Bibl., Chart. 51, fol. 46, v.

risopitensi præfato, matura ac provida deliberatione præhabita, univimus, annexavimus, dedimus, ac etiam, de consilio et assensu nostri prædicti capituli, unimus tenore præsentium damusque perpetuo in communem distributionem pro indiviso inter septem cappellanos majores chori ecclesiæ nostræ Corisopitensis, quoad gerendum officium et deserviendum curæ quæ alı olim censetur esse unica totius civitatis Corisopitensis prædictæ et suburbiorum ejusdem, ex institutione et commissione capituli prædicti, quibus sua septimana per ordinem in eadem ecclesia ab antiquo deputatur, perpetuoque laudabiliter ordinatur ac instituitur, et eorum beneficiis seu cappellaniis existentibus in ecclesia nostra perpetuo annectimus per præsentes, litterasque confectas super hujusmodi emptionibus et acquisitionibus quadraginta librarum annui juris, seu census prædicti, eisdem septem cappellanis præsentibus in capitulo ecclesiæ nostræ prædictæ, et ipsas litteras recipientibus, realiter et de facto tradidimus, ac etiam manualiter assignavimus, attenta tenuitate obventionum, proventuum, redituum, fructuum et aliorum emolumentorum quorumcumque provenientium et pertinentium ipsis septem cappellanis in ecclesia nostra Corisopitensi sæpe dicta, contemplatione celebrationis unius missæ quotidianæ per ipsos septem cappellanos et eorum quemlibet sua septimana per ordinem in dicto altari perpetuo celebrandæ, in modo qui sequitur. Ad cujusquidem missæ celebrationem dicti septem cappellani se gratuito obligarunt, ipsorumque quilibet se obligavit per eorum præstita juramenta, pro se et suis successoribus post ipsos, præsertim ratione unionis et annexationis prædictæ, ita tamen quod cappellanus prædictus non sit ebdomadarius septimana qua missam hujusmodi celebrabit, nec teneatur ad celebrationem horarum magnæ missæ, sive missæ primæ, aut missæ anniversariæ, secundum statuta et consuetudines laudabiles ipsius ecclesiæ, videlicet qualibet die immediate post complementum officii matutinarum ipsius ecclesiæ, excepto quod Dominica die, dicta et finita missa matutinali et parochiali, cum nota dici consueta in ecclesia nostra prædicta, quamdiu parva campana primæ dicta die pulsabitur, dicetur et celebrabitur hujusmodi missa : scilicet die lunæ, de mortuis; die Martis, de angelis; die Mercurii, de S. Ægidio; die Jovis, de Spiritu Sancto; die Veneris, de sancta Cruce; die Sabbati, de B. Maria; die Dominica, de Trinitate, seu de officio ad diem pertinente : ita tamen quod dicti cappellani, videlicet quilibet ipsorum in sua septimana, non celebrabunt alibi quam in dicto altari, hora prædicta qua tenentur missam præfatam celebrare. Præterea si contingat per negligentiam dictorum septem cappellanorum, aut ipsorum alicujus, in non conservando reditus cappellaniæ hujusmodi, seu quocumque alio casu fortuito hujusmodi, reditus, quoquomodo negligentia seu culpa ipsorum, aut alicujus eorumdem cappellanorum, intervenientibus, diminui in futurum, dicti septem cappellani eorumque successores post ipsam missam prædictam tenebuntur nihilominus celebrare, ac ipsam juxta et secundum formam nostræ præsentis ordinationis diligenter perpetuo celebrabunt. Et si contingat quod dictus cappellanus sit infirmitate corporali detentus, seu alio impedimento notabili legitimo ac manifesto præpeditus, faciat per alium idoneum cappellanum missam præfatam hora præordinata celebrare; quodque etiam et quod quilibet dictorum septem cappellanorum respective possit et valeat unus pro alio præfatam missam hora præordinata in dicto altari celebrare,

A ut non subjaceat pœnis inferius descriptis; dicenturque in diebus præ tactis qualibet die orationes quæ sequuntur. Videlicet, die Dominica, prima oratio de Trinitate, scilicet *Omnipotens, sempit. Deus*, secunda *Deus qui inter apostolicos sacerdotes*, et tertia *Pietate tua* : die lunæ, prima oratio *Deus qui inter apostol. sacerd.*, secunda *Deus veniæ largitor*, et tertia *Fidelium* : die Martis, prima oratio *Perpetuam nobis tuæ miserationis*, secunda *Deus qui inter apostol. sacerd.*, et tertia *Pietate tua* : die Mercurii, prima oratio *Intercessio nos quos*, secunda *Deus qui int. apost. sacerd.*, et tertia *Pietate tua* : die Jovis, prima oratio *Deus qui corda fidelium*, secunda *Deus qui int. apost. sacerd.*, et tertia *Pietate tua* : die Veneris, prima B oratio *Deus qui unigeniti filii tui*, secunda *Deus qui int. apost. sacerd.*, et tertia *Pietate tua* : Sabbato, prima oratio *Concede nos*, secunda *Deus qui inter apostolicos sacerd.*, et tertia *Pietate tua*; ac secretæ et post conciones eis correspondentes loco suo. Præterea si contingat quod sit defectus aliqua die in non celebrando missam prædictam, negligentia alicujus dictorum septem cappellanorum, etiam in propria persona, aliter quam superius est expressum, quinque solidi emolumentorum dictæ cappellaniæ pro septimana contingentium applicabuntur et cedent in communem distributionem inter fabricam et canonicos præsentes in magna missa illius diei æqualiter, recipienturque dicti quinque solidi per procuratorem C dictorum fabricæ et canonicorum qui pro tempore erit, aut deputatum ab eo. Præterea si aliquis prædictorum septem cappellanorum per capitulum nostrum memoratum, seu deputatum ab eo, ad quod quidem capitulum institutio, destitutio, seu privatio omnimoda ipsorum septem cappellanorum et macicotorum ejusdem ecclesiæ, nec non et correctio plenaria eorumdem ac aliorum ministrorum, seu officiariorum quorumcumque ecclesiæ nostræ prælibatæ immediate spectat, spectareque et pertinere veraciter dignoscitur ab antiquo, expellatur priveturque, quod absit, extra ecclesiam nostram prædictam Corisopitensem propter suum excessum sive inoD bedientiam, seu aliquod crimen, aut inhonestatem, vel aliis demeritis suis exigente, juxta et secundum formam continentiamve statutorum et consuetudinum ipsius ecclesiæ a tempore memoriam hominum excedente observatur, et juramento vallatarum, quod extunc etiam sit privatus emolumentis dictæ cappellaniæ per nos, ut prædicitur, annexatis et unitis modo et forma quibus supra; et quod etiam eodem contextu quo alter cappellanus loco prædicti cappellani sic privati canonice instituatur, percipiet ipso facto et habebit emolumenta hujusmodi cappellaniæ per nos annexata et unita, ut sæpe dictum est, pro rata sibi attinenti in sua septimana. Statuentes ac etiam ordinantes hujusmodi annexationem E et unionem de prædictæ cappellæ quadraginta libris, fundatis per nos, de consensu et bona voluntate capituli nostri memorati, provida deliberatione inter nos, super hoc in capitulo ecclesiæ nostræ Corisopitensis prædictæ capitulantes et capitulum facientes, præhabita, prout sæpius exprimitur, factas, perpetuo duraturas et valituras in ecclesia nostra memorata, absque eo quod nullo unquam tempore de hujusmodi cappellania et quadraginta libris fieri aut ordinari per successores nostros in futurum possit aut valeat aliter quam prædictum est, nec etiam uni aut duabus personis, seu pluribus, de cappellania et quadraginta libris prædictis provideri quomodolibet in futurum. Si autem aliquis de successoribus nostris contra nostram præsentem ordinationem,

de consensu et bona voluntate capituli nostri memorati per nos, ut præfertur, canonice de præmissis factam, venire, quod absit, molitur, aut (haud) in futurum præserveret (præservet) reditus et cæteras possessiones per nos in feodo ecclesiæ nostræ Corisopitensis prælibatæ rite, secundum morem et consuetudinem primæ in talibus fieri consuetam, emptos ac etiam acquisitos; videlicet octo solidos annui juris, quolibet mense Januarii desuper domo magistri Hervæi *Pape* quondam, sita in vico Scutorum civitatis Corisopitensis, juxta domum abbatis de *Landeguennec*, quæ est ad præsens Yvonis *Guernarpni*, quos emimus a Johanne *Punnizic* : item *Kaermeurzin* situm juxta villam *Tuouheir*, et parcum vocatum parcum *au Roe*, situm juxta quamdam domum magistri Alani *Raoulim*, in parochia de *Kaerfenten*, quos emimus a domino Rioco de *Rosmadeuc*, pro summa ducentorum scutorum auri de Johanne : item octo solidos quos acquisivimus super pontem quo transitur de domo Johannis *Moreb*, sita in castro S. Chorentini, ad aliam domum suam sitam in vico cappellæ B. Mariæ civitatis, solvendos quolibet mense Januarii : item decem solidos quos acquisivimus super porta anteriori domus capituli Corisopitensis, sita in castro S. Chorentini, prope dictas domos prædicti Johannis *Moreb*, in qua morari consuevit dominus Daniel de *Landeguennec*, quondam thesaurarius Corisopitensis, solvendos quolibet mense Januarii : item decem solidos quos acquisivimus desuper domo Eudonis *Maucie* in capite vici *Guermob* sita, solvendos quolibet mense Januarii : item decem et octo solidos quos acquisimus desuper domo quondam *Glevian*, custellarii, sita in vico Vineæ, inter domum Guillelmi, filii *Henriob* et domini *Gourcuff*, solvendos quolibet festo B. Johannis-Baptistæ : item duos parcos juxta *Kaernenes*, videlicet unum a parte versus locum Mariæ et alium a parte versus Pontjustum, æstimatum ad sex libras redituum, quos retraximus ab Yvone de *Lauros* pro quadraginta scutis auri. Item quicquid retraximus ab Yvone *Kaersanteuc* apud *Poulturque*, pro septem viginti scutis auri : item quicquid retraximus via proximitatis ab Eudone *Trevient*, tam ciffatos mellis in molendino, et omne dominium quem (quod) habebat in parochia de *Ploemadiern*, pro summa sexaginta scutorum auri, et valent anno quolibet sexaginta solidos annui juris, quos debet perficere in casu decidii, ex nunc prout ex tunc et ex tunc prout ex nunc donamus capitulo nostro prælibato, ad suarum communium distributionum augmentum perpetuo. Quos reditus et possessiones per nos acquisitos nostris successoribus dimittimus et suæ mensæ episcopali, dummodo nihil attemptent contra nostram præsentem ordinationem prædictæ cappellaniæ et quadraginta libris pro eadem; aliter non : imo, si attemptent, volumus quod capitulo nostro, ad augmentum suarum distributionum, cedant supra dicto modo, et ipsos successores nostros privamus et privatos ipso facto possessionibus et redditibus prædictis esse volumus per præsentes, dicta fundatione ejusdem cappellaniæ sub unione et ordinatione prædictæ in suo robore nihilominus incommutabiliter, permanenter, valitura, ac etiam perpetuo duratura, sub pœna maledictionis æternæ et obtestatione divini judicii, ne secus fiat præsentium serie, in quantum possumus, inhibente. — In quorum omnium testimonium has litteras per notarium publicum infra scriptum fieri et ligno suo consueto signari fecimus, et sigilli nostri magni appensione roborari.

Nos vero capitulum prædictum, præmissis omnibus et singulis prout superius exprimuntur assensum nostrum præbentes, et ea rata et firma habentes statutis nostris, et ecclesiæ nostræ prædictæ in suo robore perpetuo duratura, in testimonium præmissorum, et cujuslibet eorumdem robur et munimen, sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Constat de cancellis prædictis.

Acta fuerunt hæc in camera capituli, seu thesauro ecclesiæ Corisopitensis, die Mercurii ante festum apostolorum Symonis et Judæ, videlicet vicesima sexta mensis Octobris, circa horam tertiam dictæ diei, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo nono, indict. tertia, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Clementis, divina providentia papæ septimi, anno primo; præsentibus ad hoc venerabilibus et discretis viris magistris Gaufrido *Lemarhec* juniore, archid. de *Pochaer*, Guillermo *Lamarhec*, Rioco de *Cestuchan*, Thoma Episcopi, Gaufrido Gallici, Johanne Brientii, Johanne Fravali, canonicis ecclesiæ Corisopitensis; Guillermo de *Ploeneiz*, Guillelmo de Ponte Ligni, advocatis curiæ Corisopitensis; domino Guillermo Vani, rectore parochiæ de *Ploegoff*, diœcesis Corisopitensis; Rivallono de *Penquelennec*, clerico ejusdem dyocesis, et pluribus aliis testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis. (*Sequitur attestatio notarii.*)

XII.

Attestatio civium Corisopitensium de prolusionibus pacis cum Joanne de Monte Forti. Ex originali (1). 1364

In Dei nomine amen. Per hoc præsens instrumentum cunctis pateat evidenter, quod, anno a Nativitate ejusdem Domini MCCCLXIV, die 13 mensis Novembris, circa horam primæ, indict. III, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Urbani digna Dei providentia papæ V anno tertio, in mei ac notarii publici et testium infra scriptorum præsentia personaliter constituti reverendus in Christo pater ac dominus dominus G., Dei ac sedis apostolicæ gratia Corisopitensis episcopus, ex parte una, et nobiles venerabiles et discreti viri, Hervæus de *Kaerodiern*, Guillelmus *Tregonguen*, Rivallonus *de Lauros*, Guidomarus de Monte, Natalis de Ponte, Joannes de Vico Novo, Hervæus de Parco, Gaufridus *Lestudoret*, Alanus de Ponte Medardi, et quam plurimi alii nobiles, burgenses et populares civitatem et diœcesim Corisopitensem habitantes, et moram pro tunc in civitate Corisopitensi trahentes, ex alia, idem reverendus pater in Christo ac dominus petiit, quæsivit et interrogavit a dictis Hervæo de *Kaerodiern*, Guillelmo de *Tregonguen* et ab omnibus aliis nobilibus, burgensibus, popularibus, ibidem insimul congregatis, utrum fuit ad requestam frequentem et ipsorum supplicationem et petitionem instantem, quod ipse reverendus in Christo pater incœpit tractare de pace et concordia pro villa Corisopitensi et habitantibus in ea et partibus circumjacentibus, cum domino Joanne, comite de Monteforti, et gentibus suis, tunc obsidentibus dictam villam : qui quidem Hervæus de *Kaerodiern*, Guillelmus de *Tregonguen*, Alanus de Ponte Medardi et quam plures alii nobiles burgenses et populares dixerunt, asseruerunt et confessi fuerunt, sine hoc quod aliquis ipsorum omnium contradixisset, vel dissensisset, ut videbatur, in aliquo, quod quidquid dictus reveren-

(1) Mss. Paris. Bibl., chart. caps. 1194.

dus in Christo pater dixit, scripsit, fecit, procuravit, tractavit, in hujusmodi concordia, vel pace, dixit, fecit, ordinavit et tractavit de communi consensu et voluntate, et ad instantem petitionem et frequentem requisitionem et propter clamorem eorumdem; ac etiam litteras quas scripsit, Guidoni Vigerii super prædictis, tunc cum prædicto comite existenti, sub hac forma, *Très cher filz en Dieu et bon ami, nous vous prions que vous veuillez venir parler à nous, veoir si ensemble pourrions trouver aucune bonne voye pour le proufist commun de ceste ville et de tout le pais, sus lequel cuidions que aucuns des seigneurs de la parlassent à nous diemanche à heure de prime, comme ils nous avoyent requis et pris terme, auquel nous les attendismes longuement, et ne vindrent, ne ne envoyerent, dont nous nous esmerveillons pour ce que nous ne sommes mie bien sayen. Plaise vous venir à notre hostel par la porte Levesque*, legi audierunt et approbaverunt, et post lecturam earumdem consentit dominus Hervæus de Jugo et alii nobiles et burgenses eas mitti dicto Guidoni. De et super quibus omnibus et singulis supra scriptis dominus reverendus in Christo pater ac dominus petiit a me notario publico infra scripto sibi fieri hoc publicum instrumentum, seu prædicta instrumenta. Acta fuerunt hæc Corisopiti, in camera paramenti dicti reverendi in Christo patris ac domini, sub anno, die, mense, hora, indictione et pontificatu prædictis, præsentibus nobilibus, venerandis et discretis viris Hervæo de Jugo, Gaufrido de Veteri Castro, Petro *Foucant*, Henrico *Perrenob*, militibus, magistris Gaufrido *Marech*, archidiacono de *Pohaer*, canonicoque Corisopitensi et Leonensi, Guillelmo *Leglas*, cantore Corisopitensi, Thoma Episcopi, canonico Corisopitensi, Alano Raoulini, canonico Corisopitensi, Alano Henrico, advocato curiæ domini officialis Corisopitensis, armigeris Rivallono de *Lauros*, Daniele de S. Alarino, Hervæo *Chever*, et quam plurimis aliis testibus fide dignis, ad præmissa vocatis specialiter et rogatis. (*Sequitur attestatio notarii.*)

XIII.

Ex apographo. 1384.

Clemens papa VII Robertum, abbatem S. Crucis, Britonum duci commendat.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Joanni, duci Britanniæ, salutem et apostolicam benedictionem. Cum nuper monasterio S. Crucis de Quimperleo, ordinis S. Benedicti, Corisopitensis diœcesis, tunc vacanti, de persona dilecti filii Roberti, ipsius monasterii abbatis, authoritate apostolica duxerimus providendum, præficiendo eum ipsi monasterio in abbatem, nos eumdem abbatem, suis exigentibus meritis, paterna benevolentia prosequentes, ac cupientes quod dictum monasterium felicia sub ejusdem abbatis regimine, authore Domino, in spiritualibus et temporalibus suscipiat incrementa, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente quatenus eumdem abbatem et commissum sibi monasterium habens pro divina et apostolicæ sedis ac nostra reverentia propensius commendatos, sic eisdem te exhibeas benevolum et in suis opportunitatibus gratiosum, quod idem abbas per auxilium tuum in commisso sibi dicti monasterii regimine utilius proficere valeat, tuque proinde consequaris præmia felicitatis æternæ, nosque etiam nobilitatem eamdem condignis possimus in Domino laudibus commendare. Datum Avenione, VII cal. Junii, pontificatus nostri anno sexto.

XIV.

Litteræ Martini papæ de suspensione interdicti. *Ex originali* (1). 1429.

Martinus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Corisopitensi salutem et apostolicam benedictionem. Pia et salubria vota fidelium, præsertim quæ ad complectenda inter ipsos etiam in suarum salutem animarum concordiæ et tranquillitatis commoda dirigi prospicimus, sinceris prosequimur affectibus, illisque ut optatum sortiantur effectum opem et operam libenter impendimus efficaces. Dudum siquidem, postquam bonæ memoriæ Baldasar, episcopus Tusculanus, in sua obedientia, de qua partes illæ tunc erant, Joannes XXIII nuncupatus, ex certis sibi tunc, pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Joannis, moderni ducis Britanniæ, et cleri nobiliumque civium, communitatum ac populi civitatis et diœcesis Corisopitensis expositis causis, interdictum ecclesiasticum in eisdem civitate et diœcesi ordinaria auctoritate positum et observari mandatum, occasione ædificii cujusdam fortelicii, sive castri, per gentes quondam Joannis, Britanniæ ducis, progenitoris dicti moderni ducis, prope muros civitatis prædictæ, in ejusdem Corisopitensis ecclesiæ, ut dicebatur, grande præjudicium et gravamen incœpti, super cujusquidem interdicti suspensione et relaxatione sub spe tractandæ pacis, sive concordiæ, diversæ litteræ, etiam sub certis modis, conditionibus et formis, per quas hujusmodi interdictum etiam certis annis et terminis suspensum fuerat, retroactis temporibus, a sede apostolica emanarunt, cum finis suspensionis et relaxationis earumdem instare tunc nosceretur, sub modis, formis, conditionibus et clausulis, quibus alias auctoritate apostolica suspensum et etiam relaxatum fuerat usque ad septennium a fine dicti ultimi termini computandum, ex tunc per suas litteras suspenderat et etiam relaxaverat, ac ipsum terminum prorogaverat, volens tamen quod si, dicto durante septennio, hujusmodi pace seu concordia non secuta, seu per sedem apostolicam aliter non ordinato, aliquid innovaretur super ædificio memorato, interdictum ipsum similibus modo et forma, clausulis et conditionibus, in eisdem civitate et diœcesi reverteretur ac repositum existeret, et in suis quibus ante suspensionem, relaxationem et prorogationem prædictas existebat, nisi interim causa hujusmodi in totum cessaret, seu alias super hoc per sedem ordinaretur eamdem, pristinis vigore et robore permaneret, pro parte eorumdem moderni ducis ac cleri, civium, communitatum et populi prædictorum nobis exposito quod ad pacem et concordiam hujusmodi certis obstantibus impedimentis nondum deventum exstiterat, et finis dicti septennii instare nosceretur, nos per alias nostras litteras tibi dedimus in mandatis quatenus de præmissis omnibus te diligenter informares, et si per informationem hujusmodi ea vera esse ipsosque modernum ducem, clerum, cives, communitatem et populum ad hujusmodi pacem et concordiam promptis affectibus dispositos et intentos esse reperires, suspensionem et relaxationem prædicti interdicti per ipsum Baldasarem episcopum, tunc Joannem XXIII, ut præfertur, factas, usque ad decennium a fine dicti septennii computandum, sub eisdem modis, conditionibus et clausulis atque formis et alias, juxta ipsarum primo dictarum litterarum seriem et tenorem, auctoritate præfata prorogares, ipsumque interdictum per ipsum de-

(1) Max. Par. Bibl., chart. caps. 1194.

cennium omnino suspenderes pariter et relaxares, A prout in eisdem nostris litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte eorumdem moderni ducis ac cleri, civium, communitatum et populi petitio continebat, licet per te, prædictarum litterarum nostrarum vigore, septennium præfatum usque ad hujusmodi decennium prorogatum, ac interim hujusmodi interdictum suspensum et relaxatum fuerit, ipsique etiam ad pacem et concordiam præfatas, similiter impedimentis diversis id præpedientibus, nondum pervenerint, tamen iidem modernus dux, clerus, cives, communitates et populus, promptis ad procurandas et consequendas pacem et concordiam hujusmodi afficiuntur desideriis, spem gerentes quod si decennium prædictum, cujus etiam B finis de proximo instat, ad ulteriorem terminum prorogaretur, sive usque ad illum interdictum hujusmodi suspenderetur et relaxaretur, ipsi interim ad hujusmodi pacem et concordiam possent verisimiliter pervenire, pro parte eorumdem moderni ducis, cleri, civium, communitatum et populi nobis fuit humiliter supplicatum ut decennium ipsum ad alium terminum prorogare et usque ad illum interdictum hujusmodi suspendere et relaxare, ut præmittitur, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui singulorum pacem (et statum) tranquillum sinceris exoptamus affectibus, hujusmodi in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per apostolica C scripta mandamus, quatenus si est ita, idque tibi expediens fore videatur, super quo tuam conscientiam oneramus, decennium præfatum ab illius fine usque ad quinquennium ex tunc in antea computandum auctoritate nostra præfata proroges, et interim interdictum præfatum sub modis et formis quibus illud hactenus, ut præfertur, suspensum fuit, eadem auctoritate nostra suspendas, ita tamen quod eodem lapso quinquennio, nisi interim ad pacem et concordiam præfatas perventum, seu alias super hoc per sedem præfatam ordinatum fuerit, hujusmodi interdictum repositum censeatur et observetur sicut prius, non obstantibus constitutionibus apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ, apud SS. Apostolos, XVIII cal. Maii, pontificatus nostri anno duodecimo.

XV.

Litteræ Alexandri papæ ad capitulum Corisopitense. *Ex authentico (1).* 1501.

Dilectis filiis capitulo et canonicis ecclesiæ Corisopitensis Alexander pp. VI.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Cum ecclesia Corisopitensis in maritimis et locis limitrophis ducatus Britanniæ constituta existat, et propterea carissima in Christo filia nostra, Anna, Francorum regina christianissima, Britanniæque ducissa, multum desideret, pro sui status ac dicti ducatus securitate et conservatione, habere illic in prælatum et pastorem aliquem virum sibi dilectum suoque statui fidum; nos igitur, desiderio in hac parte præfatæ reginæ quantum cum Deo possumus satisfacere, dictæque ecclesiæ, quæ pastoris solatio ad præsens destituta existit, de persona suæ Majestati grata et accepta et etiam secundum cor nostrum utili et idonea nobisque proficua providere cupientes, devotionem vestram et vestrum singulos hortamur in Domino et monemus. Vobis nihilominus et cuilibet vestrum, in virtute sanctæ obedientiæ, et sub excommunicationis et suspensionis a divinis, nec non omnium beneficiorum ecclesiasticorum privationis pœnis, quas si contrafeceritis incurrere et beneficia ipsa vacare volumus et decernimus, eo ipso districte præcipiendo mandamus, ut nullo modo ad electionem seu postulationem aliquam futuri dictæ ecclesiæ pastoris procedere, aut aliquid desuper attentare, etiam vigore privilegiorum et indultorum quorumlibet aut alias quomodocumque debeatis, decernentes ex nunc irritum et inane si secus super hoc quomodolibet attentari contigerit, in contrarium non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die 10 Junii MDI, pontificatus nostri anno nono.

(1) In Max. Par Bibl, chart. cups. 1194.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ VENETENSIS.

I.

E Chartul. Rotonensi. 834.

Plura Rotonensibus Nomenoius tradit.

MUNDI termino adpropinquante, ruinis crebrescentibus, jam certa signa manifestantur. Idcirco ego in Dei nomine missus imperatoris Ludovici *Nominoe*, considerans querelam ac tribulationem quam habet dominus noster imperator Ludovicus et gravitudinem peccatorum meorum, et reminiscens bonitatem Dei dicentis : *Date eleemosynam, et omnia munda fient vobis ;* ego quidem, de tanta misericordia et pietate Domini confisus, per hanc epistolam donationis donatumque in perpetuum esse volo ad illos monachos habitantes et regulam S. Benedicti tenentes B in monasterio quod vocatur *Roton*, quod ita et feci : id est donavi eis illam partem quæ dicitur *Ros*, circumcinctam ex duabus aquis, id est Ultone flumine et Visnonia, et ex tertia parte de antiqua ecclesia *Bain*, sita in parte quæ dicitur *Spiluc*, pervenientem per finem hæreditatis *Wethencar*, et per finem villulæ quæ dicitur *Mutsin*, usque ad flumen *Ult;* hoc totum dedi supradictis monachis, in eleemosyna Hlodowici imperatoris, cum massis et manentibus, cum silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, et cum omnibus adpenditiis suis, ita ut, quidquid exinde pro opportunitate monasterii facere voluerint, liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem, C sicut a me videtur hodie esse possessum, ita trado atque transfundo totum atque integrum supradictis monachis in eleemosyna domni imperatoris, ut eum Dominus per orationes eorum adjuvare dignetur. Et si fuerit aliquis post hunc diem qui contra hanc donationem aliquam calumniam fecerit, ad me veniat, et, si rectum fuerit, ego mutabo ei in alio loco, et isti permaneant securi, et ista donatio per omnia tempora firma et immutabilis permaneat. Factum est hoc in loco nuncupante *Roton*, 21 anno imperii domni Ludovici. Signum *Worvoret ;* S. *Loieshoiarn ;* S. *Rodalt ;* S. *Worworet ;* S. *Bledic ;* S. *Morman ;* S. *Wotalin ;* S. *Riskipoe;* S. *Conan;* S. *Kintwallon ;* S. *Guethencar ;* S. *Derien ;* S. *Hedremarchuc ;* D S. *Kalanhedre ;* S. *Aithlon ;* S. *Gulugan ;* S. *Hailgugar*. Raginarius episcopus scripsit, 5 feria, XIV cal. Julii.

II.

E Chartul. Rotonensi. Circa. 834.

Rotonensibus adscribitur vectigal a navibus super Ult *navigantibus persolvendum.*

NOTITIA in quorum præsentia qui subter tenentur qualiter venientes sacerdotes his nominibus, *Corweten* et *Catwollon*, ex monasterio *Ballon* ad *Nominoe*, deprecantes eum ut eis donaret partem ex navibus et ex emptoribus in *Balric*. Tunc interrogavit *Nominoe* si erat rectum illis dare, et E jussit misso suo *Rivoret* ut congregarentur omnes seniores ex *Poliac* et ex *Bain* et ex *Rannac* et ex *Siz ;* quod et ita fecit. Venerunt ex *Poliac*, *Hloc*, *Hocart*, *Haelwocon* presbyter, *Ratweten*, Haelmoini *Risvoret*, *Winan*, etc. ; et ex *Bain*, *Jarnhatoe*, *Wrhoiarn*, *Roenwallon*, etc. ; et ex *Siz*, *Witengloen*, *Catworet*, *Cumiau*, etc. ; et ex *Rannac*, *Howen*, *Jacu*, *Wocon*, etc. : et interrogati sunt omnes quis A debebat accipere teloneum de navibus in *Balric*, sive in *Busalt ;* et testificaverunt omnes supradicti homines Poliaccenses, et Baincenses, et Zizcenses, et Ranacenses, quod ille qui *Bain* haberet in potestatem accepit teloneum, sive mercedem, de navibus ementibus ab illo die quo naves cœperunt navigare in *Ult*, neque abbas *Busalt*, neque abbas *Ballon* habuerunt ullam potestatem, neque de navibus, neque vendentibus, neque ementibus, acceperunt teloneum, sive mercedem, usque in præsentem diem. Factum est hoc in loco nuncupante *Paswentoc*, juxta silvam, adstante *Conwoion* monacho et audiente, cui *Nominoe* mandaverat ibi adesse, et illi hoc renuntiare.

III.

E codice Colbertino (1). 924.

De Translatione corporis S. Maxentii in Pictavium.

IN nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Cum consuetudo meræ veritatis veraciter constet, ut quidquid justum ac religiosum est, et in ea agitur tam divina authoritate quam humana, litteris ob memoriam venturæ ætatis commendetur, idcirco notum sit omnibus christianis Deum timentibus, tam clericis, quam laicis nobilibus, qualiter adiit Tutgualus, sacerdos Pictaviæ, cum consilio et consensu domini Hemerici vice-comitis, Britanniam de Pictavis, causa corporis B. Maxentii ad nos, et locutus est cum nostro decano, nomine *Moroe*, C ut deportaremus illud ad propria, promittens nobis plurima beneficia ex parte Hemerici, et nos ei credidimus, et consentientes deportavimus eum cum labore maximo usque ad Ligeris flumen. Deinde cum ibidem castra metaremur, audivimus quod Pagani devastabant Pictaviensem regionem : plorantes et ejulantes in faciem cecidimus, eo quod beatum virum a suo mausoleo quem * sibi præparaverat expulimus. Quatenus redire retro non poteramus, nec in antea eum ad propria portare. Ecquid inde noster luctus requievit. Deinde movimus ad Condadensem ecclesiam, super illud flumen quod vocatur Bebronna, comparantes eam sexaginta solidis cum omni suo territorio; et ibi demorantur D nostri monachi in honore B. Maxentii, cum una capsa eburnea plurimorum sanctorum reliquiis plena. Devastatio autem Normannorum et timor crevit super nos, quatenus ad salvamentum diffinivimus deportare corpus ipsius viri, et ita fecimus, in Autissiodorum pagum deportantes honorifice, cum adjutorio Ricardi comitis, tunc temporis in corpore viventis. Ille vero cum episcopo et optimatibus totius regionis plurima beato viro beneficia et fiscos et prædia libenti animo ac devote donare voluerunt ; sed nos expaventes Domini timorem, ac stabilitatem rationis quam habuimus cum nostro fratre Tutgualo, pro quo sanctorum merita a suis locis fuerant permota, volentes tenere, quatenus hæc ratio fieret ex toto definita, E nec inanis reputaretur, ex nostra parte et illius, et ideo Mœsetum monachum ac præpositum, ac Joseph monachum ac sacerdotem, ad eum misimus Pictavim, causa illius legationis, quam nobis ex parte vice-comitis portavit Britanniam causa beati viri. Ipsa vero sententia inter nos et Tutgualum concordante, ipse suum hominem

* *al.* quem Christus.

(1) Miscellan., t. XLVI. Plura correximus ex editione Beslyana, Comit. Pictav., p. 217.

cum nostri fratre decani direxit, mittens ad Hemericum. Ille autem ut audivit, hilari vultu, ut decet, dedit eis responsum, promittens ante comitem et optimates totius civitatis venire; quod ita fecit, et suum fratrem, abbatem nostrum, secum adduxit Pictavim. Convenerunt autem ante comitem Ebulum, virum inæstimabilem, sermone veridicum, vice-comes cum suo fratre et nostri monachi et archidiaconus B. Petri Richardus, et decanus ejusdem apostoli, qui est totius civitatis doctor veridicus, mente devotus, nomine Mainardus. Conlocuti sunt inter se de corpore B. viri Maxentii, confessoris eximii, et quomodo vel qualiter eum habuimus et rationabiliter scrutati sunt per omnia. Quid plura pauca et pluribus narramus? In summa promiserunt nostri monachi, nosterque alius homo in nostra advocatione et in illorum, cum sacramento, corpus beati viri cum capite suo, exceptis maxillis, Pictavim deportare, et vitam illius et missale. Hemericus autem et noster abbas promiserunt nobis centum modios inter panem et vinum hoc anno præsenti gratulanter dare, et unum molendinum cum chartula ex parte Hemerici, et terram cultam et incultam pariter dividere, et nos simus ipsius corporis sine fine custodes cum authoritate Ebuli comitis et securitate, nam in ipsius misericordia fiduciam habemus, et si quis ex nostratibus talem habitum indui voluerit, nullatenus sit præoccupatus si utilitas tamen ejus a pluribus fuerit comprobata. Et hæc omnia sunt cum sacramento facta tam ex parte abbatis, et pro se, et in advocatione sui fratris tale fuit sacramentum ita. Eubulus autem comes direxit eos ad ecclesiam beatæ Virginis Mariæ in canonica B. Petri, ubi merita coluntur in nomine Christi, et beatorum Innocentium, et in quorum altare cum suis sanctis meritis facta sunt sacramenta, præsentibus his nobilibus : Adhemarus abbas, qui juravit; Hemericus, vicecomes; Richardus, archidiaconus; Mainardus, decanus; Mesetus, præpositus; Joseph, monachus; S. Tutgualus, sacerdos; Gluhoiarnus. Factum est hoc duodecimo cal. Julii, feria prima, luna decima, ab Incarnat. Domini anno 924. Secunda vero feria, recordati sunt sacramentorum supradictorum ante comitem supra scriptum, qui est procurator mirabilis et custos ineffabiliter veritatis, et ita concordati sunt ante eum sicut hæ litteræ continent. Monachi autem capita incurvantes, ac referentes illi gratias de omnibus bonis quibus honoraverat eos in honore S. Maxentii famuli Christi, ac dixerunt amodo probabiliter : « Tutor « noster, defensor ac patronus eris, clementia « nostra, fides nostra, fortitudo nostra et salvatio, « et super omnia nostra securitas pro S. Maxentio « cum suis monachis. » Sic fecit libenti animo, ac devote deliberans nostris monachis dispendium in via; et illi ab eo licentiam acceperunt; et sic facta sunt omnia.

IV.

E Chartul. Rotonensi. 1040.

Brientius et Ennoguent Rotoni possessiones augent.

Divinæ miserationis gratia Christus omnes invitat ad angelorum consortia, et bonorum operum diversitate ad æternam felicitatem ascendere nos docet. Hortatur enim ad laudem suam in terris erigi basilicarum ædificia, ut cœli mansionibus dignos inveniat. Ad complendum ergo tam salubre præceptum, Brientius, sanctæ caritatis desiderio succensus, genere et potentia clarissimus, ecclesiam prope suum castrum Catvallono, venerabili Rotonensium patri, in honore S. Salvatoris tradidit, sine ulla calumnia ab ullo vivente, matre sua

A *Ennoguent* id præ omnibus monente, et annuente summa voluntate; cujus loci donum libentissime confirmavit vir fidelis et nobilis miles Guarnerius, terramque circumjacentem ecclesiæ ex proprio jure attribuit, et ideo a S. Salvatoris congregatione susceptus est frater et amicus. Dedit etiam ipsa præpotens *Ennoguent* villam quæ nuncupatur Picorneusiam, sitam inter Baiocum et Plouncastellum, cum aliis tribus villis positis in plebe *Pire;* censum vero et decimas molendinorum et thelonei ad augmentum eleemosynæ, per assensum ejusdem filii sui. Decreverant enim uterque ipsam ecclesiam suis possessionibus et divitiis Domino reparare, in suorum remissionem peccatorum. Præterea, ad amplificandum B res loci, quidam eques, nomine Frotmundus, cupiens et ipse particeps esse beneficii, terram monasterio adhærentem dedit ubi fieret pomarium et hortus. Collatum est siquidem hoc datum Henrici Francorum regis inclyti (1)..., imperante super Britannia nobilissimo Alano comite et prælibatum donum annuente, et Gualterio episcopo Namnetensem ecclesiam opportune regente donumque supradictum confirmante, et Venetensem ecclesiam Judicaele episcopo gubernante. Decedente vero prælibato Gualterio, ei in episcopatu Budicus successit, qui et donum annuit. Obeunte quoque Catvallono, sanctissimo Rotonensium abbate, ei subrogatur Perenesius, vir strenuissimus. Nannetica vero civitate orbata C pastore, scilicet Budico, Airardus ei successit, qui et donum annuit cum consensu sui capituli. Igitur hoc donum roboravit propria manu, concedens per suæ præceptionis authoritatem et interdixit per sanctam et inviolabilem Trinitatem ut successorum suorum nullus aliquid demat præfato monasterio sui muneris. Testes vero præfati capituli sunt hi : S. Guillelmi, archidiaconi; S. Alvei, archidiaconi; S. Marcherii, capellani; S. Semfredi; S. Durantis; S. Bili. Ad hoc vero videndum, abbate Perenesio præsente, testes fuerunt hi : Tuenus monachus, Marcherius mon., Armodus mon., Rodereus mon., Sansoiarnus mon., *Lelent* laicus, Cathno laicus, *Hervi* presbyter, Hervæus de Rogei, Ansbertus, D Mainus, Guarnerius, *Frotmond*, Armael, Jacob clericus : sub quorum testimonio hoc munus concessum est, anno ab Incarnatione Domini 1040, indict. x, luna xv.

V.

Pactum inter Rotonenses monachos et episcopum Venetensem.

E Chartulario Rotonensi. [illegible]

Hæc charta indicat atque ad notitiam reducit qualiter Morvanus, Venetensis episcopus, pacem cum abbate Justino et monachis S. Salvatoris de quodam contemptu sibi, ut ipse referebat, inlato pacem et amicitiam fecit; unde fratres E ipsius ecclesiæ, ut animum atque auxilium ipsius perfecte haberent, duos optimos equos sibi dederunt : necnon qualiter concessit et diffinivit libere donum quod sui antecessores, priscis et modernis temporibus, S. Salvatori suisque servientibus de episcopatu totius abbatiæ dederant, unde inter sese quam plurimum rixari solebant. Modus vero concessionis et diffinitionis talis exstitit. Quando episcopus Venetensis synodum congregaverit, abbas præfatæ ecclesiæ, vel aliquis monachorum, si ipse venire non poterit, cum clericis abbatiæ ad synodum, ut bene decet, veniat, et præcepta quæ ibi fuerint dicta audiat.

(1) Annus deest.

Sed eos non idcirco ad synodum diximus convenire, ut alieni aliquam rectitudinem in ipsa synodo faciant, etiamsi culpabiles fuerint, sed ut episcopalia præcepta audiant, et parochianis suis referant. Abbas congruo tempore de clericis et de ceteris totius abbatiæ hominibus justitiam canonice faciat, et ne animæ pereant provideat. Quod si justitiam facere neglexerit, et ad episcopi notitiam hoc pervenerit, admoneatur secrete usque tertio ab ipso episcopo. Si vero neque sic injustitiam correxerit, episcopus, ut decet, ex ipsis legum destructoribus canonicam faciat justitiam, ut animæ salvæ fiant. Et si episcopus aliquem excommunicaverit, et ad abbatis et monachorum notitiam venerit, ipsum excommunicatum nullo modo recipiant, nec eodem modo episcopus aliquem quem monachi excommunicaverint recipiat. Si vero aliquis ex episcopatu monachis aliquam injuriam fecerit, episcopo ostendant, et episcopus vocet eum ad emendationem et satisfactionem. Si emendare noluerit, gladio excommunicationis illum usque ad satisfactionem feriat; ut sic, sicut scriptum est, inter nos pondera portemus alter alterius. Quod si pro communi utilitate ecclesiæ abbas et fratres episcopum convocare voluerint, ex expensis ecclesiæ accuratissime serviatur. Si vero pro suamet utilitate in S. Salvatoris villam venerit, non ex debito, sed ex amicitia, bis vel ter in anno cibus sibi tribuatur. Hoc factum est in Rotonense villa, coram multis hominibus, nomina quorum subter scribentur, anno ab Incarnatione Domini MLXXXXIII. Testes hujus rei sunt ipse M., episcopus, qui hoc concessit et scriptum inde fieri jussit. *Hervi*, frater ejus, testis. Abbas Justinus, ante cujus præsentiam hæc concessio facta fuit, testis. Et de monachis, Walterius prior, Jarnogonus, Modestus, Walterius, Stephanus, Glenarhoeus, et totus conventus: de presbyteris, Daniel, Jarnogonus et Joannes: de laicis, Daniel filius Rogerii, qui ex utraque parte fuit fidejussor et obses.

VI.

E Chartul. Rotonensi 1144.

Ivonis sententia de jurgio inter Alfredum et Hervæum.

Notandum quod Alfredus, filius Maroci *de Villarbles*, et sui participes adierunt Yvonem, abbatem Rotonensis monasterii, promittentes ecclesiæ S. Salvatoris se et suam posteritatem singulis annis decem et octo denarios in manu monachi de Moia reddituros, si eos contra Hervæum de *Syrum* juvaret et manu teneret, qui eos quadam injusta querela vehementer urgebat. Statuta autem die venit ante Eudonem (Yvonem) abbatem utraque pars, et prolata in medium quærela et responsione, cecidit Hervæus de querela sua, eamque sub testimonio multorum qui aderant refutavit atque dimisit. Quo facto, promissionem suam effectui manciparunt, mittentes in manu jam dicti abbatis, et fideliter cedentes, modo quo supradictum est, singulis annis, decem et octo denarios in manu monachi de Moia reddere. Factum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo quarto, quinto cal. Julii, feria secunda, luna vigesima tertia. Hi affuerunt: abbas Yvo, et Gaufridus *Inuet* monachus, Radulfus poeta, Hubertus *de Ballac*, Hervæus et Radulfus homines de *Villarbles*, Alfredus filius Maroci et fratres ejus, Arnuel filius *Getre*, Robertus et *Thehel* frater ejus, et *Haban* filius Bili, Bernardus *Hera-Romault* et *Rialen* filius Caradoci, item testes Daniel et Moya, et Robertus filius

A ejus, Judicalis, et Platea, et Dauro, et *Guellen* filii ejus.

VII.

Ex Albinianorum Mantellorum Codice (1). Circa 1165.

Albinianis castellum Seii Silvester concedit.

Fraterna noverit caritas quia ego Silvester, monasterii S. Salvatoris Rotonensis dictus abbas, et totus sacer conventus noster, in adventu eximii patris Willelmi, S. Albini Andegavensis abbatis, valde effecti sumus gratulabundi. Siquidem, præter fraternæ dilectionis obsequium, quod mutua vicissitudine monachi sibi debent impendere, quadam prærogativa (B) ecclesia nostra ecclesiæ S. Albini glutino caritatis est conjuncta, ut pote quæ nostram multoties sustentavit inopiam, ut in exsilio prædecessoris nostri Ivonis innotuit, quem ipsi cum magno honore in visceribus suscepere. Cum igitur præfatus venerabilis pater Willelmus solamine nos suæ dignaretur præsentiæ, et in die passionis B. Laurentii ipse cum monachis quos secum adduxerat nostrum introisset capitulum, eosque, prout decet monachos, benefactorum nostrorum et ipsi nos suorum participes effecissent, petitioni illius et monachorum suorum precibus voluntarie obsequendo, cum nostri favore et assensu capituli, in quantum nostrum erat quod a nobis postulabant annuimus, ut videlicet locum (C) cui antiquitas castellum Seii imposuit vocabulum a nobis concessum cum pace nostra in perpetuum obtinerent. Ut autem hoc firmum et inquassabile tam apud posteros quam apud modernos teneatur, sigilli S. Salvatoris auctoritate hanc concessionem munire curavimus.

VIII.

Ex Innoc. Epist. 1206.

Innocentius papa III contra hæreticos procedi jubet.

Innocentius dilectis filiis, S. Mevennii et de Monte Forti abbatibus, et R., archidiacono Macloviensi, salutem. Ut in pace appareat amaritudo (D) generalis Ecclesiæ amarissima, sedato bello forinseco tyrannorum, tacentibus theologis et theophilis, insurrexerunt theophanti et theophoni, videlicet hæretici, et falsi fratres in eam, qui tanto gravius persequuntur quanto familiariores existunt, habentes speciem pietatis, sed virtutem ejus penitus abnegantes, et interdum inter filios computantur, quorum pugnantium contra matrem et laniantium ejus vestem est ei amarissima persecutio, restituta sibi pace ab extrinsecis inimicis. Pacis ergo tempore advenerunt homines sine pace, ac voluptatum amatores magis quam Dei, qui penetrant domos et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes et nunquam (E) pervenientes ad scientiam veritatis. Sunt enim homines mente corrupti et reprobi circa fidem, a qua discedentes spiritibus erroris attendunt, et dæmoniorum doctrinis et in hypocrisi loquentes mendacium, et cauteriatam habentes conscientiam, damnare sacramenta Ecclesiæ non formidant, et illius nitentur pulchritudinem abolere, quam denigrando aliquantulum solis æstus olim reddidit speciosam. Ii sunt equidem equus niger, ostensus in Apocalypsi Joanni, super quem sedens diabolus, bilibrem tritici et tres hordei bilibres habentes, Dei videlicet dilectionem, et proximi, et fidem æternæ ac individuæ Trinitatis,

(1) Sub num. 35, p. 309.

vinum quoque ac oleum quæ Samaritanus apposuit vulneribus sauciati habentes, scilicet austeritatem et mansuetudinem, quos denario uno redemit, id est suo sanguine, Jesus Christus, lædere nititur, ut circa fidem naufragium patiantur. Sane dilectus filius R., presbyter ecclesiæ de Rotono, lacrymabili nobis insinuatione monstravit quod quidam ejus parochiani et alii Nannetensis, Venetensis et Macloviensis diœcesum, hujusmodi pravitatis infecti veneno, alios latenter inficere moliuntur, multa simplicibus proponentes quæ obviant fidei christianæ, ut illos secum attrahant in errorem et seductos habeant in gehenna consortes. Porro cum vicini eorum ægrotant, ipsi, ad eos sub visitationis specie accedentes, præveniunt sacerdotes et exhortantur eosdem, ut, presbyteris absentibus, domui suæ bene disponant nec confiteantur eisdem, quia confessio malis presbyteris facta non proficit ad salutem; dicentes quod gravati pondere peccatorum presbyteri, aliis nequeunt peccatorum præbere medelam, et sic eos luna per noctem. Nuptias etiam detestantur, et alia multa proponunt a catholicæ fidei puritate penitus aliena, per quæ multorum corda simplicium pervertuntur, inter quos mugiunt, quasi taurorum concilium inter vaccas, non attendentes quod ea est habitudo inter sacerdotem et sacramentum quæ inter medicum et medicinam existit. Unde, sicut languor periti medici vim non impedit medicinæ, sic reatus catholici sacerdotis virtutem non impedit sacramenti, quamvis vita debeat consonare doctrinæ, ne forte qui verbo corripitur corrumpatur exemplo. Cum igitur, ex injuncto nobis officio, de regno Dei corrigere scandala teneamur, et in quantum possumus hujusmodi bestias oppugnare, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus confines, catholicæ fidei zelo succensi, eos quos constiterit hujus spiritualis adulterii esse reos, ut abnegata impietate hujusmodi resipiscant, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, compellatis. Quod si nec sic a sua perversitate poterunt revocari, juxta constitutionem, quam ad hæreticorum confundendam edidimus pravitatem, contra eos procedere procuretis. Quod si non omnes his exsequendis interesse potueritis, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Romæ apud S. Petrum, XII cal. Januarii, anno nono.

IX.

F. Chartulario Corisopit. (1). 1220.

Pactum inter abbatem S. Gildasii et Corisopitensem episcopum de ecclesia S. Tudii.

Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, H., abbas, et conventus S. Gildasii Ruiensis, salutem in Domino. Noveritis quod post diutinam contentionem, quæ inter nos et venerabilem virum electum Corisopitensem super ecclesia S. Tudii in Prandi dignoscitur agitata, tandem composuimus in hunc modum, quod nos, ex donatione prædicti electi et consensu capituli, unum canonicatum haberemus in ecclesia S. Tudii in perpetuo possidendum; magister vero Gaufridus secundum, et magister Cadiocus tertium, quandiu vixerint, possidebunt; quos, cum pro tempore vacaverint, dictus electus et successores sui illos conferent quibus viderint conferendos; quod de communi assensu dicti electi et totius sui capituli est statutum, quod tria be-

(1) Max. Paris. Bibl., Chart. 56, fol. 7.

A neficia, seu canonicatus, in dicta ecclesia de cætero habebuntur. Nos vero, omni contentioni et calumniæ quas contra prædictum electum et Corisopitensem ecclesiam habebamus super dicta ecclesia renuntiavimus expresse; omnibus vero instrumentis et litteris, quas super dicta ecclesia habemus, utemur secundum consilium dictorum magistrorum, et in loco securo cum eorum consilio ponemus reservanda, et alienata secundum consilium eorum studebimus revocare. Nos vero electo Corisopitensi et successoribus suis obedientiam quam debemus, fidelitatem vero ecclesiæ S. Tudii, pro nobis et conventu nostro cum eorum speciali mandato juravimus. Dicti vero magistri dictas fidelitatem et obedientiam jura-
B verunt. Et hæc omnia bona fide duximus pro nobis et conventu nostro concedenda. Dicti vero magistri in acquirendo et revocando jura ecclesiæ antedictæ debent nobiscum communiter laborare, et expensas pro suis portionibus ponere, alioquin de acquirendis nihil percipient, donec nobis super expensis fuerit satisfactum, et similiter erit de nobis. Ut hoc autem robur obtineat firmitatis, præsentes litteras sigillo nostro et sigillo capituli nostri fecimus sigillari. Datum apud *Kempercorentin*, anno gratiæ MCCXX, mense Aprili.

X.

Ex apographo (1). 1221.

C *Litteræ Honorii III de reformandis Rotonensium moribus.*

Honorius, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo et dilectis filiis decano et magistro scholarum Cenomanensium, salutem et apostolicam benedictionem. Auditos subditorum graves et enormes excessus non possumus salva conscientia relinquere indiscussos, præsertim cum per graves honestasque personas ad nostram audientiam perferuntur. Sane venerabiles fratres nostri Redonensis, Dolensis, Macloviensis, Briocensis et Tricoriensis episcopi jam secundo suis nobis litteris intimarunt quod monasterium Rotonense adeo est dissolutum in capite ac in mem-
D bris, ut nulla ibi vel modica servetur regularis ordinis disciplina, quin imo personis commorantibus in eodem deditis incontinentiæ vitio ac negociationes et alia monasticæ professioni prorsus contraria exercentibus, odor vitæ in vitam, qui de loco ipso antiquitus procedebat, in odorem mortis in mortem commutatione dampnabili est conversus. Cum igitur instantia nostra quotidiana sit ecclesiarum omnium sollicitudo continua, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ad monasterium ipsum personaliter accedentes, impendatis ei visitationis officium vice nostra, et habentes præ oculis solum Deum, corrigatis et reformetis ibidem tam in capite quam in membris quæ correctionis et reformationis officio videritis indigere, ac ea quæ pro ipsius loci reformatione duxeritis statuenda faciatis firmiter observari. Contradictores, etc. Quod si non omnes... Datum Laterani, sexto nonas Octobris, anno nono.

XI.

Innocentius episcopo Venetensi litem tradit investigandam super insula Guedel.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Venetensi salutem et

(1) Inter Collectan. D. *la Porte du Theil.*

apostolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis frater noster episcopus Corisopitensis petitione monstravit, quod cum causa quæ inter ipsum, ex parte una, et abbates et conventum monasterii S. Crucis de Kemperleto, Corisopitensis diœcesis, ex altera, super eo quod ipsi quominus idem episcopus jurisdictionem episcopalem in dicto monasterio et prioratibus de insulis de *Guedel*, ac aliis locis et ecclesiis ad dictum monasterium pertinentibus, in Corisopitensi diœcesi constitutis, exercere valeret, præsumebant contra justitiam impedire, necnon super procurationibus et obedientia sibi debitis, ac quibusdam aliis articulis vertitur, post diversas commissiones hinc inde ab apostolica sede ad judices diversos obtentas, per appellationem ipsius episcopi ad eamdem sedem delata fuisset, felicis recordationis G. papa, prædecessor noster... archidiacono de Sablolio et suis conjudicibus, Cenomanensis diœcesis, sub ea forma commisit, ut in causa ipsa per viginti annos et amplius tunc protacta, quæ propter partis diversæ diffugia ad litis contestationem adhuc non potuit devenire, infra quatuor menses prævia ratione procederent, et eam, si esset de partium voluntate, judicio vel concordia terminarent, alioquin eisdem partibus præfigerent terminum peremptorium competentem, quo se cum omnibus munimentis, rationibus et defensionibus suis apostolico conspectui præsentarent, super præmissis justitiam recepturi. Verum quia iidem judices, propter solitas cavillationes adversæ partis, ipsam nequiverunt juxta formam sibi traditam terminare, diem Mercurii ante festum Apostolorum Simonis et Judæ proxime præteritum terminum peremptorium partibus assignarunt, quo per se, vel procuratores idoneos, in nostra præsentia comparerent, prout in litteris ipsorum judicum plenius dicitur contineri, et licet in eodem termino procurator dicti episcopi coram dilecto filio D. Spata, capellano nostro, sibi a nobis auditore concesso, prout debuit compareret, dicti tamen abbas et conventus nec personaliter, nec per procuratorem idoneum comparuerunt diutius exspectati. Volentes igitur ut finis litibus imponatur, mandamus quatenus eosdem abbatem et conventum ac ipsum episcopum peremptorie citare procures, ut infra duos menses a tempore citationis, cum præfatis munimentis, rationibus et defensionibus, nostro se conspectui repræsentent, facturi et recepturi quod ordo dictaverit rationis; nullis litteris obstantibus, a sede apostolica impetratis, vel etiam impetrandis, quæ plenam de præsentibus non fecerint mentionem. Quidquid autem super hoc duxeris faciendum nobis tuis litteris intimare procures. Datum Lugduni, XIII cal. Martii, anno secundo.

XII.

Ex apographo (1). 1285.

Litteræ Honorii papæ IV, de jurgiis quæ inter Britonum ducem et abbatem Rotoni movebantur.

HONORIUS, servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Turonensi salutem. Exhibita nobis dilectorum filiorum Joannis abbatis et conventus monasterii Rothonensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti, Venetensis diœcesis, petitio continebat, quod cum olim inter ipsos ex una parte et dilectum filium nobilem virum Joannem, comitem Britanniæ, super temporali jurisdictione quarumdam parochiarum et locorum, ac hominum habitantium in parochiis et locis eisdem, ac nonnullis aliis articulis ex altera esset materia quæstionis exorta, felicis recordationis Innocentius papa IV, prædecessor noster, piæ memoriæ Nicolaum papam, prædecessorem nostrum, tunc S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, dedit in causa hujusmodi auditorem, coram quo, pro parte abbatis et conventus prædictorum super hoc oblato libello, et pro parte comitis supra dicti contra eosdem abbatem et conventum spoliationis exceptione proposita, præfatus cardinalis, auditis quæ partes hinc inde proponere voluerunt, et eis diligenter examinatis, de speciali mandato ejus prædecessoris Innocentii, inter alia interloquendo, pronuntiavit memoratos abbatem et conventum ac homines dictarum parochiarum et locorum in possessione libertatis fore auctoritate apostolica defendendos, donec judicialiter apparere contingeret quod abbas, conventus et homines supra dicti ab eadem cadere possessione deberent, dictumque monasterium eadem esse auctoritate tuendum in possessione, vel quasi, exercendi jurisdictionem eamdem in homines supra dictos; idemque prædecessor Innocentius, quod ab eodem cardinali factum exstitit in hac parte ratum habens et gratum, id auctoritate apostolica confirmavit. Postmodum autem, prædicto comite proponente quod idem abbas et conventus a libertatis hujusmodi cadere possessione deberent, felicis recordationis Urbanus papa, prædecessor noster, sæpe dictos abbatem et conventum per suas fecit citari litteras speciales, ut coram eo per procuratorem idoneum certo termino comparerent, facturi et recepturi super hoc quod rationis ordo dictaret, dilecto filio nostro Matthæo, S. Mariæ in Porticu diacono cardinali, concesso in prædicta causa partibus auditore; coram quo contra prædictos abbatem et conventum pro parte prælibati comitis oblato libello, demum piæ memoriæ Clemens papa IV, prædecessor noster, bonæ memoriæ H., tunc Ostiensem et Velletrensem episcopum, dicto M. cardinali in causa subrogavit hujusmodi auditorem, coram quo causa ipsa pendente, quondam P., tunc abbas monasterii memorati, naturæ debitum in curia Romana persolvit. Cumque postmodum idem comes prænominatum monasterium et homines in parochiis et locis habitantes eisdem quibusdam reditibus, juribus et rebus aliis contra justitiam spoliasset, quondam Robertus abbas monasterii supra dicti, successor ipsius P., a felicis recordationis Gregorio papa X, prædecessore nostro, præfatum M., cardinalem, cum jam dictus episcopus decessisset, in causa hujusmodi dari obtinuit auditorem, dictumque comitem auctoritate apostolica citari, ut per se vel per procuratorem idoneum coram eodem prædecessore Gregorio compareret, facturum et recepturum super iis quod ordo exigeret rationis. Comparentibus autem procuratore ipsius comitis, et abbate prædicto, pro se dictoque conventu, coram cardinali præfato, et pro parte ipsorum abbatis et conventus super hujusmodi redituum, jurium et aliarum rerum spoliatione libello oblato, dictus M. cardinalis certum competentem terminum peremptorium partibus assignavit, ad omnes exceptiones dilatorias et declaratorias proponendum. Post hæc vero, quibusdam ex hujusmodi exemptionibus, quæ fuerunt a partibus eisdem propositæ, a cardinali memorato repulsis, pars dicti comitis pluries ad sedem apostolicam appellavit. Et licet in hujusmodi appellationibus bonæ memoriæ Sabinensis episcopus fuisset ab eodem prædecessore Gregorio auditor ipsi M. cardinali, prout moris est, adjunctus, demum tamen ejusdem comitis procurator sponte ac expresse re-

(1) Inter Collectan. *D. la Porte du Theil.*

nuntiavit appellationibus supra dictis, ab earum prosecutione penitus desistendo. Cum autem postmodum procurator comitis prælibati quædam quæ dicebat ad suam de novo notitiam devenisse coram cardinali proposuisset eodem, ad ipsius judicium declinandum, idem cardinalis hujusmodi proposita exigente justitia non admisit, propter quod, pro parte jam dicti comitis, ad sedem prædictam denuo exstitit appellatum. Porro præfatus Nicolaus ad apicem apostolatus assumptus, hujusmodi negotio proposito, coram ipso sæpefatum comitem in audientia publica citari mandavit, ut coram eo, si vellet, prosecuturus appellationem hujusmodi ex parte ipsius comitis ultimo interpositam, compareret. Memoratis itaque comite et ejus procuratoribus pluries ac peremptorie citatis, nec comparentibus, neque appellationem prosequentibus supra dictam, per viginti menses et amplius exspectatis, dictus comes per suas patentes litteras, quæ in eadem audientia lectæ fuerunt, omnes procuratores quos in curia eadem habuerat et substitutos ab ipsis procuratoribus revocavit. Sed tandem præfatus prædecessor Nicolaus cardinali mandavit eidem, ut, hujusmodi citationibus præfati comitis nequaquam obstantibus, in negotio ipso procederet justitia suadente, dictusque M., cardinalis, partem ipsius comitis pluries et peremptorie fecit in audientia supra dicta citari, ut coram ipso in causa hujusmodi processura certis terminis compareret; in quibus nullus comparuit pro parte comitis antedicti. Parte ipsorum abbatis et conventus in eisdem terminis comparente, ac petente in dicta causa procedi, necnon et partis alterius contumaciam accusante, prædictus vero R. abbas, apud sedem prædictam constitutus, diem clausit extremum. Quare dicti abbas et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut cum causæ hujusmodi diutius sint protractæ, ac præfatum monasterium illarum occasione damna quam plurima et expensas non modicas sustinuerit et pressuras, ipsis et eidem monasterio providere super hoc paterna diligentia dignaremur. Licet autem in causis hujusmodi apud præfatam sic pendentibus, coram dicto M. cardinali posse de jure procedi absque citatione alia videatur, nos tamen nobilitati ejusdem comitis in hac parte de apostolica benignitate deferre volentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus comitem ipsum ex parte nostra per te vel per alium peremptorie citare procures, ut infra semestris temporis spatium post citationem hujusmodi cum omnibus actis, juribus et munimentis suis causas contingentibus supra dictas, per se, vel per procuratorem idoneum apostolico se conspectui repræsentet, facturus et recepturus super præmissis quod ordo dictaverit rationis. Diem vero citationis et formam, et quidquid inde feceris nobis per tuas litteras, harum seriem continentes, studeas fideliter intimare. Cæterum cupientes prædictas causas, quæ diu, ut præmittitur, jam durarunt, per tuæ sollicitudinis studium concordia, in qua tantum apostolicæ sedis, cui prædictum monasterium immediate subest, prius requiratur et interveniat auctoritas, terminari, ut parcatur partium laboribus et expensis, volumus ut postquam per te fuerit ad hujusmodi citationem juxta præsentium tenorem processum, tractatum super hoc cum prædictis partibus habeas diligentem, eas quod ad talem concordiam amicabiliter deveniant sollicitis exhortationibus inducendo, nobis postmodum quod super iis inveneris seu faciendum duxeris nihilominus rescripturus. Per hoc enim non intendimus quod citationi prædictæ in aliquo derogetur, seu processus in causis prædictis apud præfatum sedem habendus impediatur, aut etiam quomodolibet retardetur, nisi extunc demum cum forsan easdem partes ad hujusmodi concordiam contigerit devenisse. Datum Romæ, apud S. Sabinam, II non. Maii, anno I.

XIII.

Litteræ de promotione Henrici.

Ex apographo (1) 1383.

ILLUSTRI ac excellentissimo principi domino Joanni, Dei gratia duci Britanniæ ac Montis Fortis et Richemundiæ comiti, Thomas, eadem gratia archiepiscopus Neapolitanus, apostolicæ sedis nuntius, ab eademque sede ad infra scripta specialem obtinens potestatem, salutem in Domino, cum honoris et gratiarum augmento felici. Sicut vestras decet excellentiam, clerum, prælatos et ecclesias, qui longe lateque per vestra dominia diffunduntur, ab omnibus impugnationibus defendere et tueri, sic honestati congruit atque rationi, cum provisiones fiunt ecclesiis ipsis, et præsertim cathedralibus, infra vestri limites dominii constitutis, eidem notas excellentiæ facere, et personas ipsas ad hujusmodi ecclesias et prælaturas assumptas recommendare propensius, et pro iis fovendis vestræ fortitudinis dexteram flagitare, quatenus per hoc honor vobis debitus conservetur, et quæ personæ ipsæ a vobis vel aliis habent recipere consequantur facilius, ac in suis juribus et ecclesiarum libertatibus vestro adjuvamine firmius protegantur. Dudum siquidem, princeps magnifice, sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Clemens, divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summus Pontifex, cum nos ad vestram excellentiam vestrasque partes Britanniæ, pro suis et Romanæ sedis prædictæ negotiis arduis destinaret, ex nonnullorum percepto relatibus fide dignis quod reverendus pater dominus Symon, olim Nannetensis, tunc vero episcopus Venetensis, cupiebat ob senium, quo prægravatus dicebatur, ac infirmitates, et alias impotentiæ justas et rationabiles causas, dictæ Venetensi ecclesiæ et ipsius administrationi et regimini pure cedere, et renuntiare ac plenarie resignare, nobis commisit, per suas apostolicas litteras infra scriptas, specialiter et expresse volens personam nostram etiam vestri intuitu honorare et indemnitati tam ipsius domini Symonis quam dictæ Venetensis ecclesiæ possetemus providere, ut si nobis constaret ipsum dominum Symonem velle per se vel procuratorem idoneum, ad hoc sufficiens et speciale mandatum habentem, dictæ ecclesiæ et ejus administrationi et regimini, ut præmittitur, cedere et renuntiare, cessionem et renuntiationem, seu resignationem hujusmodi, in nostris manibus authoritate apostolica recipere et admittere valeremus, ac insuper ipsi Venetensi ecclesiæ sic vacanti de persona venerabilis patris domini Henrici, tunc abbatis monasterii de Precibus, ordinis Cisterciensis, Venetensis diœcesis, quem vestrum novit dilectum consiliarium et acceptum, et de quo informatus exstiterat testimonio fide digno, quod propter ipsius grandium virtutum merita, quibus eum altissimus insignivit, sufficiens foret et idoneus ad regimen ecclesiæ memoratæ, providere authoritate apostolica curaremus, ipsum illi præficiendo in episcopum et pastorem, et in hoc nobis authoritatem et licentiam per dictas apostolicas litteras fuit plenarie elargitus, quarum apud nos originale retinemus, quarumque tenor de verbo ad verbum sequitur, et est talis :

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ve-

(1) Cod. Reg., 8357².

nerabili fratri Thomæ, archiepiscopo Neapolitano, apostolicæ Sedis nuntio, salutem et apostolicam benedictionem. Inter sollicitudines varias quibus assidue premimur, illud potissime pulsat et excitat mentem nostram, ut circa statum ecclesiarum et monasteriorum omnium, ne in spiritualibus et temporalibus detrimenta sustineant, quantum nobis ex alto conceditur providere curemus. Cum itaque, sicut accepimus, venerabilis frater noster Symon, episcopus Venetensis, ex certis causis rationabilibus nobis expositis, regimini Venetensis ecclesiæ cedere et renuntiare proponat, nos cupientes eidem ecclesiæ per apostolicæ sedis providentiam utilem et idoneam præsidere personam, ac attendentes quod dilectus filius Henricus, abbas monasterii de Precibus, Cisterciensis ordinis, Venetensis diœcesis, propter ipsius grandium virtutum merita, quibus, prout fide dignis testimoniis accepimus, altissimus eum insignivit, ad regimen ipsius ecclesiæ sufficiens et idoneus existeret, tibi, quem ad ducatum Britanniæ pro magnis et arduis nostris et Romanæ Ecclesiæ negotiis duximus destinandum, per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus cessionem et renuntiationem hujusmodi ab eodem Symone episcopo, vel procuratore suo ad hoc ab eo sufficiens et speciale mandatum habente, hac vice authoritate apostolica recipias et admittas, ac, eis receptis, de persona dicti Henrici, abbatis, eidem ecclesiæ, cum illam per cessionem et renuntiationem hujusmodi vacare contigerit, authoritate prædicta provideas, ipsumque præficias eidem ecclesiæ in episcopum et pastorem, sibi curam et administrationem ejusdem ecclesiæ in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, et faciendo a suis subditis obedientiam et reverentiam debitas exhiberi, contradictores per censuram apostolicam appellatione postposita compescendo, et nihilominus eidem Henrico, abbati, postquam de persona suæ dictæ ecclesiæ provideris, ut præfertur, munus consecrationis impendas, vel per alium catholicum antistitem gratiam et communionem apostolicæ sedis habentem, accitis et in hoc tibi vel eidem antistiti assistentibus duobus vel tribus catholicis episcopis, similem gratiam et communionem habentibus, impendi facias et procures. Volumus autem quod tu, vel idem antistes qui præfatum munus impendet, ab ipso Henrico, abbate, nostro et Ecclesiæ Romanæ nomine, recipias, seu recipiat fidelitatis debitæ solitum juramentum, juxta formam quam sub bulla nostra mittimus interclusam, et formam juramenti quam ipse præstabit nobis, per ejus patentes litteras suo sigillo signatas, tu, vel idem antistes qui præfatum munus impendet, procures, seu procuret, per proprium nuntium quantocius destinare. Per hoc autem venerabili fratri nostro, archiepiscopo Turonensi, cui præfata ecclesia metropolitano jure subesse dignoscitur, nullum volumus in posterum præjudicium generari. Datum Avenione, x cal. Februarii, pontificatus nostri anno quinto.

Postea vero, in civitate vestra Nannetensi nobis pro tunc moram trahentibus, idem reverendus pater dominus Symon, quem pro hoc per viros probatos et probos visitari mandavimus, primo per se ipsum, in manibus commissarii nostri, per nos ad hoc specialiter deputati, in castro de Suscio, Nannetensis diœcesis, et postea per procuratorem suum idoneum ad hoc per eum specialiter constitutum, utpote qui per seipsum ad nos venire, imo de sua camera se movere non poterat, neque potest, nosque pluribus aliis magis arduis negotiis, præfatum dominum nostrum papam et Romanam Ecclesiam ante dictam tan-

A gentibus, præpediti, ad ejus præsentiam non poteramus accedere, Nannetis, in nostris manibus, dictæ Venetensi ecclesiæ et ejus administrationi et totali regimini pure et simpliciter cessit, renuntiavit ac etiam resignavit, et hoc ob senium, infirmitatem et impotentiam sensus et corporis, quibus notabiliter erat et est notorie prægravatus, adeo ut nulli omnino regimini intendere valeat, nec prodesse; sicque nos cessionem et renuntiationem ac resignationem hujusmodi, utpote ex justis causis factam, recepimus juxta potestatem nobis, ut prædicitur, attributam, et eam authoritate apostolica prædicta duximus admittendam, prout de iis omnibus exstant apud nos legitima documenta. Cum autem expost, ne Ve-
B netensis ecclesia prælibata, jam tunc per cessionem et renuntiationem prædictam pastoris sui solatio destituta, ex vacatione ejus diutina haberet sua incommoda necessario deplorare, pateretque longius morsibus æmulorum, ac vagari cogeretur diutius sub incerto, præsertim cum etiam ad hoc vestræ excellentiæ preces et vota concurrerent, nos Venetensi eidem ecclesiæ sic vacanti de persona venerabilis patris domini Henrici, tunc abbatis monasterii de Precibus supradicti, tantis virtutum meritis decorati, auctoritate apostolica prædicta providerimus, et eum præfecerimus in episcopum et pastorem, sibi curam et administrationem ipsius ecclesiæ in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, quanto melius potuimus
C in vim et auctoritatem apostolicarum litterarum præmissarum, ipseque dominus Henricus dictæ suæ assumptioni acquiescens, suum jam adhibuerit beneplacitum et consensum, de quibus omnibus apud nos documenta publica retinemus, nos volentes provisionem et præfectionem hujusmodi suum debitum sortiri effectum, ac executioni plenarie demandari, quatenus et Venetensis ecclesia suum pastorem recipiat, et ipse dominus Henricus suæ sponsæ et ecclesiæ valeat jura suscipere, et ipsius administrationi insistere, et seipsum de cætero mancipare, clerusque et populus ipsius ecclesiæ deinceps obsequiis debitis non fraudetur, provisionem et præfectionem hujusmodi de persona dicti domini Henrici ecclesiæ
D Venetensi prædictæ, ac commissionem sibi auctoritate apostolica, ut prædicitur, per nos factas, necnon ipsius assensum adhibitum et consensum, vestræ illustri dominationi quanto melius possumus et debemus harum serie notas facimus, et præsentialiter nuntiamus, ad vestramque notitiam deducimus per præsentes, quatenus eadem vestra dominatio præexcellens eumdem dominum Henricum, Venetensem jam electum, benigne recommandatum suscipiat, et eidem ut tali faveat et intendat, in adipiscendaque suæ ecclesiæ possessione favores impendat, et si quæ de juribus ecclesiæ in vestris aut vestrorum manibus existant, generose et ex integro eidem restitui jubeat, ac ipsum, postquam possessionem adeptus fuerit, necnon sua jura, possessiones et libertates tam mensæ
E suæ episcopalis quam ecclesiæ prædictæ favorabiliter protegat et defendat; in hoc enim vestra excellentia vestrorum primogenitorum vestrosque mores laudabiles et debitos exsequetur, et laudis ac retributionis æterna præmia ecclesiæque favores et preces largiflue consequetur. In quorum testimonium præsentes litteras, seu præsens instrumentum publicum, per notarium nostrum et scribam infra scriptum scribi et publicari mandavimus, et nostri pontificalis sigilli fecimus appensione muniri. Datum in loco de Lavalle, Cenomanensis diœcesis, in hospitio in quo de præsenti inhabitat præfatus dominus Henricus, clericus Venetensis, die tertia mensis Augusti, anno a

Nativitate Domini 1383, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri Clementis divina providentia papæ VII prædicti anno quinto, præsentibus venerabilibus et circumspectis viris dominis Guidone Barbuti, legum doctore, et nobili viro Gileto *Sourboys*, domicello Nannetensi, testibus ad præmissa vocatis specialiter et rogatis. (*Sequitur attestatio notarii.*)

XIV.

Ex apographo (1). 1429

Guillelmus, abbas Rotonensis, Britonum duci commendatur.

Martinus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Joanni, duci Britanniæ, salutem et apostolicam benedictionem. Cum nuper monasterium S. Salvatoris de Rothono, Romanæ ecclesiæ immediate subjecto, ordinis S. Benedicti, Venetensis diœcesis, tunc abbatis regimine A destituto, de persona Guillermi *Chesnel*, abbatis ejusdem monasterii, nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio et authoritate apostolica duxerimus providendum, præficiendo ipsum eidem monasterio in abbatem, nos eumdem abbatem paterna benevolentia prosequentes, et cupientes quod dictum monasterium sub ejus regimine, authore Domino, felicia suscipiat in spiritualibus et temporalibus incrementa, devotionem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus eumdem abbatem, et monasterium prædictum suæ curæ commissum, habens pro nostra et apostolicæ sedis reverentia propensius commendatos, cum benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod ipse, tuæ de- B votionis fultus præsidio, in commisso sibi præfati monasterii regimine possit, Deo propitio, prosperari, ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Romæ, apud SS. Apostolos, XVI cal. Octobris, pontificatus nostri anno XII.

(1) E cod. Reg. 8357².

INSTRUMENTA ECCLESIÆ LEONENSIS.

I.

E domno Moricio. 1128.

Leonensis et Trecorensis episcopi Majoretanis ab Herveo data confirmant.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen. Ego Galo Leonensis et Radulfus Trecorensis episcopi, notum fieri volumus quod fratres nostri, Majoris Monasterii monachi, præsentiam nostram adierunt, orantes ut donum quod eis Hervæus, vice-comes Leonensis, libere dederat concederemus et episcopali auctoritate firmaremus. Quicquid igitur in ecclesia S. Martini de Monte Relaxo monachi habent, vel habituri sunt, ego Galo, Leonensis episcopus, salvo jure Leonensis ecclesiæ, dono eis et concedo. Similiter et capellam B S. Mariæ Magdalenæ et capellam S. Augustini, cum omnibus ad eas pertinentibus. Ego vero Radulfus, Trecorensis episcopus, dono eis, et concedo, salvo jure episcopali, quicquid de fevo Hervæi vice-comitis iidem monachi habent vel habituri sunt, et in concilio Dolensi, quod sub venerabili legato Gerardo Engolismensi celebratum est, anno ab Incarnat. Dom. MCXXVIII, per annulum meum ipsos monachos investivi de hoc. Similiter ego Galo, Leonensis episcopus, per mitram meam eosdem monachos in ipso concilio de supradictis donis investivi. S. Galonis episcopi; S. Radulfi episcopi; S. Roberti episcopi; S. Aimerici; S. Israhel.

II.

E D. Moricio. 1157.

Hamo pactum inter Herværum comitem et monachos S. Matthæi promulgat.

Hamo, Dei gratia Leonensis humilis minister, universis ad quos hæc chartula pervenerit in Deo salutem. Notum fieri volumus tam præsentibus quam futuris, quod Hervæus, comes Leonensis, more solito domum S. Matthæi de Finibus terræ orationis gratia reverenter adiens, dedit et in posterum ratum fore concessit libertati toti terræ S. Matthæi, scilicet ut ne quis in tota illa terra administrationem aliquam appetere, seu D habere præsumat, nisi quem dominus abbas de consensu capituli statuerit. Pro cujus doni libertate D. abbas et totus conventus participem eum recèperunt in omnibus illius ecclesiæ beneficiis, tam missarum quam cæterorum; sed et de misericordia Domini plurimum confisi, consilio nostro, peccatum quod ipse magis timebat, de quo et confessus fuerat, vice apostolorum principis freti, alter alterius onera portantes, fraternæ caritatis debitores ei remiserunt. Hoc autem factum est in præsentia nostra, videntibus et audientibus Perenesio, abbate ejusdem loci, ac monachis, et, ex parte comitis, Bartholomæo, Eveno et pluribus aliis. Anno ab Incarn. Domini MCLVII, sexto id. Julii, luna 19; papa Adriano; Ludovico mi- E nore Franciæ imperante; Joscio Tur. archiep.

III.

Ex apographo(2). 1237.

Litteræ Gregorii IX de cessione Leonensis episcopi.

Gregorius, etc., etc., venerabili fratri archiep. Turonensi salutem. Cum multa precum instan- A tia vener. frater noster Leonensis episcopus per suos nuntios nobis humiliter supplicavit, ut, cum tanta proprii corporis impotentia et debilitate laboret ut jam exercere non queat ut expedit officium pastorale, ac, per hoc volens indemnitati Leonensis ecclesiæ præcavere, in manibus tuis ut cederet oneri pontificalis officii, si a nobis cedendi licentiam obtineret, corporale præstiterit juramentum, cessionem ipsius recipere curaremus. De tua igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus quatenus, si præmissis veritas suffragatur, et consideratis circumstantiis universis ecclesiæ Leonensis videris expedire, cessionem ejus recipiens vice nostra ipsum ad hoc, si difficultatem adhibuerit, auctoritate B nostra, sublato appellationis obstaculo, compellendo, provisionem congruam et honestam facias ei de bonis episcopalibus assignari. Contradictores, etc., etc. Datum Viterbii, xi cal. Augusti, anno undecimo.

IV.

E D. Moricio. 1324.

Fœdus inter Leonense capitulum et Herværum de Leonia.

Universis præsentes litteras inspecturis vel audituris Guillelmus, permissione divina episcopus Leonensis, salutem in Domino sempiternam. C Notum facimus quod cum inter nobilem virum dominum Hervæum de Leonia, militem, dominum de Noione, ex una parte, et capitulum nostrum Leonense, ex altera, gravis fuisset dissentio et contentiosæ litis materia exorta, super eo quod prædictum capitulum proponebat quod prædictus nobilis ipsum molestabat et perturbabat indebite, super perceptione et possessione juris levandi et percipiendi quasdam decimas prædiales apud parochiam de *Ploeabennoc* et de *Ploebennoen*, nostræ diœcesis Leonensis, in quarum quidem possessione juris levandi et percipiendi easdem idem capitulum et sui prædecessores erant et fuerant, ut dicebant, ab antiquo, dicto nobili allegante et proponente, ex adverso, quod, quia idem D capitulum et sui prædecessores erant et fuerant contumaces et rebelles in præstando eidem nobili homagium ratione dictarum decimarum, ad quod præstandum jure licito eidem tenebantur, ut dicebat, quod easdem decimas legitime et canonice ad manum suam apposuerat, et eas licite detinebat ob defectum homagii supradicti, tandem, bonorum virorum sano ducti consilio, ad bonum pacis et reconciliationis ad invicem gratiam, coram nobis, in modum qui sequitur devenerunt; videlicet quod dictus nobilis, pro remedio animæ suæ et animarum parentum et amicorum suorum, supplicavit eidem capitulo, ut anniversarium suum annis singulis in ecclesia nostra Leonensi in magno ejus altari, in quolibet crastino festi E B. Mariæ Magdalenæ, celebrarent, vel facerent celebrari : cujus devotioni et supplicationi idem capitulum annuit gratiose, se et suos successores obligans perpetuo bona fide ad prædictum anniversarium, modo quo præmittitur, annis singulis inibi celebrandum; ita tamen quod, in recompensationem laboris illorum de dicto capitulo et suorum successorum, qui dictum anniversarium celebrabunt, prædictus nobilis destitit ab omni jure sibi competenti et competere valente in dictis de-

(1) Inter Collect. D. *La Porte du Theil.*

cimis, ratione dominii, vel homagii, vel aliuncumque titulo, seu causa, et omne idem jus, si quod habebat, transtulit in idem capitulum, in recompensationem laboris sui prædicti. Verumtamen, ex consensu expresso et unanimi voluntate dicti capituli, dictus nobilis habebit et percipiet et sui successores in perpetuum habebunt et percipient, quolibet anno, quinque quarteria frumenti ad communem mensuram civitatis Leonensis, annui reditus, in dictis decimis apud parrochiam de *Ploebennoen* prædictam, ubi et in eo loco quo Guido de Villa Rovienti, clericus, electus communiter ad hoc a partibus eisdem, eos voluerit assignare, omnibus expensis factis et fructibus perceptis, vel qui percipi potuerunt a quibuscumque personis, usque ad datam præsentium remissis et quittatis : hinc et inde obligantes se dictæ partes coram nobis, bona fide, sub obligatione omnium bonorum suorum temporalium et ecclesiasticorum, ad omnia et singula præmissa fideliter et inviolabiliter in perpetuum observanda. Nos vero, in hæc attendentes devotionem prædicti nobilis et utilitatem prædictæ ecclesiæ nostræ quam plurimum augmentari, præmissa omnia et singula laudamus, approbamus et assensu ejusdem nostri capituli perpetuo valitura decernimus et confirmamus. Datum, sigillo nostro teste, præsentibus, una cum sigillo partium earumdem appenso, ad majus robur et munimen præmissorum, die Mercurii ante festum B. Mariæ Magdalenæ, anno Domini 1324.

V.

E domno Moricio. 1332.

Pactum inter abbatem S. Mathæi et Hervæum de Leonia.

Universis præsentes litteras inspecturis et audituris frater Guillelmus, humilis abbas monasterii S. Matthæi in Finibus terræ, Leonensis diœcesis, totusque ejusdem loci conventus, salutem in Domino. Notum facimus quod nos, attendentes quod in officio caritatis primo loco illis tenemur obnoxii a quibus beneficia dicimur accepisse, et recognoscentes nos et prædecessores nostros in dicto monasterio per nobilem virum Hervæum de Leonia, dominum de Noione, militem, a pluribus oppressionibus in nostra justitia quacumque fore et esse defensos, præfatumque nostrum monasterium fuisse per ipsum et per genitores suos pluribus dotatum reditibus et rebus aliis decoratum, memoratum dominum Hervæum et ejus utriusque sexus in posterum successores in nostros fratres recepimus spirituales, et adhuc recipimus in præsenti, ac ipsos participes facimus in missis, orationibus et aliis bonis operibus quæ in prædicto nostro monasterio fecerimus, Domino inspirante, et nostri fecerint pro tempore successores. Et ut dicti domini et successorum suorum ad monasterium nostrum prædictum et prioratum nostrum de *Goelotforest*, dictæ diœcesis, magis ac magis devotio (quod Dominus concedat!) valeat augeri, habito in nostro generali capitulo, cum nostris fratribus foraneis, consilio et tractatu, ad omnipotentis Dei, B. Mariæ Virginis, B. Matthæi et omnium sanctorum et cultus divini augmentum, promittimus bona fide quod nos et successores nostri singulis hebdomadis in futurum tres missas, unam scilicet qualibet die lunæ pro defunctis, alteram de Spiritu Sancto die Martis vel Mercurii, tertiam qualibet die Sabbati de B. Virgine, in ecclesia dicti prioratus de *Goetloforest*, super altari in honorem beatorum Ægidii et Lupi a dicto domino noviter ibidem constructo, pro remedio animæ dicti domini Hervæi, parentum suorum et successorum, celebrari per priorem qui pro tempore fuerit in prioratu prædicto faciemus, seu per alium sacerdotem idoneum. In quorum testimonium et munimen, et ad æternam memoriam rei gestæ, sigilla nostra præsentibus litteris in secunda et tertia cauda duximus apponenda. Nos vero Petrus, miseratione divina episcopus Leonensis, præmissa, in quantum nostra interest, rata et grata habentes, ipsis et eorum singulis nostrum impertientes assensum, sigillum nostrum præsentibus in prima cauda duximus apponendum. Datum die Lunæ post festum Translationis B. Benedicti, anno Domini 1332.

VI.

Commendat summus Pontifex Alanum præsulem. *Ex autographo (1). 1411.*

Joannes episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Joanni, duci Britanniæ, salutem et apostolicam benedictionem. Cum nuper ecclesiæ Leonensi, tunc pastoris regimine destitutæ, de persona dilecti filii Alani de Vico, electi Leonensis, nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio, auctoritate apostolica duxerimus providendum, præficiendo ipsum eidem Leonensi ecclesiæ in episcopum et pastorem, nos, eumdem electum paterna benevolentia prosequentes, et cupientes quod dicta ecclesia Leonensis sub ejus felici regimine, authore Domino, felicia suscipiat in spiritualibus et temporalibus incrementa, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus eumdem electum et ecclesiam prædictam suæ curæ commissam habens pro nostra et apostolicæ sedis reverentia propensius commendatos, eumdem electum benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod ipse, tuæ nobilitatis fultus præsidio, in commisso sibi præfatæ ecclesiæ regimine possit, Deo propitio, prosperari, ac tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Bononiæ, VI id. Januarii, pontificatus nostri anno primo.

VII.

Solemnis Philippi in urbem ingressus. *E D. Surem. 1422.*

L'an de grâce 1422, indiction quatorzième, le lundy après le dimanche des Rameaux, dix-septième jour de Mars, l'an quatrième du pontificat de nostre saint père le pape Martin V, révérend père en Dieu Messire Philippe de Coatkis, évêque de Léon, arriva en belle et grande compagnie près l'église de S. Pierre, au faubourg qui mène de S. Paoul à S. Magdelenne ; où, s'estant arresté dans le chemin près le cimittière, se présenta bien monté Tangui, seigneur de Kermavan, lequel obéissant à la sommation lui faite par le dit seigneur évêque, mit pied à terre, et, le chapeau au poingt, conduisit le dit seigneur par la bride de son cheval jusques dans le portail de la dite église de S. Pierre, où il mit pied à terre, ledit Kermavan lui tenant l'estrieu droit, à raison duquel service le cheval que ledit seigneur évêque avoit monté jusques là demeura audit seigneur de Kermavan, et tout son esquipage aussi. Cela fait, l'évêque s'assit en une chaire, dans le porche de la dite église, à costé droit de la porte, où le susdit de Kermavan lui osta les esperons et tira

(1) E Cod. Reg. 8357².

ses bottes, lui leva le manteau et le chapeau, toutes lesquelles hardes lui demeurèrent acquis à cause de ce service. Incontinent l'évêque fut par ses chapelains revestu de ses ornements pontificaux, et le clergé précédant li entra dans l'église, où, l'oraison récitée, il appela les seigneurs Tangui de Kermavan, Allain de Coativy, et Guiomarch de Kervern, et leur fit entendre qu'à eux, comme vasseaux et nobles chevaliers de son diocèse, appartenoit l'honneur de porter trois des potteaux ou pilliers de la chaire, en son entrée solemnel en son église et ville, les sommant de deffandre soy et son église de toutes injures, violences et oppressions, lui aider de tout possible à administrer la justice, à la deffense de soy et de sa dite église, comme il appartenoit à tous et chacun d'eux, conformément aux droits et sanctions légitimes. A quoy firent réponce les sudits nommez, qu'ils estoient prets et appareillez d'obéir de tout leur pouvoir à la juste semonce dudit seigneur évêque. Cela fait et présents Prigent, seigneur de Coatmeneckh, chevalier, procureur de son père, autre Prigent de Coatmeneckh, et Henry, seigneur de Penmarch, âgé d'environ 8 ans, lesquels représentèrent, par l'organe d'escuier Yves de Kermellec, qu'autrefois s'estoit meu procès entre le seigneur de Coatmeneckh et feue damoiselle Guillemette le Velli, chacun contestant le droit de privillaige de porter le quatrieme potteau de la chaire pontificalle, et de percevoir la quatriesme partie des ustancilles de la cuisine épiscopale à tel jour leur appartenant, lequel droit estoit dévolu au seigneur de Penmarch, lesquels de Penmarch et de Coatmeneckh seroient parvenus à un certain apointement, par lequel estoit accordé entre eux que le seigneur de Coatmeneckh porteroit ledit potteau jusques à certain endroit du chemin convenu entre eux, le seigneur de Penmarch le reste du chemin, et diviseroient egalement entre eux la quatriesme partie des ustancilles de la cuisine. Partant supplièrent ledit seigneur évêque qu'il lui plust agréer cet apointement, et les admettre à son service, honneur et privillaige. A quoy le dit seigneur évêque fist réponse, qu'attandu qu'il ne lui constoit pas qu'à aucuns des prétendants appartint ce droit, et qu'ils en fussent en pocession, ny que le procès instanté pendant entre eux pour ce sujet n'estoit encore décidé, ni terminé, et joint aussi que quand bien aucuns desdits seigneurs seroient en pocession de ce droit sans dispute ni contradiction, neantmoins le seigneur de Coatmeneckh n'avoit pas suffisante procure, et le seigneur de Penmarch estoit trop jeune, pour lesquelles et autres raisons le dit seigneur évêque ne pouvoit leur accorder leur requeste jusques à être plus à plain informé des droits des parties, et partant, sans préjudices, il séquestra ce droit entre ses mains pour cette fois, et le donna à escuier Henry du Chastel et au seigneur de Keradret, pour cette fois seulement. Incontinent la procession sortit pour marcher vers le ville, les chanoines et dignitez revêtus de chappes et ornements précieux, marchant chacun en rang et ordre. L'évêque sortit de l'église de S. Pierre, s'arresta dans le porchet, et, mestant la main à la poitrine, prêta le serment auxdits de Kermavan, de Coativy, de Kervern, du Chastel et de Keradret, représentans les chevaliers et nobles de l'evesché de Léon, et pour eux stipulans, et promit de conserver, deffendre et maintenir les droits, franchises et libertez de l'église Léonnoise, n'alieuer les biens immeubles de son église, fors ez cas permis par le droit, et réduire les biens aliénez, s'il y en a, à la possession et propriété de son église, en tant que possible lui

A sera. Promit encore par serment de conserver, deffendre et maintenir les seigneurs, nobles et gentilshommes de son diocèse en leurs droits, privilèges, franchises et libertés, et anciennes et louables coustumes. Lequel serment ainsi presté, il monta et s'assit en sa chaire. Incontinent le seigneur de Kermavan prit le potteau de devant, le seigneur de Coativy le gauche, le seigneur de Kervern le droit, et les seigneurs du Chastel et de Keradret, le gauche du derrière de la chaire, et ainsi portèrent ledit seigneur le long de la rue de Verderel jusques à la porte de la ville, qui est joignant l'église de Notre-Dame de Kraisker; vis-à-vis de laquelle estant arrivé, les habitans de la B ville fermèrent la porte, et firent sortir par le guichet écuier Guillaume Henri, leur procureur, et par son organe requerirent ledit seigneur qu'avant qu'il eust entré dans la ville, il presta le serment accoustumé par ses prédécesseurs, évêques de Léon, aux bourgeois et habitans de la dite ville de S. Paoul. Ce que ledit seigneur évêque fit, promettant audit Henry, stipulant pour lesdits bourgeois, de conserver les droits, privilèges, franchises, libertez et immunitez de l'église Léonnaise: item de conserver les bourgeois et habitants de ladite ville de S. Paoul en leur franchises, libertez et immunitez anciennes, n'aliéner les biens immeubles de son église, fors ès cas permis de droit, faire revenir les biens aliénés en tant que Dieu lui en donneroit le moien. Ce serment presté, le C susdit Henry requit, au nom de la ville et communauté de S. Paoul, acte authentique lui être décerné. Incontinent la porte fut tout au grand ouverte, et la procession entra dans la ville, ledit seigneur évêque porté dans sa chaire, comme dit est; lequel fut honorablement reçu des bourgeois et habitans, qui l'accompaignerent jusques dans l'église cathedralle, où s'estant arresté devant le principal portal, vénérable et circonspect Messire Jehan de Vigeris, archidiacre d'Ack et chanoine de Léon, le vint trouver et luy requit, de la part du colleige de l'église et chapitre de Léon, de lui prester le serment accoustumé estre presté par ses prédécesseurs évêques de Léon auxdits chapitre et collcige en telle solemnelle entrée, ce que D ledit seigneur évêque fit volontiers, jurant sur les saintes Évangiles, qui lui furent présentées par ledit de Vigeris, stipulant et acceptant pour lesdits chapitre et colleige, de conserver, maintenir et deffandre ses droits, franchises et libertez et louables coustumes de l'église et chapitre de Léon, et fit les autres serments selon la forme prescrite, en un mémoire que ledit sieur archidiacre tenoit entre mains, et lui leut hautement en cette forme. L'archidiacre lui demande: « Estes-
« vous le seigneur Philippe de Koatkis, que nos-
« tre S. Père le pape Martin V envoie pasteur et
« évêque de ce diocèse de Léon. » L'évêque répon-
« dit: « Oui. » L'archidiacre: « Promettez-vous
« pas donc, comme bon pasteur et évêque de
E « Léon, de ne pas aliéner les rentes, possessions
« et autres biens immeubles de votre église, fors
« ès cas permis par le droit? » L'évêque répondit:
« Nous le promettons. » L'archidiacre: « Promet-
« tez-vous pas aussi de ramener et faire revenir
« au droit et propriété de votre église les rentes,
« possessions et autres biens immeubles, si vous
« trouvez ou cognoissez qu'il y en ait d'aliénez. »
« L'évêque: « Nous le promettons ». L'archidia-
« cre: « Promettez-vous aussi de deffendre,
« maintenir et conserver les droits, franchises,
« libertez et immunitez ecclésiastiques de cette
« église, chapitre et bénéficiers, et maintenir les
« ecclésiastiques dans leurs droits, privilèges,
« franchises et libertez, ainsi comme ont fait vos

« prédécesseurs évêques de Léon! » L'évêque A « dit : « Nous le promettons ». L'archidiacre : « De plus, promettez-vous observer les statuts de « ladite église et louables coutumes et obser- « vances y observez et veux? » L'évêque dit : « Nous le promettons ». L'archidiacre dit : « Vous « promettez donc de tenir, garder et fidèlement « accomplir toutes et chacunes des choses dessus « dit. Ainsi Dieu nous ayde, et ses saintes Évan- « giles. » L'évêque respondit : « *Amen!* » Alors les portes de l'église furent au grand ouvertes, la procession y entra. L'évêque, porté comme dit est, étant arrivé à la porte du chœur, il réitéra le même serment entre les mains dudit archidiacre, et encore une fois devant le grand autel : puis, ayant fait sa prière, il entra au chapitre où il réitéra encore le même serment : puis baisa et salua tous les chanoines. Ensuite la grande messe fut solemnellement chantée; puis fut le disné, à l'issue duquel les seigneurs de Kermavan, de Coativy, de Kervern, du Chastel et Keradret se saisirent de toute la vesselle et ustencilles du disné, comme à eux acquis à raison des services par eux rendus audit seigneur évêque en sa solemnelle reception et entrée. Ce fut fait lesdits jour et an que dessus.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ MACLOVIENSIS.

I.

E D. Moricio. 817.

Ludovici Imperatoris de ecclesia S. Mevennii diploma.

In nomine Domini Dei et Servatoris nostri J. C., Ludovicus, divina ordinante providentia Imperator Augustus. Cum petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divino interius amore favemus, superni muneris donum nobis a Domino impartiri credimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus nostris, tam præsentibus quam futuris, quod quidam vir Helogar, Alethensis episcopus, detulit obtutibus nostris quamdam auctoritatem, quam dominus et genitor noster Carolus, bonæ memoriæ, serenissimus Augustus, ad petitionem B ipsius ecclesiæ, cui ipse, Deo auctore, præest, fieri jussit, in qua continebatur insertum, quod, tempore rebellionis, domus ecclesiæ S. Mevenni et S. Judicaelis, quæ est in loco nuncupato *Wadel*, necnon in alio loco in insula quæ vocatur S. Machuti, depopulantibus hostibus ignemque submittentibus, non solum thesaurus ecclesiæ et ministeria ad officia ecclesiastica peragenda perierunt, verum etiam et strumenta..., unde præfatæ ecclesiæ ditatæ fuerant, exusta et concremata fuissent, et quod idem genitor noster ad ejus deprecationem per eamdem auctoritatem constituisset, ut, absque alicujus contradictione vel impedimento, ipse Helogar episcopus... ejus qui fuerunt in locis S. Mevenni et S. Judicaelis, nec- C non S. Machuti, et ut omnes res undecumque eo tempore prædictæ ecclesiæ juste et rationabiliter per diversa loca vestitæ erant, vel in posterum cum æquitatis... ibidem attributum fuisset, ut non solum in ditionem prædictarum ecclesiarum perpetuo consisterent, verum etiam ut nullus quislibet aliquid exinde abstrahere aut minuere contra justitiam ullo unquam tenore præsumeret, aut aliquod impedimentum, aut calumniam generare auderet, sed pro hujusce rei firmitate nostram super adderemus auctoritatem. Ejus petitioni libenter aurem accommodare placuit, ac nostræ auctoritatis et confirmationis præceptum ob amorem Dei et reverentiam prædictorum sanctorum locorum fieri libuit, per quod præci- D pimus atque jubemus, ut, sicut a domino et genitore nostro prædictis ecclesiis confirmatum atque concessum est, ita per hanc nostram auctoritatem quidquid modo prædictæ ecclesiæ juste et legaliter possiderent, deinceps firmiter atque inviolabiliter teneant atque possideant, et nullus judex publicus vel quislibet in judiciaria potestate in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore juste et rationabiliter intus ditionem imperii nostri possident, vel ea quæ deinceps in jure ipsarum ecclesiarum divina pietas voluerit augere, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones, paratas faciendas, aut fide jussores ponendos, aut homines, tam ingenuos quam et servos, super terram E ipsarum ecclesiarum commanentes juste distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris et futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat; sed liceat prædicto antistiti suisque successoribus res prædictarum ecclesiarum, cum omnibus rebus et hominibus sibi subjectis, sub immunitatis nostræ defensione A quieto ordine possidere, ac nostro fideliter parere imperio, atque pro stabilitate nostra, conjugis ac prolis, vel totius imperii a Domino nobis collati atque conservandi, una cum clero et populo sibi libere Domini misericordiam exorare delectet. Quod si forte super eisdem rebus, ante prædictam exustionem a prælatis præfatarum ecclesiarum jure possessis, quæstio orta fuerit, ut pro eis legaliter in quolibet loco disceptare necesse sit, ita per hanc nostram auctoritatem easdem et mancipia defendant, sicuti per eadem instrumenta, si perdita non fuissent, legibus defendi poterant. Hæc quippe autoritas ut firmiorem habeat vigorem, et ab omnibus verius certiusque credatur, manu propria subter firmavimus, et annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Ludovici Imperatoris. Data VII cal. Aprilis, anno, Christo propitio, imperii domini Ludovici piissimi Aug. ind. IX. Actum Aquisgrani palatio, in Dei nomine feliciter. Amen.

II.

E Concil. N. Travers. 1152.

Eugenius papa reformationem et bona Macloviensis ecclesiæ sancit.

Eugenius, servus servorum Dei, dilectis filiis Alberto, priori, cæterisque canonicis ecclesiæ S. Maclovii de Insula, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Commissa nobis apostolicæ sedis auctoritas nos hortatur ut locis et personis ejus auxilium devotione debita implorantibus tuitionis præsidium impendere debeamus, quia sicut injusta petentibus nullus est tribuendus effectus, ita legitima et justa postulantium non est differenda petitio. Ea propter, dilecti in Domino filii, venerabilis fratris nostri Joannis, episcopi vestri, precibus inclinati, vestræ justitiæ postulationibus clementer annuimus, et prædecessoris nostri felicis memoriæ papæ Lucii vestigiis inhærentes, præfatam ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, imprimis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, a præfato fratre nostro Joanne episcopo, secundum B. Augustini regulam et observantiam religiosorum fratrum S. Victoris in eadem ecclesia noviter institutus, perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur: episcopus vero qui pro tempore ibidem fuerit ordinandus a fratribus ejusdem ecclesiæ de sua, sive de alia regulari congregatione suæ professionis, canonice eligatur, nec quisquam in eodem Macloviensi episcopatu, qualibet surreptione, astutia, vel violentia, archidiaconus, nisi canonicus regularis, statuatur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona, ex dono vel concessione ejusdem fratris nostri episcopi, vel aliorum Dei fidelium inpræsentiarum juste et canonice possidetis, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant: in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, ecclesiam de *Plomaugat*, ecclesiam de *Medreac*, ecclesiam S. Maclovii de *Beinnun*, ecclesiam S. Petri de *Marchapoelet*, ecclesiam S. Servatii, ecclesiam S. Petri

de Ploresto, ecclesiam S. Petri de civitate *Alet*, cum pertinentiis suis, ecclesiam de Charo, ecclesiam de *Algan*, ecclesiam de Maura, ecclesiam de *Guipré*, ecclesiam de *Bréal*, ecclesiam de Prespariaco, cum capellis et aliis pertinentiis suis, decimam quoque omnium redituum Macloviensi episcopo pertinentium. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnibus profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et Macloviensis episcopi canonica justitia. Si quæ igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Ego Eugenius, catholicæ ecclesiæ episcopus.; Ego Ymarus, Tusculanensis episc.; Ego Hugo, Hostiensis episc.; Ego Aribertus, presbyter cardinalis tituli S. Anastasiæ; Ego Guido, presbyter cardin. tit. Pastoris; Ego Bernardus, presb. cardin. tit. S. Clementis; Ego Octavianus, presb. Cardin. tit. S. Ceciliæ; Ego Henricus, presb. card. tit. SS. Nerei et Achillæi; Ego Gerardus, presb. card. tit. S. Stephani de monte Cœlio; Ego Oto, diac. card. S. Georgii, tit. ad Velum aureum; Ego Guido, diac. card. S. M. in Porticu; Ego Joannes, diac. card. SS. Sergii et Bacchi; Ego Ildebrandus, diac. card. S. Rom. Eccles.; Ego Odo, diac. card. S. Rom. Eccles.; Ego Bernardus, diac. card. S. Rom. Eccles.

Datum Albæ per manus Bosonis, S. R. E., IV id. Novembris, indict. XV, Incarnat. Dominicæ anno MCLII, pontificatus vero domini Eugenii papæ anno octavo.

III.

E D. Moricio. Circa. 1163.

Alexander papa litem de possessione S. Maclovii dirimit.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Joanni, S. Maclovii episcopo, ejusque successoribus :... sicut æquum est... Felicis memoriæ Lucius papa, antecessor noster, adversus monachos Majoris Monasterii fraternitatis tuæ querela suscepta, quod ecclesiam S. Maclovii de Insula, quæ temporibus antecessorum tuorum episcopalis sedes exstiterat, illicite detinerent, illos ad apostolicæ sedis judicium evocavit, plenarie super hoc petitioni tuæ respondere paratos. Quo interim, ex divinæ voluntatis arbitrio, casibus humanæ fragilitatis exempto, beatæ recordationis Eugenius, qui, disponente Domino, in apostolatus ministerium ei successit, tam te quam illis in auditorio sedis apostolicæ constitutis, causam ipsam diligenter audivit, et utriusque partis rationes ex plena investigatione cognovit. Cumque ad probandum quod eadem ecclesia sedes fuisset episcopalis tres legitimos testes in præsentia sua produceres, antedicti monachi duos ex ipsis non esse legitimos objecerunt, et id se dixerunt in illis partibus legitime probaturos. Unde licet a supra nominato antecessore nostro papa Lucio ad hoc vocati fuissent, ut ad respondendum tibi venirent sufficienter instructi, ne tamen de illato sibi præjudicio possent rationabiliter murmurare, prænominatus antecessor noster papa Eugenius ad discretionem venerabilis fratris nostri Gauffridi, Burdegalensis archiepiscopi, Gauffridi Carnotensis, et Lamberti Engolismensis episcoporum utramque partem censuit remittendam, et per sua scripta eis mandavit ut si tu, præsente altera parte, nisi forte se contumaciter absentaret, eamdem ecclesiam fuisse sedem episcopalem duobus sive tribus posses testibus legitime comprobare, testes ipsos omni appellatione remota susciperent, et te de ipsa ecclesia, cum universis possessionibus quas illo tempore possidebat quo monachis data fuit, auctoritate apostolica investirent. Qui, sicut ex litteris eorum evidenter apparuit, utramque partem certo termino ante se Petragoras evocarunt. Ad diem vero locumque præfixum tam tu quam Garnerius, abbas Majoris Monasterii, convenistis : te autem ibi præfixum terminum postulante, antefatus abbas nec etiam una die voluit exspectare, et nec per se nec per nuntios suos ullam excusationem canonicam prætendit, sed nullo pro se ibidem responsali dimisso, se, velut qui de causæ suæ merito diffidebat, contumaciter absentavit. Supra nominati vero fratres nostri, cum in mandatis a sede apostolica accepissent ut hoc infra duos menses executioni mandarent, ne præcepti viderentur apostolici transgressores, cognito per religiosos viros publicam famam esse in illis partibus quod eadem ecclesia sedes episcopalis antiquitus exstitisset, de multis testibus quos tecum adduxeras, et qui a te antea fuerant supra nominato abbati et monachis ejus exhibiti, tres presbyteros diligenter examinatos, religiosorum prudentumque virorum concilio adhibito, susceperunt, qui, tactis sacrosanctis Evangeliis, juraverunt se audivisse et vidisse prænominatam ecclesiam S. Maclovii, de qua contentio erat, exstitisse sedem episcopalem. Susceptis itaque testibus et juratis, iidem fratres nostri te de ecclesia S. Maclovii, cum universis possessionibus quas tunc habebat quando monachis data fuit, juxta supradicti antecessoris nostri mandatum investiverunt. Unde idem antecessor noster, re audita et cognita, perpetuum in hac causa silentium monachis illis imposuit, et investituram ipsam, et quidquid exinde ab antedictis fratribus nostris actum fuerat auctoritate apostolica confirmavit. Ei autem prædecessore nostro Anastasio papa in apostolatus officium subrogato, præfati monachi ad apostolicam sedem accedentes super hoc adversus te duxerunt querimoniam innovandam, et te fecerunt ad ejusdem prædecessoris nostri Anastasii audientiam laborare. Tam vero te quam illis in ipsius auditorio constitutis, licet perpetuum eis fuisset silentium impositum, tam tua quam eorum scripta exhiberi sibi mandavit. Quibus utique cum fratribus auditis et intellectis, scripta eorum in hac parte nihil firmitatis censuit obtinere, ac, de fratrum voluntate atque consilio, ad exemplar sæpedicti Eugenii papæ, perpetuum silentium illis imponens, omnemque facultatem eis vel eorum successoribus auferens, te vel successores tuos recidivo super hoc litigio fatigandi, præscriptam sententiam auctoritate apostolica confirmavit, et firmam eam et illibatam omni tempore permanere decrevit. Eamdem igitur sententiam memoratus papa Anastasius muniens, constituit ut ordo canonicus qui per studium tuum, et ex sæpedicti Eugenii papæ

consilio, secundum B. Augustini regulam et observantiam fratrum S. Victoris illic, auctore Domino, institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Episcopus autem qui pro tempore ibidem fuerit ordinandus a fratribus ipsius ecclesiæ de sua, vel de alia regulari congregatione suæ professionis, juxta sanctiones canonicas, eligatur. Nec quisquam in eodem Macloviensi episcopatu qualibet subreptionis astutia, seu violentia, nisi regularis canonicus, archidiaconus instituatur. Nos quoque, ad exemplar prædictorum antecessorum nostrorum, eadem quæ et ipsi suis privilegiis roborarunt tibi tuisque successoribus auctoritate apostolica confirmamus. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo annuente, poterit adipisci, firma tibi et successoribus tuis, cum canonicis ibidem manentibus, et illibata permaneant. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, etc., etc.: cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri J. C., quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

IV.

E. Concilis N. Travers. 1219.

Pactum inter capitulum et Macloviensem episcopum.

Omnibus Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis B. prior et commune capitulum B. Maclovii de Insula salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod cum esset contentio inter nos, ex una parte, et venerabilem patrem R. episcopum nostrum, ex altera, tandem, divina gratia concedente, ad pacem devenimus in hunc modum. Conventum est inter nos et ipsum de obedientia ad quam episcopo ex professione tenemur; quod cum tractandum erit de mittendo priore vel canonico a claustro ad quamcumque ecclesiam forensem, vel ad claustrum a quacumque forensi ecclesia, tandem conveniemus nos una cum episcopo in capitulo S. Maclovii de Insula, ut ibidem priorem tractatum super hoc habeamus. Et si in aliquem vel mittendum, vel revocandum, poterimus concordare, ille vel revocabitur, vel mittetur. Si autem nos cum prædicto episcopo in aliquo, quod absit, non poterimus concordare, ex forma compositionis dispositioni episcopi nostri relinquimus ut mittat quem mittendum viderit, et revocet quem viderit revocandum. In aliis autem secundum regulam B. Augustini eidem episcopo obedientiam exhibebimus, tanquam patri. Actum anno Domini MCCXIX, ordinationis ejusdem episcopi anno primo, in vigilia S. Bartholomæi, in capitulo S. Maclovii de Insula.

V.

Ex apographo(1). 1234.

Epistola Gregorii papæ IX Geoffridum exsulem commendans.

Gregorius venerabili fratri episcopo Aurelianensi salutem. Omnes qui unum in Christo corpus existimus alter alteri subvenire debemus. Sed eo fortius coepiscoporum nostrorum tenemur angustiæ compati, quo majori noscuntur in Eccle-

A sia Dei dignitate potiti; ac in majus pontificalis ordinis opprobrium vergeret, si quis eorum nobis patientibus mendicaret, qui potius cupiunt exsules fieri quam suam patiantur ecclesiam ancillari. Lacrymabilis siquidem venerabilis fratris nostri..., episcopi, ac capituli Macloviensis ad nos querela pervenit, quod nobilis vir..., comes Britanniæ, multa nisus est eorum ecclesiam afflictione vexare, et civitatem Macloviensem, quæ ipsis spiritualiter et temporaliter est subjecta, violata justitia per violentiam occupans, bona eorum ibidem inventa eis per suos baillivos præcepit auferri, et ad castra sua vinum, bladum, et alia eorum hominumque suorum victui necessaria deportari, tot affligens eos molestiis totque calumniis opprimens,
B quod expirare cogentur in brevi, nisi eos Dominus tribuat respirare. Quare cum extra ecclesiam suam exsulare cogantur, nec habeant unde sibi vitæ necessaria valeant ministrare, super hoc apostolicæ sedis remedium implorarunt. Quocirca mandamus quatenus dictis episcopo et capitulo, si non habent unde possint commode susteutari, ne mendicare cogantur, ab aliquibus episcopis, vel monasteriis, provinciæ Rotomagensis, donec ad ecclesiam suam valeant, hujusmodi adversitate cessante, redire, facias auctoritate nostra in vitæ necessariis congrue provideri. Contradictores; etc., etc. Datum Reate, VI cal. Julii, anno octavo.

C

VI.

Ex apographo(1). 1226.

Litteræ Radulfi præsulis de contentione super decima Miguerit.

Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis Radulfus, Dei gratia Macloviensis episcopus, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod cum inter Guillelmum *de Coëquen* militem, ex una parte, et priorem et monachos de *Becherel*, ex altera, super decima ipsorum de *Miguerit* contentio verteretur, tandem ipse Guillelmus, in præsentia nostra constitutus, pro salute animarum ejus videlicet et antecessorum suorum, quidquid juris, vel detentionis, vel
D exactionis habebat, vel habere se dicebat, vel habere poterat in eadem decima *Miguerit*, prædictis priori et monachis de *Becherel* liberaliter et benigne dimisit penitus, et quittavit perpetuo pacifice possidendum, ita quod nec ipse nec successores sui in eadem decima de *Miguerit* aliquid juris, vel dominii, vel detentionis, vel exactionis, vel sesinæ, poterunt de cætero reclamare, imo eam prædicti prior et monachi de *Becherel* quiete et libere in perpetuum possidebunt omnimoda libertate: hanc vero dimissionem et quittationem, quam prædictus Guillelmus bona fide et sine qualibet defraudatione fecit sæpedictis priori et monachis de *Becherel* super decima de *Miguerit*,
E coram nobis juravit, et Joscelinus primogenitus affirmavit se fideliter in perpetuum servaturos. Dederunt insuper in puram et perpetuam eleemosynam nominatus Guillelmus et dictus primogenitus ejus supradictus priori et monachis de *Becherel*, in prædictis juramento et fide, tres minas siliginis, quas idem Guillelmus in eadem decima de *Miguerit* percipere solebat, perpetuo pacifice possidendas, et ab ipsis vel hæredibus suis nullis de cætero temporibus exigendas. Quod ratum ut sit et stabile, ad petitionem ipsorum, nominati videlicet Guillelmi et Joscelini primogeniti sui, præsentem chartam sigilli nostri munimine fecimus corroborari. Actum anno Dom. MCCXXVI, mense Aprili, apud Dinannum.

(1) Inter Collectan. D. *la Porte du Theil*.

(1) Albor. Mantell. cod. 39.

VII.

Ex apographo (1). 1236.

Gregorius IX permittit ut Macloviensis episcopus officialibus causarum cognitionem committat.

Gregorius, etc., etc., venerabili fratri episcopo Macloviensi salutem et apostolicam benedictionem. Licet superflue petere videaris tibi a sede apostolica indulgeri quod ex officio tuo potes, nos tamen tuæ fraternitatis precibus inclinati, ut auctoritatis nostræ rigore suffultus quod petis liberius exsequaris, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut, cum diffusam habere dicaris diœcesim, et in ea sint quædam loca periculosa, per quæ propter inundationem maris et alia impedimenta securus plerumque transitus non habetur, quare hominibus tuæ diœcesis, et præsertim pauperibus, ad te difficilis est accessus, creandi tibi officiales unum pluresve, qui de causis subditorum tuorum cognoscere, in locis opportunis residentiam faciendo, liberam habeant facultatem. Contradictores... Nulli ergo... Si quis autem... Datum Laterani, III cal. Junii, anno septimo.

VIII.

Ex apographo (2). 1245.

Epistola Innocentii papæ ad Geoffridum præsulem.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Macloviensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum, sicut ex parte tua nobis oblata petitio continebat, litteratas de facili quæ tibi assistant personas invenire non possis, pro eo quod eis nequeas in præbendalibus beneficiis providere, cum in tua civitate, vel diœcesi, aliqua præbendalis ecclesia, sicut asseris, non existat, nos, tuis precibus annuentes, ut cum tribus clericis tibi obsequentibus, quod, præter obtenta cuilibet eorum beneficia, aliud beneficium ecclesiasticum curam habens animarum annexam, vel, resignatis obtentis, duo similem curam habentia, si eis canonice conferantur, recipere possint, ac libere retinere, constitutione in generali concilio super hoc edita non obstante, dispensare valeas, auctoritate præsentium liberam tibi concedimus facultatem. Datum Lugduni, secundo nonas Aprilis, anno secundo.

IX.

E D. Moricio. 1252.

Hospitium Macloviense conditur.

Omnibus, etc., etc. Gauffridus, divina permissione Macloviensis ecclesiæ minister, etc., etc. Intuita sæpius egenorum et debilium per villam S. Maclovii commeantium egestate, etc., etc., proposui fundare in eadem villa domum Dei, et assensu capituli....... deputatus est locus ad hoc inter domum Samsonis et ecclesiam S. Thomæ, ita quod illa ecclesia cedet in usum ejusdem domus, etc., etc. Ego dono in puram eleemosynam, E eo intuitu, ut pauperes, debiles et hospites reficiantur, mulieres decubantes in puerperio releventur, languentibus necessaria ministrentur, decimas quas per compositionem habui ab Hamone de *Querhyni*, ab ipso et a defuncto Radulpho suo patre in parochia de *Broon* possessas, additis decimis feodi Gualterii de *Broon*, militis, defuncti, etc., etc. Omnium autem prædictorum transfero omne jus meum in Thomam *Ribliguene*, civem Macloviensem, nomine dictæ domus Dei, quem ad presens constituo provisorem; hoc A addito, quod neque capellanus, neque alius undecumque admittetur in fratrem ejusdem hospitalis, sine consensu episcopi et capituli Macloviensis præcedente. Episcopus vero et capitulum ponent ibidem unum canonicum, sicut fieri consuevit in aliis ecclesiis, pro libito eorumdem, qui missam diebus singulis tenebitur ibi hora debita celebrare. Et propter victum canonici ibidem deservientis, percipiet capitulum quinque minas siliginis et avenæ per medium, annis singulis, in nundinis de Dinanno, in bonis hospitalis, quousque eædem decimæ de *Broon* ad hospitale devolvantur per mortem magistri Guillelmi de Alneto, qui usum fructuum earum habet; et ex tunc percipiet capitulum in bonis hospitalis decem B minas siliginis et avenæ per medium, tantummodo pro victu canonici, prædictis annis singulis, in termino supradicto. Canonicus vero ibidem deserviens quartam partem aliorum proventuum, exceptis bladis dominii Hamonis, a quibuscumque collatis aut conferendis, percipiet pro calceis et vestitu. Jurabit autem canonicus qui ibi fuerit pro tempore, in institutione sua, episcopo a quo curam recipiet pauperum, se fidelitatem proventuum pauperibus servaturum, et quod pro posse suo jura ecclesiæ conservabit, et reddet rationem proventuum receptorum quater in anno, coram episcopo vel ejus allocato, et priori loci et duobus burgensibus ad hoc præelectis, etc., etc. C Actum anno Dom. MCCLII, mense Octobri. Quæ omnia a venerabili patre Petro, Turonensi archiepiscopo, petiimus confirmari.

X.

Ex apographo (1). 1254.

Litteræ Innocentii papæ de cessione Macloviensis episcopi.

Innocentius, etc., etc., venerabili fratri, episcopo Andegavensi, salutem. Cum venerabilis frater noster..., episcopus Macloviensis, a nobis per suas patentes litteras cedendi licentiam postularit, tibique super hoc nostras sub certa forma litteras dirigamus, nos intendentes dilectum filium Gaufridum, abbatem Majoris Monasterii Turonensis, D quem suis exigentibus meritis speciali prærogativa favoris prosequimur in iis et majoribus, si se facultas obtulerit, honorare, mandamus quatenus, postquam ipsius episcopi receperis cessionem, prædictum abbatem, quem primitus a vinculo quo eidem monasterio tenetur absolvas, præficias Macloviensi ecclesiæ in episcopum et pastorem, faciens sibi a capitulo ipsius ecclesiæ ac aliis ejus subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, eique munus consecrationis impendi. Contradictores, etc., etc., non obstante si aliquibus quod excommunicari, suspendi, vel interdici non valeant a sede apostolica sit indultum, et quævis alia ipsius sedis indulgentia generali, vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam id impediri, vel differri valeat, et de qua ejusque toto tenor de verbo ad verbum plena et expressa fieri oporteat in præsentibus mentionem, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum Anagniæ, II id. Junii, anno undecimo.

(1) F. Collectan. D. *La Porte du Theil.*
(2) *Ibidem.*

(1) Inter Collect. D. *La Porte du Theil.*

XI.

Ex apographo (1) 1304

Litteræ regis ad episcopum Macloviensem.

PHILIPPUS, Dei gratia Francorum rex, notum facimus universis, tam præsentibus quam futuris, quod nos prolocutam liberalitatem nobis ex parte Macloviensis episcopi, dilecti et fidelis nostri, suo et personarum ecclesiasticarum Macloviensis civitatis et diœcesis nomine faciendam, pro præsentis nostri Flandriæ exercitus subsidio, ad defensionem regni nostri gratam et acceptam habentes, gratiosius tenore præsentium ipsis duximus concedendum : primo, quod nos, instanti festo Omnium Sanctorum, faciemus cudi et fabricari monetas, valoris legis et ponderis quorum erant illæ quæ tempore B. Ludovici, quondam regis Franciæ, avi nostri, currebant, et inter dictum festum et subsequens festum Resurrectionis Dominicæ, faciemus paulatim cursum minui monetarum quæ in monetagiis nostris cuduntur ad præsens, prout consultius fuerit faciendum, ita quod in dicto festo Resurrectionis Domini, vel circa, prædictis novis monetis habere faciemus cursum suum. Item quod omnia conquesta ab ipsis, suarum ecclesiarum nomine, a tempore retracto usque ad tempus concessionis hujus, in feodis, aut retrofeodis nostris, aut subditorum nostrorum, in quantum ad nos spectat, tenere possint perpetuo, absque coactione vendendi, vel extra manum suam ponendi, aut financias præstandi nobis pro eisdem. Item quod similiter possessiones, quas pro ecclesiis et cœmeteriis ecclesiarum parochialium fundandis de novo, vel ampliandis, intra vel extra villas non ad superfluitatem, sed ad convenientem necessitatem acquiri contingat, vel jam sint acquisitæ, de cætero apud ecclesias perpetuo remaneant, absque coactione vendendi, vel extra manum suam ponendi, aut præstandi financias pro eisdem; et quod possessionum hujusmodi possessores ad eas pro justo pretio dimittendas possint mediante justitia coarctari. Item quod bona mobilia ecclesiasticarum personarum, et clericorum clericaliter viventium, non capientur aut justitiabuntur in aliquo casu per justitiam sæcularem. Item quod advocationes et recognitiones novæ, quæ ab ecclesiarum subditis fuerint, nullatenus admittentur, et factas de novo faciemus protinus revocari. Item quod prætextu gardiæ antiquæ in personis ecclesiasticis non impedietur ecclesiastica, vel temporalis, jurisdictio prælatorum. Item quod baillivi et alii officiales nostri teneantur jurare, quod mandata sibi facta et facienda per litteras nostras pro ecclesiis et personis ecclesiasticis absque difficultate fideliter exsequentur. Item quod non impedientur, aut inquietentur ecclesiæ super possessionibus, seu reditibus emptis vel emendis in feodis, retrofeodis aut censivis suis, in quibus omnimodam altam et bassam habent justitiam, qui possessiones et reditus taliter acquisitos perpetuo tenere valeant, absque coactione vendendi aut extra manum suam ponendi, aut nobis præstandi financias pro eisdem. Item quod tollentur gravamina eis per gentes nostras illata, ac nostra jam concessa statuta serventur, et ea baillivi nostri jurare tenebuntur se firmiter servaturos. Item quod si decimam vel aliud onus ad opus nostrum per Romanam ecclesiam prælatis et personis aliis ecclesiasticis, durantibus terminis solutionum decimarum nobis concessarum vel concedendarum, ab eisdem, ut præmittitur imponi contingat, vel jam impositum existat,

A decimarum ipsarum et decimæ, seu alterius oneris, per prædictam Romanam ecclesiam concedendum vel concessum solutionum terminum non concurrant. Similiter nec illi qui nobis deberent exercitum tenebuntur ad eumdem vel mittendum, seu se redimendum pro exercitu præsenti. Item quod non est intentionis nostræ, nec volumus quod prætextu exactionum quarumlibet in terris dictorum prælatorum ex parte nostra, pro necessitate guerrarum factarum a personis subditis vel justicialibus sibi, de consuetudine, vel de jure, eis ecclesiis aut personis aliquod generetur præjudicium, vel novum jus nobis propter hoc acquiratur, sed in eisdem libertatibus et franchisiis in quibus ante guerras cœptas erant le-

B gitime perseverent. Item quod ad opus garnisionum nostrarum bona ipsorum aut subditorum suorum eis invitis nullatenus capiantur. Item quod impedimenta et gravamina, quæ in feodis prædictorum prælatorum ponuntur, amoveri debite faciemus. Item quod nihil, occasione subventionis noviter nobis concessæ, levabitur ab hominibus ecclesiarum de corpore, seu manumortua, de alto et basso ad voluntatem taillabilibus, et si aliquid ab eis hoc anno pro subventione exercitus præsentis sit levatum, vel levari contingat, id ecclesiis hujusmodi de præstando ab eis subsidio deducetur. Item quod subsidium illud, juxta concessionis ipsius tenorem, per dictos prælatos, seu auctoritate ipsorum, levabitur, seu

C gentibus nostris ad hoc deputatis instantibus quam citius assignandum. Et insuper quod pro gravaminibus sibi aut ecclesiis suis, vel personis ecclesiasticis illatis corrigendis, de quibus liquebit, auditores non suspectos eisdem cum requisiti fuerimus concederemus, qui vice nostra celeris complementum justitiæ super hoc prompte et fideliter exhibebunt. In cujus rei testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius, 15 mensis Junii, anno Domini 1304.

XII.

Interdictum a Macloviensi capitulo relaxatur.

E. D. Moricio. 1362.

D In nomine Domini, Amen. Anno MCCCLXI, secundum morem ecclesiæ Gallicanæ, videlicet 15 die Januarii, circa horam primam ipsius diei, venerabiles et discreti viri decanus et capitulum Macloviensis ecclesiæ, videlicet Oliverius de Castelli decanus, Jocelinus de *Rohan*, Oliverius de Pinu, Henricus de S. Merveo, Olivarius de *Kerleguesen*, etc., etc., canonici, quoddam interdictum et cessationem a divinis per Guillelmum, Macloviensem episcopum, in civitatem Macloviensem interpositum, relaxarunt, Guillelmo *le Gouz*, alias *de S. Piat*, procuratore civium, hoc petente nomine eorum, et id debere et posse fieri asserente

E (de antiquo usu ecclesiæ Macloviensis), episcopo absente. Causæ autem prædicti interdicti hæ taxantur in sententia relaxationis : quod cives aliquos excessus perpetrassent contra episcopi jura, videlicet occidendo Petrum *Hus*, civem Macloviensem, extorquendo ab episcopo et capitulo per vim et metum quasdam litteras in præjudicium ecclesiæ, destruendo quamdam siccariam sitam extra muros juxta turrim de campis *Vauvert*, spectantem ad prædictam ecclesiam. Amotum est autem interdictum die Sabbati sequente, ea conditione ut rei prisionem intrarent, et juri se sisterent pro delictis.

(1) Cod. S. Germ. Harl., num. 86.

XIII.

Ex originali (1). 1719.

Vincentii præsulis ad cardinalem de Noailles *epistola.*

Monseigneur,

J'ay senti l'embarras que faisoit naitre M. l'évêque de Rennes, et celuy auquel on se laissoit aller dans la communauté de la Trinité : cela m'a fait penser qu'il étoit à propos que votre Éminence vît ce que les unes et les autres pensoient, afin de mieux résoudre ce qu'elle jugeroit à propos de faire.

Je suis depuis longtemps, Monseigneur, occupé à gouverner un chapitre conduit par deux ou trois chicaneurs ou extravagants, qui font prendre à chaque pas les plus mauvais partis du monde à cette compagnie. Ils sont brouillés à l'excès avec M. le M. de Coesquen, par de mauvais procédés à son égard qu'ont tenus les brouillons, et que la compagnie avoue en quelque manière. Nous étions convenus, M. de Coesquen et moy, d'un commencement de négociation, qui peut-estre auroit pu pacifier les choses dans la suite : le syndic du chapitre, nommé le S. Demivois, en a empesché l'effet avec ses adhérents. Ils vouloient, y a quelques jours, députer un chanoine à la cour, pour défendre l'affaire qui regarde l'exemption de la garde pour les chantres de l'église cathédrale, à laquelle a commencé la grande difficulté qu'ils ont présentement avec M. le M. de Coesquen, et pour cette députation ils avoient nommé un jeune chanoine qui n'est pas seulement vocal en chapitre; de sorte, Monseigneur, que voyant que tous mes avis et tous mes soins étoient inutiles, j'allay en chapitre et fis enregistrer une opposition à cette députation, que le doyen de la compagnie, mes grands vicaires et deux chanoines y firent, et communiquay même au chapitre un règlement au sujet de leurs délibérations, de la manière dont ils les enregistrent et dont ils les signent; je leur proposay de l'autoriser par eux-mesmes, afin qu'ils eussent le plaisir et l'honneur de remédier au désordre, et j'ajoutay que comme je n'ignorais pas mes droits, ni la nécessité d'y remédier, je désirois que la compagnie fît ce règlement sous quinze jours; faute de quoy, je le ferois par mon ministère.

L'empire que le S. Demivois, syndic, et un autre brouillon nommé le S. Viart, chanoine, se sont acquis dans tout ce qui concerne les réso- A lutions de ce chapitre, et la matière de mauvais procès qu'ils excitent à chaque pas contre moy, qui par parenthèse, Monseigneur, ne leur ay jamais donné un exploit depuis dix-huit ans que je suis leur évêque, me fait prendre enfin le parti de proposer aujourd'hui à Monseigneur le Régent, par une grande lettre que j'écris à M. le garde des sceaux, ce que je crois convenable tant au sujet de la difficulté qui regarde l'exemption de la garde en faveur des chantres de l'église cathédrale qui sont mariés, ou qui ne sont pas clercs, que pour mettre l'ordre dans un chapitre qui ne veut point s'y mettre, et arrester les procès que leur mauvais conseil suscite mal à propos à leur évêque. L'expédient que j'ai proposé, Monseigneur, est qu'il plaise à Monseigneur le Régent de B faire donner un arrêt du conseil, qui commette M. de Brou, intendant de Bretagne, pour entendre les raisons et moyens du chapitre de S. Malo sur l'exemption de monter la garde en faveur de leurs musiciens et chantres mariés, ou qui ne sont point clercs, comme aussi pour informer des difficultez mues et à mouvoir entre l'évêque de S. Malo, d'une part, et le chapitre, d'autre part, tant au sujet des règlements que ledit évêque juge nécessaires pour les délibérations du chapitre, enregistrement, et signature d'icelles, qu'au sujet de toutes les prétentions respectives des uns vers les autres, pour, le tout rapporté au conseil, avec l'avis du S. intendant, estre ordonné par S. M. ce qu'il sera vu appartenir.

C C'est une voye naturelle, Monseigneur, et qui a quantité d'exemples. J'auray l'honneur de vous en escrire encore, et je vous rends seulement compte de ce que j'ay fait. L'esprit de hauteur et de chicane sont à un point dans la tête de ces deux chanoines, les sieurs Demivois et Viart, qui se sont rendus maîtres par leurs cabales des délibérations de cette compagnie, qu'il est absolument nécessaire d'y remédier par la raison et l'authorité. C'est ce même Viart duquel M. le M. de Coesquen a lieu personnellement de se plaindre. Ce que vous aurez, Monseigneur, à me faire savoir sur cette matière, vous aurez la bonté de le dire à M. l'abbé Laigneau, que je mettrai au fait de D l'affaire.

Je suis avec un vrai respect, Monseigneur, votre très-humble et très-obéisssant serviteur,

V. F., év. de S. Malo.

A. S. Malo, le 25 de juin 1719.

(1) E codice Fratrum Prædicat. S. Honorat., num. 18

INSTRUMENTA ECCLESIÆ DOLENSIS.

I.

E D. Moricio. 1094.

Sententia Urbani papæ de dissidiis inter ecclesias Turonensem et Dolensem.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri Radulpho, Turonensi archiepiscopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Sanctorum canonum decernit auctoritas, ut majores ecclesiarum causæ apostolicæ sedis judicio decidantur. Qualiter igitur Turonensis ecclesiæ contra Dolensem episcopum querela nostris sit temporibus pertractata, et præsentium volumus notitiæ certum fieri, et futurorum memoriam non latere. Dolensis siquidem episcopus Rollandus, anno Dominicæ Incarnationis MXCIII, ad nostram præsentiam veniens, pallium, quasi Britannorum archiepiscopus, expetivit. Cujus cum preces diutius aversaremur, apostolicæ memoriæ Gregorii VII litteras præferebat, quibus ostendebatur Ivano cuidam Dolensi episcopo, et ejus successoribus pallium ab eodem apostolico contributum, salva tamen querela Turonensis ecclesiæ, ut si quando actione legitima potuisset probare Dolensem cæterosque Britanniæ citerioris episcopos debere metropoli ecclesiæ Turonicæ subjici, subjicerentur quidem, Dolensis tamen usum pallii obtineret. Has litteras Greg. papæ nec minus nec amplius quam papa jusserat continere cum frater noster Dolensis episcopus jurejurando firmasset, nos ei pallium sub eadem conditione concessimus. Veniens post hæc ad nos, dum Beneventi essemus, tua strenuitas, clarissime frater Radulphe, Turonensis archiepiscope, ejusdem papæ Gregorii nostro conventui litteras præsentavit, quæ significabant causam hanc Romæ in concilio retractatam, ubi post discussionem diutinam dispositum fuerat, ut a legatis sedis apostolicæ concilium in provincia convocaretur, in quo causa sollicitius agitaretur, et si quidem per alicujus catholici et legalis papæ authoritatem authenticam se tueri Dolensis nequiret episcopus, de cætero et ipse et cæteri Britannorum antistites Turonicæ ecclesiæ, tanquam metropoli propriæ, obedirent; ipsius quoque in episcopatu successores nunquam ulterius pallium obtinerent. Ostensa est etiam legatorum, qui in provincia concilium egerant, perpetrata definitio; qui, cum Dolensis nulla causam suam authentica auctoritate potuisset defendere, Gregorius papa sententiam.... scriptis et subscriptionibus omnimodis statuerunt, ut videlicet tam Dolensis quam cæteri Britannorum episcopi Turonicæ semper ecclesiæ subjacerent. Cum ad hæc Dolensis, qui adhuc erat, responderet se non ad agendum venisse, paratum tamen cum episcopis provinciæ congruo tempore respondere, nos, utroque consentiente, disposuimus, ut in proximi anni media Quadragesima uterque nostro se conspectui præsentaret; qui autem se tunc sine canonico impedimento subtraheret, aut deficeret, causam amitteret. Statuto autem tempore, cum nos in Urbe moraremur, Dolensis neutiquam venit, tua fraternitas præsto fuit. Quæsita est in registro B. Gregorii papæ VII sententia, et ita omnino sicut audieramus inventa. Ostensa sunt etiam Nicolai et Joannis, Romanorum Pontificum, munimenta id astruentia; Leonis quoque IX decretum eamdem causam

A sub anathematis additione confirmans. Auditæ sunt et fratris nostri Dolensis episcopi per quemdam nuntium excusationes, (quæ) non tunc legitimæ videbantur. Omnibus itaque pertractatis in (consessu) confratrum nostrorum Joannis Portuensis, Ubaldi Sabinensis, Joannis Tusculanensis, Brunonis Signiensis, Daiberti Pisani, Lamberti Atrebatensis episcoporum, et nonnullorum nostræ ecclesiæ clericorum, Romanorum quoque judicum, et aliorum consularium, ex communi consilio visum est harum rerum, quæ per tot apostolicos Pontifices confirmatæ fuerant, definitionem plenam non debere differri; nec illum debere lucrari absentiam, qui se arguta calliditate subtraxerit : et nos igitur sanctorum,
B quos prædiximus, prædecessorum nostrorum statuta firmantes, præsenti decreto sancimus, ut, sicut ab ipsis decretum est, tam Dolensis, quam cæteri deinceps Britannorum episcopi, Turonensem ecclesiam suam esse metropolim recognoscant, et debitam ei reverentiam semper exhibeant : nec ullo ulterius tempore, post Rollandi obitum, ad pallii usum Dolensis aspiret episcopus. Tuam itaque sollicitudinem, frater in Christo carissime, adhortamur, ut tantæ dignitatis gratia dignam se semper studeat exhibere; quanto altius (præeminet), tanto altius bonorum operum luce præfulgeat; pacem cum omnibus sequatur et sanctimoniam; in prosperis humilis, et in adversis, si quando eveniunt, inveniatur cum justitia erecta, amica
C bonis, perversis contraria; nullius unquam faciem pro veritate loquentem premens; misericordiæ operibus juxta virtutem substantiæ insistens, et tamen insistere supra virtutem cupiens, infirmis compatiens, benevolentibus congaudens, de alienis gaudiis tanquam de propriis exsultans, in corrigendis vitiis pie sæviens, in fovendis virtutibus auditorum animum demulcens, in ira judicium sine ira tenens, in tranquillitate severitatis justæ censuram deferens, ut officium quod forinsecus administras interius coram divinæ majestatis oculis impleas. Fraternitatem tuam superna dignatio per tempora longa conservet incolumem. Scriptum per manum Petri, scriniarii sacri palatii. S. Petrus; S. Paulus; Urbanus papa
D II. Benedictus Deus, et pater Domini nostri Jesu Christi. Datum Romæ per manum Joannis, sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis, nonis Aprilis, Indictione II, anno Dominicæ Incarnationis MXCIV, pontificatus vero Urbani II papæ septimo.

II.

Charta de fundatione Veteris Villæ.

E schedis Baluzianis. 1137.

IN nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Gelduinus, filius Hamonis, audiens paupertatis amatoribus regnum cœlorum hæreditario jure ore veritatis esse promissum, si ejusdem paupertatis aut nolo aut nequeo nudus interim exsecutor
E existere, ipsos saltem apud illum qui cum dives esset pro nobis pauper factus est advocatos et mediatores mihi satago adquirere; notum itaque sit omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis, tam modernis quam successuris, quod ego Gelduinus, filius Hamonis, pro salute animæ meæ et parentum meorum, sed et pro salute animæ uxoris meæ

(1) Arm. 2, fasc. 2, num. 3, tom. 2, pag. 208.

Adelizæ et filiorum meorum atque filiarum, pro salute etiam domini mei Gaufridi, Dolensis archiepiscopi, ipso quoque donante et concedente, concedente etiam uxore mea Adeliza et filiis meis Joanne et Hamone, dono et concedo ecclesiæ S. Trinitatis de Savigneio et monachis ibidem Deo militantibus in perpetuam eleemosynam, ad ædificandam abbatiam, omnem terram meam de Veteri Villa et meum proprium dominium, tam in campis quam in pratis, aquis et virgultis, sicut ab orientali et aquilonali parte cingitur rivulo quodam qui vocatur Landal, ab occidentali vero alio torrente qui dicitur Travidal; a parte quoque meridiana ex uno prædictorum rivulorum in alium exstat divisio, dividens illud dominium de Veteri Villa a communi territorio de *Spiniac*. Dono etiam stannum meum, quod ex rivulo quem nominamus Landal ibi colligitur, excepto quod medietatem piscium stanni, et dimidiam molturam molendini qui ex stanno pendet ad præsens mihi retineo; tali scilicet tenore quod monachi propriam annonam, et ego meam, sine moltura in ipso molendino molere faciemus : mediam autem piscium et molendini partem monachis eisdem concedo. Dono insuper terram illam quæ vocatur Bigoteria totam ex integro, sicut clauditur metis et finibus suis, excepta particula illa quam leprosis donavi, quæ iterum terminis suis a reliqua dividitur; nec non et landam de Catavilla, quæ erat in calumnia inter me et præfatum archiepiscopum, id ipsum ipso laudante et concedente archiepiscopo. Cujus scilicet landæ terminus est a parte Bigoteriæ fossatum, quod dividit ipsam landam et Bigoteriam, usque ad quamdam antiquissimam viam versus Capellam : ab alia vero parte, a via Dolensi de *Spiniac* usque ad terram Hamonis, filii *Corbum*. Dono etiam pastionem propriorum porcorum monachorum et ligna ad focum in forestis meis, quæ ab omni consuetudine et servitio quieta esse concedo atque præcipio. Hanc itaque terrarum mearum donationem solutam et quietam et ab omni calumnia et sæculari exactione liberrimam et eleemosynarum lege perseveraturam dono et concedo, nihil præsentis quæstus aut commodi in ea attendens, nihil retinens, nisi æternam remunerationem et contra omnes impugnatores ipsius eleemosynæ defensionem : tali scilicet conditione ut in ipsa et ex ipsa eleemosyna in Veteri Villa cænobiale domicilium construatur, et abbatia secundum ordinem et consuetudines præfatæ ecclesiæ sanctæ Trinitatis ibidem fundetur. Cui etiam donationi duas partes decimæ, quas habebam in parochia de *Millac*, ab omni exactione et consuetudine liberas et quietas adjungo; duas etiam partes decimæ dimidiæ parochiæ de *Toumen* omnino liberas et absolutas. Dono etiam calumniam quam habebam in terra de Rubeo Fossato; hoc ipsum donantibus et concedentibus aliis calumniatoribus, scilicet Manasse et Willelmo, filiis *Trusser* de *Millac*, Hugone et Alemanno de *Perioch*, Guiguen de *Rinnac*, Thoma etiam filio *Boter* cum Noga, uxore sua, filia Guillelmi *Morel*. Quas omnes donationes per manum domini mei, Gaufridi Dolensis archiepiscopi, de quo præfatas terras tenebam, Deo obtuli, et ipse dominus meus in manu domini Gaufridi, prædictæ ecclesiæ abbatis, illas misit. Quam etiam eleemosynam dominus meus Gelduinus de Dolo devote concessit, et eorumdem monachorum porcis pastionem in forestis suis quietam donavi. Non multo autem post tempore, convocata et congregata ad consecrandum in ipsa eleemosyna cimeterium magna multitudine, istam eleemosynæ donationem in hac ipsa charta a domino meo Gaufrido archiepiscopo coram plebe recitatam, ipso donante et concedente, concedentibus etiam uxore mea Adeliza, et filiis Joanne et Hamone, ego quoque coram omnibus concessi, et cum subscriptis concessoribus et testibus propria manu in hac charta confirmavi. Ipso etiam die, Hervæus *Taun* seipsum cum terra sua quam de me habebat in parochia de *Labozac*, Deo obtulit in præfata eleemosyna; quod et ego coram archiepiscopo confirmavi. Ipse etiam dominus meus archiepiscopus propria manu confirmavit, omnesque eleemosynæ amatores et benefactores æterna benedictione et episcopali absolutione sublimavit. Illos autem qui eam molestare aut violare tentaverint anathematis gladio a corpore Ecclesiæ præscindendos, et nisi resipuerint æterna maledictione judicavit. Quod factum est anno ab Incarnatione Domini MCXXXVII, mense Augusto, VI idus ejusdem mensis, archipræsulatus autem domini Gaufridi, Dolensis archiepiscopi, anno septimo, coram plebe et subscriptis testibus. Testes : magister Hebertus canonicus, Jordanus filius *Porcher*, Robertus Gaullus; isti sunt canonici de Dolo : Robertus etiam Anglicus, scriptor archiepiscopi. De militibus et laicis, Gaufridus Capellanus, Brientius filius *Buenvallet*, Adelelmus Gualensis, Brientius Monachus, Benedictus de *Chesnei*, Radulphus de *Combor*, Brientius filius *Josée* et W. frater ejus, Hamon nepos eorum, Bardulfus de *Spiniac*, et omnis plebs quæ affuit.

III.

Insulam Lillemuer *Rollandus S. Michaelis monachis concedit.*

E ed. de Gaignières (1). 1184.

Universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis Rollandus, Dei gratia Dolensis electus, et capitulum Dolensis ecclesiæ in Domino salutem. Noverit universitas vestra nos ad petitionem dilectorum fratrum nostrorum venerabilis Roberti abbatis et monasterii S. Michaelis de Periculo maris, intuitu caritatis et religionis favore concessisse, et in perpetuam eleemosynam de communi consilio et assensu dedisse prædictis fratribus insulam quæ dicitur *Lillemuer*, cum omnibus ad eam pertinentibus in terris, aquis, piscariis, bosco, et in aliis omnimodis pertinentiis quiete et libere et pacifice perpetuo possidendam. Quoniam autem in hac parte volumus utrique ecclesiæ tam Dolensi quam ecclesiæ de Periculo maris studiosius providere, convenit inter nos et monachos memoratos ut pro hac insula solverent prænominati fratres pro annua pensione Dolensi ecclesiæ tres libras thuris in festivitate B. Sansonis, et tres cereos qui simul æquivalebunt unum pondus Dolense, in Purificatione B. Mariæ, per manum fratris qui in insula nomine monachorum moram faciet, quandocumque voluerit et quamdiu sibi visum fuerit. Actum publice in capitulo Dolensi, anno ab Incarnat. Dom. 1184. Testibus Joanne de Musca, cantore, Joanne, thesaurario, monacho Radulfo *Heret*, monacho Geroldo, magistro Hugone *Heret*, Guidone Pisano, Guillelmo capellano, Guillelmo de Dinanno, canonicis Dolensibus, Guillelmo Augustino, Petro Pinello, Jelduino capellano, Roberto priore Montis, Guillelmo priore de Monte Doli, Radulfo de S. Melorio, Nicholao monacho, Joanne Puntello, Guillelmo Puntello, et aliis multis.

(1) N° 138.

IV.

Ed. Morice. 1199.

Sententia Innocentii III de subjectione Dolensis ecclesiæ.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Bartholomæo, Turonensi archiepiscopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Licet primum et præcipuum ecclesiæ fundamentum positum sit unigenitus Dei Filius Jesus Christus, juxta quod dicit Apostolus: *Quia fundamentum positum est, præter quod aliud poni non potest*, quod est Christus Jesus, secundum tamen et secundarium ecclesiæ fundamentum existit beatissimus Petrus apostolus, ad quem veritas ait: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Qui sicut a Christo petra dictus est Petrus, ita etiam a Christo capite vocatus est caput, ipso sibi dicente: *Tu vocaberis Cephas*, ut per hoc universi fideles agnoscerent quod ad ipsum tanquam ad fundamentum et caput majores debeant ecclesiarum causæ referri, quatenus quod ab ipso, tanquam a capite principali, fuerit auctoritate statutum, in ipso tanquam in fundamento stabili firmitate consistat. Nobis ergo, qui, licet indigni, locum ejus in apostolica sede tenemus, incumbit, ex debito pastoralis officii, de universali Ecclesia scandala tollere, ac jurgia resecare, et tam emergentes de novo quæstionum articulos, quam causas ab antiquis tractatas, sed adhuc in antiquæ contentionis scrupulo remanentes, judicialis sententiæ calculo terminare. Inter cæteras vero causas veteres et modernas, vetus illa quæstio quæ inter Turonensem et Dolensem ecclesias vertebatur, Ecclesiam non modicum usque hæc moderna tempora conturbabat: ad quam vel opiendam, concordia vel terminandam, post multas prædecessorum nostrorum citationes, nos tandem dilecto filio Joanne, Dolensi electo, ad sedem apostolicam accedente, termino utrique partium a bonæ memoriæ Cœlestino Papa, prædecessore nostro, præfixo, cum tu non nisi nuntios minus sufficienter instructos pro sola dilatione petenda misisses, partem citavimus ecclesiæ Turonensis, mandantes ut quicquid de te quocumque modo contingeret, pars eadem per se, vel procuratores idoneos, ad apostolicam sedem accederet, nostræ dispositionis formam vel justæ definitionis sententiam receptura; alioquin ex tunc nos ad horum alterum procedere curaremus. Dicto igitur electo, Juliano, Radulpho, et Hugoni canonicis Dolensibus, cum litteris de procuratione ipsis super hac causa specialiter ab ecclesia Dolensi concessis, et dilectis filiis Gaufrido cancellario, *Segnoret*, Joanne, Ernaldo, canonicis Turonensibus et Gaufredo de Joviaco, cum litteris de ratihabitione datis eis tam a te quam a Turonensi ecclesia, in nostra præsentia constitutis, frequenter per nos, interdum etiam per fratres nostros, audientiam plenam et benignam indulsimus, et quæ fuerunt hinc inde proposita intelleximus diligenter. Fuit autem propositum ex parte Dolensis ecclesiæ, quod eum eadem ecclesia longissimo tempore fuerit in possessione metropoliticæ dignitatis, sicut ex gestis quorumdam sanctorum et aliis scriptis apparere dicebat, tandem, cum temporibus beatæ memoriæ Nicolai papæ prædecessoris nostri, Festiniano tunc in archiepiscopum Dolensem promoto, usum pallii a sede apostolica postulasset, licet idem Nicolaus quod petebatur non duxerit concedendum, quia litteras apostolicæ sedis, quas prædecessores ejus prædecessoribus ipsius Festiniani in pallii collatione transmiserant, ei non fecerat præsentari, non tamen quod petebatur negavit expresse, sed partes ad suam præsentiam convocavit, mandans Eraldo, tunc archiepiscopo Turonensi, ut ad ipsum suum legatum transmitteret, cum quo etiam nuntios suos Dolensis ecclesia destinaret, ut, utrisque positis coram eo, æqua lance causa librata, quæ esset sedes metropolitica plenius appareret. Scripsit etiam idem Nicolaus, sicut ex authentico ipsius apparet, Salomoni, tunc regi Britannorum, et uxori ejus, ut idem Festinianus idoneum mitteret ad Romanam ecclesiam ex proprio clero legatum, qui scripta fidei catholicæ documenta deferret, et eumdem Festinianum ita credere et servare de cætero juramento firmaret quod nisi pallium ei disposuisset, per eumdem legatum transmittere non mandasset. Verum eodem Nicolao sublato de medio, cum nuntii Dolensis ecclesiæ ad sedem apostolicam accessissent, bonæ memoriæ Adrianus papa eidem Festiniano pallium cum privilegio destinavit; quod pars Dolensis ecclesiæ per scriptum authenticum non probavit: præterea, quod temporibus Joannis VIII Dolensi ecclesiæ archiepiscopus præsideret nisa est pars eadem comprobare per litteras ejus, quas Maino archiepiscopo destinavit, et cæteris episcopis per Britanniam constitutis. Cæterum cum quidam juvenis felicis recordationis Gregorio VII consecrandus fuisset, a Dolensi ecclesia præsentatus, ipse, juvene illo propter minorem ætatem repulso, E. tunc, S. Melanii abbatem, in Dolensem archiepiscopum consecravit, ei et successoribus ejus pallium indulgens, et mandans episcopis Britanniæ ut ei tanquam archiepiscopo reverentiam et obedientiam exhiberent; quæ, quoniam authenticam non habebat, per Urbani II litteras voluit edocere. Felicis etiam recordationis Urbanus II R., Dolensi archiepiscopo, juramento ab ipso recepto, quod memoratus G., prædecessor ipsius, prædecessori ejusdem R. et successoribus suis usum pallii concessisset, sicut in transcripto litterarum ejusdem G., quarum authenticum se habere juravit, erat expressum, munus pallii ex apostolicæ sedis libertate concessit, licet ipsi mandasset, ut exhibere se nullatenus recusaret ad discutiendam querimoniam, quam Turonensis archiepiscopus de subjectione Dolensis ecclesiæ, et obedientia sibi negata, tum apud ipsum quam prædecessores ejus fecerat sæpe proponi. Idem etiam in litteris, quas principibus et populo Dolensis ecclesiæ destinavit, pro justitiis ejusdem ecclesiæ, eum duxit archiepiscopum nominandum, sicut per scriptum authenticum pars eadem demonstravit. Piæ quoque memoriæ Paschalis II Baldrico, Dolensi archiepiscopo, a Gerardo, tunc Engolismensi episcopo, auctoritate sedis apostolicæ instituto, pallium, plenitudinem scilicet pastoralis officii, indulsit, ut eo secundum prædecessorum suorum consuetudinem uteretur. Præterea in synodo a bonæ memoriæ Calixto celebrata Remis, B., Dolensis archiepiscopus, cum duobus suffraganeis suis interfuisse legitur, et ad ipsam prius tanquam archiepiscopus evocatus. Honorius insuper cum prædictum G., tunc Engolismensem episcopum, tanquam legatum suum et apostolicæ sedis vicarium destinaret, inter alios legitur Baldrico, archiepiscopo Dolensi, scripsisse, ut eum reverenter susciperet, et ipsi humiliter obediret. Qui etiam Baldricus quatuor suffraganeos habuisse probatur. Ad hæc felicis memoriæ Innocentius papa, prædecessor noster, G., Dolensem archiepiscopum, et suffraganeos ejus ad concilium quod Pisis postea celebravit legitur evocasse, et ad querimoniam ejus citasse archiepiscopum Turonensem, ut super subjectione, quam a Dolensi petebat, justitiam ostenderet ec-

clesiæ Turonensis, et eidem Dolensi de Alethensi diœcesi responderet. In quo etiam piæ memoriæ Cœlestinus eumdem prædecessorem suum Innocentium est secutus. Et licet bonæ memoriæ Lucius papa II, prædecessor noster, contra Dolensem ecclesiam pro Turonensi sententiam promulgavit, semper tamen Dolensis ecclesia in libertatis possessione permansit; cum, sicut in scripto etiam ab adversa parte inducto perspicitur contineri, concessum fuit ut Gaufridus, tunc Dolensis archiepiscopus, quamdiu ecclesiæ præesset eidem, usum pallii non amitteret. Idem etiam Gaufridus, cum ad Capuanæ sedis metropolim aspiraret, in judicio Turonensi archiepiscopo dicitur collusisse, nec bene defendisse causam Dolensis ecclesiæ, a qua tam corpore quam animo discedebat; si quidem post sententiam transierit ad ecclesiam Capuanam. Olivarius quoque, successor ipsius electus, eosdem suffraganeos quos G. prædecessor ejus habuerat habuit, et in Dolensi ecclesia ministravit, sicut per plures testes fuerat comprobatum. Adjecit quoque pars Dolensis, quod, processu temporis, bonæ memoriæ Eugenius papa, prædecessor noster, felicis recordationis Bernardum, Clarævallensem abbatem, ad sopiendas inter easdem ecclesias controversias destinavit, cujus statutum servare noluit ecclesia Turonensis. Cæterum cum H., postmodum Dolensis electus, propter illiteraturam suam apostolico se timeret conspectui præsentare, cum.... cantore et quatuor aliis canonicis Dolensibus Andegavis, quasi cum Turonensi compositurus, accessit, et exinde, contra prohibitionem cantoris et alterius senioris canonici, cum tribus junioribus Turonensem adiit civitatem, et corruptis tribus illis canonicis per collationem præbendarum, et salvo jure Dolensis ecclesiæ jurare inductis se servaturos quod oblata eis chartula continebat, a Turonensi archiepiscopo munus consecrationis accepit. Quod autem idem H. tres juvenes memoratos corruperit, uni scilicet archidiaconatum, alii præbendam conferens, tertio præbendam de manu laicali confirmans, quod cantor et socius ejus eidem H. ne Turonis accederet curaverint districtius inhibere, quod iidem juvenes salvo Dolensis ecclesiæ jure juraverint, quod idem H. adulterinum sigillum habuerit, eadem pars per testes suos sufficienter asseruit fuisse probatum. Adjectum est etiam quod litteræ nomine Dolensis capituli, super ipsius H. præsentatione confectæ, veræ non essent, utpote in quibus nomen præmittebatur decani, cum decanus nullum haberet in eadem ecclesia personatum, sed cantor primum locum potius obtineret. Idem etiam H., in professione quam fecit archiepiscopo Turonensi, se non episcopum, sed archiepiscopum, nominavit. Cæterum cum idem H. propter prædicta non fuisset ab ecclesia Dolensi receptus, ad apostolicam sedem accedens, a bonæ memoriæ Adriano papa, prædecessore nostro, ab obedientia fuit, quam Turonensi archiepiscopo in consecratione sua promiserat, absolutus. Sed hoc non potuit pars eadem per litteras authenticas demonstrare. Quæ cum Dolensis ecclesia ab eodem Adriano papa usum pallii, tum ex tenore concordiæ quam inter se et Turonensem archiepiscopum factam fuisse confitebatur, tum ex antiqua consuetudine postularet, nuntii vero Turonensis ecclesiæ compositionem quamdam factam per abbatem de Fontanis, in qua Dolensem ecclesiam suffraganeis renuntiasse dicebant, peterent confirmari, addentes quod sic fuerat a prædicto Lucio, prædecessore nostro, de fratrum consilio per sententiam definitum, parte Dolensis ecclesiæ prædictam compositionem et sententiam etiam

A non tenere dicente, cum is qui in Dolensi ecclesia tunc præsulatus gerebat officium dolum adhibuisset et fraudem, utpote qui, cum jam ad Capuanam metropolim aspiraret, nihil ad commodum Dolensis ecclesiæ allegavit, cum Dolensis ecclesia præsens in examinatione negotii non fuisset, idem etiam Adrianus prædictam compositionem omnino cassavit, et eam censuit vires non habere, eidem H. pallii usum indulgens ac E., tunc archiepiscopo Turonensi, præcipiens ut cum eo super suffraganeis conveniret, aut, usque ad festum S. Michaelis proxime tunc venturum, plenam ei exhibiturus et recepturus justitiam, apostolico se conspectui præsentaret, interim autem ipsum vel clericos ejus excommuni-

B cationis vel interdicti sententia non præsumeret aggravare. Iterum etiam idem Adrianus ad festum Omnium Sanctorum citavit partem ecclesiæ Turonensis, et eumdem H. frequenter in suis litteris archiepiscopum nominavit; quod ex scriptis authenticis pars eadem demonstravit. Insuper bonæ memoriæ Alexander in litteris suis, sicut ex ipsarum inspectione patebat, prout dictus Adrianus, prædecessor ipsius, quæstionem illam, quæ inter Turonensem et Dolensem ecclesias per sententiam terminata fuerat, cœperat retractare; unde volens plenius super causa ipsa cognoscere veritatem, cum utraque parte præsente, a Roll., tunc Dolensi electo, testes recepisset inductos, et depositiones eorum super quibusdam capitu-

C lis admisisset, G. tunc Senonensi, H. Baiocensi, et abbati S. Genovefæ et decano Baiocensi tam testes quos ipse receperat super aliis quibusdam capitulis audiendos, quam alios ab alterutra partium inducendos, recipiendos et audiendos super possessione subjectionis, in qua te, tu frater archiepiscope, esse dicebas, vel libertatis in qua se idem tueri nitebatur electus, super capitulis certis commiserit. Quem Lucius etiam, successor ipsius, in hoc imitatus, N. Cenomanensi decano, J. de Veteri Ponte, archidiacono Rotomagensi, H. Januensi, præposito S. Mariæ de Castellis, per suas litteras idem injunxit, qui, juxta mandatum apostolicum procedentes, receperunt testes super prædictis capitulis inductos a partibus,

D et eorum depositiones redigentes in scriptis, sub sigillis suis ad sedem apostolicam transmiserunt. Ex his ergo concludens Dolensis ecclesia postulabat, ut cum in libertatis semper possessione fuisset, dictum electum J. per dilectum filium nostrum Jordanem, titulo S. Pudentianæ presbyterum cardinalem, tunc apostolicæ sedis legatum, auctoritate apostolica confirmatum consecraret in archiepiscopum, et ei usum pallii curaremus, de solita sedis apostolicæ benignitate, conferre. Cæterum ex parte Turonensis ecclesiæ fuit ad prædicta responsum, quod cum olim tota Britannia fuisset ecclesiæ Turonensi, tanquam metropoli suæ, subjecta, Britannis tandem contra regem Francorum proprium sibi constituentibus

E regem, occasione B. Samsonis, quondam Eboracensis archiepiscopi, qui, cum in partibus Britanniæ pateretur exsilium, in Dolensi ecclesia cum archiepiscopi insignibus ministrarat, Dolensis ecclesia contra Turonensem supercilium elationis assumpsit, Britannis volentibus sibi novum archiepiscopum, sicut novum regem creaverant, suscitare. Unde bonæ memoriæ Nicolaus papa, Salomoni, tunc regi Britanniæ, scribens, quod omnes episcopi regni ejus suffraganei essent ecclesiæ Turonensis per litteras suas expressit, adjiciens tandem ut si contentiosius agere vellet, ad sedem apostolicam destinaret, ut quæ esset sedes metropolitica per ipsius judicium appareret. In aliis etiam litteris, directis eidem, Turonen-

sem ecclesiam metropolim esse Dolensis ecclesiæ, sicut ex prædecessorum suorum monumentis et exemplis priorum patere dicebat, asseruit; et Festiniano, Dolensi antistiti, scribens quod Turonensis ecclesia metropolis ejus esset se comperisse, sicut ex litteris apparet, descripsit, necessarium esse adjiciens ut eam Dolenses episcopi sequerentur, et ipsam in negotiis suis adirent, nec exquirerent ipsius judicium detrectare, sicut per munimenta prædecessorum suorum, et exempla priorum dicebat ostendi, addito ut idem Festinianus se metropolitanum nullatenus appellaret, quousque scripta Romanorum Pontificum, quæ in acceptione pallii ejus antecessores acceperant, destinaret, cum in regestis Siricii et Adriani nullatenus invenisset, quod Restovaldo et Junemeno, prædecessoribus ejusdem Festiniani, sicut scripserat, usum pallii concessissent. Præterea Joannes papa, prædecessor noster, episcopis Britanniæ interdixit, ne juri ecclesiæ Turonensis resisterent super omnibus quæ Turonensis archiepiscopus ad suam pertinere metropolim asserebat, donec utraque partium ad apostolicam sedem accederet, ut ibidem causa eadem finiretur; adjiciens quod si aliter agerent, se scirent excommunicationis sententiæ subjacere, et ab omni ecclesiastico beneficio esse suspensos. Quem piæ recordationis Leo papa, successor ipsius, postmodum imitatus, se in scriptis veterum reperisse asseruit omnes episcopos Britanniæ Turonensi archiepiscopo subjacere, adjiciens quod cum ad eum in Remensi concilio super hoc quæstio delata fuisset, statuerat ut Dolensis pseudo-archiepiscopus cum suis subjectis Remensi concilio interesset, non solum super hoc, sed de simonia etiam responsurus; quod quia implere contempsit, eum et omnes episcopos qui ei adhæserant excommunicationis sententia innodavit, sic scilicet ut nec peragerent divinum officium, nec audirent, nec benedicere etiam attentarent. Tandem vero cum utraque parte præsente, et causa non sine multo labore discussa, contra Dolensem ecclesiam sententiam promulgavit, ut nisi forte Britanni a subjectione ejusdem ecclesiæ se possent authentica sedis apostolicæ auctoritate tueri, Turonensem ecclesiam matrem suam et metropolim recognoscerent, et eam quam decet metropolitanum subjectionem et obedientiam Turonensi archiepiscopo exhiberent, usu pallii..... tunc Dolensi episcopo reservato, sic tamen, ut nullus successorum ejus ad dignitatem hujusmodi aspiraret; sed tam ipsi, quam cæteri episcopi Britanniæ, sub Turonensis archiepiscopi magisterio perpetuo permanerent. Ad quod melius cognoscendum, idem Gregorius legatos sedis apostolicæ in provinciam destinavit, qui congregato concilio Xantonis, auditis propositis, cum Dolensis ecclesia nullum ad suæ defensionis præsidium apostolicæ sedis privilegium induxisset, sed quasdam litteras potius sub nomine Adriani papæ confectas, quas P., clericus Dolensis antistitis, ipso audiente et tacente in registro Romanæ ecclesiæ se mentitus fuerat reperisse, et quas idem antistes falsatas esse in versiculo, in quo de datione pallii fiebat mentio, recognovit, quod Gregorius sub conditione statuerat pure curaverunt et simpliciter definire; scilicet, ut tam idem Dolensis quam cæteri episcopi Britanniæ perpetuam deinceps subjectionem et obedientiam exhiberent archiepiscopo Turonensi; quod prædictus Dolensis, in manu dicti Gregorii papæ post datum judicium promiserat se facturum. Quamvis autem prædictorum Joannis, Leonis, Gregorii, et legatorum ejus, pars eadem authentica non haberet, ea tamen authentica esse per bonæ memoriæ Urbani II authenticum demonstravit. Cumque postmodum R., Dolensis episcopus, memorati Urbani papæ se conspectui præsentasset, juramento firmavit quod prædictus Gregorius, prædecessor ejus, salva querimonia Turonensis ecclesiæ, pallii usum concesserat, sic tamen, ut si etiam Dolensis ecclesia in causa succumberet, usum pallii nihilominus retineret; quod per quasdam litteras Gregorii ostendere nitebatur, propter quod Urbanus pallii usum indulsit. Cæterum cum R., Turonensis archiepiscopus, ad ejus præsentiam accessisset, et quod per antedicti legatos definitum fuerat demonstrasset, idem Urbanus, de consensu partium, certum terminum partibus assignavit, ad quem, si qua partium adveniret, causæ suæ periculum sustineret. Unde Turonensi ad terminum veniente, Dolensi vero per nuntium suum excusationes solummodo prætendente minus legitimas, causa cognita, de consilio fratrum suorum sancivit, ut tam Dolensis quam cæteri episcopi Britanniæ Turonensem ecclesiam suam metropolim recognoscerent, et debitam ei reverentiam exhiberent, nec ullo ulterius tempore post Rollandi obitum ad usum pallii Dolensis episcopus aspiraret, sicut in ejus authentico perspeximus contineri. Idem etiam Urbanus, episcopis Britanniæ suam sententiam denuntians, præcepit ut Turonensi, sicut archiepiscopo suo, in posterum obedirent. Cum autem postmodum, tempore bonæ memoriæ Lucii papæ II, causa eadem fuisset ad apostolicæ sedis audientiam, procurante Dolensi ecclesia, revocata, ipse, utraque parte præsente, latam ab eodem Urbano sententiam per sententiam confirmavit, et Turonensem ecclesiam super Dolensi et aliorum episcoporum Britanniæ obedientia per baculum investivit, præcipiens ut tam Dolensis quam cæteri episcopi Britanniæ Turonensi ecclesiæ tanquam propriæ metropoli subjacerent, et ei debitam obedientiam et reverentiam exhibere curarent, hac tamen moderatione adhibita, ut G., tunc Dolensis episcopus, retineret usum pallii quoad viveret, et Romano tantum Pontifici subjaceret, sed post ipsum nullus Dolensis episcopus ad usum pallii aspiraret, sicut in ostenso nobis authentico continetur. Qui etiam Briocenses et Trecorenses episcopos ab obedientia Dolensis absolvit, et ut Turonensi archiepiscopo reverentiam et obedientiam exhiberent injunxit, adjiciens quod si mandati essent apostolici contemptores, sententiam quam Turonensis proferret in eos ratam haberet, et faceret inviolabiliter observari; scribens Gaufrido comiti et baronibus Britanniæ, ut sententiæ nullatenus obviarent, sed eam paterentur exsecutioni mandari, alioquin ratam haberet sententiam quam Turonensis archiepiscopus in contradictorem quemlibet promulgaret. Hanc autem ejusdem Lucii sententiam Eugenius et Anastasius, successores ipsius, auctoritate apostolica confirmarunt; et idem Eugenius ratam habuit sententiam excommunicationis quam in Dolenses et Briocenses clericos E., tunc Turonensis archiepiscopus, propter eorum inobedientiam promulgarat. Tandem vero Dolensis ecclesia, sententiæ parere coacta, H., tunc electum suum, consecrandum per decem Dolenses canonicos et clericos, cum decreto capituli subscriptiones canonicorum omnium continente, absolutione recepta ab archiepiscopo Turonensi, eidem archiepiscopo præsentavit, et ei professionem fecit, sicut alii suffraganei archiepiscopo suo facere consueverunt. Ac rediens a clero et populo Dolensi fuit cum processione receptus, et licet postmodum, sicut ab adversa parte opponitur, pallium et absolutionem obedientiæ, quam

in consecratione promiserat ecclesiæ Turonensi, tacita delatis sententiis veritate et falsitate suggesta, scilicet quod ille qui tunc in Dolensi ecclesia præsultatus gerebat officium fraudem adhibuerat, nec sufficienter partem Dolensis ecclesiæ defenderat, a sede apostolica impetrasset, rediens tamen eidem archiepiscopo debitam obedientiam exhibere curavit, et se teneri recognovit eidem, ad concilium ejus vocatus accessit, et tam ei quam J., ejusdem archiepiscopi successori, obedientiam, sicut suo metropolitano, reverenter impendit, sicut per testes fuerat legitime comprobatum; qui cum tandem, quia trangressus fuerat proprium juramentum, ab eodem J. excommunicationis fuisset vinculo innodatus, tandem, cæcitate percussus, pœnitens et de proprio sponte confessus, absolutionis ab eo beneficio impetrato, annulum etiam ei resignavit : quod totum fuerat per testes comprobatum. Idem quoque in litteris Adrianus, quas pars adversa super pallio eidem H. concesso inducit, inter cætera protestatur, quod quia, controversia proposita, plenam non potuerat cognitionem habere, cum altera pars in negatione consisteret, et se non habere mandatum penitus affirmaret, nihil ab eo fuerat super eo negotio terminatum. Felicis etiam recordationis Alexander papa, prædecessor noster, de sententia Lucii, confirmatione Eugenii et Anastasii, concordia Hug., et pallio ipsi H. ab Adriano papa concesso habita mentione, Turonensi ecclesiæ in Dolensem jus metropoliticum reservavit, mandans Dolensi capitulo ut si forsan in personam idoneam convenisset, eam Turonensi archiepiscopo consecrandam et confirmandam, si electionem inveniret factam canonice, præsentaret, et consecratus ei debitam obedientiam et reverentiam secundum ecclesiæ consuetudinem exhiberet, adjiciens quod si per legatos sedis apostolicæ eorum esset electio confirmata, et electus etiam confirmatus, nihilominus ad eumdem archiepiscopum vocatus accederet, et ei obedientiam exhiberet. Quod si forsan ad præsentiam ejus infra tres menses accedere non curaret, et tunc idem Alexander ipsum in administratione temporalium et executione officii quod post electionem susceperat suspendebat, sicut per ejus authentica patuit manifeste: nec nocuit, nec nocere potuit quod idem Alexander, forte in favorem electi Dolensis, citavit partes, testes recepit, et aliis recipiendos commisit, cum non in præjudicium alterutrius partium id intelligatur egisse, præsertim cum tibi etiam ad Turonensem metropolim evocato Dolensis diœcesis in pulsatione campanarum et causarum dilatione detulerit, et abbas S. Jacuti, qui est de Dolensi diœcesi, ad concilium tuum vocatus accesserit, et tibi etiam obedientiam curaverit exhibere. Nos ergo, diligenter auditis quæ fuerint hinc inde proposita, et rationibus et allegationibus partium cum instrumentis et attestationibus sufficienter inspectis, de fratrum nostrorum et tam archiepiscoporum quam episcoporum existentium apud apostolicam sedem consilio, petitionem Dolensis ecclesiæ interlocuti sumus non esse aliquatenus admittendam, cum probatum non esset Dolensem ecclesiam in libertatis possessione, sed Turonensem potius in subjectionis illius possessione manere. Ad abundantiorem autem cautelam, ab eodem electo coram fratribus nostris quæsivimus, si Dolensis ecclesia jam probasset vel adhuc probare posset dolum quem præfatus G., Dolensis archiepiscopus, dictus est commisisse, per quem pars ipsius Dolensis ecclesiæ remansisse proposita fuerat in defensa : qui respondit quod dolus ille nec probatus fue-

A rat, nec poterat comprobari, cum sæpe dictus G. et qui cum eo venerant, in Apuliam transeuntes, nusquam potmodum remearint. Et quamvis causa non super proprietate, super qua sæpe fuerat sententialiter definitum, sed super possessione tantum subjectionis et libertatis commissa sub certa forma fuisset, ad omnem tamen occasionem tollendam, liberam ei concessimus facultatem, ut ex his quæ acta fuerant adhuc summatim super proprietate proponeret, si quid posset rationabiliter allegare. Audientia ergo sibi propter hoc publica in consultorio bis indulta, quia præter præmissa nihil ad commodum partis suæ potuit allegare, cum quasi prænosceret quod deberet in causa sua succumbere, electioni renuntiare voluit

B in manibus nostris, et a commissa sibi et sociis suis a Dolensi capitulo super eadem causa procuratione cessare. Nos autem, nolentes hominum malitiis indulgere, nec renuntiationem recepimus, nec passi fuimus ut a commisso sibi et sociis suis a Dolensi ecclesia super eadem causa procuratoris officio resiliret. Ipso igitur nihil quod ad quæstionem faceret proponente, cum ipsum negotium diu quidem multa diligentia nos et fratres nostri sufficientissime discusserimus, præmissis et aliis multis rationibus per idoneos advocatos ab utraque parte prudenter inductis, quas propter prolixitatem superfluam in hac pagina prætermisimus annotare, de communi fratrum nostrorum consilio, auctoritate Dei omni-

C potentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et postea, utraque parte præsente, prædictas prædecessorum nostrorum sententias confirmamus, decernimus, statuimus, et sancimus, ut Dolensis ecclesia, perpetuis semper temporibus suffraganea plene subjaceat ecclesiæ Turonensi, et debitam ei suæ metropoli reverentiam et obedientiam cum aliis suffraganeis impendat, nec unquam Dolensis episcopus ad pallii usum aspiret, et ne causa toties definita de cætero valeat in contentionem refricari; si quæ post hæc instrumenta vel argumenta pro parte Dolensis ecclesiæ possent quomodolibet inveniri, nos auctoritate apostolica nihil ea penitus valitura censemus.

D Nulli ergo liceat hanc paginam nostræ constitutionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire : si quis hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. S. Petrus; S. Paulus; Innocentius papa III; locus monogrammatis; *Fac meum*, Domine, *signum in bonum;* ego Innocentius, catholicæ ecclesiæ episcopus; ego Octavianus, Ostiensis et Velletrensis episcopus; ego Petrus, Portuensis et S. Rufinæ episcopus; ego Joannes, Albanensis episcopus; ego Pau., basilicæ duodecim apostolorum presbyter cardinalis; ego Petrus, titulo S. Ceciliæ presbyter cardinalis; ego Jordanus, S. Pudentianæ titulo pastoris pres-

E byter cardinalis; ego Guido, S. Mariæ trans Tiberim titulo Calixti presbyter cardinalis; ego Hugo, presbyter cardinalis S. Martini titulo Equitii; ego Joannes, titulo S. Stephani in Cœlio monte presbyter cardinalis; ego Cencius, titulo S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis; ego Bernardus, S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis titulo Eudoxiæ; ego Joannes titulo S. Priscæ presbyter cardinalis; ego Gerardus, titulo S. Marcelli presbyter cardinalis; ego Gerardus, S. Adriani cardinalis diaconus; ego Gregorius, S. Mariæ in.... diaconus cardinalis; ego Gregorius, S. Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis; ego Nicolaus, S. Mariæ ad Cosmedim diaconus cardinalis; ego Gregorius, S. Angeli diaconus cardinalis; ego Bodo, S. Theodori diaconus cardinalis; ego

Cencius, S. Luciæ in Orthea diaconus cardinalis; ego Hugo, S. Eustachii diaconus cardinalis. Datum Laterani, per manum Rainaldi, domini papæ notarii, cancellarii vicem agentis, cal. Junii, indic. II, Incarnationis Dom. anno MCXIX, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno secundo.

V.

F. Chartul. Dol. episcopi. 1222.

Theobaldus, Rotomagensis archiepiscopus, ablatas ecclesiæ Dolensi reliquias restituit.

Omnibus Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis Th., Dei gratia Rotomagensis archiepiscopus, salutem in Domino. Ad universitatis vestræ notitiam volumus pervenire quod cum nos, tempore felicis recordationis Waltherii, nostri prædecessoris in ecclesia nostra Rotomagensi, officio pœnitentiarii fungeremur, dilectus et familiaris noster bonæ memoriæ nobilis vir Philippus de Colombiis nobis humiliter est confessus quod ipse habebat quasdam reliquias Dolensis ecclesiæ, quas ipse tempore guerræ inter piæ quondam memoriæ Joannem, regem Angliæ, et Britones habitæ, de manibus ruptariorum subripuerat violenter, qui eas, in subversione et combustione Dolensis ecclesiæ, cum violentia asportaverant ab eadem, videlicet de ossibus et corpore B. Samsonis, de pallio ejusdem et de ossibus B. Maglorii, et quasdam alias reliquias quas prædictus Philippus de consilio nostro in manibus memorati archiepiscopi resignavit, qui eas sub signo et sigillo prædicti Philippi per manum meam in thesauro Rotomagensi fideli custodiæ deputavit. Postea vero a venerabili fratre Joanne episcopo et capitulo Dolensi humiliter requisitus ut sibi et ecclesiæ suæ præfatas reliquias redderemus, eas ipsis ad voluntatem suam reddidimus, fideliterque et benigne; in cujus rei testimonium sigillum meum præsentibus litteris duximus apponendum. Datum anno gratiæ 1222, mense Januarii.

VI.

Ex apographo (1). 1234

Litteræ Gregorii papæ de clericis sub discendi prætextu ecclesias suas deserentibus.

Gregorius, etc., etc., venerabili fratri, episcopo Dolensi, salutem et apostolicam benedictionem. Significasti nobis quod nonnulli clerici tuæ civitatis et diœcesis, senes et alias indocibiles, se ad theologiæ facultatis studium transferentes, ab ecclesiarum suarum obsequio pro sua se subtrahunt voluntate, beneficiorum suorum nihilominus integre percipiendo proventus, prætextu constitutionis a bonæ memoriæ H. papa, prædecessore nostro, promulgatæ, qua statuit ut ab ecclesiarum prælatis et capitulis ad theologicæ facultatis studium aliqui docibiles destinentur, ex quibus postmodum copia possit haberi doctorum, consequenter edicto ut docentes in theologica facultate, dum in scholis docuerint, et studentes in ipsa integre per annos quinque percipiant, de licentia sedis apostolicæ, beneficiorum suorum proventus, contraria consuetudine non obstante. Quare nobis humiliter supplicasti, ut cum tales nequaquam proficiant ut esse valeant suis ecclesiis fructuosi, imo ex ipsorum absentia eædem ecclesiæ debitis obsequiis defraudentur, et alias incurrant multiplicia detrimenta, super hoc providere paterna sollicitudine dignaremur. Nolentes igitur ut quod pro ecclesiarum utilitate statutum est ad earum dispendium pertrahatur, mandamus quatenus docentes et docibiles, qui ad hoc idonei dignoscuntur, in facultate prædicta beneficiatos in tua civitate, vel diœcesi, eadem indulgentia gaudere permittens, reliquos ad debitam residentiam in ipsis ecclesiis faciendam, occasione hujusmodi non obstante, per substractionem proventuum, sublato appellationis impedimento, compellas. Datum Laterani, nonis Julii, anno septimo.

(1) Inter Collect. D. *La Porte du Theil.*

VII.

F. Chartul. Dol. episc. 1265.

Decretum Stephani de Cultu divino.

Universis præsentes litteras inspecturis Stephanus, miseratione divina Dolensis ecclesiæ minister humilis, et ejusdem loci commune capitulum, salutem in Domino. Cultum divini nominis in ecclesia nostra cupientes augeri, et honestatem chori et claustri nostri ad laudem et honorem omnipotentis Dei, ipso annuente, forte in melius reformari, in capitulo nostro generali, celebrato in vigilia B. Petri ad Vincula, et aliis diebus ad hoc continuatis, proinde de communi consensu omnium canonicorum tunc ibidem præsentium duximus statuendum, ut quatuor pueri de nostro choro assumantur et eligantur ad serviendum in ecclesia nostra Dolensi, maxime in matutinis, majore missa et vesperis, ita quod per singulos annos duo ex ipsis pueris percipient singuli singulos denarios cum episcopo qui pro tempore fuerit, et alii duo singuli singulos denarios cum capitulo Dolensi, quandiu in servitio ecclesiæ Dolensis supradictæ remanebunt. Quod si, propter culpam et negligentiam, illos amoveri contigerit, alii in locum eorum subrogandi hoc idem cum episcopo et capitulo percipient et habebunt. Item, ut inter canonicos et capellanos, seu clericos chori, in ipso choro aliqua distinctio in habitu cognoscatur, statuimus ut nullus nisi canonicus utatur publice pileo et pinulis in ecclesia Dolensi; et si quis contra hoc venire præsumpserit, eo præsente in choro, cum pileo et pinulis, cessetur penitus a divinis. Invocans etiam antiquum statutum, ut nullus canonicus, sive clericus chori, de nocte vel de die intret chorum sine caligis et tibialibus; et, ne divinum turbetur officium, canonici et clerici, quandiu missa vel horæ celebrantur, abstineant in choro a confabulationibus quæ ad officium divinum non pertinent; et, si simul loqui voluerint, chorum exeant, sicut in antiquis consuetudinibus super hoc editis et juratis continetur. Item statuimus, ad confusionem computi evitandam, ut præpositus capituli semel in anno, videlicet in capitulo proximo post octavas Pentecostes, computet in capitulo de misiis et receptis, et tunc in eodem capitulo ordinetur de præposito faciendo in anno sequenti, hoc adjecto quod in crastino Circumcisionis Domini, annis singulis, ad affirmationem decimarum capituli, et de quantitate earum, præpositus coram capitulo computabit. Statuimus præterea ut quilibet fimum de domo sua ejectum et positum in claustro nostro infra octo dies post ejectionem in claustro non dimittat, sed extra claustrum tunc, vel citius, faciat exportari, nec per moram fimorum claustrum nostrum dehonestari contingat. Item statuimus quod vicarii et capellani ecclesiæ Dolensis, qui missæ majori et horis canonicis tenentur interesse, prout in litteris dictarum capellaniarum dicitur contineri, si in hoc negligentes vel remissi fuerint, per capitulum puniantur, et proventus omnes dictarum capellaniarum in manu capituli capientur, et detineantur donec de negligentia sua

satisfecerint competenter. Item quod nullus clericus de cætero ponatur in choro, nisi prius juraverit quod contra statuta ecclesiæ Dolensis non veniet, sed ea quantum in se fuerit observabit. Si autem impubes, hoc juret, antequam in secunda forma statuatur vel ponatur, aliquis antiquior statutis ipsis, quæ non sunt immutata vel correpta, in suo robore duraturis. Actum in dicto capitulo, anno Domini 1265.

VIII.

Ex apographo (1). 1406.

Litteræ Benedicti XIII de bonis S. Jacuti alienatis.

Benedictus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati monasterii S. Melanii Redonensis, salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit quod tam dilecti filii Joannes abbas et conventus monasterii S. Jacuti, ordinis S. Benedicti, Dolensis diœcesis, quam prædecessores eorum decimas, reditus, terras, vineas, possessiones, domos, casalia, prata, pascua et grangias, nemora, molendina, jura, jurisdictiones, et quædam alia bona ad dictum monasterium pertinentia, datis super hoc litteris, confectis exinde publicis instrumentis, interpositis juramentis, factis renuntiationibus et pœnis adjectis, in gravem ipsius monasterii læsionem nonnullis clericis et laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus, et aliis perpetuo ad firmam, vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui dicuntur super iis confirmationis litteras in forma communi a sede apostolica impetrasse. Quia vero nostra interest super iis de remedio opportuno providere, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ea quæ de bonis ipsius monasterii per concessiones hujusmodi alienata inveneris illicite, vel distracta, non obstantibus litteris, instrumentis, juramentis, renuntiationibus, pœnis, confirmationibus supradictis, ad jus et proprietatem ejusdem monasterii legitime revocare procures, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem qui fuerint nominati si se gratis, odio, vel timore, subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Soanæ, XVII cal. Maii, pontificatus nostri anno duodecimo.

IX.

Ex apographo (1). 1474.

Jubet Sixtus papa ut supersedeatur censuris contra ducem fulminandis.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Dolensi salutem et apostolicam benediction em. Quibusdam rationibus ac causis, quieti et commodo tuo valde accommodatis, inducti, fraternitatem tuam hortamur, apostolica auctoritate mandantes, ut in fulminatione censurarum super provisione Dolensis ecclesiæ supersedere penitus debeas; intendimus etiam, Domino auctore, eam viam inire qua et tibi et dilecto filio nobili viro Francisco, duci Britanniæ, pariter satisfaciat. Si supersedebis, gratum nobis admodum erit; si minus, extunc irritum et inane decernimus quidquid præter formam hujusmodi nostri mandati a te hactenus factum esset, aut in posterum contigerit attentari, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus insuper et tibi eadem auctoritate mandamus, ut breve hoc nostrum, cum a te lectum fuerit, illæsum restituas præsentanti. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. 1474, IV non. Januarii, pontificatus nostri anno quarto.

(1) Monast. Benedict. t. XVIII, inter Resid. S. Germ. Pratensis codices.

(1) Cod. Reg. 8357².

INSTRUMENTA ECCLESIÆ BRIOCENSIS.

I.

E D. Guimart. 1084.

Conditur prioratus S. Martini Lamballensis.

Ad universorum Majoris Monasterii monachorum, tam præsentium quam etiam futurorum, notitiam præsentis auctoritate scripturæ transmittendum dignum duximus, quod Gaufredus, Britannorum comes, qui et Boterellus cognominabatur, dum de rebus suis aliquid Deo et B. Martino Majoris Monasterii, ad usum videlicet fratrum Christo inibi servientium, pro peccatorum suorum redemptione dare disposuisset, dominum Bernardum, tunc ejusdem monasterii abbatem, ad se accersiri præcepit; cumque prædictus abbas ad ejus jussionem ad Dolum castrum, ubi comes ipse tunc forte aderat, pervenisset, dedit Deo et B. Martino per manum ejus Veterem Lambalam, et montem Boeti, et mediatariam Gaufredi Comitis de S. Airando, et totam illam terram quæ vocatur *Goissan;* quam quidem terram emerat a quodam homine nomine Gorio Gampione, conjuge ipsius ac filiis omnibus concedentibus. Ipse etiam Gorio, quia hæc in ipsa venditione convenientia ei fuerat, ob hoc apud Majus Monasterium monachus postea factus est. Dedit etiam prædictus comes molendinum quemdam, ante portam ipsius castri situm. Præterea concessit monachis, ut si molendinum alium in ejus proprio stagno, juxta eum quem ipse ibi habebat, sibi facere quandoque voluissent, sicut ipse suum, ita et ipsi eum liberum perpetuo possiderent. Similiter et prata omnia, a ponte S. Martini usque ad viam Redonensem, et piscarias in vicina illa aqua quam super nominavimus *Goissan,* et molendinos omnes quotquot in aqua ipsa facere vellent, omnia hæc eis concessit. Dedit eis præterea dimidietatem piscium stagni sui, et piscariam Odonis Gauterii. Concessit etiam eis ut quoscumque homines ad terram suam hospitandam, seu de pace sua, aut etiam de guerra, adducerent, ita liberi essent sicut ipsi; nec consuetudinem aliquam alii darent, nisi tantum monachis ipsis. Convenit etiam inter eum et monachos, ut ipse mercatum suum de terra illa quam eis donaverat alibi transferret, quod quidem ita fecit, et eum in castrum suum transtulit. Nec multo post, hominibus patriæ illius mercatum ipsum infra castrum propter incommoditatem loci ferre non valentibus, accessit sæpedictus comes ad monachos loci ipsius, Christianum scilicet priorem, et Hainricum, atque Jarnigonium, et petiit ab eis quatenus mercatum ipsum in terram S. Martini iterum transferri permitterent, et si quidem ibi damnum haberent, ipse hoc eis restauraret. Compulsi itaque monachi, tum ne eis in hoc vim faceret metuentes, tum propter eam quam promiserat excambitionem, mercatum in terram suam transferri permiserunt. Dedit itaque eis, propter hanc mercati transmutationem, annis singulis, in Natali Domini, inter cyphos et scutellos, viginti quatuor solidos, ad obsequium domus eorum, ad calceamenta etiam famulorum, seu bubulcorum ipsorum, duo paria socularium, quorum par unum de optimis, et alia de mediocribus esset. Adhuc autem et de sale suo usui monachorum, et ubicumque sal eis necessarium esset diebus omnibus, sicut domui suæ, dedit et concessit. Præterea hæc omnia dedit eis et perpetualiter concessit, ut de omnibus quæcumque infra mercati consuetudines omnes quæcumque inde exirent acciperent. Dedit insuper ut omnes homines illi quicumque in terra eorum hospitari vellent, de foresta ejus hospitarentur, et de ea viride lignum ad ædificandum, et siccum haberent ad calefaciendum. Adhuc etiam dimidium insulæ quæ vocatur *Brehat* dedit eis, et terram Merveni, et forestam illam quam vulgo Toschiam Lupinariam vocant. Huic dono, inter cætera, addidit et concessit libertatem talem et justitiam, et dominium et dignitatem sine retinentia qualem in terra sua habebat, omni exactione et calumnia et subjectione dimissa, ut nomini sæculari sic subjecta. Hic fuerunt de monachis: Domnus abbas Bernardus, Drogo, bajulus ejus qui fuerat archiepiscopus Remensis, Hugo filius Ligerii, Clemens, Gaufredus de Sablolio, Mainfinitus, Guihenocus de S. Florentio, Euvrardus de Puteolo, Andreas de *Gomer,* Robertus, abbas Bonævallis, Gosmarus, abbas Trecacensis: de familia domini abbatis: Lancelinus cellarius, Johannes de Sartrino, Guinebaldus camerarius ejus: ex parte comitis: ipse comes Gaufredus, scilicet Boterellus, Eudo capellanus ejus, Andronicus magister ejus, Rannulfus camerarius ejus, Morihenus dispensator, Hominicus filius Eudonis, *Blenlevez* frater ejus, Judicalis Rufaldus, Deriandus Bastardus, Salomon Bornicus, Golvredus filius Trihanni, *Juhel* frater ejus, Radulphus de Lindisiacum, Judicalis *Piron,* Gaufredus Coccus, Guido Coccus, Danes filius Camelis, Roaldus filius *Guingant,* Urvodius balistarius, Mainguidus filius Danielis, Maino quoquius, Hervæus præfectus, Normannus filius Fravaldi, Paganus præfectus Doli, Beatus canonicus S. Briomari.

II.

Petrus monachorum S. Melanii bona confirmat.

Ex edit. recenti (1). 1208.

Petrus, Dei gratia Briocensis episcopus, universis sanctæ matris Ecclesiæ, ad quorum notitiam præsens scriptum pervenerit, in vero salutari salutem. Quoniam a memoria hominum cito dilabuntur quæ scriptorum memoriæ commendari negliguntur, tam præsentibus quam futuris notum fieri volumus, quod cum diutius litigatum fuisset inter nos et venerabilem fratrem nostrum Gaufridum, abbatem, et monachos B. Melanii Redonensis, super præsentationibus capellanorum ecclesiarum de *Brehant* et *Plogonoal*, coram judicibus a domino papa Innocentio III delegatis, post multos labores et expensas, postque quasdam sub his contra eos sententias, latas cum consilio bonorum virorum, inspectis et relectis Romanorum Pontificum privilegiis, Eugenii III, Alexandri III, inspectis etiam prædecessorum nostrorum donationibus et confirmationibus, scilicet Joannis, Judicaelis, Gaufridi, episcoporum Briocensium, et Joscii Turonensis archiepiscopi, eisdem abbati et monachis et eorum successoribus in perpetuum habendas et possidendas concessimus ecclesias subscriptas, et præsentis scripti patrocinio confirmavimus, ecclesiam de *Brehant* cum appenditiis suis, ecclesiam de *Plogonoal*, cum decimis

(1) Hist. Episc. Brioc. a DD. *Geslin de Bourgogne* et A. *de Barthélemy.*

et appenditiis suis, ecclesiam S. Michaelis de *Moncontour* cum appenditiis suis, et quæcumque in episcopatu Briocensi tam in decimis quam in ecclesiis et feodis, seu quibuslibet reditibus, aliis aut possessionibus, possidere dignoscuntur, aut in futurum, Deo propitio, rationabilibus modis poterunt adipisci, sub nostra et ecclesiæ (nostræ) protectione suscepimus; verumtamen cum in ecclesia S. Michaelis de *Moncontour* annuam procurationem quæreremus, et monachi econtra dicerent procurationem se nunquam prædecessoribus nostris reddidisse, nec nobis de jure deberi, tandem cum consilio bonorum virorum ecclesiam S. Michaelis de *Moncontour* ab omni procuratione et exactione episcoporum Briocensium absolvimus, et deinceps immunem esse concessimus, monachis singulis annis nobis et successoribus nostris XV solidos reddentibus, et ut hoc ratum et illibatum permaneat in perpetuum, præsens scriptum sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum est hoc apud S. Briocum, in domo nostra, anno ab Incarnatione Dom. MCCXVIII (1), die festo SS. Innocentium, testibus his Reginaldo archidiacono de Penthevria, Guillelmo decano, Nicolao magistro S. Brioci, Guillelmo Greia capellano nostro, magistro Willelmo de Tintiniaco, Willelmo *Pinçon* canonicis, Hervæo tunc temporis priore de *Moncontor*, Nicolao de *Moncontor*, Judicaele *Roillart*, Rotaldo de *Plogonoul*, presbyteris, et multis aliis tam clericis quam laicis.

III.

Ex apographo (2). 1247.

Litteræ Innocentii VI de canonisatione S. Guillelmi.

INNOCENTIUS, etc., etc., venerabili fratri archiepiscopo Turonensi et ejus suffraganeis salutem. Cum venisset patriarcha Jacob ad locum in quo post solis occubitum requiescere cupiebat, jacentes lapides capiti suo supposuit, ac in loco dormivit eodem; cujus imitatus exemplum sanctæ memoriæ B. Guillelmus, Briocensis episcopus, in via præsentis sæculi mundo dormire non destitit lapide, quem reprobarunt ædificantes prudenter capiti supposito suæ mentis (*sic*). Nam ipse, virtutibus intentus invigilans, et ab hujus mundi strepitu, quantum permittebat pontificalis dignitas, se subducens, concupiscentiæ oculos, quos primis parentibus seductor aperuit, clausos a suæ nativitatis primordio custodivit, ut suæ mentis ad terrena non reflecteretur intuitus, quominus ad contemplandam divinæ celsitudinis majestatem liberior haberetur. Sciebat namque quod servire duobus dominis, gaudere cum mundo et regnare cum Christo, nulli mortalium reperitur fuisse concessum. Quare mundum ipsum in contemptum deducens, ejus concupiscentias prorsus a suis actibus abdicavit, et carnem cum vitiis multarum asperitatum angustiis crucifigens, eam velut unigenitam filiam cum Jephte Domino in sacrificium obtulit, ferventis igne supposito caritatis, sicque carnis et oculorum concupiscentiis providæ legi suppositis rationis. Tunc inimicus humani generis, qui se sinceris mentibus ingerit importunus, fortius surgebat in scandala, ut eum saltem ad Deum erectum a suo statu per superbiam vitæ dejiceret, quæ consuevit ex aliorum plerumque insurgere victoria vitiorum. Sed idem episcopus, velut alter Jacob, vitiorum videlicet supplantator, assumpto præmisso lapide Domino Jesu Christo, cum quo etiam David ingentem Philistæum miraculose prostraverat, sic inimici diaboli pravos penitus debilitavit conatus, quod,

A licet non desineret invidere, ne tamen jam superatus ulterius vinceretur formidans, eumdem episcopum suis perversis insultibus jam impetere non audebat; nec mirum si nihil inimicus proficiebat in eo, quia per jugem orationum instantiam assidue lyram pulsabat Davidicam, quæ (non) patiebatur Saulem, regem Israeliticum, ob sui cantus dulcedinem a maligno spiritu molestari. Eo itaque de mundo, carne et diabolo gloriosum, auctore Domino, consequente triumphum, non solum scalam cui fuerat innixus Dominus, et per quam Jacob angelos vidit ascendentes et descendentes, meruit intueri, quin imo ascendit et descendit per eam, ut suo conditori per dulcis contemplationis studium inhæreret, et interdum conscen-
B deret (condescenderet), per piæ compassionis affectum, suorum infirmitatibus subditorum; quia profecto ne sibi soli per vitæ meritum in mundo proficeret, dumtaxat Rachelis amplexibus, contemplationi quidem pulchræ, sed sterili adhærendo, una cum Jacob ad Liæ quandoque descendebat cubiculum, innaturus (*sic*) ad loca deserti pœnitentiæ gregem sibi commissum, gemellis fœtibus fœcundatum, quem cum omni diligentiæ studio pavit tripliciter, videlicet verbo prædicationis, fructu orationis, et in hoc miræ conversationis exemplo, quod virginitatis pollebat candore, abstinentia gloriabatur et blandimentis erat præditus lenitatis. Merito igitur tunc gaudere poterat Briocensis ecclesia, curæ talis deputata
C pastoris, qui tanquam magister vitæ, pietatis titulus et misericordiæ speculum, totam Britanniam et adjacentes provincias suæ doctrinæ radiis mirifice illustrabat : sed nunc non solum ipsa, imo Ecclesia universalis debet perfundi lætitia ampliori, tum quia de novo perspicuum sidus oriri conspicit in partibus Occidentis, per quod in mundi pelago naufragantes ad portum reducuntur salutis, tum quia talem in terris meruit producere filium, nunc angelorum comitem effectum, cujus patrocinium invocandum censuit in suis necessitatibus non indignum. Cæterum ut ipse, qui dum adhuc in carne retineretur, erat quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, oliva pullulans, et cupressus incremento proficiens venustatis, nunc car-
D nis solutis nexibus, cum Israel et Jacobo idem Deum videns, effectus non tanquam lucerna sub modio, sed supra candelabrum posita, quæ illis qui sunt in domo Domini miraculis coruscaret, est per ipsum, velut alterum Elyseum, puer mortuus suscitatus; cuidam mulieri est candidior solito restituta mamilla, quam si præ nimio infirmitatis dolore miserabiliter amputaret, muliere nihilominus altera per extenuationem corporis congruam ab hydropisi nimium tumescente curata; viro insuper cuidam est in inguinis repente consolidata ruptura, per quam ipsius viscera se hominum aspectibus horribiliter offerebant; quadam etiam puella, cujus adeo pedes et tibiæ infecti fuerant ulceribus pustularum quod ei sola
E tibiarum abscissio, ne per hoc sinceram corporis partem corrumpi contingeret, pro consilio parabatur, ad plenum de ulceribus liberata prædictis; altera quoque puella, ignis interempta incendio, fuit in medio carbonum reperta, cui ejusdem sancti meritis ignis, vim suæ virtutis oblitus, nullum impressit vestigium læsionis; necnon lumen cæcis, auditus surdis, mutis loquela, gressus claudis et paraliticis debitum membrorum officium ad invocationem sui nominis subito circumferuntur; per quod ignorantium Deum tenebræ propulsantur, hæreticorum perversum dogma confunditur et fidelium beata credulitas adaugetur. Cum igitur dignum sit ut quos triumphans sublimavit Ecclesia, militans, quæ ipsa ut potest

(1) Leg. 1208.
(2) In Collect. D. *La Porte du Theil*.

semper imitari desiderat, prompto veneretur A affectu, nos, postquam de tam apertis ejusdem episcopi miraculis, tam per testes idoneos quam etiam quosdam miraculose curatos, in nostra et fratrum nostrorum præsentia constitutos, liquido constitit ipsum, quem cum justis in libro inventum jam scriptum esse cognovimus, de communi fratrum nostrorum et venerabilis fratris nostri patriarchæ Constantinopolitani, et prælatorum omnium tunc apud sedem apostolicam existentium consilio et assensu, in festo Resurrectionis Dominicæ glorioso sanctorum catalogo decrevimus adscribendum. Quocirca fraternitatem vestram monemus et hortamur attente, præcipiendo mandantes quatenus festum ipsius quarto calendas Augusti, quo spiritum reddidit Domino, attenta devotione celebrare curetis, ac faciatis per vestras civitates et diœceses a Christi fidelibus solenniter celebrari, ut per hoc eum in cœlis mereamini apud Deum intercessorem perpetuum invenire. Porro cupientes sepulturam ipsius, quæ tam evidentibus signis rutilare dignoscitur, congruis honoribus frequentari, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui cum reverentia illam in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia confisi, unum annum et quadraginta dies, accedentibus vero ad prædictam sepulturam infra ejusdem festi octavas quadraginta dies relaxamus. Datum Lugduni, XVII cal. Maii, anno quarto.

IV.

Ex apographo(1) 1255.

Litteræ Alexandri papæ de privilegiis decani Briocensis.

ALEXANDER, etc., etc., dilectis filiis decano et capitulo Briocensi salutem. Cum a nobis petitur, etc., etc., *usque* effectum. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat venerabilem fratrem, de consensu vestro, deliberatione provida statuisse, quod tu, fili decane, ac successores tui majorem nomine ac re obtineatis in Briocensi ecclesia dignitatem et vocem in capitulo, ac sedem in choro primam post ipsum, necnon in recipiendis incenso et pace honorem similem habeatis, D et sitis in processionibus ultimi, eodem episcopo duntaxat excepto; capitulum vero ejusdem ecclesiæ, quando fuerit expediens, convocare possitis ad tractandum cum ipsis de necessitatibus et utilitatibus eorumdem; ad hæc tu, fili decane, et alii successores tui, si forte sacerdotes non fuerint, teneamini infra annum a tempore assumptionis vestræ in presbyteros promoveri, et totius capituli et clericorum chori ecclesiæ præfatæ curam geratis, ac in eos omnem jurisdictionem et coactionem quam decanus ecclesiæ metropolitanæ in capitulo et clericis ejus obtinet, non obstante aliqua constitutione contraria, valeatis exercere; decano etiam Briocensi, qui pro tempore fuerit, quia gravia propter hoc imminent sibi onera expensarum, idem episcopus proventus quarumdam decimarum, ad dictam ecclesiam Briocensem spectantium, imperpetuum deputavit, pro ut in patentibus litteris confectis exinde, ac sigillis præfati episcopi et venerabilis fratris nostri archiepiscopi Turonensis loci metropolitani signatis, plenius dicitur contineri. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod super præmissis provide factum est ratum habentes et firmum, illud auctoritate apostolica confirmamus, etc., etc. Nulli, etc., etc., nostræ confirmationis, etc., etc. Datum Anagniæ, V idus Octobris, anno primo.

(1) Inter Collect. D. *La Porte du Theil.*

V.

Andreas S. Aaronis rectorem instituit.

E. D. Car. Guimart. 1255.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis Andreas, Dei gratia Briocensis episcopus, salutem in Domino. Noveritis quod cum ecclesia S. Aronii, nostræ diœcesis, per mortem Bertrandi de Trevisi, qui eamdem, ut dicebatur, ad præsentationem abbatis Majoris Monasterii Turonensis obtinuerat, ac tenuerat per longum tempus, vacasset, et ab aliquibus deduceretur in dubium an ita fuisset, tandem nos, in testimonio bonorum virorum, maxime reverendi patris ac domini B P., Dei gratia Turonensis archiepiscopi, qui de partibus illis exstitit oriundus, et ex litteris bonæ memoriæ Rollandi, quondam episcopi Briocensis, pro certo nobis constitit evidenter ecclesiam antedictam ad patronatum et præsentationem abbatis Majoris Monasterii Turonensis pertinere, dubia relinquentes pro certis, magistrum Guillelmum *Daniel*, quem nobis ad præfatam ecclesiam vir religiosus ac venerabilis pater G., Dei gratia abbas Majoris Monasterii Turonensis, præsentavit, ad eamdem benigniter duximus admittendum. In cujus rei testimonium et munimen præsentes litteras dedimus eidem abbati, sigilli nostri munimine roboratas. Datum die Veneris proxima ante festum B. Andreæ apostoli, mense Novembris, VI cal. Decembris, anno Domini C MCCLV.

VI.

Ex apographo (1). 1257.

Conceditur electo Briocensi ut æs alienum contrahat.

ALEXANDER, etc., etc., venerabili fratri, episcopo Briocensi, salutem, etc., etc. Cum, sicut in nostra proposuisti præsentia, constitutus pro expediendis ecclesiæ Briocensis negotiis, pro quibus ad sedem apostolicam accessisti, te subire oporteat onera expensarum, ne pro defectu ipsarum eadem inexpedita remanere contingat, nos, tuis supplicationibus inclinati, contrahendi mutuum propter hoc usque ad summam mille et quingentarum librarum Turonensium, et obligandi usque ad summam hujusmodi te et successores tuos ac bona ecclesiæ Briocensis, necnon et renuntiandi constitutioni de duabus dietis editæ in concilio generali, et beneficio restitutionis in integrum, ac conventioni judicum, si ipsorum creditorum nomine apostolicas litteras cujuscumque tenoris in posterum impetrari contigerit, fraternitati tuæ plenam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Ita tamen quod tu et successores tui teneamini ad hujusmodi pecuniam persolvendam, et ad pœnam, damna, expensas interesse, si non in termino a te statuendo pecuE niam persolveritis memoratam, soluta ipsis creditoribus necessitate probandi quod pecunia eadem in utilitatem Briocensis ecclesiæ sit conversa, pretextu alicujus constitutionis canonicæ vel civilis, non obstantibus aliquibus privilegiis, vel indulgentiis de quibus nostris litteris oporteat fieri mentionem, et per quæ tu et successores tui super iis in aliquo valeant se tueri. Datum Laterani, VI id. Februarii, anno tertio.

(1) Inter Collect. D. *La Porte du Theil.*

VII.

Ex apographo (1) 1267.

Litteræ Alexandri IV de consecratione Radulfi præsulis.

ALEXANDER, etc., etc., dilectis filiis decano et capitulo Briocensi salutem, etc., etc. Debitum officii nostri requirit, ut, inter sollicitudines alias quibus assidue premimur, specialiter circa ecclesias solertiam adhibentes, ipsarum utilitatibus intendamus, in eo maxime ut viduatis, ne longæ vacationis dispendia patiantur, de talium celeriter, nostræ diligentiæ studio, provideatur substitutione pastorum, per quos spiritualiter et temporaliter, auctore Deo, continuum suscipiant incrementum. Sane Briocensis ecclesia dudum B pastoris solatio destituta, vos, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum præfixa, convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia, prout moris est, invocata, demum in tres ex vobis providendi eidem ecclesiæ per electionem de pastore contulistis unanimiter potestatem, promittentes illum recipere quem ipsi communiter de ipsius ecclesiæ gremio ducerent eligendum; qui, ejusdem ecclesiæ statu provida consideratione pensato, venerabilem fratrem nostrum Radulfum episcopum, tunc officialem et canonicum Briocensem, virum utique litteratum, morum honestate conspicuum, consilio providum, et in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in episcopum ipsius ecclesiæ canonice ac concorditer elegerunt. Vos autem quod per illos in hac parte factum exstiterat communiter acceptantes, ad bonæ memoriæ..., archiepiscopum Turonensem, loci metropolitam, solemnes nuntios destinastis, petentes humiliter per eosdem ut electionem hujusmodi confirmare metropolitica auctoritate curaret. Sed quia dictus archiepiscopus confirmare illam pro suæ voluntatis libito in ipsius ecclesiæ præjudicium differebat, fuit, ex parte ipsius episcopi, propter hoc et ex causis aliis, ad sedem apostolicam appellatum. Negotio igitur electionis ipsius ad examen sedis ejusdem per appellationem hujusmodi devoluto, quia invenimus præfatam electionem de persona idonea canonice celebratam, illam, de fratrum nostrorum consilio, exigente justitia, duximus confirmandam, munus consecrationis ipsi episcopo de nostris manibus impendentes, ideoque universitati vestræ mandamus quatenus eumdem episcopum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, sibi obedientiam et reverentiam debitam impendatis, ejus monitis et mandatis salubribus humiliter intendendo; alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus usque ad satisfactionem condignam inviolabiter observari. Datum Laterani, VIII cal. Martii, pontificatus nostri anno tertio.

VIII.

Ex apographo (2). 1273.

Gregorius X Petrum præsulem confirmat.

GREGORIUS, etc., etc., venerabili fratri Petro, episcopo Briocensi, salutem. Petitio tua nobis exhibita continebat quod dudum Briocensis ecclesia pastoris solatio destituta, dilecti filii decanus et capitulum ejusdem ecclesiæ, sicut moris est, convenerunt in unum, et, Spiritus Sancti gratia invocata, dictus decanus ac major et sanior

A pars eorumdem capituli te, nunc ipsius ecclesiæ canonicum, in Briocensem episcopum canonice elegerunt, minore parte dictorum capituli magistrum Petrum Bili, canonicum Briocensem, minus canonice ad ecclesiæ prædictæ regimen eligente; dictus vero Petrus Bili hujusmodi electionem sic de ipso præsumptam vicariis venerabilis fr. nostri archiepiscopi, tunc electi Turonensis, et manentis apud sedem apostolicam, præsentavit, petendo per eos ipsam auctoritate metropolitica confirmari. Verum, pro parte tua, ad prædictam sedem extitit appellatum. Sane præfatus Petrus Bili, postmodum prudenter attendens quod nullum jus ex prædicta electione sibi fuerat acquisitum, ac cupiens dictam ecclesiam, paupertati compatiendo ipsius, a dispendiis quæ occasione prosecutionis electionis ejusdem incurrere poterat præservari, usus concilio saniori, jus, si quod ei ex electione competebat prædicta, sponte ac libere absque pravitate aliqua resignavit. Dicti quoque vicarii tam processum electionis, ut præ dicitur, de te factæ, quam personam tuam diligenter examinantes, demum electionem ipsam, quam invenerant de persona idonea canonice celebratam, prædicta auctoritate metropolitica confirmaverunt, tibique fecerunt munus consecrationis impendi, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, præmissis veris existentibus, quod super iis provide C factum est, appellatione a te, ut prædictum est, ad præfatam sedem interposita non obstante, ratum et gratum habentes illud, dummodo aliud canonicum non obsistat, auctoritate apostolica confirmamus et.... communimus. Nulli nostræ confirmationis, etc., etc. Datum apud Urbem Veterem, VI cal. Junii, anno secundo.

IX.

Decretum Petri præsulis de pacto inter Guillelmum Nigrum et monachos S. Melanii.

E mem. edit. (1) 1276.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis vel audituris Petrus, divina permissione Briocensis D episcopus, salutem in Domino sempiternam. Noverint universi, quod in nostra præsentia constitutus Guillelmus, dictus Niger, miles, recognovit in jure debere religiosis viris abbati et conventui S. Melanii Redonensis octo viginti et decem libras curalis (cursilis) monetæ, ex causa mutui sibi facti a dictis religiosis in pecunia numerata, pro quibus octo viginti et decem libris titulo pignoris obligavit eisdem religiosis, de consensu et voluntate Margaritæ, uxoris ejusdem militis, in jure coram nobis personaliter comparentis, et expresse consentientis in iis quæ inferius continentur, omnes decimas et fructus earumdem quas habebat, et habere poterat et debebat, quacumque ratione et quacumque de causa, in parochia de *Quessoi*, E videlicet *Embogar*, et in villa et apud villam Pagani et in parochia de Plessala super teneamento *Gervily*, et in parochia de *Henon*, in villa *Avenel* et apud eamdem villam, et in *Livirion*, et apud *Limizon*, exceptis terris de Ganneria, seu decimis principalis domicilii dicti militis, quas terras dictus miles consuevit colere, seu facere excoli, dum tamen prædictæ decimæ et fructus earumdem, obligatæ, ut superius est expressum, existentes apud *Livirion*, valeant annue ferme decem perratas siliginis ad mensuram de *Moncontor*, et possint annuatim de eisdem decimis inveniri: si

(1) Inter Collect. D. *La Porte du Theil.*
(2) Ibidem.

(1) Inter Instrum. Brior. eccles. quæ prælo dedere DD. *Geslin de Bourgogne* et *A. de Barthélemy*, p. 376.

vero non possint de eisdem decimis et fructibus earumdem dictæ decem perratæ siliginis annuatim inveniri, concessit idem miles coram nobis, et tenetur decem perratas siliginis perficere de decimis dictæ Ganneriæ suæ religiosis ante dictis; et ad hoc dictus miles obligavit coram nobis dictis religiosis decimas dictæ Ganneriæ suæ specialiter et expresse, necnon dicti miles et ejus uxor obligaverunt eisdem religiosis pro dicta summa pecuniæ omnes decimas et fructus earumdem quas habebant et possidebant in parochia de *Brehant*, in tuscha quæ nuncupatur tuscha Eudonis *Legouz*, et apud eamdem tuscham et in parochia de *Ploec* apud *Mazerez Gasse*; et voluerunt dicti miles et uxor ejus et concesserunt quod dicti religiosi teneant, habeant et possideant prædictas decimas et fructus earumdem quo usque ab eodem milite de dicta summa pecuniæ fuerit eisdem plenarie satisfactum; et transtulerunt dicti miles et ejus uxor in dictos religiosos, ob causam antedictam, dominium et possessionem et proprietatem omnium præmissorum et singulorum, prout superius sunt expressa, in quantum in ipsis erat per traditionem præsentium litterarum, ex nunc in antea specialiter et expresse; et ad ipsos religiosos garantisandum et defendendum super præmissis et singulis præmissorum, obligavit dictus miles coram nobis in jure omnes terras quas habebat, tenebat, habere poterat et debebat quacumque ratione, sub dominio religiosorum virorum abbatis et conventus S. Jacuti de Insula, cum dictarum ecclesiarum pertinentiis universis, et etiam quidquid juris, possessionis, proprietatis et dominii habebat et habere poterat et debebat quacumque ratione sub dominio prioris S. Michaelis de *Moncontor*, ita quod si prædictæ decimæ et fructus earumdem obligati ab aliquibus sint occupati, detenti occupentur, sive retrahantur de possessione dictorum religiosorum, non satisfacto eis de dicta summa pecuniæ, voluit dictus miles et concessit quod dicti religiosi venditioni exponant, pro dicta summa pecuniæ, dictas terras et jura cum suis pernitentiis, existentes sub dominiis ante dictis, et in (si) pretia earum non sufficiant ad solutionem dictæ pecuniæ faciendam, quod dicti religiosi pro residuo dictæ summæ pecuniæ capiant, seu capi faciant, et exponant venditioni tantum de bonis dicti militis mobilibus et immobilibus ubicumque exis-

A tentibus, donec eis fuerit de dicta summæ pecuniæ plenarie satisfactum; et concessit insuper dictus miles quod non vendet, non distrahet, nec aliquo modo alienabit prædictas terras et jura, nec earum pertinentias, existentes sub dominiis antedictis, durante prænominata dictarum decimarum obligatione, et renuntiaverunt dicti miles et ejus uxor coram nobis exceptioni doli, fraudis, calliditatis, deceptionis cujuslibet, privilegio crucis indulto et indulgendo, exceptioni non numeratæ pecuniæ, non traditæ, non solutæ, necnon et dicta Margarita auxilio dotis, dotalicii, senatus-consulti Velleiani, et omnibus aliis exceptionibus, auxiliis, privilegiis, constitutionibus et statutis canonici et civilis et consuetudinarii,
B per quæ præmissa vel aliquod præmissorum valeant annulari, vel in aliquo impediri: insuper voluit dictus miles et concessit coram nobis quod si prædictæ decimæ et fructus earum, dictis religiosis obligati, ut dictum est, non valeant annue ferme septem quarteria siliginis ad mensuram de *Moncontor*, dictis religiosis dicta septem quarteria perficiet super bonis suis; et ad hoc obligavit se et omnia bona sua mobilia et immobilia ubicumque existentia religiosis antedictis; et voluerunt et concesserunt dicti miles et ejus uxor quod omnes exceptiones et auxilia per quæ præmissa possent annulari, sive impediri in aliquo, in præsentibus litteris non expressæ, sive non nominatæ, quod pro expressis et nominatis habeantur; et
C juraverunt dictus comes et ejus uxor coram nobis, tactis sacrosanctis evangeliis, præmissa tenere et fideliter observare, et quod contra præmissa per se vel per alium non venient nec venire procurabunt, et ad præmissa tenenda et firmiter observanda prout superius sunt expressa dictos militem et ejus uxorem coram nobis præsentes et in præmissis consentientes in iis scriptis summaliter condemnamus: in cujus rei fidem et testimonium, salvo jure ecclesiæ Briocensis, in omnibus et per omnia præsentibus litteris ad petitionem dictorum militis et ejus uxoris, una cum sigillis dicti militis pro se, et sigillo Gaufridi de Rocha, militis, (et) pro dicta Margarita, uxore sua, quod dicta Margarita sigillum non habebat,
D sigillum nostrum duximus apponendum. Datum die Mercurii post festum S. Gregorii Marcii (Magni), anno Domini MCCLXXIV.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ TRECORENSIS.

I.

E. D. Moricio. 1123.

Charta fundationem referens S. Salvatoris Guingampensis.

Cum Radulphus, abbas S. Melanii, et cæteri fratres ejusdem monasterii, rogatu comitis Stephani, ut in ecclesia Sancti-Salvatoris de Guencampo abbas ordinaretur concessissent pro xx. solidis, quos de ecclesia illa iidem monachi pro anniversariis fratrum supradicti comitis, Gaufredi videlicet et Alani conutum, singulis annis habere solebant, inquisitio facta est. Consilio itaque cum baronibus suis habito, donavit prædictus comes perpetualiter Deo et sancto Melanio et monachis ejus, pro animabus et anniversariis prædictorum fratrum suorum, patris nihilominus et matris suæ, atque pro suæ animæ redemptione, xx solidos de fumagio Guingampensi per singulos annos. Hoc concesserunt et confirmaverunt duo filii ejus, Gaufridus videlicet et Henricus, qui tunc Guincampi erant : Alanus vero, qui in Anglia erat, ut cum reverteretur hoc idem concederet comes firmiter promisit. Actum Guincampi, anno Dominicæ Incarnationis MCXXIII, apud domum Gualteri, nepotis Rainerii, in præsentia Baldrici, Dolensis archiepiscopi, et Radulphi, Turonensis episcopi, arcbidiaconi quoque Dolensis Gaufridi, et Guillelmi decani, et multorum aliorum clericorum : de baronibus vero comitis hi interfuerunt, Eudo, filius Prigentii, Hamo, filius Meriani, Riwelenus, filius Gauffridi, *Riou*, filius *Jagu*, Hugo, filius Eudonis, et multi alii. De monachis, abbas Radulphus S. Melanii, Radfredus Electus, Tetbaldus, etc., Signum Stephanis comitis, Haduissis comitissæ; signum Henrici.

II.

E. D. Moricio. 1130.

Fundatur abbatia B. Mariæ de Begardo.

Dominus noster J.-C. visitare dignatus est hanc Trecorensem provinciam. Direxit namque ad eam quatuor religiosos viros Joannem, Guillelmum, Abraham, Jacobum, de monasterio cui nomen Eleemosina in Carnotensi episcopatu, qui illuminarent patriam, anno MCXXX. Venientes itaque supra memorati viri, in primis ad dominum Baldricum, Dolensem archiepiscopum dixerunt se velle abbatiam more Cisterciensium constituere; cujus consilio et auxilio freti, perrexerunt ad Gaufridum, filium comitis Stephani, bonæ indolis virum, qui honorifice eos suscipiens et apud se paucis diebus detinens, misit eos ad patrem suum supra memoratum nobilem virum. Qui audiens famam religionis Cisterciensis, desiderio suæ salutis accensus, rogavit eos ut apud se manerent, offerens eis et loca et quæcumque necessaria erant ad abbatiam constituendam. Dominus quoque Radulfus, Trecorensis episcopus, non minus eodem desiderio accensus, cum magno gaudio eos suscepit, atque loquens et suadens omnium animos inflammavit ut eis benefacerent. Missi itaque a domino Stephano comite ad dictum pontificem ut explorarent loca quæ eis placerent, pervenerunt ad locum dilectæ solitudinis cui nomen est *Pluscoat*, sive pura silva, in quo invenerunt eremitam nomine Radulphum, tuguriolum habentem in quo ipse vix colligi poterat, pauperem et A omni humano destitutum auxilio; et confluebant ad eos omnes populi tripartito tramite, quidam adjuvantes, quidam suam eleemosynam dantes, alii se suaque omnia et sæculo renuntiantes. Qui locus jam *Begar* vocatur, ratione cognominis istius eremitæ Radulphi, qui in dicto loco tunc temporis manebat.

III.

Ex apographo (1). 1223.

Honorius III Stephanum præsulem confirmat.

Honorius venerabili fratri archiepiecopo Turonensi salutem. Cum olim D., cantor, J. R. et L, canonici Trecorenses, multa contra perso- B nam Stephani, archidiaconi, Trecorensis electi, et tam contra electionem et electores ipsius quam confirmationem electionis ejusdem proposuerunt coram nobis, de utriusque partis procuratorum assensu, venerabili fratri nostro, Cenomanensi episcopo, et conjudicibus suis direximus scripta nostra, ut, vocatis qui forent evocandi, et inquisita super iis, prout inquirendum esset, sollicite veritate, negotium sufficienter instructum ad nos remittere procurarent; ex quorum litteris nuper recepimus, quod cum, mandati nostri auctoritate, inter dictum electum, ex parte una, et cantorem et R. prædictos, ex altera, fuisset diutius altercatum, ii duo postmodum, ante litis contestationem liti renuntiaverunt, et litteris pu- C blice protestantes quod causam de cætero non persequentur eamdem, alii vero nec per se nec per procuratores prosecuti sunt negotium, electo comparente in terminis assignatis, eidem et respondere parato, et ad ultimum per litteras sigillis eorum, sicut pro certo creditur, consignatas, appellationi renuntiaverunt, et liti, necnon litteris universis super dicto negotio impetratis; quare dilecti filii capitulum Trecorense humiliter supplicarunt, ut quia diu eorum ecclesia jam pastore caruit, ex quo grave in temporalibus et spiritualibus detrimentum incurrit, et propter guerram nobilis viri comitis Britanniæ, ad exanimationem fere pervenit extremam, præfato ipsorum electo faceremus munus consecrationis im- D pendi. Licet autem, secundum Apostolum, nemini cito manus sit imponenda, quia tamen ecclesiarum ordinatio dispendiosa non debet dilatione suspendi, cum mora in talibus, præsertim propter malitiam temporis, viduatis ecclesiis gravem consueverit afferre jacturam, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus de cætero circa ipsum electum officii tui debitum exsequaris. Proviso prudenter ne alicujus commutatione colludii sit ab objectorum prosecutione recessum, cum suspicionis nota non careat quod illi sine discussione reliquere negotium, quod tam voluntarie sunt aggressi, quoniam, si veritate nitebantur, objecta dissimulanda non erant in homine ad episcopalis dignitatis apicem promovendo; si veritatis erant destituta suffragiis, E nimis cœca conscientia nimiumque importuno mendacio impingebantur insonti. Datum Laterani, v cal. Februarii, pontificatus nostri anno septimo.

(1) E. Collectan. D. *La Porte du Theil.*

IV.

Ex apographo (1). 1234. *Gregorii papæ litteræ de Stephani præsulis exsilio.*

Gregorius vener. fratri episc. Aurelianensi salutem. Omnes qui unum in Christo corpus exsistimus alter alteri subvenire debemus. Sed eo fortius episcoporum nostrorum tenemur angustiæ compati, quo majori noscuntur in Ecclesia Dei dignitate potiti; ac in majus pontificalis ordinis opprobrium vergeret, si quis eorum nobis patientibus mendicaret, qui potius cupiunt exsules fieri quam suam patiantur ecclesiam famulari. Lacrymabilis siquidem venerabilis fratris nostri..., Trecorensis episcopi, ad nos querela pervenit, quod W., filius Olivarii, Alanus de *Boloi*, Gaufridus, filius Rad., milites, et filii *Quemmaret* de *Lamadeth*, atque alii consortes nequitiæ, Trecorensis et Corisopitensis diœcesis, pro eo quod idem episcopus auctoritate apostolica sententiam excommunicationis in Eudonem militem promulgari fecerat, in ipsum hostiliter insurgentes, hominibus ejus captis et ad redemptionem compulsis, et quatuor ex eis in ostio capellæ suæ crudeliter interfectis, et civitatem Trecorensem ac manerium ipsius episcopi quod habebat ibidem nequiter devastantes, cives Trecorenses utriusque sexus inclusos in ecclesia cathedrali diutius tenuerunt, eis per custodum observantias interdicto etiam ad communem usum humanæ necessitatis egressu, et, tanquam in una ecclesia non ista sufficerent, manus ad alias extendere sacrilegas, in quibus, post ostiorum fracturam, bonorum est asportatio subsecuta. Iidem quoque, post multa scelera quæ in eos committere præsumpserunt, et reverentia divina et sacrorum ordinum omnino calcata, clero Trecorensi parant insidias, inventos capiunt et captos ad redemptionem compellunt per diversos corporum cruciatus. Deinde, ut ad cumulum præmissorum grandem contumeliam grandis contemptus adjicerent, posuerunt Dagon juxta Arcam, quasi alii Philistæi, et statuam adorandam Chaldæi hujusmodi temporis erexerunt, et quemdam profanum ad titulum episcopi assumentes, irreverenter anti-episcopo reverentiam episcopo debitam exhibent, et suum episcopum verbo dicunt quem sibi tali facto fecerunt, ut talem prælatum habeant sic subjecti. Propter quod non solum blasphemorum injuriis est exposita sponsa Christi, verum etiam quoad eos contemptui datus est ipse Christus. Quare cum dictus episcopus extra ecclesiam suam exsulare cogatur, nec habeat unde sibi valeat necessaria ministrare, super hoc apostolicæ sedis remedium imploravit. Itaque mandamus quatenus dicto episcopo, si non habet unde valeat commode sustentari, ne mendicare cogatur, ab aliquibus episcopis, vel monasteriis provinciæ Rotomagensis, donec ad ecclesiam suam possit, hujusmodi adversitate cessante, redire, facias auctoritate nostra in vitæ necessariis congrue provideri. Contradictores, etc., etc. Datum Reate, vi cal. Julii, anno octavo.

V.

Ex apographo (2). 1285. *Epistola Honorii IV ad episcopum Trecorensem.*

In ordine Fratrum Prædicatorum, quasi solis radices habitantibus in hac lacrymarum valle, lux eruditionis illucet, dum ipsius ordinis professores fructuosis studiis mentes fidem orthodoxam confitentium singulas, in tenebras erroris inimici hominis suggestione illapsas, lumine veritatis illustrant, et spinas punctionis lethiferæ, in horto succrescentes Dominico, novacula labiorum succidunt, in quibus æternæ sapientiæ gratia est diffusa. Quare dictus ordo, qui nempe in medio Ecclesiæ in germina ineffabilis utilitatis succrescens, spiritualium fructuum ubertatem multifariam multiplicat, ut non lassetur labore votivis confovendus est gratiis et gratiosis beneficiis attollendus. Dudum siquidem felicis recordationis Gregorius papa, prædecessor noster, ordines qui non meruerant auctoritate sedis apostolicæ confirmari revocans, sacro concilio approbante, prout in constitutione super hoc edita plenius continetur, confirmatos eadem auctoritate quibus habendi possessiones, seu reditus, ipsorum regula sive constitutione obsistentibus, non erat facultas, sed victum per quæstum publicum incerta mendicitas ministrabat, subsidere voluit in hunc modum, videlicet quod nullum ex tunc ad eorum professionem admitterent, nec de novo domum, aut aliquem locum reciperent, nec domos, seu loca quæ habent alienare valerent, sine sedis ejusdem speciali mandato. Quæ quidem domos et loca reservavit dispensationi sedis ejusdem in terræ Sanctæ subsidium, vel pauperum, aut alios pios usus, per locorum ordinarios, vel eos quibus sedes ipsa committeret convertenda. Quamobrem dilectus filius..., provincialis ejusdem ordinis Prædicatorum in Francia, nobis humiliter supplicavit, ut cum in domo quam fratres ordinis Pœnitentiæ Jesu Christi, qui est unus de prædictis ordinibus, quorum professio, quæstui necessariorum subjecta, non patitur eorum professores possessiones habere, juxta muros villæ Guengampi, tuæ diœcesis, habebant, non nisi duo remanserint, et fratribus memoratis domum ipsam, eisdem duobus fratribus cedentibus, vel decedentibus, præfato ordini Prædicatorum, qui alium locum ibidem non obtinet, vendi de benignitate sedis apostolicæ mandaremus : nos itaque, utilitati tam ejusdem ordinis Prædicatorum, quem sincera diligimus in Domino caritate, quam dictæ terræ Sanctæ de subsidio providere volentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus præfatam domum, postquam præfati fratres ejusdem Pœnitentiæ Jesu Christi dimiserint, omnino eamdem cum pertinentiis suis præfato priori vel procuratori dicti ordinis Prædicatorum auctoritate nostra vendas pro pretio competenti, convertendo in subsidium memoratum, dictæque domus emptorem, postquam hujusmodi pretium tibi fuerit integre persolutum, ipsius ordinis Prædicatorum nomine in ejusdem domus corporalem possessionem inducas, et defendas inductum. Contradictores per censuram apostolicam appellatione postposita compescendo. Significaturus nobis quantocius per tuas litteras quid et quantum pro venditione receperis memorata, et penes quos illud duxeris deponendum. Datum Romæ apud S. Petrum, vii id. Junii, anno primo.

(1) Inter Collectan. D. *la Porte du Theil.*
(2) Ibidem.

INDEX GENERALIS.

A.

B

C

D

E

F

H.

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U.

V.

INDEX ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM.

A

B

C

43

D

E

F

G

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

INDEX DECANORUM,

THESAURARIORUM, CANTORUM, ETC., ETC.

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

W

X

Y

INDEX ABBATUM,

ABBATISSARUM ET PRIORUM.

A

B

D

E

F

G

H

I

49

M

N

O

P

INDEX ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM

AD ALIOS TOMOS PERTINENTIUM.

DECANI, PRÆPOSITI ET CANTORES

AD ALIOS TOMOS PERTINENTES.

ABBATES, ABBATISSÆ ET PRIORES

AD ALIOS TOMOS SPECTANTES.

G

H

I

J

L

M

N

O

P

R

S

ERRATA PRÆCIPUA.

Col. 5, *lin.* 34, Urbanus II, *lege* Adrianus II.
Col. 64, *lin.* 44, Gregorius VI, *lege* VII.
Col. 82, *lin.* 36, Ludovicus VII, *lege* VI.
Col. 87, *lin.* 55, 1142, *lege* Circiter 1143.
Col. 96, *lin.* 63, Est legere, *lege* Legere.
Col. 101, *lin.* 22, Præsule, *lege* Præsuli.
Col. 106, *lin.* 18, Coegebat, *lege* Cogebat.
Col. 108, *lin.* 55, Tredecimum, *lege* Tertium decimum.
Col. 117, *lin.* 21, Pacitum, *lege* Pactum.
Col. 127, *lin.* 39, Annis, *lege* Annos.
Col. 152, *lin.* 26, 760, *lege* 720.
Col. 172, *lin.* 54, 841, *lege* 941.
Col. 203, *lin.* 33, Ubi, *lege* Quo.
Col. 214, *lin.* 36, Osthone, *lege* Josthone.
Col. 224, *lin.* 53, Quarum, *lege* Quorum.
Col. 230, *lin.* 1, 1095, *lege* 1295.
Col. 233, *lin.* 34, Annis, *lege* Annos.
Col. 258, *lin.* 21, Amisere, *lege* Admisere.
Col. 277, *lin.* 43, Lexoviensis, *lege* Luxoviensis.
Col. 382, *lin.* 41, Eo, calculo, *lege* Eum, calculum.
Col. 475, *lin.* 53, Intercisset, *lege* Intercessisset.
Col. 490, *lin.* 63, Ævarium, *lege* Ærarium.
Col. 572, *lin.* 8, Anno 1191, *lege* Anno incerto.
Col. 579, *lin.* 48, Monachos, *lege* Canonicos.
Col. 592, *lin.* 47, Hoc anno, *lege* Anno.
Col. 680, *lin.* 28, Burgulii, *lege* Burgidoli.
lin. 28, Cormarici et S. Florentii, *dele hæc verba.*
Col. 684, *lin.* 31, Odo, *lege* Yvo.
Col. 695, *lin.* 27, Ipse, *lege* Ipso.
Col. 789, *lin.* 20, Guillelmo, *lege* Guillelmæ.
Col. 828, *lin.* 25, Joannem, *lege* Arturum.
Col. 832, *lin.* 43, Jam supra, *lege* Infra et supra.
Col. 842, *lin.* 39, Archiepiscopus, *lege* Episcopus.
Col. 865, *lin.* 13, Britonum, *lege* Namnetum.
Col. 883, *lin.* 32. Joannis, *lege* Yvonis.
Col. 946, *lin.* 15, Ut jebant, *lege* Ut aiebant.
lin. 42, Alano, *lege* Conano.
Col. 985, *lin.* 14, Abbas, *lege* Decanus.
Col. 1017, *lin.* 3, 1432, *lege* 1431.
Col. 1040, *lin.* 12, Hamelinum, *lege* Amelium.
Col. 1049, *lin.* 7, S. Salvatoris, *lege* S. Salvatori.
Col. 1050, *lin.* 39, Recusatæ, *lege* Recusata.
Col. 1052, *lin.* 24, Dolensis, *lege* Dolensi.
Col. 1098, *lin.* 27, Joannem, *lege* Guillelmum.
Col. 1113, *lin.* 50, Requieti, *lege* Requiei.
Col. 1138, *lin.* 2, Stephani, *lege* Henrici.

IN INSTRUMENTIS.

Col. 60, *lin.* 1, Bernardo, *lege* Gerardo.